LEXICON PHILOSOPHICVM, QVO TANQVAM CLAVE PHILOSOPHIÆ FORES APERIVNTVR,

Informatum opera & ſtudio

RODOLPHI GOCLENII
SENIORIS, IN ĀCADEMIA MAVRITIANA,
quæ eſt MARCHIOBVRGI, Philoſophiæ Profeſſoris primarij.

QVÆ SECVLO ALTERI PROSVNT,
ſere arbores.

FRANCOFVRTI,
Typis viduæ Matthiæ Beckeri, impenſis Petri Muſculi & Ruperti Piſtorij.

M. DC. XIII.

[illegible] Librum dono dedit fratri suo
[illegible]issimo [illegible]
[illegible], [illegible]
Anno. 1615

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

ILLVSTRISSIMO, POTENTISSI-
MO LITERATISSIMOQVE PRINCIPI
ac Domino,

DN. MAVRITIO
HASSIÆ LANDGRAVIO,
COMITI IN CATTENELNBOGEN,
DIETZ, ZIGENHAIN ET NIDA, &c.
ἐυεργέτῃ suo clementissimo.

VO (credat V. Celsit. mihi affirmanti) in tanta rerum & animorum exulceratione publicæ priuatæq; quietis fui studiosior; eo ingenia quædam mihi infesta fuerunt inquietiora, quasi conspiratione in me facta. Experiundo hoc per annos aliquot didici, ita vt quod Cicero (rebus à Cæsare & Pompeio turbatis) de se, id de me recte vsurpare posse videar: Incidi in hominum purgnandi cupidissimorum insanias: etsi mihi adhuc nihil magis fuerit curæ ac studio, quam vt sine insectatione aliorum agerem mea, hoc est, vna cum collegis meis etiam pacis cupidissimis nauim nostram reparrem, ac de integro vnam, quod dicitur, Troiam ædificarem. Nec enim passus sum me ab officio meo aduersariorum & allatratorum meorum, quærentium quoque iure, quaque iniuria nominis sui incrementum, & captantium theatri sui applausum, aculeatis scriptitationibus & calumniis abduci ad similem maledicentiæ rabiem, qua vel impediretur veritatis necessaria explicatio, vel doctrinarum optimarum studia, quibus pace & animorum tranquillitate opus est, interturbarentur. Hac in re & voluntas mea, & studium serium, & diuturna patien-

tia ſunt & ante oculos, & V. C. vt confido, ſpectata, & ad exteros quoq; conteſtata: quorum me adeò non pœnitet, vt cur nunc etiam aliter animatus & affectus eſſe velim, cauſa appareat nulla. Memini.n. vtrunque, & me in docendi, non in altercandi cum rixatoribus νεκρολόγοις ſtatione præcipue collocatum eſſe, atque hic infracto præſentiq́ue animo eſſe debere, vt qui ſciam calumniarum vanitatem ſua futilitate flacceſcere, tandemq́ue in fumos abire: & mihi omni prouiſione auertendum, quicquid nomen & decus Academiæ laudatiſſimæ imminuere poſſe videatur. Huc accedit, quod ego natura abhorrens à contentionibus cum malè feriatis hominibus, animi pacem, &, quam mihi præſtiterunt humanitatis ſtudia, placidiſſimæ vitæ tranquillitatem ſemper amaui, nec vllum odi magis ſcribendi munus, quam quod in amarulenta quoquo modo altercatione, ac diſceptatione, præſertim cum vix ſemidoctis calumniatoribus, eſt conſtitutum, quippe qui non minus referre, quàm inferre iniuriam & contumeliam nec boni viri duxerim eſſe vnquam, nec Philoſophi. Quid? quod Ill. V. C. cuius mihi merito ſemper celebranda memoria eſt, ſicut & Academiæ noſtræ, iudicio de me præclaro contentus, videor facile & odia & conuitia ἀνθιμάχων negligere: nec facilè paſſus ſum ſcriptis ὑβριστικοῖς interturbari aut interrumpi meas meditationes & operas didaſcalicas, quæ non procul abſunt ab exitu, & cõfectæ, Deo volente, breui dabunt Apoteleſma in luce publica appariturum. Ex his nunc edo Lexicon Scholaſticum & Philoſophicum partim Græcum, partim Latinum, opus ſane Philoſophiæ alumnis valde neceſſarium, cùm perſpicientia Philoſophici ſermonis plurimum etiam ad cognitionem rerum faciat. Nam, vt ait Ariſt. οἱ τῆς δυνάμεως ὀνομάτων ἄπειροι ῥᾳδίως παραλογίζονται, hoc eſt, qui verborum vim ignorant, facilè decipiuntur.

Cùm autem de Patrono huic meo operi tribuendo pro more & inſtituto ſcribentium deliberarem, putaui mihi faciendum, vt V. C. iſtud dedicarem & conſecrarem: tum vt ei conſtaret ratio mei otij in hac mea ætate ingraueſcente; tum vt quoquo modo gratum animum cum omni obſeruantia coniunctum teſtarer V. C. vt quæ me meoſq; liberos omnes

& ſingu-

& singulos immortalibus beneficiis multos annos affecerit: tum denique, quia V. C. augustißima & literatißima Persona, quæ in conspicuo Mundi vniuersi theatro constituta est, hoc literarium munus non est alienum. Itaq; demisse peto, vt C. V. id gratum & acceptum habeat, suoq; clementißimo patrocinio aduersus κακηγόρους defendat. Præterea oro Deum Opt. Max. vt V. Excells. cum Illustrißima coniuge, & suauißimis generosißimisq; liberis suo præsidio diutißimè incolumem tueatur, donis spiritualibus magis magisque exornet, omni denique felicitatis genere collocupletet.

Dat. festinanter Marchioburgi è Museo Idibus Martiis ANNO

MaVrItII æterno fLoreat aVLa Deo.

V. C. addictißimus Cliens

ROD. GOCLENIVS
Senior, Philosophiæ in Academia Mauritiana Professor primarius.

AD LECTOREM PHILOSOPHIÆ CANDIDATVM συγγνωμονικόν.

Suum locum inuenit illud Ausonii:

Si bene quid facias, facias cito, nam cito factum:
Cum fieri properat, gratia grata magis.

EGo contra hic cunctantius soluo, quod soluendum fuit, Germana fide, mecum perpendens istud, Sat cito, si bene sat. At tu humanissime Lector, tarditatē meam eleganter feres pro tua φιλευκεία, cum tibi sint notissima hæc: τὸ καλὸν ὀψίτελεστον γίνεται, &: nihil magnum à mediocri ingenio breui tempore proficisci potest: Et, *Multa simul faciens absoluit tardius vnum.* Hisce satis purgasse videor moram meam, & sustentationem, quam longiorem esse non siuit industria & egregia eruditio in vtraque lingua Dn. *Ioh. VVirtzii Tigur.* qui non solum magnam partem huius operis descripsit, sed etiam emendauit: quo nomine habenda est ei gratia singularis à Philosophiæ candidatis. Habes igitur tandē Lexicon aliquod Philosophicum & Scholasticum ex promisso debitum, cuius sylloge quanto mihi constiterit labore, pro æquitate tua iudices, quam vtile futurum sit initiatis nostris, experiundo discas licet. Habes, inquam, tandem à multis expetitam qualem qualem Philosophiæ clauem. Sicut enim, quod inprimis te scire velim, veteres artifices consueuerunt etiam absoluta opera, quæ Græcis sunt ἀπολελέσματα, pendente titulo inscribere, vt; Apelles faciebat, Lysippus faciebat, Λύσιππος ἐποίει potius, quam ἐποίησεν, tanquam affecta semper, non perfecta; vt contra iudiciorum & censurarum varietates supereresset artifici regressus ad συγγνώμην seu veniam velut emendaturo, quicquid desideraretur, si non esset interceptus: (Nicol. Beraldus in explic. Angeli Politiani Syluæ, cui titulus est Rusticus, & ipse Politianus in centuria Miscellaneorum:) Ita ego, humanissime

Lector,

Lector, Hoc Lexicon faciebam. Non enim obſcure præ me fero informatum vel certe affectum, non perfectum à me eſſe. Itaque diutius preſſiſſem domi meæ relictum inter mea aduerſaria, niſi veritus eſſem, ne filius mihi naſceretur poſthumus. Sed cum volens nolens immaturum nunc prodire paſſus ſim, quæ deſiderari cum mihi, tum aliis, vel recognitione aut ἀναγνωρήσει ἐπανορθωτικῇ digna eſſe, aut appendiculę alicuius indigere videbuntur, ſi vitæ vſura longior diuinitus mihi conceſſa fuerit, addam. Quod ſi quid breui de me fiet, aliquis exiſtet ex meis, qui partim ex meis collectaneis, partim ex doctorum virorum monumentis ſupplementum promat, exquiſitius quædam limet, adeoque hoc opus cumulate perfectum, hoc eſt omnibus numeris & partibus expletũ abſolutumq; conficiat. Interea hoc, quod nunc damus, gratus vtere fruere: idque per te à mendis nonnullis partim Typographi, partim miniſtrorum à manu repurga.

☙(:)❧

IN LEXICON PHILOSOPHICVM EXCELLENTISS. PHILOSOPHI D. RODOLPHI GOCLENII SENIORIS, IN ILLVST. ACADEMIA Marpurgensi Philosophorum antecessoris celeberrimi, sui Domini & amici singularis, Caspar Sturmius Theologiæ Professor.

Multa modis miris Sapientia clausa latebat
Semper adhuc, multis non sat aperta Sophis.
Ludebatq; animos minus extricata potestas
Verborum ambiguis significata notis.
Illa videbantur natiuo prodita sensu,
Sed falso; hæc ficto picta colore tegi.
Quæsita est, quæ tot vocum discrimina clauis
Panderet abstrusas, & reseraret opus.
Artis opus magnæ, nec non labor arduus, vt non
Immensa fructus vtilitate minor.
Repperit hanc clauem canente Goclenius æuo,
Vtendam doctis proposuitq; Scholis.
Salue clare senex, non hæc monumenta dedisti
Aut frustra, aut scriptis inferiora tuis.
Inuenies quite, dicent Duce, teq; magistro
Hanc claram studiis anteferente facem;
Quam facile est densas, isthoc Ductore tenébras
Vincere, & hæc recte, quæ latuere, sequi.
Si tamen & dubitent aliqui, modicæq; requirant
Non emendatis ista vel ista locis;
Excusabit opus sese, laudataq; virtus
Tanti operis quouis crimine maior erit.
Scilicet ex omni perfectum parte nihil sit,
Et quo quidq; magis perficiatur, habet.
Cous adornatam Cithereida pinxit Apelles,
Non imitabilibus plenum opus articulis;
Non caruit censore tamen, sed inania quorsum
Suspendo hæc operi laurea serta tuo?
Viue senex memorande diis, cui Numen olympi
Proroget in multos fata quieta dies.

R A-

RAPHAELIS EGLINI ICONII, TIGVRINI, S.S. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS Marpurgensis.

REgia cura fuit librorum scrinia mille
Construere, & μνήμῃ consuluisse sacræ,
Ne monumenta virum clarorum rara perirent:
Qualia Memphis habet: Græcia qualis erat.
Et sua Romanis Augusto Principe constat
Gloria, reiectis, quæ placuere minus.
Sed simul Ausonii cedant, cedantque Pelasgi,
GOCLENI *in lucem quod modo prodit opus.*
Nil etenim loculis opus est, nil mille librorum:
Vnicus hic tota est Bibliotheca liber.

ALIVD.

GRammatici certant, & adhuc sub iudice lis est:
An nescis? Veterum nota querela fuit.
Philosophi certant, & adhuc sub iudice lis est:
Hactenus, an nescis? nostra querela fuit.
Quid? Fuit: EN LOGICVS *litem hanc vtramque diremit:*
Desinat huic ætas quælibet ergo queri.

Iohan. Hartmannus, Med. D. & Chymiatrices Professor P.

IN LEXICON MAGNI ILLIVS GOCLENII SENIORIS, CHRISTIANÆ PHILOSOPHIÆ Hyperaspistæ.

INstar miracli magni Vetustas iactitat,
Effertque celsa ad sidera.
Ingens quod potuit solerte dextra Homericum
Includi opus putamine

)( )(

Exiguæ nucis : Et fatenda res, pulcerrimum
Factum, ſtuporeq́ omnium
Dignum. GOCLENIO *verum Vetuſtas vincitur,*
Humana velut induſtria
Progreditur, magis & magis cacumen artium
Scandens, prior cedit dies
Poſteriori. Haud eſt quod longe eas? Præſens liber
Monſtrat tibi, qui plurium
Faſcis librorum. Quicquid Plato diſertius
Diuiniusq́ tradidit;
Quicquid Ariſtoteles profundius, ſagacius
De rebus abſtruſiſſimis
Eruit è gremio Naturæ, & Orcheſtræ intulit
Mundi: hoc Volumen exhibet.
Multa Scotus, Thomas, Occam, genusq́ ceterum
Scholaſticum ſubtiliter
Vtiliterque docent, diſtinctionibus probis:
Hæc dempto amictu ſordido
Et veſtita nouo, quem Priſcianus, Tullius,
Cæſar, Maro, Salluſtius
Vnanimes puncto ſuo probent, Goclenius
Venuſta, pura, candida
Dat. Non exſulat hinc ſubtilis alæ Scaliger,
Atq́ eruditione qui
Exſeruere caput, famamq́ ſparſere altius
Præcæteris mortalibus.
Artibus haut ſophicis tantum nitet, ſed & ſacrum
Inducit in palatium
Theioſophumq́ Scholæ, Phœbiq́ caſtelli aurei,
Et, ſalua qua res Ciuica,
Auguſtæ Themidos; ne quem furorem erroneum
Quis imbibat, ſed vndiq́
Se munire queat, quo ſuis retundere impetus,
Quæuis cauere deuia.
Tot tam præclaris gazis refertum Lexicon,
In quo venuſtum, ſerium,
Vtile conſpiraſſe exiſtimes. Ergo pedem
Fer huc amore qui artium
Flagras, quis polias mentem, rubigine eximas
Inſcitiæ. Heic coniuncta ſunt,

Quæ chartis alii vix attigere grandibus:
Et dic Decembres plurimos
GOCLENIVS *Sophiæ Titan superfit aureus,*
Vt litterariæ rei
Vlterius possit feliciter gubernia
Tenere: sint frustra quibus
Hunc moris Genium procacibus lacessere,
Et virulentis morsibus.
En via lata patet; discenda prostant aurea,
Discenda disce tempore.

ANNO

2936
1323
1613. IMbVta Vt feLIX pLaCIDIs CVI peCtora MVSIS:
LItes ILLe qVIt VT LVeM CaVere.

Ioh. Wirtzius Tig. P.

A.

I. A Nota principij est, hoc est, *vel initii seu extremi à quo*, seu termini à quo, VEL CAVSÆ. Extremi seu termini à quo, vt: A carceribus per medium (spatium, stadium) ad metam, vt terminum ad quem Aristot. 1. Ethic. Nicomach. cap. 4. Quærebat Plato, verum à Principiis, an ad Principia proficiscendum esse, velut in stadio ab iis, qui præmia decernunt ad metam, id est, à carceribus, vbi sunt ἀθλοθέται, id est, iudices, qui præmia decernunt victoribus ad metam, quæ curriculum ipsum terminant? Ita igitur opponitur ei AD. CAVSÆ, vt Scalig. ex. 6. sect. 11. Non est anima nostra à semine (id est à vi seminali, vt causa particulari & propinqua) non à cœlo (vt causa vniuersali) sed à solo Deo autore & creatore.

Logic.

Physic.

II. A nonnunquam τῷ EX vel PER notę instrumenti vel medii opponitur: Ferrum hoc lucet ab igne: & ignis vehementer vrit in ferro, & per ferrum, nõ à ferro. Ab igni in ferro & per ferrum vim exerente stuppa accendi & ignescere potest. Anima nostra à Deo est, non ex Deo, id est, non ex substantia diuina, contra Manichæos. Nonnunquam etiam A sumitur pro EX, sed valde rarò: vt à memoria, id est è.

Vsus.

Disputatur de versione verborum Pauli ad Rom. 1, vers. 20. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, &c. Inuisibilia enim eius (Dei) à creatione mundi, dum ex rebus conditis intelliguntur, perspiciuntur, sunt qui ἀπὸ exponunt pro EX. Hos male interpretari censent alij moti sequentibus rationibus.

1. Vsurpant quidem Græci interdum ἀπὸ pro ἐξ, vt ἀπὸ μνήμης εἰπεῖν, è memoriæ quasi penu expromere, ἀπὸ μέρους, *ex parte*, ἐκ μέρους, vt loquitur Paulus 1. Epist. ad Corinth. 13. Sed cum ex indiciis signisque aliquid cognosci à nobis dicitur, Græci non adhibent particulam ἀπὸ, sed ἐξ. Euoluantur Demosthenes, Isocrates, Plutarchus, Aristoteles, Plato, Lucianus, & hoc apparebit. Consulantur Lexici. Vulgo dicitur: Noscitur ex socio qui non est cognitus ex se, & EX cantu volucre, è tinnitu noscitur olla. Hic neque Græci neque Latini dicunt A.

Ex his intelligitur, cum nos sumus cognoscentes, vsurpari ἀπὸ seu A, at cum ex signis, vt effectis alicuius, vt materia subiecta vel mediata causa efficiente cognosci quid dicitur, vsurpari ἐξ seu EX.

2. Patribus Græcis (vt Basilio) ἀπὸ κτίσεως κόσμου, ἀπὸ γενέσεως κόσμου, & ἀπ' ἀρχῆς κόσμου, semper sunt synonyma seu paria. Hæc autem idem sunt, quod A primordio mundi, A generatione seu creatione mundi. Ergo tantum quoq; valebit ἀπὸ κτίσεως κόσμου.

3. Æquipollent ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, Matth. 25. & Hebr. 9. & ἀπὸ κτίσεως

κόσμου, Rom. Illud autem est A molitione, cõstitutione, fundatione mundi. Ergo tantundem est ἀπὸ κτίσεως κόσμου. Illic autem per A notatur tempus. Ergo etiam hîc.

4. Huic expositioni fauet redditio Syri Paraphrastæ, quam vide in Scholiis Piscatoris in 1. ad Rom. Fauent etiam Patres, vt Augustinus in Serm. 4. de resurrectione corporum contra infideles: Si quæris, quomodo Deus manifestauit τὸ γνωστὸν θεοῦ, (quod de Deo cognosci potest) quibus legem non dedit? Audi quomodo. Inuisibilia enim eius à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur. A constitutione mundi, id est, ex quo constituit mundum. Hactenus August.

Sic in his Græcorum A tempus notat ἀπ' ἐκείνου, ab illo tempore: ἀπὸ τούτου, ἀπὸ τούτων, eodem sensu, ἀπὸ τοῦ νῦν, ab vel ex hoc tempore.

Sed Pronunciatum eorum qui negant ἀπὸ seu A exponi posse pro E x patitur ἔκβασιν, ex Euangelist. Etsi enim Lucæ capit. 7. dicitur ἕκαστον δένδρον ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται. Vnaquęq; arbor ex fructu suo cognoscitur, tamen pro eo Matth. 7. bis dicitur, ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς, à fructibus eorum (id est ex f.) agnoscetis eos.

A QVO.

III. A quo nonnunquam & Termini à quo & efficientis nota est, sicut & particula V N D E, vt: Dextrum est à quo, seu vnde incoatur motus localis. Aristoteles lib. 2. de cœlo, cap. 2. hoc est: Dextrum est id, à quo incoatur motus, non solum vt à termino à quo, sed tanquam à virtute motrice, quæ in parte dextra est viuidior & efficacior.

Physic. & Philolog.

Vtilissima obseruatio.

Non enim est absonum, interdum vnam & eandem voculam simul duo significare, vel vnum significare & alterum consignificare. Sic alter Latinis & ordinem significat, & numerum consignificat, Scalig. exerc. 6. sect. 14. quod non semel disputaui contra eos, qui mihi fuerunt infesti.

A SE, AB SE.

Primum A se opponitur ei, quod est ab A L I O, vt: Omne ens est aut ab se, aut ab alio. Dogma hoc est primi Philosophi, *A se ens dicitur* ἄναρχον & independens. Hoc Deus est, substantia à se, in se, per se, ex se, ab æterno existens, à quo cætera omnia existendi vim habent. Dei proprium est esse à se, à Nullo esse, proprium prorsus ἀκοινώνητον. Et καθολικώτατος primus & immediatus effectus Dei est E S S E: cum omnes creaturæ habeant esse à Deo: Vnde entia dependentia dicuntur. A B *alio ens est*, quod *non habet causam à se essendi.* Itaque è sui natura potest non esse, vt: quicquid est præter Deum, Vide Scalig. exercit. 61. sect. 5. Canon. *Quod ab alio est, est eo, à quo est, saltem natura posterius.* Lux est à Sole, riuus à fonte, at lux Sole, riuus fonte tempore posterior non est: seu, *De ratione eius, quod ab alio est, solum est, vt non existat, nisi vi alterius, siue vt ex alio naturæ quodam ordine consequatur, non autem vt duratione illo posterius sit.* Sed hoc quandoque ex Accidenti euenit. *Philosoph.*

Vsus distinctionis Entis à se, & Entis ab alio.

Cœlum est finitum, ideoque non habet potestatem nisi finitam. Ergo non est à se. Igitur habet principium. Itaque est corruptibile.

Secundo à se opponitur ei, quod est per se. Sic qui ex consilio alterius agit non A se, sed P E R se agere dicitur. Filius, Ratio seu sapientia Patris æterni

non

non à se agit, sed per se (non extranea virtute) vt aiunt Theologi. Non A se, quia operandi potestatem habet per generationem seu æternam originem à patre (qui operatur per sapientiam suam, per Filium) Gregor. Nazianz. Oration. 4. de Theologia, & Ambros. lib. 4. de fide, capit. 3. Augustinus ad 11. Orosij quæstionem: Non loquitur à semetipso filius, quia non est à semetipso, pater enim à nullo est natus (à nullo vitam accepit) filius à patre est genitus (dedit pater filio vitam gignendo) Spiritus sanctus à patre & filio procedens. Ideo non loquetur à semetipso: quæcunque audiet loquetur. Audire enim illi est Esse, Esse autem à se non est, sed à patre: ideo quæcunque audiet, loquetur. Corpus nostrum viuit per se, sed non à se, cum vitam accipiat ab anima. Αυτόματα non mouentur à se, quia in se initium motionis non habent, vt animalia. Moueri tamen dici possunt, per se quodammodo, id est, vi sua, sponte sua, & sine ope externa aliquandiu. Vide Casp. Peucerum in Comment. de Diuinat. titulo de incantationibus.

Tertio A SE interdum (rarius tamen) est idem quod IN SE, & opponitur ei AB alio, quod idem ibi est, quod IN alio. Aristoteles 8. Phys. cap. 6. text. 52. Aliud est per accidens moueri à se, (id est, in se) & aliud est moueri ab alio (idem in alio) Nam principia animalium mouentur per accidens in se, quia sunt partes ipsorum, quæ per se mouentur. At intelligentiæ non in se, sed in suis orbibus motum recipiunt. Iac. Zabarell.

A SE MOVERI.

A se moueri Physicis quadrifariam dicitur. Primo modo est libere seu ἀπροαιρέτως moueri, quod hominum est. Secundo est moueri ἑκουσίως, id est, sponte, affectu cupiditatis aut alio simili. Sic animalia omnia motu quodã suo se ipsa mouere videmus. Tertio à se moueri est rem à se ipsa motum inchoare, etiam postquam naturaliter quieuit. Sic, videmus, cum animalia se ipsa mouere, tum stirpes etiã, quippe cum certo tempore à se ipsis frondescant, floresque ac fructus emittant, aliâs vero ab iis motibus quiescant. Hoc genus se mouendi est viuentium propriũ & peculiare. Quarto modo aliquid primo à se ipso moueri, est primo moueri, non ita, vt pars alia aliã moueat, sed vt totum ipsum se totum moueat. Ita accipitur à Philosophis, cum quæritur in Physicis: An aliquid possit moueri à se ipso?

AB ALIQVO.

Ab aliquo in Logicis opponitur interdum De aliquo: vt Affirmatio est Enunciatio alicuius, de aliquo. Negatio est enunciatio alicuius, ab aliquo, id est, Negatio est Enunciatio quâ aliquid ab aliquo disiungitur seu remouetur. Vnde illa κατάφασις dicitur & compositio seu σύνθεσις. Hæc contra ἀπόφασις & diuisio seu διαίρεσις. Vide Aristotelis lib. de Interpretat. & Sauonarolę epitomam Philosophic.

Ab aliquo interdum character seu Symbolum est principii, vt causæ vel Termini seu Extremi à quo; eique opponitur Extremum ad quod, seu in quod. Interiecta inter hæc est VIA, intermedium iter, μεταξὺ, vt stadium. Hic vsus frequens est in doctrina Physica de Motu; & Philosophica de RELATIONIBUS: Calefactio est itio à frigore ad calorem.

Ab aliquo moueri 1. censetur quod à mouente est segregatum & disiunctum. Sic plaustrum ab equis moueri dicitur. 2. Communiori loquendi modo ab aliquo id moueri dicimus,

quod intercedente aliquo mouetur: sic artifex ab arte moueri, ignis à leuitate sua sursum ferri, corpus ab anima vel impultrice animę vi moueri dicitur. Nicolaus Leonicenus in comm. de animalium motione.

AB ALIO PROCEDERE.

Ab alio procedere seu exprimi fit dupliciter, *vel secundum esse reale.* Id est, quod alicuius reuera & actu est: Sic filius effigies seu imago patris procedit à patre: *vel secundum esse Intentionale*, id est, quod est in alicuius (ut artificis) intellectu: sic à pingendi artifice procedit imago. Esse enim imaginis ille habet in mente. Grego. de Valent. in Thom. explicationibus.

Quid est Esse Reale & Intentionale sententiariis?

AB ALIQVO ESSE VEL FLVERE.

Ab aliquo vel ab alio esse quid dicitur, vel immediate vel mediate, vt: Omne accidens est à substantia, vel proxime, vel remote, id est, vel immediate vel mediante alio accidente: Vnde intelligitur hoc axioma: *Accidentis non est accidens, nisi ambo eidem accidant substãtiæ, ita, vt vnum sit immediatum & proximum, alterum mediatum & remotum.* Hinc, puto, conciliari possunt sententiæ, quarum vna dicit, Extensionem esse accidens quantitatis, altera, esse accidens substantiæ corporeæ: vna, dicit habitui, qui scientia est, accidit actio, scire: altera: homini vel animo accidit scire.

Canon Philosophicus.

A PARTE ANTE ET A PARTE POST.

Distinctio perpetui.

A parte ante & à parte post Barbarorum termini sunt scholasticorũ, cum Perpetuum ita distinguunt: A parte ante perpetua illis dicitur anima si existat & ante corpus, nec de nouo fiat, & post dissolutionem à corpore maneat superstes. Perpetua verò à parte pòst, siquidem corpus non antecedat, sed incipiat esse, sed tamen duret post perpetuo à corpore separata. Tam à parte ante, quam à parte post idem est, quod *Ab omni parte.*

A PARTE REI.

Idem est quod secundum Rem, secundum rei naturam: secundũ se, vt: quæritur à Philosophis, vtrum res vniuersales sint à *parte rei*, id est secundum se (id est Entia realia) an solius intellectus opera? an sint tantum obiectiue in intellectu, id est, an tantum obiiciantur menti. *Opponitur igitur ei, quod est secundum intellectum.* I.

Interdum dicunt, Ex *parte rei*, idq; opponunt τῷ Ex parte Dei, id est: Ratione Dei, respectu Dei: vt aliquid fieri non potest ex parte Dei, sed ex parte Rei. *Cum duo virtute tantum differunt, nihil vni ex parte rei conuenit, quod repugnet alteri, sed absolute tribuitur rei, in qua illa duo virtute continentur*: vt vis exiccandi & calefaciendi virtute tantum differunt in luce, & vtraque tribuitur luci. Quæritur, an Natura communis à parte rei differat à singulari? Colleg. Conimbr. in Præfat. Porph. quæst. 5. art. 3. s. 1. Thomæ Sectatores respondent à parte rei nihil existere, quod actu distinguatur à singularibus, sed ratione differre communem naturam à singulari. II.

Canon Philosophicus.

Omnia sunt singularia reipsa.

Existentia non distinguitur à parte rei ab actuali essentia, sed tantum modo concipiendi nostro. Suaretz Disp. 13. de materiali causa substantiæ. A parte rei, id est: si res ipsa spectetur.

A vel ex parte alicuius spectari aliquid, est attribui aliquid alicui secundum quid, inesse in aliquo determinate, seu certo modo se habente, vt mali culpæ proxima & immediata causa spectatur ex parte rationis & voluntatis, cum ratio à norma seu regula legis se auertit, & voluntas ad alienum se conuertit obiectum, III.

Quæ mali culpæ causa.

obiectum, ac peccati actum complet. Remota & mediata spectatur ex parte τῦ ἀισθητικῦ, id est facultatis sensitiuæ, hoc est, est ἐν τῷ ἀισθητικῷ, quod ab alieno obiecto motum secum abripit transuersam quasi rationem & voluntatem.

IV. *Ex parte rei interdum opponitur nostro modo intelligendi (qui imperfectus est)* Thomæ Aquinati in diuinis persona producens non est prior ex parte rei persona producta, sed nostro modo intelligendi. Sed Fonsecæ persona producens & ex parte rei & modo intelligendi nostro est aliquo modo prior producta.

An in Tr. pater prior filio, differtio.

Ex parte rei: quia persona producens, est prior ORIGINE & ORDINE naturalis enumerationis: Modo intelligendi nostro, quia persona producens potest concipi more nostro ante productionem actiuam conceptu absoluto, more inquam concipiendi, quo concipimus nostratia producentia, quæ re vera absoluta sunt. Sed hæc maximè abstrusa & ὑπερ ἡμᾶς.

AB VNO, ἀφ' ἑνὸς: AD VNVM, πρὸς ἓν.

AB VNO AD VNVM omnia est omnia ab vno summo independēte Deo essentialiter dependere, vt ab efficiente, & ad vnum Deum referri vt ad finem vltimum seu τέλος σκοπιμώτατον. Deus enim est rerum A & Ω.

Quæ sunt, omnia sunt & AB VNO & IN VNO & AD VNVM. Platonicum.

AB VNO, vt à causa procreante seu producente.

Platonica Philosophia.

IN VNO, vt causa mouente, conseruante, gubernante.

AD VNVM, vt ad finem vltimum.

VEL.

Quæ sunt omnia, sunt & in vno & ab vno & ad vnum.

IN VNO, vt paradigmate seu causa exemplari. Rerum enim species in Deo vt in speculo aut fonte totius esse continentur, vt omnes creaturæ ante ipsarum creationem habuerunt esse intelligibile in Deo.

AB VNO vt causa procreante & conseruante.

AD VNVM vt finem extremum. Vt ab eo (Deo) inquit Paulus Scaliger omnia fluunt, ita in eum vicissim omnia refluunt.

Aφ' ἑνὸς seu AB VNO Peripatetici etiam aliter accipiunt: nimirum pro inferiori quodam independente (suo modo) *Commune enim AB VNO ijs est nomen ambiguum quod tribuitur diuersis rebus, quarū vna ab altera tanquam à principaliori, quod ad suam naturam attinet, dependet.* Exempli causa, Ens Aristotelis & Thomæ assectis non est verum seu proprium genus, sed commune nomen, quod tribuitur & substantiæ & accidenti, sed inæqualiter: nempe substantiæ principaliter & prius: accidēti minus principaliter posterius, & merito substantiæ ac quatenus illud ab hac dependet. Itaq; substantia simpliciter Ens dicitur. Accidens Ens secundum quid. Alij vocant genus analogum, commune analogum, vniuersale κατ' ἀναλογίαν.

Dico diserte Aristotelis assectis Ens esse proprie dictum genus: quia Ramei & Scotistæ, quos sequitur hîc D. Ioh. Piscator, Ens negant multipliciter dici, sed esse genus verum, seu συνώνυμον, id est vniuocū. Albertus Magnus, hic est Aristotelicus. Ens enim, inquit, non est genus, sed vt principium quoddam de summis generibus dicitur. Equidem, cum Ens duplex statuatur à philosophis, Rationis seu in intellectu, & naturæ seu extra intellectum, arbitror huic prius, illi verò posterius Ens attribui. Sic cum ab Aristotele doceatur, aliud esse Ens potentia, aliud Ens actu, 5. Metaph. cap. 6. illud secunda-

Aristoteles 7. & 12 t. Philosoph.

ENS duplex seu διττὸν.

rio, hoc verò primò Ens esse dico, τῆς ἀξίας & perfectionis ratione.

BONITAS commune est ABVNO. πρώτως conuenit Deo: Δευτέρως creaturis. Itaq; dicitur Dei attributum communicabile κατ' ἀναλογίαν (ob analogum in creatis rebus effectum) Item iudica de vita. Primò enim Deo vita tribuitur, vt perenni illius fónti & scatebræ: vnde omnia viuentia vitam accipiunt, & quasi precariam eam possident, vt sit illius effectum & ἀπόρροὴ.

ABDVCTIO ἀπαγωγὴ.

Logic. ABDVCTIO, *seu Syllogismus* Apogogicus, est imperfecta demonstratio, cuius præmissa prima est manifesta, assumptio autem dubia: sic tamen vt æquè, aut magis probabilis sit, quàm conclusio, aut media pauciora habeat, quàm conclusio, quibus demonstratio perficiatur: Exempli causa: Omnes quos Deus absoluit, sunt absoluti peccato. Omnes qui sunt in Christo Iesu, Deus absoluit. Ergo omnes qui sunt in Christo Iesu, sunt absoluti peccato: Apagoge hæc est, quia assumptio non est immediata, sed interiectis mediis (quale est: Deum condemnare in illorum natura peccatum misso suo filio) est approbanda. Aristotel. videsis lib. 2. priorum analyticorum & Claudium Albertum in Organ.

VSITATIVS dicitur DEDVCTIO (cum licet minor non liqueat; videtur tamen notior conclusione.) Sic Iohannes cognomento Grammaticus: ABDVCTIO est, quando maior terminus liquidò inest, & minor est occultus, 2. posteriorum analyt. cap. 25. DICTA ABDVCTIO, quia abducit nos à conclusione in demonstrationem occultæ & non significatæ propositionis. Idem Ibidem.

Vsus ex 3. Demonst. Schegk.

Abductiones seu Apogogæ plures sunt: Apodixeis pauciores. Sapientia inter has principatum tenet. Scientiarum enim secundum perfectionem & imperfectionem gradus sunt tres. Primus, quo vtcunq; scitur quippiam, & plura, quæ faciunt ad notitiam, sunt cognita ac percepta quã incognita, quam Aristoteles vocat Apagogen seu imperfectam demonstrationem mediatamque (Διότι) Secundus gradus est, quo perfecte scitur quippiam per ἀπόδειξιν. Tertius, quo maximè & perfectissimè. Quæ cognitio appellatur sapientia, veritatis & scientiæ rerum tanquam cardo, & prorsus ἀνυπόθετος ὄπις ἡμὴ, vt Plato eam vocat. *Multi vtuntur discipulis apogogas pro demonstrationibus.*

Est autem mediata seu ἔμμεσος imperfectaq; demonstratio Διότι, cum causa non est proximè cum effectu coniuncta. Exemplum. Omne ἔμψυχον nutrimẽto vegetatur. Omne φυσικὸν est ἔμψυχον. (Omne vigens seu vegetabile est animatum) ergo omne φυσικὸν nutrimento vegetatur. Medium seu causa hæc imperfectè est descripta allataue, quippe cum non sit συνεκτικὴ (continens) id est, cum effectui non sit proximè coniuncta, cum effectui non cohæreat immediatè. Principalis quidem est anima (Græci dicunt κύριον αἴτιον) sed non nutrit absq; cibo & organis quibusdam sanitate præditis. His causis omnibus perfectè definitur nutritio (quæ propria est corporis animati, quia animatum) id quod ostendit eruditissima definitio nutricationis Zabarellæ in fine lib. de nutritione & accretione.

ABDVCTIO *ad impossibile seu* incommodum eius, quod fieri inquit: Græc. ἀπαγωγὴ εἰς ἀδύνατον vel εἰς ἄτοπον, vt vocat Chrysostomus, est ex contradictoria alicuius conclusionis, & alia quapiam enunciatione, cuius in Logic.

con-

confesso est veritas, manifestè falsam conclusionem inferre, vt ex huius falsitate & alterius præmissæ veritate contradictoriæ conclusionis falsitas & ex hac tandem primæ conclusionis veritas ostendatur. Dicitur aliâs DEMONSTRATIO per impossibile, & probatio per absurdum seu ἀπόδειξις: Cui opponitur Δεικτικὴ, id est ostensiua seu directa.

Exempli causa.

Ignis diàτὸ τοῦτο non sunt stellæ.

Probatur ostensiuè Traiectiones non esse stellas sic: Stellæ sunt perpetua corpora. Traiectiones non sunt perpetua corpora. Ergo traiectiones non sunt stellæ. Idem probatur abductione ad absurdum. Stellæ sunt perpetuæ. Traiectiones sunt stellæ, ait aduersarius. Ergo traiectiones sunt perpetuæ. At hæc conclusio est manifestè falsa, quia repugnat experientiæ. Ergo & vna è præmissis. At non propositio maior. Ergo minor, quæ est aduersarii.

Ex dogmate Flacii peccatum originis esse substantiam, non accidens, sequitur hæc absurda conclusio, non est resurrectio. In abductione igitur ad hoc absurdum vna è præmissis erit hæc, peccatum originis est substantia, quam ideo falsam esse necesse est. Rectè apteq; Daniel Tillenus in Syntag. disputationum: Si tota hominis natura & substantia peccatum est, etsi peccatum resurgere absurdum est dictu, necesse est nouam produci substantiam, quæ cum non ceciderit, peream dicetur resurgere.

INTER *fallacias quoq; Sophistarum captio est*, quæ dicitur ABductio à PROpositione, à quæstione (proposita) à statu controuersiæ. Ea ad fallaciam ALIENI pertinet. Estq; species seductionis.

ABECEDARIVM.

Abecedaria syllogismorum exempla dicuntur, quibus ostenditur forma syllogistica, sine certa definitaq; materia. Qualia passim sunt apud Peripateticos, vt: Omne β est α. Omne γ. est β. Ergo omne γ. est α.

In Physicorum scholis talia sunt: necessariò pendet ab A (id est, hic effectus necessariò pendet à causis suis per se.)

Sint duæ potentiæ mouentes A & B & A habeat vim mouendi pondus, vt octo, B autem vt quatuor; si quæratur, quanta sit vis motiua ipsius A? respondebitur, esse vt octo, quia potest mouere pondus vt octo, & hac re differre à B, quod tantùm mouere potest pondus vt quatuor &c. Pererius lib. 3. Phys. cap. vltimo.

ABLATIO.

1. *Ablationis & Detractionis* vocem Scaliger in Philosophia accipit pro ἀφαιρέσει & χωρισμῷ, id est, abstractione & separatione, de qua mox: Iacobus Schegkius vocat *submotionem, quæ fit alicuius vel aliquorum secretione* lib. 7. de Demonstr.

In verba Schegkij sunt: Mens accidentia, quæ materię causa infinita sunt, secretione submouet ab essentia. Hoc submouere secretione nimirum est ABSTRAHERE. *Abstrahere autem est vnum apprehendere sine alio, cum quo est coniunctum.* *Quid Abstrahere.*

2. *In latina lingua.* Ablatio Scaligero est species Abolitionis, sic enim ait lib. 1. de causis latinæ linguæ cap. 17. Abolitio est, cum tollitur litera. Genus hoc est Ablationis, Concisionis, Abscissionis. Est autem ablatio (Græcè ἀφαίρεσις) cum litera aboletur à principio: sicut contrà concisio seu Syncope est, cum litera aboletur à medio: Abscissio seu Apocope, cum à fine. Vide ipsum Scaligerum, à quo conficitur hæc Tabella.

Literæ in dictionibus.
- Sunt: Ita patiuntur mutationem
  - In ſubſtantia.
    - Abolentur à
      - Principio. Hæc eſt Ablatio.
      - Medio. Hæc Conciſio eſt.
      - Fine. Hęc eſt Abſciſſio.
    - Tranſmutantur in alias. Hæc eſt μεταβολὴ.
    - In loco. Hæc eſt μετάθεσις, Id eſt translatio ſeu tranſpoſitio.
- Non ſunt. Ita addunt
  - Principiis. Hæc eſt *appoſitio* ſeu προθεσις.
  - Mediis. Hæc eſt *Epentheſis* ſeu interpoſitio.
  - Fini. Hæc eſt παραγωγὴ, ſeu productio.

A principio } Hæc eſt ἀφαίρεσις Græcis.
A medio } Hæc eſt *Syncope* ſeu μεσοκοπὴ.
A fine } Hæc eſt Apocope. Sed hæc vulgata ſunt & protrita.

IV. *In Matheſi ablatio* eſt minoris quantitatis à maiore deductio. In Arithmetica vocatur ſubductio vel ſubtractio (numeri minoris à maiore vel æqualis ab æquali.)

ABOLITIO.

1. Abolitio in phyſicis eſt mutatio, qua aliquid redit in nihilum. Alii vocant totalem abolitionem. Columella vocat aboleſcere. Dauid Schramus opponit ei corruptionem cap. 8. Phyſic. quæ græcis eſt φθορὰ, & aliàs dicitur interitus (ſed idem valde ineptè, niſi longè opinione mea fallor, definit motum mortuum, quo redit in nihilum ſtatus naturæ) vel eſt idem quod deſtructio (formæ ſubſtantialis vel qualitatis.)
2. In Grammaticis & poëſi Scaligero eſt Abolitio cum tollitur litera è dictione (vel etiam ſyllaba.)
3. Abolita verba dicuntur, quæ deſuetudine inumbrata, imò penitus è medio ſublata ſunt. Aliàs vſurpari deſita.
4. In politicis accipitur Abolitio ſæpè pro obliteratione ſeu abrogatione rerum politicarũ; vt hæc lex eſt abolita; magiſtratum abolere. Vel pro inſtitutæ actionis peremptione, quæ eſt generalis vel ſpecialis, de quib. Iuriſconſulti conſulantur ff. de Abolit. L. Abolitio. Sed redeo ad phyſica. Scaliger pro Aboleri dicit ad nihilum interire: Exerc. 61. ſ. 5. idque de mundo, qui incendio ita conſumetur, vt prorſus nouum ſubeat. E Theologis fuerunt, qui per peccatum originis bonum naturę humanę abolitum dicerent. Quod falſiſſimum. Illud enim malum bonum naturæ vitiauit & *infecit non confecit*. Pro eodem etiam dici quandoq; exoleſcere notum eſt. Veruntamen proprie loquendo plus eſt Aboleri quàm exoleſcere.

Inter

Inter Abrogare & Derogare ad Leges & Decreta relata Politici hoc discrimen constituunt: Abrogare est penitus tollere, seu, vt loquitur Alciatus, totum penitus tollere. (Græci dicunt νόμον λύειν) Derogare vero diminuere aliquid. Dicitur, inquit, Alciatus in com. de verbor. signif. Derogatio, per quam aliquid de vi & effectu rogationis, id est, Legis diminuitur.

Distinctio.

Abolere est vel quod ad τὸ εἶναι, vel quod ad vsum attinet. Hoc posterius à Physicis historicis etiam dicitur Abdicari. Plinij hæc sunt: Democritus rapum in totum abdicauit in cibis, Id est, totum condum censuit, è ciborum vsu sustulit. Et vtinam posset è vita in totum abdicari aurum, id est, ex hominum vsu tolli. l. 33. Natural. hist. ca. 1.

ABSOLVTVM.

Absolutum (id est ab alio solutum) modo de re, modo de nomine intelligitur.

De re intellectum interdum opponitur imperfecto, tum inchoato, tum affecto. Opus enim affectum est opus non absolutum, non perfectum, sed prope confectum. *Interdum est* idem quod nudum, *purum*, sine vlla conditione: vt cum Absolutum Dei decretum aliquod dico: *Interdum idem est* quod *non dependens* ab alio (eiusmodi quid non est res relatiua) *Atque ita absolutum quid est à Subiecto, vel à Termino.*

Absolutum à subiecto est independens à subiecto, hoc est, id quod non est natum recipi in alio, vt substantia. *Absolutum à Termino* est quod formaliter non respicit ad aliud præcise vt terminum ad quem: vt rursum substantia: Quãtitas item & Qualitas. Sic cõtra Respectiuũ aliquid est ad aliud, *vel vt ad subiectum*, id est, essentialiter natum est recipi in alio, vt omne accidens in substantia,

vel vt ad Terminum, id est, formaliter, respicit ad aliud præcise, vt Terminum ad quem, vt accidens relatiuum. (Ita absolute inesse & relatiue inesse opponuntur) Sed hæc distinctio etsi vera est, nõ tamen totum exhaurit. Subijcio igitur hanc pleniorem.

1. Absolutum 1. est quod ita ex se est, vt à nullo prorsus pendeat, neq; vt sit, neque vt conseruetur. Hoc est Absolutum singulari & eximio modo. Proprium scilicet Dei est, vt ex se ipso sit, ab ipso vero cætera. *Absolutum* προπρίως.

2. Dicitur Absolutũ, quod etsi respicit aliud à se (vt Deum) tamen non respicit aliquid à quo pendeat vt à συστατικῷ seu ἕσω constituente, id est, vt à materia vel forma. Sic quoque substantiæ (creatæ) sunt absolute: quia tametsi à Deo pendent vt procreante: non ita tamen pendent ab eo tãquam materialiter sustentante. *Absolutum* κατά τι.

3. Absolutum illud est, quod etsi pendet ab alio, tamen non constituitur ex alio supposito, sed habet in eodem supposito causas omnes, per quas existit. Sic accidentia dicuntur esse res absolutæ.

4. Absolutum quoque dici posse videtur quid, quatenus habet certum suum modum, quo est, qui non petitur aliunde quam ex se. Omne enim prædicamentum habet suum esse, & suum quid est, quo discernitur ab alio, licet non absoluatur à substantia. Sic Seruus etsi quid relatiuum est & pendet à Domino, tamen habet suam certam rationem, per quam seruus est, seu potius sine qua seruus non est, nempe obedientiam: Seruus in Domino non habet omnes causas, per quas existit. Nisi enim fuerit Simo Dominus, neq; etiam Dauus seruus esse potest: ac si eundem patrem & filium esse fingamus, non habet in seipso causas ꝙ sit, sed adhuc ex alio pendebit, vt pater, & item, vt filius, ex alio. Ac albũ & quan- *Absolutũ à modo externo.*

tum in eo ſunt abſolute (id eſt, qua album & qua quantum) nullo ad aliud reſpectu. Vide Caietanum in Thom. opuſc. de Ente. Tabella hæc exhibet.

- Abſolutum
  - Simpliciter, Deus.
  - κατά τι
    - A cauſa interna, Materia & Forma: Nóες.
    - A ſuppoſito alieno, vnde habeat eſſe. Accidentia.
    - A modo externo: Omne ens prædicamentale.

2. Illam è Scaligero planiorem lib. 4. ca. 93. de cauſis Latinæ linguæ.

- Abſolutum à
  - CAVSA omni: vt Deus.
  - MATERIA, vt mentes Angelicæ, & quæ motrices orbium cœleſtium creduntur eſſe à Philoſophis veteribus, ideo dictæ ἄϋλοι.
  - Subiecto (alio) ſeu PER SE STANTE: vt ſubſtantiæ omnes. Sunt enim ipſæ ſubiecta. At accidentia non ſunt libera à ſubiecto.
  - Relatione (Non poſitum in χέσει) & quæ ad aliud non referuntur.

Hæc diſtinctio etſi primario ſpectat res: tamen ad Nomen etiam accommodari poteſt. Nam Nomen *nec à cauſa abſolutum eſt*, quia habet primum ſui authorem: Habet pro materia vocem, ſcripturam aut quid ſimile: *Nec à Relatione*, quia nomina ſunt rerum ſigna ac notæ. Subtiliter Scaliger: Nomen ipsũ quatenus ſignificat eſt relatiuum: (ſignificans enim & ſignificatum [a] *mutuo naturæ nexu conſtant*) Quatenus vero abſolutam rem ſignificat, eſt abſolutum.

[a] *Definitio Relatorũ.*

Nomen abſolutum oppoſitum Relatiuo.

Abſolutum igitur de Nomine intellectũ 1. eſt quod rem abſolutã non χετικὸν ſeu reſpectiuam notat. Nomen autem deducitur vel à voce alia, vt hodiernus ab hodie, alumnus ab alo: Vel à re aut abſoluta, aut relatiua. Itaq; ſi ſubſtantiã ſignificat ſeu indicat, inde ſumit appellationem: ſi quantitatem, inde: ſi relationem, item inde. *Oportet enim ſignum aquari rei, cuius eſt* ſignum: ſicut vox naturam debet ſequi illius vocis, vnde deducitur.

Canon de aquatione ſigni & ſignati.

2. *Eſt, quod ſignificat aliquid, non quaſi adiacens alicui*, ſed quaſi per ſe ſubſiſtens. Sic dictum, quia præter id, quod ſignificat ſeu denotat, nihil aliud notat, de quo dicatur, vt Socrates, Homo, Animal. Ei opponitur implicite ſignificans & *Connotatiuum: quod ſignificat aliquid adiacens quaſi adiacens alicui*, ſic dictum, quia præter id, quod notat, aliud etiam, de quo dicitur, notat, vt candidum, veſtitum, ſurdum, non audiens. Candidum enim ſignificat candorem, qui adiacet papyro: Veſtitum veſtem, quæ adiacet homini, ſurdum negationem auditus adiacentem animali ad audiendum nato; Non audiens negationem auditus adiacentem omnibus non audientibus, ſiue ſint, ſiue non ſint. Sic connotatiua ſunt Pater, Dominus, Præceptor. Fonſecam vide lib. 1. Inſtitut. Dialectic. c. 24. *Nomen enim relatiuum connotat ſecum rem abſolutam*: vt Filius ſubſtantiam. Scal.

Nomen abſolutum oppoſitum Connotatiuo.

ABSOLVTA ENVNCIATIO.

Canon de ſignificatione relatorum.

Abſoluta quæſtio eſt cum quæritur ſimpliciter, hoc ne ſit an illud: vt, an virtus expetenda, necne. Comparata contra: vt, An virtus magis ſit expetenda, an bona valetudo.

Abſoluta propoſitio eſt pura Enũciatio: (quæ facta eſt ſine modo vel limitatione) cui opponitur Modificata, Determinata, Limitata, vt cum quid limitatur ſecũdum partem, vt Homo eligit ſola voluntate.

Vniuerſalis propoſitio diſtributiua in ſingula generum Abſoluta dicitur, cũ res, cui nota vni-

vniuersalitatis additur, absolute, ideſt, ſine reſtrictione diſtribuitur, vt omnis homo eſt animal. Limitata cõtra ſeu reſtricta eſt, cũ includitur limitatio ſubintelligenda: vt, Omne animal fuit in arca Noë, ſcilicet quod extra aquam degere poterat. Hoc ὑπακόεται. Excipiuntur igitur piſces.

ABSOLVTE.

Absolute eſt ſimpliciter, per ſe, vniuerſe, ad amuſſim; exacte, non præciſe. *Absolute vero* opponitur verum πῇ ſeu κατά τι. Ariſtot. lib. 1. Priorum anal. c. 37 & Topic. l. 2. cap. 1.

Absolute, id eſt ſimpliciter neceſſario opponitur neceſſitas ex hypotheſi huius vel alterius rei.

Absolute impoſſibili opponitur impoſſibile ex certâ hypotheſi. Videatur tabella melioris intelligentiæ gratiâ.

Necessitas ducta
- Ex ipſa rei Natura eſt
  - *Absoluta*, prorſus immutabilis.
  - Suppoſito ordine vniuerſi à Deo inſtituto: Deo tamẽ mutabilis, ſi velit. Hæc dicitur *Naturalis*.
- Aliunde quam ex rei Natura, quæ *externa vel aduentitia* eſt hoc reſpectu.

Exhibitio absolutæ neceſſitatis.

Canon aureus.

Propenſiones Naturales (quas quidam dicunt Modos eſſendi potentiales) vt aptitudo ad ridendum homini naturalis, quam habet humana eſſentia prius naturæ ordine, quam vlla ei inſit quantitas vel qualitas, *absolutæ neceſſitate ſubiectis propriis conueniunt, vt nulla poteſtate, ne diuina quidem auferri poſſint.*

ABSOLVTE SPECTATVM.

Absolute ſpectatum ſeu conſideratum idem ſæpe eſt quod ſecundum ſe ſpectatum & conſiderarum.

Propria accidentia Absolute ſumi vel ſpectari eſt ea ſumi vel ſpectari quoad actualem eorum exiſtentiam, ſeu ſecundum ipſorum naturam & perfectionem. Absolute ſumpta dicuntur vt quæ realiter actuq; inſunt. Non absolute, vt quæ actu ineſſe poſſunt, cum ſubiectis ſunt Naturalia: vid. Fonſec. in 1. Phil. lib. 5. c. 28. quæſt. 19.

Quid Naturalitas.

Breuiter: Absolute hic eſt, quoad exiſtentiam: cui opponitur quoad Naturalitatem, ſeu conueniẽtiam Naturalem. Sic dicimus ab aqua poteſt remoueri vis frigefaciendi & frigus absolute ſpectatum, ſeu quoad exiſtentiam: ſed non quoad Naturalitatem. Caliditas etſi non ſumatur à te absolute, tamen non poteſt non eſſe naturalis igni, vt ſubiecto proprio.

ABSOLVTE VNIVERSALE.

Absolute, id eſt, ſine adiectione ſeu per ſe Vniuerſale opponitur Vniuerſali cum adiectione: vt apud Philoſophos tribus modis potiſſimum vſurpatur *Vniuerſale: In cauſando*, vt aiunt: *in ſignificando, & in Prædicando.* Ex his ſola (inquit Fonſeca) quæ ad tertium genus pertinent (ideſt Vniuerſalia in prædicando ſeu attribuendo) absolute & ſine adiectione Vniuerſalia ſeu res Vniuerſales dicuntur (vbi particula, Et, eſt explicatiua.) Cauſæ enim Vniuerſales particularia quædam entia ſunt, vt Deus & Sol. Signa item Vniuerſalia, vt conceptus vniuerſales & nomina vniuerſalia, vel ut humanę aut leonniæ naturæ, etiam ſingulare quid ſunt. At ea, quæ de pluribus prædicantur, vt Homo, vt Leo, communiter ſumpta, absolute, id eſt, per ſe vniuerſalia appellantur, quod

nihil singulare, in multis numerari possit.

Analoga quędā non Absolute, id est, simpliciter, (vt vera vniuersalia) sed quodā modo eiusdem rationis dici possunt, quia nō sunt pure homonyma, *quæ diuersis omnino rationibus sua significant*, cuiusmodi Æquiuoca à casu vocantur à Schol. Vide Fons. in Dial. l. 1. c. 21. & 22.

Quid sunt pure homonyma.

ABSOLVTE BONVM.

Absolute Bonum. Quid?

In Ethicis absolute Bonum Piccolhomineo idem est quod summe seu eminēter Bonum, vt cum quæritur? Cur bonum potius voluntatis, quam alterius facultatis statuatur obiectum? Resp. Omne appetibile præ se fert rationem boni; & bonum definitur, quod sit id, quod omnia appetunt, vt dicitur sub initio primi Moral. Nicomach. Verū hoc Bonum, quod optatur, est multiplex; & frequenter est Bonum apparēs, ad sensus pertinens, non vero Bonum. Absolute & vere Bonū est finis vltimus, quod summum est Hominis Bonum; ad quod humana voluntas proprie & maxime tendit & conspirat; hinc absolute Bonum voluntati tribuitur. Grad. 2. de Virt. princ. c. 29.

Absoluta potestas.

In Politicis Absoluta potestas idem valet, quod legibus soluta. (Vt Imperatoris, seu eius, qui summum Imperij ius habet.) Opponitur ei potestas restricta vel aliena, legibus adstricta, seu imminuta. (vt Magistratuum.) Hinc intelligitur phrasis: Absoluta potestate vti. Vid. Iohan. Bodin. de Repub.

Theologi nonnulli Omnipræsentiā Absolutam distinguūt à Restricta: An ad χρηστομαθημοσύνην hoc pertineat, videant alij.

ABSOLVTE Κυκλικόν.

In Geometricis absolute circulare vel globosum opponitur ei quod dicitur κυκλοειδὲς, & σφαιροειδὲς, hoc est, quod prope accedit ad figuram orbis, circuli: Similiter differunt ῥόμβος & ῥομβοειδὲς. Interdū tamen σφαιροειδὲς etiam pro perfecte Sphærico vsurpatum legitur.

ABSOLVTVS NVMERVS.

Arithmeticis absolutus numerus est, qui simpliciter nomine Arithmetico appellatur, vt 1. 3. 4. Huic opponitur figuratus, qui nomine Geometrico appellatur, vt il. 29. l. 97. l. c. 8. vnum latus, duo quadrati, latus quadrati, 7. latus cubi 8.

Absoluti sunt, qui absque huiusmodi nominibus dicuntur.

ABSOLVTVM Grammaticorum.

In Grammatica Absolutum est, quod vulgo dicitur Gradus positiuus seu thema, θετικὸν, non significans comparate: Cui opponitur Comparatiuū & Superlatiuum.

Ablatiui absolute positi sunt, qui non dependent à reliqua oratione; vulgo dicuntur designantes consequentiam; vt Imperante Matthia.

Hinc Canon: Participiū sæpe cū nomine ponitur absolute, seu, vt consequentiā designet, idque in ablatiuo casu. *Poni absolute est à nullo alio regi.*

Consequentiam designare est ita in oratione poni, vt nihil plenum seu integrum intelligatur, sed ad perfectionem sententiæ aliquid amplius exspectetur.

Absolutum verbum est, quod significat absolute actionem vel passionem; Si actionē, dicitur αὐτοενεργητικὸν, vt dormio, curro: Si passionem, dicitur αὐτοπαθητικὸν, vt caleo, algeo, fio, veneo, vapulo, liceo; Grammatici vocant neutropassiua; Quibus opponunt Passiua & Neutra.

Absolutiuæ seu perfectiuæ coniunctiones Grammaticis antiquis sunt causales; 1. *QVIA, apponens efficientem.* 2. *VT, apponens finalem causam.* (Quia iubes, faciam. Tu enim moues me ad faciendū. Do, vti des: δόσεως enim meæ finis est tua δόσις.) 3. *Quatenus Determinatiua.* Vt

Augmen-

Augmentum est affectus quantitatis quatenus quantitas est, id est affectus quantitatis primò. Scalig.

ABSOLVTVM Rhetorum.

In Oratoria, Absoluta Hypothesis seu Constitutio, seu absolutus status dicitur, qui ad Iureiudicialem pertinet. Qui (*status juredicialis*) & Qualitatis dicitur, idque commodius, cum contineat accusationes aut defensiones, in quibus disceptatur, quale factum sit, iustumne, an iniustum.

Absolutus status qualitatis est, in quo simpliciter de iure directo & simplici disputatur, vt fit in facto per se probabili, vbi confirmationis ratio tota dependet ex iure diuino vel humano, siue hoc sit scriptum, siue non sit scriptũ. Opponitur ei *Assumptiuus* (rectius Assumptus) (sicut nomen deriuatum rectius, quã deriuatiuum,) in quo assumptis vndecunque auxilijs quæritur æquitas & venia seu gratia quædam, vt fieri solet in facto, quod per se est improbabile. (Talibus non est opus in absoluto: ibi, vt cum poeta loquar;

Non his auxiliis, non defensoribus istis
Est opus. ———)

Absolutum statum Græci vocant ἀνείλη-ψιν, quia in hac specie eadem arma sunt ad se defendendum, quibus vtitur actor.

Assumptus (seu adscitus) dicitur πρόσλη-ψις, id est, assumptio, quia in eo non confugimus ad eadem arma, sed ijs destituti aliunde nobis acquirimus, quibus vtcunque nos defendamus: Cuiusmodi sunt liberalis & ingenua peccati confessio, purgatio de προαιρέσει, Translatio criminis, conferens culpam in imprudentiam, necessitatem, casum, ebrietatem, affectum; imsidias; promissio emendationis, extenuatio huius detecti per comparationem cum aliis grandioribus. Commemoratio vitæ hactenus honeste actæ, spes inclementia iudicis, pollicitatio gratitudinis & celebrationis, & similia. Consule τὺς λέγοντας.

ABSTRACTIO, ABSTRAHERE, ABSTRACTVM.

Iunctio, praecisio, seiunctio, ἀφαίρεσις, annulsio.

Philosophum necesse est esse ἀφαιρετικὸν abstractiuum & τὰ καθόλου extruere abstrahendo à circumstantiis loci & temporis. Ἀφαίρεσις igitur nobis est explicanda. Nõ vno modo dicitur apud Philosophos Abstrahere, χωρίζειν, Abstractum, χωριστὸν, & χωριζόμενον: sed modo proprie, modo improprie quodammodo.

Abstractio praecisionis.

Proprie, quod reuera inest. Sic corpus Mathematicum est abstractum à materia, cui instructæ forma inest. Sic vniuersales naturæ seu τὰ καθόλου (vniuersalia) abstrahuntur à suis particularibus. Hæc à philosophis Scholasticis dicuntur Abstrahi præscindẽdo, Græcis sunt ἀφῃρημένα.

Angelus est hic per se ipsum.

Quodammodo improprie, quod nullo modo inest vel inesse potest. Sic νοῦς, id est, mens seu intelligentia est forma abstracta Aristoteli 12. 1. Philos. id est, substantia abiuncta seu separata (reipsa) à materia, à materiæ sordibus seiuncta, seu simpliciter immaterialis. Hanc intellige, cum dicit Zabarella: Substantia abstracta est hæc, id est, indiuidua, per se ipsam. Græce οὐσία χωριζομένη.

De primo modo accipiendæ sunt hæ definitiones seu descriptiones.

Descriptiones Mentalis abstractionis.

Abstractio est actio intellectus, quo separat à phantasmatibus seu visis vniuersale & ipsum denudat omni materiali conditione. Vide Zabarellam de mente agente cap. 6.

Abstractio est separatio vniuersalium ab omni conditione materię. Seu est Ablatio omnium accidentiũ à singularibus, ideoq; ipsius singularitatis. Seu est separatio vnius ab aliis, & acceptio

vnius non acceptis aliis. Seu Abstractio est consideratio alicuius absque eo, in quo est. Seu est, cum quid concipimus mente abiunctum ab omnibus conditionibus restringentibus. Seu est consideratio alicuius in naturę suę puritate. Sic possum⁹ intelligere seruum, etiam non considerato homine. Hoc est abstrahere accidēs à subiecto, quia essentia eius est alia ab essentia sui subiecti. Scholastici vocāt Abstractionem præcisionis. Vide Scalig. exer. 307. sect. 18. & 22. & exer. 342. & Aristotelem in Categor. Relat. & Zabarell. Ta-

An accidens possit & debeat abstrahi à subiecto? Affirmatur.

Itaque

Abstractio, separatio, secretio est { Mentalis, vt loquuntur, quæ fit per Intellectum seu rationem tantum { Generalis, Logica. / Specialis, Mathematica. } Realis, Metaphysica, quæ fit ὄντως & re ipsa.

Explicatio.

Mentalis] Mentalis abstractio sæpe dicitur Absolute Abstractio sine adiectiuncula seu προσθήκῃ τοῦ Mentalis.

Logica] sic mente separatur proprium à subiecto, cum illud re ab hoc differat.

Metaphysica] vt cum dicitur vniuersale separatum (à singulari) nihil est.

De Mentali intelligitur Canon Aristotelis 2. Phys. χωριζόντων δὲ γίνεται ψεῦδος, Abstrahentium seu ἀφαιρέσει vtentium (*hoc est vnam rem sine alia considerantium*) non est mendacium: vt cum humanitatem Christi seu τῷ λόγῳ diuino vnitam secūdum se consido: vnitā dico, quia reuera in persona verbi existit, seu reipsa extra vnionem non existit, nec separata vnquam est ab hypostasi τοῦ λόγου. Vide vocem Mentalis.

bul. Abstrahere est facere de intellectis potestate actu intelligibilia. Auerroes. Breuiter: Est fabricare intelligibilia (ποιεῖν νοητὰ.) Et considerare hoc sine illo, & considerare vnum non considerato alio, etsi simul semper sint: vt considerare materiam omni prorsus denudatam forma.

Est imaginata, quæ potentia intellecta fuerint, facere actu intellecta. Bessarion Cardinalis in Calumniatorem Platonis lib. 3. cap. 22.

Pro imaginata malo dicere imaginatione concepta seu phantasia efficta.

Hic duo reuera coniuncta separatim cōcipimus, quæ Mentalis separationis definitio.

Quid est Abstrahere?

Nunc subijciemus pleniores subdistinctiones.

Abstractio est separatio alicuius ab aliquo. Estque { πραγματώδης (*Realis,*) cum aliquid ab aliquo re ipsa separamus, vt aurum à Terra. Hæc etiam Chymicorum est. Opponitur huic coniunctio, concretio, copulatio: qualis est Materiæ & Formæ rerum Physicarum.

Νοητικὴ. Hæc est intellectionis { Simplicis: dicitur præcisionis: cum è duob coniunctis, vno apprehenso, alterum relinquimus. Hic abstrahitur { Prius à posteriori. / Posterius à priori. / Quod simul est cum alio: vt cū apprehendimus colorem lactis non apprehenso eius sapore.

Cōplexæ [συμπεπλεγμένης:] Dicitur negationis: cum vnum de altero negamus. Hæc est { Vera: vt cū remouemus materiam vel corpus à Deo. / Falsa, vt cū remouemus materiā à Cælo cum quibusdam veteribus physicis.

Explicatio.

Complexæ] Alias coniunctæ.

Vniuersalis abstractio à particulari est cuiuisuis scientia.

Quod simul) Abstractio eius ϕ simul cū alio est, à Scaligero ex. 342. pręterita est. Itaq; tabulę adiicim⁹. Applicabim⁹ etiā distinctionē Abstractionis ad sciētias.

ABSTRACTIO IN SCIENTIA.

Abstractio in scientia tum qualibet, tum definita fit.

Abstractio in omni scientia & disciplina est Vniuersalium à particularibus. Prę-cepta .n. sunt τῶν καθόλου. Abstractio in scientia particulari seu definita est *vel formæ à materia secundum rationem*, vt Mathe-

Mathematica: Hæc igitur abstractio est rationalis. *Vel formæ à materia secundum rem:* vt Metaphysica. Hæc igitur abstractio est realis. Vide Fonsecam in Metaphys. Aristotelis lib. 5. c. 28. quæst. 6. & infra hunc librum, vbi clarius exponuntur modi abstractionis in scientiis contemplatiuis. Vide etiam Albertum Magnum 1. Phys. tract. 1. c. 2. Thomam Aquin. de anima. Alexandr. Alensem 11. Metaphys. Quærit forte aliquis, cur possit abstrahi vniuersale à particulari. Respond. Quia particularia nõ sunt de ratione vniuersalium, & priora possunt intelligi sine posterioribus. Vniuersale autem prius est, particulare posterius. Animal igitur potest intelligi sine homine, & homo sine Aristotele. (Non enim necesse est animal esse hominem, & hominẽ esse Aristotelem) Vide Thomam Aquin. in 2. Phys. 3. prælectione.

Cur vniuersale possit abstrahi præscindi dici

DISTINCT. ABSTRACTI
ex Alensi et Fonseca.

ABSTRACT. ALIÆ DISTINCT. SCHOLASTIC. D.

Abstractio { Existentia. / Essentia. } Id est, Abstractio est vel { Positiua. / Priuatiua. }

Duo modi Abstractionis siue secretionis.

Positiua, secundum esse existentiæ, quæ ponit sine vlla existentia. Hæc est Maxima, vt si quis ponat res naturales abstractas ab omni materia secundum existentiam. Priuatiua secundum essentiam & λόγον seu considerationem, quæ non ponit hoc esse sine illo, sed essentiam vnius considerat non considerato altero. Hæc est minor & κατὰ λάτι. Ita igitur Abstracte considerare est considerare quidpiam secundum se, pure, nõ habita ratione coniunctorum. Talis consideratio est sphæricæ figuræ, cum abstraho eam à corpore naturali, à qua dependet ac proficiscitur, & cui inest vt subiecto.

Digna excussu hic oritur quæstio: An abstrahi ratione, & abstrahi definitione semper sint ταὐτὸ. Iohan. Talentonius Alexander de Ales in 3. 1. Phil. text. 7. duplicem facit Abstractionem seu præcisionẽ. Vnã, in qua abstrahitur Quidditas ab eo, cuius est quidditas, vt humanitas ab hoc homine, vt à Ciceronе. Alteram, qua abstrahitur forma quantitatiua ab eo, cuius est quantitas: vt dimensiones à substantia. Fonseca abstractionem præcisionis vniuersalium facit duplicem: vnam ἕξιν (habitualem) si fiat per species ἐνσπειρωμένας inhærẽtes siue impressas: alteram ἐνέργειαν (actualem) si fiat per apprehensionem eius, quod repræsentatur. 5. Metaphysic. cap. 28. quæstion. 6. sect. 1.

Abstrahere proprie transitiue accipi ex antegressis patet, nẽpe vt sit, *Aliquid ab aliquo modo aliquo separare.* Cæterum à Scholasticis interdum quoq; accipitur Intransitiue pro abstractum, hoc est, separatum esse: vt cum dicunt. Incorporea omnino abstrahunt à situ.

Quid Abstrahi, quid abstractio.

respondet negate. Huic negationi vt fides fiat, comparato rerum formas, & sic habeto. Abstrahi, idest, cogitatione ἐπινοίᾳ seu νοήσει seiungi (submoueri) seu Abstractio, id est, cogitatione seu ratione facta separatio (non autẽ definitione) communius quid est Naturalibus & Mathematicis formis, & si Physica min⁹ sint abstracta Mathematicis, id est, formæ Physicæ difficilius mente auelli possint à materia, Arist. tex. 19. l. 2. de natural. audit. Sed Physicæ formę nõ possunt definiri sine materia, quãuis re externâ & formę aduẽtitiâ: Mathematicę contra possunt. Latius autẽ patet abstrahi seu separari ratione, quã definitione. Siquidem quę separantur definitione, separantur etiã ratione, vt euenit in formis Mathematicis: Quæ vero

Abstrahi ratione & definitione differũt vt Genus & Species.

vero ſeparátur ratione, non etiã ſeparantur definitione vt patet in formis Naturalib. Ioh. Talentonius Philoſophus & Medicus Parmenſis acutiſſim⁹ l. 3. c. 9. Itaq; Ariſtot. dixit formas naturales eſſe ſimiles ſimitati & Mathematicas curuitati. Simitas nõ poteſt definiri ſine mentione materiæ ſeu ſubiecti, q̃ eſt Naſus: At curuitas definitur ſine mentione ligni vel ęris, omninoq; ſẽſibilis materię ſeu naturalis corporis.

Abſtractio ſeu ſecretio igitur, alia eſt facilior, alia difficilior, vt: affectiones externę facilius ratione abiungi poſſe videntur à ſubiectis, quam internæ ſeu intimæ.

ABSTRACTIO MATERIÆ in ſcientijs contemplatricibus.

Abſtractionis Materiæ in ſcientjs Theoreticis tres ſunt Modi.

ὀντολογία & philoſophia de ENTE.

Seiuncto & Abſtractio à materia eſt à
- *Singulari ſeu ſenſili.* Signata, vt hoc vel illo corpore. Abſtractio *phyſica* hæc eſt.
- *Cum ſingulari, tum vniuerſali,* etiam ſecundum rationem tantum, vt à corpore ſimplici aut mixto. *Mathematica* hæc eſt. & ὑπερλογικὴ, ideſt, Philoſophiæ de ente ſeu Tranſcendentibus.
- *Omni* tam *ſecundum rem*, quam *ſecundum rationem*. *Transnaturalis* de Deo & Intelligentiis hæc eſt. Hæc ſeiunctio eſt, quam recentiores nonnulli vocant abſtractionem omnimodam à Materia per eſſentiam.

Hanc diſtinctionem habet Alexander Alenſis in 6. Met. text. 2.

Sunt qui Metaphyſicã Abſtractionẽ à materia dicant fieri ſecundũ rem & rationẽ, illamq; faciant duplicẽ: Vnam per eſſentiã, qualis cernatur in Deo: Alterã per indifferentiã, quæ conueniat in prædicata trãſcendentia, Bonũ, Vetũ, Ens, & dicantur eſſe immaterialia, ac ſecundum rem abſtracta à materia, eo q̃ indifferenter inueniantur tã in reb. materialib. quã iis, quæ vacant materia: cui⁹ diſtinctionis κρίσιν † ego aliorũ iudiciis relinquo. Etſi huius diſtinctionis auctores erudite & ſubtiliter refutare videtur Ben. Pererius libr. 1. Phyſ. Nã ſi hęc ratio iſtius nouę appellationis valeret, propter eandẽ cauſam dicere aliquis poſſet, illa prædicata, Ens, Bonum, &c. eſſe phyſica & materialia, quia non ſolum in rebus materiæ expertibus, ſed etiam in his, quæ habent materiam, reperiũtur. Quod eſt indifferens ad aliqua nõ magis referri dicitur ad vnũ illorũ, quã ad alterũ. Si ens eſt indifferens ad res materiales & immateriales, nõ ideo fit abſtractũ ſecũdum rẽ à materia, ſed ab vtroq; rerum genere abſtrahi poteſt tãtum ſecundũ rationẽ: non ſecus atq; animal tantum ratione poteſt ſeparari ab homine & bruto. Itaq; merito reprehenderetur, qui affirmaret, animal vniuerſe ſumptum, quod perſe indifferens ſit ad rationale & irrationale, eſſe poti⁹ rationale quam irrationale. Sed magis ſubtilia hæc videntur quam vtilia. Itaq; ad πολυμαθημοσύνην ſane referantur.

† [*iudiciũ.*]

ZIMARÆ DISTINCTIO.

Abſtractio eſt Actiua vel Paſſiua.

Abſtractio actiua conuenit potentiæ animæ γνωστικῇ
- Senſibus
  - Exterioribus.
  - Interioribus.
- Intellectui. Hæc eſt perfectima & puriſſima. Hinc diſtinguitur Ratio in Abſtrahentem & Fingentem.

Hęc dicitur nonnunquam à ſcholaſticis Diuiſio, vt Abſtrahere, diuidere; De quo vide in D. DIVIDERE. *Paſſiua eſt* ipſarũ rerũ, à quib. aliquid ſeiungitur.

Vſus huius doctrinæ,

vt πρόξενος θεωρίας.

1. Abſtractio, inquit Thomas Aquinas, in ſecundo Phyſicorũ, neceſſaria eſt, quia multa ſunt coniuncta ſecundum rem, quorum vnũ poteſt intelligi ſeparatim ſine alio: exẽplo eſt albũ & muſicũ, quę coniunguntur quidẽ in aliquo ſubiecto, ſed albũ nõ eſt de ratione muſici, nec muſicũ de ratione albi. *Vt autem diſtincte*

Distincta cognitio requirit abstractionẽ.

stincte sciamus, sincere & καὶ ἰδίαν vnumquodque cognoscendum est. Sic, etsi reipsa in peccato non potest actio à sua deformitate & non-rectitudine separari, separanda tamen est mente & animo, ac cogitandum est ibi, quid boni, quidve mali sit. Malum enim non potest esse, nisi in re bona, vt in substantia, in actione. De hac Abstractione non fuit curę Illyrico facienti peccatum hominis substantiam.

2. Deinde vsum harum distinctionum non esse exiguum, sic ostendo. 1. *Quæritur, an Abstrahentium sit mendacium?* 1. Resp. per distinctionem: Abstractio positiua semper est cum mendacio. Priuatiua potest esse sine mendacio. Nam Mathematicus sine mendacio abstrahit hoc modo quantitates à corpore Physico, qua *Physicum est*; qua abstractione non possunt abstrahi formæ & affectiones physicæ. Mathematica sunt secũdum esse in materia sensili, sed ab ea abstrahuntur secundum solam considerationem. Mathematicæ res pendent à materia sensili secundum existentiam tantũ, non secundũ essentiam; ideoq; consideratione seu per intellectum (non secundum rem) χωριστὰ sunt, id est, abstrahi possunt à materia priuatiue At res naturales pendent à materia sensili & secundum existentiam & secundum essentiam; ideo ne quidem secundum considerationem abstrahi possunt. Vide Zabarellam in cõment. in 2. physicorum text. 19. Id est, formæ Physicę nec positiue nec priuatiue abstrahi possunt. Videndum igitur, ne in abstractione committatur ridiculus & ἀφιλόσοφος error.

Abstrahẽtes sunt duplices.

Proinde 2. Resp. distinguendo *Abstrahentium praue*, id est, *ea, quæ abstrahi non possunt*, est ψεῦδος. *At Abstrahentium recte non est mendacium.* Abstrahentium, inquam, quatenus puras rerum οὐσίας seu οὐσία separatim & seorsum secundum essentias suas considerant, & non cum alienis, (vt accidentibus) quę extra constitutionem subiecti sunt, confundunt. Sic Abstrahentium quantitatem à qualitatibus non est mendacium: quia intellectus non sentit, hoc est, nõ iudicat, quantum esse sine qualitatibus sensilibus (ita enim falsum sentiret) sed apprehendit & intelligit quantitatem nõ intellectis simul qualitatibus, & τῷ VBI, id est, non intelligendo & apprehendendo, vtrum sit in ea calor, an frigus, vtrum sit in terra, an in cœlo.

2. *Quæritur.*

Potest apprehendi animal per intellectum simplicem sine apprehensione speciei eius aliqua, vt homine vel bestia.

Abstrahi, hoc est: abstractionis species hæc est. Ita põt apprehendi quantitas, missa qualitate. Et hoc abstrahi est. Potest subiecta substãtia abstrahi ab omnibus suis formis accidẽtalibus. At cur non potest integrũ abstrahi à partibus suis? Respondeo. Quia partes sunt integri συσταλτικὰ (Cõstitutiuę) nec integrum est, quod cogitatur esse sine partibus. At species non sunt συσταλτικὰ generis, nec accidentia substantiæ. Habes rationem disparem.

Quæstio pulcra. Responsio.

Amplius Quæstiones huius loci sunt nobiles.

1. An Physici etiam abstrahant, seu sint abstractiui (ἀφαιρετικοὶ.) Resp. profecto abstrahunt cum præcepta eorum sint non de hoc corpore, sed de corpore, cum coniunctissima mẽtem & voluntatem separatim considerant.

2. An verum sit, Genera & species non esse entia extra mentem: esse res rationis à realibus rebus mente siue per intellectum abstractas, seu auulsas suo modo: Non esse in rebus Vniuersale, nisi per mentalem abstractionem & præcisionem à particularibus, seu suis

inferioribus, quod significasse Auerroem in 8. comment. 1. lib. de anima, cum dixit: Intellectum esse qui facit vniuersitatem seu communitatem in rebus, scribit Zabarell. lib. de facultat. animæ cap. 9. A quo discessionem facit Scaliger in exercit. & Monlorius.

3. An hic homo, vt Cato, sit concretum: Homo vero abstractum? De quo in Colloq. Momp. inter D. Bezam & D. Iac. And.

4. Quomodo intelligendum: Incorporeorum abstractionem (seu auulsionem) omnino esse à situ? Hæc explicare hic nimis lõgum foret. Sed interim de vniuersalium à particularibus ἀφαιρέσει hoc annoto.

Abstractio vniuersalium à suis particularibus dicitur etiã simplex apprehẽsio, quia vniuersalia apprehenduntur nõ apprehensis vllis particularibus: vt Animal, Animalitas, Rationalitas, quo nomine (abstracto) nõ differentia, sed principium differentiæ significatur, vt iudicat Auicenna.

taph. vt album: Substantiale concretũ importat compositum ex materia & forma, & tale significat vnum per se, vt Homo. Sed magis proprie res ipsa Abstracta seu abstractum dici videtur, vel Concretum: Nomen vero, Abstractiuum, vel Concretiuum. Auerroes Abstracta nomina appellat principalia (vel principialia) exempla in 2. Topic. cap. 3. *Quid principalia exempla Auerroi?*

2. Abstracta de rebus ipsis intellecta dicuntur *Simplicia seu secreta*, (seu separata) vt simplices sunt numeri & quidditates, nudęq; Formæ. Græce τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως & τὰ ἐν ἀφαιρέσει. *Metaphys. & Arithmet.*

Hinc Syllogismi Abstracti dicuntur, qui ab ipsis rebus abiuncti sunt. Alias Abecedarii & formales. Forma enim Syllogismi differt ἀφαιρέσει, id est, abstractione à rebus ipsis, quibus applicatur, intellectis. Interdum vocantur *Detracta & Deducta*. Scalig. exerc. 307. Si intellectus agens vniuersalia facit, necessario cognoscit singularia, aut à quibus eximat naturam illam, aut quorũ *detractis* inhærentiis, remaneat natura illa. Peucerus in Comment. de Generibus Diuinat. Communis omnibus natura ac species mente tantum *deducta* ab indiuiduis concipitur, Ps. 119. *Logic. Syllog. abstracti à rebus Abecedarij.* *Eximere abstrahere est.*

3. Abstracta accidentia dicuntur ipsæ formæ accidentales, vt Albedo. His opponuntur συνδεδυασμένα, (aliquid in aliquo ὄντα) vt album: alias concretum. *Quid sint συνδεδυασμένα*

4. Numerus numerans dicitur Abstractus. Est autem Numerus numerans quantitas discreta, vt binarius, seu duernio, ternio, quaternio: Cui opponitur numerus numeratus, qui dicitur concretus, id est, coniunctus rebus, applicatus rebus, vt equi tres, tres colores, tres Patres: Potest enim esse in qualibet Categoria. Zabarel. in prim. post. analyt. contex. 58. Dicuntur & subiecta abstracta vel concreta: secreta vel composita species abstractum

ABSTRACTVM.

Huius vocis intelligentia est fructuosissima.

1. Abstractum modo de nomine, modo de re ipsa intelligitur: (Sic & concretiuum intellige vel nomen, vel ipsam rem, quæ formam habet) vt: accidentia de subiectis dicuntur in abstracto, scilicet nomine. Abstractum de nomine intellectum est nomen, quo nuda species seu forma per se considerata significatur, vt albedo. Hoc est considerationis vel Grammaticæ, vel Logicæ, ac naturalis. Estque hoc substantiale, vt humana natura, Ignitas Scaligero forma ignis: vel accideutale, vt sapientia.

Eodem modo Concretum distinguitur, Accidentale concretum importat cõpositum è subiecto & accidente, & tale significat vnum per accidens. 7. Me-

quid

quid est ab Indiuiduo, vt Homo ab hoc Homine.

5. Abstractum, ἀφῃρημένον, etiam interdum ponitur pro Abstrahibili, ἀφαιρέτῳ. Voces enim interdum potentiã, non actum significant. 2. Phys. Arist. Physica sunt minus abstracta Mathematicis, id est, minus abstrahibilia: quod sic enuntiat Auerroes: Abstrahit intellectus formas mathematicas à materia imaginatione facile, naturales vero difficile, quia non potest eas abstrahere phantasia à materia; non possunt sine materia animo concipi, vt ait Simplicius in 2. Physic. Vide Auerroem in 7. 1. Philosoph. context. Comment. 37.

Abstrahi Intelligentia aliquid facile vel difficile.

SCOTISTARVM DE ABSTRACTIONE accidentium explicatio.

Scaliger vitat lò βαρβαρικὸν λέξεως Scoti.

Scoti, quem videtur mihi hic sequi Scaliger, etsi barbaris Scoti vocibus non vtatur, vir lautissimæ linguæ, distinctio est Abstractorum in Abstracta *abstractione Vltimata*, & *Non Vltimata*, mallem dicere, præcisa & minus præcisa: Vltimata, quæ in alia abstractiora non resoluuntur: vt Coloreitas, Albedinitas, Luciditas, id est, ipsa præcisa coloris communis natura seu essentia. Non vltimata, quæ in abstractiora alia resolui possunt, vt Color, Albedo, Lux. Ego sic etiam dicerem: Abstractum abstractione prima est Color (à colorato corpore) Abstractione secunda est Coloreitas (à colore:) Ita igitur Gradus Abstractionis fuerint. Sed Fonseca Scoti distinctionem non probat: Sicut enim animalitas non resoluitur in aliquid abstractius, ita nec color, aut vllum abstractum accidens. Voce sane dicatur Coloreitas abstractius quid quam Color, at significatione dici nequit. Idem enim prorsus est color, atque natura, qua color est color: Sicut idem est humanitas, atq; natura, qua ipsa est humanitas. Hoc iudicium est Fonsecæ.

Distinct. Abstract. πραγμάτων ex ALENSI.

Abstracta, voce accepta de rebus, *alia* sunt Alexandro Alensi *secundum rem*, *alia secundum definitionem*. In definitione scilicet abstrahuntur intelligentia, quæ ad essentiam rei non pertinent.

Canon ALENSIS.

Abstracta multa sunt secundum definitionem, quæ non sunt abstracta secundum esse. Exemplo esse potest corpus mathematicum. Hoc enim ita definitur à Mathematico, vt abstractum sit à corpore Physico seu materiato.

ABSTRACTIVÆ ATTRIBVTIONES.

Ab abstractis & concretis prædicationes denominantur Abstractiuæ vel Concretiuæ.

Hinc Canones Categorici.

1. Abstracta non sunt genera concretorũ: non dico Animal est animalitas: bestia est bestialitas: Nec abstracta de concretis dicuntur, in rebus intellige creatis: Fonseca addit: saltem (id est ad minimum) materiatis.

Et Specialiter.

2. *Accidentia de subiectis prædicantur non abtractiue* simpliciter & directe: *sed concretiue*, indirecte, oblique, Paries non dicitur esse albedo.
3. Metalepsi interdum abstractiuum permutatur concreto seu paronymo: Quid sit Metalepsis, vide in M. vt: Homo assumptus, id est, assumpta caro. Augustinus de Symbolo ad Catechum. l. 4. c. 7. Regnat homo iam susceptus à Christo ad dextram Patris sedens, id est, Humanitas suscepta.
4. *Et propter vocis viuidiorem & efficaciorem significationem* (quæ Græcis emphasis verbi) *sæpe concretum permutatur abstracto*: id est, abstractum ponitur pro con-

Quid Emphasis.

creto:vt:Vita in ligno moritur,hoc est, Deus,Author vitæ; Verbum caro (ἐμφαλικῶς pro Homo) factum est:semen mulieris, id est,Messias genitus è semine,conteret caput serpentis.

5. *Concretum non prædicatur de suo abstracto*, vt: Sanitas est particeps sanitatis: Calor est calidus: Id est: *Deflexum seu deductum non attribuitur principio. Denominatum* (παρώνυμον) *non prædicatur de Denominante.* παρώνυμον enim seu denominatum non est ἰδικὸν rei (seu formæ.)

6. Partes *Physicæ & integrantes humanæ naturæ non* possunt prædicari Abstractiue vnionis gratia de Dei Filio:vt, non dico: Deus est anima, est corpus, est caput,manus,sanguis: sed flexu abliquo seu paronymice, Deus habet sanguinem,habet corpus & animam, per assumptionem,quod Barbari dicunt Assumptiue, non informatiue.

Quomodo λόγος, Filius Dei habeat sanguinem.

7. *At de Deo essentialia* attributa rectius abstractiue quam concretiue prædicantur, vt: Deus est ipsa sua Deitas,est ipsa sapientia, bonitas, potentia, ipsa vita,id est,essentialis vita prima (Dei viuere est eius esse.

Suarez. 8. *Communicatio Idiomatum* (Allæosis,enallage nominum, Tropus ἀντιδόσεως) non est inter partes & abstracta. Sicut Diuinitas non est Humanitas:Ita Diuinitas non dicitur esse passa.

9. *Adiectio seu determinatio* reducit concretum ad abstractum τῇ διανοίᾳ, vt, Deus in quantum Deus non est obnoxius passioni,non est mortalis. Theodoret. in Dial. Quam phrasin alumni disciplinæ Theopaschitarum reiiciunt. Sic enim quidam è superioris seculi Theologis in confutatione Accusationum. Hęc inquit impropria & nunquam ferẽda phrasis in Dialog. Theoreti aliquoties extat:In quãtũ Deus non fuit obnoxius passioni. Et:quatenus Deus, impatibilis est Christus. Hoc judicium istius Theologi est ἀθεόλογον & ἀφιλόσοφον. In quantum enim hic nihil aliud est, quam SECVNDVM Quod (καθ' ὅ) eique opponitur καθ' ἄλλο, Secundum aliud. Deus mortuus est καθ' ἄλλο, vt Filius Mariæ est omnipotens καθ' ἄλλο, nempe ratione diuinæ naturæ seu per Id quod Deus est,vt loquuntur latini Patres.

Determinatio autem fiat conueniente particula;vt,non recte dicitur, Deus passus est per carnem, est compassus carni. Ita minus recte dicitur, ὁ λόγος est Homo secundum Humanitatem,sed,propter Humanitatem. Si enim Homo est secundum Humanitatẽ: est persona secundum humanitatem,& ita duę erũt Personæ Christi; quod dicere & profiteri habetur pro hæretico.

10. *Abstractiua voce vtimur,cum significamus* ὑποκείμενον καθ' ὕπαρξιν, vt loquitur Ammonius:id est; *Subiectum inhærentiæ* seu Quo,vt medium recipiendi. *Concretiua,cum Subiectum Quod seu Denominationis.* Sic Ambrosius: Caro passa est; Diuinitas à morte immunis,pati vero corpus lege humana permisit, id est, tantum caro passa est, non diuinitas: exclusiua enim non opponitur Personæ. Athanasius. Quæ humana natura passa est,ea sibi λόγος accommodauit, seu ad se retulit. Passus igitur est ὁ λόγος seu Filius Dei(Subiectum Denominationis seu Quod)quia proprium ipsius corpus (Subiectum Quo; Subiectum καθ' ὕπαρξιν Ammonio) in quo erat, patiebatur.

11. *Patres interdum concretiuam vocem subiiciunt,ita vt Determinationem significet*,& sensu sit abstractiua. Eustach. Homo mortuus est & resuscitatus ex mortuis, (id est, Christus, qua Homo,seu Persona verbi, qua Homo, id est,ratione Humanitatis)quem (id est,quam Humanitatem) ex Virgine Maria Verbi Diuinitas (id est, Verbum Deus) propter nos assumsit.

Augustinus de Symbol.ad Catechumen. l.2.c.7.

l.3.c.7. Quis est qui sedet ad dextram Patris? Homo Christus. (id est, Christus, qua Homo) Nã *in quantum* Deus, semper cum Patre & ex Patre: & quando ad nos processit, à patre nõ recessit.

Quidam Theologi hodie in Doctrina de Persona Christi metaphysice vocibus Abstracti & Cõcreti vtuntur. Sic enim loquuntur: Cum dicitur, homo (Christum monstrando) est Deus; non Humanitatem in Abstracto, nec Deitatem intelligimus, (Id est Ipsis extra vnionem:) Sed Humanitatem in concreto, hoc est cum verbo personaliter vnitam. Cum dicunt, Non habet Natura Humana Christi Diuinam potentiam in abstracto, addunt hanc explicationem; id est, Seorsum, separatim extra Personam τοῦ λόγου, sed in Cõcreto (Id est, Ipsis vnita λόγῳ in eius Persona.) Hoc sensu, inquiunt contra alii in hac disputatione, quæ valde deturbauit ecclesiã, eruditos vix vnquã vsurpasse vocẽ Abstracti: sed p Abstracta Semper intellexisse naturas & formas per se consideratas, etiam inter se vnitas. Si ergo per τὸ Seorsum intelligatur καθ' αὑτὴν (Natura considerata Seorsum, id est, καθ' ἀυτὴν) hoc est per se, vt tamen vnita sit, seu non sit χωρὶς ἑνώσεως, tunc recte dici, Humanitatem consideratam seorsum Abstractũ esse. Adscribere his placet iudicium D. Martini Chemnitij ex epistola ipsius ad Hieronymum Morlinum hic non ἐυθυρρήμονα. Duplex est vocabuli Abstracti & Concreti significatio & vsurpatio. Prima est cum Philosophi alias formas à materia abstractas, alias cum materia concretas: cum Mathematica disciplina dicitur versari circa abstracta, cum Scholastici aliam notitiam vocant intuitiuam, aliam abstractiuam. Ita caro Christi cogitatione à persona eius abstrahi separarive potest. Deinde vero cum explicatur doctrina de communicatione Idiomatum, apud omnes Scholasticos vsitatissima est regula: In Persona Christi concreta vtriusq; naturæ de se inuicem mutuo prædicantur, vt de supposito in duabus naturis subsistente: Abstracta vero naturarum non prædicari de se inuicem. Ac concreta vocabula diuinæ naturæ in Christo dicunt esse, Deus, Filius Dei, & concreta Humanæ Naturæ esse Homo, Hominis Filius, vt dicatur Deus est Homo. Abstracta vero vocabula esse cum natura aliqua in Christo nominatur, vt Diuinitas Christi, Humana natura in Christo. Hinc in omnes Dialecticorum Scholas nostro tempore receptum est, cum de Christi Persona loquimur, vt vocabula, quæ ipsam Christi Personam significant, vocentur Concreta: Quę vero ipsas naturas in Persona Christi vnitas denotant, vocentur Abstracta. Ac illi termini Scholastici non quidem in ipsas propositiones inferuntur, sed vsurpantur cum de propositionibus fit iudicium, vt cum dico Deus est passus, Dialecticus dicit esse propositionem in concreto, & in concreto ita recte dici: Si vero quærã, an Diuinitas Christi seu in Christo fuerit passa, Dialecticus dicit esse propositionem in Abstracto, & in Abstracto non recte dici ita.

Vsus.

Abstracta sunt vocabula naturas denotantia. Antithesis cum refutatione.

Vos vero, vt video, contenditis, Vocabula tum demum Abstracta dicẽda, cum natura aliqua non in ipsa vnione in Christo, sed extra vnionem hanc consideratur, & hoc tantum vultis esse In Abstracto loqui. Sed exposui iam, quomodo non tantum Scholastici Doctores omnes, verum etiam omnes Dialecticorum Scholæ nostri temporis de natura & persona Christi per vocabula Abstracti & Concreti loquantur: ac duplicem esse vocabulorum illorum vsum ostendi. Quod si Ecclesia vobis concesserit nouam & aliam Dialecticam scribere, de vocabulis nolo litigare, saluare; quanquam libertatem Ec-

Abstractũ intellectum de rebus.

Abstractũ intellectum de nominibus.

» cleſiæ in eiuſmodi artium vocabulis
» non velim veſtræ ſeruituti, qui voca-
» bula illa non ſatis intelligitis, ſubiicere.
Tu ſcribis, quãdo dico, Diuinitas Chriſti, Humanitas Chriſti, ſeu in Chriſto nõ eſſe vocabulà Abſtracta, ſed concreta. Atqui ſi ante annos aliquot hæc dixiſſes, præceptor tuus nõ verbis, ſed plagis te correxiſſet. Si enim concreta vocabula ſunt, ergo licebit dicere, Humanitas in Chriſto eſt ab æterno: Diuina Natura Chriſti eſt mortua. In concreto enim ita dicitur.

Quod ad veſtras turbationes attinet, probare non poſſum, quando dicitur, caro Chriſti non tantum in concreto, verum etiam in abſtracto eſt adoranda, eſt viuifica. Ipſo enim ſono ingerit hoc pijs auribus, quaſi non tantum in perſona, rerum etiam extra perſonam conſiderata per ſe & ex ſe hoc habeat; quod falſiſſimum eſt.

Hactenus D. Chemnitius: ex quo intelligitur hoc quod veriſſimum eſt.

1. Conſiderare Naturas abſtractas non eſt ſtatuere eas extra Perſonę vnionem, easque ſibi derelinquere, ſed conſiderare eas per ſe & in ſua natura, quod fit, dũ de ijs loquimur per voces Deitatis & Humanitatis.
2. Abſtractiuæ propoſitiones ſunt, quæ ſignificant ipſas naturas in Chriſto.

Reiiciamus igitur has locutiones & interpretationes, vt ἀτόπους: Humana Chriſti natura non eſt omnipotens, non eſt adoranda, quatenus in abſtracto, id eſt, extra vnionem conſideratur ſeu ſeparatur. At omnipotẽs eſt & adorãda in concreto, id eſt, quatenus Deo hypoſtatice vnita eſt.

Canones Definitiui ſeu ὁριστικοὶ.

1. Cum definitur proprium accidens, in Abſtracto ponitur, vt Genus id, quod eſſentia Accidentis ſibi determinat vt Genus: loco differentiæ propriũ ſubiectum, vt Simitas eſt curuitas Naſi.
2. Cum definitur accidens in concreto, definitur modo rerum compoſitarũ, in quibus genus ſumitur à Materia, differentia à forma. Subiectum igitur cum ſe habeat vt materia, ponitur loco generis: Natura accidentis cum ſe habeat vt forma, loco differentiæ: vt dicitur: Simum eſt naſus curuus: Qui concretum ex Modo ſignificandi importat totum coniunctum, ſcilicet accidens & ſubiectum.

De diſcrimine Abſtracti & Concreti accidentis.

Accidentia exiſtunt extra animum ſolummodo vt concreta, quia ſemper ſuis ſubiectis iuncta ſunt: *eademq; per mentis abſtractionem efficiuntur à nobis abſtracta.* Zabar. de Propoſ. Neceſſ.

Conſectarium ex pronunciato hoc Zabarellæ: Itaq; Abſtracta à concretis reipſa non differunt: idem ibidem, ſed modo ſignificandi. Concretum importat *ratione ſignificationis* primũ formam, & ſecundo ſubiectum, id eſt, ſubiectum non niſi ex conſequente copula, vt loquitur Caietanus: Quod *vero ad modum ſignificandi attinet*, primo ſubiectum, & ex conſequenti, ſeu vi conſequentis (conſecutiue Barbari) formam, cuius ſignum eſt, quod in definitione concreti exprimitur, primo ſubiectum tanquam genus; & forma ſecundo loco ponitur, quaſi differentia, vt ante dictum eſt, ſimum eſt naſus curuus. Abſtractum vero & ex ſignificatione, & ex modo ſignificandi primo formam importat, ſecundario autem ſubiectum; cuius ſignum eſt quod in eius definitione forma primo exprimitur, Subiectum autem ſecundo, loco differentiæ; ſimitas eſt curuitas Naſi. Hæc Thomas de Vio. Caietanus in commentario in Thomæ Aquinatis opuſculum de ente, quem ſcripſit adoleſcens.

Barbari connotatiue.

Accidens concretum, vt Ambulans, albũm,

bum, ait Zabar. connotat Subiectum in quo est.

Vsus.

Quæritur an numeri per se vis sit in vtrãuis partem?

Resp. per distinctionem. Ternarius, vel Septenarius, vel denarius, qua ratione est abstractus, id est, abiunctus à rebus, nihil prorsus ad rerum perfectionem aut defectũ potest conferre. Qua vero concretus est, i.e. in ipsis rebus à natura signatus & quasi impressus, insculptusve, secundum quid & per accidens conferre ad illa potest. Perer. Phys. l. 4. de antiq. Philos. c. 18.

Ad extremum *Abstractum idem est quod* pars reipsa ablata (ἀφαίρεμα) vt à victima: vel quicquid ex intestinis & intraneis, dum animal cæsum exenteratur, detrahitur. Sic accipit Athenæus alias ἐξαίρεσις (exemptio) separatum quid à toto.

ABSVRDVM.

Absurdum est simpliciter falsum. Simplic. 1. Phys. vt impossibili opponitur necessarium: sic absurdo consentaneum. Iohan. Grammat. 1. Physicorum. *Absurdum est manifeste falsum.*

DISTINCTIO 1.

Absurdum { Logicum & Philosophicum, manifeste falsum, quia pugnat cum communi consensu, aut experientia vniuersali. Theologicum, quod pugnat cum norma agendorum ex doctrina Ecclesiæ, aut articulis fidei.

Hypomnemata de absurdis hæc sunt apud Ph. Mel. 4. Dial.

1. In & ex dogmatibus siquid absurdi sequitur, necesse est aliquid erroris in præmissis esse. Vel: Cum bona consequentia sequitur absurda sententia ex aliquo dogmate, necesse est in præmissis aut hypothesi errorem esse.

Itaque

2. Absurda reiicienda sunt, & hypotheses, ex quibus absurda sequuntur, falsas esse necesse est: quia ex vero nil nisi verum.

3. Vitandæ absurditatis causâ (cum sermonis proprietas in speciem continet absurditatem) decurrendum est ad tropos, & quærenda est concinna interpretatio, quæ absurditatem tollat. seu: Διάνοια seu voluntas quæritur, cum τὸ ῥητὸν est absurdum.

4. Generalia dicta vitandæ absurditatis causa, restringenda sunt.

Absurdis ego subiicio ἀδύνατα, tum ἁπλῶς (simpliciter) tum κατά τι (secundum quid.) De his canon: *Dei potentia ea tantum obiecta respuit, quæ contradictionem includunt, seu* ἀδύνατα sunt ἁπλῶς (quæ & ἀδύνατα καθ' αὑτὰ vocantur, id est, impossibilia per se.) Interdum absurdum est τοῦ ἀδυνάτου effectum. Hinc est pronuntiatum: *Posita impossibili hypothesi multa inde inepta absurdaq; exstruuntur.* Exemplum impossibilis hypotheseως est: Si haberem Gygis annulum, qui me inuolueret caligine, ne conspici possem, **Der mich vnsichbar machte.** Si absurdum antecedens, absurdum quoque consequens. Bodinus de Rep.

Absurdum Logicum etiam dici potest, quod impingit in iudicium rationis, (ὃν ἀντὶ λόγου.)

De hoc regula: In dogmatibus & præceptis non est discedendum à verbis scripturarum, cum absurditas tantum impingit in iudicium rationis. Tunc autem deferendum est τὸ ῥητὸν, cum impingit absurditas in articulũ aliquem fidei, seu manifestum & minime obscurum sanctæ Scripturæ locum. Recipienda tunc est διάνοια atq; interpretatio ex manifestis locis alijs collecta.

Ex absurdo consequenti iudicium est falsi enuntiati.

Quid ἀσύμφωνα & ἀσύστατα.

Ad absurda pertinent inter se ἀσύμφωνα, quæ nulla prorsus ratione conciliari possunt, & ἀσύστατα multa, (quę se ipsa, vel alias sententias veras euertunt. Quæ contra dicunt, conciliare nequis. Barbari sæpe vocant incompassibilia.

Absurdum etiam vocatur à Philosophis & Theologis Græcis ἄτοπον, Latinis *inconueniens, incommodum.* Arist. 1. Phys. 2. ἑνὸς ἄτόπου δοθέντος, τ' ἄλλα συμβαίνει, id est, Dato vno absurdo seu inconuenienti sequuntur & alia: Vnius absurdi effecta sunt multa alia absurda Hinc Græcus ait: ἔστι τὸ ἄτοπον θηρίον πολυκέφαλον. (multiceps.)

Quæris, cur Absurdum dicatur ἄτοπον? Resp.

Quia locum fidei non inuenit, cum normis veritatis repugnet, vel seipsum, aut alias sententias veras euertat. Dicitur etiam ἀτόπημα (vt ἀπόρημα) pro eo, quod est absurde dictum.

Quæris, quo pertineat in doctrina Topica, seu ad quod genus argumenti referatur? Resp. Absurdum habet rationem causæ & effecti: quod vt dextre intelligatur, præcipiendum est: Absurdum esse aliquid manifeste falsum, quod ex alio absurdo consequitur & efficitur tãquam effectum ex sua causa. Amand. Polanus lib. 1. Log. pag. 32. vbi dicit: Huius loci (scilicet effecti) est argumentum ab absurdo ductum. Interim cum dicitur, hæc enuntiatio est absurda, enuntiationis affectio est absurditas seu ἀτοπία, vt falsitas, eiq; opposita veritas.

2. DISTINCTIO.

Absurdum { ἁπλῶς: { Contra rationem, vel Fidem, vt Deus est iniustus. / *Supra rationem*, vt Deus est Homo factus. / Tινὶ, vt Philosopho alicui (Aristoteli.)

At nulla veritas est CONTRA rationem. Hæc vt rectius percipiantur, videatur Tabella.

Veritas { est { *Iuxta* / *Infra* / *Supra* } rationem { quæ intellectu / quæ sensu / quæ fide } percipitur. / Non est *contra rationem.*

Supra) Transcendens seu superans acumen rationis. Non est absurdum præter *totius naturæ creatæ* ordinem aliquid fieri, idest, miracula fieri, Deum esse θαυμαλυργὸν, Dæmonas τερατυργούς.

Absurdo ἀτόπῳ vrgeri aliquem vel aliquid est incommodo premi. Id fit dupliciter: Primo eo modo, qui expositus est supra in voce Abductio ad impossibile. Secundo syllogismo hypothetico seu connexo, vt Dico, animam esse totam in toto corpore, etiam secundum essentiam, & contrariam sentẽtiam hoc incommodo premi: si animæ essentia non adesset cuilibet parti, non esset totus homo animatus. (Nam cum facultates animæ sint accidentia, nec substantiam constituere, nec à forma subiecti, vnde emanãt, loco distingui possunt.) At totus homo est animatus. Ergo cuilibet parti adest essentia animæ, non tantum facultas. D. Tillen. in disput. de Hom.

Dicitur etiam eleganter sententiam aliquam incommodo obruere: vt, nihil periculi est ab incommodo, quo hanc sententiam quidam obruere conantur

ἀντίμα-

ἀνίμαχοι, ἀπερμολόγοι. Vide vocem Ἄτεπα.

ACADEMIA.

ἀκαδημία.

Academia primum est διδασκαλεῖον Platonicum, locus nemorosus Athenis distans passus 1000. Platonicum dico, quia Plato philosophiam in eo docuit, vnde eius sectatores dicti ACADEMICI. Scribitur autem & Ακαδημία, & Ακαδήμεια. Stephan.

Deinde vsurpatur pro quauis literarũ Schola insigniore & ampliore, & præcipue ea, quæ dicitur vulgo *Vniuersitas*, non tam, meo iudicio, à corpore vniuerso, quã à studio vniuersi, id est, omnium optimarum disciplinarum ac rerum. Ita dicitur Academia Mauritiana. Tertio μεθωνυμικῶς pro doctrina Academica seu quæ in Academia vsurpatur, frequẽtatur, ac celebratur, vt hoc olet Academiam.

Quarto fuit Academia villa Ciceronis, porticu & nemore insignis, à qua nomen imposuit quæstionibus Academicis, quas in illa villa orator & Philosophus conscripsit. Vide Audomar. Talæum in præfat. comm. in fragmẽt. Academ. Cicer. Lyceum, λύκειον vero erat Gymnasium literarum, cui præerat Aristoteles. Sic Plato in initio Dialogi Lysidis, ibant ex Academia in Lyceum recta per pomœriũ per ipsa mœnia. Itaq; Academici cum Aristoteliis non sunt confundendi, quod imperitum quendam facere video. Scilicet Academia & Aristoteles sunt disparata. Picus Mirandulanus. Nam Academia partim dixit: Hoc vnum scimus, quod nihil certo scimus: partim censuit: optimum esse doctrinæ genus, per quod vtramque in partem præparamur: eo vsq; erudiendos esse discipulos, quo de quaq; re suspensam sententiam sustinere possint. Itaq; in partes ambas sibi repugnantes contrariasque differebat: discipulis permittebat, vt quod verius videretur, eligerẽt. Sed Aristoteles & Peripatetici suarum disputationum potissimum veritatem proponunt, per demonstrationẽ quorundam scientiam haberi contẽdunt, & tamen etiam de nonnullis dubitanter disputant. Academici magis opinatores in multis: Aristotelei etiam scientes & demonstratores. Notum hoc iis, qui aliquot cum Aristotele deambulationes fecerunt.

Ex Academia vter in Lyceum.

Antiu besit Academia & Lycei.

Cæterum Academici distinguũtur in vere Academicos, & Pseudacademicos. Illi vere Platonici sunt, amant & colũt ἐξετάσεις, modestas Diatribas ac collationes, non temere vtuntur assertionibus. Hi vero omnia affirmarunt esse incerta & ἀκαταλήπτα, quod & res sint mutabiles, & sensus ac ratio fallantur; itaq; de omnibus assensionem esse cohibẽdam: vnde Ephectici dicti sunt. Ex horum numero fuit olim, qui à seruo domestico verberibus affectus, quod vanitatem dogmatis istius ostẽsurus esset Domino, sapere didicit rectius, & ἀδιαφορίαν improbare; de quo lepidum hoc carmen lectu non indignum omnino.

Inter eos, quibus est olim sapientia cordi
Visa, refers nomen Grex Academe tuum.
Omnibus in rebus certi nihil iste professus
Dixerat ambiguam sensibus esse fidem.
Tali de secta cuiusdam seruus, vt illud
Sæpius audit, herum mente carere putat.
Denig; dogma videns id pluribus esse receptum,
Stultitiam stulto prodere more parat.
Mandat herus mẽsam sterni, fert stramina seruus,
Iurgat herus, credit, nil scio seruus ait.
Indignatur herus? nil scis? ait, hos cape pugnos,
Tribula corripiens hæc cape, seruus ait.
Pulsat herũ, læsus clamat, quid verbero cœptas?
Cudis herum? Nec herũ iam scio, seruus ait.
Sensibus error inest, erras: non sum tibi seruus:
Nec mihi tu Dominus, sensibus error inest.
Ludimur obiectis: nam quæ tibi dura videntur
Tribula, mollia sunt artubus illa meis.

Dogma tuum teneo; deludit opinio mentes,
Certum res anceps nomen habere nequit.
Desine, clamat herus: nimio tu certus es ictu:
Diminuere meum verbera certa caput.
Damno quod ante fui variabile dogma secutus,
Et [a] *fateor certam sensibus esse fidem.*
Hac Academicus est tractandus & arte docẽdus,
Solus in hoc certum ne nihil orbe sciat.

[a] *Vel; Antè vatus dubiam sensibus esse fidem. Qui vere & Philosophice Academici.*

E vere Academicis (*qui delectum rerum & probabilitatem rerum non tollunt, quamuis affirmationis temeritatem libenter vitent*) vnus fuit Cicero: quod ipse profitetur, cum se oratorem non è Rhetorum scholis, sed ex Academiæ spatiis extitisse ait. Maxime amauit Academicos propter libertatem illam in vtramque partem disputãdi, qua plurimum iudicauit augeri eloquentiam, qua nihil ille habuit antiquius. Cæterum ne à Stoicis quidem abhorruit, quod grauitatem & orationis magnificentiam in iis vehemẽter admiraretur. Itaq; institutiones Ethices seu præceptiones de officiis non ex Academia, sed è Stoa petiuit, vt ipse in offic. l. 1. affirmat, tanquam ἀπόγραφα (scripta ab aliis descripta.)

Quid Apographa?

ACCIDENS,
Συμβεβηκός.

E Porphyr. o. Accidens est quod accedit vel decedit absq; rei corruptione. Sic: Quodcunque recipit intellectus, est ei accidens. Accedit enim & decedit sine eius corruptione. Scal. ex. 307. s. 7. Filio Dei accedit assumpta Humana natura. (Sic loquitur Schegkius in comment. in 7. Topic. Arist. in Præfat.) tanquam secundæ personæ in Trinitate, propter quod accidens est humanatum seu incarnatum quiddam. Quicquid nihil confert ad constitutionem subiecti, sed ad illud constitutum insuper accedit, illud potest abesse vel adesse præter subiecti ipsius corruptionem. Nullum accidens confert aliquid ad subiecti seu substantiæ ipsi subiectæ constitutionẽ, sed omne accedit ad illam iam constitutam. Ergo.

Ex accidentibus non constituitur substantia.

At enim inquis: Mors adesse nequit præter subiecti corruptionem: quædam etiam accidẽtia abesse nequeunt præter subiecti interitum.

Respon.

1. Distinguendum inter modum essendi & prædicandi, seu inter sensum Physicum & Logicum. Verba hæc accedere vel decedere, abesse vel adesse intelligenda sunt Logice, nõ Physice, vt accedere seu adesse sit affirmari seu affirmate prædicari: Decedere seu abesse, negari seu negate prædicari. Mors igitur licet non adsit Homini præter corruptionem subiecti Physicam, Logice tamen affirmari potest de subiecto.
2. Distinguendum inter separationem actualem & intellectualem. Multa accidentia actu inseparabilia, τῇ ἐπινοίᾳ seu φαντασίᾳ, idest, per intellectum & imaginationem possunt separari.

CANON.

Quod aduenit enti in actu cõpleto, nec habenti vlterius potentiam essentialem ad alium actum perfectiorem, id est, accidentarium. Bened. Perer. l. 7. de Nat. c. 22.

Adperfectionem Filii Dei humanitas nõ requiritur.

[a] *Scotus.* Accidens ἀνθυφαιρέτως opponitur { Substantiæ, id est, rei per se subsistenti. Essentiæ, id est, constitutę è materia & forma. Ita accidẽs est, [a] quicquid est extra per se rationem alterius, id est, quicquid est extra essentiam rei.

Explicatio.

Accidens est aut prædicamentale, aut prædicabile, dicunt scholastici. Prædicamentale, quod opponitur substantiæ, quæ accidenti subiecta est, & quasi substrata. Prædicabile est, quod opponitur

nitur reliquis prędicabilibus negatiue. Cum dico, mensa est lignea, licet lignũ sit substantia seu materia, mensæ tamen accidens quodammodo est: potest enim mensa esse lapidea. Cum dico, albedo est color, color est accidens prædicamentale, sed non καθόλου seu prædicabile, verum est genus prædicabile.

Hic disputatur: An hęc Propositio, mensa est lignea, sit essentialis, an accidentalis, an media inter accidentalem & essentialem? de quo alibi explicui meam sententiam. vid. Disput. Ioh. Crameri, & Francisci Tidicæi in Academia Lipsiaca.

Vsus.

Magni est momenti huius oppositionis consideratio. Id liquet ex disput. Ioh. Piscatoris de diuisione Formæ ex 1. Log. lib. 1. ad Guil. Adolph. Scribon. vbi distinxi, inquit Piscator, formam in substantialem & accidentalem. Tu, Scriboni, distinguis in interiorem & exteriorem eodem sensu, & interiorem substantialem quoque nominas: vnde ex aduerso exteriorem nominare quoque debebas accidentalem, eo quidem sensu, quo accidens opponitur substantiæ, non autem quatenus opponitur essentiæ: quippe cum omnis forma (specifica) essentialis sit, vt quæ dat esse rei, id est, essentiam rei absoluit (quasi exædificat.) Vnde tu non recte essentialem formam pro substãtiali posuisti. *Nam forma annuli, quam tu exteriorem nominas, & essentiali formæ opponis, non minus essentialis est, quam forma auri substantialis, quippe annulus* (res artificiosa) *per formam illam suam & figuram tam est id quod est, quam aurum* (res naturalis) *per suam formam.*

Quid est da rei esse.

Quæritur, an forma ἐσιώδης dici recte possit accidens?

Respon.

1. Forma non est accidens vnius per se, id est, compositi.

2. Forma accedens ad materiam substantia quidem est per se, naturaq; sua: sed non est οὐσία, essentia, naturaque materiæ, & eatenus dicitur materiæ accidere & adiungi. Hoc adeo verum est, vt etiam nobilius hoc sensu posse dicat formam vocari accidens materiæ, quia in eius essentia non ineſt, quomodo in Categor. de Relatis Aristoteles τὸ Homo, Bipes, docile dicit esse accidentia Domini, & 2. Phys. 33. animal & homo dicit esse statuarij accidentia. Quemadmodum igitur Homo est vere substantia, licet accidat Domino vel seruo: (sicut lapis vere est substantia, licet accidat limiti) ita forma est substantia, licet accidat materiæ. Adde, quod species dicitur accidere generi, (Vide Zabar. de Propos. Necess.) vt homo animali, (quia non necesse est animal esse hominem, cum possit esse bestia) & tamen homo est substantia, habens sua accidẽtia partim propria, partim communia. Ita forma dici potest accidere materiæ, & tamen est substantia. Sic anima accidit corpori, qua corpus est. Contingens enim est corpus esse animatum, cum quoddam sit inanime. At anima non accidit corpori, qua animatum, id est, qua est stirps, vel bestia, vel homo. Anima enim est stirpis, bestiæ, hominis essentia.

Accidens Rameis, vt Beurhusio in disput. Logic. reuera argumenti nomen vel genus nullum est, sed quiddam fortuitum significat, quod nisi in sententia recte consideratur. Sed τὸ per accidens pro efficientis modo, qui agenti per se opponitur, assumsit cum Peripateticis Ramus, quod commodius non suppeteret.

Sentẽtiam illam Beurhusii moderari potes particula determinante quatenus: Accidens, qua oppositum est substantiæ, argumenti nomen non est. Si enim esset, substãtia quoq; esset. At Substantia non est nomen argumenti. Ergo.

Basilius Magnus accidens intelligit, cum ἐπιγίγνεσθαι dicit aliquid alicui. Ἐπιγινόμενον igitur accidens vocat in oratione, quod Deus non sit malorum causa, τὸ κακὸν οὐκ ἐν ἰδίᾳ ὑπάρξει ἐστὶν, ἀλλὰ τοῖς τῆς ψυχῆς πτώμασιν ἐπιγίνεται, id est, Malum substantia non est, sed accidit animæ vt oblæsæ eius vitium. Τυφλότης τῇ ἀπωλείᾳ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπεγένετο. Cæcitas corruptionis oculorum est accidens, id est, accidit oculo cum corrumpitur : non habet οὐσίαν ἐνυπόστατον, id est, essentiam positiuam, vt loquuntur Latini.

EX CAIETANO ET THOMA AQVINATE.

Omne accidens, quod subiectiue est in ente, in actu est
- Commune, quod non habet cum subiecti essentia cognationem.
- Proprium, quod essentiã insequitur. Hoc prædicatur de subiecto
  - Simpliciter seu solitarie, vt γελαστικὸν de Homine.
  - Coniunctim, vt par vel impar de numero.
  - Hic duo simul iuncta constituunt proprium.

Non est proprium numeri seorsum Par acceptum, nec Impar seorsum acceptum, sed simul vtrumq;, cum disiunctione seu disiunctiua particula sumptum constituit vnum proprium Numeri, vt numerus sit par vel impar.

Accidẽtium alia insequuntur principaliter (non ὁλικῶς)
- Formam. Hæc
  - Materiæ communicant, Materialia.
  - Sunt separata à materia.
- Materiam, secundum ordinem, quem habent
  - Ad formam generalem, quæ indiuiduo generis altioris cõueniunt, vt nigredo cutis huic misto.
  - Ad formam specialem, quæ indiuiduo inferioris generis vel speciei conueniunt, vt Masculinum huic Animali.

Explicatio.

Materialia] Quæ fluunt à forma dependente à materia, ita vt recipiantur subiectiue in composito, vt sentire, visio.

Ἄϋλα] id est, Immaterialia, quæ fluunt à forma independente à materia, ita vt recipiantur in sola forma subiectiue, id est, vt in subiecto, vt : intelligere, velle in essentia Animæ.

Sentire.] Sensationis principium & receptiuum & elicitiuum (seu ἐνεργητικὸν) est compositum ex organo corporeo & virtute animæ.

Accidentia
- Indiuidui, quæ sequuntur compositum, ratione materiæ principaliter, & quibus differunt particularia eiusdem speciei.
- Generis vel Speciei, quæ sequuntur compositum ratione formæ, & communia sunt omnibus indiuiduis, vt : Indiuidualia accidentia sunt Masculinum & Fœmininum. Specificum est γελαστικὸν, hoc est, speciei humanæ formam comitans.

Acciden-

Accidentia producuntur seu fluunt ex principiis essentialibus subiecti
- Secundum actum perfectum, vt calor in igne, qui semper actu calidus est: risibilitas; potentia, motus ignis. Hæc sunt penitus inseparabilia à subiectis.
- Secundum actum imperfectum, seu aptitudinem tantum, vt risus, vt moueri sursum in igne ratione leuitatis, quæ aptitudo ad motum est, & fluit è forma ignis. Actualitas enim existit ex aliquo extrinsecus concurrente vel agendo, vel non prohibendo, seu remouente prohibens, vt: Diaphaneitas non est actu in aere nisi concurrente externo illuminante. Risus principium est risibilitas, sed proxima causa est alia. Hæc secundum se sunt separabilia, at secundum aptitudines suas sunt inseparabilia.

Accidens
- Abstractum, ipsa forma.
- Concretum, quod connotat subiectum, in quo est, formatum.

CANON: *Accidentia non existunt nisi concreta:* Zabarel. in post. Analyt.

Accidens aliquid esse alicuius intelligi potest duplici modo,
1. Vt completi principij elicitiui & receptiui. Hoc modo virtus Intellectiua est subiectiue in sola essentia animæ, virtus vero sensitiua subiectiue est in organis.
2. Vt suppositi. Hoc secundo modo omne accidens est compositi. Sic Socrates intelligit per animam.

Completum elicitiuum principium sensationis est compositum. Intellectionis sola virtus intellectiua. Non igitur contradicunt: Omne accidens est cõpositi, vt suppositi: &, aliquod accidens est solius formæ, vt principii perfecti, elicitiui & receptiui. Caietan.

In Accidente tum ὕλη eius, tum communitas & differentia à forma ὑποδοχὴ spectatur.

1. De Accidentis essentia est essentialis ordo ad subiectum, vt receptiuum, seu dependentia à subiecto, (quod est extra eius essentiam.)
2. Κοινότης, *id est conuenientia accidentium cum formis substantialibus est in tribus.*
1. *Neq; accidens neq; forma habet esse absolutum à subiecto*, id est, independens à δεκτικῷ, id est, receptiuo: Sed sicut ex Forma coniuncta materiæ proficiscitur esse commune vtrique: ita ex coniunctione Accidentis cum subiecto existit esse commune vtriq;. Nam ex coniunctione albedinis cum cygno fit esse, quo & albedo est, & cygnus est albus.
2. *Neq; accidens, neq; forma habet essentiam perfectam*, quia essentia vtriusq; essentialiter ad aliud refertur, vt ad δεκτικὸν. Nam forma substantialis essentialiter est materiæ perfectiuæ, & accidens essentialiter est entitas subiecti; quantum vel quale faciens.
3. *Neq; accidens, neq; forma habet definitionem propriis terminis perfectam, sed per Additamentum.* Vt enim in definitione accidentis ponitur ipsius subiectũ, quod est extra eius genus: ita in definitione formæ substantialis ponitur δεκτικὸν, materia, quæ est extra genus eius proprium. Nam formæ genus est Actus: Materia autem, quia ens diuiditur in Actum & Potentiam, continetur sub potentia (id est ente potentia) & ex consequenti est extra actum. Caietan. in 7. cap. de ente & essentia Thomæ.
3. Differentia in quinq; consistit.
1. Receptiuum formæ substantialis (materia subiectiua) non habet esse per se sine esse Formæ: At receptiuum accidentis (subiectum) seu substantia ei

subiecta habet esse per se prꝛeter esse sui Accidentis. Huius διαφορᾶς ratio est, quia receptiuum formæ substantialis est ens in pura potentia. Receptiuum vero formæ accidentalis habet esse in actu.

2. Ex coniunctione Formæ substantialis cum suo receptiuo emanat esse illud, quo res ipsa, subsistit seu simpliciter, id est, per se est.

Ex coniunctione vero Formæ accidentalis cum subiecto fluit esse, quo res secundum quid est.

3. Ex compositione Formæ substantialis cum suo subiecto fit vnum per se. Ex compositione contra accidentis cum subiecto fit vnum per accidens. Cum enim subiectum & accidens habeant duo esse, vnum per se facere non possunt.

4. Ex coniunctione formæ substantialis cum materia resultat essentia quædam tertia, scilicet entitas. Ex coniunctione vero Accidentis cum subiecto non fit aliqua essentia tertia, quia, vt dixi, ex accidente & subiecto non fit vnum per se.

5. Forma substantialis est pars essentiæ perfectæ. At accidens non est pars essentiæ perfectæ. Accidens enim est ens imperfectum & secundum quid.

EX HIERONYMO SAVANAROLA.

Accidens accipitur
- Proprie de aliquo inhærente
  - Realiter, vt cum forma, (accidentalis) qualis albedo dicitur, accidens dicitur. Realiter enim albedo hæret in pariete.
  - Secundum rationem, vt cum dextrũ & sinistrum in columna dicitur accidens columnæ.
- Improprie, cum de substantia dicitur: vt quod Homo accidat Domino; quod vestis accidat Socrati, vbi vestis improprie adiũctũ est.

Quæ non insunt per se, sunt accidentia. Id est, per accidens inhærent, ex 1. post. Analyt. con-text. 19.

Accidens
- Materiale
- Speciale, vt
  - Species sensiles, quæ habent esse diminutum.
  - Scientia, quæ in anima est, & pendet ab animo, vt à subiecto, & à re scita, tanquam à termino seu obiecto.

Accidentis significatio valde impropria occurrit apud Aristot. lib. 1. cap. 1. Metaph. vbi dicit: *Neque enim hominem curat Medicus, nisi per accidens, sed Calliam, aut Socratem, aut quempiam aliorum, qui ita dicuntur*, cui accidit vt Homo sit. Quid audio hic inquiat aliquis, An non Callias homo est essentialiter?

Resp.

Aristoteli hic accidere idẽ esse, quod cõuenire subiecto, ita vt aliquo modo (vt ratione) à subiecto distinguatur. Quo pacto Ideæ seu res vniuersales conueniunt singularibus: singularibus accidunt, id est, cõueniunt res vniuersales, vt modo aliquo ab illis diuersæ sint. Sic sumitur accidentis vox ab Aristotele in Fall. accid. 1. Elenchor. c. 4. generaliter pro prædicato, quod aliquo modo diuersum est à subiecto, cui conuenit vere, vt, Homo est animal, Homo est capax scientiæ, Homo est albus. Quod si dicas Homo est animal rationale, vestis est indumentum: eiusmodi enuntiatorum prædicata nõ dicentur accidentia subiectorum, quia non sunt à subiectis diuersa.

Accidentium vtilis diuisio.

Accidens est duplex, nempe speciei, & individui.

diuidui. Speciei, vt proprium πάθος. Huc pertinet labes noſtra originaria. Indiuidui rurſum duplex eſt, quoddam acquiritur per motum & alterationem, (hoc maxime proprie accidẽs eſt in natura) quoddam vero accidens eſt, cuius acquiſitione non alteratur aliquis, ſed perficitur, vt illuminatio, quæ fit, ſeu inducitur ſubito: eiuſmodi accidentia ſunt habitus perficientes animam ſecundum Intellectum vel effectũ, vt dicitur 7. Phyſ. Albertus Magnus in explicatione cœleſtis Hierarchiæ Dionyſii Areopagitæ.

Vſus.

Quæritur an Angeli habeant Accidentia? Quidam negant hoc argumẽto: Quia non ſunt compoſiti. Subſtantia ſimplex nulli poteſt eſſe ſubiectum. Boet. in lib. de Trinitate. Angeli ſunt ſubſtantiæ ſimplices & immateriales. Ergo non poſſunt eſſe ſubiectum alicuius accidentis.

Ad ſolutionem afferenda eſt diſtinctio data, excluditur ab Angelis accidens per motum acquiſitum & alterationẽ propter immaterialitatem. At interim habitus eſſe in Angelis, qui accidentia ſunt, negari nequit. Prẽterea meo iudicio omnimodo compoſitio de Angelis, quamuis ſpiritualibus entibus negari nequit.

ACCIDENS *Propter accidens* eſt accidẽs, quod ſubſtantiæ tribuitur mediate, id eſt, propter accidens, cui primo ineſt, vt: motus quantitatibus eſt proprius, & immediatus quantitatis. Scalig. ex. 362. Competit autem ſubſtantiæ corporeæ per quantitatem. Frigus accidit primo tactui, deinde cuti. Schegkius 1. Topic.

Accidens Contingentiæ.

Scholaſtici nõnulli etiam accidens quoddam vocant Contingentiæ: vt cum dicunt: Tempus eſt motus accidens non Inhæſionis, ſed Cõtingentię. Ego mallem dicere, Circumſtantiæ. Vide de hoc iudicium Viti Amerbachii libr. 4. Philoſ. Natur. pag. 385.

ACCIDENS PER ACCIDENS.

Accidens per accidens non eſt ſυσερμίνευτον. Dupliciter accipitur. Primo pro eo accidenti, quod non eſt per ſe ſeu eſſentiale. (Eſſentiale dicitur, quia proficiſcitur ex eſſentialibus ſui ſubiecti.) quia non comitatur naturam ſpecificam, vt Aptum natum eſſe ad ridendum, eſt accidens per ſe hominis, comitans Eſſentiam humanam: At nigrum eſſe eſt accidens per accidens hominis, quod contingit ei ineſſe & non ineſſe. Alias dicitur accidens commune, ſicut illud dicitur Proprium (quod à Natura rei dependet) Accidens, quod per ſe primo reſpicit naturam ſpecificam, ſecundario principia indiuiduantia. Accidens per accidens ſequitur principia indiuiduantia magis, quam naturam ſpecificam, cum non fluat ex ſubiecti Subſtantialibus, teſte Alex. de Ales 4. metaph. text. 14.

Secundo accidens per accidens idem eſt quod accidens propter accidens: Id eſt dicitur, ꝙ accidit ſubiecto propter accidens, vt Raritas eſt accidens ignis per accidens, calorẽ. Raritas enim manat à calore ignis, & propter calorem dicitur ignis rarus. Extenſum eſſe eſt accidens per accidens Subſtantię materiatæ, primo .n. accidit quantitati; deinde vero propter quantitatem Subſtantiæ, vt non ſolum quantitas, ſed & Subſtantia dicatur extenſa. Sic coloratum eſt accidens corporis propter accidens corporis ſuperficiem. Hoc ſic dicit Scholaſticus ſententiarius: Corpus mediante ſuperficie recipit album. Alex. de Ales. Hic igitur accipitur per improprie pro propter.

Extenſio accidit ſubſtãtia corporea propter quantitatem.

Vſus.

Accidentalis prædicationis ſpecies eſt,

cum accidens prædicatur de accidente per accidens, quia ambo vni accidunt, vt album de musico, quia ambo (albedo & musica) accidunt Homini. Aristoteles 4. 1. Philos cap. 2.

Accidens enim accidenti non accidit, nisi quia ambo vni & eidem accidunt. Idem ibidem. Accidens non prędicatur de accidente, nisi quia ambo prędicantur de subiecto, Thom. Aquin. 5. Metaphys. vnum accidens potest esse subiectum alterius, si dextre hoc intelligatur.

ACCIDENS INDIVIDVANS.

Vt accidens in Indiuiduis principaliter subsistit, & non indiuiduatur (παθητικῶς) nisi per Substant. Boet. in Porphyr. Et Albertus Magn. in prædicabilib. c. 7. Sic accidens indiuiduans dicitur actiue, quod vni indiuiduo proprium est, proindeq; hoc de vno solo prædicatur; intelllige quia vni soli conüenit. Tale accidens Humanæ Naturæ Christi prorsus singulare est Mori pro Mundi vita, cum Mori absolute, sine determinatione illa, commune sit illi cum aliis hominibus.

Et non indiuiduatur) &c. Hoc Ammonius in Prædicabil. sic dicit: Accidentia suum esse in particularibus Substantiis obtinent.

ACCIDENTIA COPVLATA.

Accidentia primum copulata κατὰ τὸ πρᾶγμα dicuntur duo, quæ vnius subiecti sunt, siue sint communia, siue propria, vt dulce & flauum mellis, par & impar numeri. His opponitur accidens simplex.

Deinde accidentia κατὰ τὸν νοῦν seu λόγον copulata (id est coniuncta) dicuntur. quibus etiam intelligitur ipsorum subiectum. Simplicia contra, quæ non inferunt intelligentiam subiecti sui. Prioris generis sunt Propria: Posterioris Communia.

Distinctio hac est Alexand. Alensis, cuius verba subiicio è 7. Metaphys. context. 17. accidentia communia, & propria in hoc differunt, quod cõmunia nõ dant intelligere aliquod subiectum proprium: propria vero dãt intelligere suum subiectum, vt Risuum Hominem. Ideo copulata dicuntur, vt illa (cõmunia) simplicia. Simplicia intelligerationе significationis & intellectionis. De propriis huius generis Themistij axioma est in poster. cap. 11. Accidentibus sumptis his, quibus sua contraria respondent, vt paritati imparitas, alterum contrariorum necessario de subiecto prædicatur.

ACCIDENTIA EXISTENTIA IN SVBIECTO comparate.

Accidentia, quæ existunt in subiecto comparate dicuntur ea, quæ insunt alicui subiecto κατὰ ὁμοιότητα ἢ ἀναλογίαν id est, secundum conuenientiam vel similitudinem accidentium, quæ sunt in subiecto alio essentialiter & proprie. Exempli causa, Numerus per similitudinem dicitur figuratus, vt quadratus cubicus, cum figura proprie conueniat Geometricis vel Physicis rebus. Sumptum hoc est ex Auerroe & doctrina Numerorum figuratorum Algebracca. Sic Auerroes 3. de Cœlo. Accidentium in subiecto existentium alia existunt in suo subiecto primo essentialiter, vt par & impar in numero. Alia existunt per similitudinem vel analogiam ad accidentia existentia in subiecto alicuius scientiæ naturaliter: vt Arithmeticus de numeris superficialibus & solidis considerat. 3. de cœlo, contextu commun. 1.

Acci-

Accidentia de Materiæ potentia { Educuntur, Spiritualia { Animæ Hominis. Lumen receptum in Luna. ; Non educuntur, quæ sequuntur formam generabilem.

Lumen receptum) Scholastici vocant Accidens intentionale.

ACCIDENS ET SECVNDVM ACCIDENS.

Iohanni Grammatico 1. de anim. text. 4. Accidens & secundum accidens differunt sic: Accidens est, quod ex opposito diuisum est à Substantia, ac extrinsecus rebus adest, (est naturæ aduentiæ, inquit Albert. M.) Secundum accidens quod ex necessitate subsantiis adest, ipsasq; consequitur, ex quo formantur propria, quæ primo & per se insunt. Sed tenendum non semper ita accipi secundum accidens: sæpe enim opponitur τῷ per se. Sic necesse secundum accidens est non inesse per se. Accidentis intellectus est absolutus, quamuis eius esse sit dependens. Albert. M.

ACCIDENTEITAS.

Barbara sunt Accidenteitas, Angeleitas, Spiritueitas, Substantieitas, quæ nolo te vsurpare, sed potius circumscribere. Accidenteitas autem est essentia accidentis, id est, id, quo accidēs est quod est, nempe Ens secundarium per substantiam, à Substantia, in Substantia. Sic Spiritueitas (πνευματότης) est Spiritus Essentia, qua sine materia & forma Spiritus dicitur id quod est. Angeleitas (Αγγελότης) est essentia Angelica seu intelligentiæ, seu dæmonis, seu id, per quod Angelus est quod est. Substantieitas est substantiæ essentia, qua substantia est, nempe per se & in se subsistentia. Essentia autem Accidentium, verbi gratia coloris, saporis, an consistat in mera forma, an in materia & forma, licet non Physicis, con-

tentio manet mihi cum nonnullis & Philosophis & Theologis, quam hic non attingam, præsertim cum non sit magni momenti, & distinctione res confici posse videatur. Quid mihi, inquis tu, ista barbara? Respond. vt intelligas melius & facilius disputationes Scholasticas. Quærit Picus, quærunt alij, an in Sacramento Eucharistiæ maneat Paneitas? At quomodo & quæstionem intelliges, & respondebis de ea, si quid sit Paneitas, nescias. Est autem Paneitas nihil aliud his disputatoribus, quam Natura Panis.

ACCIDERE.

1. Accidere est euenire, vsuuenire, cōtingere. Aristoteli nonnunquam est idem quod fieri.
2. Accidere quid alicui est mori seu decedere aliquem. Sic Cicero: Si quid pupillo accidisset, id est, si mortuus esset. Sæpe additur Humanitus, vt: si quid mihi humanitus accidisset. Eodem sensu dicitur: Si quid me factum esset. Sic Cicero de Pompeio: Si quid eo factum esset. Græce, εἴ τι πάθοι. Hotomannus. Vide Lexicon Ioh. Caluini.
3. Accidere ad pedes alicuius Græcis est προσκυνεῖν, supplicem fieri.

Vsus.

Hic ἐπέρχεταί μοι, quod Aristotelis vetus interpres 8. Physic. text. 31. Magna, vt puto, impropriętate verbi coniungit Accidere & semper. Verba eius sunt: Sed Accidit & hæc ab aliquo semper moueri, &c. Ad quæ Zabarell. sic commentatur: Verbum Ac-

An Accidit & semper inter se sint consentanea?

cidit non significat hic Accidentalitatem: nō enim diceret Aristoteles semper: vult enim potius significare Necessitatem, & perinde est ac si dicat, Hæc quoque (grauia & leuia naturaliter mota) semper ab alio mouentur, cum moueri à se ipsis impossibile sit. Quocirca verba Aristotelis, ἀλλὰ συμβαίνει τῇ τοιαῦτα ὑπὸ τινὸς ἀεὶ κινεῖσθαι, melius sic vertuntur à Iohanne Argyrophilo Byzantino: verum fit vt hæc etiam semper ab alio moueantur. Sic Demosthenes: συμβαίνει δεῖσθαι, fit vt indigeat. Et Aristoteli ἐξ ἀνάγκης συμβαίνειν est necessario effici seu consequi, 1. cap. 1. analyt. & συμβαίνειν ἄτοπα est sequi absurda & incommoda. Omninoq; Aristoteli συμβαίνειν (fieri) est vel ἀεὶ (semper) vel ποτὲ (aliquando.) Sic 1. Analyt. cap. 9. συμβαίνει δέ ποτε. Fit autem nonnunquam, &c.

Συμβαίνειν duplex Aristoteli.

ACCIDENTARIVM.

Accidentarium seu accidentale aliquid esse alicui dicitur, sine quo id esse potest. Zabarel. vid. l. 2. de propos. Necess. c. 11. Dicitur alias *Contingens* etiam. Species est contingens suo generi, homo animali, quia potest esse animal sine homine in altera specie, in qua integra natura animalis seruaretur, etiam ablita tota humana specie.

Opponitur ei essentiale.

Accidentaria necessitas est, quæ alicuius casus est ita vt attingat eum, qui alias necessitate non est astrictus. Iureconsultus vocat Necessitatem aduentitiam (id est extra ordinem seu extraordinariam.)

Ἀπορία cum Respon. Θεῖον Dei accidens.

Vsus huius vocis est, cum quæritur: An Deo aliquid sit accidentale? D. Augustin. l. 5. cap. 16. de Trinit. Deus vt Dominus hominis esset, ex tempore accidit ei. Et paulo post, certe vt tuus Dominus esset aut meus, qui modo esse cœpimus, *ex tempore accidit Deo*, hoc est, non est συμβεβηκὸς essentiæ diuinæ. Sed hoc σκέψεως (considerationis) est altioris.

ACCIPI.

Accipi quid proprie sit, notum est. Nos Translationes notemus. *Ad Logicæ Scholasticorum hæc pertinent.*

1. Scholastici distinguunt inter Acceptionem Termini & appellationem Termini. Acceptio Termini est vsurpatio vocis seu notionis in enunciato.

Appellatio termini est superacceptio, cum terminus enunciati aliquid vltra id, pro quo accipitur, importat. Alias dicitur Epitasis, vt concretiuæ voces habẽt duplex significatum; vnum pro quo accipiuntur, & illud nõ appellant; hoc vulgo significatum materiale dicitur: Alterum pro quo nõ accipiuntur, sed appellant illud, id est, quod non notant, sed connotant. Id dicitur vulgo Formale significatum: item Appellatum & connotatum, vt cum dico: pius est beatus, Subiectum pius appellat, id est, τὸ pius vltra hominem, pro quo accipitur, importat etiam pietatem, quam concreta vox pius connotat.

Acceptio seu suppositio differt à significatione.

Primum potest aliquid accipi non significatiue, id est, non pro re per terminum seu vocem significata, vt cum dico: τὸ lignum est generis neutrius.

2. Quia etsi vox sit polysema, non tamen pro omnibus, quæ significat, semper accipitur, sed pro iis tãtum, quæ enuntiati veritas patitur, vt in hoc enuntiato: Omnis homo est mortalis; accipitur τὸ Homo tantum pro Hominibus in Terra viuentibus: etsi alias etiam pictos & mortuos homines notet.

Acceptio termini est Materialis vel Formalis. Materialis, qua terminus, (si-

ue

ue ſimplex ſiue complexus) accipitur tantum pro literis & ſyllabis, è quibus cõſtat, alias λεχτικὰ, vt cum dico, Deus eſt vt caſus; Homo doctus; eſt oratio imperfecta.

Formalis, qua terminus accipitur pro re ea, cui ſignificandæ eſt impoſitus. Alias ſuppoſitio pro re ipſa, id eſt ſignificatiua & φυσικὴ. Eſtq; Relatiua ſeu Reſpectiua vel Abſoluta.

Relatiua, cum terminus eſt aliquod pronomen relatiue (non antecedenter) acceptum, vt, Qui, Is, Idem, vt Homo, qui currit, mouetur.

Abſoluta, cum terminus non eſt pronomen vllum relatiuum, Deus eſt ſpiritus. Hic ſubiectum & prædicatum ſupponunt abſolute. Verba Chriſti de calice teſtamentali limitantur ad ſanguinem, qui effuſus eſt è venis corporis.

Qui virtutem colunt, laudandi ſunt. Terminus Qui hic non accipitur relatiue, ſed antecedenter.

Acceptio abſoluta eſt propria vel impropria.

Propria, qua terminus accipitur natiua ſignificatione, alias, RIGOROSA, quia in ea tenetur verbi rigor.

Impropria, qua impropriâ, vt Tropicâ & abuſiuâ, quæ valde impropria eſt ac καταχρηστικὴ.

Acceptio propria eſt Eſſentialis vel Accidentaria. Eſſentialis eſt acceptio termini in enuntiato, cuius copula abſoluta eſt à tempore, id eſt, quod quouis tempore verum eſt, ſiue in enunciato prædicentur partes eſſentiæ, vt: Homo eſt Animal; ſiue propria eſſentialia, vt Homo eſt capax ſcientiæ: Dicitur & Naturalis & ſuppoſitio διδασκαλικὴ, doctrinalis, quia in docendis diſciplinis inprimis locum habet.

Accidentaria eſt vſurpatio termini, vt exigit copula, certum tempus importans, vt: corpus Chriſti nunc eſt gloriоſum.

Accidentaria eſt Ampliatio & Reſtrictio, id eſt, Acceptio ampla vel reſtricta.

Ampliatio eſt termini acceptio talis, qua ſignificatio eius extenditur ad plura, quam id, quod expreſſum eſt; vel ad plures perſonas, vt Petrus accepit à Chriſto claues Eccleſię. Hic extendendus Petrus etiam ad alios Apoſtolos. Quod ſurreptum eſt, eius rei æterna eſto authoritas, id eſt, Res, quæ ſurripitur, ſurripietur, & ſurrepta fuit, veri Domini ſemper manet. Bis pueri ſenes ſunt; id eſt, fuerunt pueri ætate: & ſunt nunc pueri intelligentia.

Reſtrictio eſt termini contractio, vt pro paucioribus accipiatur, vt: Doctrina mea nõ eſt mea, ſcilicet quatenus homo ſum vilis in oculis veſtris. Huic ſubiecta eſt Reſtrictio Vniuerſalis, qua particula vniuerſalis ad certam & accommodatam vniuerſitatem contrahitur, vt: cœlum tegit omnia, præter ſe.

Porro Acceptio formalis eſt ſingularis vel communis.

Singularis, qua vox accipitur ſingulariter, id eſt, pro Indiuiduo, vt: Chriſtus eſt Seruator Mundi.

Communis, qua communiter, id eſt, pro communi, vt; virtus eſt laudabilis.

Acceptio Communis eſt Determinata vel confuſa.

Determinata eſt acceptio termini communis, cum voces accipiuntur determinate, pro ijs, quæ ſignificant diſiunctiue, ſic vt ab eo liceat facere deſcenſum diſiunctiuum, hoc eſt, enuntiationem rerum ſingularum termino communi comprehenſarum, vt; virtutis alicuius eſt ſuum cuique tribuere. Ergo vel prudentiæ, vel iuſtitiæ, &c.

Acceptio confuſa, qua terminus communis accipitur pro ijs, quæ ſignificant copulatiue vel diſiunctiue.

Acceptio confusa est confusa tantum; vel confusa vniuersalis.

Confusa tantum est cum terminus communis accipitur pro suis significatis disiunctiue sumptis, vt cum ab ea fit descensus disiunctiuus, id est rerum singularum termino communi comprehensarum enumeratio per coniunctionem disiunctiuam in enuntiato vno, vt in hac enuntiatione: Omnis homo est animal: prædicatum animal sumitur tantum confuse, quia disiunctim: Nam animal est rationale vel irrationale.

Acceptio confusa vniuersalis est, qua terminus communis accipitur pro suis significatis coniunctim sumptis. Vocatur suppositio Distributiua. Estque pro singulis Generum, vel pro Generibus singulorum.

Acceptio pro singulis Generum est, qua terminus communis accipitur pro vniuersis & singulis indiuiduis sub eo comprehensis nullo excepto, vt: Omne vitium est detestandum.

Acceptio pro generibus singulorum est, qua terminus communis accipitur pro generibus seu formis omnibus sibi subiectis, non autem pro singulis suis indiuiduis: vt omne animal fuit in arca Noæ, id est, ex omnium animalium generibus aliquot indiuidua, non autem vniuersa & singula in arca Noæ fuerunt. CHRISTVS est Seruator omnium hominum, accipitur pro singulis generum, si spectetur mortis Christi sufficientia, id est, vniuersorum & singulorum Hominum Christus Seruator est. At accipitur pro Generibus singulorum, si spectetur efficacia mortis Christi, id est, Christus seruat homines omnium ordinum & conditionum (efficaciter.)

Deus vult omnes saluos fieri. Hic terminus Omnes accipitur pro singulis Generum, si voluntas signi seu conditionalis intelligatur, quia Deus vniuersos & singulos iubet salutem operari, & ad eam inuitat.

At accipitur pro Generibus singulorum, si intelligatur voluntas Beneplaciti seu Absoluta, quia decreuit ex omnium generum, ordinum & conditionum hominibus Deus colligere Ecclesiam, hoc est, eos seruare, quos ad salutem elegit.

Acceptio præcisa cum terminus nihil cõnotat, vt, cũ corpus quale mortuum, non connotat animam.

Non præcisa contra, vt: Panis Cœnæ fractus est corpus Domini, nempe mortuum.

Acceptio determinata, cum vox determinate aliquid significat: Disiuncta cum disiunctim, vt indifferens ad vtrumq;, vt; cum corpus significat viuum corpus tãtum: vt cum humanum corpus significat vel viuum, vel mortuum.

Pro Acceptione vsurpant Barbari Suppositio, vt Baptismus supponit, id est, accipitur formaliter pro toto composito quod, ad quod significandum est impositum.

Domus supponit pro toto composito ex fundamentis, parietibus & tecto.

Deinde accipio est interpretor, vel etiam approbo, vt, quod dat accipimus. Cic. Græce ἐπιδέχομαι. Accipere in optimam partem.

In Politicis Accipere conditiones frequens est: & Acceptio promissorum & obligationis, & mutua seu reciproca obligatio idem esse videntur. Qui enim accipit conditionem, ipse etiam promittit aliquid, & qui promittit, semper cum conditione promittit, videlicet se daturum, modo accipiat, & in ipsa acceptione semper tacite aut expresse promissio & obligatio inest. Vide Gualand. hæc plenius explicantem l. 7.

tem l.7.de facultate ciu.cap.6.Intellige autem Idem tantum re esse:nam differunt ratione.

ACCRETIO.

Accretio in genere est amplificatio seu accessio, vt honorum accretio, luminis accretio. Lunam accretione & diminutione luminis quasi fastorum notantem & significantem dies. Cicer. in Tusc.

In Physicis accretio est motus viuentis corporis, quo id extenditur ad maiorem quantitatem, factus ab anima per calorem naturalem ex alimento in maiores consumptis partibus, substantiæ conuerso, vt viuens iustam seu perfectam magnitudinem consequatur, ad omnes vitæ actiones exercendas.

Augmentabilitatis, id est, potentiæ patiendi motum accretionis, ratio formalis est anima vegetans. Quantum vero seu per materiam extensum est materiale, seu conditio materialis formæ necessaria,& sine qua non. Zabar. lib. de Accret.& Nutrit.c.25.

In iurisprudentia Accretio accessio quædam est portionis ad partem vel personam: vsusfructus accrescit proprietati. Et accrescere dicitur alicui res, cum ei,qui iam partem habet,accedit, vt cum insula fundo accrescere dicitur,aut cum ei, qui solus hæres,sed ex parte tantum institutus est, reliqua pars accedit. Hinc ius accrescendi apud Iurisconsultos celebratur, quo portio deficiens alteri, qui partem agnouit, acquiritur. l. 1.in fin. l. 3. l. 8. l. penult. de vsufructu accrescen. Vide Lexicon iuridic. diligentissimi viri Iohannis Caluini Wetterani. Accretioni opponitur Decessio.

ACCREMENTVM.

Accrementum Scaligero idem est quod Augmentum, affectus quantitatis primo. Estque verum vel nothum. Augmentum verum etiam esse partium solidiorum post annos triginta, de eo vide Scal.ex.283.f.2.

ACCVBATIO.

Accubatio est positio composita ex adiacentia & sessione, vt reclinatio in dorso facta, cum tamen adhuc inferioribus superiora insideant. Albert. Magn. Qui accumbit, neque stat, neq; sedet, neque ambulat, sed medium quiddam facit. leg. 124. de Verb. signif.

ACCVRATIO.

Accuratio est cura, exquisitio, diligentia, τὸ ἀκριβὲς, ἀκρίβεια. Accurata disputatio est exquisita. Accuratum dicendi genus est exquisitum, meditatum, bene cogitatum.

ACTIO.

Actio est agentis, qua agens, perfectio. Aliorum descriptio angustior est: Applicatio agentis ad patiens, qua fit mutatio aliqua in patiente.

Actio enim est
- Immaterialis seu spiritualis: (Huic subiicitur Scoti intentionalis in { Sensum / Intellectum.)
- Materialis vt alterãs. (Hęc est Scoti Realis in Materiã;)
  - Directa, qua in aliud recta (absq; vlla reuerberatione) tenditur, vt, cum ignis aquam calefacit: cum corpora terrea aerem, quem intus cohibent, vltra naturæ suæ gradum frigefaciunt.
  - Reflexa, qua aliquid aliquo modo in se ipsum agit
    - Proprie dicta. Secundum qualitatem incidentem in corpus (opacum) quod non potest penetrare, vt; cum reciprocatur lumen à corpore opaco obiecto, & radius reflexus directum intendens ex accidente in illũ agit quatenus inuento obstaculo tantum in se recurrit, quantum porrigi in lõgum debebat.
    - Improprie dicta. Per antiperistasin (circum obsistentiam) quæ oritur ex obsessione & compressione contrarij; cum vna qualitas obsidetur à contraria (vt frigiditas aquæ à calore aeris) adeoq; in se quasi reflexa seipsam aduersus hostem vicinum corroborat ac defendit, hoc est auget.

Lib. 2. dist. 12.

Aliquo modo) Id est, non per se & simpliciter ac improprie.

Congruit cũ distinctione Ioh. Scoti, cum dicit, aliquid esse principium agendi vel actione reali in materiã, vel actione intẽtionali in sensũ vel intellectũ.

Explicatio.

Ignis aquã calefacientis est Actio per se & directe agentis: Hęc actio ignis directe tendit in aliud. At lucis minoris magis intendentis in lucem maiorẽ est actio agentis per reflexionem: hoc est, actio minoris lucis hic fit per reciprocationem seu resilitionem, qua qualitas refunditur. Potest & sic dici: *Actio directa est*, vt cum idem in simile specie & gradu dissimile vel inęquale agit: vt magis calidum in minus calidum. *Reflexa est*, vt cum eadem qualitas se ipsam intendit. ex.gr. cum calor fontium hyberno tempore propter circumstãs frigus seipsum validiorem reddit.

Actio interdũ tam generaliter accipitur, vt complectatur & πρᾶξιν & ποίησιν, cum physicam, tum artificiosam, quæ ἐργασία est; & contemplationem seu θεωρίαν. Vide Audom. Talæũ in 1. Eth. Arist. & Platon. sophistã: Vbi disputatur an differant inter se ποιεῖν, πράττειν, & ἐργάζεσθαι. Vide vocẽ facio vel ποιέω.

ACTIO.

Actio igitur est
- Physica. De hac regula: Omnis actio in alterum fundatur in excessu & victoria agentis. Seu omnis actio est à proportione maioris inæqualitatis. Arist. in lib. de generat. & motu animal.
- Non Physica, vt Hyperphysica, & Moralis (quę πρᾶξις dicitur κατ' ἐξοχὴν) vel Artificiosa.

Præterea in Physicis Actionis vox accipitur
- Presse, vt non complectatur reactionem, vt cum dicitur: Debilioris non est actio in validius seu reactio.
- Late pro
  - Impressione alicuius gradus Qualitatis.
  - Actione tota perfectaque, quæ est cum victoria agentis. De hac intellige Canonem: Actio fit à valentiore, non à debiliore. Actio non fit nisi à superante, respectu totius pugnæ. Durante enim pugna, patiens secundario agit, sed ita vt succumbat.

Late

Late igitur accepta voce actionis Reactio, id est, retributa seu reciprocata actio etiam est actio. Inter contraria autem est mutua pugna, quæ est mutua actio & perpessio, seu actionis & passionis reciprocatio.

Seu Actio est { Actio absolute. / Reactio.

Actio & Passio idem sunt Materialiter, ratione Subiecti, non formaliter, ratione Essentiæ.

Actio est { Accidentis, Effectiue. / Substantię seu rei subsistẽtis (suppositi) accidenti affectæ { 1. Denominatiue: Quod est per se subsistens, denominatur agens. / 2. Sustentatiue, id est, propter Dependentiam accidentis ab illa. / 3. Determinatiue seu modificatiue. Determinatio autem accidẽtis prouenit { Subiectiue ex substãtia, in qua inhæret. / Finaliter ex substantia per ipsam debet produci.

Sustentatiue.] Quia operari sequitur esse. Accidens autem habet esse in virtute substantiæ, quatenus ab ea dependet ac sustentatur, ideoq; dici potest agere in virtute substantię.

Actio est Formæ Radicaliter: Suppositi seu compositi per se denominatiue. Primario & fundamentaliter substantiæ (quæ accidentis fundamentum & Radix.) Accidentis secundario & instrumentaliter.

Actiones aut sunt Proprię aut Impropriæ. Propriæ sunt, quæ in alio exercentur subiecto, vt cum ignis ignem generat. Impropriæ dicuntur verius Emanationes & consecutiones quædam naturales eorum, quæ resultant in eo subiecto, cui actio tribuitur, vt cum aqua sese reuocat ad natiuum frigoris statum quo ad actum primum.

Huc pertinet Distinctio, quæ sequitur.

Actio agentis, quæ agens, perfectio { Immanens { *Proprissime & in solidum*: quæ non egreditur extra principium proximum, à quo elicitur. / *Quodammodo seu Improprie & ex parte*: quæ manet in eodem supposito, etsi non recipiatur in principio, quo fiunt. / Transiens (quæ non recipitur in principio (vt Potentia) à quo producitur) { Diuersum suppositum seu subiectum distinctum à principio proximo, vt illuminatio in aerem trãsiens, calefactio in aquam. / Distinctam partem aut potentiam eius oppositi, calefactio, qua manus manum calefacit.

IN

Explic.

Immanens manet in eo, quod agit, nec transfertur ad aliud, vt Speculatio.

Transiens transfertur ab agente ad patiens, & à patiente recipitur, vt calefactio.

Actio immanens (immanenter operantis) maxime propria, habet vnum idemq; principium proximũ & Actiuũ & Receptiuũ. Manet in eodẽ supposito, & in eadẽ potentia, à qua elicitur, vt Cognitio & Appetitio. Huc pertinent emanationes seu resultantiæ proprietatum spiritualium animæ, vt, Intellectus & voluntas sunt proxime ab anima & in anima. Minus propria, quæ etsi non recipitur in potentia, qua fit, manet tamen in eodem supposito, vt: productio amoris in voluntate ab intellectu, Resultantiæ seu consecutiones habituum ex actionibus, actiones nutritiuę, augmentatiuæ, locomotiuę, emanationes proprietatum organicarum animæ. Harum immediatum quidẽ est principium anima, sed subiectum materia quanta, vt induit formam.

Itaq; dici potest

- Actio est
  - Immanens (seu ἐνέργησις) agentis intra se.
  - Transiens (ποίησις) agentis extra se
    - Momentanea.
    - Temporaria.
  - Media inter immanentem & transeuntem.

Temporaria est successiua, quę fit in tempore, ac dicitur motus, qui est influxus formæ.

Momentanea dicitur & Instantanea, quæ fit in instanti, vt productio speciei in oculo à lumine. Actio quæ breui tẽporis decursu fit, non est nominanda Instantanea aut momentanea.

- Sic quoque Passio, actus seu forma patientis est
  - Immanens, quæ manet in principio.
  - Transiens, qua patitur
    - Vnum subiectum Alio.
    - Pars eiusdem subiecti ab Alia.
    - Vna potentia Alia.

Canon aureus.

Formalis causa non edit effectum, aliquid extra se producendo, sed se ipsum communicando.

Manet igitur effectum in Forma vt causa συνεχῶς, nec est ab ea separatum, & recipitur in subiecto.

Vita naturalis immanet in anima, à qua manat & recipitur in corpore.

De Actione Physica.

Actio, quæ est in mutationibus naturalibus eductio Formæ è potentia materiæ, & actio, quæ formam inducit in materiam, coniunctæ sunt, imo non sunt diuersæ reipsa; vt, quo influxu ignis educit formam ex materia ligni, eodem illam inducit in eandem. Sic in Physicis mutationibus eadem agendi ratio est, qua agens aliquid efficit, & qua agit in aliquid, vt quo influxu agit in lignum ignis, eodẽ efficit ignem ex ligno. Differunt tantum ratione seu ἐπινοίᾳ nostra, quia hic influxus prius naturæ ordine terminatur ad actionem receptam in ligno, quam ad compositum, quod ex actione resul-

sultat. P. Fonsec. in 5. Metaph. Arist. c. 2. quæst. 5. explicatione.

Exceptio.

In Generatione Hominis non coniungitur eductio formæ è materia, & inductio eiusdem in materiam. Itaq; ibi influxus agentis est Inductio tantum, non simul formæ eductio & inductio. Quia anima rationalis diuinitus existit, nec est ex traduce.

De Actionibus Physicis animat.

In doctrina de Anima & animato corpore, eiusq; actionibus, accurate distinguitur inter actionem naturalem & animalem, seu simplicem & mistam, vt simplex sit naturalis vel animalis: mista vero ex naturali & animali composita. Naturalis actio est, quæ cuiusque partis facultate regitur: ita vt in eam voluntati nullum sit imperium. Talis actio est vesicæ fellis attrahentis flauam bilem, splenis atram, renum serum attrahentium, talis est epatis sanguificatio, Græce αἱματωσις, ἁιματοποιησις, id est, cum hepar sanguinem efficit, talis est cordis & cerebri πνευματοποιησις, id est actio, qua cor spiritus vitales, cerebrum animales efficit. Talis est cordis & arteriarum pulsatio, hæc scilicet non regitur nostra voluntate. Nam si imperaueris cordi, vt conquiescat, arteriis, vt pulsare desinant, quid quæso efficies?

Animalis actio est, quam pro arbitrio nostro exercemus, aut non exercemus seu intermittimus, vt ambulatio, cursio, locutio; pro arbitrio inquam, nisi vis aliqua impediat. Actio mista est, quæ partim voluntate, partim naturâ regitur, vt respiratio, alui & vesicæ exoneratio. Etsi enim naturæ in exoneranda aluo & vesica sit obsequendum, suspendere tamen ad tempus hanc actionem possumus. Sic etsi necesse habeamus respirare seu ἀναπνεῖν, modo velimus supereſſe, possumus tamen spiritum ad tempus cohibere, & modo tardius, modo celerius eum reddere.

Huius Distinctionis vsus est in Disputatione de Deglutitione, quæ est actio animalium certorum, qua alimentum ex ore per œsophagum seu gulam in ventriculum demittitur. De hac quæstio est, vtrum sit naturalis, an animalis, vt loquuntur Physici? Deglutitio profecto perficitur musculis faucium & lingua, quæ etiam suis prædita est musculis, vt testantur Anatomici & experientia. Iam vero actio, quæ musculis perficitur, est voluntaria, cum musculus voluntarii motus instrumentum sit. Deglutitio igitur erit actio voluntaria. Sed rursus ventriculus, cuius munus est attrahere cibum, attractum, dum conficiatur, retinere, confectum expellere, tribus constat generibus fibrarum (quæ sunt veluti filamenta quædam, quibus viscera, quæ attrahendi, retinendi, expellendi facultate pollent, contexuntur) rectis, obliquis & transuersis, quarum rectæ attractioni, obliquæ retentioni, transuersæ expulsioni inseruiunt. Iam vero attractio & expulsio, quæ beneficio fibrarum fit, est actio naturalis, Deglutitio igitur actio naturalis erit: quippe quæ fiat alimenti attractione & expulsione.

Verum respondendum videtur, deglutitionem esse actionem partim naturalem, partim animalem: Idque ita. Deglutitionis sunt duæ partes, prior alimenti in gulam protrusio, posterior alimenti in stomachum protrusi in ventriculum demissio. Prior, quia peragitur musculis, est animalis: posterior, quia fibris, est naturalis. Hoc est τὴν μίσην λέγειν. Vide disput. de

hoc argumento Matthiæ Martinij Freienhagensis Waldecci, sub præsidio Iohan. Pincieri.

Actiones { Proprie dictæ, Actiones perfectæ, quæ terminum iam habent acquisitum.
Improprie dictæ, Motus, ἐνπελέχειαι ἀτελεῖς.

Vsus.

Cum in loco membrum continetur, vt in statu, sessione, & in tonicis, & si de voluntario & libero musculorum motu fiant, & propterea ad κινητικὸν κατὰ τόπον pertineant, à quo hæc perficiuntur, non tamen motus sunt, sed actiones, id est, actiones perfectæ, quæ terminum iam habent acquisitum, cum motus sit ἐντελέχεια imperfecta. In his enim actionibus ὦσις & ἕλξις sic fiunt, vt loci mutationem non afferant, ne stantem aut sedentem loco moueri dicamus, sed agere aliquid & musculum occupari. Et in quibus locus mutatur, ea motus sunt. In loco autem contineri immobiliter, actionis est, non motus; cumq; non omnis musculus membrum etiam de loco moueat, sed quodam labore suo etiam in loco hoc contineat, planũ fit, laborẽ vt sine actione nunquam, ita sine motu de loco posse aliquem esse, quomodo & musculus laborat, qui per se totus loco non mouetur vnquam, sed motum membri & corporis à se incitati sequitur. Breuiter sessio, statio, τόνοι (tensiones) motus proprie non sunt, sed tamẽ actiones & opera τῆς διὰ τόπου κινητικῆς.

Vnde & hoc intelligitur: Actionem & Actiuum aliter accipi à Grãmaticis, aliter à Physicis. Stare enim Grammaticis actiuum verbum non est.

DISTINCTIO ETHICA.

Actiones humanæ { Bonæ, prudenter agere. Malæ, fornicari. Mediæ seu neutræ, edere, ædificare.

Principia agendi sunt hic Cognitio, Appetitio, potentia: seu Tria requiruntur ad actionem humanam, scire, velle, posse. Cognitio ad intellectum refertur: Appetitio ad voluntatem: potentia ad corporis & externa bona, quibus impedimenta remouentur, & quæ ad opus necessaria sunt, suggeruntur.

Canon: Motus vel Actio secundum genus bona, secundum rationem particularis naturæ potest esse mala, vt actio, quæ subiectum peccati est, secundum genus (Cicero dicit genere: alii etiã suo genere) bona est, qua est à Deo & qua est à natura communi, secundum vero rationem particularem singularis naturæ in homine vnoquoq; vt iam corruptus est, non potest non actio esse ab homine corrupto corrupta & vitiosa quodãmodo. Luc. Trelcat.

Distinctio transnaturalis.

Actio Dei æterna, vel temporaria est. Æterna, qua Deus ab æterno intelligit & vult aliquid fieri in tempore. Hoc velle Alberto Magno in explicatione cœlestis Hierarchiæ D. Areopagitæ est immutabile, ita vt Deo causante immobiliter ab æterno res secundum præfinitum tempus ex οἰκονομίᾳ seu ordine diuinæ sapientiæ exeat in τὸ εἶναι ac existat mutatione facta reali circa rem ipsam tantum. Eidem hæc actio Dei interior est, non exterior.

Temporaria est quæ in tempore fit.

DISTIN-

DISTINCTIO PHYSICA.

Actiones
- Vniuocę, cum agens producit ſibi ſimile, vt ignis, cum calefacit.
- Æquiuocę, cum agens producit ſibi diſſimile, vt cum Sol animat fimum,
  - Continuæ ſeu continuatæ, vt illuminatio.
  - Interciſæ, vt verberatio, ædificatio, locutio, ſcriptio.

Cauſæ efficientes externæ (quæ ſunt in ſubiecto alio ab effectu) vt plurimum agunt actione intermiſſa, non continuata, vt qui loquuntur aut ſcribunt. Atqui efficientes internæ (quæ ſunt in eodem ſubiecto cum effectu) ſeu agentes per emanationem, agunt per continuatam actionem, ſic ignis producit calorem.

Marſil. Fincin. 4. gradus facit agendi in explicatione diuinorum nominum. Humana, inquit, ratio agit conſilio, ac ſequente conſilium electione: Ars quoque ſimiliter, quam diu eſt imperfecta. Conſummata vero ars ad faciendum electione non indiget: ſed ita facit habitu. Si agit natura virture. Naturale agens naturali virtute, id eſt, bonitate facit, non eſſentia pura. Deus denique tanquam ipſum bonum (ſeu cuius natura eſt abſolutiſſima bonitas) ipſa ſua exiſtentia pura, id eſt, bonitate facit (præter hanc non eget deliberatione quadam & electione, cuius adminiculo bene faciat) ſiquidem participatione boni cætera faciunt, quicquid agunt.

DISTINCTIO ACTIONVM IN DOCTRINA *de animato corpore.*

Actio es
- Simplices
  - Naturales (cum aliquid producitur per neceſſitatem Naturę, vt Cõcoctio Alimenti.)
  - Voluntariæ (cum aliquid producitur per liberalitatem voluntatis, vt loquitur Albertus Magn.)
    - Interiores, vt excogitatio operis voluntaria eſt interior actio artificis.
    - Exteriores, vt ſaltatio, ſectio, dolatio.
- Mixtæ, quæ per ſe narurales cum ſint, reguntur tamen voluntate: vt edere, ambulare.

Reſpirare etiam mixta videtur eſſe actio: ſed quia minimum habet voluntatis, malunt nonnulli illam ad naturalem actionem referre.

Exteriores] Exterior eſt cauſa ſocia ſeu συναίτιον interioris, ſed & Naturalis actio interior eſt, quo etiam pertinet Dei intelligere.

Quidam hanc arborem ſeu partitionem Actionum in Doctrina Categoriarum tradiderunt.

- Actiones
  - Dei
    - Internæ, vt Gignere, comprehendere se seu perfecte intelligere. Sed hæc non sunt Dei accidentia.
    - Externę
      - *Generales*
        - *Creare.*
        - *Sustentare* naturam seu conseruare.
        - Destruere displicentia.
      - *Speciales*
        - Colligere Ecclesiam.
        - Sanctificare Spiritu Sancto.
        - Donare vitam æternam.

        Has Deus efficit per
        - Studium verbi Diuini.
        - Vsum Sacramentorum.
  - Creaturarum
    - Non violentæ
      - *Naturales*, quæ à natura, q̃ agit sine deliberatione, vno eodemq; modo oriuntur,
        - Generatio, Corruptio.
        - Auctio, Diminutio.
        - Alteratio.
        - Motio secundum locum.
      - *Logicæ*, quę à rationali anima oriuntur & reguntur immediate
        - *A mente* seu Intellectu
          - *Interiores*
            - Cognitio simplicium.
            - Compositio & Diuisio.
            - Discursus
              - Illatiuus.
              - Ordinatiuus.
            - Iudicium de consequentia & ordine.
          - *Exteriores*, vt artium actiones, pingere, scribere, ædificare.
        - *A voluntate*
          - *Oeconomicæ*, Parentum, liberorum, Dominorum, Seruorum.
          - *Politicæ*, Magistratuum, Iudicum.
          - *Sacræ*
            - *Morales*, vt timere Deum, obedire Dei voluntati.
            - *Ceremoniales*, vt sacrificia.

        Huc referuntur & Scholasticorum actiones.
    - Violentæ, quæ non fiunt sponte.

Sacræ] Tu supplex ora:
Politicæ] Tu protege:
Oeconomicæ] Tuq; labora.

Actio Rhetorica.

Actio Rhetorica est quædam corporis Eloquentia. Huic Affinis est actio Scenica, Comica, Tragica.

AGERE, ἐνεργεῖν.

Agere generatim est exercere potentiam actiuam, eamq; ad actum deducere. Hoc continet Agere in specie, & Efficere. Sic Actiuum est actiuum in specie & Effectiuum. Speciatim agere est mouere se in patiens, eiq; vim suam imprimere. Itaque Pati est recipere vim agentis.

In Dramatica significat repræsentare, ὑποκρίνεσθαι, seu fingere, vt Agere stultum seu morionem.

In Politicis etiam ad lites pertinet, vt agere reum, id est, accusare.

AGENS.

Agens est, quod præditum est ἐνεργείᾳ, qua aliud quiddam efficitur.

Agens est vel ὁμοειδὲς, seu vniuocum, vel κατ' ἐντελέχειαν seu Formale.

Agens

Agens ὁμοειδὲς producit simile in specie, vt actu calidum & frigidum agens: Itaque patientis ὁμοειδῦς proprium est, vt producatur simile in specie agenti.

Agens vero κατ' ἐντελέχειαν producit dissimile in specie, vt sol Animal.

Explicatio.

Physici appellant actu calida & frigida agentia ὁμοειδῆ, quę etiam Physice sunt ὁμογενῆ: Talia sunt elementa, vt quibus ipsa qualitatibus sunt prædita, iisdem patientia quoq; corpora afficiantur. Sed κατ' ἐντελέχειαν calida & frigida, seu δυνάμει, & non ἐνεργείᾳ, id est, actu vocant, in quibus nõ est eiusdem speciei qualitas, qualis est in patientibus, seu quę non habent eandem qualitatem, quam faciunt, vt cum astra calefacere aut frigefacere dicuntur hæc inferiora, aut cum opium aut euphorbium dicuntur refrigerare aut calefacere corpus animalis, quæ tamen aquam, vel aliud corpus inanimum his qualitatibus non afficiunt: Calor in Euphorbio actu talis non est, qualem facit in animali, igneus nimirum, vt qui dissoluere temperaturam etiam seu πρῶτον animalis possit. Ita igitur aliæ qualitates sunt efficaces actu, aliæ δυνάμει: & falsum est quod quidam scripsit: *Nihil esse in actu, hoc est, tactu calidum.* Schegk. 15. lib. Demonstrationũ.

» Porro agentia & patientia mutuo sunt
» ὁμογενῆ. Agentia, quæ agunt ita, vt
» vicissim non patiantur, ὁμογενῆ non sunt.

Falsum igitur: *Omne effectum suæ causæ per omnia esse simile*, nisi restringatur ad effectum agentis ὁμοειδῦς, cuiusmodi est caro efficiens carnem, non autem venæ αἱματοποιητικαὶ, effectrices & conseruatrices sanguinis, non anima, efficiens corporis.

Vsus.

Paralogismus hinc soluitur: Quicquid calefacit calidum est: Sol calefacit: Sol igitur calidus. Calefacere modo actu, modo δυνάμει vsurpatur.

1. *Generata cum Generantibus omnino ὁμογενῆ esse oportet, cum substantia ex necessitate producatur à substantia*, inquit Schegk. 4. Topic. Aristotel. ad locum 42.
2. *Qualitas autem producitur ita, vt respectu eius non necesse sit producens: neque* ὁμοειδὲς, neque ὁμογενὲς, (*neque eiusdem speciei, neque eiusdem generis*) *esse*: vt cœleste corpus in his sublunaribus, & facultas πλαστικὴ (formatrix) cœlestibus analoga, in semine formando corpus animatum, producit omnia accidentia corporis animati, quibus tamen nullis ipsa est affecta. Sic anima efficit quantitatem & adolescentiam, & tamen ipsa non est prædita quantitate & adolescentia. Ratione enim præexistentis potentiæ fiunt accidentia, non quod actu priora sint in efficientibus, etsi ποιήσει seu alteratione producantur, vt simpliciter generatione seu γενέσει non nisi substantia producatur. Breuiter

Agens cum effecto comparatum
- Vniuocum
  - ὁμοειδὲς.
  - ὁμογενὲς.
- Æquiuocum.

Vniuocum est, quod simile est Effectui. Atque hoc ὁμοειδὲς est, quod est eiusdem speciei cum effectu, vt Homo qui giguit hominem: ignis qui efficit ignem. Ὁμογενὲς vero, quod est eiusdem generis cum effectu, vt equus, qui procreat mulum.

Æquiuocum est, quod dissimile est Ef-

fectui, vt Lumen vel Motus, qui efficit ignem.

in Actione & Passione *quædam sunt pure agentia*, quæ in motu non repatiuntur aliquid, vt ignis calefaciens aquam.

Quædam sunt pure passiua ὁλόπαθητικά, quę in motu non habent vim aliquam agendi, vt aqua quæ calefit.

Contra quædam sunt ita agentia, vt repatiantur aliquid à passo: vt cum natura agit in pharmaca, ibi ipsa vicissim aliquid patitur à pharmacis.

Quædam sunt ita patientia, vt vicißim aliquid habeant efficaciæ in agens: vt Pharmaca rursus agunt in naturam. Ita in hominis conuersione non dicimus Voluntatem se habere pure παθητικῶς, sed vicissim aliquid agere. Potest enim voluntas non tantum repugnare Deo mouenti, sed etiam assentiri & obsequi suo ac proprio motu, quod faciens non tantum patitur, sed etiam agit libere, sine coactione, & ciet suas actiones, etsi vires assentiendi & obsequendi ex gratia Dei accipiat.

Voluntas proprio motu vult & eligit, etsi hic motus alitunde excitetur.

Est & hæc distinctio vtilis:

Agentia quædam sunt συστατικὰ τῆς φύσεως, id est, Naturæ constitutiua. Hæc sunt agentia κατὰ φύσιν. Quędam sunt ἐκστατικὰ τῆς φύσεως, id est, destructiua naturæ, vt quæ non ratione finis agunt, sed duntaxat ratione materiæ, quæ subiectum est corruptionis propter priuationem.

ACTVS.

Actus & Potentia sunt duo primi Modi Entis. Alexander de Ales. Potentia est quædam dispositio, seu quidam ordo ad actum.

Actus est potentiæ perfectio. Actus autem perficit vel puram potentiam quam trahit ad τὸ εἶναι simpliciter vel aliquo modo Ens in actu. Alexander Alensis 2. Metaphys. text. 8.

Græci actum vocant ἐνέργειαν: Ἐνέργεια est id, cuius esse non est in alius potestate, sed aliud in eius potestate: vt visus est ἐνέργεια, id est actus: visio vero est actio. Anima est ἐνέργεια, ἐντελέχεια, actus, ἐνύπαρχόν τι πρὸς τὴν τελείωσιν, aliquid, quod in corpore inest ad perfectionem. Vide Scalig. exerc. 107. sect. vltima.

Quid ἐνέργεια.

Aliud actus, aliud actio.

Nota interdum idem Aristoteli significare hæc vocabula: Actus, Essentia, Forma, Ratio, (Rei.)

Sed actus significationes omnes, quæ quidem nobis occurrunt, in præsentia videamus.

Actus 1. proprie est *Perfectio*, vt Forma. Huc pertinet quod modo diximus: *Actus est potentiæ perfectio*, ex Alexandro Alens. & Thoma Aquinat. *vel est rei quædam determinatio.* Estque vel *Purus, separatus à materia:* vel Impurus, *qui recipitur in materia.* De hoc est Axioma: *Actiuorum actus sunt in patientibus bene dispositis, secundum possibilitatem recipientium* (actus illos) *& non secundum potentiam agentis.* Albertus Magn. in Prædicam.

2. Est *Esse*, quod oritur à forma. *Itaque est formæ consequens.* Auerroes. (Sed Albertus Magnus sic: Actus duplex est: Primus, qui est Esse. Secundus, qui est actio essentialis secundum illud esse: vt Lux lucentis est esse & actus primus. Lucere autem est actus essentialis eius secundus, 1. de Anima, tract. 1. cap. 1. Atque ad actum primum eiusdem (Alberti Magni,) pronuntiatum hoc pertinet: *Actus formæ vltimæ est esse vniuscuiusque.* Viuere igitur est esse animati. (Loquitur igitur Albert. in sua distinctione de Actu Formæ.)

3. Est

3. *Est operatio* seu agere: vt, actus substratus peccato non est à Deo. Scotus & alij Scholastici Doctores. Etsi actus, quod attinet ad notitiam nostram, prius dicitur de operationibus, quam de Forma & esse, quia nostra notitia ex operationibus peruenit ad formas. Alexander Alensis 9. Metaphys. contex.7.

4. Est improprie forma inchoata vel affecta seu imperfecta.

Explicatio ACTVS *puri.*

Duo Consectaria.

Actus Purus, qui nihil habet admistum potentiæ; vt æternum. Itaque est sine motu. Simplicius in prædicam. Et: Impurus habet admistum aliquid potentiæ. Et hac ratione id cuius talis actus est, compositum dici potest. Seu Actũ purum esse est esse tale & tã perfectum ens, vt nullã habeat potentialitatẽ ad recipiendũ præterea aliquid aliud perfectionis. Vide Tabulam meam de Ente Actu. Proprie perfectio, Improprie Forma imperfecta. sic Vitus Amerbachius in lib. 3. de Philosophia natur. In Definitione motus vocabulum Actus ponitur improprie. Significat enim proprie perfectionem, sicut Aristoteles ipse indicat, vbi dicit motum esse ἐντελέχειαν ἀτελῆ, imperfectum actum. Nec mouere nos debet, quod operationes etiam, vt visio, gustatio, intellectio, ferere, fectio, fructificatio arboris, vocantur actus. Non enim vt motus considerãtur, sed vt perfectiones, seu ea, quæ sunt potentiis contraria. Est itaq; motus velut Medium inter Potentiam & Actum, seu, vt exponit Themistius, Itio ad formam. Etsi enim & hæc ipsa itio forma quædam est, imperfecta tamen est: quia possibile, cuius motus actus est, est imperfectum. Exemplo res fit planior. Sanabile potentia est. Sanitas perfectus actus est. Sanatio medium est, actus imperfectus, & velut actus potentialis, aut potentia actuosa est. Hæc consentiunt cum doctrina Scholasticorum, quibus vt duplex est potentia, sic quoque duplex actus, Alter perfectionis, id est *ipsa quies & operis* (quod ἀποτέλεσμα Græcis est, id est, opus perfectum) *absolutio.* Alter imperfectionis, & cum potestate coniunctus, hoc est illa versatio materiæ seu subiecti, adeoque ipse motus: actus qui rem & subiectum, cui inest, in actum è potestate educit, actuq; esse facit, vt tamen potestate illa, è qua continenter ipsum educit, non plane liberet, sed in ea simul quoque relinquat.

Quid Actus perfectionis.

Quid actus imperfectus & cum potentia coniunctus.

Operatio) seu actio & functio. De hac intelligitur Canon: Eiusdem est actus, cuius potentia. Aristot. lib. de somno & vigilia cap. 4. potentia est Deitatis, ergo & actio. *Functiones animæ sunt coniuncti*; Ergo & potentiæ sunt in ipso coniuncto, id est in Toto: hoc est, operationes seu functiones non administrantur absq; consortio animæ & corporis. Falsum itaq; potentiam sentiendi esse in sola anima subiectiue.

4. Est improprie forma imperfecta.) Itaque tradita est à Philosophis hæc distinctio.

Actus est
- Perfectus, vltimus, extremus, proximus, vt, quod homo, qui gignebatur, genitus est. Item visio: Hic videre & vidisse sunt simul, id est simul visio fit, & eadem facta est.
- Imperfectus, qui cõiunctus est cum motu, qui est cum successione quadam, Remotus.

Actus perfectus est rei, quæ omni ex parte simul consistit.

Imperfectus rei, quæ in successione posita est, vt motus diei, ludi, quorum partes vna consistere nequeunt.

Sic & potestas vel imperfecta est, quæ respicit actum imperfectum, vel perfecta, quæ dirigitur ad actum perfectum & permanentem. Perfecta est *vel absoluta*, vt in rebus necessariis, in quibus manet semper cum actu coniuncta. Vnde dicitur, in illis idem esse posse cum eo quod est (Essentialis dicitur Gandauensi, quod pendeat ex essentiæ principiis): *vel restricta* aliquibus conditionibus, vt puta, quia consequatur actum suum per certa instrumenta, vt; facultas videndi per oculos color mouendi perspicuum per Lumen.

Ἄλλως.

Actus interdum significat ἐντελέχειαν, interiorem perfectionem, vt est forma, ac dicitur Perfectiuus & Receptibilis, sicut Potentia ei opposita receptiua & perfectibilis. Interdum significat operationem vel ἔργον (opus). Et est vel Internus, vt sermo Internus & essentialis, Ratiocinatio seu Syllogismus, vel externus, vt locutio.

Internus est vel Positiuus vel Negatiuus. Deus, inquit quidam è Scholasticis, actu interno prædestinationis suæ, præterit, deserit, relinquit quosdam sibi ipsis in malum per se ruituros, id est, non eligit. Is actus Dei est negatiuus, nempe quod Deus non facit reprobis gratiam, quam facit seu confert aliis, quod gratia salutari reprobos destituit, qui à Deo relicti per se ruunt in malum.

Positiuus Dei actus est, quod malos per se malos æternæ pœnæ prædestinat, vt iustus iudex, quod suos prædestinat ad salutem, seu quod alij hominum & boni fiunt, & hæreditatem vitæ æternæ obtinent; vterque actus Dei in eo positiuus est. Quod quidam fiunt mali, actus Dei positiuus est: quod ijdem puniuntur, actus Dei positiuus est.

Actus { Simplicissimus & purissimus, vt Deus, ens ex se & primum, non compositum.
Mixtus, impurus, imperfectus, qui ad mistum habet aliquid potentiæ, vt Mentes.

Generatio Passiua de diuinis prædicari nequit, nisi tropice, quia res diuinæ sunt actus primi. Itaq; nefas est dicere cum Gratiano, Christum Filium Dei esse posse, si potẽtia opponatur actui, vt imperfectum perfecto. Christus enim actu æterno est Filius, vt Deus ἐνεργείᾳ est & actus simplicissimus.

Actus { Continuus, Permanens: Mundi administratio continua. Dei operatio, continuatum opus prouidentiæ Dei (operatur Pater vsq; adhuc, Ioh. 5.) Regeneratio.
Desinens, Transiens, Creatio, Iustificatio.

Officium Christi Sacerdotis habet partim desinentes, partim continuos actus seu permanentes.

In rebus Physicis Generatio actiua est Transiens: In Metaphysicis & Diuinis permanens.

Actus { Definitus, Baptisari, actus vnus numero: sic Ascensio Christi in cœlum. Ea enim semel facta est.
Indefinitus, Doceri: actus non vnus numero. Sic Sessio Christi ad dextram Patris: exaltatio ad dextram Dei vt terminum ad Quem.

Gregorij Nysseni de actu sententia hæc est: Actus, inquit, est Naturalis cuiusque rei potentia & motus. Nam quodvis Essentiale suã habet efficaciam, vt, intelligentia intelligendi, sentientia sentiendi, volatilia volandi, generatiua generandi vim habent. In quibus ablata rursus vi agendi, tollitur & interit ipsa rei natura. Sublato namque calore ignis extinguitur, sublato animalis motu, animal interit. Sublata vi intelligendi animæ interit Intellectus & ratio. Sic sublata potentia sentiendi, interit anima sentiens.

Canon: Sublato actu comitante essentiam tollitur Essentia.

Actus
- Primus
  - Exterior, extrinsecus afficiens corpus, vt Forma accidentalis. Sic calor est actus corporis.
  - Interior
    - Inchoatus, imperfectus, vt motus, forma fluens.
    - Absolutus, qui intrinsecus cõstituit rẽ ἐν τῷ εἶναι; vt Forma essẽtialis; Forma perfecta.
- Secundus Actus
  - Diuiduus.
  - Indiuiduus.

Explicatio.

Calor est actus calidi, lumen lucidi; Anima corporis physici organici talis, &c. Intell. actum interiorem absolutum.

Scientia in Deo non est habitus proprie dictus seu actus primus, sed actus secundus tantum, id est ἐνέργεια. Deus παντεπισήμων non transit ab habitu ad actum.

Conuersio hominis ad Deum in hac vita non est actus perfectus & indiuiduus: Est perpetua seu continuata motio, ἐντελέχεια, continuatur vsq; ad mortem, non est Momentanea, etsi subito fieri possit, quod videre est in Saulo. Ac distinguendum est inter Initium seu primum momentum ac punctum & motum ac fluxum Conuersionis. In initio voluntas δεκτικὸν subiectum est. At in continuatione conuersionis est συναίτιον, seu σύνεργον αἴτιον.

An voluntas habeat se in conuersione tantũ vt patiens?

Vsus.

In Disputationib. Theologicis de Christi Persona huius distinctionis vsus celebratus est. Quæritur: *An Mens Christi Humana in infantia sciuerit omnia,* (nihil ignorarit) Actu saltem primo? Negata sententia sic concluditur 1. Qui reuera ignorat aliquid, sic vt nõ sciat id, nisi discat, is non habet actum scientię neq; primum neq; secũdum. Christus infans & puer reuera non sciuit, quod ætate crescente didicit. Ergo in infantia & pueritia non sciuit illud actu primo.

2. Suscepit Christus omnes nostras infirmitates & imperfectiones, excepto peccato. Ergo vere etiam suscepit ignorantiam, naturæ infantis & pueruli conuenientem, actui primo & secundo notitiæ oppositam. Sicut igitur puer antequam didicit scribere vel canere, neque primum, neque secundum actum habet artis Grammaticæ

vel Musicæ, sed duntaxat potentiam passiuam, id est, aptitudinem naturæ ad acquirendum actum primum & secundum, habitum & operationem (ἕξιν & ἐνέργειαν.) postquam autem didicit, habet actum primum, seu potentiam actiuam scribendi vel canendi; cum vero canit vel scribit ex arte, habet iam actum primum & secundum: Ita Christus infans & puer multa neque primo, neque secundo actu sciebat intellectu suo humano, quæ actu primo succesiue actum demum sciebat, cum vel per sensus, vel per reuelationem immediatã Spiritus diuini intellectui ipsius humano innotuissent. Sciebat vero etiam actu secundo, quoties iam cognita & sibi nota intuebatur seu contemplabatur & cogitabat, qui actus non est essentialis scientia τοῦ λόγου, sed effectus in mente Christi. In Christo Diuinitas seu vis Diuini Spiritus in ipso latens sese exseruit paulatim per sapientiam habitualem creatam: seu potius per actum primum & secundum sapientiæ & scientiæ, manifestans etiam puero multa supra aliorum hominum puerilem captum, nec tamen simpliciter omniscium faciens eius mentem humanam. Itaque dici non potest omniscientiam, seu prorsus infinitam scientiam τοῦ λόγου essentialem primo actu in intellectu humano pueri Christi extitisse.

Actus perficit { Operantem. Creatio non perficit creantem in sese.
Opus: vt Creatio Dei perficit Mundum.

Videtur dari posse actus, qui & operantem, & opus perficit, vt actus honestus seu Ethicus.

Actus ex sententia Σχολιζόντων, vt Suaretzij, hæc distinctio est:

I. Actus dicitur { *Absolute*, non respectu alterius, cum quid est actuale quid, non potentiale, etsi aliud non informet. Actus subsistens simpliciter in se consummatus & perfectus.
Actuans dicunt Barbari pro Perficiens. { *Respectiue*, qui actus est alterius: quo modo Forma perficit materiam, seu actus materiæ perficiens seu Actuans, non subsistens actus.

II. Respectiuus dictus Actus est { Formalis, Specificus & Completus, Physicus: vt Forma Physica.
Vterque actuat, id est, perficit suo modo. { B. Entitatiuus imperfectus, quasi inchoatus, Metaphysicus.

Is actus est { Essentiæ, Differentia.
A. Existentiæ, ipsa existentiaa (actualis Entitas.)

A. Componitur enim Materia ex Genere & Differentia, & ex essentia, & existentia sua. Itaque non est pura potentia huius actus ratione.
B. Motus est actus Entitatiuus, quẽ maiult Vit. Amerbach. essentialẽ vocare.

Materia quæ aliquid in se est seu actu est extra nihil, est δεκτικὴ (susceptiua) actus completi seu perfecti.
Hæ duæ Distinctiones coniunguntur seu complicantur sic:

Simpli-

III. Ens est Actus
- Simpliciter. Formalis
  - Formaliter, quod habet perfectionem per formam informantem.
  - Eminenter seu modo eminenti: quod habet per se perfectionem formalem eam, quæ alias tribuitur iis, quæ per compositionem existunt: Actus in se actu existens, res Formalis, vt Deus.
- Secundum quid, quod habet actualitatem imperfectam.

Actus secundum quid est Ens, quod habet aliquam actualitatem, quatenus actu est extra Nihil, nempe imperfectam, quia indiget alio actu, tum vt compleatur in genere & ratione entis simpliciter, tum etiam vt existat.

Per τριχοτομίαν.

Actus
- Subsistens. Complete Subsistens, *Diuinus*, Formalis proprie, *Physicus.*
- Terminatiuus Essentiæ, Existentia actualis. *Actus formalis Metaphysicus*; Actus essentiæ,

Nam Scotistæ contra Thomistas sic arguunt.

Si datur actus, qui neque est formalis proprie, neque Subsistens, non sufficit Thomistarum diuisio. Sed primum verum. Ergo & secundum. Assumptio probatur. Nam actus existentiæ datur, qui neque est proprie formalis, quia non est forma, neq; est subsistens, quia in essentia recipitur: Id est, datur materiæ actus formalis Metaphysicus, quo in sua essentia constituitur.

cienti. Ex duobus enim Entibus actualibus completis non fit vnum per se.

Canon.

Προσδιορισμὸς Diminuens falsam propositionem facere potest veram. Falsum: Materia est actus: Verum: Materia est actus Entitatiuus κατά τι.

Vsus in Disputationibus.

1. Quæritur an Materia prima sit actus, an sit ens actu? Resp. Non est actus, sed est in actu, id est, cum recipiat formam, necesse est, vt sit in rerum natura, & non sit nihil. Quicquid enim vere & realiter est alterius δεκτικὸν in se, est aliquid. Materia prima seu primum subiectum vere receptiuum est alterius. Ergo est in se aliquid.

Actus tamen dici potest addita determinatione, *Diminuente*, scilicet imperfectus. Materia non est ens actu, id est ens in actu completum, sed inchoatio quædam Entis, quæ naturaliter coniungitur Formæ, vt Totum ens perfi-

2. Quæritur, an Materia prima sit composita ex actu & potentia? Resp. Negatur, si intelligitur proprius actus & potentia Physice. Affirmatur, si intelligantur Metaphysice actus & potentia Materiæ proportionati, id est, Differentia & Genus.
3. Quæritur; an omnis actus sit operationis alicuius principiũ? Resp. Affirmatur Scotistis & Thomistis simul de actu formali, siue informet, intrinsecus det & cõstituat: siue perfecte subsistat. Negatur à Scotistis de actu entitatiuo, qui nõ est actꝰ simpliciter, sed secũdũ quid seu μερικὸς, i. partialis, qualis est Materiæ, cuiꝰ entitas est ordinata instituta que ad recipiendũ, non ad agendum seu efficiendum.

Thomistæ acquiescentes in actu formali & subsistente, actum entitatiuum nõ agnoscunt, & dicunt Materiam non habere propriã existentiã, præter eam,

quam affert forma; seu aiunt, neque ex se, neque in se habere vllam existentiam nisi per formã, quod *Omne esse sit à Forma*, ideoq; dici puram potentiam. Sic Zabar. Materia non habet propriã Entitatẽ, id est, existẽtiam. Materia habet aliã entitatem, quam forma, id est, Essentiam. l. 2. de rerum Mater. cap. 4. Idem: Entitas materiæ est ipsamet materia. Hic Entitatem quoq; accipit pro essentia seu Natura.

Axiomata ad Disput. public. proposita in Acad. Marpurg. à Goclenio, An. 1600. Cal. Augusti.

1. Actus præcipua significatio dicitur esse à Scholasticis & Peripateticis *Actus Purus.*
2. Actus igitur puri sunt, vel impuri.
3. Actus puri eis sunt, qui sunt expertes eius potentiæ, quæ ad materiam pertinet. Tales sunt Formæ Transnaturales, quæ cum materia nihil communicant.
4. Actus impuri, qui cum materiæ potentia communicant. Tales sunt formæ Physicæ. 5. *Actus* puri habent gradus puritatis. Purior enim Deus est, quam Cœlestes Intelligentiæ. Vnde Deus dicitur purissimus actus & simplicissimus, ens necessario actu existens, sine vlla potentia receptiua vel obiectiua: nullam prorsus habens potentialitatem.
6. Actus (ἐντελέχεια) est primus, vel Secundus.
7. Actus primus, vt forma, potentia actiua, habitus.
8. Actus Secundus, vt operatio proficiscens ex habitu.
9. Actus primus I. est Inchoatus, vel Absolutus.
10. Inchoatus, vt Inchoatus habitus in hac vita virtutum.
11. Absolutus, vt Habitus Absolutus, seu perfectus in altera vita. Dicitur & Fixus, stabilis, μόνιμος.
12. Differt hic ab illo τῷ λόγῳ (formaliter) eo modo, quo pars ὑσιώδης à Toto, cuius pars ὑσιώδης est. Claudius Alberius in Oratione de Beatitudine. Alij dicunt Gradualiter.
13. Ad actum absolutum pertinet Anima & vita: Ad inchoatum Motus.
14. II. Actus primus aut est exterior, qui extra rẽ est, aut interior, qui in re est. Aristot. 1. Philosoph. lib. 8. cap. 8.
15. Actus primus potest suscipere secundum: ὑσία qualitatem, vt anima virtutem.
16. Actus sunt vltimæ perfectiones potentiarum.
17. Actus primi sunt principia secundorum.

Seu: Actus alicuius primus est potentia actiua ad secundum. Primus enim est facultas, secũdus est operatio, vt facultas loquendi, scribẽdi, est actus primus: locutio, scriptio est act⁹ secũdus. In scitẽte actus primus est rei notitia vel idea impressa intellectui, etiam de re illa nõ cogitanti. Secũdus est ipsa de re cognita cogitatio seu eius cõtemplatio.

18. Secundus actus semper est eius accidens, in quo est. Sed Primus actus est aliquando Substantialis, aliquando Accidentalis.
19. Itaque Essentia Diuina, essentialis omnipotentia, nullius rei creatæ actus esse potest neque primus, neque secundus: nullius rei neque accidens, nec substantia esse potest, sed solius atque vnius Dei essentia est. Causa autem ea est efficiens omnium aliorum actuum: ipsa nullius rei creatæ actus existens.
20. Humanæ igitur Naturæ Christi neq; primus proprie, neq; secũdus actus est natura diuina, sed inhabitatrix, habitans scilicet in carne, tanquam templo singulari, & arcano modo, ὑποστατικῶς. Vnde colligitur Humanitatem Christi non per potẽtiam τοῦ λόγου essentialem, sed per potentiam creatam & inhærentem potentem esse.

21. A-

21. Actus secundus Vnius, potest esse actus primus alterius.

22. Infans non habet actum primum Scientiæ, sed habet actum primum rationis seu Intellectus, id est, intelligendi potentiam. Cum autem iam incipit aliquid intelligere, acquirit actum secundum intellectus, qui est actus primus Scientiæ. Sed cum quæ scit ἕξιν, id est, habitualiter, etiam sit actione intellectus, id est, cogitat & considerat, iam accedit actus secundus Scientiæ.

Dormientis diuersa ratio est. Cum enim infans nec primum, nec secundum actum scientiæ, id est, nec habitum, nec contemplationem habeat: dormiens habet actum primum, id est, habitum Scientiæ sine actu secundo, id est, sine theoria seu cogitatione eius, quod scit.

23. In Christo, quod ad mentem Humanam attinet, & actus primus intellectus ante actum primum Scientiæ ac Sapientiæ: & actus secundus intellectus fuit, cum acquisiuit actum primum, id est, habitum scientiæ & sapientiæ, ex quo deinde secutus est actus secundus, tanquam operatio, ex facultate operandi, id est, intelligendi seu cogitandi, quicquid quocunque tempore voluit. Generatim: Humana scientia aliqua mutatione progreditur ex actu primo in secundum.

24. Quæritur, quo sensu dicatur ab Aristotele 2. de anim. context. 69. Lumẽ esse actus perspicui quatenus perspicuum. Respondeo: Sententia Aristotelis est hæc: Lumen est forma perspicui seu perspicuum constituens: Et actu perspicuum necesse est, vt sit illuminatum. Quæ igitur est materia perspicui seu transparentis? Corpus subtile seu tenue, vt loquitur Zabarelka. At enim inquis: Quandoque natura perspicui est cum lumine; quandoq; cum tenebris. Arist. context. 71. Respondetur: Perspicuum sumptum & cõsideratum respectu visus, cui vt medium inseruit deferens ad eum colores, non est actu perspicuum, nisi per Lumen. Sed secundum se, id est, propriam naturam, & absolute consideratum retinet naturam & tenuitatẽ suam etiam sine lumine. Estq; simile materię primæ Aristoteleæ. Quemadmodum enim naturæ primæ materiæ extranea est tum forma, tum priuatio, licet vtramq; possit seu apta sit recipere. Ita naturæ absolute perspicui extranea sunt lumen, & oppositum eius Tenebræ, licet vtriusq; sit receptiuum.

ACTVS SIGNATVS ET Exercitus.

Gabrieli Bieli Actus signatus est significatio vel potentia actiua. In prolog. super prim. Potentiar. quæst. 3. in fine. Actus exercitus est realis existentia vel ipsum exercitium rei. Exempli causa. Sunt quibus videtur Augustinus in prima hominis peccatoris cõuersione libertatem voluntatis neq; quoad actũ signatum, nec quoad exercitum actũ agnoscere, id est, Augustinus post exortum Pelagium in scriptis posterioribus liberum arbitrium in verè bono, & in prima peccatoris conuersione, nec quoad potentiam actiuam, nec quoad exercitium agnoscere videtur Gulielmo Perkinso.

Sic dicit Scholasticus: Vniuersale finiri per actum signatum, id est, per aptitudinem, quod natum aptum sit dici de multis (quamuis maiori ex parte semper habeat cõiunctum actum proprie dictum) quia vt exercet actum, & idẽtificatur cum suis inferioribus, aiunt, non esse vniuersale, sed cum accipitur præcisum, & quasi non idem cum particularibus: quod nos in medio relinquimus. Hæc Propositio, Cæcitas est priuatio, falsa est, capiendo τὸ est: vt dicit, Actum exercitum, hoc est, realẽ existentiam extremorum, id est: falsã

est hoc sensu: cęcitas est secundum realẽ existentiã & positiuã: Cæcitas enim significat Ens aliquod abesse, non esse. Vera contra est ista Propositio, vt copula Est dicit actum signatum, vt idem valeat, Cęcitas est priuatio, quod cęcitas significat alicuius priuationẽ: Voce cæcitas sumpta materialiter, hoc est, pro ipso termino, non pro re aliqua.

Eß expressio actus per verbum.

Actus signatus est prolatio verbi, quo significatur seu exprimitur actꝰ, qui exercetur, vt per verbum Baptizo exprimitur seu significatur actꝰ baptizandi.

Actꝰ exercitus est ipsum opus, vt Sacerdos præceptũ Christi, Baptizate, actu exercito, id est, opere implet eos lauando, quos baptizat.

In actu signato est potestate seu virtute: In actu exercito, exercitatione & vsu. Zabar. principio non potest idẽ simul affirmari & negari, sic restricto, nõ potest mũdus simul vnus esse & nõ vnus, nõ ita vtitur vt exprimat actu, sed solũ vtitur ipsius potestate ac virtute li. 1. post. analyt. cõment. cõtex. 82.

Quæritur an Panis Cœnę sit corpus Domini secundum actum signatum, an secundum actum exercitum: id est, vtrum per significationem, an secundũ rẽ seu realiter, seu ὑπαρκτικῶς, vtrũ attributiue vel per attributionẽ quandam & æquiuoce, an vero proprie?

Sic dicunt vrinam esse sanam secundum actũ signatũ, quia sit signũ sanitatis. In talibus cõplicata animi notio est euoluẽda. Vid. Gabrielẽ lib. 1. d. 31. q. 1. Gabrielis ὑπόμνημα.

Sæpe per actũ exercitum intelligitur actus signatus, id est, frequenter Est accipitur pro significat, vt cum dicitur, Differentia est forma rei, id est, differentia significat formã rei. Frequenter enim quæ significatorũ sunt, attribuũtur signis & vicissim lib. 1. dist. 8. qu. 8.

In Doctrina de Demõstratione distincto ista à nõnullis Scholasticis adhibetur: Principiũ negatiuum: de nullo potest idem affirmari vel negari simul. Demõstrationem ingredi, est ingredi vel virtualiter, vel formaliter. Virtualiter tũ ingredi dicitur, cũ virtꝰ eius cooperatur in Demõstratione. Præmissę enim aliquo saltẽ modo ab illa dependent. Formaliter bifariã accipi potest, vt notat Caietanus; vel in actu signato, vel in actu exercito. In actu signato, cũ secũdũ formã & ordinẽ verborũ, quib. ipsũ principiũ cõstat, accipitur: siue illa vocabula sint transcendentia, vt si dicas: De Nullo est verũ idẽ simul affirmare & negare; siue alicui sciẽtia propria, vt si dicas, de Nullo corpore est verũ simul moueri & nõ moueri. In actu exercito, cũ sumitur aliqua propositio, in qua exercetur & cernitur vis istius principii, siue cõstet terminis trãscendẽtib. illa propositio; vt si dicas, omne ens est vnũ, & nõ est vnum; siue in terminis particularibus, vt si dicas; Omnis homo est animal & nõ est animal. Sic igitur in actu signato est generaliꝰ, in exercito est specialius: vt, Principiũ negatiuũ illud in actu exercito, id est, vsu, & expressione exẽplari, seu applicatũ ad particulare exẽplũ nõ ingreditur vllã Demõstrationẽ: In actu signato, id est, in ipsa thesi, vt sonat: In actu exercito, i. in applicatione ad hypoth.

ACTVS EXERCITVS.

Opponitur Actui primo, aptitudini potẽtiæq; proximæ, & ACTVI SIGNATO, vt cum dicitur Accidens esse coniunctum subiecto in actu exercito, id est, ita vt exerceat causalitatem formalẽ, quæ est velut actus secundus, qui aliquãdo suspendi potest.

Angelus repræsentãs Deũ simpliciter loquitur. Ego sum Deus: At consiliũ Regium loquitur maiestate regia, induẽs personã Regis in actu exercito (vt ita dicã) quãuis nõ præmiserit alia verba quibus in actu signato declarauerit se loqui in persona Regis. Minister Dei absoluens te à peccato dicit Absolute: *Suarez.*

Ego

Ego te absoluo. Hic vt minister Dei loquitur, non præmittens verba aliqua, quibus hoc significet.

ACTVS VIRTVALIS.

Actus virtualis est virtus seu vis agendi.
Actus formalis est ipsa actio.
Potentia formalis est potentia recipiendi formam, quam non habet (seu est potestas aliquid recipiendi formaliter).
Vinum habet actum formalem, id est, virtute calidum est, & habet vim calefactricẽ. Habet potentiam formalẽ, id est, cum actu frigidũ sit põt fieri calidũ.
Graue detentum per vim in loco superio *non habet per se actum virtualem, id est, vim mouendi se actu.*
Mucro plumbeus sagittæ per motũ aerẽ accẽdit atterẽdo, eumq; calefacit. Itaq; sagitta mota habet actũ caloris virtualem & potentiã formalẽ, quia est apta calorem, quem non habet, recipere.
Agens per emanationem, quia agit in se ipsum, habet actum virtualẽ cum actu formali, non aũt cum potẽtia formali. Itaq; huius agẽtis effectus nõ recipitur in eo, vt in subiecto, quas nugas blatit meus aduersarius, in quo est hoc agens seu hęc causa, à qua effect⁹ ille emanat.
Potentiã audiendi nõ recipit anima vt subiectum, sed Auris, quia animata est.

Canon.

Actu humidum potest virtualiter esse exsiccatiuũ. Exempli causa. Acetum est humidum actu, sed facultate exsiccatiuũ, quia per consumptionẽ humidi alimentalis factũ est siccius, quam vinũ, neq; ita humectat, quia recessit humiditas aquosa. Sic Alb. Magn. de propr. Elementor. Humores, inquit, licet sint actu Humidi, id est, formaliter, obtinẽt tamen virtutem cuiuslibet Elementi.

DE ACTV SIGNATO ET EXercito ex aliis Scholasticis.

Scholastici dicũt subsistere aliquid, habere aliquid, vẽdicare sibi aliquid in actu exercito vel signato. Hui⁹ phraseos intelligentia multos fugit: in actu signato est secũdũ conuenientiã alicui; In actu exercito est secũdũ realẽ existentiã seu actualẽ coniũctionẽ cũ aliquo: vt; substãtia singularis cõpleta per substãtiã in actu exercito est independẽs ab alio, eã p se ἀμέσως & primo participat subsistẽtia, primo afficit Subsistentiã indiuiduã in actu exercito, id est, per realẽ cõiunctionẽ substantiæ cõmuni, id est, generib. & specieb. in actu signato, id est, secundum conuenientiã primo attribuitur Subsistentiæ & per illam, itaq; secũdo singularibus. Quãtitates singulares, vt, hoc corpus, habẽt partes extra partes in actu exercito. Quãtitas vero cõmunis, vt corpus, quatenus est radix & principium habendi partes, prius partes extra partes sibi vendicat.

Vsus.

Ait Aristoteles Substantiã communẽ per se non subsistere: in Metaph. 7. text. 35. Atqui hoc aduersatur definitioni Substantiæ. Negat Aristoteles disputãs ibi cõtra ideas Platonicas, substantias cõmunes subsistere in actu exercito, à singularib. separatas: prima. n. substantia tantum in actu exercito subsistit & omnib. substat. Ei quod per se subsistit, repugnat Esse in alio, aiunt omnes Philosophi.

Resp. Ei quod per se subsistit vt Indiuiduo, in actu exercito, repugnat esse in alio. At non illi, quod per se subsistit in actu signato, vt Generi & speciei: Sic collegiũ Conimbric. Naturæ cõmunes non sunt suppositа seu subsistentia in actu exercito. Non enim existũt absq; omni prorsus dependentia & incõmunicabilitate: At in actu signato prius subsistunt, quam indiuidua. cap. 5. de Substant. quæst. 1. art. 1.

Risibilis quæritur an primo sit Socrates, an Homo? Resp. Vt subsistẽtia prima & in actu exercito *afficit* hoc aliquid. i. primã substantiã, vt Catonẽ: Secundã vero, vt hominem, aliquãto remotius & dependenter, à Prima: Ita risibilitas in actu exercito prius afficit Socratẽ (&

huius interuentu hominẽ.) At primo conuenit homini, & in actu signato eum denominat.

In actu signato est formaliter, in actu exercito est virtualiter seu ipso exercitio.

Quando Intellectus prædicat vnum de alio, actꝰ est exercitus, enũciatio, significans rẽ esse vel nõ esse, simul insinuat ac quasi in actu exercito asserit illud esse verũ. Enuntiatio significat in actu exercito suã cõformitatẽ ad obiectum.

Qui habet propositionem falsam pro vera, perinde attribuit p̃dicatũ subiecto, atq; is, qui verũ iudicat. Itaq; virtualiter, & in actu exercito cognoscit cõceptũ prædicati esse conformem subiecto.

Copulæ cõceptus vnus repræsentat etiã in actu signato. Hoc cõceptu apprehẽditur duorũ cõiunctio seorsum. Cum enim sit aliquid γνωστὸν, per medium entis percipi ab Intellectu poterit.

Alter conceptus copulæ est in actu exercito, qui repræsentat coniunctionem vt actu nectentem prædicatum cum subiecto. Itaque posterior hic conceptus enunciationem constituit.

Sunt quibus electio ad vitam æternam facta est in actu signato ab æterno: In tempore vero fit in actu exercito, post vocationem, vt actu electi sint obedientes Euangelio.

Aliud est mutua pecunia in actu signato, aliud in actu exercito. Ita loquuntur Scholastici. Sed quomodo iurecõsulti? Mutua pecunia aut nondum data est, licet ad mutuum sit destinata. (Hic actus signatus:) aut iam data est, (Hic actus exercitus.) Illa Mutua pecunia per Anticipationẽ dicitur, cum destinetur ad mutuum, licet adhuc non sit data. argumento leg. Malum nauis. §. vidua. ff. de verborum signif.

De Actu facultátis cognoscentis.

Actus cognitionis { Directus (Prior.)
Reflexus (posterior) cum illuc regreditur species, vnde egressa est seu emanauit: Recordatio est actus reflexus super actum cognoscendi iam elapsum.

DE ACTV VOLVNTATIS.

Actus voluntatis est Imperatiuus, Elicitus, vel Imperatus.

Imperatiuus est formaliter, vel virtualiter.

Actus formaliter Imperatiuus executionis est actualiter & efficaciter velle exequi vel sustinere aliquid simpliciter: vt si quis intẽtata sibi morte pro defẽsione fidei imperat potentiis inferioribus, vt sustineant mortem sine repugnantia, imperium hoc est actus imperatiuus. Sic diuitem velle pauperibus actualiter & efficaciter dare pecuniam, est imperare locomotrici facultati, & membris exterioribus exsecutionem, seu actu velle per membra dare pauperibus.

Actus Imperatiuus æquiualenter est velle aliquid conditionaliter, scilicet amoto impedimento: vt aliquem pauperi velle dare omnia sua propter Deum, modo haberet: Aliquem velle sustinere mortem pro defensione fidei propter Deigloriã, quę mors illi aliquando accidere possit, In pœnitẽtia velle punire seu vindicare peccatum. Huc pertinet actus iurandi interior, velle iurare.

Elicitus à voluntate est dictatus à ratione propter finem Bonum, (voluntas non potest elicere actum aliquem aut obiectum, nisi ante per intellectum apprehensus sit, & ipsi voluntati ostẽsus) vt est in Pœnitentia detestari peccatum displicentia peccati commissi, velle non peccasse, odium peccati.

Imperatus à voluntate, vt in pœnitentia castigatio sibi ipsi inflicta pro peccatis, seu exterior satisfactio, ex Gabr. Biel. Huc actus exterior iurandi, quo voluntas iurandi voce perficitur, pertinet: Imperatur enim ab interiore.

Actus

Actus Elicitus, inquiunt Scholastici veteres, velle ire ad Templum, est interne Vitiosus aut Honestus. Itaq; commutari non potest. Actus vero imperatus, vt actus vindicandi peccatum, ire ad templum, est extrinsecus & accidentaliter vitiosus & honestus denominatione externa. Hi possunt commutari pro diuersitate finium: vt Actus imperatus est punire peccatũ, vel sustinere pœnam inflictam. Is propter variationem circũstantiarũ manens idem in specie naturæ variatur secundum speciem moris. Hæc obscuriora sunt quæ alibi explicui.

Quidam etiam Logici, vt Rodol. Agricola & Iodocus Willich. ACTVS inter argumenta Logica ponunt: vt cum dicunt, definiri aliquid per natiuos actus, seu proprios actus.

In Iurisprudẽtia præter alias significationes notiores Actus significat ius eundi, ambulandi hominis, agendi iumentum vel vehiculum. Vid. Instit. D. Vulteij, & Disput. ex prælect. Huberti Giphanij. Statuit autem Duarenus ius eundi & ambulandi inesse actui ex interpretatione tantum & præsumpta paciscentium voluntate, non ex ipsa actus natura.

Nam qui actum concedit, multo magis etiam iter concedere videtur. Vid. lib. 1. Anniuers. disp. cap. 31. Cui, quod est plus, concessum est, ei quoque quod minus est, concessum esse videtur. Sed hæc ab ambulacris nostris alieniora.

In Poetica Actus pars est Comœdiæ vel Tragœdiæ. Hinc per Metaphoram Actus vitæ Hominis vsurpatur pro parte vitæ actæ, vt Extremus actus (vitæ) apud Ciceronem. Vide Poeticam Mauritianam.

Voluntatis actus positiui duo sunt, Velle & Nolle. Velle, quo voluntas acceptat obiectum, vt conueniens sibi vel alteri: vt Amare. *In voluntate duo actus Elicita.*

Nolle, quo voluntas refugit obiectum, vt inconueniens, vt odisse. Ad actum Positiuum refertur actus patientiæ, velle non impedire terribilia. Hoc enim est nolle impedire terribilia, seu velle pati talia.

Actus medius seu neuter dicitur suspensiuus, quo voluntas nec acceptat obiectum vt bonum, nec fugit vt malũ. Suspensio hæc voluntatis fit vel per actum negatiuum, vel per actum positiuum. Per Negatiuum, cum voluntas auertit se à præsente obiecto; vel non *aduertendo*, vel ad aliud se *conuertendo*. Per positiuum, quia vult non eligere. Idque vel ex propria libertate, vel quia imperat intellectui, vt amplius inquirat de obiecti conuenientia ac bonitate. Hic actus suspensiuus posterior potest reduci ad velle, quia est quoddã velle, nempe velle nõ elicere. Gabr. Biel l. 3. dist. 27. quæst. 1. Quidam Actus sunt Intellectus & Voluntatis simul. Exempli causa.

Actus Adorationis est
- *Exterior*: Genuflexio, Capitis nudatio, sacrificium Laudis.
- *Interior*; actus intellectus & voluntatis: vel affectus, quo feror in Deum vt summum bonum, actus Fidei, Charitatis & Spei.

Dici potest Actus Compositus.

ACTVALE.

Actuale 1. Potentiali opponitur, vt apud Scaligerum subtiliter libr. 3. de Causis Lat. linguæ ca. 73. cum inquit: Omnis numerus ternione continetur: Vnum Numeri initium tantum est (Non numerus) Dualis prim' numerus imperfectus (Numetus igitur) Ternio autẽ primus numerus verus (id est, perfectus.) Quod enim in æquales partes diuidi potest, Finiti habet rationem: quod non potest: Infiniti. Et Ternio

Potentialis est Numerus, qui in potentiam resolui potest: Actualis, qui in Numerũ.

ipse & Numerum continet, & Numeri principium : at Dualis non nisi in principium idq; vnum resolui potest. Itaq; Potentialis potius Numerus sit, quippe Numeri potentiam; id est, vnitatem bis continens. Ternio autem Actualis, qui quidem diuisibilem fecerit indiuisibilem. Quare Græci quoque περιττὸν nominauere, nempe quẽ si diuidas, inuenias Infiniti habere aliquam imaginem, quæ supersit.

Cur Ternarius περιττός.

2. Originale: etsi interdum, vni idemque Originale & Actuale tribuuntur: vt iustitia hominis ante lapsum fuit Originalis, quia concreata: Actualis, quia actu eam exercebat Homo, quamdiu stabat.

ACTVALITAS.

Actualitas prima, qua res existit, dicitur Esse: Paul. Scal. ita loquitur cum Barbaris, quorum hæc est distinctio.

Subiecti vel Accidentis { Potentialitas / Actualitas } Vtrumque enim (& Subiectum & accidens) vel potentia est, vel actu.

Actualitas Accidentis consistit in actu perfecto. Potentialitas accidentis est ipsa eius aptitudo seu inchoatio, seu actus imperfectus. Sic Caietanus. Risibilitas est inchoatio risus, quia aptitudo (quæ & radicalis denominatur) nihil aliud est, quam inchoatio quædam. Inchoatio autem est actus incompletus. Itaque accidentia secundum actum imperfectum dicuntur aptitudines.

Quędam accidentia sequuntur rei actualitatem, quædam potentialitatem. Esse & Bonum sequuntur actualitatem. Ex potentialitate prouenit accidentis imperfectio. Accidens accipere seu considerare secundum suam actualitatem est accipere secundum suam essentiam.

Materia actuatur forma, cum exhibetur conspicienda sub certa forma.

ACTVOSVM.

Actuosum est operosum: vt virtus est actuosa. Hinc Actuosè: quod opponitur τῷ Remisse & Leniter à Cicerone, vt Actuosè dicere.

ACTVARE.

Actuare Barbarorum est pro perficere, seu actũ dare, seu formare. Ita Actuatio pro formatione. Estque eorum quæ non per se existunt. Sic dicunt Barbari Actuatiue pro informatiue. Lat. per informationem: per actum. Anima est in corpore informatiue, hoc est, viuificat corpus propter actualem coniunctionis essentialis nexum, seu mutuum vnionis vinculum.

ACTV ESSE:

IN ACTV ESSE.

Aliud est Actus, aliud actu esse, & in Actu esse. Actu & potestate quę sunt, omnia sunt naturalia, inquit Iohan. Grammaticus. Actu sunt, quia habent aliquam formam: potentia sunt, quia aliam formam per successionem habere seu induere possunt. 3. Physic. text. 1. Eidem actu esse est reuera & simpliciter esse seu in rerum natura esse. Ita quoque Ammonius & Albert. Magn.

Esse vero in actu est esse in operatione (Pulcrum si miles fortis moriatur in actu.)

Sed à Scholasticis non semper hoc discrimen obseruatur. Interdum enim dicunt existere in actu, pro existere actu. Sic dicitur ab interprete Auerrois. Accidẽtis subiectum est corpus compositum ex materia & forma, & est aliud existens in actu: & non indiget in

suo

suo esse (vel ad suum εἶναι) accidente: Id est, non indiget accidente vt fulcro ad subsistendum.

Accid. Subiectum est corpus.) Ne intelligas hoc exclusiue. Nam accidentia conueniunt compositis & formis, quę sunt in subiecto, formis immaterialibus non conueniunt, ait Iamblicus de mystèrijs: quanquam ego mentibus quoque creatis accidentia attribuere non vereor, scilicet νοερὰ & πνευματικὰ, vt subiectis illis consentanea.

Nūs creati etiam habent accidentia.

Actu inesse distinguitur ab Inesse Virtualiter. Calefactio passiua Inest aquæ actualiter, aqua enim actionem ignis excipit; sed calefactio actiua inest igni virtualiter, quia vis θερμαντικὴ inest in igne. Ex hac distinctione explicatur illud: Dici de aliquo requirit inesse.

ACTIVITAS,

Maior, Minor.

Actiuitas est vis agendi, vt; Agēs minoris aut maioris actiuitatis. Agens maioris actiuitatis, id est, efficacius seu actuosius. Quod vel intensius vel celerius operatur, quod producit effectū vel maiori intensione, vel maiore celeritate; Vt minoris Actiuitatis, quod remissius vel tardius operatur.

Opponitur ei Passiuitas, vt, satis vexata quæstio est de passiuitate liberi arbitrij in hominis conuersione, & Receptiuitas vis recipiendi.

Actiuitas finita est, vel infinita. Vid. Zabar. l. 8. Phys. Item propria (οἰκεῖα) vel aduentitia.

ACTIVVM.

Actiuum accipitur Generaliter & Specialiter. Generaliter, vt comprehendat & practicum, & effectiuum, & contemplatiuum, (nam contemplatio quoque quædam actio est) & quodlibet operatiuum. Sic Musica tam Poetica, quam Vocalis actiua dicitur.

Specialiter appropriatur Ethicis seu Moralibus. Adde quod actiuum proprie est habentis vim agendi: Improprie est Agens, id est, id quod actu agit.

In Ethicis vita Actiua distinguitur à contemplatiua, effectiua, voluptaria. Sic & Actiua Felicitas à contemplatiua. Vita actiua est prudentium & honeste viuentium: Contemplatiua sapientium, qui abstrusas rerum causas inuestigant. Effectiua opificum. Voluptaria turpiter otiosorum. Felicitas actiua prudentia, Contemplatiua sapientia comparatur.

Actiuæ vitæ respectu homo dicitur Bonus absolute seu simpliciter, sed ratione Contemplatiuæ bonus speculator.

In Physicis ποιητικαὶ, seu δραστικαὶ, seu Actiuæ Qualitates dicuntur, quæ habent vim agendi; quibus opponuntur παθητικαὶ, quæ actionem excipiunt, quas & ὑλικὰς vocant. Illæ sunt Calor & Frigus: Hæ Humiditas & Siccitas. Aristot. 2. de Generat. & corrupt.

Alijs, præsertim recentioribus, Actiuæ qualitates dicũtur comparate, & sunt, quæ habent maiorem vim ad agendum, & minorem ad resistendum actioni, vt Calor & Frigus: Passiuæ, quæ habent se contrario modo, vt Humiditas, & Siccitas. Vide Dilucidationes Physicas Archang. Mercenarij.

Canon Auerrois.

Quodlibet corpus conseruatur, quandiu qualitates passiuę ab actiuis reguntur: Corrumpuntur contra, quam primum passiuæ actiuis dominãtur. Probatur hoc calore naturali vigente vel exhalante in vino.

ACVMEN, ACVTVS.

1. Acumen proprie Hebetudini oppo- *Descriptio*

Acuminis καὶ δίσυ χάρυ.

nitur. Per Metaphotam 1. Acumen est solertia artis, qua perspicue verum à falso distinguitur. Non est, vt imperiti putant, quo aliquis manifestam veritatem aut falsis inuoluit, & implicat (non demonstrat) rationibus, aut fallacibus detorquet & peruertit argumentis ad falsitatem, vt nimirum vera videantur falsa esse, & quæ falsa habeantur pro veris. Itaque acuti vere non sunt, qui fuco quodam rationis ineruditis illudunt & venditant subdole falsa pro veris, quod est Sophistarum. 15. Demonstr. Schegk. p. 438.

2. Acumen est ingenii perspicuitas.

3. Dicitur etiam de voce & visu, item de auditu & sapore.

Acuitas pro Acumine Barbarum est.

Acutus, vocis sonus in Grammaticis est accentus Acutus.

De angulo acuto, plano, rectilineo Geometrarũ Scholæ. Angustus is est, minor normali. Hinc, puto, dicitur Acutifolium, quod Græcis est oxytriphyllum, Antonio Percinio Acutrifolium.

De morbis *acutis* (vt febre acuta,) qui non sunt diuturni, Medici.

Barbari acrem saporem (δριμὺν,) qualis est in Zinzibere, pipere, cœpis, allijs, dixere acutum. Ioach. Cureus Freistadiensis in libello Phys. de sensu & sensibilibus.

ACIES.

Acies primo telorum, vt securium, gladiorum, cultrorum est.

Deinde transfertur ad oculos & mentem seu ingenium. Dicitur enim acies ingenij & mentis, acies oculorum hebes: Pupilla etiam à Cicerone videtur dici acies; Acies ipsa, qua cernimus, quæ pupula vocatur: De Natur. Deor. Idem dixit aciem forensem, vt in aciem forensem educere vel deducere. Accipitur enim acies etiam pro dimicatione, vt cum dicimus cum Cicerone, In aciem dimicationem- que veniamus. In Institutionibus iuris est, Filij, qui in acie amittuntur.

Vegetius accipit aciem pro instructo exercitu, l. 3. cap. 14. Et Cicero aciem exercitus, & aciem instruere dixit.

A D.

Scholastici Doctores nonnulli vtiliter & subtiliter in doctrina Relatorum A D distinguunt à particula P E R. Nam Th. Caietanus in prædic. inquit: Relatiua definiuntur AD Reliquum, non autem P E R Reliquum. Nam P E R particula Causale significat: AD autem vel Terminum, vel σχέσιν seu habitudinem; cuiusmodi eorum est, quæ dicuntur τὰ πρός τι (Ad aliquid.) Itaque Quod refertur, debet essentiam ei, ad quod refertur. Albert. Magn. in Prędicam. Relata cum definiuntur, relationem (quæ est referendi ratio) pro genere sumunt, Correlatiuum ad quod est, pro differentia. Dominus est, qui dominatur seruo: habet igitur seruũ. Seruus est, qui seruit Domino. Habet igitur Dominum.

Vtilis, nec futilis distinctio.

Quid Relatio?

Forma relati est affectio seu relatio ad correlatum. Forma correlati est affectio seu relatio, seu σχέσις ad relatum. Correlatorum igitur mutua huius ad illud, & illius ad hoc, σχέσις ordoque forma est.

Hic A D & Per in vna enuntiatione coniunguntur. Pater refertur ad Filium per paternitatem, formalem vnionem.

Significatio Termini hic manifesta est: Generatio terminatur per se primo ad compositum: Augmentatio terminatur ad perfectam quantitatem. Armand. tractat. 2. de prædic. Relatorum.

Præpositio A D importat quendam respectum, & quandam dependentiam.

ADDITAMENTVM,

ADDITIO.

1. Additamentum est quod additur alicui

cui ad perfectionem vel amplificationem. Iohan. Grammaticus Philoponus in Comment. in l. 1. de Generat. & corrupt. Quoniam generatio quædam est, etiam alteratio ipsa non simplex, neque propria generatio, *sed cum additione aliqua Generatio*: Iccirco Aristoteles addidit τὸ simplex, dicens, generationem, quę simplex vocatur, &c.

2. Accidentium definitio per subiectum dicitur definitio facta per additamentum, id est per aliquod, quod eorum naturæ additum ac aduentitium est, per aliquid foris assumptum. Ita per materiam definiuntur formæ, tanquam per rem externam & aduentiam.

Funguntur autem in propriorum accidentium definitione subiecta munere differentiæ, sicut materia instar differentiæ est in definitione Formæ Physicæ. Genera hic ponuntur loco formæ. Alias dicitur Adiectio, accessio, προσθήκη. Hæc est vel essentialis, vel accidentalis. Essentialis, vt in definitione affectionum subiecti. Accidentalis, quæ abesse potest.

Additio in Grammatica est Elementi ad caput syllabæ adiectio, vt θάμα pro ἅμα (simul.) Oppositæ ei ablatio ἀφαίρεσις, vt κεῖνος, pro ἐκεῖνος.

In Doctrina Sphærica dies naturalis definitur spatium, quo integer Æquinoctialis, seu tota Sphæra vna cum additamento motui Solis proprio respondente reuoluitur. Hic additamentum est portio Æquinoctialis seu Æquatoris, quæ motui Solis sub Ecliptica proprio respondet.

Cum enim Sol motu suo proprio annuo totum Zodiacum perambulet, progrediens quotidie vno fere gradu, necesse est ipsum postero quouis die in & cum alio gradu Ecliptica ad meridianum vel horizontem redire. Quo fit, vt dies naturalis non ante absolutus esse possit, quam vltra integram Æquatoris reuolutionem tanta portio accedat, quanta debetur ei gradui Ecliptica, quem interea Sol confecit. Ex Abrahamo Sculteto sic definiri potest: Additamentum (diurnum) est tanta portio, quantam Sol conficit accessu & recessu suo ab Æquatore, tempore eo, quo Sol arcum paralleli sui diurnum percurrit.

AD EXTRA.

Sic loquuntur D. Scholastici barbare, pro eo quod est EXTERNVM. Externus, in materia externa, vt; opera Dei ad extra, id est externa, creaturas vt obiecta effectave respicientia: vel Elliptice, pro, Actiones Dei extra tendentes, etsi non sint extra Deum, cum à Deo proficiscantur.

Oppon. AD INTRA, id est, immanentia.

Ars est principium Agendi ad extra, id est, in materie externa, vt; Ars fabrilis est principium motus non in eo, quo est, id est in fabro, sed in materia externa. Natura agit ad extra, quando ignis ex sua natura calefacit lignum.

Habitus à nobis acquisiti, vt virtutes & vitia, sunt principia agendi ad extra aliquid in hominum consortio, ait Zabar. l. 2. Phys.

Ars Medici est principium agendi per se in aliud, non in se ipsum. Zabar. Pro, extrinsecus vel foris barbari dicunt ab, extra, quod non imitaberis. Græci dicunt ἔξωθεν.

AD EXTREMVM.

Pro omnino vel denique accipit Montecatinus, vt Horum trium vocabulorum, Dubitatio, Quæstio, Controuersia, ad extremum eadem vis est.

AD ÆQVATVM.

Æquale amplitudine alteri, æque late patens, reciprocans cum altero, nec excedens aliquid, nec excessum ab ali-

quo, vt; Scientiæ alicuius subiectum adæquatum est, in quo neque heterogeneum præceptum vllum est inclusum, nec homogeneum disciplinæ vllum exclusum. Græcis est ἐξισάζον: etsi hoc sonet actiue adæquans, vt Physicæ scientiæ subiectum adæquatum est corpus Naturale. Sic Dialectici ἐξισάζοντα voçant conuertibilia, quæ inter se vicissim subiecti & prædicati vicem obtinent, quæ reciprocantur. Eadem dicuntur ἀντιστρέφοντα (reciproca) & ἀντικατηγορούμενα à Philopono. Huic prædicatio talis dicitur Anticategoria, à Claud. Alberio in organ.

INADÆQVATE, SVBIECTIVE ESSE IN aliquo.

Scholasticorum hæc locutio est, qua significatur esse in subiecto nõ adæquato aliquod accidens, vt si dicatur potentia sentiendi, quæ qualitas est, esse in organo corporeo. Hæc enim potẽtia est in coniuncto, seu cõposito, nõ est propria animę neq; corporis. Tho. Aq. & Arist. lib. de Somno & vigil. ca. 1.

Adæquata causa est (quam vulgo Scholast. vocant præcisam) qua posita ponitur per se effectus, qua ablata, per se aufertur, quæ satisfacit quæstioni propter quid, & in se omniũ causarum remotarum vires includit. Hęc etiam vocatur summa text. 38. l. 2. Phys. interprete Zabar. & Auerroe. Alias immediata & prima (vt homo ædificat, quia tenet artem ædificandi) quanquam vox prima ambigua est, quia interdum causa prima significat remotam, quæ causa causæ est, non proxima effectui.

In Arithmeticis *æquata Numeratio* est, cui æqualitas legem præscribit, qualis est Additio, aut Subductio. Ei è regione respondet Numeratio Proportionata, cum proportio legem præscribit; estque multiplicatio, vel diuisio, Bernhardus Salignacus l. 1. Arith. c. 3. & 4. Eccur proportionata? Quia factus est multiplex alterius factoris cognominis reliquo, vt 6. factus à 3. per 3. est ternarij duplex, binarij triplex 12. factus à 4. per 3. est 4. triplex. 3. quadruplex, id est, bis tantus, ter tantus, quater tãtus: & vt 1. est ad multiplicãtem: sic multiplicandus ad factũ. 2. vt diuidendus ad diuisorem; sic quotus est ad 1. Hæc analogia, hæc multiplicitas non habet locum in Additione & subtractione; Alia consideratione additio & subtractio ad partem Arithmeticæ simplicẽ (quæ considerat simplicem Numeri naturam:) Multiplicatio vero & diuisio ad partem comparatiuam refertur, quæ explicat comparationem numerorum in quantitate & qualitate: quo Rationum & proportionum doctrina pertinet.

In Polemica acies æquata dicitur, in qua longitudinem latitudo æquat, quę dispositio dicitur acies quadrata, seu agmen quadratum.

. . . .
. . . . Huic opponitur acies longior quam latior, quæ ideo oblonga
. . . . dicitur, Vt:
. . . .

. . . . . .
. . . . . Hic bini milites ordinem faciunt,

& acies longior quam latior est octo ordinum, vide Tacticos de commut. Aciei, & Petri Ram. Arithmet. Emendat. à Schonero libr. 1. cap. 6. de numero pariter pari, id est, pari tantum diuiduo à pari per parem, qui numerus ad acies permutandum opportunus & accommodatus est. Ælian. cap. de Re Milit. Qualis est 16.

ADÆQVATIO.

Adequatio vno modo intelligitur secundum æqualitatem quantitatis: Altero secundum quandam proportionem, Thom. de animal. motu.

Adæquatio aut est proprie dicta, aut improprie. Proprie dicta consistit in perfecta æqualitate, ideoque nullos admittit gradus, id est, nec magis nec minus.

Improprie dicta consistit in imitatione. Huius Distinctionis vsus est in Disputatione quæstionis: An veritas (Entis Proprietas) sit adequatio rei & intellectus? Hic Resp. Res esse veras, vel quia priori, vel quia posteriori modo adæquantur seu respondent diuino intellectui, id est, conceptui, quem Deus habet de rebus.

Eadem distinctio est si dicas. Adæquatio aut est perfecta, aut imperfecta. Quo fit, vt etiam simplex (nam de veritate complexa seu pronuntiatorum, hic non loquimur) veritas sit perfecta vel imperfecta. Itaque res alia alia verior: Deus autē Ens verissimum; quia ipse solus perfecte adæquatur conceptui, quem de perfecto Ente habet, Vid. Fonsec. Metaph. Arist. l. 2. ca. 2. p. 290.

ADSIGNIFICARE.

Adsignificare (προσσημαίνειν) est accessione significare. Adsignificatio Græcis est προσσημασία, vt verbalia, quæ alijs linguis temporis προσσημασίᾳ carent; Hebraismo sæpe præsens tempus adsignificant, hoc est, pro participio temporis præsentis ponuntur, vt vicissa; vsitata linguæ Hebreæ notione sæpe verba eorumq; participia absolutū tur tempore & alijs circumstantijs, ipsam modo rē (puta qualitatem, ἐνέργειαν, ἀπόλεσμα aliquod) significantia absque προσσημασίᾳ circumstantiarum quarumlibet.

Hebraismi notatio.

ADSIGNIFICATIO.

Dicuntur & subiectum & prædicatum, vt vocabula artis seu Technologica tūpta, ADSIGNIFICANTIA, respectu hominis & animalis, quæ sunt SIGNIFICANTIA. Sicut in Grammatica, Numerus, Casus, Declinatio, Persona, Species, & similia accidētia sunt Adsignificantia respectu Significantium, Amo, Magister, Ego, quorum (vt significantium) hęc attributa sunt ἐξ-νικά.

Adsignificationum potissimum est Grāmatica, significationū vero Lexicon. Sic dicunt Grammatici, Subiunctiuo modo dubitationem vel conditionē, vel aliquid simile adsignificari. Petr. Ra. li. 2. Schol. Gram. Etymologia est prima pars Grammaticæ, quæ vocum naturam interpretatur, non in significationibus, sed in proprietatum adsignificationibus, quales sunt in Nomine & verbo flexiones, in illo etiam genera, comparationes, casus: in hoc tēpora & Personæ.

Et l. 16. Grammaticæ propositum non est singularum vocum significationes explicare, sed vsum.

ADSITA.

Propter eos, qui confundunt inter se ex inscitia inhærentia & extrinsecus adiuncta, recte distinguuntur argumenta vel adiuncta vel accidentia in insita & adsita. Insita sunt, quæ ipsi rei inhærēt. Adsita (salua fide Latinitatis ita loqui videor) quæ extrinsecus adhęrent. Insita argumēta, verbi gratia, sunt quę sumūtur à materia, vel forma. Adsita, verbi gratia, quę à circumstantijs rei. Humiditas aquæ insita est; Spōgię adsita. vid. Iun. disp. 4. de auctorit. Script.

Vsus.

Elegās quęstio est, cū charta alba scriptione imbuitur atramento, & ita fit nigra seu atra, vtrū charta, an vero atramētū sit subiectū ἐν ᾧ nigroris? resp. nigrorē hūc esse insitū seu inhęrere atramēto, cuius est essentia; hoc est, quod Scal. ait ex. 325. l. 19. Nigror suo in subiecto est,

quippe atramenti ſubſtantia, chartæ ipſi inſitam eſſe albedinem, nigredinem vero adſitam & extraneam. Vnde Scaliger ait, Nigredinem eſſe ſuper hac charta. Non enim nigra facta eſt charta per cãdoris abolitionem: nam charta, in qua atramento aliquid ſcriptum eſt, etiam nunc ſubtus alba eſt, ſed non apparet candor ex ſuperinductione atramenti, id eſt, quia tectus eſt atramento. Cum autem atramentum ita imbibitum eſt à charta, vt nihil humiditatis ſuperſit, & atramenti οὐσία exſpirauerit, tunc ſubiectum nigroris non eſt amplius atramẽtum, ſed charta, cui ille impreſſus eſt.

Albor in charta eſt detritus, non extritus, qui apparebit ibi, ſi radas cultello ſculptorio.

Adſita Phyſicis ſunt iuxta ſata.

ADSTIPVLATIVE ſe habere.

Adſtipulari in Politicis defendere eſt, vt adſtipulator defenſor.

Adſtipulatiue in Diſp. de Libero arbitrio & Hominis ad Deum conuerſione Scholaſticorum eſt, vt cum dicunt: In conuerſione vel regeneratione voluntas reſpectu præcedentis gratiæ habet ſe adſtipulatiue, quia vult, aſſentitur, & eligit. H. Godeſchalcus Prætorius de Libero Arbit. th. 16. Anno 53. Magdeburg. contra Monoloergiſtas.

Atque hoc ipſum eſt, quod Iacobus Schegk. in comment. in lib. περὶ ἑρμην. Ariſt. ait, non modo παθητικῶς, ſed etiam πρακτικῶς & συνεργητικῶς ſuo modo voluntatem noſtram concurrere cum Spiritu Sancto, vt iuſtitię Dei homo fiat particeps, cum ipſum velle ſimpliciter proficiſcatur à voluntate, quæ δύναμις eſt ἐνεργητικὴ (potentia actiua) per eſſentiam libera. Signate dicitur, ſimpliciter, quia Bene ac Salutariter velle ex alio principio, nempe diuino prouenit. Τὸ adſtipulatiue declaro, eaque declaratione meam ſententiam de hoc Fidei capite profiteor. Quod attinet ad ἐνέργειαν (efficaciam & potentiam) Spiritus Sancti, qua immutatur & diſponitur animus noſter, hoc eſt, à Spiritu Sancto mens illuſtratur & voluntas mouetur; animus noſter paſſiue ſe habet; ſed ad ASSENSVM habet ſe actiue. Ipſi enim ſumus, qui & intelligimus & volumus & conſentimus, dum credimus ijs, quæ proponuntur. Non enim efficacia illa & gratia Spiritus Sancti cogit ſeu infert violentiam animis, vt inuiti velint, quod volunt, aut nolentes credant, ſed flexione tractioneve placida ac ſuaui ex nolentibus facit volentes: ſicut ait Chryſoſt. in Gal. 3. Gratia Spiritus Sancti non venit εἰς προσπεπουκόλα (in Repellentem,) & Auguſtinus in libro de Spiritu & litera cap. 34. Conſentire vocationi Dei (gratia ſua præuenientis) vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.

AD VNVM.

Ad vnum, πρὸς ἕν, ſeu communiter ad vnũ, ſeu Homonymum AD vnum, eſt nomen ambiguum, quod tribuitur diuerſis rebus, quarum vna ad alteram, tanquam ad principalius quoad ſuam naturam, ordinem habet. Zabar. c. 10. de Scient. Natural. conſtitutione conſule.

De hoc genere homonymorum Philoſ. Scherbius: Communia, inquit, ad vnum primo ſpeciem quandam vnam (ſi ſpecies appellare licet, gradus potius in quibuſdam dixeris) menti proponunt: ad quam ἐφεξῆς & ordine quodam reliquæ referuntur, & ab ea dependent: vnde πρὸς ἕν & ἀφ' ἑνὸς dicuntur. Sic Ammonio τὰ ἀφ' ἑνὸς dicuntur ἀπὸ ποιητικοῦ τινὸς αἰτίου, τὰ δὲ πρὸς ἓν ἀπὸ τέλους, id eſt, ab vno dicuntur ab efficiente aliqua cauſa, ad vnum vero à fine. Dicuntur etiam πρὸς μίαν ἀρχὴν, & πρὸς μίαν φύσιν, ad vnum principium, ad vnam naturam, & πρὸς τὸ αὐτὸ τὸ εἶδος aliquo modo καθ' ἕν, Vid. Ariſt.

Arist. 4.& 12.Metaph.3.Polit.Alexander 1.Prior. vocat hæc communia ea, in quibus est ordo, ita vt aliud sit primum, aliud posterius, vnde & prædicantur καθ' ἕτερον καὶ καθ' ὕστερον. Opponuntur his & vere, id est, sincere Synonyma, quæ dicuntur καθ' ἑνὸς φύσιν, secundum vnam & eandem naturam, ac simpliciter καθ' ἕν; & pure homonyma, quæ solum nomen commune habent. Huius generis est Eruca, cum enim dicitur de herba & de verme, nihil affert secum præter nudum nomen. Sanum commune ad vnum est. Dicitur quidem tum de corpore sano, tum de cibo, tum de colore, sed καθ' ἕτερον de corpore. Id enim formaliter, id est, secundum modum affectionis & est & dicitur sanum; καθ' ὕστερον vero de reliquis. Ea enim sana quidem dicuntur, formaliter tamen non sunt. Sanitas enim est affectio rerum solum animatarũ. Nihilominus referũtur hæc ad sanitatem illam corporis, quatenus eam vel conseruant, (vt cibus) vel ostendunt (vt color.)

Diuisio.

Quædam autem communia ad vnum propius accedunt ad naturam pure Synonymorum: quædam ad naturam vere homonymorum: quædam tanquam Media inter hęc interiecta sunt.

Ad Synonyma prope accedunt illa, in quibus species omnes formaliter sunt tales, quales esse dicũtur; vt anima nutriens, sentiens, intelligẽs; In his enim quamuis ordo sit, & altera alterã priorem agnoscat, primo enim viuit fœtus anima nutriente, deinde sentiente, & omnes tamen sua natura non tantum externa denominatione animæ sunt. Huius generis fortassis est motus.

Cum veris homonymis magnam habẽt affinitatem ea, quorum primum tantum significatum formaliter & interne est tale, reliqua dicuntur solum talia externa quadam appellatione & relatione certa ad illud primum. Ex hoc Genere sunt Ens, Sanum, ἰατρικὸν (medicum.)

65

Media videntur ea, in quibus primarium illud eximie, omnibusque numeris est tale, cætera sunt etiam talia, sed imperfectius & pauciorib. numeris, vt Demonstratio. Nam quamuis ὅτι ἐστὶ Demonstratio sit imperfectior & paucioribus notis prædita, quam princeps Demonstrationis forma, quæ dicitur Διότι, est tamen Demonstratio. Eodem modo Natura corpori cœlesti & sublunaribus tribuitur: primo tamen e sublunaribus dicitur, in quibus Natura clarissime conspicitur, cum omnis generis motui subijciantur.

At cœlum præter localem motum nullum habet. Ph. Scherb. disput. de com. ad vnum, eorumque explicandorum ratione.

Ad hoc genus recte nomen ciuis in politicis seu libris de Republ. Aristotelis reducitur.

ADIVNCTVM.

Adiunctum Metaphysice sumptum Ens est, cui aliquid subijcitur, vt virtus, quę adiungitur animo. Logice vero est argumentum, quod vi adiuncti arguit subiectum. Ramei ita accipiunt generaliter pro proprio & cõmuni, quod præter essentiam rei accedit, ita vt non solum accidens, sed & substantia adiunctum alicuius esse possit.

Alij vero pro plerumque & communiter contingente seu accidente; eique opponunt perpetuum accidens, quod vocant προσκείμενον, id est, adiacens.

Alij denique adiuncta faciunt tum interna, vt ornamenta, quæ inesse alicui debent, tum externa, quæ semper comitantur rem natura vel ordinatione aliqua, vt Recte facta comitatur Gloria, hoc est, comprobatio in bonis vere iudicantibus. Vmbra comitatur corpus

positum ad lumen. Atrocia delicta comitantur pœnæ, quæ tamen effecti rationem habere mihi videntur. Petrus Pellicanus in com. in orat. Cic. pro A. Cecinna: Quæ ita antecedunt rem aliquam, aut sequuntur, aut cum ea cohærent, vt nulla tamen præcedendi, cohærendi, aut sequendi intercedat necessitas, ea adiuncta quidam vocant. Rod. Agric. partim Cõtingentia, partim Applicita vocat. Verbi causa cædem *præcedere* solet verborum contentio (ex verbis verbera, ex verberibus cædes,) *Cohærere* vel vox eius, qui cædẽ feciſſe arguitur, vel occisi vociferatio aut gemitus, vel aliud quippiam hisce non vsquequaq; dissimile: *Sequi* fuga, timor, latebræ, trepida ac inconstans responsio, quorum omnium nihil est, quod necessario cum cæde iunctũ sit.

Vltimo accipitur adiunctum vel adiuncta res pro coniuncta seu connexa annexaue alteri, vt hæc altera res, cui cõiuncta est illa, proprie non habeat rationem subiecti, etiamsi ita accipientibus nonnullis videatur. Sic accepit Ioh. Piscat. in exercit. 4. Log. l. 1. ad Adolph. Scribon.

Nulla omnino generatio corruptio quędam est, nec item vlla corruptio generatio quædam est (contraria enim hæc sunt, & qua aliquid corrumpitur, eatenus non procreatur; & dum corrumpitur ouum, non procreatur ouum,) quamuis omnis generatio corruptionem, & omnis item corruptio generationem quandam sibi adiunctam habeat (id est coniunctam.) Ex. gr. Generatio gallinæ habet sibi adiũctam corruptionem oui: quippe dum gallina generatur, ouum interea corrumpitur, & vicissim corruptio oui adiunctam sibi habet generationem vel gallinæ, vel Elementorum, in quæ resoluitur. Hic adiuncta pro connexis accipiuntur, non pro adiunctis, quibus subiecta respondent. Cum enim, si proprie loqui, vel differere potiꝰ velimus, Generatio gallinæ non magis sit subiectum corruptionis oui, quam corruptio oui est subiectum generationis gallinæ, nec corruptio oui erit adiunctum generationis gallinæ, nec generatio gallinæ erit adiunctum corruptioni oui. Adde quod dum hoc corrumpitur, aliud procreatur, & dum hoc procreatur, aliud corrumpitur. Generatio igitur seu procreatio & corruptio cõnexa sunt. Vide particul. QVATENVS.

Adiunctum proprium nonnullis, vt Ioh. Piscat. in exercit. Logic. est οὐσιῶδες, essentiale, vel περιστατικὸν circumstantiale.

Essentiale, quod inest subiecto suo essentialiter. Circumstãtiale seu externum, quod adhæret & circumstat: vt diadema regale, quod necessario regem esse arguit. Proprium adiunctum Ciceronis adolescentis erat, vt à pueris condiscipulis honoris gratia medius deduceretur. Sed comitatus ille & deductio non erat essentialis proprietas Ciceronis.

Adiunctorum alia ante rem, alia cum re, alia post rem Cicero facit in Topic. sicut signa probabilia Rhetoribus sunt vel factum antecedentia, vel quæ sunt in facto (vel cum euentu coniuncta,) vel factum sequentia. Ante factum, vt apparatus, colloquia, constitutum cõuiuium. Cum re, strepitus hominum, corporum vmbræ, pedum crepitus, & si quid eiusmodi. Post rem, gladius cruentus, rubor, pallor, titubatio, & si qua sunt alia signa conturbationis & conscientiæ.

ADVENA, ACCOLA.

Accola, Græce πάροικος, ἔποικος, proprie est, qui prope aliquem locum habitat, vt Accola templi, accola montis, Rheni: Maxime enim proprie iuxta flumina sunt accolæ.

Aduena vero est, qui aliunde aduenit, ita vt sit ἄνοικος, sine lare seu domicilio. Dicitur etiam Peregrinus & Proselytus (προσήλυτος) etsi ea voce in Actis Apostolorum Lucas eos intelligat, qui quamuis diuersæ sectæ, in ius Mosaicę legis recepti essent.

Incola fixit sedem domiciliumque constituit, seu in aliquam ciuitatem ea mente habitatum venit, vt ibi perpetuo versetur, summamque rerum suarum habeat. Abstractus eius est Incolatus.

Conuena sunt habitatores collectitij, sic dicti, quod plures ex diuersis regionibus in vnum locum conuenerunt. Vide Alciatum in com. de verborũ sign.

Inquilinus proprie est qui in vrbe vel pago domum alienam conductam mercede incolit. Is etiam ciuis esse potest. Sallust.

ADVERSARIVS.

Aduersarius accipi & Substantiue & adiectiue ἀντίδικον, (non est dubium.) Vis iuri aduersaria est, id est aduersa. Hic adiect.

Nulla est sine aduersario luctatio, Iambicus Senarius è Cicerone, ohne Widerpart. Aduersarius grauis vel fortis. Hic subst.

Sed cum Cicero in epist. dicit: Est enim tibi grauis aduersaria constituta; hic dubium, sitne Aduersaria Substãtiuũ, an Adiectiuum? Resp. Substantiuũ est, si interpreteris certamen, vt sensus sit: Est tibi acre quoddam & difficile certamen gloriæ studium, quod contentione & industria est superandum. Adiectiuum est, si accipias Elliptice: Est tibi grauis aduersaria, supple pars, du hast für dir ein ernstes Widerpart.

Porro aduersarius adiectiue seu ἐπιθέτως etiam accipi argumento est genus neutrũ, Aduersarium. Cic. Sua cõfirmare, aduersaria euertere, id est oppositas rationes.

Aduersaria aduersariorum sunt tabulæ rationum tumultuarie & negligenter confectæ, quæ iccirco conscribuntur, ne res memoria excidant.

ADIECTIO, προσβολή.

1. Adiectio est adiunctio vel accessio, vt adiectio familiæ. Cic.
2. Interdum idem est Adiectio quod Metaplasmus ille Grammaticus, quo litera syllabave fini adijcitur, dicier pro dici, quam nonnulli vocãt Adductionem, multi etiam Paragogen.
3. Adiectio Syllabica Grammaticis est appendix dictionis extra cõpositionem nihil significãs, in compositione vero addens aliquid significationi dictionis (cui adiecta est, seu qui cũ cõponitur.) Tales sunt Met, Pte, Te, Ce, Piã, vt Egomet, Meapte, Tute, Hosce, Quispiã. Interdũ duæ cõiungũtur, vt Tutemet.
4. In Politicis Adiectio nõnunquã acquisitionẽ quandã significat. In vsucapione non acquiritur Dominiũ ex Domini vero & naturali cõsensu, sed ex facto legis. Itaq; in definitione vsucapionis nõ simpliciter acquisitio dominij, sed adiectio appellatur, quæ vox significat eam acquisitionem, quæ sola legis authoritate defenditur. Alc. in comm. in Codic. Iust. de pactis pag. 230.

Adiectio igitur dominij est, cum verum dominium non transfertur ex consensu, sed ex authoritate legis.

5. In Logicis Adiectio est, quod adijcitur subiecto vel prædicato sententiæ: verbi gratia, coarctatio seu limitatio quædam vel extensio.

Canon.

Verba etiam generalissima per adiectionem restringuntur: Quo vsus quoque est Iurisconsultus D. Andreas Alciat. in com. de verb. significat.

ÆGRITVDO.

Ægritudo vel est dolor corporis, vt neruorum; vel est Dolor Animi, Græce λύπη, cui contraria est lætitia. Hæc duo in affectib. extrema sunt, in quib. natura animantis vel acquiescit, vel

affligitur, & respondent his in neruis delectatio & dolor, de quo iã meminimus. In lætitia bonum, in ægritudine malum præsens est, siue verum, siue opinatum. Sed hæc & malum præsens auersatur ac refugit. Illa vero bonum præsens, quo fruitur, appetit. De priori ægritudinis genere intelligatur hoc Platonis in Phædone: Ægritudo & voluptas animum corpori affigit, & quasi fibula innectit, & quasi corporeum efficit. De posteriori, cum ait: Inter ægrotum & sanum nihil est medium: Necesse enim est (inquit) omnem hominem vel ægrotare vel non ægrotare: quod postea ad animum accõmodat (necesse est hominẽ ægrotare animo, vel non ægrotare animo.) Socrates. Arbitrarisne hominẽ vel sapientẽ vel insipientem esse oportere? an tertiã quãdam veluti intermediam affectionem inesse, quæ hominem neq; sapientem, neque insipientem efficiat? Alc. Nequaquam.

ÆNIGMA.

Ænigma obscura
- Oratio, rem notam, quam significat, ambagibus tegens.
  - Oratorium.
  - Poeticum.
- Quæstio.
- Ratio.

Duo genera eius: Vnum verum, in quo nihil est proprium, & non facile intelligitur, vt Poeticum. Alterum Oratorium, proprium, obliquatũ, quod est tanquam vmbra in sole, & lucem accipit fere ex historia. Quemadmodum in Sole excitata vmbra & iucunda est, ac intelligitur ab eruditis, etsi à plebeis ignoretur: Sic etiam in perspicuitate grata aliquando obscuritas. Sed hęc dicitur habere significationem ingenij. Vsus eius est in rebus odiosis, vt periculosis, ingratis, & obscœnis, quas non vtile est ab omnibus intelligi. Aliud est allegoria. Nam nonnunquam tantum allegoria exit in ænigma, vt cum allegoria plane obscura est, & tũc dicitur Ænigmatica (αἰνιγματώδης.)

Ænigma Buchanani.

Tempus. *Sum Genitor veri, domitor liuoris aperti,*
Index astrorum, filius, atque comes.
Me sequor & fugio mea per vestigia, nunquam
Cum sum, quotidie nascor & intereo.

Græce αἴνιγμόν ἢ αἴνιγμα est λόγος ἐπικαλύπτων τὸ σαφὲς ἀσαφίᾳ. Generalis fere definitio propter vocis λόγος generalitatem.

Ænigmaticum hoc meũ est in vocibus, SI VS VI, id est, IVS VIS, si à fine incipiendo ad initium vsque legas, in honorem Iusti Iungmanni cum Marpurgi disputaret consequendi Licent. in vtroque iure gratia.

Tu iuste, re sis iustus atque nomine,
Iungmanne. SI VS VI esse vis Reipublicæ,
Hoc sit tibi carum: illa detestabilis.
Quid hoc? [a] *quid illa?* [b] *SI VS VI retro lege.*

a. Ius. b. Vis.

Ænigmatistes est magister scruporum seu ænigmatum.

ÆQVALITAS.

1. Æqualitas est vnitas (rerum) in quantitate, Alex. Alensis in 4. 1. Philosoph. tex. 3.

Propria est quãtitati. Auerroes. Primum in quantitate est symptoma, ait Proclus in Euclid. *Æquale est in quantis.*

Eiusque fundamentum est non tantum quantitas secundum rem, sed secundum modum. Idem in 5. 1. Phil. tex. 20.

Adde, quod æqualitas est terminus & mensura inæqualitatis. Proclus.

2. Æqualitas improprie attribuitur qualitatibus. Sic improprie dicitur album

albo

albo æquale, quia ſimile, Porphyrius in prædic. Et: Æqualitas, quę eſt ſecundum proportionem, non eſt vera æqualitas, ſed ſimilitudo. Auerr. 2. de Generat. & corrup. text. 57.

Æqualitas duobus modis dicitur, vel ſecundum continentiam, vel vt habet communem menſuram.

Vſus.

Diſtinctionis huius vſus eſt in doctrina Peripatetica de loco. Sic Albert. Mag. 4. Phyſ. Æqualitas duplex eſt, vna ſecundum continentiam, & ſic Locus & Locatum ſunt æqualia. Æqualitas loci non eſt æqualitas dimenſionis, ſed æqualitas continentis: alia quæ communi menſura menſuratur. Ita æqualia Simplicio ſunt, quæ eadem menſura æqualiter menſurantur, & Albert. Magn. Æquale eſt, quod habet quantitates menſuratas æquales. 3. Phyſ. Et Platoni in Parmenide æqualia ſunt, quæ habent eaſdem menſuras. Æquale interdum accipitur generaliter, vt cõplectatur Par, vt; Æquale vel inęquale eſſe neceſſe eſt, quicquid magnitudine vel multitudine cõſtat. Ariſtot. Interdum ſpecialiter, vt æqualia ſunt, quæ conueniunt magnitudine; cum duorum neutrum excedit aut deficit. Sic Æqualia ſunt, quæ inter ſe nec maiora, nec minora ſunt. Plato in Parmenide.

Æqualitas loci ſecundum continentiam eſt.

In Ethicis etiam Æquale & Æquum eſt dignitate, vt in doctrina de iuſtitia & amicitia. Vid. Ariſt. 8. Ethic. Nicom. & 5. Polit. c. 1.

Æqualitas eſt vltimum in iuſtitia, & principium in amicitia. Thom. Aquin. in Ethic.

In Logicis Æquale eſt id, quod neque plus, neque minus, quodque omni ſoli conuenit ac conuertitur. Ariſtot. poſt. 2. ca. 4. Sic accipit etiam Porphyrius, cum ait: AEqualia de æqualibus, & maiora de minoribus prædicantur, non autem è conuerſo minora de maioribus. (Intellige in Naturali prædicatione.)

Æqualitas etiam fertur ad θεῖα ad S. τριάδα: dicitur enim Filius æqualis Patri. Itaque Leo. Heb. vtitur hac propoſitione Comparatiua: *Æqualitas finiti potius, quam infiniti conditio quædam eſſe videtur.*

AEqualitas Geometrica in iuſtitia diſtributiua quid ſit, colligitur ex his Marſilij Ficini in Platon. de Legib. dial. 6. AEqualitas in ciuilibus muneribus diſtribuendis ſemper ſeruanda eſt, nõ Arithmetica, quæ ſępe iniuſtiſſima eſt, ſed Geometrica, per quam conſiderantur merita ſingulorum, & ea ratione ſingulis diſtribuuntur, vt quæ proportio meritorum eſt ad merita, eadẽ quoq; munerum ſit ad munera, neq; æqualia ſint munera muneribus, ſed munera meritis.

AEqualitas Geometrica in corporibus Phyſicis intelligitur ex his, quæ ſumpta ſunt ex Timæo Platonis. Eſt ὁμαλότης, id eſt, æquabilitas ſeu æquatio elementorum, quia in corporibus inter ſe ἀναλόγως coaleſcunt. Eius ὁμαλότητος in corporum συγκάσει hæc eſt vis & poteſtas, vt in temperamentum quoddam conſpirent elementa compoſita, qua εὐκρασίᾳ corpora conſeruantur. Ioh. Serran. in Timæ. Plat. theſ. 60. & 62.

AEquabile idem eſt quod æquale vel Temperatum ſeu moderatum, vel cõſtans. AEquabile naturæ Legi vnum vni eſt contrarium, inquit Nicol. Leonic. Tomæus.

AEQVATIO.

AEquatio (ὁμαλότης) eſt 1. æqualitas, vel æquiparatio.

2. Interdum eſt complanatio. Sic dicitur pauimenti vel ſoli æquatio.

3. Per Metaphoram eſt æqualis diuiſio.

4. In Algebra æquatio eſt ſecunda pars

Algebræ, qua numeri figurati inter se secundum hypothesin æquantur. Ea duplex est. Prima est duorum, vnde altera vnius tertij pro æquatorum differẽtia nominatur, & quæsiti æquatio proportione concluditur. Secunda æquatio est, cum trium figuratorum continuorum, quorum maximi numerus est vnitas, & minimus est numerus, duo æquantur vni. Cuius canones tres sunt, de quibus consulatur Algebraicus liber.

In Astronomia æquatio centri lunæ est arcus Epicycli inter illius verum & medium apogeum cadens. Centrum autem Lunæ & arcus Zodiaci inter lineam apogei Lunę, & centrum Epicycli positus, alias duplicata Lunæ à Sole distantia dicitur. Christianus Vvrstisius in Theoricis planet.

Æquatio Solis est arcus Zodiaci cadens inter lineas medij & veri motus Solis: vel est arcus, qui discrimen æquabilis & apparentis motus Solis monstrat, sic dicta, quod medium motum vero & inæquali motui æquet: inæqualibus enim spatijs duę lineæ veri & medij motus à se inuicem distant, propterea quod vnius motus in firmamento regularis, alterius autem sit irregularis. Ea nunc maior, nũc minor, interdum vero nulla est. Quo Sol propior Apogeo vel Perigeo est, eo minor est. Tanto autem maior, quanto propior pũctus medij transitus fuerit, quæ cum Sol attigerit, maxima est. At cum in summo & infimo Eccentrici puncto lineæ ęqualis & apparentis motus motus vniantur, omnis illic æquatio euanescit. Vid. quæstio. in Theor. Planet. Christ. Vvrstis. Basil.

Æquans Lunæ est circulus concentricus, reliquos Lunæ orbes ambiens, per quem varietas latitudinis Lunæ saluatur. Vocatur & circulus nodorum, & deferens caput & caudam Draconis. Dicitur ęquans, quia centro eius velut æqualitatis puncto motus eccentrici, qui circum centrum suum irregularis deprehenditur, æquatur.

At Æquator est circulus maior inter vtrumque mundi polum exacte medius, quem Sol tangens æquat diem nocti. Sic dictus, quia est communis mẽsura & norma omnium orbium, quorum motus ad hunc examinantur.

In Politicis Æquatio bonorum in ciuitate est capitalis Ciceroni, id est, ad extremam perniciem spectans.

ÆQVANIMITAS,

ἐυθυμία, ἐυγνωμοσύνη.

Æquanimitas est animi æquabilitas, bonitatis & probitatis fundamentum. Scalig. Bonitatis certissimum fundamentum est animi æquabilitas, qua humana omnia æqui boni consulere par est. Interdum accipitur pro fauore. Interdum etiam pro patientia. Interdum denique virtute eius, qui nec prosperis extollitur, neque aduersis frangitur, quæ ad fortitudinem pertinet.

ÆQVILATERVM.

Significatio propria Geometrica.

Æquilaterum est, in quo omnia latera sunt æqualia, vt æquilaterum triangulum.

Æquicrurum, in quo tantum duo latera sunt æqualia, vt æquicrurum triangulum.

Rhetores hæc accommodant ad periodum æqualem trinembrem, vt hanc etiam distinguant in æquilateram & æquicruram. Sturm. l. 3. Eloc. cap. 1. & libr. de Period. cap. 7. Triangulo igitur Periodus trimembris comparatur. Et Keckerm. System. Rhet. lib. 2. Periodus (æqualis trimembris) Æquilatera seu Isopleuros est, in qua omnia tria membra sunt paria, vt Cicer. pro Rosc. Vereor ne aut molestus sim vobis, iudices, aut ne ingeniis vestris videar diffidere, si de tam perspicuis rebus

bus

bus diutius disseram. AEquicrura seu Isoscelis Periodus est, quæ habet duo membra paria, tertium impar, idest, breuius vel longius, vt; Quæres in ciuitate duæ plurimum possunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore: summa gratia, & Eloquentia. Hic tertium membrum est breuius prioribus.

Opponitur his Periodus inæqualis, cum nullum membrum alteri est est æquale.

Æquilatatio duriuscula vox Vitruuij, est æqualium linearum secundum latitudinem productio. Græce hoc dicitur mollius ὁ ἰσοπλατές.

AEQVILIBRIVM.

Æquilibrium proprie Mechanica vox est, qua significatur exacta æqualitas, qua neutra pars libræ præpõderat; sicut æquipondij voce significatur ponderis æqualitas. Nonnunquam & libramentum & æquamentum dicitur.

Huc respiciunt Geographi, cum dicunt: Singulę partes terrę, cùm pariter tendunt ad medium seu centrum, faciunt totius terræ ἰσορροπίαν seu æquilibrium quiescens, vt in aere vndique circumfuso terra pendens tota in se quiescat.

Per Metaphoram Rationum æquilibrium dicitur, cum paria seu æqualia earum sunt momenta.

Æquilibre est æqualiter libratum seu ad libram æquatum.

AEQVIMANVS
pro Ambidexter.

AEquimanus adiectiuum, est, cui vtraque manus æque operosa est, vt qui vtraque manu prompte gladio vtitur. Isidor.

AEQVITAS.

AEquitas describitur μερικῶς summi iuris mitigatio, cum aut per legem superiorem mitigatur inferior, quæ videbatur durior, aut cum voluntas & mens legis latens magis spectatur, quam legis verba.

Lex corrigitur
- Allatione alius Legis, siue Naturalis, siue Positæ, commodius negotio præsenti congruentis vel superioris.
- Prudenti inquisitione voluntatis Legislatoris ex ratione Circumstantiarum.

Ius enim Ciuile docet, mentem potius spectandam, quam verba.

Vicina significatio est, cum AEquitas accipitur pro moderatione ex æquo & bono, vt cum de amicorum erratis iudiciũ ferimus, æquitas adhibenda est, id est, moderatio ex æquo & bono.

De AEquitate hæc habet Gualandus Episcopus. Paritas eorum, quę dantur & accipiuntur, secundum naturam & rem ipsam, æquitas dicitur.

Æquitas omnis ius est; sed non omne ius est Æquitas.

Estque ius non scriptum, sed ab ipsa Natura hominũ mentibus insitũ impressumq;. Summũ ius omnia recta & inflexibilia exigit. AEquitas vero de rigore iuris multum remittit. Itaq; dicitur ἐπιείκεια ἀπὸ τοῦ εἴκειν, id est, à cedendo, quod de iure cedatur.

Et paulo post Iuris rigor mollitudine & norma æquitatis corrigitur. Vetat Lex mœnia scandi & scandentem iubet morte mulctari. Ascẽdens ciuis vt ea ab hostibus tueatur, quæritur an sit mulctandus? Ius, quod legis verbis exprimitur, pœnam irrogat. At æquitas, quę illius sentẽtia continetur, cõtrariũ suadet, quã sequi præstat propterea, q; rei & naturę cõsentanea est. Neq; enim rei natura & ratio poscit, neq; eo condita est Lex, vt qui iuuandi causa ascendit, pro præmio supplicium ferat, sed beneficium beneficio pensare decet.

Itaque cum lege explicari omnia,& omnia συμβαίνοντα, id est, omnes particulares casus comprehendi nequeant, plurimosq; contingere verisimile sit, in quibus, si verba legum sequamur, à legumlatorum sententijs & æquitate discedimus, complura necesse est legibus iusta contineri , quæ æqua non sint. Nam iusta illa dicere conuenit, quod à Republica sanciuntur : æqua vero esse negare oportet, quod , si ex ijs iudicium fiat, non paria meritis pro re & natura referantur. Apud Ciceronem sunt , pro æquitate contra ius dicere : & ; Fugisti sententiam Legis, æquitatem omnem reiecisti.

AEquitas animi Ethicis est animi Tranquillitas.

AEQVIPOLLENTIA.

AEquipollentia, ἰσοδυναμία
- *Simplicium*
  - *Rerum*, ratione
    - Amplitudinis. [a]
    - Naturæ.
  - *Nominum*, Signorum , vt Aliqui & Nonnulli ; Logica & Dialectica.
- *Complexorum.* [b] Hæc est Enuntiatorum verbis discrepantium conuenientia in sensu : vt ; Petra erat Christus , &; Petra adumbrabat Christum.

[a]. Omnes species simul sumptę idem sunt quod Genus suum seu æquipollent generi suo καθ' ὅλου, id est, ratione amplitudinis seu latitudinis , non autem ratione Naturæ seu ἁπλῶς.

[b]. Ouid.

Si nisi quæ facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est.

Hæc æquipollent exclusiuę: Hæc tantum puella tua est, q̃ formosissima censetur.

Si, nisi quæ potuit vera virtute parari,
Gloria nulla tua est, gloria nulla tua est. παρῳδ. Gocl.

Hæc æquipollet exclusiuæ affirmatæ: Sola gloria parta virtute est tua.

Propositiones etiam æquipollentes dantur, quæ mutuo se consequuntur.

Exempla.

1. Possibile est / Contingens est } scandala esse.
   Non impossibile est / Non necesse est } scandala non esse.
2. Non possibile est / Non contingens est } scandala esse.
   Impossibile est / Necesse est } scandala non esse.
3. Possibile est / Contingens est } scandala non esse.
   Non impossibile est / Non necesse est } scandala esse.
4. Non possibile est / Non contingens est } scandala non esse.
   Impossibile est / Necesse est } scandala esse.

Hæc sunt

Hæ ſunt ſyzigiæ quatuor modalium propoſitionum æquipollẽtium. Poſſibile hic intellige proprie id, quod non eſt actu, eſſe tamen poteſt.

Quid proprie poſſibile?

Propoſitio indefinita (quæ habet ſubiectum vniuerſale ſine ſigno ſeu nota) in materia contingenti, ideſt, cum accidens commune, quod mutabiliter adeſt, de ſubiecto dicitur ſemper, particulari eſt ἰσοδυναμοῦσα. Vniuerſali vero æquipollet in materia neceſſaria, nempe quando ſpeciei [a] vel Genus, vel Differentia, vel Proprium, vel tale etiam accidens attribuitur, quod in proprium quaſi degenerauit, vt eſt mortalitas reſpectu hominis.

[a] *Hic per ſpecium intellige etiã ſubiectum.*

Æquipollentia etiam dicuntur Paria & conuertibilia nonnunquam, vt Homo & ratione præditum; equus & hinniens.

Æquipollens etiam dicitur Æquiualens, vt huic vocabulo φορτικὸν non poſſumus inuenire æquiualens in lingua Lat. Significat autem (quod obiter moneo) inſolens, importunum, odioſum.

Factumq; eſt nomen à grauitate ponderis, quia pondera grauant baiulantes homines φορτικώτατοι, gar beſchwerliche Leute.

Æque poſſe alicui.

Phraſis eſt Geometrica, qua vtuntur Geometræ in comparatione æqualitatis potentiæ duorum, vt, Radius æque poteſt ſinibus peripheriæ & complementi. Thom. Finck. l. 5. Geomet. rotund. & 1. Prop. Regi. de ſinibus. Eſtque hæc propoſitio de ratione æqualitatis in potentiæ ſinuum & radii comparatione. Acſentẽtia eſt, Sinus recti peripheriæ & complementi ſui æquantur radio. Eſt igitur *æque poſſe* idem quod æquari.

Latus quadrati inſcripti circulo poteſt duplum circularis radii: ſeu æque poteſt duobus radiis, &c. Et latus inſcripti trianguli poteſt triplum circularis radii. Hinc potentia radii dicitur, vt ſi potentia radii triplicetur, triplicatæ latus eſt latus inſcripti trianguli. Vid. l. 7. Geometr. rotund. Thom. Finck. pr. 14. pag. 160.

Quadratum inſcriptum circulo eſt dimidium circumſcripti, quia diameter, hoc eſt, latus circumſcripti æque poteſt duobus cruribus, nempe lateribus inſcripti.

ÆQVIDICI VERSVS.

Æquidici ſeu Iſolecti verſus dicuntur, cum ſingulæ dictiones habent ſingulas dictiones ἀντιθέτως. vt; Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra legũtur. cadunt, leguntur, opponuntur. Vid. Diomed. l. 3.

ÆQVIVOCVM.

Vox vna diuerſis conceptibus ſubordinata.

Æquiuoci natura eſt & eſſentia, ſignificare. Scal. Bonus Metaphyſicus non partitur æquiuoca in ſpecies, quorum natura & eſſentia nihil aliud eſt, quam ſignificare. Non igitur eſt Amoris diuiſio in ſpecies: Amor eſt virtutis vel inceſtus: eſt Bonus, vel Malus: purus vel impurus, ſanus vel væſanus; verus vel falſus. Non enim prędicatur æqualiter ſeu vniuoce de quouis illiuſmodi affectu amor.

Voluptas æquiuoce dicitur, quia hoc nomen conuenit cuilibet voluptati ſecundum eandẽ eſſentiam, quod commode & breuiter dicunt Philoſophi Scholaſtici, vniuocationem.

Homonyma ſeu Æquiuoca, quorum ſignificata differunt inter ſe *vel Totis ſpeciebus*, κατὰ τὴν ἰδέαν; Et hæc dicuntur Manifeſta, quod omnibus ſint conſpicua: vt, Græci appellant κλεῖδα & clauem, qua ferę clauduntur vel aperiuntur, & os iuguli in corpore humano,

quod ab humero ad iugulum protensum sterno coniungitur, & Latinis dicitur clauicula. Clauis autem ferrea & os viuum tota specie differunt, quod nemini obscurum est. *vel non totis speciebus*, vt quæ eiusdem sunt quasi speciei, & analogice potius quam essentialiter inter se differunt. Hæc obscura sunt & à paucis animaduertuntur propter rerum affinitatem. Sic iniustus dicitur & is, qui legibus non paret (παράνομος) & is, qui æquitatem negligit, ἄνισος. Vid. 5. Eth. Arist. ad Nicom. c. 1.

Æquiuoca { ἀπὸ τύχης. / ἀπὸ διανοίας.

Quorum non est communis idea, commune quid habere possunt vel Fortuito, vt homonyma fortuita, vt quod Taurus & bruti animalis & Philosophi nomen est; Gallus populi & animantis, vel non fortuito, sed ratione aliqua, vt κατὰ τὴν ἀναλογίαν, quæ cõmunitas non est essentialis, vt veri Generis & specierum, sed Accidentalis. Talem communitatem (seu analogiã) mens & visus inter se habent. Sicut enim visus inter omnes sensus corporeos principatum obtinet: ita etiam inter omnes animæ facultates & vires mens ipsa. Vid. 1. Top. & lib. primi Ethi. cap. 5.

Sed aliud est ab Homonymia καὶ ἀναλογίαν Aristotelea Analogum, quod vulgo in scholis appellatur, nempe quasi medium aliquid inter Æquiuocum & synonymum. Vocari enim solent Analoga, in quibus est ὕστερον καὶ πρότερον, id est, prius, & posterius, ita vt res ipsa primum insit in vno, vnde diffunditur seu transfunditur in alia: ita sanitas primum omnium inest in corporibus animalium; primo igitur de his dicitur: hinc postea & vrina & pharmaca sana dicuntur, quod hæc efficiant sanitatem, illa vero indicet.

Cum nominis hæc magis potiusue communicatio esse videatur, quam rei seu naturæ & definitionis, sunt qui ad homonyma hæc referant.

ÆRA. *Epocha.*

1. Numus aliquãdo pro signo, vel cum alio signo apponitur nostris tẽporibus. Et olim apponebatur numerus seu summa pretij docens, quot ille minutioribus numis valeat, quẽ numerum pretij appositũ in numo Prisci vocarũt *Æram*. Lucilius. Hæc est ratio peruersa, æra numeri subducta est improbe. Nõ nemini æta est ex hoc: Annus erat Augusti. 2. Æra ponitur pro Epocha. Itaq; Epochæ seu Ærę sunt Ecclesiasticę, Politicæ, Mathematicę, quę sub Chronologia (quæ accurata quædam temporis in historię lectione notatio & animaduersio est) continentur, & sunt definitiue, certum cuiusq; regni initium & temporis *quasi retinaculum*, quo veluti certo fixoque signo historicæ narrationes continentur, ne temere & sine meta ac carcericus vagẽtur, vt Epocha orbis conditi est 5575. imperii Germani Epocha cũ Carolo M. An. Christi 801. cœpit. Natiuitatis Christi æra incidit in annum Mundi 3963. Sic dicimus anno Epochæ nostratis 1612.

Cur dicta Epocha?

ÆSTIMATIVA.

Abusiue veteres Physici nonnulli, rerum quam verborum studiosiores, accipiũt pro existimatione, & Æstimatiuã vim pro existimatiua.

Illis æstimatiua potentia est sensus interior, cuius peculiare officium est ex sensatis insensata percipere, id est, ex speciebus, quibus sensibilia per se à phantasia recepta sunt, species eorum, quæ per se sub sensum non cadunt, elicere. Nam ex speciebus seruatis in Phantasia deducũtur subito quædam

inten-

intentiones non prius ſenſatæ, quibus eget animal ad quærenda vtilia, quæ ignorantur à ſenſibus externis; vt auis quęrit paleas ad ſtruendum nidum. Sic ouis figura Lupi conſpecta, illum vt inimicum fugit, & deguſtatâ herbâ noxiâ, eam vt nociuam ſeu nocituram abiicit, quod non faceret, niſi ex ſpeciebus figuræ & ſaporis conuenientis aut non conuenientis ſpecies eliceret fugæ, odij, proſecutionis. Homines etſi in primis & repentinis motibus multa inſenſata ex ſenſatis naturæ inſtinctu percipiant, fere tamen ratiocinatione quadam id faciunt. Phantaſia à ſpeciebus ducitur & mouetur ad operandum; ſed Æſtimatiua ducitur citra ſenſatas ſpecies ad mouendum appetitum fugę aut proſecutionis ex apprehenſione noxii aut vtilis. Æſtimatiua in brutis dicitur in Homine cogitatiua & Ratio particularis. Hæc non eſt ratiocinandi facultas Intellectiua.

Iohan. Sturmius in l. de vniuerſa ratione elocutionis Rhetor. Æſtimationem oratoriam vocat, quod Hermogenes προζήμησιν, qua vtimur, cum verbis, vtrum ex duobus magnis pluris ſit æſtimandum, placet indicare, nempe cum volumus rerum dignitatem diſcernere. Fit autem particulis Maxime, Potius, Magis, Cum, Tum. Ergo æſtimatio hic eſt electio oratoria ex duobus, qua alterum magis præfertur: vt Lentulum noſtrum cum cæteris artibus, quibus ſtuduiſti ſemper ipſe, tum in primis imitatione tui, fac erudias. In hac cauſa locus à me pietatis potius, quam defenſionis ſuſceptus eſt. Cum omnes Philoſophiæ partes tenet; tum maxime Phyſicam. Propoſitiones ſunt comparatiuæ ex Impari-
bus. Sturmius figuram
hic facit verbo-
rum.

ÆSTIMARE.

Æſtimatio & æſtimare proprie Politicæ voces ſunt, Schetzen German. quę differunt ſignificatione ab *Exiſtimatio & exiſtimare.* Eſt autem æſtimatio rerum, quæ conueniunt in contractum & commercium. Ita æſtimantur merces, domus. Sed transfertur etiam ad Perſonas, vt cum Scaliger ait ex. 324. Quam ſincero ſis iudicio, Cardane, vel ſolum hoc caput oſtendere poteſt, in quo non ex illorum æſtimatione, ſed ex tuo cerebro iniqua ſtatera pendis atque examinas veterum ſapientum dignitatem.

Vſus.

Sigiſmundus Imperator cum in Concilio Conſtantienſi, lapſu forte linguæ, alioqui diſertus ac facundus, multarumq; linguarum peritus, à Grammaticæ regulis aberraſſet, & ſchiſma maſculino, non neutro genere (vt Grammatici docent) protuliſſet, à Placentino reprehenſus eſt Cardinali. Cui mox ex tempore dixit: Placentine, Placentine, vt omnibus placeas, minime nobis places, qui minoris nos authoritatis,, quam Priſcianum Grammaticum, quem offendiſſe me aſſeris, exiſtimas. Maximo omnium, qui aderant, cachinno ſuſcepta eſt Cæſaris excuſatio. Cuſpinian. Hic pro exiſtimas non recte dicetetur æſtimas, recte tamen cum Scaligero diceres minoris non æſtimas (genitiuo authoritatis omiſſo.)

Adouardi Gualandi Piſani Epiſcopi Caſenatis l. 13. de ciu. facult. de voce Æſtimatio, hoc eſt iudicium. Voce, inquit, Æſtimationis tum vtimur, cum quanti quiuis fiat, exquiritur. Nã cum cætera fere omnia, quæ homini vſui ſunt, pecunia æſtimentur; in homine

ipso ęstimando Honor pretij loco succedit & interdum à nobis pretium dicitur, vt à Græcis τιμὴ, quæ vox tum Æstimationem, tum Honorem significat. Idem ibid. Se pluris æstimari cæteris desiderat, id est, pluris fieri, in maiore honore haberi. Æstimationis iustā lanceam impediunt Amor & Odium. Æstimare litem est tanti reum damnare, quāti interest. l. si inter. §. si res. ff. de pig.

Æ T A S.

Ætas accipitur modo generaliter, modo specialiter: modo proprie, modo improprie. Proprie, vt cum viuētibus tribuitur: improprie, vt cum Mūdo, Cœlo, Terræ, Lunæ. Ætas enim Lunæ decrescens vel crescens dicitur ab Astrologis, quod videre est in hoc disticho:

Dextra cauum veteris replebit, læua recentis:
Hoc ætas Lunæ nascitur indicio.

Generaliter accipitur à Scaligero cum inquit: essentiæ affectus est peculiaris is, quem vocāt Philosophi durationem, id est, vt loquuntur, essendi tractus cōtinuatus, qui in communi rerum natura dicitur Ætas: hæc nihil aliud est quā rei existētia sub tēpore. Physici vero & Medici specialius: Definiunt enim *ætatem vitæ spaciū seu curriculū, quo insitum viuentis temperamentum per se, seu suopte nutu* (id est, ex sua natura, ab insito principio, citra extraneam causam, vt vulnus vel morbum) *euidentem mutationem* (hoc est, alterationem in primis qualitatibus & accidentibus, quæ has comitantur) *subit.*

Scaligero ætas est durato existē tia.

Estq; eis adolescētia, νεότης; media vigor, ἀκμὴ; senectus, γῆρας. Adolescentia in homine est Infantia ad annum 4. vel 7. Pueritia ad annum 14. Pubertas ad annum 18. Adolescentia proprie dicta ad annum 25. Ακμὴ est ἀκμὴ proprie dicta Iuuētus, ætas florens & vigens. Hęc in homine ab anno 25. ad 35. vsq;. vel παρακμὴ, ætas consistens & declinans. Hæc in homine ab anno 35. ad annum 49. vel 50. vsq;.

Senectus 1. est viridis seu cruda, 2. media. 3. decrepita vicina capulo.

Alb. Magn. Ætates facit 4. Puerilem seu incrementi vsq; ad 30. annos; status vsque ad 35. vel 40; Diminutionis vsque ad 50; & senilem, quæ est cum notabili destitutione vigoris & substantiæ. Vocatur hæc etiam Ingraueścens & præcipitata. Ætatem autem proprie non habere non-viua, idem author est tract. 1. c. 1. de iuuent. & senect.

Ac pro hac sententia possumus vti hoc argumento: *cui* proprie tribuitur ætas, ei conuenire potest adolescere. Nullum inanimum adolescit: quia quod adolescit, ex nutrimēto plus apponit, quam sit absumptum. At nullum inanimum ex nutrimento plus apponit, seu nihil quod non alterat nutrimentum in speciem nutriti, adolescit; Nullum inanimū alterat nutrimentum in speciem nutriti. Ergo nullum inanimum adolescit; Si non adolescit (saltem potentia) expers est ætatis.

Proclus Platonicus ordinatim distinguit ætates nostras è studiis humanis per cōparationem cum cælestibus. Ætatū ordo, inquit, sequitur ordinē vniuersi. Ætas prima sequitur potestatē seu virtutē Lunarē: Tunc enim secundū nutritiuā & vegetatiuā viuimus facultatē. Secunda Mercurialē, cum literarū & ludorum studia meditamur & exercemus. Tertia Venerem, quando turgent membra seminibus, & ad genituram incitamur: Quarta solarem, in qua regnat vigor: Quinta Martialem, in qua ἐξουσίας, δυναστείας & victorias affectamus: Sexta Iouialem, quæ prudentiam & practicam vitam desiderat: Septima Saturniā, in qua naturæ cōsentaneum est à generatione desistere, & ad vitā incorporeā se trāsferre seu traducere. In Alc. prim. Caue cōfundas Tēpus cum Ætate: Tēpus .n. proprie dictū est extra nos; Ætas vero in nobis: Vtrūq; adiunctū q. dē, sed illud externū, hoc internū.

ÆTER-

ÆTERNVM.

1. Æternum est vel proprie & per naturam: ita solus Deus est æternus, nec aliquid extra Deum est æternum.
2. Vel ob similitudiuem & per participationem & imitationem. Sic Angelorum vita æterna est & immutabilis.
3. Vel per significationem, si Augustinum sequimur. Existimat enim Genes. 17. Dabo tibi omnem terram Chanaam in possessionem æternam: Æternum intelligi posse, quod æternum aliquid significat: Possessio scilicet illius terræ possessionem cœlestis beatitudinis, quæ æterna est, significabat. Sic dicit intelligi posse illud Exod. 12. Et celebrabis diem hunc solennem Domini cultu sempiterno, quæst. 43. in Exod. Gregorio de Valentia ita in his exemplis est figura locutionis Metonym. cum signo tribuitur vocabulum rei significatæ, quæst. in Thom. An solus Deus sit æternus, pag. 197.

Τὸ ὂν αἰώνιον, dupliciter dicitur
- Proprie & per se, & ex ipsa essentia, & vt causa; κυρίως καὶ πρώτως, καθ' ὑπαρξιν, καὶ αἰτίαν τοῦ εἶναι: vt Deus.
- Πῇ, κατά τι, quodammodo, non absolute, sed vel comparate, vel adhibita [a] conditione quadam, videlicet κατὰ μετοχὴν αἰωνίου ὑπάρξεως, vt Angeli & animi nostri.

[a] *Vocant determinationem.*

Vsus.

Mundus κυρίως & ἁπλῶς æternus non est. Dici tamen potest æternus.
1. Non ratione existentiæ, sed ideæ, seu decreti DEI æterni in mente ipsius.
2. Comparate ratione constantis durationis, si cum huiusmodi rebus comparetur, quæ perpetuo fluxu varie affectæ, vltro citroq; commutãtur, vt sunt omnes res singulares & maxime animantes, quæ ludibrium videntur esse mutationum omnium.
3. Non ex ipsius natura (quicquid enim natum est, naturam habet fini & solutioni obnoxiam, vt docet Plato) sed ex Dei consilio & voluntate, id est, quamdiu Deus voluerit mundum consistere.

Canon: Nihil natũ sua natura ἄλυτον est.

Hæc ergo æternitas est precaria. In Politico vocat Plato ἀθανασίαν ὑποσπευασθὴν.

ÆTERNITAS.

Æternitas
- Per Essentiam. Ex hac proprietate & immensitate Patres sufficienter probant Filij & Spiritus Sancti Diuinitatem.
- Per Gratiam seu Participata.

Gratia est participata quædam similitudo diuinæ naturæ. Thom. Aquinas. Ideo non potest manare ab alio vt principali agente, nisi ab ipso Deo. Idem.

Dicta Æternitas videtur per Syncopam pro Æuiternitas.

Æternifoliæ Plantæ sunt semper virentes. Oppos. Perdifoliæ (quæ folia perdunt.)

ÆTHER.

Æther est ab αἴθω, id est, splendeo: vnde Cœlum dicitur ætherium, quia est res lucida.

Plato numerat in Epinom. corpora quinque: Terram, Aquam, Aerem, Ignem, Ætherem, sicut & Aristoteles inquit. Scalig. 2. de plant. Alibi agnoscit tria tantum Elementa: *Ætherem namque*

purissimam putat esse aeris partem, (quæ omnem obtutum oculorum effugit.) Idem Scalig.

Ramus etiam & Fridericus Risnerus Optici, tria tantum in Mundo prima corpora, Terram, Aquam, Aerem permista agnoscunt, vt distinctio tantum fiat remissionis & intensionis genere. Terram dici, quia plurimum terræ insit, minus aquę, minimum aeris: sic aquam, sic aerem. Qualitates varias in singulis corporibus mistas esse, aliasq; aliis præesse, indeq; res nominari lucidas, opacas, raras, densas, graues, leues, calidas, frigidas: *Ætherem esse rariorem & subtiliorem aerem seu cœlum superius*, contra Vitell. l. 4. de Vision. refracta.

Æther pro puriore aere.

Nonnunquam æther accipitur pro liquida & imperturbata luce, qualis est in summo Mundi loco, vbi astra.

Hic nonnulli per Æthera Cœlum: alij Animam, (quod ætheriæ naturæ sit) intelligunt.

Nullum cum victis certamen & æthere cassis; quod dupliciter intelligitur.

1. Quies concedenda est ossibus defunctorum, nec sepulcra eorũ effodienda.
2. De mortuis male ne loquitor, τοὺς τεθνηκότας μὴ κακῶς ἀγορεύειν, Lex Solonis: **Man lasse die Todten ruhen.**

Poetæ per Æthera interdum Iouem intelligunt, itaque omnipotentem vocant: Vide Herodot. l. 4. & Clement. Alexandrin. ex Æschylo. Strom. 5. Iupiter est Æther, Iupiter est terra: Iupiter est cœlum: Iupiter est omnia. Vide Ioh. Ludouic. de Lacerda in explicat. 2. Georgic. p. 336.

Iupiter omnia animat.

Αἰθροβατεῖν per metaphoram dicitur per æthera vagari, inania sectari, gar zu hoch traben.

Platonici ex Timæo faciunt duplex Aeris genus: vnum εὐαγέστατον purissimum, quod vocant Æthera: alterum θολερώτατον, impurissimum, vt est inferior hic aer, qui nos ambit. Sic iisdem duplex est ignis genus: vnum quod vrit, ardet & lucet: Alterum, quod vrit quidem, sed non ardet, id est pruna, φλὸξ, φῶς, αὐγή.

AFFECTIO.

Affectio modo est affectus, modo dispositio ad aliquid, modo ἕξις, modo accidens subiecti: modo proprium πάθος. Ad posterior. significat. pertinent hæ distinctiones.

1. Affectio est externa vel interna. Externa, quæ subiecto aduenit ob externã causam. Interna, quæ manat à subiecti principiis intimis.

Externæ affectionis exemplum est defectus luminis Solis, quæ Lunæ accidit ob terræ interiectionem inter ipsam & Solem. Hæc à subiectis suis facile possunt abiungi ratione.

Internæ exemplum Docilitas in homine, quæ ab anima rationis participe, quæ illius forma est, proficiscitur.

Affectio seu passio propria vel eadem est essentialiter cum subiecto, vt πάθος trianguli: vel habet essentiam à subiecto diuersam, vt Intellectus à forma intellectuali consecutiue, id est, necessaria consecutione sequens propriũ subiectum. Fons. in Metaph. Aristot. l. 5. cap. 2. quæst. 6.

Affectiones
- Externæ, quæ à causa externa existunt. Hæ à subiectis suis ratione facile abiungi possunt, quibus definiuntur.
- Interiores, quæ à principiis subiecti internis manant. Hæ difficilius à subiectis suis ratione separantur, non autem possunt definiri sine additione subiectorum.

2. Affe-

2. Affectio est absoluta, vel ad aliquid.

Affectio est { πρός τι. / ἕκτικὴ, vt est patibilis qualitas, habitus inchoatus vel absolutus.

Exempla.

Iustitia Christianorum est & πρός τι & ἕκτικὴ. Illa imputata: hæc inhærens impressaque. Labes originis est qualitas ἕκτικὴ in natura tenacissime hærens, quam naturalis ἀδυναμία insequitur. Aer afficitur πάθει, cum exorto Sole illustratur, rursusq; eiusdem solis occasu & absentia tenebricosus existit. Lux enim ipsa non est ita in aere, vt Lux cum aere vnum sit. Claud. Alber. secutus sententiam præceptoris sui D. Schegkii in orat. Apodict. 3. de pace erga Deum, vbi addit hæc: Lux in aere neq; hæret (per Impressionem intellige) neq; permanet: neq; ita illustratur aer, vt in aere sit & creetur Lux, eademq; semel creata in eodem semper foueatur.

AFFECTA.

Affecta 1. Accipiuntur pro iis, quę habent aliquam affectionem, vt omne effectum est affectum, id est, habet aliquod πάθος, aliquem affectum, aliquod accidens.

2. Pro concretis, id est nominibus, quæ continent subiectum cum ratione eius; vt iustus, cuius ratio nominatur iustitia: Ita opponuntur Abstracta, quæ essentiam & rationem solam notant, vt iustitia. Vocant vulgo abstractionẽ hanc Grammaticam pro λεξικῇ seu Nominali, ad differentiã realis abstractionis, qualis Matheseos à materia, & Philosophiæ ab accidentibus.

Relata vltro citroq; dant & accipiunt.

3. Affecta inter se sunt relata τὰ πρός τι, seu χέσίν τινα ἔχοντα, quorum alterum est afficiturq; natura sua ad alterum, ita vt esse inde accipiat, detque vicissim.

Quod igitur à Relato afficitur, est Correlatum. Affectio relatorum mutua dicitur Relatio.

4. Affecta sunt pene absoluta, quæ tendunt ad perfectionem. Dauid Schramus opponit eis perfecta & expleta seu confecta: Ita Cicero etiam hac voce vtitur, & Gellius. Ita dicimus bellum esse affectum, non confectum.

5. Itaque Ciceroni in Topicis Argumenta quodammodo affecta ad id, de quo ambigitur, dicuntur, quæ non plene declarant naturam totam rei, de qua agitur, vt sunt Cõiugata, Similia, Dissimilia, Contraria, Adiuncta, Antecedentia, Consequentia, &c. His opponit Insita, quæ totam rem propositam continent & arguunt, vt Definitio, Distributio.

6. Affectum nonnunquam idem est, quod aptum vel dispositum, vt oculus conturbatus non est probe affectus ad fungendum munus suum. Cic. affecta ætas est Senectus.

AFFICI.

Affici in Philos. γενικῶς est informari, disponi, moueri, variari, impressionem recipere. Est igitur πάσχειν. Ita afficimur speciebus, scientia, virtute, ira, amore, voluptate, dolore. Itaque bene vel male. Obiecta dicuntur nos afficere, & in nobis appetitionem motumq; ciere, vt ad ea prosequenda vel auersanda feramur. His autem tribus modis afficimur. Vno, quando cognoscimus; altero, cum appetimus; Tertio, cum explemur. Ita obiecta sunt γνωστὰ (cognoscibilia vocat Gualandus) ὀρεκτὰ (appetibilia) ἐκπληρωτικὰ (expletiua.) Affici autem dicimur vel ἕκτικῶς, vt vitiosis diathesibus & habitibus,

Nomine aliquid afficere est nomen imponere alicui.

vel χετινῶς. Deus absolute affici non dicitur, sed χέσει quadam. Ita dicitur honore affici. In Hominibus etiam χέσις hæc locum habet. Dicitur enim aliquis nomine affici: cum nomen ei imponitur.

2. Affiici est animari. Ita affectus, id est animatus est.
3. Affici in specie est affectu animi moueri, seu perturbari.

AFFECTVS.

1. Affectum sæpe Scaliger accipit pro eo, quod est affectio, vt, proprius affectus, proprium πάθος seu accidens.

Secundo Affectus in Doctrina de corpore animato sunt appetitus & auersationes, seu motus appetitionum aut auersationum in corde, quibus sine neruorum opera, &, vt loquuntur, sine contactu, fugimus & prosequimur ea, de quibus notitia iudicauit, siue foris à sensibus offerantur, siue intus repræsententur. Vnde à Stoicis φυγαὶ & διώξεις appellantur.

Non referuntur ad virtutem sentiendi, quia sensus interiores & exteriores comitantur seu sequuntur. Non ad Intelligentiam, quia sunt etiam in Natura bruta, vt in qua etiam sint notitiæ ex sensibus exterioribus & interioribus, in quibus id inest, quod rationis instar habet. Sed ad ὀρεκτικὸν seu δύναμιν ὀρεκτικὴν. Hæc vis brutis tribui non posset, & nihil illa neq; persequerentur, neq; refugerent, quod neruos non attingeret, & dolor ac delectatio in neruis tantum fieret, nunquam affectus mouerentur sine contactu, vt loquuntur, si ab iis tantum existerent affectus, quæ mens agnoscit, in brutis affectus esse non possent, in quibus νῶς non inest. Itaque Homini sunt cum brutis communes, sed tamen in natura intelligente mens & voluntas accedunt. Nam quæ serio volumus, in iis se cor cum voluntate coniungit, & ita voluntas quoque in homine affectus commouet, sæpe habitum ex affectibus attrahit, ac fiunt naturę intelligentis peculiares affectus, vt Ambitio, id est, honorum cupiditas, pudor, verecundia, zelus.

Affectiones non sunt opiniones neque formaliter, neque omnino causaliter: etsi enim affectus nascuntur ex opinione, cum notitia præcedat affectum, & hunc ipsa moueat: tamen non semper existunt & sunt de opinione. Cum enim quis sectatur studium veræ laudis & gloriæ, illa cupiditas non est ex opinato bono, non ex opinione aut falso iudicio, sed ex firma κρίσει.

Stoicum Zenonem docuisse affectum fieri à κρίσει vel δόξῃ, id est, vel de constanti certaque animi sententia, vel de labante & errante, author est Laertius.

AGGREGATVM.

Aggregatum collectionis significationem habet. Aggregatione partium fit aliquid maius. Si sumatur materia pro aggregato materiæ & priuationis, priuatio est pars ipsius aggregati, inquit Zabarella.

Arithmetici accipiunt pro Toto (quod Græcis ὅλον vel σύνολον) prodeunte ex additis numeris. Dicitur etiam tota summa. Græci vocant συναγόμενον. Alias vocatur accumulatum, sicut aggregatio accumulatio, vt cum dicitur augmentum tertio modo fieri per accumulationem, qua vnum additur alteri: Vbi appositio fit per solum contactum (cui opponitur appositio per coaptationem naturalem, vt cum brachium coaptatur manui).

AGITATIO.

Agitatio Physicis est motus violentus Dic, quis agaso, mihi piger est agitator asselli?

aſelli? Philomelæ Brettanæ eſt Genus in definitione motus. (Motus eſt agitatio, &c.) Sed aures eruditiorum hãc cantilenam auerſantur: Motus enim eſt ἐντελέχεια, id eſt perfectiõ, ſeu actus, non ἐντελέχεια, id eſt, continua ſeu perennis motio, vel continuatio motus. Idem iudica de anima. Vid. eruditam diſputationẽ Fortunat. Crell. in l. 3. ἀκροάσ. Ariſt. p. 112. & Scalig. ex. 307. ſ. 14. 39. 12.

Agitatio etiam ad mentem traducitur. Dicitur enim agitatio mentis, quæ eſt διάνοια. Vid. Scal. ex. 307. ſ. 5.

ALGORITHMVS
pro Arte ſupputandi.

Algorithmos vel Algarithmos barbare vocant nunc Rationum putationes ſeu ἀριθμούς, corrupta voce Græca à Saracenis, qui in Græcas quondam artes derelictas & ſolas inuaſerunt, atq; ab illis ad nos manarunt magna ex parte luculentæ.

Idem autem, quod Algarithmo, etiam aliis quibuſdam accidit, vt τὸ μέγιϛον, Almageſtum, & τὴν χυμείαν Alchymiam dicerent. Iohan. Schoner. Mathem. in exempla ad Georg. Volcamerum præmiſſo Algorithmo demonſtrato. Barbari vocant artem calculandi.

ALGEBRA.

Algebra eſt pars Arithmeticæ, quæ è numeris figuratos valores numerantibus numerationem propriam inſtituit. Figurati valores ſunt numeri figurati, velut latus, quadratus, cubus, biquadratus, qui interdum res numerabiles fiunt, cum eorum valores numeramus, veluti ſecundum vnitatem numeramus 1 l, 1 q, 1 c, ſecũdum multitudinis numerum 2 l, 3 q, 4 c, quemadmodum denarios, aſſes, libellas numeramus ſic, 1. d. 2. a. 6 lb. P. Ram. in Algeb. l. 1. c. 1. Eodem ſenſu dicta eſt ab Italis ars de la Coſa, ab aliis Coſſa, & ars reiaccenſus.

Nomen Algebræ Syriacum putatur, ſignificans artem & doctrinam hominis excellentis. Nam Geber ſignificat Syris virum, idque nomen interdum eſt honoris, vt apud nos Magiſter aut Doctor. Etenim inſignis quidam Mathematicus fuiſſe fertur, qui ſuam Algebram Syriaca lingua perſcriptam ad Alexandrum M. miſerit, eamq; nominauerit Alumcabalam, hoc eſt librum de rebus occultis, cuius doctrinam Algebram dicere maluerunt. Is ab Indis dicitur Aliabra.

ALIENVM, ALIENATIO.

Alienum eſt quod eſt naturæ diuerſæ, aduentitium extrinſecus receptum, Græcis eſt ἀλλότριον: ei opponitur Eſſentiale, quod 3. de anim. dicitur παρεμφαινόμενον, quaſi iuxta-inapparens, intus apparens, id eſt, in ipſa natura recipientis inexiſtens. *Barb. dicũt ab extra receptum.*

Itaq; apparens prohibet alienum, hoc eſt, interprete Zabarella, obiectum primarium ſi in natura recipientis contineatur, impedit ſeu prohibet receptionem ſui ipſius ab externo: itaque omne recipiens debet eſſe denudatum à natura receptibilis, vt ait Auerroes, Sublata enim receptione obiecti primarii adæquati, vt coloris, aufertur ſimul cuiuſcunque ſecundarii obiecti, vt magnitudinis vel motus receptio.

In Politicis Alienum eſſe ab aliquo eſt nõ fauere alicui, eſſe voluntate ab aliquo alienata.

Alienatio mentis Plinio & Cornel. Celſo eſt veſania.

Alienatio Termini in Logicis eſt, cum

vox alienatur à propria significatione. Quod fit nonnunquam in subiecto vel prædicato coniuncto, cum in eo continentur voces repugnantes, ad quas sequitur Contradictio, vt: Homo mortuus, id est, cadauer humanum: Homo pictus est in templo, id est, imago hominis. Hic à coniunctis ad diuisa non valet illatio: Socrates est Homo mortuus: Ergo Socrates est homo. Homo pictus est in æde: Ergo homo est in æde.

Eleuatio termini est, cum vocis significatio eleuatur seu deminuitur propter adiectum, vt: Panis vitæ æternæ. Hic adiectum est terminus eleuans.

Amicus lingua, φίλος δὲπὸ γλώσσης. Proprietas vnius naturæ potest de alia natura prædicari in concreto, seu per verbum concretum: vt, Deus est passus, id est, Persona, quæ etiam Deus est, passa est, non autem diuina Natura. Nam de altera natura enuntiari nequit, quod alterius proprium est.

De Natura humana in concreto dici est de Homine dici.

In Politicis Alienatio est rei suæ iurisque sui in alium translatio. Seneca. Sic alienare est dominium in alium transferre, quod potissimum fit per traditionem.

ALIQVID.

Aliquid non vno modo accipitur:

Aliquid { Transcendens, pro Ente, vel eo, quod non est nihil, vt Modus Entis.
{ Non Transcendens, pro particulari Ente seu re aliqua.

Quid? quod etiam ipsum Nihil nonnunquam significat Aliquid. Seuerin. Boetius cap. 1. de duabus Naturis Christi: Etiam ipsum Nihil significat Aliquid, sed non Naturam. Neque enim quod sit aliquid, sed potius non esse significat. Omnis vero natura est.

Intelligo quid sit nihil: Intelligo igitur aliquid. Hoc vnum scio, quod nihil scio. Ergo aliquid scio, id est, noui.

Cum dico, Aliquid noui habeo, Aliquid non est Transcendens, sed speciem consignificat. Cum dicit Cicero, me velis esse aliquem: Aliquem significat specialiter.

Fonsecæ spatium infinitum non est aliquid, id est, verum Ens, & est aliquid, id est, rei capacitas.

ALIQVALE.

Aliquid exiguum, vel aliquid saltem so-

lent vocare Aliquale, vt Aliqualis notitia, id est, vel parua notitia. Aliqualiter, id est, aliquo modo discrepat à ζῷ simpliciter. Sic Scot. l. 4. dist. 49. Quicunque beatus, qui habet claritatem, cum est approximatus passo, sibi simpliciter vt oculo glorificato, vel passo aliqualiter proportionato, vt oculo non glorificato, necesse est, vt immutet oculum.

Thom. de Aquin. in l. de Diuinis nominibus Dionys. a Aliqualis similitudo a *Al. qualis, qualis.* est creaturarum ad Deum, ex quo intelligitur maiorem esse hic dissimilitudinem.

Τὸ Aliqualiter contemplari Scotus opponit ei, quod est comprehendere, vel perfecte contemplari. Significat igitur Aliqualiter imperfectionem. Sic idem dicit, Ad aliqualiter hoc declarandum.

ALIQVOTVS NVMERVS.

Aliquotus Numerus est numerus aliquoties multiplicatus, seu aliquoties multiplex respectu vnitatis, quæ non species, sed materia est numeri, quæ omni numero & finite & infinite multiplici accidit proprietas seu affectio. Schegk. 5. demonst. Nam vt actu finitus omnis est, ita potentia infinitus est numerus. Idem ex Aristot. Quare etiam ratione vnitatis numerus omnis finite multiplex est, siue par fuerit, siue impar. Aliquotum finitum Aristoteles vocat πόσον, Infinitum vero aliquotum ἄπειρον.

ALIVD.

1. Aliud diuersum est vel ratione, vel re etiam, vel modo rei, vt aliud sunt partes, aliud Totum: aliud species, aliud genus: aliud materia, aliud forma. Pars enim est in Toto, & Totũ in partibus, sed alio modo. Aliud est vas, aliud quod est in vase.

Alteratum necesse est fieri aliud, quam prius, & perdere priorem habitum. Plat. in Parmen.

2. Aliud accipitur speciatim à Scaligero, vt sit nota specificæ differentiæ, Exercit. 6. sect. 14. Aliud (ἄλλο) fit in generatione per substantiam. Et paulò antè: Qualitatum receptione non fit, *Alietas*, Græce ἀλλότης, in subiecto, sed ἀλλοιότης, *Alteritas*, vbi subiectum manet vnum. Boet. in Porphyr. Alteratum esse dicitur, quicquid aliqua ratione diuersum est, non tamen specifica differentia. Nam tunc non alteratum, sed aliud esset.

Paul. Scalig. epist. Cathol. l. 3. p. 188. Homo à puero crescens in virum non est alius substantialiter, aut diuisiue, imo idem est, vna duntaxat augmentatione differens.

Aliquid esse, & τὶ ἦν εἶναι, sunt idem re, sed differunt ratione. Alex. Alens.

ALLITERATIO.

Alliteratio idem cum paranomasia est seu agnominatione. Alias dicitur παρήχησις, cum literis paulùm mutatis, vel syllabæ quantitate, quadam similitudine vocum, in contrariam vel diuersam significationem deflectimus.

Fit autem
- Additione: Verba, Verbera.
- Variatione literarum: *Spes confisa Deo nunquam confusa recedit.*
- Detractione; caula, aula: hara, ara.
- Translatione; non laudator, sed adulator.
- Mutatione quantitatis: *Oblitus est vino, sed non oblitus amoris.*

Accedit & nonnunquam Echo, vt Grata, rata: Generosa, rosa: Sacerdotium, otium.

Alia Exempla.

Tange lyram digitis, liram fac arator in agris,
Sulcus agri lira est, dat lyra tacta sonum.

Sæpe scelus cœlum zeli velamine turbat,
Sculpendum cœlo sed scelus illud erat.

Quæ { Ira } Mi { RA } } Dei { Patris propter peccata peremit, Fratris facies placata redemit.

ALLVSIO.

Alludere est alio, quod dicis, referre.

Sic dicimus alludere ad sententiam aliquam, & allusio ad locum aliquem communem.

Hieronym. quadam epistola reprehendit interpretem Lucæ, qui alludat in verbis, frigeat in sensu. Dicitur & allusio ad affectus alicuius.

Allusio ab Alciato in Comment. de verborum significationibus: Et ab Oldendorpio in Topicis Legalibus, distinguitur ab Etymologia, vt neq; ad substantiam rei, neque ad deriuationem omnino respiciat, sed ad solius vocis similitudinem referatur; itaque argumentum ab allusione non sit iustum, nisi ad similitudinem nominis similitudo quoq; rationis accedat.

Exempla allusionis sunt: Furtum, quasi furuum: Testamentum, testatio mentis; Sacellum, sacra cella. Furis enim etymologia est à φώρ, quæ vox est ἀπὸ τῦ φέρειν, id est auferendo; Testamenti à testatione: Sacelli à sacro. Sic allusio est: Mutuum, quod de meo fiat tuum.

Vsus.

Iustinianum irridet Laurent. Valla, qui Testamentum dixerit testationē mentis esse. Si hoc verum, Ornamentum & Vestimentum, idque genus similia deducerentur à mente.

Responsio hic Alciati est: Iustinianus nō adducit Etymologiam, sed Allusionem, qualem Grammatici Paranomasiam, Rhetores Parison habent, solumque in ea nominis conformitas spectatur, quod & Quintilianum non latuit, cum non ad originem vocis, sed ad soni similitudinem referatur, vt hoc casu eo melior sit allusio, quod veritatem etiam respicit atque attingit. Nam in testamentis mens potissimum dominatur.

ALTERVM.

Alterum quicquid est in ordine Entium ab aliquo, per alteritatem necesse est esse alterum. Marsil. Ficin. in Platon. Parmen Idem opponit Eidem.

Alterum, θάτερον, Platoni in Sophista est οὐσίας συμβεβηκὸς, substantiæ accidens, quod etiam ὄντως μὴ ὂν vocat, quia non est rei οὐσία.

Alterum apud Latinos & ordinem significat, & numerum consignificat, mutationem vero nullam.

Sed Physicis mutationem innuit pertinentem ad qualitates. Scalig. exerc. 6. sect. 14. Aqua vbi calefit, duas intelligimus qualitates, quarum prior frigiditas abolita fuerit: secunda siue altera, quæ est frigiditas, alteram ipsam esse fecit aquam à se ipsa, aliam non fecit.

ALTERITAS.

Abstractum Alterius est Alteritas, ἑτερότης, à qua sæpe distinguitur ἀλλότης, Alietas.

Plotinus, laudante Francisc. Georg. Veneto, libro de Harmonia Mund. cant. 2. ton. 1. cap. 11. Genitum ei qui genuit, vsque adeo cohæret, vt sola Alteritate videatur esse discretum.

Theologi dicunt, Filius à Patre non differt essentia, sed relatione reali.

In hominis animo est idem & alterum Platoni, ταὐτὸ καὶ θάτερον, quod videtur esse ænigmatodes. Ita igitur explico: In homine est ratio & intelligentia; hæc nomine ταὐτοῦ significatur. Sunt in eadem etiam ἄλογοι, cupiditates,

ditates, varii animi motus (διαφόρους κινήσεις) cum cupiditates illæ rationis imperio excusso dominantur: at cum ratio imperium obtinet, suo & proprio motu cupiditatibus moderatur, inde prudens & constans animi status existit, & hoc ταυτὸ est. Vide Platon. Tim.

Alteritas videtur significare ipsam diuisibilitatem siue duitatem (sic audet loqui M. Ficin. in Platon. Sophista) differentiæ omnis & distinctionis originē, ad quam sane perueniendum est, abstractam, & ab omnibus particularibus differentibus & differentiis absolutam, quia hæc omnis distinctionis formalis origo est. Ficin. in Platon. Sophist.

Idem in eodem: Alteritas ipsa in quolibet dici potest non ens cum ente confusum, atque confundens tamen in opposito negatiuo præcipue non Ens appellatur, interim enti permixtum. Iohann. Grammaticus Philoponus Alexandreus in Comment. in lib. 1. de generat. & corrupt.

Homerus mutationem Vlyssis in accidentibus alterationem nominauit, dicens, Alter mihi hospes nunc videris, quam prius. Et paulo post: Generatio aliud facit, vt ex aqua aerem, alteratio vero alterum, vt ex alio nigrum.

ALTERATIO.

Scaligero alicubi Alteratio est qualitatis generatio, sicut ei in augmento omni fit generatio quantitatis. Alteratio enim habet proportionem generationis (simpliciter dictæ, quæ proprie est in substantia.) Scalig. 101. sect. 14.

Alteratio proprie dicta, nonnullis variatio, Iohanni Grammatico est in passiuis qualitatibus facta mutatio manente subiecto sensili eodem. Hæ enim recipiunt magis & minus. Huic opponitur quasi alteratio, vt in sonis, graui & leui.

Alteratione quicquid fit
- Illius hoc primum, illud posterius fit.
- Fit ἀθρόως, aceruatim, confertim, id est, totum seu simul in omnibus partibus, vt contingit in lactis & aquæ concretione.

Alteratio, quæ facit alterum
- Sensilis, Physica, dicta κατ' ἐξοχήν, secundum qualitates, vt odoratio, coloratio, lęuigatio, exasperatio.
- Insensibilis, qua acquiritur qualitas insensilis
  - Παθητικὴ, qua affectus variantur, vt, contristatio, lætificatio.
  - Γνωστικὴ, qua notitia rei acquiritur, vt sensio, intellectio, omnisq; institutio & exercitatio, qua habitus intellectus acquiritur.
  - Ηθικὴ, qua mores alterantur, vt dehortatio, obtemperatio, omnisq; institutio & exercitatio, qua habitus moralis comparatur.

Παθητικὴ homo fit ex tristi lætus: Γνωστικῇ ex ignorante sciens, ex indocto doctus, ex insipiente sapiens: ἠθικῇ ex imprudente prudens, ex improbo probus.

Alterationem inferre proprium passionis est.

Ex Alex. Alensi, 8. 1. Phil.

Alteratio { Realis, via ad generationem.
Intentionalis, cum non lucidum mutatur in lucidum.

Ex Thom. Aquin. 1. de Cœl. l. 7.

Alteratio { Passiua; elementaris — qua ita aliquid abiicitur, vt aliud addatur: vt cum de frigido fit calidum.
Perfectiua, cœlestis, — qua aliquid ab alio perficitur, absque alterius abiectione. Hæc est in potentia sensitiua, & potest etiam esse in cœlestibus coiporibus.

Ex Alb. Magn. 1. de cœl. tract. 1. cap. 11.

Alteratio { Motus Naturalis dicitur κατ' ἐξοχὴν { ad melius. / ad peius.
Finis motus. Hæc fit repente seu subito per illuminationem & per lumen, quod est forma prma corporis luminosi. Hæc alteratio conuenit Lunæ.

Illa proprie dicta est alteratio: Hæc vero improprie.

Alteratio est primo & principaliter in primis qualitatibus. Secundario est in secundis nempe interuentu primarum.

De Naturali Altetatione intelligatur, quod dicitur alterationem requirere quinque 1. agens extra mobile per qualitates actiuas. 2. Alterantis contactum. 3. qualitatem. 4. variationem præter essentialia secundum qualitatem. 5. contrarium actu pugnans.

De quasi & impropria alteratione intelligantur hæc. Alteratio in mentibus puris est intellectuali potentia in obiectum intelligibile trãsformari. Marsil. Ficin in Platon. Parmen. Alterationis motus in anima est, quando affectum & vitam, & formam, & actionem superiorem (vt angelicam) vel inferiorem (vt brutam) habet, quasi facta iam altera.

Ad quasi alterationem seu improprie dictam etiam referunt, cum fit mutatio priuationis vel habitus.

Alte-

Alterabile igitur est secundum qualitates mutabile. Atq; vt ex antegressis apparet, alterabile est.

Alterabile alteratione
- Reali, quæ fit ad aduersam seu contrariam, vel mediam qualitatem.
- Spiritali, (vt sensatio, tactio) quæ fit in instanti. Licet enim inter qualitates reales sit vera contrarietas, earum tamen species spiritales nullam habent contrarietatem.

Quædam alterantur (vt & augescunt) ex se seu intrinsecus seu ab interna vi. Quædam extrinsecus seu ab externo, vt quæ alterantur ab aere continente. Nicol. Leonicer. in comm. in Aristot. libr. de motione animal.

ALTERNATIO.

Alternatio est per vices successio, variatio, vel commutatio. De hac versus:

Hæc alternanti potior sententia visa est.
Eaque innuitur illo:
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc.

Alternationis species est tum huius miseræ vitæ cum meliori commutatio: tum translatio hominis sine morte ex hac vitâ in vitam cœlestem, quæ fiet subita Mutatione, quæ iis erit pro morte, & suscitatione, qui superstites in die nouissimo erunt, vt docent Θεολογοῦντες.

Alternatiua propositio recentioribus nihil aliud est, quam propositio Disiunctiua. Alciat. in comm. de verbor. significat. & Iulius Pacius in Logic. Alciatus ait: Complecti & Disiunctiuam & subdisiunctiuam. Disiunctiua ei est contrariorum (quæ immediata sunt.) Disiunct. diuersorum, quæ habent medium, vt sedere & ambulare. Medium hic accumbere, stare.

ALTERNATIM.

Alternatim particulam τὸ per vices significare notum est. Eam dupliciter accipiunt Geometræ. Interdum iuxta talem situm: Interdum iuxta talem rationum consequentiam. Procl. in Euclid. l. 4. comm. 1.

ALTITVDO.

Altitudo alicuius rei est portio de circulo eleuationis à re eleuata ad horizontem, Iohan. Paduan. in Sphær.

Altitudo aliquando accipitur pro profunditate, altum pro profundo, vt altum mare. Sic profundum cœlum pro alto.

In columna idem re esse altitudinem & longitudinem, sed differre ratione ait Scaliger: quia longitudo sit ea dimensio, quæ tractu maxima sit, quocunque situ fuerit columna. Altitudinem vero esse erectam longitudinem, quippe quod erat partis tantum ac summi fastigii (hoc enim erat altum) attributum est toti, cuius totius illud & extremum & supremum erat. Tres igitur cum sint dimensiones, longitudo, latitudo, profunditas, si ab imo ad summum erectam longitudinem contẽplere, altitudinẽ inuenies: si iacentis columnæ longitudinem

con-

consideres, nulla erit ibi in longitudine altitudo : imo illius columnæ altitudo est eadem, quæ & profunditas. Etenim latitudo est transuersa linea ad longitudinem : profunditas autem in perpendiculari, cuius summa pars alta, & erit, & dicetur: Tum quæ sub ea maxime distãs, ima. Quin etiam subtilius omnia perpẽdenti, in erecta columna tres quidem sunt dimensiones, sed minus aptis vocibus designatæ. Eadem namqne est linea & altitudinis & profunditatis, quarum vtraq; longitudine continetur; cuius illa sane sunt extrema, alterum ad cẽtrum, alterum ad ambitum vniuersi. Idem statuit longitudinem ab altitudine differre prædicamentis, quod longitudo ad prædicamentum quantitatis, Altitudo ad prædicamentum situs referatur.

Altitudo cuiusq; figuræ est linea perpendicularis à vertice ad basin deducta, Euclidei; id est, Figura tãtam habet altitudinem, quanta est perpendicularis à vertice demissa, vt Trianguli a b c. perpendicularis a g ducta à vertice a ad basin b c appellatur altitudo trianguli a b c



Ita perpendicularis est mensura altitudinis figuræ. Altitudo seu ὕψαρμα poli (vulgo eleuatio poli) congruit cum loci latitudine.

Est & altitudo stellarum, vt Solis supra horizontem, altitudo solis meridiana, Altitudo æquinoctialis.

Iohann. Paduanio in sphæra alicuius rei altitudo est portio de circulo eleuationis à re eleuata ad horizontem; Eleuari hic est à superficie terræ attolli.

Altitudini inuestigãdæ inseruit Altimensorium. Altimensorium est instrumentum, per quod altitudo solis, aliarumque stellarum, aut cuiusuis rei eleuatæ elicitur. Iohan. Paduan. Veronens. in tract. 5. de vtilitate sphæræ, vbi & fabricam huius instrumenti docet, pag. 100. Huic instrumẽto incumbit regula volubilis, cuius linea per medium ducta trãsit per mediũ centrum, quæ dicitur Linea fiduciæ. Barbar. Alhidada.

Etsi autem altitudo Æquatoris & altitudo solis meridiana differant; tamen cum sol est principio Arietis, aut Libræ, ipsa altitudo solis meridiana per se est altitudo æquinoctialis.

Altissimum in meridie in horizonte nostro esse vel conspici est solem proxime ad verticem nostrum accedere. *Aliud longe est solem in suo orbe eccentrico esse altissimum.* Nam altitudo illa solstitialis in meridiano circulo primi mobilis cõsiderata solem nobis propiorẽ facit, hoc est, quia propius ad verticem nostrum accedit, rectiores in Horizontem radios spargit, qui reflexi fortius densati efficacius calefaciunt. Ea altitudo certarum partium terræ est, non vniuersæ. Nam dum nostro vertici Sol est propior, videtur Australibus remotior.

Altitudo vero solis in Eccẽtrico solis corpus ab vniuersa terra longe remouet atq; attollit, non ab vna aliqua parte, ac vires eius immodicas futuras nonnihil debilitat, quare & corpus Solis minus videtur in Apogeo (vbi distat altius à terra) quã in Perigeo (vbi propior est centro mundi seu terræ.) Longius autem sol recedit à centro Mundi,

di, quando vehitur in ſignis æſtiuis (id eſt, in loco boreali ad ſummum faſtigium aſcendit,) propior vero eſt centro Mundi, cum eſt in ſignis hybernis. Aliud autem eſt Altitudo ſolis, aliud exaltatio. Illa ad ſublimitatem localem; Hæc ad ἐξοχὴν ſeu efficaciam & vim infertur. Vtramq; ſignificat vox ὕψωμα: ὕψωσις exaltationi ſæpius tribuitur.

AMBIGVVM.

Ambiguum 1. vocis eſt ſeu λέξεως (ſic Ambiguitas eſt anceps vocis poteſtas.)
2. Orationis ſeu διανοίας. Hæc ἀμφιβολία dicitur.
3. Rerum.

Ambigua corpora Phyſica ſunt, quę ſunt ambiguæ vitæ vel naturæ ancipitis, Græcis ſunt ἐπαμφοτερίζοντα σώματα φυσικά Talia ſunt animalia, quæ dicũtur ἀμφίβια, quod partim in aqua, partim in terra degant: vel quod æque paſcantur in vdo atq; ſicco; Επαμφοτερίζουσι quoq; Androgyni, id eſt, qui vtroq; ſexu participant, & noctuę, quę quatuor pedes, vt terreſtria animalia, alas vt volucres obtinent. Struthio item Africus, qui pennas habet & bipes eſt, vt auis, in palpebris autem piloſus eſt & biſulcus, vt quadrupes. Cãcros Oppianus ἀμφιβίους, quem ſequitur Cardanus. Loco ἐπαμφοτερίζουσι, id eſt, ambigua ſunt aer & aqua terræ & ignis comparatione. Ariſt. 3. Phyſ. 5. Vt enim grauitate & leuitate: ſic etiam ſupero & infero loco participant. De amphibiis plura vide exer. 244. l. 1. Scal.

In Oratoria Ambigui ſtatus ſeu conſtitutio ex Ambiguo eſt ſedes controuerſiarum, quæ vel ex genere ſermonis, nimirum ex æquiuocatione, id eſt, alicuius vocabuli ambiguitate, aut ex generalitate integræ orationis, vel ex rerum ipſarum confuſione exiſtunt. Cicer. l. 1. ad Herenn. Ex ambiguo controuerſia naſcitur, cum ſcriptum duas ſententias aut plures ſignificat.

Exemplum illuſtre ſubiicio.

Cuncta Leonte Leon cum fratre forenſibus armis
Decertat, dubio bellaq; Marte gerit.
Belli cauſa Patris non intellecta voluntas
Ipſe ſuas vtri nempe dediſſet opes.
His etenim verbis, mea do bona cuncta Leonti,
Ante parens vſus, quam moreretur, erat.
Hinc ſibi cuncta Leon patris bona vẽdicat hæres,
Poſcit & ipſe Leon cuncta paterna bona.
Tu refer antiſtes nobis doctiſſime legum,
Vtrum ipſo maneant iure parentis opes.

Vox eſt ab Ambigo, quod videtur eſſe deriuatum ab Am & Ago, quaſi circumago. Albertus Magn. videtur deducere ab Ambio (quod non placet mihi,) cum dicit: Ambiguum dicitur, quod ambit vtramq; partem per rationes æquipollentes, & Ambiguitas eſt, quæ vnumquodq; contradictoriorum æqualibus ambit rationibus. Ethic. 7. tract. 1. c. 1.

Ambiguitas pro dubitatione ſeu ἀπορίᾳ à Platone accipitur, quæ impedimento eſt, ne progrediamur. in Cratylo.

AMBITVS, AMBITIO.

Ambitus proprie eſt circuitus, Græce περίοδος. Ita accipiunt Aſtronomi.
2. Accipitur pro limite ſeu extremo ſeu fine.

In vnaquaq; ſpecie[a] certus ambitus præſcriptus eſt quantitatis, qualitatum figurę, numeri, partiũ, ſitus, finium, officiorum. In longum ad viceſimũ primum ita creſcimus, vt accretionibus haud parum latitudinis reſpondeat. Inde ad viceſimum ſeptimum, vt aiũt, iuſtæ latitudinis ambitum capimus. Scal. 2. de Plant. Idem in ex. 307. l. 29. Anima ἐντελέχεια ſic intus eſt, vt etiam ſit in ambitu, perficiens, non autem extra vt Lux, &c.

[a] *Pro eo etiã dicitur certus præſtitutus finis.*

Quæ res corpulentiæ modum nacta eſt.

E Schol. Mathemat. Ductę lineæ à puncto ad ambitum ipsum ad punctum angulos conficiunt, ad ambitum statuunt basin.

In Politicis Ambitus ponitur pro crimine honoris affectati largitionib. aut pollicitis. Hinc Ambitiosus dicitur qui magis quam oportet, & vnde non oportet, honorem affectat. Seu, qui nimia honoris cupiditate inflammatus est, honoremque, vnde non oportet, aucupatur. Græce φιλότιμος. Arist. lib. 4. Ethic. Nicomach. cap. 4. cui opponitur ἀφιλότιμος, honoris contemptor.

Ambitio est honorum & gloriæ immodica appetitio. Francisc. Patrit. de Reg. 4. lib. Speusippo in definitionibus Platonis est Habitus animæ honoris gratia omnes sumptus admittens, præter rationis normam.

Ambitio igitur est vitium in excessu pugnans cum moderata honorum & magistratuum petitione vel appetitione. An ex ambitione oriantur aliquando actiones magnificentiæ & magnanimitatis, de eo quærit & differit Institutio Moralis. Vid. Scalig. exer. 317. s. 4.

Ambitio igitur cum recta ratione valde improprie dicitur.

Ambitiosa diligentia est diligentia nimis anxia, affectata, laudis aucupatrix. Ita Vlpianus quoq; vsus est.

AMBVLO.

Ambulo proprie est incedo pedibus, quod non fit sine inflexione, Græce βαδίζω, vnde esse verbum Vado videtur. Improprie à Catone de re Rustica tribuitur auibus, & à Cicer. 2. de Finib. Nauibus.

Per Metaphorā interdum idem est quod peruagari, vt; per omnes leges ambulare.

Vltimo Ambulare abusiue dicitur id, quod serpit super ventrem. Alb. M. de an. tr. 1. c. 8.

In propria significatione accipit Aristoteles in Histor. Animal. vbi inquit: Ambulātia omnes pedes pares habent. Et in problem. Ambulationes acclives laboriosiores sunt, quam decliues. Et Alb. M. de mot. animal. 2. Ambulatio, inquit, fit in terra, vbi quies est animalium, ideoq; in illa oportet altero pede sustentari.

Ambulacra à Scaligero accipiuntur pro Scholis Aristoteleis, ex. 307. s. vlt. Ambulacrorum nostrorum candidatis facilis est responsio. Idque translate, Aristoteles enim inambulans disputabat.

Ambulatio proprie dicta aut est bipedum, aut quadrupedum. Bipedum fit ita, vt altet pes figatur, alter expellatur ad spatium accipiendum. Quadrupedum vero perficitur attollendo vnum pedem de prioribus in dextrum, & vnum de posterioribus in sinistrum, & è conuerso, vt ait Alb. Mag. de mot. animal. 2. tract.

Ambulare etiam à corporis motu ad animam nonnunquam transfertur. Ambulatoria enim, inquit Iurisconsultus, est voluntas hominis ad vitæ supremum exitum vsque, id est, mutabilis, variabilis. de fundo dotali l. erit ergo Paulus. Erit ergo Voluntas Legis ambulatoria, id est, mutabilis ad permittendam alienationem. *Vlpianus.*

Sic Metaphorice Ambulare accipiunt 1. Psalmo. Beatus vir, qui in consiliis impiorum non ambulauit: id est, qui vitam non instituit iuxta constitutiones aut placita impiorum.

Plura non addo, quia Solem, quod aiunt, facibus illustrare quorsum attinet?

AMICITIA.

Amicitia est commune ad vnum; Itaque eius veræ species non sunt, sed tantum gradus.

Est au-

Est autem Amicitia virtus reciprocæ benevolentiæ. Francisc. Patrit. de regn. Est mutuus amor, stabili quadam, id est, honesta consuetudine confirmatus. Marsi. Ficin. Est stabilis vitæ duorum vnio, seu habitus ex amore diuturno contractus. Platoni & eius assecl. Est ἀντιφίλησις ὑλανθάνουσα, Aristoteli, id est, vtrique perspecta & cognita.

Hæc perfecta est, vel imperfecta.

Perfecta ex virtute oritur. Imperfecta est ob vtilitatem, iucunditatem seu voluptatem.

Francisc. Patrit. Amicitiæ 3. facit species: Naturalem, Ciuilem & Hospitalem, Etsi Hospitalis sub Ciuili, voce generatim accepta, comprehendi possit.

Naturalem Platonici triplicem faciunt. 1. Pietatem. 2. Indulgentiam. 3. Necessitudinem. Sed Alb. M. Pietati nomen amicitiæ detrahit, quod minus hoc ei videatur: Amicitia, inquit, vera non est inter parentes & natos, sed potius Naturalis pietas.

Dixi nomen esse πρὸς ἕν, principaliter igitur tribuitur amicitiæ honestæ, quæ est inter probos. Itaq; καὶ ἐξοχὴν amicitia accipitur ab Alb. M. cum dicitur, Amicitiam non fundari nisi in honesto. Imptoprie accipitur pro beneuolentia. Hæc enim non est formaliter amicitia, sed tantum eius principium, teste Aristotele.

- Amicitia
  - Virtus,
    - Proprie dicta seu vera, Humana, inter pares seu inæquales.
      - Cum virtute copulata. Ita Amicitia est proborum Hominum mutuus, cognitus, confirmatusque amor ex virtute ortus ad vitæ coniunctionem. Definitio αἰτιώδης.
  - Quasi
    - Diuinarum Mentium eminentissima, qua hæ se mutuo complectuntur.
    - Naturalium. Naturalis
      - Eorum, quæ sunt sine cognitione, quæ oritur ex natura. Sic pluuia amica plantis: vlmus viti. Hæc dicitur Sympathia Physica.
      - Animantum. Hæc Concordia quædam & conspiratio.
    - Hominum vel
      - Inæqualium, seu status & conditionis inæqualis.
      - Vtilitatem aut iucunditatem tantum spectantium.

Explicatio.

Naturalis) φυσικὴ ὄρεξις, naturalis appetitio. Huc pertinet Amicitia Empedoclis, cui contentio opposita. Empedocles Amicitias vocat qualitates inter se conuenientes, eamque ait causam esse generationum: Calidum procreat calida: Humidum humida. Similia enim à similibus oriũtur & alũtur. *Canon. Similia sunt capacia similium.*

Contra litem vocat dissentientes & pugnantes inter se qualitates, & ait esse causam corruptionum, quo pertinet Axioma: Contraria à contrariis corrumpuntur: Cum ignis gignitur ex aere, necesse est aeris formam expulsam esse. Versus Empedoclis sunt:

Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα,
Ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα, νείκεος ἔχθει:
Τῇ μὲν γίγνονται, καὶ οὐ σφίσιν ἔμπεδος αἰών,
Τῇ δὲ τάδ' ἀλλάσσοντ' ἀλλάσσοντα διέμπερες, οὐδ' ἀπολήγει.

Id est, κατὰ πόδας:

Interdum quidem per amicitiam congrediuntur in vnum omnia.
Aliâs vero iterum omnia in diuersas partes seu formas feruntur per inimicitiam litis seu contentionis.
Illâ quidem fiunt res, & ipsis non est stabile æuum, seu firma ætas.
Hac vero res mutantur omnino, nec tamen simul cessant.

Latinus Poeta sic ἑρμηνεύει:

Iungit amor quandoq; Elementa & semina rerum,
Dissiliunt odiis eadem certantia rursus.
Sic res gignit amor: sed non durabile quicquam
Nascitur, inq; vices mutantur cuncta subinde.

Melanch. l. 1. de principiis. Arist. l. 3. prim. Philosoph. c. 4. Ioh. Velcur. l. 4. Com. Phys. c. 2. Empedocles ex 4. Elementis, & ex amicitia liteque dicit compositam animam, significans formæ cum materia conuenientiam & quietem amicitiæ vocabulo, qualis concordia animæ est cum suo corpore. Per litem vero significat potentiam & habilitatem, quæ est in corpore ad corruptionem & sui mutationem: qualis est discordia animæ cum corpore, quando à se inuicem dissolui volunt atque dissoluuntur.

AMICVS.

Amicus, vt φίλος, accipitur modo actiue, modo passiue. Actiue pro eo, cuius est φιλεῖν: Passiue pro eo, qui est ἐν φιλουμένοις. Actiue: Amicus certus in re incerta cernitur, id est, qui certo nos amat. Passiue: Amicus Socrates, amicus Plato, sed amicior veritas, id est, carior. Vtramque significationem plane ostendunt sequentia. Plautus: Nihil homini amico est opportuno amicius, Amico actiue, amicius passiue. Nicol. Grouichius, versor Ethicorum Aristot. Nobis Amici sunt, qui Ideas introduxerunt, sed æquum est veritatis rei tenendæ causa, suo etiam decreto tollere, Philosophos præsertim. Etsi enim vtrique chari sint, tamen præclarum est pluris æstimare veritatem. Hic Amici & chari sunt synonyma. Sic φίλα πράττειν est grata facere.

Amicum etiam dicitur per Metalepsin, quod est ab animo profectum amico, vel amicum animum ostendit: Vt, δῶρα δ' ὀλίγα φίλα γίγνεται ἡμετέρη, id est, donum paruum, & ab animo beneuolo profectum. Ciuitates amicæ sunt, quæ amicitia sunt deuinctæ.

Amicum etiam est amicitia dignum, vt: φίλος, φίλα ἔρδει, Amicus quæ amicitia digna sunt facit.

In eo autem differunt Carus & Amicus, quod Carus semper passiue accipitur pro grato, accepto, seu eo, qui dilectus est; Et semper adiectiuum est. Amicus vero etiam substantiuum. Quod autem amicus dicitur & de amante & de Amato, causa est mutuum seu reciprocum illud, quod est in vera amicitia, quod ἀντιφιλεῖν est Græcis. Amicus scilicet est amici amicus; vt carus est fauenti carus, & faucns est caro faucns.

AMA-

AMABILE.

Amicabile & Amabile differunt: Illud est quod debet Amicus, vel quod pertinet ad amicitiam, Græce φίλιον: Hoc vero quod dignum est amari, Græce φιλητὸν; Amoris obiectū: *quod habet rationem boni.* Atque hoc obiectum est amoris adæquatum. At principale potest statui Pulcrum. (de hoc intellige vetus illud, τὸ καλὸν φίλεσθαι). Nam amantibus sæpe suarum puellarum nævus, aut aliqua fœditas est nimiæ magnæ voluptati. Petr. Martyr in Eth. l. 2. & nonnunquam amatur res desperata.

AMOR.

De Amore tum Physica tum Moralis institutio est. Est autem amor appetentis facultatis affectio, qua id appetitur, quod bonum putatur, & imaginationi suauiter blanditur, quo frui cupiunt animantia, feruore cordis instigata. Descriptio est Cornel. Valer. in Instit. Phys.

Vel est inclinatio appetitus insequens approbationem facultatis iudicantis cum voluptate, ex consensione obiecti, vt boni, cum facultate; vel cum dolore ratione priuationis. Hæc contracta est ex Piccol.

Vel, Amor est affectus vnionis seu (συνάφειας, id est) copulationis.

Vel est affectio amantis erga rem amatam.

Intelliguntur autem hæ descriptiones & definitiones de Amore creato, non increato, qui Deus est, ac caritas, vt dicitur. Is enim amor, ea caritas proprie affectio non est, sed ἕξις.

Dicitur affectus vnionis; quia amans cum re amata vnum est, quoad licet appetit. Quocirca & hærent, & corpora cōserunt, & spiritus duos osculorū conjunctione, vt vnus sit, faciunt. Id quod Amoris fundamentum cum putarent esse veteres Sapientes ἑνοποιέτας, bāsium Græca voce nominarunt, ludice Scaligero. Βάσις enim est fundamentum.

Quæ duo sunt, atque vnum esse queunt, propter similitudinem, appetunt esse vnum. *In Amore est vnio ad aliquo.*

Amantes tales sunt. Ergo, &c. Et per consequens Amor est appetitus vnionis (siue ea sit præsens, siue futura) seu affectus potius, quo appetitur Vnio.

Cur dicis potius? Quia videtur Scaligero appetitus non esse de essentia amoris: Quia postquam re amata, qua diu caruimus, potiti sumus, nō manet appetitus, & tamē manet amor, & quidem aliquādo feruidior priore. Cū in Patria fruemur summo bono, lōge erit excellentior amor præsentis Dei, quam nunc est in hac appetentia, ait Scaliger. Itaque idem describit Amorem affectum, quo cum re amata aut vnimur, aut vnionem perpetuamus. Describit, inquam, quia vtitur Disiunctiua Aut (Breuiter, Est affectus animi vnionis, vt hæc sit vel continuetur). Potest tamen affectus appetitus dici hoc sensu, quod sit appetentis facultatis animæ motus. Causa Amoris species, id est, repræsentatio ac forma, quæ accidit animo eiq; imprimitur, vt creet in eo dispositionem vnionis. Arist. Amore nemo capitur, nisi prius fuerit specie delectatus. 9. Eth. ad Nicom. cap. 5. Ea (Species) aut est vera, aut falsa, id est, ex opinione, aut recta, aut distorta seu deprauata. Et rursus aut bona, aut mala. Hinc & bonus & malus amor est. Rursus est fortis vel debilis. *Quid species ad amorem dispositi.*

Ordo in amicitia Ethica hic est. Prima est est cognitio obiecti seu impressio speciei: Ab hac est progressio ad beneuolentiam: Ab hac ad amorem mutuum: Ab hoc ad Amicitiam.

Constantiæ Amoris causa est certum, exp'oratum iudicatumq; propositum, quo ducimur ad firmitatem quandam intensionis illius.

Distinctiones quædam Scholasticorum.

Amor { Amicitiæ, quo voluntas diligit obiectum conueniens.
Concupiscentiæ, quo aliquid amatur propter aliud.
Complacentiæ, velle alicui bonum iam habitum, vt cui gratulamur.
Beneficentiæ, cum vult benefacere.
Desiderij, quo alicui volo bonum absens, vel quo bonum, quod abest, appeto.

Duplex est in Amore actus.

I. Desiderium, quo ad rei amatæ vnionem rapimur.

II. Gaudium, quo in re nobis vnita acquiescimus. Is vel est Intensior, (qualis est in caritate, quæ à Scaligero dicitur Amor intensus) vel remissior.

Sed Scaliger esse Amorem etiam sine gaudio pronuntiat. Non gaudemus, inquit, ex quocunque amore, sed modeste ferimus sæpe conuenientis rei coniunctionem, quæ vera & inculpata voluptas est. Quippe coniugio neque gaudeo, neque tristor, sed satis habeo, id est, acquiesco.

Alij (vt Gualand. Episcop. Cæsinas l. de ciuili facultate) sic:

Vt Appetitus est triplex, sic Amor est { Irascibilis, appetitus conseruandi iuuantia. Odium contra perdendi, quæ perdere velles.
Concupiscibilis; Appetitus Venereus, odium contra eius Auersatio.
Rationalis: Humanitas, quæ est appetitio benefaciendi dignis. Odium contra appetitus nocendi perditis & indignis.

Ex Platonis Symposio, seu Dialogo de Amore εὐμνημόνευτα.

Platoni duplex est Amor: vnus οὐράνιος, Cœlestis & honestus, qui honesta amat, & ad diuinas res homines impellit. Ἐπιδήμιος, id est, vulgaris, & inhonestus Alter, qui res turpes persequitur: quo pertinet Tartareus & portentosus.

Ille ordinatus est, hic inordinatus, Græce ἀνάρμοστος.

Amoris autem vocabulo in Disput. Platon. de Amore intelligitur appetitio boni & præcipue beatitudinis, vt boni οἰκείου, (licet amoris appellatio vni speciei attribuatur, vulgo Ioh. Serran.) cui appetitioni seu ὀρέξει inest amor, qui est Concordia & Humanitas, societatis humanæ vinculum.

Amor[a] naturalis est, vel ὄμικτος. Naturalis est ἀνευλογισμῷ, sine ratiocinatione. ὄμικτος est ex ipsa ratiocinatione.

a ὄρεξις φυσικὴ.

Naturalis Platoni est appetitio naturalis in nobis, qua res nobis bonas, & quibus indigemus, appetimus. Hic complectitur cupiditatẽ & studium felicitatis, quod omnibus est ingenitum, vt bonum suum optent, illudq; sibi adesse velint. Ita autem accipitur amor καθ' ἐξοχήν. Nam omnibus animantibus hoc est ingenitum, vt bonum, expetant vi ὀρεκτικῇ, seu impetu quodam naturali. Itaque amor etiam eis conuenit. Est quidem in omnibus rebus naturali vi aliquod dissidium, sed hoc Amoris vi & efficacia ita componitur, vt inde harmonia & homologia, id est, concentus & consensus, existat, quæ quidem est omniũ rerum salus. Serran. ad Platon. Conuiu.

Natura

Naturalis amoris gradus ſummus eſt vehemens & pene incredibilis στοργὴ, non modo in hominibus, ſed in omnibus etiã animantibus, parentũ in ſuos fœtus. quib. nimirum & amandis & alendis eſt imperueſtigabilis quidam amoris impetus.

Cauſam ait Plato eſſe cupiditatem immortalitatis, quam in fœtibus augendis ac propagandis, & in parentum demortuorum vicem ſubſtituendis mouetur natura. Plat. in Conuiu. Ex quo intelligitur & hoc, Amorem non dici æqualiter de quouis illiuſmodi affectu. Amori cognatus eſt Fauor. Sed fauor proprie amor non eſt. Nam fauor eſt ex amore, animi inclinatio ad bonum cuiuſpiam & commodum. Is tam poteſt eſſe poſt intenſum amorem, quam in ipſis initiis ſeu rudimentis amoris. Itaque non probatur Scaligero, quod Ludou. Viues dicit, Fauorem eſſe amorem inchoatum, vt quod non ſit perpetuum. Bene velle Scaliger poſterius facit amore, quia ſentit, non eſſe de Amoris, vt loquũtur, eſſentia, ſeu Amorem eſſe poſſe ſine beneuolentia. Amo Deum; ſed quid poteſt ex voluntate mea ei accedere? Hic ſciendum Scaligerum Amorem latiſſime ſumere, Ariſtotelem autem de amore humano & Ethico loqui, cum beneuolentiam facit eius principium, non de diuino. Gradus & craſes amoris ſunt. Interdum eſt languidior, interdum exuberans, interdum æquabilis, interdum feruidior aut exuberans, qui interdum iam furor eſt. Æquabilis põt eſſe abſq; lętitia. Interdum miſcetur amor cum triſtitia, interdum cum lætitia.

Vltimo Amor eſt
- *Proprius magis.*
  - *Otioſus*, actu primo, Affectiuus, παθητικὸς, Actus voluntatis elicitus, quo volo alicui bonum. Itaque Immanens.
  - *Efficax*, actu ſecundo cum opere, effectiuus, ποιητικὸς, Actus à voluntate imperatus, quo procuratur bonum illud, quod amato optatur, aut habitum cõſeruatur. Hic eſt effectus prioris.
- *Improprius.*

AMARE.

Amare Ariſtoteli 2. Rhetor. eſt velle alicui, quæ bona arbitramur, illius, non ſui cauſa, & ea pro viribus efficere.

Plenius.

Amare aliquem eſt alicui velle bonum, vel velle alicui id, quod putes bonum eſſe, idq; pro virili præſtare, & in eius bono ſuauiter acquieſcere. Carum habere plus eſt, quam amare. Sic Scaliger. Amor quo rem amo, quam poſſideo, cũ ſit fruitio, ex fructu amabo, ſiue fructus ſit in neceſſitate, vt victa, ſiue in vtilitate, vt deambulatio, ſiue in voluptate, vt in aſpectu viridariorũ. At eodẽ modo fruar Indicis rebus, q̃ mihi dono datæ ſunt, atq; ſi frequentes in foro venirent. Æqualis igitur amor eſt tam in raris, quam in vulgaribus. Sed Indicæ cariores, propter carendi metum, & quia non facile eſt eas λαβεῖν.

Ciceroni tamen Amare & Carum habere paria ſunt.

AMPLIATIO.

Ampliatio Scholaſticis Logicis eſt, cum dictum ſpeciale (vt quod ad certum quippiam directum eſt) generaliter interpretamur, & ad vniuerſum ſeu καθόλου accommodamus: Alias ἔκτασις, id eſt, extenſio, & dicti laxatio; cui opponitur Reſtrictio, quæ reuocat orationem à genere ad certam ſpeciem, à toto ad partem.

2. Cum vnum tempus extenditur ad plura, vt cum dico, Homo est Animal, intellige, est animal, fuit animal: erit animal: est hodie animal, fuit heri, erit cras. Ita intelliguntur axiomata κατὰ παντὸς. & quæ loquuntur de idea. In iis enim intelligitur non tantum vniuersitas subiecti, sed etiam temporis.

3. Pro certa temporis Enallage ἀνθρώπ. Huc pertinet hoc Viti Amerbachii 4. lib. Phys. p. 379. Non omne oportet esse, quod dicitur: satis est aliquãdo fuisse aut futurum esse, vt cum dicimus, Homerus est poeta. Dies Domini magna est extremum iudicium, per Enallagen, quam illi Ampliationẽ hic suo more vocant: Hæc Vitus.

Enallage temporis.

Ampliatio seu Extensio Iureconsult. etiam dicitur *Tractus*, cum verbo vtimur, quod non solum ad præsens tempus refertur, sed futurum quoque comprehendit. Alciat. l. 4. de Verb. signif.

Ampliare est vel Amplificare, vel amplius pronunciare, cõperendinare, rem proferre, id est, differre, quod sæpe fit, cum non liquet.

Ampliati rei, Græce ἀναβαλλόμενοι, sunt, quorum damnatio differtur.

Aduerbiali voce Amplius sæpe notatur initium noui argumenti, quod annotauit Zabar. in explic. Physicorum.

Principium, quod vsu *Amplum* est, opponitur principio *Coarctato*. *Vsu Amplũ* Zabarellæ est in tota sua amplitudine acceptum; (Scholastici pro Amplitudine dicunt etiam latitudinem.)

Coarctatum est restrictum ad proprium scientiæ alicuius subiectum. l. 1. post. analyt. Comment. ad context. 83. vt; oportet vel affirmationem vel negationem veram esse, principium est acceptum vniuersaliter sine coarctatione (amplissimum Zabar. vocat axioma.) Rursus oportet vel vnum esse principium rerum naturalium, vel plura; principium est Physici, adstrictum ad proprium Physices subiectum.

Vniuersale Amplius opponitur strictiori: vt, Genus est κα θόλ amplius, species strictius seu angustius.

Amplius pro plus dici quem latet? vt amplius quatuor horas, id est, plus quam quatuor horas. Sed ampliores pro plures barbariei notatum est à Scaligero in quodam Grammatico, qui sic locutus est: Diuiduum est, quod à duobus vel amplioribus ad singulos habet relationem, vel ad plures in numeros pares distributos, vt, Vterque, Alteruter, Quisque, Singuli, Bini, Terni. Dicendum erat pluribus pro ampliori-bus.

ANALOGIA.

In Doctrina de Vniuocis, & Æquiuocis, vt & prædicationibus distinguitur

Analogia
- Nominalis, secundum nominis rationem, κατὰ ὄνομα θεσίαν.
- Realis, secundum rem, κατὰ πρᾶγμα
  - Prima.
  - Secunda.

Analogia attributionis.

Prima, cum multa ad aliquod vnum ita ordinem habent & respectum, vt illud vnum de iis multis prædicetur. Ita sanitas est vnum Analogicum. Ad hanc respectum habet corpus humanum, vel cuiuscunque Animalis. Est enim sub-

subiectum sanitatis. Ad eandem respectum habet Medicina sanans, est enim causa sanitatis. Ad eandem sanitatem respicit rectus & bonus pulsus. Est enim indicium seu signum sanitatis. Cibus itē bonus, est enim sanitatis causa conseruans. Proinde & animal dicitur sanum, & medicina sana, & pulsus sanus, & cibus sanus. Propter ordinem igitur, quem omnia ista ad sanitatem obtinent, nomen sani analogice de iis prædicatur.

Analogia conuenientia.

Secunda est, cum inter duas talis est ordo ac κλίσις, seu conuenientia, vt vna referatur respectumq; habeat ad alterā. Ita Ens prædicatur & de substantia, & de accidente, non vniuoce, non æquiuoce, sed Analogice, quia Analogiam, hoc est, cōuenientiam, seu proportionem & ordinem habet accidens; Imo quod accidens est Ens, hoc habet à substantia; Accidēs enim ideo est Ens, quia in substantia subsistit. Alexander Alensis substātię tribuit esse Completum, Accidenti esse Diminutum.

Vsus.

Prima analogiæ specie non prædicantur, quæ de Deo & creaturis prædicantur, quia nihil est prius Deo, ad quod tanquam ad primum habeant Deus & res creatæ ordinem, sed secunda analogię specie, id est propter ordinem, quē res creatæ ad Deum habent, quæcunq; de Deo & Creaturis prædicantur, ea analogice prædicantur.

Porro in eiusmodi nominibus, quæ ἀναλογικῶς de Deo & Creaturis prædicantur, duo sunt consideranda, & inter se distinguenda, nimirum res ipsæ, per nomina significatæ: & nominum impositio. Ad res ipsas quod attinet, prius eæ de eo prædicantur, quæ de Creaturis. Atque hic proprie ordo est & conuenientia, quam habent creaturæ ad Deum, cuius ordinis causa dicuntur nomina analogice de Deo & de creaturis prædicari. Ὁμωνυμία.

Quod vero attinet ad nominum rationem & impositionem, prius iis nominibus appellatæ fuerunt res creatæ, quam Deus. Quare quod dicimus analogice prædicari nomina de Deo & de creaturis, quia prius de Deo, quam de creaturis: de analogia reali seu secundum rem, non autem secundum Nominis rationē intelligendum est.

Commonefactiones vtiles.

1. *Res creatæ vt bonæ & pulcræ sunt*, ita bonæ & pulcræ prædicantur analogice.
2. *Quod prædicatur de creaturis Bonum & Pulcrum*, illud etiam de Deo prædicatur analogice (non pure æquiuoce vel vniuoce,) id est, neque prorsus diuersa ratione seu definitione, neq; eadem omnino.
3. Creaturæ ad Deum referuntur & ordinantur.
4. Ordo inter Deum & res creatas est ordo inter efficientem & effectum, ac inter finem & media seu ordinata ad finem.
5. Itaque *inter Deum & Creaturas similitudo intercedit Perfectionum*, id est, creaturæ similes sunt Deo perfectionibus, vna magis, alia minus: hæc clarius; illa obscurius.
6. *Deus immortalis est & bonus absolute*, Anima immortalis & bona modo 'sui generis.

Vtuntur & nonnulli hac distinctione hic erudita sane.

Analogia duplex est, Eâ enim
- Aliqua aliquid participant καθ' ὕστερον ἢ πρότερον, vt substantia prius conuenit singulari, posterius ideæ seu vniuersali.
- Vnum imitatur alterum, vt: animal pictum, animal verum.

In Doctrina Topica docetur hoc. Analogia est rei vnius ad aliquid relatæ comparatio seu conuenientia.

Analogia { Rei vnius ad se ipsam. / Rei vnius ad alteram. / Rei ad signum.

Rei vnius ad se ipsam;] vt Christum in forma serui esse exinanitum: Conuenire Christo cum Ecclesia vt capiti cum corpore: facta dictaque ipsius suis principiis, mediis, aut euentis respondere.

Rei vnius ad alteram.] Si Mosen cum Christo, Vetus Testamentum cum Nouo comparemus, dicta Prophetarum cum Dictis Apostolorum, Circumcisionem cum Baptismo, Scripturam hanc cum illa.

Rei & signi.] Sic ceremoniæ habent analogiam ad res suas.

Est quædam analogia corporalis & spiritualis naturarum in Toto, non in Parte. Itaque vbicunque est anima humana, ibi & corpus, vt partes vnius Personæ, dum subsistit Persona. At vbicunq; est diuina Natura Christi, ibi non est humana κατὰ ὑσίαν suam, quia hę naturę nec in Toto, nec in Parte habent inter se analogiam proprie dictã. Imo in Christo proprie non vt partes vnitæ sunt, sed vt principium & principiatum, vt sustentificans & sustentificatum: Corpus & anima sunt naturę analogæ, quia vtraque etiam disparata suo spatio vel loco definita est, quamuis hæc spirituali, illi corporali modo. Infinitum autem & finitum non sunt analoga. Itaq; vnione personali neque infinitum finitur, neq; finitum efficitur infinitum. *Vnio enim non mutat naturas, sed coniungit tantum.* Sed infinitum capit Naturam finitam vbicunque ea est; Finita vero Natura capitur Infinito in suo loco, non in infinito loco. Franc. Iunius Cathol. Doctrin. de Trinitate defens. 1.

Vel vniuerse, vel ex parte tantum (vel in toto, vel in parte.) Alias Proportio.

Per rem etiam intellige personam, dictum, factum, ius, signum.

Exemplum ἀπολυθήσεως ex Analogia.

Si essentia spiritualis finita tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte totaliter, propter naturã continuitatis spiritalis, vt quę impartibilis sit, sequitur eandem quoq; rationem esse infinitæ Essentiæ πνευματικῶς, qua spiritalis est. Ita igitur vbicunq; diuina Natura est, ibi tota est totaliter, & sic est in corpore sibi vnito hypostatice, nempe vt spiritus: Sed respectu infinitatis suæ, cum vbiq; sit, tota est vbiq; extra supraq; omnem locum totaliter: Itaq; sic etiam est extra corpus sibi vnitum, nimirum tota totaliter æque atque in corpore, vt infinita est. Iunius in 1. Defens. Cathol. Doctrin. de Trinit.

Analogia vel generatim Similitudo { Adæquata. / Inadæquata.

Similitudo] Vt Imago quædam est expressa ad exemplar, cuius est imago, ita vt æquiparata sit exemplari suo, seu archetypo & principio suo. Hæc perfecta est & essentialis, seu adæquata & perfecta essentialiter. Hæc importat æqualitatem. Quædam est adumbrata vel accidentalis. Æqualis est homo homini secundum essentiam Naturali necessitate: At imago dici proprie homini æqualis nequit.

Ex Alexandro Alensi.

Alexandro Alensi in 4. Metaph. duplex est Analogia: Vna, in qua omnia Entia prędicamentalia seu categorica & causata attributionem habent ad causas altissimas. Altera, qua nouem prædicamen-

dicamenta accidentium attributionem habent ad Substantiam, tanquam ad Ens fixum, & quasi ad seipsum reflexum.

Ex Albert. Magn. de Prædicabilibus.

Analogia fit tribus modis, Proportione
- Ad Vnum subiectum, vt Ens.
- Ad vnum [a] Efficiens actu, vt Doctor Medicus secundum Medicam, quæ in ipso est, artem seu scientiam: & idiota Medicus per experientiam.
- Eiusdem, vt sanum, quod in cibo & vrina consistit.

[a] Potest ad id etiam ad vnũ finem.

Analogiæ igitur diuersos esse gradus apparet ex Auerroe 1. Ethicor. Immo tam generalis est vis atque potestas vocis Analogiæ, vt diuina quoque attingat: vt, analogia quædam est Dei & Angelorum. Adde ex Alberto Magn. quod analogia est non tantum Dei & intellectuum supernorum, sed etiam Hominis πρὸς βέλτιστον κατὰ φύσιν, quod tamen quidam ex Aduersariis meis non dubitarunt negare.

Canones.

Non habet analogum naturam diuersam ab analogatis, sed proxime significat omnia analogata, (subordinata:) vnũ tamen eorum principaliter, alia vero prout sunt aliquo modo ad illud affecta, hoc est, πρὸς ἓν & ordinem quendam habent ad ipsum.

Principali Analogato declarato facilis est cognitio & reliquorum analogatorum, & ipsius Analogi; vt Substantia est principale analogatum Entis. Pererer. l. 2. Phys. c. 2.

In æquiuocis translatis & analogis semper vnum primum & princeps statuitur à Philosophis, quod sit vel nobilissimum, vel notissimum, idemq; aliorũ meta, mensura, modus, caput. Scal. de Plantis. Itaq; cum animal nobis sit notius quam planta (nobis enim nos notissimi sumus) & sit nobilius planta, partib. nostris indita sunt prius nomina, quã generi plantarum. Alex. Alẽsis. Analogum reducendum est ad primum.

ANALOGATVM.

Analogatum est, quod est sub Analogo. Vt habet se Species ad Genus, sic habet se Analogatum ad analogum, id est, commune omnibus: æquiuocata ad æquiuocum.

Estq; Analogatum Principale vel minus principale. Motus est Analogum. Præcipuum analogatum est Motus localis. Minus principale Motus alterationis & augmentationis. Canis homonymum seu æquiuocum est: Canis terrestris & canis cœlestis sunt æquiuocata. Sanum est Analogum: Sanum corpus, sanus cibus, sanus color, analogata. Canon cum moderatione Scherbii: Si commune πρὸς ἓν fit γένος ὑποκείμενον, trita est regula: Primũ analogatum stat pro omnibus: (analogatis) quæ regula accipienda videtur de illis, quæ non sunt πολὺ ἀπέχουσα, id est, non longissime absunt ab homonymis. Quæ de substantia proprietates ab Aristotele in Categor. Substantiæ afferuntur, maxime elucent in Substantia κυρίως sic dicta.

Æquiuocati aliquod vocabulum, vt Iustitiæ, est fieri æquiuocum, seu significatione multiplex. Bellum significans oppositum paci & oppositum deformi, æquiuocatur, id est, fit multiplex. Sic dicitur æquiuocari Genus aut Differentia.

ANALOGICE.

Ἀναλόγως seu Analogice 1. est proportionaliter, vt perfectiones, quæ sunt in creaturis, vt intelligẽtia, voluntas, vita, vita intelligẽs, analogice de Deo affirmantur, axioma Theologi est.

2. Ἀναλόγως discrepat ab eo, quod est perfecte & directe. exempli causa. Piorum afflictio dicitur esse pœna ἀναλόγως, non directe; peccatum omissionis actuale est ἀναλόγως, id est, reductiue, imperfecte, non directe: opponitur ei peccatum Commissionis, hoc actuale est directe. Item ab eo, quod est Expresse & manifeste, vt, Dogma hoc continetur in Sanctis Scripturis, in Aristotele, in Platone, vel αὐτολεξεὶ & expresse: vel analogice seu κατὰ συνακολούθησιν. (per cõsecutionẽ seu deductionẽ ex bona consequẽtia). Οὐσία de tribus diuinis hypostasib. p̃dicatur, vt, Pater est Essentia diuina seu Deus; sed Modus p̃dicandi singularis est; ipsa enim ὐσία quoque est indiuiduum. Itaque modus hic prædicandi adumbrari potest analogice tantum, vt dicatur differre persona seu hypostasis ab essentia vt angustius ab eo, quod patet latius: proindeque Terminos Essentiam & Personam non esse ἀντιστρόφους seu æquales.

3. Analogice etiam opponitur τῷ ἀνωμάλως. Hic vsus est Grammaticus.

4. Etiam τῷ essentialiter. Hic vsus est Logicus & Philosophicus.

ANALOGIA PERMVTATA.

Analogia (similitudo consistens in χέσει seu habitudine) permutata, (ἐναλλαξ) seu conuersa est, cum infertur, Cum infertur, Sicut antecedens ad antecedens, ita consequens ad consequens (vel, sicut consequens ad consequens, ita antecedens ad antecedens. Idem enim est consequentiæ modus.) Vt Deus ad mũdum, sic Princeps ad populũ: Ergo vt Deus ad principem, sic Mũdus ad populum / principis.)

Modus argumentandi à permutata proportione non valet in his, quæ subordinata sunt sibi inuicem, id est, in his rebus, quarum vna ab altera continetur & includitur, sicut prior à posteriori, & inferior à superiori. Sic homo subiicitur Animali, non-homo non-animali. Non igitur valet, sicut se habet homo ad non-hominem; sic animal ad non-animal. Ergo secundum permutatam proportionẽ: Sicut Homo ad non-animal, ita animal ad nõ-hominem.

ANALOGA.

Analogum est proportione respondens, est conueniens, Cicer.

Potest sic distingui.

Analoga sunt proportione
- Propria, vt Ens, bonum, principium, causa, Elementum, natura, motus.
- Impropria
  - Attributione tantum, vt Sanum (ad animal & medicamentum.)
  - Translata proportione, Risus comparatione Hominis & prati.

Prop. Propria.] De his vt de vniuersalib. habetur scientia Arist. 4. 1. Philos. cap. 2. quia vna quodammodo ratione dicũtur. Itaq; vniuersalib. sunt affinia, media sunt inter vniuoca & æquiuoca. Thom. Aquin. Analoga proprie dicta seu proportionata sunt diuersa genera habẽtia similitudinẽ in ratione. Hic Analogia est In Aliquo, vel Ad Aliquid. Hæc sæpe dicitur similitudo per Synecdochen Generis pro specie. Analogia enim similitudinis species est. *Similitudinum inquisitio in diuersis generibus fit duobus modis. 1. Topic.*

Aristot. in Topicis.

Ὅμοια τῇ ἀναλογίᾳ non sunt ὁμογενῆ. Similia analogia non sunt eiusdem generis; non sunt eadem genere.

Exem-

Exempla.

Extr. Virtus in anima. Sanitas in corpore. Extr.

Perfectio, Tertium

Punctus ad lineam Vnitas ad numerum,

Principium. Tertium.

Sicut in oculo est visio: sic in anima est intellectus: illa illius, hæc huius nobilissima pars est.

Sicut se habet fons ad fluuium, sic se habet vnitas ad numerum. Hic fons & vnitas sunt idem analogia, ac conueniunt tertio, quod est principium.

NOTA hic obiter, quæ idem sunt analogia, dici nonnunquam Coniugata. Profess. Veneti in expos. Topic. 1. cap. 13.

Translatitia proport.] Non igitur de omni analogia accipiendum hoc Alexandri de Ales. Analogia vbi est, ibi nõ est æquiuocatio.

Albertus Magnus in explicatione prædicamentorum Analoga vocat proportionaliter dicta, Græce ἀναλόγως λεγόμενα, ac dicit ea esse imposita diuersis secundum esse per respectum ad vnũ, cui proportinantur.

De *Analogis* proprie & principaliter dictis est Canon Aristotelicus: Analoga sunt τοιαῦτα, non proprie τὰυτὰ: Itaq; nõ sequitur: Corpus seu Caro Christi nõ diuiditur in partes integrantes vt Panis: Ergo nulla prorsus Analogia est inter Panem fractum & corpus Christi laceratum seu crucifixum. Si enim hoc sequeretur, nulla quoq; analogia esset inter agnum victimam, quæ secabatur & assabatur, & corpus Christi, quod nec sectum, nec assatum est.

ANALOGICE

prædicari seu dici.

1. Nomen dici de pluribus aut logice seu secundum analogiam contingit dupliciter: vel quia dicto habent ordinem ad vnum, vt sanum dicitur de Medicina & vrina, qua vtrunq; habet ordinẽ ad sanitatem animalis, cuius signum est vrina, causa vero Medicina.

Vel quia vnum habet ordinem ad alterũ, vt sanum dicitur de Medicina & animali, qua medicina est causa sanitatis, quæ est in animali. Ac ita potentia dicitur de Deo & creatura analogice. Est enim ordo & κλίσις aliqua creaturæ ad Deum, vt principiati ad Principiũ, in quo πρόυπάρχυσιν excellenter omnes rerum perfectiones. In his autem, quæ dicuntur analogice, non est vna ratio, vt in vniuocis, nec omnino diuersa, vt in æquiuocis, sed nomen, ꝙ sic πολλαχῶς dicitur, significat diuersos respectus πρὸς ἓν ad vnum aliquid, vt sanum de Medicina dictum significat causam sanitatis animalis, at dictũ de vrina, signum sanitatis. Deus nõ est mensura ἀνάλογος seu proportionata mensuratis. Itaq; nec creaturis est homogeneus.

Analogia qua { aliqua participant. / Aliquid κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον. / Vnum imitatur alterum, vt animal pictum animal verum.

Analogum tantum in vno est analogato secundum rationem propriam. Vniuocum autem est in quolibet. Omnia analogata necessario dicuntur per respectum seu κλίσιν ad vnum primum. Quæ vnum sunt analogice seu vnitate analogiæ perfecta ratio inuenitur in eorũ vno, in aliis vero inuenitur aliquid rõnis ad illud tertiũ secũdũ cõparationẽ ad aliquẽ actũ vel finẽ, vt in medico est ꝑfecta ratio medicinæ: in instrumẽtis aũt & vetula, medicamẽta exhibẽte, est aliquid rõnis, secundũ ꝙ ordinãtur ad actũ medici. Vide vocem Ideatum.

2. Analogica prædicatio in genere dicitur attributio, quæ cum alia prædicatione habet quandam conuenientiam, vt hæc, Christus Homo & Deus est, habet aliquam cognationem cum compositione partium cum Toto; vel quæ ad aliam, cui affinis est, reducitur: vt hæc; Filius Dei est passus, ad contingentem.

ANALOGISMVS.

Analogismus in doctrina Mathematica interdum accipitur pro ipsa analogia: interdum pro Syllogismo proportionali. 3. pro argumenti genere, quod à causa propinqua ducitur, seu pro Demonstratione διότι. Nam ἀναλογίζεσθαι Græcis interdum est firmissimis argumentis aliquid colligere. Ei opponitur Epilogismus, qui sumitur ab effectu vel causa remota. Vide Apotelesma operum meorum Logicorum.

ANALOGICVM.

Analogicum interdum idem est quod analogum: interdum accipitur fere pro imaginario: vt Attributa Dei vocantur à nobis partes analogicæ & imaginariæ, Francisc. Iun. in Thesibus Theolog. de Attributis Dei, per synecdochen interdum sumitur pro symbolico, vt hoc esse illud analogice, symbolice.

Analogica vnitas distinguitur ab vnitate specifica. Ac hæc Distinctio est necessaria, vt in quæstione; An cœlum & Inferiora habeant quasdam proprietates easdem, vt sunt densitas, raritas, luminositas. Hic dicitur à Iohan. de Iandun. ex sententia Auerrois, raritas, & densitas non conueniunt cœlo & inferioribus vniuoce & vnitate speciei specialissimæ, sed identitate seu vnitate analogiæ: Ac prius in natura cœlesti inueniuntur, posterius vero in natura inferiorum.

Prius,] Græci dicunt κατὰ πρότερον.

Posterius] Græci dicunt καθ' ὕστερον.

ANCEPS.

1. Anceps Syllaba in Gramm. dicitur ambigua seu communis, quæ pro cuiusq; arbitrio & produci & corripi potest, vt Imo, Quando.

2. αιυ vocales ancipites dicuntur, non ideo, quod ad cuiusuis arbitrium in vna eademq; dictione & corripi & produci possint, sed eo modo duorum temporum sunt (Bitemporaneas dixeris) quo omnes vocales apud Latinos, ita vt in hac dictione omnino producantur, in illa corripiantur: in quibusdam etiam modo productæ, modo correptæ inueniantur; vbi recte & proprie ancipites dicuntur. Theoph. Golius in Græc. Gramm. parte altera. Δίχρονα φωνίεντα

Vnde intelligitur etsi αιυ ancipites sunt, non tamen eas pro cuiusuis arbitrio in omnibus vocibus produci & corripi debere. In Epitom. Prosod. Græc. Ioseph. Langius.

Anceps etiam dicitur δίχρονον, quod est duorum temporum, longum & breue, vt αιυ in quibusdã vocabulis, vt modo dictũ est. Eustath. Iliad. ε. Ἄρες ἄρες.

Collatio cum voce communis.

Ἴδιον vocalium est, quod quædam vocales sunt semper breues, ε ο: Quædam semper longæ, η ω. Tres communes αιυ. ita vt in quibusdam vocibus semper sint breues, vt neutra pluralia καλὰ, σπέρματα. In aliis semper longæ, vt in casu quarto seu accusatiuo plurali primæ declinationis, μύσας, In quibusdam indifferentes, vt in φαρσαλία & σιναγία.

Μύσας] Dialecto tamen Dorica vltima quarti μύσας corripitur. Exempla suppeditat non pauca Theocritus. Quomodo soluẽda sit obiectio: Proprium rei certum est, non fallit, οὐσία enim, à qua proprietas fluit, certa est. At quantitas communium vocalium est incerta & variatur. Non igitur est vocalis ἴδιον. De eo consule sis vocem PROPRIVM in P. & πρὸ ὀδῶ *Dialectus derogat communi Linguæ.*

ἀδ hic nota : Hoc ipsum esse communium vocalium proprium variari, vt ait Scaliger acute lib. 2. de caus. Lat. Ling. c. 74.

ANIMA.

Anima 1. est forma corporis animati. 2. est ipsa vita. 3. est halitus vel ventus. Lucretius: *Aurarumq; leuis animæ calidiq; vapores.*

5. Poetæ & interdum sumunt pro iracundia vel ira, quæ & animorum nomine notatur.

6. Anima ἐμψύμως dicitur spiritus à corpore secretus.

7. Pythagoræ & Platonicis Anima rationalis est homo: cuius instrumẽtum corpus faciunt.

De Anima, quæ Corporis Animati perfectio est, varie philosophati sunt. Sententiæ comprehensæ sunt subiecta Tabella.

4. Per Metaphoram anima & animus tribuitur stellis à nonnullis Philosophis: qui quidem animum ac rationẽ sideribus inesse dixerunt, vt euidentius declararent, quod decentissimo ordine & quasi mensura suos motus perficiant, perinde ac si hominum in morem animo ac ratione prædita existerent. Vid. Andr. Hyperium in expl. loc. comm. Theol. Dixerunt & quidam Deum ipsum animam Mundi Translate & κατα χρησικῶς quidem, cum forma Mundi non sit, sed Mens agitans molem.

- Anima Philosophantibus
  - Nihil prorsus: Sic Pherecrates, & Dicæarchus, teste Ciceron. 1. Tuscul. quæst.
  - Aliquid
    - Substantia, ὑφιστάμενον, οὐσία
      - σωματικῶς, ἔνυλος, ὑλώδης,
        - σῶμα ἀυγοειδὲς καὶ ἀιθερῶδες: spiritus tenuis dispersus per omne corpus animantis.
        - Halitus igneus, euaporatio, sanguis: Materia tali modo temperata & concinnata, id est, crasi affecta.
      - Ἀσώματος ἄϋλος
        - φαιρομένη in spiritu vitali & animali.
        - Separabilis à corpore.
    - Accidens ἀνυπόστατον, ἔμφασις,
      - ἁρμονία elemẽtorum, numerus harmonicus.
      - κρᾶσις cerebri vel cordis, de quatuor corporibus coagmentatum crama.
      - συγγυμνασία αἰσθήσεων, id est, exercitium quinq; sensuum sibi consonum.
      - Intelligẽtia & sensus interiores: qui δυνάμεις sunt, vel ἐνέργειαι.

Aristo-

Aristoteles omnes omniũ de anima sententias tribus capitibus comprehendit, Motu, Sensu, Incorporeo. Qui motum considerarunt, animam dixerunt esse spiritum vitalem. Is enim est κινητικώτατος. Qui sensum, sanguinem, vel succum huic analogum: Qui Incorporeum, spiritum immortalem & χωριστὸν, vt Plato.

Explicatio.

Nihil prorsus] Hi corpori tribuerunt omnia, animam in homine esse negarunt, in homine, bruto, stirpibus & corpus & animam sic coniunxerunt & colligarunt, vt non essent duo vel re, vel cogitatione, sed vnum, atque ita vel nulla esset anima, vel corpus esset & anima & corpus, quod eodem recidit. Hos suspicor impatientia & dolore, quod, quid esset anima explicare non possent, eo delatos fuisse, vt quærerent potius, quomodo dicerent animam nihil esse, quam quid esset, nemo posset docere.

Αὐγοειδὲς ἢ αἰθερῶδες] corpus æthereũ, tenuis spiritus. Sic Hippocrates. Galenus in 7. dogmat. ait se dubitare an anima sit tale corpus. Halitus igneus] Sic Stoici πνεῦμα θερμὸν, πῦρ φυσικὸν, aer igneus, compositum quid ex aere & igni, spiritus vitalis in sanguine.

Euaporatio] Ἀναθυμίασις. Sic Heraclitus, qui & docuit animam esse scintillam naturę stellaris, vel, vt loquitur Macrobius, stellaris essentiæ. Ἀσώματος] à corpore diuersum aliquid. Accidens] quod vt sit aliquid ex se non habet, sed ex eo, in quo inest. Crasin] Sic Pythagoras, Philolaus, Aristoxenes. Forte locuti sunt hi Synecdochice, vt intellexerint crasin aut harmoniam non absolute seu abstractam à materia, sed materiam seu corpus tali modo temperatum & concinnatum. Crama] sic Epicurus. συγγυμνασίαν] Sic Asclepiades Medicus. Ἔμφασις] Emphasis est imago, quæ in speculo apparet, quæ è speculo relucet. Hæc aliquid ἀνυπόστατον est.

Quid Accidens?

Animas esse Emphases sensisse videntur etiam ij, qui εἴδωλα appellarunt: Et sunt Homero apud inferos ἀνδρῶν εἴδωλα καμόντων, de quibus Latini vmbrarum nomine vsi sunt, cum neq; nihil esse dicere vellent, neque quid essent, dicere possent. Nam secundum Poetam, *Sunt aliquid manes, let hum non omnia tollit,* (finit.) De Homeri tamen sententia potest quæri multipliciter, cum naturam etiam ἀσώματον animæ ille significasse videri posset.

Dixi supra Animam cum è corpore migrauit, dici ὁμωνύμως Animam. Eccur? Quia anima proprie dicta est, quę animat corpus. At anima, quæ emigrauit corpore, non amplius animat, nec vllas exercere potest organorum actiones, sed suas tantum & proprias, ad quas ei ministerio corporis non est opus. Ergo anima à corpore soluta non est proprie dicta anima, sed tantum æquiuoce. Ex his interpretemur quod quidam dixit, *Anima nostra aliquando non est anima.*

Anima post mortẽ non potest obire functiones organicas.

Collatio Platonicorum & Aristotelicorum.

Mercurius Trismegistus longe aliter vtitur voce Animæ & Animalis, atq; Peripatetici. Animam enim ex motu definit (vid. 2. Dial. Pimãdri) Animal aũt anima & corpore. Vide eiusdẽ Asclepium. Quare quicquid vim habet motricem, Trismegisto habet animam. Quicquid autem habet animam & corpus, animale est. Cœlum igitur, mundus, plantæ, & Elementa sunt animalia. (Sic Mundum Plato vocat animal in Timæ. & animal quidem vnum aspectabile, in quo omnia alia animalia contineantur, cuius corpus, quod in sensus cadit, ex elementis cõpositum: Animus vero analogia & ordo naturæ.)

Sed

Sed consuetudo Aristotelica est id solum vocare animal (quod sit corpus animatum, sensu prædituṁ : Et animam non solum motu definire, sed vita, sensu, vltroneo motu, intellectu. Ficinus in comm. in Trismegisti Asclepium. quanquam Plato Mundum animal intelligens facit.

Maxime improprie animalis voce abutitur Plato in Timæo, quod ostendit adiecta particula Quasi, Græce οἷον; Pudendorum naturæ in viris insita vis inobediens atque imperiosa, & quasi animal non exaudiens rationem, furiosarum libidinum violentia sibi subiicere cuncta conatur. Et: vulua matrixque in fœminis eadem ratione animal auidum generandi, quando procul à fœtu per ætatis florem, aut vltro diutius detinetur, ægre fert moram, ac plurimum indignatur: passimque per corpus oberrans, meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis vexat angustiis, morbis denique omnibus premit, quousque vtrorumque cupido amorque quasi ex arboribus fœtum fructumve producunt: ipsum deinde decerpunt, & in matricem velut agrum inspergunt. 2. Platonicis homo proprie est anima. Corpus enim eis nihil hominis est, nisi tanquam possessoris, velut equus aut malleus militis aut fabri. Sed Aristotelicis homo est anima per synecdochen: quia anima est eis hominis pars. Pythagotæ corpus non informatur ab anima, sed anima vtitur corpore, vt instrumento. Aristoteli anima corpus informat, vt ἐντελέχεια, non tantum assistit corpori.

ANIMATVM.

Animatum anima { Perficiente (corpus secundum esse) & informante, Propr. / Mouente, impropr.

Animatum dicitur æquiuoce de Animali & Cœlo. Primo modo dicitur animatum anima inexistente corpori vt subiecto, vbi anima proprie sumitur. Altero animatum anima vt principio motus immediato & determinato. Sed hic anima accipitur pro forma motrice seu intelligentia, quæ quasi anima est ei, quod ab ipsa mouetur. Iohannes de Ianduno in quęst. An Cœlum sit animatum.

ANIMALE.

Animale est idem quod animam habens, anima constans, vel animæ inseruiens, vel id quod contrahitur ex anima, vel, quod ad animam pertinet. Sic dicimus Animalem spiritum, animalem naturam, animalem vitam: Sic calor quidam dicitur animalis, nempe qui ex anima est contractus. Hic dicitut alias vitalis, & à Zabarella opponitur elementari seu temperaturæ calido. lib. tertio de Misti Generat & interitu. cap. nono & decimo. Si ex interitu caloris vini animalis, id est, quem vinum contraxit ab anima, non fit putrefactio vini, fiet mors: vinum igitur dicetur

mori, quod est absurdum. Respondetur, Vinum postquam vitalem calorem amisit, per similitudinem dicitur mortuum, viuentia enim tunc dicuntur mori, cum vitali calore destituuntur. Item acetum genitum modo quodam simile est putrefactioni, quia calor educitur, & consumitur humidum, non est tamen reuera putrefactio, quia non educitur calor elementaris, sed solus animalis, idest, vitalis.

Pauli caro & sanguis non possidebunt regnum Dei, scilicet animalis, ψυχικὸς, corruptioni obnoxius.

Animabile est quod potest se mouere. Cicer. de Diuinat. Aera vocat naturam animabilem. Natura spirabilis idem est. Poeta dicere potest: *Per cœli animabile lumen*, hoc est, spirabile, id est, per quod spiramus.

ANNIHILATIO.

Barbar. Latin. ad nihilum redactio. *Annihilabile*, Lat. in nihilum vertibile. Scaliger omne creatum vertibile est in nihilum, nisi manu contineatur omnipotentiæ diuinæ. *Annihilari*, Latin. in nihilum recidere, seu destrui. Est autem annihilatio destructio hyperphysica substantiæ in nihilum. Hyperphysica, inquam, virtute solius Dei facta. Propria hæc significatio est. Sed Cl. Timplerus vocem γενικώτερον accipiens etiam Annihilationem vocat destructionem substantiæ Hyperphysicam in aliquid, quam vocat Mediatam. Ac habet secum Scholasticum Gabrielem Biel, qui scribit, Annihilationem accipi & pro opposito creationis, *seu pro reductione rei ad nihilum: & pro mutatione, qua destruitur forma aliqua*, ita vt nihil eius maneat. Sic forma per corruptionem annihilatur. Sicut enim ante sui productionem fuit purum Nihil; ita & post erit purum nihil.

ANNVS.

Veteres magnos circos nuncuparunt annos.

Postea vox translata est ad significationem temporis, quod in modum circuli in se recurrit, suaque per vestigia voluitur, vt inquit Poeta. Vnde à Græcis dicitur ἐνιαυτὸς, quasi ἐν ἑαυτῷ, in seipso vertatur.

Distin-

Distinctio.

- Annus
  - Astronomicus seu Naturalis
    - Vertens seu Tropicus, temporis spatium, quo Sol reuertitur ad punctum Eclipticæ, à quo prius digressus fuerat.
    - Sidereus, quo Sol sub orbe stelliferro ad eandem stellam fixam redit.
  - Politicus seu ciuilis
    - Iulianus
      - Communis, qui habet dies 365. Huc pertinet correctus annus Gregorianus.
      - Bissextilis seu Intercalaris, qui habet dies 366.
    - Ægyptius.
    - Iudaicus.

Politicus.] Annuum spatium, quod ad Solis vel Lunæ vel vtriusque cursum populari gentium numerationi accommodatur.

Generalius.

- Annus
  - Vsitatus
    - Solaris.
    - Lunaris.
  - Inusitatus
    - Reliquorum Planetarum.
    - Stellarum fixarum.

Nam sunt qui annum generalius accipiãt pro tempore motu stellarum periodico, hoc est, è plurib. diurnis composito, numerato, vt annus non tantum sit is, quem nunc communis omnium vsus appellat, sed singulorum seu luminum, seu stellarum emenso omni cœlo circuitu à certo loco in eundem locum reditus annus suus sit. Macrob. cap. 11. l. 2. in Somn. Scipion.

Solaris annus est tempus motu Solis periodico definitum.

Lunaris est tempus, intra quod cœli ambitum Luna lustrat; Vulgo Mensis, quasi Lunę motu tempus mensum dicas. Ac comparatione anni Lunaris, quæ breuis est, annum Solis magnum à Virgilio esse vocatũ author est Macrobius.

Planetarum reliquorum anni sunt, Saturni Solarium triginta: Iouis Solarium duodecim; Martis dierum 687. Veneri & Mercurio eadem fere, quæ Soli, tribuitur quantitas.

Stellarum fixarum annus est, quem stellarũ omnium ad eundem reditus sub eadẽ cœli totius descriptione cõcludit. Hic quot dierum aut annorum etiam Solarium sit, nemo definire potest, quia motus octauæ Sphæræ & stellarum fixarũ nobis nõ est penitus notus. Vocatur hic annus perfectº, magnus, Platonicus. Intra eum omnia sidera cursum suum absoluũt, & ad pristinum statum redeunt.

Annus Sabbaticus Hebræis fuit septimus quisq;, nomen habens à requie, quod eo agri cessarent sine ratione, vineæ sine putatione, ne cultu perpetuo exhausta deficerent. Remittebãtur & debita eo anno iis, qui nõ erant soluẽdo, ac manumittebãtur serui Iudæi, vnde & annus Remissionis appellabatur.

Annus Iubilæus agebatur Iudæis septimo quoq; Sabbatico, nẽpe anno solari seu vertente quinquagesimo à superiore Iubilæo inclusiue, cui nomen à Iobal, quæ vox clangorem tubæ significat, qua initiũ Iubilæi indicari solebat. Eo anno, præter illa, quæ Sabbatico

fiebant, fundi quoq; ad priſtinos Dominos & familias redibant, ne aliæ immodice locupletarentur, aliæ exhauſtæ interirent.

Anni climacterici ſunt gradarij ſeu ſcalares, ſeptimus & nonus quiſque, ideoque hebdomadici & Enneatici vocantur, nemde 7. 9. 14. 18. 21. 27. 28. 35. 36. 42. 45. 49. 54. 56. 63. 70. 72. Hi mortem aut morbum, aut aliquod inſigne infortunium afferre creduntur.

Lunaris annus habet duas ſignificationes, Interdum ſignificat vnum menſem: Interdum annum duodecim menſibus conſtantem. Herman. Witekindus in libro de Sphæra Mundi.

Solaris annus Seruio dicitur Solſtitialis annus, quod poſterioribus Romanis annus à Solſtitio hyberno inchoatus eodem finiatur.

Ita annus eſt temporis ſpatium, quo Sol à bruma ad brumam redit. Et hic annus Chriſtianorum eſt.

Dicitur & Temperalis hic annus, quia quaternas annuas viciſſitudines temperat.

Anus Biſſextilis dicitur à die bis ſexto Nam eo anno ſextus Calend. Mart. geminatur, vt Februarius habeat dies 29. quia alias habet dies 28.

ANTECEDENS, CONSEQVENS.

Antecedens & Conſequens accipiuntur pro
- Propoſitionibus.
- Terminis
  - Propoſitionis; Subiecto & prædicato.
  - Inuentionis, vt cum dico: Dies Lunæ eſt antecedens Diei Martis. Exaltationem antecedit Humiliatio.

Pro Propoſitionibus] Vt Antecedens ſit Propoſitio, vel quæ præcedit notã illationis: (Ergo,) vt maior & minor, ſeu Prænis: Vel quæ particulæ conditionali miſſæ: Vel quæ particulæ conditionali ſeu hypotheticę propior eſt, vt: Aſinus volat, cũ dicitur, ſi Aſinus volat: Conſequens ſit Propoſitio, quę vel ſequitur notã illationis, id eſt, Cõcluſio: vel quæ à particula hypothetica remotior eſt, vt: Habet pennas. Vide Profeſs. Venet. ad loc. 13. Top. 2.

Dicitur & Antecedens cauſa quædam, vt Cic. Voluntatis noſtræ non eſſe cauſas externas & antecedentes.

Anteceſſor in Politicis eſt prior Magiſtratus, cui alter ſuccedit: Tranquillo eſt Præcurſor.

Accipitur etiam pro Doctore facultatis alicuius, quod præeundo quaſi diſcipulum ducat in artis penetralia. Προηγεῖσθαι Græcis eſt antecedere.

ANTICIPATIO, Prolepſis, Præceptio, Præſumptio.

Anticipatio
- Litteraria, id eſt, Grammatica, cum præcipimus toto partes.
- Oratoria, cum Orator ante capit locum in animis iudicum, reſpondens tacitis obiectionibus.
- Poetica, cum Poeta capit ex ſua Perſona intellectionem communem auditoris.

Grammatica] Ciues nati ad interitum Reipublicæ: Pompeius superbia, Cæsar magnanimitate.

Oratoria.] Quæ à posteriore parte dicitur subiectio. Habet enim duas partes, Obiectionem & Subiectionem. Hanc Anticipationem (Oratoriam) Scaliger noue vocat Præuentionem, quod ea id præripiatur, quod ab aduersario adduci potest. Vide in occupatione Rhetorica exempla.

Est autem hæc occupatio perfecta vel imperfecta, seu plena vel obliqua est. Illa plenam habet Prosopopœiam.

Præterea occupatio est duorum modorum.

1. Occupamus alieni consilij interrogationem, eique responsionem subiicimus.
2. Occupamus nostram cogitationem aduersario, ipsumque respondentemq; contra fingimus.

Poetica,] Virgil. Portusque require Velinos. Hinc enim de sua persona occupat personam Palinuri Poetę. Neque enim tunc Velini portus dicebantur, cum Palinurus loquebatur.

Sic Lauina littora dixit. Hanc Scaliger εἰδικώτερον, latius & planius explicat l. 3. Poet. his verbis: Prolepsis fit à Poeta, cum suæ Personæ circumstantias tribuit ei Personæ aut loco, cui per se non conuenit. Circumstantia personæ multiplex est: atque inter cæteras tempus, & eæ quæ ad seculum cuiusque pertinent.

Vtuntur autem ea figura duobus modis. Vnus est mollior, cum Poeta loquitur:

Italiam fato profugus Lauinaq; venit
Littora.——

Etenim illo quum appulit Æneas, nondum Lauina littora dicebantur. Hoc tamen tolerabile est.

Alter modus duriusculus, vbi Poeta personæ attribuit orationem, quæ mentionem faciat cuiusquam rei tunc non existentis, aut si erat, nequaquam eo nomine vocabatur, quo illam appellari facit. Exempli gratia: Palinurus Æneam rogat, vbi suum corpus afficiat sepultura: Designat locum, in quiens:

——*Portus inquire Velinos.*

Portus quidem erant, nomen autem aliud. Est igitur Anticipatio, qui Virgilij tempore sic nominabantur: Durior tamen est: quippe loquitur Palinurus, cui oratio è re ipsa, quæ suę tempestati conueniret, attribui necesse est. Illa vero προλῆψις, seu præsumptio Poetæ alicuius intolerabilis fuerit, si dicat oppidum tempore Æneæ bombardis expugnatum.

Vsus & Translatio ad Theol.

D. Ægid. Hunnius in hoc Apostoli: Petra erat Christus; facit hanc Prolepsin. Ex Apostoli seculo hoc dictum vult ab Apostolo. Christus, inquit, non qui tunc, cum petra daret aquas, fuerit, sed tempore Apostoli, quo hoc scriberetur. *Prolepsis sacra.*

Sic Hunnius sibi obiicit: Atqui Paulus λόγον nondum incarnatum Christum vocat, quando Israelitas in deserto Christum tentasse perhibet, & respondet προληπτικῶς, hoc factum sic: Recitat Apostolus Historiam, quæ tempus Incarnationis antecessit, & proinde ad Filium Dei nondum incarnatum, secundum diuinam eius naturam referenda est: Christum autem nominat, eo quod is, qui in deserto olim tentabatur, λόγος scilicet, nunc quando Paulus hæc scribit, homo natus, & iuxta carnem vnctus, atque, vt Petrus loquitur, Christus factus erat, Actor. 2. Hactenus Ægid. Hun. Eadem Socinianorum sententia est.

Sed alij Theologi hanc Prolepsim repudiant, eo quod in nomine Christi intelligatur vngens diuinitas & vncta,

(ordinata ad officium Mediationis) Humanitas, ex Thom. Aquin. & Christi Persona sit Filius Dei manifestandus vel manifestatus in carne. (Iohan. 8. cap. Antequam Abraham erat, Ego sum.)

Scholastici Oratoriam Anticipationem, quæ etiam dicitur occupatio, vocant obiectionis exclusionem. Dicunt enim obiectionem excludere, cum ei occurritur.

ANTINOMIA.

Ἀντινομία accipitur γενικῶς & εἰδικῶς. Γενικῶς pro pugnantia seu contrarietate quarumlibet sententiarum seu propositionum.

Εἰδικῶς pro pugnantia Legum inter se. Vtraq; est vel vera, vel apparens.

Apparentis exemplum. Plato ait contraria ex contrariis nasci. Huic thesi videtur esse ἀντίνομος illa eiusdem in Phædone: Contraria vna esse non posse. Sed huius ἀντινομίας hæc est conciliatio: Ex contrariis nascuntur contraria, vno alteri cedente, vel pereunte.

At contraria eadem ratione eodemque tempore esse non possunt.

Distinguitur etiam inter ipsum contrarium & δεκτικὸν contrarij, id est, id quod contrarium suscipere potest. Ex contrariis, variis mutationum vicissitudinibus, contrarium fieri potest. At ipsum contrarium, id est, ipsa contrarietas (contrarij χέσις & quasi forma) quatenus talis est, contrarium suscipere nequit, id est, non potest mutari in contrariam qualitatem. Exempli causa: Idem quidem corpus modo frigidum, modo calidum per ἑτέρωσιν, id est, variationem esse potest: Sed frigus, quatenus frigus, in calorem mutari non potest.

In Oratoria status ἀντινομίας est, qui continet controuersias, qui existit, cum scripta inter se dissentiunt, vt cum Lex videtur esse legi contraria.

Hic conciliationum regulæ sunt generales & speciales.

Generalis est Lex oppositionis Logica.

Speciales sunt: In conciliatione locorum pugnantium diligens fiat contextuum collatio.

2. Multæ in speciem pugnantes sententiæ iudicantur ex phrasi, vi vocum, natura sermonis, cuius ignoratio sæpe monstrosarum commentationum causa est.
3. Interdum decurrendum est ad tropos.
4. Lex inferior cedit superiori.
5. Lex humana cedit Diuinæ.
6. Secunda tabula cedit Primæ.
7. Lex specialis derogat generali, vel eam restringit.
8. Fortior est Lex, quæ iubet, quam quæ liberum relinquit. Nam quod permittitur, voluntarium est, quod vi imperatur, necessarium.
9. Leges veteres corriguntur & accommodantur nouis. Liu. l. 9. decad. 1.
10. Lex tantũ eos obligat, quibus lata est.
11. Lex lata ad tempus vsque, non retinet autoritatem post illud.

In Theologia ἀντινομία quædam fanatica est. Ἀντίνομοι enim dicuntur, qui volunt Legem Dei exterminatam & profligatam esse ex agro Ecclesiæ. Tales fuerunt: Iohannes Agricola Eislebius, & Anthonius Otho.

APPARENTIA.

Multiplex huius vocis est potestas. Nam Apparentia quædam est vera, quædam inanis, vel φανταστικὴ. Et apparentia species rei est, vel interior, qualis est somniantium, vel exterior.

Sic apparens est
- Sensui
  - Exteriori.
  - Interiori.
- Intellectui.

a Scholastici apparens ad sensum vocant.

Primo. Apparentiæ in Astrologia sunt Græcis φαινόμενα, tum quæ primo statim lese occursu sensui declarant, vt quod videmus Solem quotidie oriri & occidere, dies & noctes esse inæquales, Lunam variari: tum τηρήσεις, id est, obseruationes, & συμπαρατηρήσεις, id est, congruentes multorum obseruationes, quæ sensu incoantur & vsu perficiuntur, sed ratione & animaduersione erudita organis certis adhibitis & conuenientibus hypothesibus norantur & explicantur. Situs Terræ in medio mundi confirmatur argumentis ἐκ τῶν φαινομένων ductis, quæ apparentiæ ex cœlestibus obseruationibus sunt petitæ, nempe cõspectuum ortus & occasus stellarum, Æquinoctiorum, Solstitiorum, incrementorum & decrementorum dierum, & noctium, Eclipsium, &c.

2. Apparentia seu δόκησις veritati opponitur, (sic Perspectiua τὸ apparenter opponit ei, quod est secundum rei veritatem. Illud Græcis est φαινομένως; hoc ὄντως καὶ ἀτρεκῶς) ita apparentia est vox detrahens τῷ vero. Quod apparentia verum dicitur, innuitur reipsa vere falsum ac simulatum esse. Petr. Martyr. 1. Part. Defens. ad Gardin. de Euchar.

3. Apparentia veram speciem seu ostensionem significat. Gabr. Biel l. 4. dist. 1. q. 1. in Fide Christi nunquam est neganda apparentia a sensus naturaliter bene dispositi, nisi vbi expressa authoritas fidei, vel efficax ratio ex his, quæ sunt fidei, ad hoc cogant. Hæc opinio apparẽtiam quandam habet, sed fundatur in falsa imaginatione (id est φαινομένως est vera, re ipsa falsa est, quia non habet fundamentum in re) lib. 4. dist. 16. q. 1.

a Id est quod ad sensum recte affectum apparet.

4. Meteorologica etiam vox est Apparẽtia, & significat ἔμφασιν, & opponitur ὑσάσει, seu hypostasi, quod corpus est, vt: Iris est apparentia seu ἔμφασις aliquid ἀνυπόστατον (vt imago in speculo:) Nubes est σύστασις seu ὑπόστασις.

5. Apparentia Græcorum Epiphaniæ, τῇ ἐπιφανείᾳ respondet. Sed in Geometria Epiphania idem est, quod superficies. Superficies autem est quasi apparentia, non est ipsa apparentia & extrema facies, sed quod super faciem ipsam est, vt superficies ædium, quæ super aream est. Ramus.

De vi & sensu vocis *Apparentia* apud Scotum, disputarunt Oxoniæ Gardinerus & Petrus Martyr occasione hinc sumpta, quod Scotus dicit, Scripturas in apparẽtia facilius & verius potuisse intelligi sine Transsubstantiatione: Apparentia vero modo verisimilitudinẽ, vel probabilitatem: modo fucatam veri speciem, modo euidentiam significat. Vide prim. part. Defens. ad Gard. de Eucharist. obiect. 127. p. 279.

APPARENS.

1. *Apparens* vero opponitur, vt Antichristus facit apparentia miracula. Multi amplectuntur bona apparentia pro veris. Apparens sapientia in Logica est Sophistica, quæ sese præstigiis ad veritatis quidem speciem scite adornatis, sed alienis tamen à veritate vendicat atq; insinuat. Hic apparentia pro veritatis specie seu larua (προσωπεῖῳ) ponitur. Talis etiam est Astrologia commentitia illa & superstitiosa Chaldæorum.

2. In Astronomia Apparens aliquando est idem quod visum, & opponitur etiam vero, vt verus locus planetæ est punctum firmamenti linea à centro mundi per vmbilicum astri producta definitum. Hic situs Panetæ ad centrum Zodiaci refertur. Apparens seu visus infimorum præcipue Planetarum non ad centrum, sed ad conuexitatem terræ, cui nos insistimus

Aspectus noster in apprehensione verorum

stellarum situum non nihil aberrat.

refertur, & est is, quem radius Opticus, id est, linea proiecta ab oculo nostro per centrum corporis Planetæ in Cœlo ostentat.

Itaq; à vero loco dissidet. In Astronomia nõnunquam idem est quod verum, vt in doctrina de die naturali additamẽta diurna inæqualia sunt portiones æquatoris respondentes motui Solis proprio, vero', seu apparenti: vnde etiam vera seu apparentia dicuntur, quia reuera in cœlo tales sunt, & ita nobis apparent & obseruantur.

4. Rationes multum apparentes G. Bieli sunt speciosæ πιθαναὶ oratoribus & argumenta ἐυπρόσωπα, sehr scheinbar. lib. 3. distinct. 14. q. vnic.

Multo apparentior, ait Zabarella, est expositio Auerrois (id est, probabilior). Hæc autem quam Ianua inuenit, neq; veritatem vllam, neque apparentiam habet, id est, probabilitatem.

5. Apparens interdum est quod conspicabile, vt Mundus hic apparens, id est conspicabilis, ad illius æterni & αὐτοζώου imaginem efformatus est. Plat. in Tim.

6. Est idem quod euidẽs & quodammodo visibile intellectui: vt cum Gabr. dicit l. 3. diff. 23. q. 2. Euidentia non est fidei, sed scientiæ & intellectus principiorum. Fides. n. non est apparentium, id est, non euidentium. Idẽ ex Thom. Fides habitualis firmiter assentiri facit intellectum non apparentibus.

Apparens ad oculum, vt loquuntur, Græcis est, ὀφθαλμοφάνερον. augenscheinlich. opponitur latenti: vt Res non latentes in natura, sed mentibus nostris apparentes velut ex nebula aliqua, Vit. Amerbach. 4. Phys.

7. Apparentia num. plur. apparentium Aristoteli, in analyt. sunt Astrologia vulgaris rusticorum & nautarum. vid. φαινόμενα.

APPARENTER.

1. Gabr. Bieli Apparenter est specioſe, vt soluere apparenter, id est specioſe seu probabiliter.

3. Perspectiua seu Prospectiua Communis Apparenter opponit τῷ secundum coloris speciem. In Prop. 2. declaratione: oculus super colorem à ficta linea illuminatum fixa intuitione cõuersus si ad colorem debilius illuminatum se deflexerit, inueniet colorem *primum apparenter secundo permisceri*: Defert enim oculus secum coloris fortius illuminati relicta quædam vestigia ad colores minus illuminatos: Quod argumentum certum est, seu πειθανάγκην quasi quandam habet huius colorem illuminatum per modũ impressionis in visum operari. Apparenter] id est, non secundum se, sed secundum speciem, seu secundum colorem apparẽtem & spiritalem.

Quædam vestigia.] id est, quandam speciem.

In Astronomia Apparenter & τῷ vero opponitur & significat tantum nostri ratione. Luna deficiens reuera mutuatitium suum lumen interuentu terrę amittit: sed Sol apparenter tantum deficit & nostri ratione (seu τοῦ λόγου ἡμετέρας ὄψεως) cum subter ipsum decurrente Luna, nostroque obtutui in obiecta radios eius auertit, eorumq; loco propter corporis densitatem in terram spargit vmbram: Sol vt lucis fons nunquam vel impeditus reuera obscuratur nisi per miraculum.

APPARERE.

Apparere est videri, probabile esse, conspicuum esse, præsto esse, exterius sensui obiici, vel animo, & ita conspici vel cognosci, non interius seu penitius, vt in hac vita, quatenus animus corporis carcere circumcluditur; nos quidem videmus, qualis nunc appareat, sed ignoramus, qualis sit reuera, id est, antiqua & germana illius natura (teste Plat. lib. 10. de Rep.)

Qua-

Qualis nimirum erit cum ex hoc corporis ergastulo euolauerit: Tum demum enim nos reuera sumus cõtemplaturi. Hic opponuntur φαίνεσθαι, id est, apparere, & ἰδεῖν, id est, peruidere, perspicere. Hoc apparet (id est conspicitur) in mixtionibus: Exempli gratia, in mulso & aqua.

Phantasia est imaginatio, qua nobis res apparent. Apparent autem animo nostro, quales à sensibus ipsis percipiuntur.

Plato in Thæ.

Obseruatio duplex.

1. Platonicum Apparet cum ad quæstionem hoc verbo respondetur, probabile est.

2. Cassianus l. 2. de Incarnat. Domin. cap. 4. Apparuisse hoc rectissime dicitur, quod subita quasi apparitionis luce monstratur: sicut in Euangelijs Apparuisse stellam orientalibus Magis legimus: & in Exodo, Apparuit, inquit, Moysi Angelus in igne flammæ rubi. In omnibus enim & his & alijs visionibus sacris hoc vtendum vel maxime verbo scriptura existimauit, vt apparuisse hæc diceret, quæ insolita claritate fulgerent. Ita ergo & Apostolus sciens aduentum cœlestis gratiæ, quæ ortu Sacræ Natiuitatis apparuit, verbo eam fulgidæ apparitionis expressit, vt apparuisse vtique id diceret, quod nouæ lucis splendore radiaret. Apparuit ergo gratia Dei Saluatoris nostri.

APPARITIO.

Apparitio interdum accipitur pro Somnio: Cum in Somno repræsentat absentia, Dauid Scher. in Physicis. Apparitio Phantastica est phantasma, quod Ciceroni visum, Bricot. Præterea Apparitio idē est quod sui ostensio (Auffwartung.) Item officinm Apparitoris seu statoris, id est, eius, qui Magistratui apparet, id est, præsto est ad ministerium vel obsequium, qualis est Scriba, Interpres, Lictor, viator, præco. Huiusmodi etiam sunt in Academijs ministri publici & nomenclatores, quos pedellos vocant.

Apparitio Lunæ est φάσις seu effigies varia eius. Et generatim apparitio stellæ dicitur, cui opponitur disparitio, seu crypsis, ἀφανισμός.

APPARITIVA verba.

Apparitiua verba Iohan. Brassican. Tubing. Grammatico, & alijs nonnullis, vt P. Nigidio, sunt verba terminata in Co, quę apparētiam ostendunt, vt albico, id est, albus appareo. Sic nigrico. Iidem tamen hic excipiunt: fodico, vellico. Sed errant: Albico enim, nigrico, candico, vellico, fodico, proprie sunt deriuata deminutiua, id est, quæ deminutionem primitiuorum significant; vel frequentatiua (fodico, frequenter fodio.) Nomunquam adhibentur pro primitiuis seu primarijs ipsis, vt albico pro albeo: Candico pro candidus sum seu candeo. Imo Scaliger tradit verborum speciem duplicem esse: Vnam deriuatam, in qua non mutetur modus significationis, vt albico, albeo: Alterum, in qua mutetur, cuius species sint: Incoatiua, deminutiua, frequentatiua, desideratiua, lib. 5. de caus. Lat. Ling. cap. 123.

APPELLARE.

Appellare primo est nominare seu vocare: vt Armorum appellatio non tantum scuta, gladios, galeas significat, sed & fustes & lapides, ait Iureconsultus.

Secundo est alloqui vel compellare. Fitque appellatio vel voce seu verbo, vel nutu ac significatione.

Tertio est implorare: vt appellare Deum.

Quarto Appellare in Politicis est 1. à sen-

tentia iudicis inferioris ad superiorem prouocare. Cicer. cuius procurator à prætore ad Tribunos appellare ausus sit. 2. iudicio conuenire, l. qui appellat 29. ff. de iudic.

Quinto Appellare in Politicis est blanda oratione alterius pudicitiam attentare.

Appellatiuum Nomen Grammaticis est quod commune est multorum. Priscianus.

APPENDIX.

Appendix vsurpatur pro corollario, quod principali additur.

A Grammaticis nonnullis accipitur pro adiectiuncula, ad regulam obseruatiuncula aliqua, auctarium aliquod.

Philosophi nonnulli animi appendicem corpus dixerunt, id est, additamentum seu accessionem.

Accipitur in iure pro ædificio, quod alteri adiungitur.

APPETITVS,
ὄρεξις, Cupiditas.

Appetitus est affectio eius, quo caremus, potiundi. Scal. 1. de plant. Hoc autem sine aliquo motus genere fieri nequit, Nam quæ appetunt τὸ ποῦ, motus ijs secundum locus datus est; Quæ quantitatem Accretionis; quæ qualitatem, Alterationis: Quæ substãtiam, Transmutationis. Id quod attribuunt materiæ primæ propter imperfectionem, vt huius appetitus sit appetitus perfectionis, quo parata est, & præstolatur omnibus formis. Quare παντοδεχὲς materia prima à Platone appellata est. Hi motus omnes vnum tantum respiciunt finem, alteram scilicet contradictionis partem, quippe nequit agens appetere descensionem. Sic auctabile suapte natura non potest affici, quin augeatur; denique alterabile, quin alteretur: materia prima, quin per formam susceptibilem perficiatur. capax.

Ab his aliud motionis genus est, quod etiam contrarium respicit. Nam in terra motus à forma fit ad imum. At in manu ab anima fit ita, vt etiam possit ad contrarium. Is motus dicitur διακρίσεως, id est, dijudicationis & electionis. Græci vocant, τὴν κατὰ προαίρεσιν κίνησιν. Motus voluntarius, cum voluntatis species προαίρεσις sit, ac perfecta quidem.

Ex Galeno κίνησις voluntaria statuitur vna κατ' ὁρμὴν, secundum impetum, seu ab instinctu, vt Musculi sunt instrumenta κινήσεως τῆς κατ' ὁρμὴν, id est, vt Aristoteles loquitur, motus ἑκούσιος seu spontanei (qui fit ab interno principio appetente interna facultate) Galenus motum hunc sæpe vocat animalem, vt distinguat eum à naturali. Altera κατὰ προαίρεσιν, ideſt, ab electione, quæ est eorum, qui attentius aliquid faciunt.

Distinctio ambiguæ verbi naturæ.

Appetitus ὁμωνύμως dicitur: In igne ad occupanda loca superiora: in ferro ad suri coniunctionem cum magnete: in planta ad humorem sugendum: in equo ad Venerem: in homine ad beatitudinem.

Appetitus { Naturatorum. / Animatorum.

Tabu-

Tabula continens genera τῆς ὀρεκτικῆς δυνάμεως.

Appetitus seu τὸ ὀρεκτικὸν est triplex

- Φυσικὸν, Naturalis appetitus (qui dicitur quodammodo improprie appetitus) qualis est
  - In stirpe, quæ attrahit & appetit alimentum absque sensu: Stirps non sentit alimenti defectum, sed tantum languet & debilitatur.
  - In Inanimis, vt magnete.
- Αἰσθητικὸν seu animalis appetitus, qui propius est animãtium & comitatur sensus; vt quãdo appetitur alimentũ, quia eius defectus sentitur. Estque triplex
  - Ἐπιθυμία, quæ spectatur in appetitu γενέσεως & τροφῆς (generationis & nutritionis.)
  - Θυμὸς, affectus: (vt ira) vis animosa.
  - Τῶν αἰσθητικῶν id est, eorum, quæ sẽsibus sunt subiecta, tã exterioribus, quam interioribus, vt cum animal appetit obiecta, quæ offeruntur tactui, visui.
- Λογικὸν seu τῆς βουλήσεως, quę est tantum naturæ intelligentis & voluntariæ: quia προαίρεσις est in homine, qui est imago Dei, altior quouis animante, ad fines etiam maiores & ampliores conditus ab opifice.

Vsus.

Quæritur, qualis sit appetitus in ventriculo? Resp. In ventriculo est appetitus duplex, Naturalis & Animalis. Naturalem habet cum cęteris communiter duplicem, nempe quo sibi cibum attrahit, & cæteris membris, siue id fiat è longinquo, siue è vicino, vel è chylo, qui admodum vicinus est intra parietes ventriculi. vel ex Epate à sanguine, qui non longe dissitus est. Et hic appetitus est etiam in stirpe, nec est à sensu. Hic autem non sufficit, quia hoc solo non sentiret defectum cibi & alimenti, vt cætera membra: igitur à natura insignitus est etiam vi quadam alia seu virtute ac sensu animali, quo ipse sentit alimenti defectum seu famẽ: Non est autem in ventriculo motus προαιρετικὸς: Fames autem, vt dicam hoc obiter, non est ipse appetitus seu ὄρεξις, sed πάθος sensus ὀρεξέως.

Appetitus naturalis vnionis excitatur

- A Naturæ similitudine
- Propter priuationẽ: Ita famelicus appetit vnionem cibi.
  - Manifesta.
  - Occulta: ita magnes ferro, vel magneti ferrum sese applicare appetit.

Διχοτομία extat etiam hæc.

Appetitus
- Naturalis
- Animalis
  - Sensitiuus. Animalis appropriate.
  - Rationalis seu intellectiuus seu voluntas.

Naturalis non requirit apprehensionem appetiti in appetente, sed in altero, natura scilicet instituente. Sensitiuus præsupponit apprehensionẽ appetẽtis

sensitiuam. Is natus est tendere in obiectum apprehensum, aut in eo acquiescere. Necessario Rationalis præsupponit iudicium intellectus. Is natus est actum suum elicere LIBERE.

In homine appetitionem naturalem Aristoteles vocat ἐπιθυμίαν: Hæc ciet τὸ κινητικὸν κατ' ὄρμὴν: Hoc per neruos oculi ventriculi epatis & vasorum destinatorum generationi, sensitiuum, seu comitantem sensus. θυμὸν. Hic ciet τὸ κινητικὸν κατ' ὄρμὴν, id est, eam partem, quæ mouetur secundum appetitionem, per neruos à cerebro sibi inditos, perque arteriarum Spiritus vitales. Appetitionem voluntariam vocat βούλησιν: Hæc κινητικὸν illud ciet connexu consensuque naturali.

Appetibile, Irascibile.

Appetibile & concupiscibile, & similia *ibilis, le*, etsi passiue significent quod appeti vel concupisci potest, vel quod potentiæ appetenti vel concupiscenti obiectum est, tamen Scholastici, vt Thomas, sæpe ponunt ea loco nominum Verbalium in *TIVVS*, quæ actum dicunt, vt appetibile sit appetitiuum, concupiscibile sit appetitus sensitiuus, qui concupiscit, sicut Risibile est risiuum. Ἐπιθυμητικὸν, vt concupiscibile & appetibile, aliquo modo participant ratione, quatenus nata sunt obedire rationi, id est, vterque appetitus, tam sensitiuus, qui irascens vel concupiscens est, quam intellectiuus, id est voluntas, capax est & θρεπτικὸς quasi increpationis, persuasionis, admonitionis, vt procedat vel non procedat ad actum suarum executionum.

Sic sensibile modo est quod sentiri potest (αἰσθητὸν) modo sensitiuum, (αἰσθητικόν.) Nota hic παρέμπτωμα & vel ut ὀσφῦς πάρεργον: Terminata in IVus, a, um, significare vel *Vim concrete aut abstracte: vel Actum. Vim concrete*, vt Intellectiuus, habens vim intelligendi, νοητικὸς: Appetitiuus, habẽs vim appetendi, ὀρεκτικὸς: Absterssiuus, habens vim abstergendi, ῥυπτικὸς, σμηκτικὸς. *Abstracte*, vt motiuum τὸ κινητικὸν, ipsa vis mouendi. *Actum*: Sic Nominatiuus, ὀνομαστικὸς, Datiuus δοτικὸς, Vocatiuus, κλητικὸς; *vel seruitium*, aut subiectionem, vt motiuus, visiuus, auditiuus neruus, qui inseruit motui, visui, auditui. Sic actio θρεπτικὴ, inseruiens nutritioni. Sensitiuum, id est, sensibus subiectum. *Nõnunquam etiam passionem*, vt Motiuum (κινητικὸν) κατ' ὄρμὴν, quod appetitione cietur. Tutela Datiua, quæ datur. ICTis Filius adoptiuus dicitur Adoptatus.

APPETITVS.

ἄλλως.

Appetitus est impulsus quidam ad rem quandam. Nicol. Leonicus in Com. de animal. motione. Est inclinatio voluntatis ad habendum aut faciendum. Scal. Hic accipitur vox specialiter. Ita intellige hoc Aristotelis 1. Rhetor. & 1. Philosoph. ἐνίοτε θαυμάζειν τὸ ἐπιθυμεῖν μαθεῖν ἐστί. Desiderium est intensus appetitus placitæ rei. Idem: Optatio est affectus voluntatis, quo aliquid petimus animo, quod deest. Scal. ex. 307. sect. 3.

Votum proprie fit ad aram, vel in periculis, voce contentiore precando, non simpliciter, sed cum stipulatione. Dat enim aliquid vouens, aut pollicetur, vt accipiat.

Generalius Appetitus {
- Propensio ad commoda Naturalia: Naturalis. Hic in homine est ante voluntatem.
- Qui est simul cum voluntate, sed non idem cum ea.
- Intensa voluntas, quæ dicitur à nonnullis Concupiscentia; à nonnullis Impetus, à Græcis ὁρμὴ.

Διχοτόμως
ex Cardano.

Appetitus { Sine sensu.
Cum sensu { Sine ratione, ἄνευ λόγου.
Directus ratione, vt μετὰ βουλῆς.

Animo.] Vox enim in Optatione est accidens, non necessarium.
Notetur Climax & ordo agendi.
Ex affectu, ἐκ τοῦ πάθους, è motu animi appetentis nondum exeunte, in actũ, vt è misericordia, ὄρεξις καὶ ὁρμὴ est, id est appetitus & incitatio motus interni ad actionem. Ex illa πρᾶξις actio, quæ est subleuatio seu succursio. Ex actionis huius multiplici repetitione quasi fabricatur & existit habitus, qui eiusdem nominis cum affectu est, quo rite dicar & ero misericors (Virtuti enim & affectui idem nonnunquam nomen esse, traditicium est.) Ab habitu certe & imprępeditę fluũt actiones, qui Scaligero quasi forma est harum actionũ. Voluntas vero, (habitu affecta) earũ efficiens, ex. 307. f. 4. In Ethicis specialius accepta ὄρεξις, ἐπιθυμία, concupiscentia, libido, cupiditas, sæpe paria sunt, & dicitur ὄρεξις ἢ ἐπιθυμία πολυκέφαλον θηρίον (non minus quam populus, aut Absurdum in Philosophia contemplante) id est bellua multorum capitum, & recte hydræ lerneæ comparatur. Interdum voces hæ accipiuntur tropice, in sacris etiam: Paulus Rom. 7. per ἐπιθυμίαν intelligit cupiditatem prauam seu appetitum, quo titillamur & ad malum solicitamur, seu prauitatem appetitus. Hæc igitur est Synecdoche generis pro specie. Iacobus Apost. dicit: Cupiditas parit peccatum, id est, prauitas appetitus parit peccatum actuale exterius. Paulus: Peccatum effecit in me omnem cupiditatem, id est, prauitas appetitus genuit seu effecit in me peccatum actuale ipsius appetitus. Hic igitur Metonymia est effecti.
Appetitui opponitur Auersatio.

APPOSITIO, πρόθεσις, ADDITAMEMTVM, ADIECTVM.

Apposítio est vel Reapse, id est, secundum rem, κατὰ πρᾶγμα: vel secundum rationem (κατὰ λόγον.)

πρόθεσις secũdum rem est, vbi quid priori accedit, sine quo prius quidem existere potest, at quod accedit, non sine illo, vt, si accidens substantiæ superueniat; quia etsi substantia sine accidente illo conseruatnr, sine substantia tamen accidens non existit.

Additio secundum rationem est, si, quod in alio subsistit, sine illo cogitetur, in quo est, postea ad illud idem applicetur, sine quo non existit: vt, Nigror, qui est in pariete, non existit sine pariete, verumtamen sine pariete cogitatur, si prius sine pariete, post in pariete cogitetur.

Ea Appositio est secundum rationem. Exemplum: Geometer addit numero positionem seu θέσιν. Hæc Appositio seu Additio fit mentis ope; quia quantum sine positione concipitur. Physicus Materiam quanto apponit Reipsa seu secundum rem, sine qua à Mathematico consideratur, quæ rationis Abstractio est. Mathematica enim per se in materia sunt, verum sine illa cogitari possunt.

Ex Appositione Ens (ὂν ἐκ προσθέσεως, est res concreta materiataque, vt Physica.

Accidentia propria, καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα, ἀνυπόστατα cum subiectis suis, non

seipsis, sed deuincta astrictaque subiectis definiuntur.

Has Aristoteles vocat definitiones ἐκ προσθέσεως (per Additamentum) propter subiectorum appositionem & inclusionem. In definitione simi ponitur Nasus. In definitione claudi pes: In definitione balbi, lingua: in definitione Apoplexiæ vel phrenitidis, cerebrum. Idem de similibus συνδεδυασμένοις iudica.

a *Quia non nisi loci & temporis gratia determinata sunt.*

Contra; Ἀόριστα (Indefinita) suapte[a] natura accidentia, vt album, non definiuntur ἐκ προσθέσεως, id est, nullum subiectum eorum definitionibus includitur, ἀναφέρονται Galeno.

Canones.

1. Prius secundum rationem potest esse posterius.
2. Accidentia nunquam separantur actu à substantia.

Appositio seu Additio interdum significat *aliquam imperfectionem* aut improprietatem: interdum aliquam *determinationem*. Cui opponitur τὸ ἁπλῶς: vel κυρίως, vt: Cauum significat commune quiddam separatim, quod inesse potest cruribus & naso. Sed appositum & additum Naso, significat determinatam quandam cauitatem, subinferens certum subiectum, vt quæ non possit esse nisi in naso, qualis iam appelletur σιμότης. Idem dici potest de cauitate crurum, cuius gratia varus aut valgus quispiam dicitur. Schegk. 3. Demonstr. p. 382.

Vsus.

Vsus huius vocis multus est, vt

1. In disputatione, An Syllogismus sit interna oratio, an externa? Hic P. Scherbius acutissimus Philosophus; Syllogismus, inquit, externus ἁπλῶς dicitur Syllogismus, & propterea vt Græci dicunt, κυρίως καὶ ἀληθῶς; Alter autem ille, qui adhuc intus est, est Syllogismus quidem, sed κατὰ προσθήκην, scilicet; Syllogismus Dianoeticus, (Barbaris est Mentalis, Latinis mente informatus,) Eiusmodi autem προσθήκη ex ijsdem Græcis significat aliquam imperfectionem; Quemadmodum puer, qui adhuc est in vtero, Filius quidem potest dici, sed cum *quadam additione.*

At qui iam editus est in lucem, simpliciter dicitur Filius, & simpliciter etiam communi hominum consuetudine Patris appellationem tibi affert. Sic Domus vel Malleus mente adhuc informatus non habet hoc nomen *simpliciter*, sed verbum aliquod *addendum* est, vt: malleus mentalis, domus mentalis, id est, mente adumbrata. Proprie autem & sine vlla προσθήκῃ seu additione is malleus est, qui ligneus est aut ferreus, qui in sensus incurrit & est extra mentem.

Verum an Syllogismus διανοητικὸς, id est, animo & cogitatione informatus, non sit vere seu ἀληθῶς Syllogismus, de eo vide, si placet, Conciliatorem, disputantem εἰς ἀμφότερα.

2. In disputatione, an Logica sit scientia? Sic arguunt nonnulli: Logica est ἐπιστήμη λόγων, seu scientia rationalis. Ergo Logica proprie est scientia. Hic responderi potest per inuersionem: Imo, quia dicitur Logica scientia rationalis, κυρίως scientia non est. Adiectum enim rationalis derogat naturæ scientiæ. Verba Zabarellæ adijcio: Quod Latini dicunt Logicam esse scientiam, quia est scientia rationalis, ridiculum est; eum hoc ipso argumento demonstretur, eam scientiam non esse: Quemadmodum qui ex eo, quod aliquis est homo mortuus, colligere vellet eum esse hominem, is efficaci ratione illum non hominem esse ostenderet. Vt enim in illo adiecto

cto, Mortuus, contrarietas ineſt, quæ totam hominis naturam interimit, facitque vt ſolum hominis nomen æquiuocum remaneat: ita etiam de hoc adiecto rationalis dicendum eſt: quandoquidem ea, quæ vocant iſti entia rationis, ſub ſcientiam non cadunt, cum non ſint neceſſaria.

Quamobrem dicere ſcientiam rationalem, perinde eſt ac dicere, ſcientiam moralem, ſcientiam Medicam, ſcientiam ædificatoriam: & quiſquis oſtendere niteretur aliquam hoc pacto eſſe ſcientiam, is reuera non eſſe ſcientiam argumento efficaciſſimo demonſtraret. De Natur. Log. lib. 1. cap. 3.

In Phyſicis etiam è venis Appoſitio Nutrimenti, quæ ineſt inanimato propter craſin, dicitur; Eſtque συναίτιον huius effecti: Corpus animatum, quatenus ſecundum Naturam eſt affectum, conſeruari & vegetari nutrimento; cuius effecti etiam cauſæ, ſed ſuperiores ſunt Agglutinatio & Aſſimilatio.

Appoſitio conſeruat & vegetat propter agglutinationem, hæc propter aſſimilationem: Aſſimilatio vt ſuprema & perfectiſſima cauſa propter nullum aliud, vt loquitur Schegkius lib. 7. demonſtrat. p. 232. Hæc non cadunt in corpus tabidum ſeu laborans ἀπρόσφορα.

Porro in Phyſicis quædam accidentia dicuntur admittere πρόθεσιν & ἀφαίρεσιν. Plurima ſymptomata inſunt animatis, non quia animata, ſed quia morbis prædita: Et morbis prædita affectaque ſunt, non quia animata ſunt ſubſtantia, ſed quia animata participant his accidentibus, quæ πρόθεσιν admittunt & ἀφαίρεσιν, id eſt, adiectionem & detractionem.

In Metaphyſicis Genus ſine additione differentiarum conſiderari poteſt, etſi ſine his reipſa ſubſiſtere nequeat.

Quod & ad Abſtractionis Locum pertinet: contrarium denominat abſq; adiectione ſubiectum, & tale contrarium dicitur ſubiecto ineſſe ſimpliciter ac perfecte. Vel, contrarium denominat ſubiectum abſque adiectione, & tale contrarium dicitur ineſſe aliqua ex parte, ſeu ſecundum quid & imperfecte. Priori modo calor ineſt igni & frigus aquæ in ſuo naturali ſtatu conſtitutæ: Acita non poſſunt contraria ſimul eidem ineſſe. Poſteriori modo calor & frigus ſimul inſunt aquæ omnino tepidæ, & candor Æthiopi.

Nam neque aqua omnino tepida dicitur calida aut frigida, niſi ſecundum dimidium gradum, neque Æthiops dicitur candidus, niſi dentibus aut oculis.

In Arithmetica πρόθεσις eſt additio ſeu compoſitio, Numeratio prima, qua numerus additur numero, & habetur totus. Opponitur ei ſubductio ſeu ſubtractio.

In Grammatica πρόθεσις eſt Metaplaſmus ſeu tropus vocis, cum litera vel ſyllaba principio vocis adijcitur, vt tetuli. Opponitur ei Aphæreſis, ablatio.

Appoſitionem etiam vocarunt cum ſubſtantiuum ſubſtantiuo eodem caſu adiungitur, vt, virgo Maria, Regina pecunia: Quæ alias dicitur epexegeſis, quia vna vox exponit alteram. Sed non recte vocatur Figura Syntactica.

In Phyſicis Appoſitio vel additamentum opponitur veræ mixtioni & Accretioni veræ, vt cum dicit Scaliger ex. 102. ſect. 2. Metalla grandeſcere per additamenta.

Lapides non aluntur intus καλὰ τὴν εἰσεπιδοχὴν (per intro ſuſceptionem) ſed per Appoſitionem. Scal. 2. de Pl. p. 309.

Iurisconſulti etiã voce adiectionis vtun-

tur, cum dictum determinant, vt Nuptiæ iniustæ seu illegitimæ (quæ non fiunt secundum Leges Romanas) matrimonium quidem dicuntur, sed cum Adiectione hac, quod sit Qualecunque. Eiusmodi Matrimonium est inter eos, qui sine Parentum, in quorum potestate sunt, consensu matrimonium contraxerunt. Herm. Vulteius libr. 1. Iurisprud. Rom.

Et Logici quidam Propositionem cum Additamento seu Additione (præscriptione etiam ait Scaliger) Determinatam nominant, vt vxorem, qua adulteta est, repudiare licet.

Vsus.

Deficientes propositiones quæ Mathematicis?

Tanta autem Additionis seu Determinationis necessitas & vis est, vt Mathematici Problemata illa vocent *Deficientia*, (quibus opponunt excedentia) quæ aliqua Additione seu Determinatione indigent, vt si quis dicat in Geometria, Trigonum æquicrurum constituere, problema tale esset deficiens infinitum, id est, non Determinatum, indigens aliqua additione, scilicet, qualenam Trigonum æquicrurum esse debeat, an illud, quod habeat basin maiorem, an vero quod minorem eam habet altero æqualium laterum: præterea an illud: quod habeat angulum ad verticem duplum, &c. quia infinitis modis hæc possunt variari.

Appositiue poni Grammatica locutio est, vt Fama malum, Mors omnium rerum extremum, pro, Mors extremitas. Hic ille, hic ipse dicitur Appositiue, Græce ἐπιλαμματικῶς.

APPREHENSIO.

Apprehensiua seu ἀντιληπτικὴ vis in Physicis accipitur generaliter & specialiter.

Generaliter, vt etiam manui tribuatur; habet enim potentiam apprehendendi manus.

Specialiter, vt Apprehensiuæ vires seu potentiæ sint Sensus & Intellectus, quibus rerum notitiam percipimus.

Apprehensio sensuum externorum prima est: Internorum (præcipue phantasiæ) secunda: Intellectus tertia. Necesse enim est 1. vt quæcunque nobis intellectu apprehenduntur, obijciantur externo sensui, vel per se & aperte, vel per aliud & inuolute; per se, vt figuræ hirci & cerui, quod quasi per partes apprehenditur, cum hircus ceruusque apprehensiuæ potentiæ repræsentatur. 2. vt sensu communi & phantasia externorum sensuum obiecta & operationes percipiantur & distinguantur, sensilium species seruentur, & in eorum absentia alia ex alijs componantur, & in alia diuidantur, post hæc tanquam ὑπηρετικὰ, intellectus vt principis apprehensio accedit, faciens abstractione vniuersalia.

Apprehensio (ἀντίληψις) est Intuitiua, vel Abstractiua. Intuitiua, qua percipimus aliquid Intuitiue, id est, *qua percipimus præsens sensile, vt præsens est, à quocunque sensu externo fiat.* Intuitiue hic accipitur per Synecdochen, quæ ob vocabulorum inopiam hic necessaria est.

Hęc igitur ἀντίληψις est externorum sensuum, qui sunt primi quasi ianitores intellectus.

Abstractiua est, qua absentia etiam sensilia percipiuntur abstractione.

Apprehensio est vel simplex, vel composita seu coniuncta. Simplex est vel incomplexorum, vt obiecti simplicis, vt Mauritij, huius herbæ; vel vniuersaliũ, cũ abstrahũtur à suis particularibus, vt animalis. Estq; habitualis, vel actualis. Habitualis est, q̃ fit per impressã speciẽ repręsentantẽ obiectũ. Actualis est cognitio, quæ fit per apprehẽdendi actũ, & expressam similitudinem, si quando ea per

ea per actum apprehendendi seu cognoscendi exprimitur. Hinc quoque vniuersalium Abstractio distinguitur. Vide ABSTRACTIO.

Composita seu coniuncta est rerum natura vel arte coniunctarũ, vt cum non fit abstractio, secretio, seiunctio vniuersalis à suis particularibus & singularibus, formæ à materia. Hæc dicitur *Impura*. Apprehenduntur autem non tantum affirmationes, sed & negationes (vt priuationes,) non solum Entia realia, sed etiam rationis & fictitia.

Apprehensioni specialiter à Physicis acceptæ, ita vt sit operatus intellectus simplex, opponitur intellectus operatio enuntiatiua & discursiua: Sic

ἐνέργεια Intellectus { Simplex, Apprehensiua, Apprehensio. / Coniuncta { Enuntiatiua seu Enuntiatio. / Discursiua seu discursus.

Amplecti proprie dicitur de propositionibus, quibus assentimur, vt hoc pronuntiatum firmo vel languido assensu amplector. Hic non vtor verbo apprehendendi.

APPROBATIO.

Approbatio in Logica est 1. Probatio, Comprobatio, Confirmatio, πίστωσις, Prosyllogismus, rationis Probatio, ἐπιπίστωσις, Cicer. de Inuent. Approbatio est per quod id, quod breuiter expositum est, rationibus affirmatum, probabilius & apertius fit. Posito & approbato aliquo sæpe aliud assumitur.

2. est affirmationis vel negationis affirmatio, quę iudicium prægreditur: Approbatione enim aliquid iudicatur populari seu vulgi, vel eruditorum & sapientum. Scal. ex. 307. sect. 5.

Improbatio igitur contra est affirmationis vel negationis negatio seu contradictio. Illa assensio, hæc dissensio aliquando dicitur. Cicer. in Acad. quæst. Nunc de assensione & approbatione, quam Græci συγκαταθέσιν vocant, pauca dicamus.

Audientium approbatio est effectus eloquentiæ Ciceroni.

APPROPRIARE.

Appropriare est peculiariter propriũ facere, vel propriũ attribuere. Sicut ratio dicit notitiam discursiuam, homi-

nibus quidem propriam, quæ ratio improprie diceretur esse in Deo. Ita similiter dicit Dionysius intelligere esse notitiam appropriatam Angelo, causatam ab Angelo, & intellectu angelico, & ipsum informantem ac efficientem, & tale intelligere dicit non esse in Deo, Picus quæst. 12. Apolog. Ego exprimo, quod intellectus & intelligens de Deo magis propie dicantur, quam de angelo, & ratio magis proprie de homine, quam de angelo. *Ratio homini appropriata.*

APPROPRIATVM.

Appropriatum distinguitur quodammodo à proprio in ijs, quæ dicuntur πρὸς ἕν, vt significet, quod præcipue alicui conuenit: adstrictum ad aliquid καθ' ὑπεροχήν. Si Magia est idem quod Sapientia, merito hanc practicam scientiæ Naturalis, quæ præsupponit exactam & absolutam cognitionem omnium rerum naturalium, quasi apicem & fastigium totius philosophiæ peculiari & appropriato nomine Magiam, id est, sapientiam, sicut Romam vrbem, Virgilium Poetam, Aristotelem Philosophum, dicimus, appellare voluerunt. Picus Mirand. in Apolog. Cum dixi magis improprie dicitur de Deo, quod sit Intellectus, nihil aliud intendebam, nisi quod notitia Angelica, quæ intellectualis notitiæ nomen

sibi appropriat magis, distat ab infinita Dei notitia, quæ omnia per essentiam cognoscit, quam distet à notitia animæ rationali vel homini appropriata. Si vero ex præsenti conclusione inferatur, quod Deus improprie dicitur intelligere, sicut Comparatiuus infert Positiuum, accipiatur: consequens tantum, in hoc sensu Deus non secundum propriam vel appropriatam acceptionem huius dictionis intelligere dicitur intellectus. Idem Pic. in Apol. quæstio. 12. Subsistere appropriate tribuitur substantię, ita qualitas non subsistit, sed inhæret.

Appropriatum distinguitur à proprio à Scoto per particulam Aut. l. 2. distin. 1. Proprium est, quod vere tantum competit. Appropriatum est, quod vere quidem commune est multis, sed vni peculiari seu propria quadam ratione attribuitur. Ex. gr. Deitas & Creatio communis est Filio & Spiritui S. cum Patre, & tamen appropriatur Patri. Sic Dominatus Filio, Sanctificatio Spiritui Sancto. Sapientia vere communis tribus Personis, & tamen appropriata est λόγῳ diuino. Canon: *Vnum idemque potest esse commune multis & appropriari vni: seu commune multis potest appropriari vni propter excellentiam.* Vnum Increatum repræsentat vnitatem appropriatam Patri, verũ veritatem appropriatam Filio, Bonum bonitatem appropriatam Spiritui S. Hæ perfectiones repræsentant absolutas Dei perfectiones Personis appropriatas. Scot. l. 1. dist. 3. Paulus Scal. epist. Cathol. li. 11. p. 581. Termini Ens, Vnum, Verũ, Bonum, aut proprie, aut appropriate considerantur. Proprie & absolute in esse Increato; in Creato vero appropriate & respectiue. Illo modo idem sunt: Hoc vero differunt.

APTITVDO.

Aptitudo est quod Barbari vocant Idoneitatem, Græci ἐπιτηδειότητα.

Soncinas aptitudinem à potentia rei distinguit, vt aptitudo sit non-repugnãtia, seu negatio repugnantiæ, Homo, inquit cæcus aptus nat⁹ est videre, nec tamẽ in eo est potentia ad visum. Cœlum est aptum seu aptũ natum diuidi, quia ei non repugnat diuisio ratione quantitatis, nec tamẽ in eo est potẽtia ad diuisionẽ, cũ sit incorruptibile, de sententia Arist. l. 12. Metaph. quæst. 40.

Aptitudo seu capedo est aut Actiua, vel quasi actiua; aut passiua, vel quasi passiua. Distinctio hęc est Fõsecę, vbi disputat de spatio locali, de capedine corporum seu aptitudine ad corpora capienda.

Vsus.

Spatium immobile & fixum, in quo corpora sunt, seu quod à corporibus occupatur, & in quo mundus ipse est seu orbis hic, est aptitudo ad corpora capienda, quæ maior est & minor iuxta quantitatem locandorum corporũ, imo infinita, vt capere possit omnia corpora, ea etiam, quæ extra Mundũ à Deo produci possunt (potentia absoluta,) seu est non-repugnantia quædã corporum capiendorum commensurata corporibus locandis, de sententia Fonsecæ. Sed contra argumentor.

Hæc capedo seu aptitudo si est, erit alicubi, vel in rebus locãdis locatiuis. Non alicubi, si enim alicubi, ergo in aliquo loco, & ita quæritur locus loci', quod ineptum. Nec in rebus locatis, 1. quia hoc pacto non existentibus rebus locatis, non essent earũ capedines, quod falsum, cum capedines præcedant res ipsas, quæ capiuntur, idque ex omni æternitate. 2. quia aptitudo quasi passiua vt corpora capiantur, etsi est in corporibus ipsis, tamen aptitudo capiendi quasi actiua, quę propria est spatij non potest esse in capiendis corporibus. Nam corpora non capiunt corpora, sed capiuntur à capedine ipsa seu spa-

tio

tio ipso. Ergo capedo seu aptitudo illa non est.

Hic respondetur, fallax connexum est. Nam capedines corporum seu aptitudines siue non repugnantiæ ad ea capienda non sunt in corporibus locandis, neque sunt alicubi, & tamen sunt. Sunt enim id, vbi est, quicquid alicubi est, vt ineptum videatur esse quærere vbinam sint. Nec mirum cuipiam videri debet, quod nec sint in re aliqua, seu Ente aliquo, nec alicubi, cum negationes puræ non sint priuationes, vt indigeant subiecto aliquo; multo minus etiam sint corpora, vt locum occupent, imo non sunt vera Entia, neque substantiæ, neque accidentia.

Aptitudo est Propinqua, vel Remota. Hanc distinctionem quidam colligunt ex Scoto. Declarari potest exemplo. Materia prima cum vna & eadem numero successiue subesse possit diuersis formis, quandocunque vni earum subiecta est, habet remotam aptitudinem, vt alijs subsit, idque propter dispositiones repugnantes dispositionibus aliarum formarum, quas dispositiones necesse est expelli, vt aliæ formæ inducantur. At materia secunda seu informata habet aptitudinem propinquam, &c.

Aptitudo est vel *essendi seu existendi, vel mutationis & motus*, id est, aptitudo ad patiendum seu recipiendum, aut agendum: *Vel cognitionis, vel significationis, vel prædicationis.* Aptitudo essendi in pluribus conuenit rebus vniuersalibus, & differt ab actu essendi.

Hic quæritur, vtrum aptitudo essendi in pluribus sit potentia aliqua naturalis, an negatio repugnantiæ essendi in pluribus seu multis, an modus quidam potentialis rebus internus, qualis est modus essendi cuiusque effectus in sua causa. Vide vocem Repugnantia.

Radicalis aptitudo est actus imperfectus seu propensio ad aliquid, subiecto coæua.

Vsus.

Propria Accidentia abesse posse saluo subiecto, vt, Motus sursum non semper inest igni; sunt qui affirment.

Alij respondent ad exemplum: Motum sursum semper inesse igni, remotis impedimentis.

Alij de quæstione respondent sic: Moueri sursum non est perfecte proprium ignis, vt aptitudo ad calorem & calor. Nõ igitur semper inest igni, sed aptitudo ad motum sursum, scilicet Leuitas. Atque hæc est ab igni inseparabilis. Ab homine cum cæcus est, abest potentia videndi, sed non omnis. Aptitudo enim radicalis ad videndum inseparabilis est. Sic igitur habetote.

Accidentia quędam producuntur à principijs essentialibus subiecti secundum actum perfectum, quædam secundum actum imperfectum seu aptitudinem tantum. Prioris generis (quæ secundum se seu actus suos ex principijs subiecti internis in ipso emanant) & secundum suas aptitudines & secũdum se sunt à subiectis suis inseparabilia, vt: ab igne neque aptitudo ad calorem, neque calor actualis separari potest igni remanente. Posterioris generis (quæ non secundum se seu ἐνεργείας suas, sed secundum quasdam incoationes ex principijs subiecti essentialibus profluunt) secundũ se quidem sunt separabilia, secũdum aptitudines suas vero nõ possunt separari; vt, Motus sursum potest ab igne separari, sed aptitudo ad motum, Leuitas, non potest. Quæ diuersitatis ratio? Quia in primi generis accidentibus Actualitas accidentis promanat à Solis principijs internis: in posterioris vero generis accidentibus aptitudo tantum à Solis principijs existit

internis; ipsa autem actualitas abunde prouenit ab aliquo externe concurrente vel agendo, vel non prohibendo, vt; Transparentia non est in aere actu, nisi concurrente seu interueniente externo illuminante. Motus sursum non inest igni actu, nisi interueniente extrinsecus prohibens remouente.

Externum hic dicitur quod est extra rei essentiam, seu, quod non ingreditur constitutionem rei. Vide Thomam de ente & essent. opusc. cap. 7.

Radicalis aptitudo coæua est subiecto necessario (propter necessariam connexionem inter subiectum & πάθος proprium) ita vt necesse sit subiectum corrumpi corrupto accidente secundum talem aptitudinem (seu actum imperfectum inchoatumque) non autem secundum actum seu actualitatem. Potentia prima videndi est talis. Ergo homini necessario est coæua, ita vt, &c.

Exemplum aptitudinis actiuæ est facultas applicandi se ad gratiam in mente & voluntate, quę cœpit renasci, παθητικῶς vero seu recipientis capacitas & potentia, quæ potest ad Deum conuerti, quæ non est in stipite seu trunco. In eo scilicet non est arbitrium, quod ordinata Dei dispensatione conuerti possit ad accipienda Spiritus S. dona. Vide vocem Adstipulatiue.

Hominis voluntas retinuit aptitudinem, qua potest conuerti.

AQVA.

Platonici è Timæo duplex aquæ genus faciunt. Vnum humidum atque tenue, vt est aqua, quæ per Terras dimanat, ὑγρὸν χύσιν. Alterum fusile, χυτὸν vel πηκτὸν: cuiusmodi est vapor è terra vi caloris sublatus, ex quo in terræ visceribus incluso & terra immixta varie fiunt metalla.

Aquæ supra cœlos sunt aquæ vaporales in nubibus supra montes suspensæ (ex aqua per euaporationem est aer.)

Aquæ caput illud est, vnde aqua nascitur. Si nascatur ex fonte, ipse Fons.

Aqua pro Tempore Quintiliani est, vt aquam perdere, sumpt. à clepsydris, id est, horologijs, quæ aqua fiebant.

Aquæ-ductus dicit Cicero, Iureconsult. Aquagium.

Aquilex est curator aquæ ductuum. Plin. Brunnenmeister / à legendis aquis.

Aquarius Astrologis est signum cœleste seu sidus septentrionale, constans stellis 42. Stellas eius in dextra manu quatuor in figuram triquetram centrum habentem dispositas vocat Proclus κάλπην, quod est vrna vel situla. Sed oratoribus idem est, quod Aquarum curator.

ARGVMENTVM.

In Theorijs Planetarum Argumentum arcum quendam significat, qui dicitur argumentum, quia vere & medij motus differentiam seu æquationem (quæ Græcis est προσθαφαίρεσις) arguit & patefacit. Argumentum hic vocatur à Ptolemæo ἀνωμαλία ἐκκέντρου, quæ ei vel media, vel vera est. Anomalia Eccentri media seu æqualis est arcus Zodiaci, à linea apogei secundum signorum seriem ad lineam medij motus numeratus. Anomalia Eccentri vera seu inæqualis est arcus Zodiaci à linea apogei secundum signorum ordinem ad lineam veri motus numeratus.

Æquatio est differentia, qua medius motus discrepat à vero: Græce προσθαφαίρεσις, quod in verorum motuum indagatione quandoque additur medio motui, quandoque detrahitur, vt conficiatur verus motus. Argumentum seu anomalia Solis est arcus Ecliptica

pticæ ſecundum ſeriem ſignorum numeratus à linea Apogei vſque ad lineam medij aut veri motus Solis. Sic dictum, quod arguat & indicet, quantum ſit inter lineas medij & veri loci Solis interuallum, quod æquationem appellant Epilogiſtæ. Vt igitur Dialectici Argumento quippiam, quod ignotum erat, concludunt: Ita Aſtronomi huius argumenti ſeu arcus beneficio ignotam Solis æquationem ex tabulis eliciunt.

Argumentum Lunæ medium eſt arcus Epicycli, comprehenſus inter augem mediam & centrum corporis Lunæ, iuxta motum eius computatus. Verum eſt arcus Epicycli ab auge vera ſecundum Lunæ motum ad medium vſque corporis eius computatus. Diſcrimen horum arcuum, ſi quod eſt, æquatio centri appellatur, id eſt, arcus Epicycli cadens inter illius apogeum verum & medium.

Argutio eſt δεῖξις, ἔνδειξις, oſtenſio.

Non autem dicitur Arguitio. Sic dicitur Redargutio (pro reprehenſione) non Redarguitio: Exacutio (hoc eſt alteratio ſenſilis, qua ex obtuſo fit acutum) non Exacuitio.

Argumentoſum, ἐλεγχτικὸν.

Argumentoſum proprie eſt plenum argumentis, ſeu rationibus: vt oratio vel tractatio argumentoſa, id eſt argumentis referta. Translate tribuitur ab Alberto Magno apibus, cum dicit. Apes argumentoſæ dicuntur, propter ſolertiã conuertendi rores in ceram & mella. Operoſæ vero, quia congregatę ſuo emendant opere, & ſibi conuenientia per naturam faciunt. De anima lib. 8. tractat. 4. cap. 2.

ARGVTIÆ.

Argutię Logicorum, Oratorum, & Ethicorum vox: Tribuitur enim rationibus, orationibus, digitis, oculis, ſermonibus, poematis: Ciceronis hæc ſunt: Huius orationes multum argutiarum & vrbanitatis habebant. Nullæ argutiæ digitorum; Manus minus arguta; Quis in ſententiis argutior? Argutiæ hæ ſunt, id eſt acute & ſubtiliter dicta. Breuiter & argute diſputare, **kurtz vnd gut**. Argutari in malam fere accipitur partem. Sophiſticare **vnnütze ding vorgeben**/ nugas afferre. Sic Argutator Gellio eſt ſophiſta.

ARS.

Ars accipitur trifariam.

Ars
1. Habitus ποιητικὸς (factiuus) ſeu μηχανικὸς, ποίημα ſeu μηχάνημα aliquod poſt ſe relinquens nobile vel ignobile, vt Ædificatoria. Cicer. Ars eſt ratio faciendi. Gualand. Ars conſtat cognitione & effectione.
2. Habitus Organicus, vt Logica.
3. Effectus ſeu opus ἕξεως, habitus.

Sic accipiunt Ramus, Galenus & Lucianus, cum definiunt eſſe ſyſtema præceptorum vniuerſalium verorum, vtilium, conſentientium, ad vnum eundemque finem tendentium.

Cicero etiam generalius pro quauis doctrina certa ordinata accipit, vt cum dicit, Artium aliud eiusmodi genus est, vt tantummodo animo rem cernat aliud, vt moliatur aliquid & faciat.

2. Artis nomen duobus intelligitur modis: Alias de arte perfecta, in qua res certissimæ & verissimæ traduntur: Alias de arte vulgari & mediocri, in qua res opinabiles longo vsu obseruatæ probabilibus præceptis explicantur: qualia sunt de Actione oratoris, Artis Gubernandi.

Talæus 2. de oratore. Cum dicitur à Cicerone: Ars est earum rerum, quæ sciuntur: Verum hoc de absoluta arte.

Generalissime deniq; nonnunquam accipitur, vt comprehendat καλοτεχνίαν, μαλαιοτεχνίαν, & κακοτεχνίαν, bonam, vanam & malam artem.

Comparatio cum Platonicis.

Platoni in Philebo Scientia & Ars sic inter se differunt. Scientia ἀμελαπτώλαις θεωρίας ἀρχαῖς agit, certis principiis innititur, certas nectit cõclusiones: Ad summam, in rebus certis versatur. Ars vero opus suum perficit στοχασμῷ μελέτης seu ἐμπειρίᾳ, seu τριβῇ. Ac inter ipsas artes aliæ sunt puriores (καθαραὶ) quæ ad veritatem ac scientiam magis accedunt; Aliæ impuriores & βάναυσοι, quæ omnem operam suam ἐν χειρουργίαις occupant. Aliæ sunt ἡγεμόνιαι, vt Architectonica: Aliæ ξυνεπόμεναι, vt quæ ad Architecturam spectant, vel ad Musicam.

Artes { Primariæ, quæ immediate conferunt, vt Medica Ars.
Artes { Ministræ, quæ primariis inseruiunt, vt medicamentum.

Sic Gualandus: Omnis fere ars vni pluribusue facultatibus vel artibus inseruit, & hæ ministræ à nobis dicuntur, illæ primariæ, quæ simul vniuersæ ciuili facultati famulantur, & ad illius finem suos cunctæ dirigunt fines. l. 16. de ciuil. facult. cap. 3.

Artium præstantissima ciuilis facultas.

Artes ministræ à Scholasticis etiam dicuntur Subordinatæ. Itaque artes quædam ab alia arte pendent, vt quæ ab arte aliqua principia petunt.

ARTIFICIVM.

Artificium & in bonam & in malam partem accipitur. In bonam, vt Artificium dicendi, quod est Græcis τεχνολογία. Voce hac vtitur Cicero. In malam, vt artificium mentiendi, decipiendi, adulandi, furandi.

ARTIFICIALE.

Artificiale accipitur tripliciter.

1. Est quod fit vel factum est ab Arte.
2. Est in quo operatur Ars.
3. Est quod habet artem seu est artificiosum.

Forma artificialis est, quæ fit ab arte in materia. Materia artificialis est, in qua operatur ars. Zabar. *l.* 2. Phys. text. 22.

Argumenta artificialia dicuntur omnia argumenta, præter Testimonium extrinsecus assumptum.

ASCENDO.

1. Ascendere proprie est verbum Mutationis loci, estque è loco inferiore in superiorem per se ferri.
2. Scaliger secutus Aristotelem in l. de Plant. laxe accipit ascendere pro eo, quod est in superiora loca trahi.
3. Astronomis Ascendere nonnunquam significat transitiue, non naturaliter: vt cum ponitur pro attollere ἀνύρως, vt oppositum eius descendere, pro deuehere. Lunæ extremus orbis mundo concentricus est deferens caput & caudam Draconis (dicitur circulus

nodo-

nodorum & æquans Lunæ:) Hanc Ptolemæus magis perspicue vocat nodũ ἀναβιβάζοντα & καταβιβάζοντα, versor Trapezontius vocat nodum ascẽdentem & descendentem. Ascendens potius est attollens: Descendens Deuehens. Extremus enim Lunæ orbis vehit nodum ἀναβιβάζοντα & καταβιβάζοντα, qui Lunam paulatim ab Ecliptica, à qua digreditur vel Septentrionem vel Austrum versus, auehit, & ad eam reuehit, vt ad nostrum verticem iam accedat, iam à nostro vertice remoueatur.

4 Ascensio est ortus alicuius signi; Occasus Descensio. Ascendere aliquod signum est oriri partem illam æquatoris, quæ oritur cum illo signo oriente supra horizontem: Descendere contra, illam partem æquatoris occidere, quæ occidit cum altero signo occidente.

Ascensiones Sphæræ rectæ sunt ascensiones æquatoris per Zenith capitis transeuntes, quas ibi cum signis facit.

Ascensiones Sphæræ obliquæ seu climatis sunt ascensiones Æquatoris pro diuersitate climatum.

Aliud est exaltatio, quam ascensio Planetarum, aliud deiectio, quam humiliatio. Exaltatio enim ad dignitatem spectat: Ascensio ad positionem Planetarum.

Sic aliud est Christum exaltari (ad regnum,) aliud ascendere in cœlum.

Solem & Planetas reliquos sursum tolli, ascendere, euehi, attolli, idem possunt: Vt autem hæc notio teneatur, adhibeo distinctionem modorum.

- Ascensio seu Euectio Planetæ fit cum
  - Ab horizonte
    - attollitur
      - Versus verticẽ, Modis
        - 1 a
        - 2 b
        - 3 c
      - Versus Firmamentũ, Modis
        - 1 d
        - 2 e
  - Ab vniuersa terra.

a Primo, cũ motu primi mobilis per circulos altitudinum ob ortu medium cœli versus ascendunt: quomodo Luna Sole interdum altior esse potest.

b Secundo, cum per ascendentẽ Zodiaci medietatẽ, quæ est à primo puncto capricorni per arietem vsque ad finem Geminorum mouentur.

c Tertio, cum in Zodiaci latitudine à meridie boream versus scandunt.

d Primo, cum ad Eccentricorum apogea ascendunt.

e Secundo, cum ad summas Epicyclorum absides euehuntur. Quinque igitur Modis planetæ ascendere & descendere possunt.

A S S A.

Assa 1. Adiectiuũ fœmininũ dicitur per Ellipsin substãtiui caro (Barbare Assatura.) Dicitur & assum das Gebratẽ: vt assum est caput cœnæ.

2. Substantiue acceptũ, est planta quędam fœtida, Teuffelsdreck/ q̃ in veteri rythmo dicitur Magud eris. Cõtra Maguderim debes comedere tussim, id est cõtra tussim debes comedere Magud erim. Vide sic de Assa hac Scal. ex. 142. s. 5.

3. Assa voce canere, opponitur ei, quæ est in Tacito per tibias canere, seu Græcis ψάλλειν. M. Varro: In conuiuiis pueri modeste vt cãtarent carmina antiqua; in quibus laudes erãt maiorum, & ASSA VOCE ET CVM TIBICINE. Idem μέλος in cantib. bipertitum erat; In Assam & Organon: vt est, tibia, fistula. Assa igitur vox est simplex, puraque vox vel nudus cantus (lebendige Stimm ohne instrument.) Sic Aristoteli λόγος

ψιλοὶ (sermones nudi) sunt nudi versus rythmo & harmonia exuti: Initio libri de poetica. Qui intelligũt hic solutam orationem, vel colligunt inde Aristotelem non improbare metrum vel carmen soluta oratione scriptum, iudicãtur errare à Scipione Gentili in parergis, quem autorẽ merito hic laudo, cum sit in hoc genere obseruationum philolog. diligentissimus. Apud Platonem libr. 3. de Republica dicitur. Non igitur nobis opus erat ἐν ταῖς ᾠδαῖς τε καὶ μέλεσιν (id est in cantibus & melodiis) πολυχορδίας γε ἁδὲ παναρμονίου (harmonia, quæ multis constet chordis, omnibusque concentibus, vt vertit Ioañes, Serranus. Ex hoc quoque intelligitur loco Musicam constare assa voce, id est simplici & ἐναρμονίοις instrumẽtis, è quibus postea Plato approbat simpliciora, lyram, citharam, fistulam pastoritiam, pastoribus commodam.

Assa vox Græcis est ἁπλῆ καὶ ἄκρατος.

ASSECTARI.

Assectari & in bonam & in malam partem accipitur. Assectatus est Pompeium, id est, adiunxit se ei. Cic. Assectatur aliquam mulierem, qui tacitus frequenter sequitur: à quo differt, qui attentat. Id enim facit verbis. Hoc & appellare dicitur. Appellare enim aliquam est sermone pudicitiam alicuius attentare, sic vsurpant Iurisconsulti, vt Alciatus.

ASPECTVS.

In Physiologia Aspectus 1. accipitur pro vi videndi. 2. pro actu videndi.

In Theoricis Planetarum Aspectus, specialiter & κατ' ἐξοχὴν voce accepta, sunt radij Planetarum, qui à Græcis dicuntur σχηματισμοὶ, Latin. configurationes & radiorum commixtiones.

Est autem aspectus Planetarum certa in signifero distantia, per quam se mutuo sensibiliter vel adiuuant, vel impediunt. Sic dictus, quia est certa planetarum intuitio. Ita σύνοδος (coniunctio) non est aspectus.

Vox aspectus accepta generaliter significat omnem σχέσιν seu habitudinem, qua stella alteri influentiam & virtutem largiri potest. Sic sæpe Astrologi vsurpant, ac eam vocant συζυγίαν.

Vsus.

Coniunctio, quam vulgo denotant huiusmodi figura ☌, quæritur, an sit aspectus, ne ne? Resp. Non est aspectus, si vox aspectus accipitur αἰσθητῶς, pro certa Planetarum in signifero distantia. At est, si accipiatur γενικῶς & late.

In Opticis interdum aspectus opponitur obtuitui, id est, fixiori seu accuratiori visioni; vt cum dicit opticus: Visio fit aut aspectu, aut obtuitu. Illa fit in puncto temporis; hæc vero in tempore.

ASSENSVS.

Assensus est quies intellectus, qua adhærescit conclusionibus, vt, acquiescentia est quies voluntatis in aliquo, quod habetur vel habitum est. Ille est firmus vel languidus.

ASSVMPTIO.

Assumptio in Logica accipitur Generaliter & Specialiter.

Generaliter pro cuiusuis Syllogismi secunda enuntiatione. Specialiter pro secunda enuntiatione Syllogismi Hypothetici. Vocatur & Transsumptum.

In Oratoria pro statu assumptiuo, de quo quid sit, vide vocẽ Absolutus.

In Arithmetica interdum primi gradus numeri à secundi, & primi secundiq; gradus numeri à tertij numeris assumũtur. Itaq; Assumptio est substituio numeri minoris gradus in locũ consignifi-

significantis seu circuli, vt quatuordecim sunt 10 & 4. Ergo prætermisso o sic notantur, 14.

Assumptiua Propositio in Mathesi interdũ vocatur Lemma. Estq; propositio, quæ ad delineationem alterius propositionis assumitur, vt cum dicimus, Demonstratio huius propositionis facta est ex tot & tot, ex his, & his lemmatibus. Dasyp. in Protheor. Math. Proprie autẽ Lemma apud Geometras est Propositio aliqua probatione indigens: sic dictum, quia in cõstructione seu delineatione vel demõstratione Geometra aliquid ad aliorum comprobationem sumit eorum, quæ ante non demonstrauit, indigent tamen Demonstratione. Itaq; ab Axiomate & Postulato differt: Hæc enim ex sententia Mathematicorum sunt principia ἀναπόδεικτα, per se sunt manifesta & cuiuis obuia, etsi vel assumantur: Lemmata vero non sunt principia. Aristoteles hic dissentit, ait Dasypodius, quia vult postulata demonstrari, nec esse per se nota, in Protheor. pag. 46. fiunt nota simplici, aperta & facili delineatione seu descriptione.

ASTROLOGIA.

Astrologia 1. accipitur à veteribus pro Astronomia seu doctrina de astris. Quidam vocarunt è recentioribus Scientiam sideralem.

2. Astrologia est προρρητικὴ, quæ effectus cœlestium in inferiore natura contemplatur, qui, antequam eueniant, produci possunt: Alias Diuinatrix & ἀποτελεσματικὴ, quæ docet prædictiones futurorũ euentuum, ex dispositione & motu astrorũ. Eius Partes

- ἡ τῆς καθόλου προγνωστικὴ, quæ prædicit de rebus vniuersalibus, vt: de regione, de vrbe, de aeris mutatione, de effectibus Eclipsium, Cometarum, magnarum coniunctionum & Planetarum configurationum.
- ἡ γενεθλιακὴ, quæ Genesin singulorum hominum cõcernit, ex qua de præcipuis animi & corporis fortunæque bonis malisque, quantum Physicæ causæ permittunt, diuinat.

Produx Cimbricus Henricus Ranzouius accipit pro ipsa Diuinatione ex Astris, cum dicit, Astrologia est ex Planetis & signis cœlestibus optabilis diuinatio coniectura nitens (στοχαστικὴ.) Idem tamen etiam pro ipsa arte accipit.

ASTRONOMIA.

Κυρίως Astronomia dicta est, quæ absolute & per se cœlestia considerat. Eius partes duæ

- Sphærica, σφαιρικὴ, seu de primo cœli motu.
- Θεωρητικὴ, Planetarum, &c. id est, doctrina de secundis mobilibus.

ATTRACTIO.

Attractio
- Violenta (maxime propria)
  - Simpliciter.
  - Κατά τι & comparate.
- Naturalis
  - Minus propria, quæ fit transmissione seu communicatione aliqua virtutis trahentium cum iis, quæ trahuntur.
  - Metaphorica, quæ fit sine communicatione qualitatis.

Violenta, quæ fit ab externa causa, vel qua attrahens trahendo etiam ipsum mouetur, vt si vnus homo trahat alium hominem.

Estque violenta absolute, vel secundum quid & comparate. Exemplum violétę petitur à cucurbitulis (Badtöpfe) quæ attrahunt è corpore illud, quod est pessimum. Ita aures πολυφαγμόνων & ardelionum captant & hauriunt sermones peruersissime, sed volũtarie.

Naturalis minus propria, quæ fit sine externis causis, vel qua attrahens non mouetur, sed transmittit vim & qualitatem quandam, qua facit aliam rem ferri & moueri ad se, & sic vnumquodque membrum corporis attrahit ad se alimentum. Sic ambra calefacta trahit paleas; magnes ferrum certo interuallo, per quod possit virtus, quæ emittitur, prouenire ad id vsque, quod attrahitur.

Metaphorica, qua dicitur vna res aliam ad se attrahere, quia est finis & perfectio illius rei, ideoque ea res naturali appetitu ad ipsam tendit. Sic fines dicuntur trahere agens. Sic bonum ad se trahit appetitum; Trahit sua quemque voluptas. Perer. l. 11. de Loco. cap. 1. ex Auerr.

Vsus.

In Disputationibus Physicis huius distinctionis magnus vsus est, vt, ea soluitur quæstio: Cum semen in testiculis generetur, quomodo attrahatur? Responsio est: Attractio alia est naturalis, alia violenta. Naturalis interna- que est, quæ fit sine externis causis, vt naturalis attractio, de qua hic agitur, non fit in concubitu, sed est naturalis in corpore valente, quando attrahitur superfluitas alimenti vltimi à partibus, quas natura huic functioni dicauit, proprietate & virtute ea, qua, exempli causa, vesicula fellis attrahit flauam bilem, & hac virtute à natura insignitæ sunt illæ partes; ac si hoc non satis est dicere, confugimus ad hunc portum, vt dicamus omnes partes corporis conspirare inuicem, & singulas inter se quodam nexu deuinctas esse. Altera attractio, quæ ad internam naturæ attractionem accedit, comparate & respectu huius est violenta, quando semen non est in eo loco, vbi esse debet, & illud est sanguineum, quod Aristoteles dicit. Non autem tunc attrahitur materia, sed materia iam collecta & attracta est, cui etiam repente ministerio spirituum confertur illa vis & δύναμι, vt fiat semen fœcundum. Prima attractio naturalis & interna præbet materiam seminis: hæc vero confert facultatem semini, vt fiat idoneum ad generationem, πνευματῶδες aliquid, atque prolificum. Et hanc comparate violentam dixi, quia etsi naturalis etiam sit, tamen impellitur à causis externis plane inexplicabilibus. Itaque comparatione cum priore illa, quasi violenta videri potest & dici mixta.

Aristot. 5. men est lis superf tas vlti alimenti sanguine

Simpliciter vero proprieque violenta attractio est, cum superfluitate vltimi humoris, quæ in semen conuersa est, subtracta omnino, attrahitur sanguis ab iis, qui vim naturæ inferunt, atque ita semen eorum est sanguineum.

ATTRIBVI.

Attribui alicui duplicem habet potestatem.

1. Est *conuenire*, Ita est vox primæ impositionis.
2. Est *prædicari* de subiecto, κατηγορεῖσθαι, ita est vox secundæ impos. seu Logica: Aliter Attributum esse subiecti. Prioris exempl. Credentibus attribuitur Sanctitas, id est, conuenit, duplici modo, & Imputatione, & Inchoatione. Licet enim in vere credentibus, Christumque diligentibus adhuc hæreant peccati reliquiæ, tamen Sancti à Deo censentur, quia peccata

eis

eis non imputantur; & Sancti præterea sunt, quatenus Sanctitati ex animo student. Posterioris: Hęc Attributio est Synonymica, Paronymica, id est, Prædicatio.

Canon.

Modus Attributionis, id est, prædicationis Logicæ est modo conuenientiæ (id est Attributionis naturalis) homogeneus, germanus, ἀδελφὸς, genuinus. Vtrũq; Attribui fit proprie, vel improprie, vt illustri Metaphora & improprie rebus brutis atq; inanimis sensus animusq; attribuitur seu tribuitur (Nã pro Attribui sępe etiam Tribui dicitur) vt, Creatura subiecta est vanitati non volens, sed inuita, ἄκουσα. Rom. 8.

Per Attributionem esse in aliquo.

Per attributionẽ recipi seu esse in aliquo opponitur à Scoto & aliis τῷ inesse vel recipi Realiter, vt cum dicunt, Cõmune ad vnum seu Analogicum recipitur in vno realiter, in reliquis non nisi per retributionem ad illud, vt sanitas, quæ consistit in ęqualitate seu proportione humorum, realiter & formaliter est in animali tantum: in vrina vero non nisi per attributionem ad illam.

Sed Scotus pronuntiat hoc Effatum esse fallax, & dat ἔνσασιν, quod analogia sit Creaturę ad Deum in essendo, & tamẽ sic Esse primo ac principaliter Deo cõueniat, vt realiter ẽt conueniat creaturæ. Idẽ recte dicitur de Bonitate & Sapientia. Ac huiusmodi gradus ẽt sunt in perfectionibus specierum, quæ quidem per attributionem se habent ad aliquam imperfectionem, & tamen nõ est tota perfectio in vna: nec tota entitas est in substantia, ita vt accidens non sit ens seu non habeat formalem entitatem, quamuis per attributionem habeat se ad substantiam. Scotus l. 2. distinct. 12.

Non est idem conceptus formalis Sanitatis, qui dicitur de animali, de vrina, de diæta. Hi aũt cõceptus (formaliter diuersi) ordinantur ad conceptũ sanitatis, qui est humorum æqualitas.

ATTRIBVTVM.

Attributum 1. ponitur pro prędicato propositionis. 2. Pro alicuius proprio, passione, operatione, apotelesmate, motu, vel re motu facta. Estq; internũ vel externum; essentiale vel accidentale; absolutum vel respectiuum.

Subiicitur ei vt Species generi, Appropriatũ, id est, *proprie attributum*, hoc est, ita, vt alii nõ conueniat. Attributales perfectiones Barbar. Scoto sunt Dei Attributa Interna, vt Omnipotẽtia, Omnisapiẽtia, felicitas, immortalitas, fortitudo, sanctitas, pietas, αὐτουσία seu prima Entitas: Quæ omnia in Deo ipso ita sunt, vt sint Ipsũ. Plato. Ita Deo insunt, vt nihil antecedat, nihil subsequatur, nihil sit primum, nihil secundum, nihil tertium: Intellige; *In ipso Deo*. Nam *in nostra cognitione* vnum attributum est primum, cætera sequuntur. Hoc ipsum est, quod Scaliger ait: Ex captu & intellectione nostra, quæ est per-quam vmbratilis, aliis alia attributa prius animo comprehendimus. ex. 305. Ex motu cognouimus Deum esse & potentem esse. Qui .n. motor est, necesse est vt sit; & qui mouet, & eũ posse (potentiã habere) necesse est. Hinc obtulit se nobis seu mẽti nostrę sapiẽtiæ, Inde Bonitas. Nisi enim bonus esset, non benefaceret. Iccirco ex bonitate deducta est Communicabilitas. Sero tandem deprehensum est, quare esset vnum, & τὸ πρῶτον (primum) propterea quod multi motus apparebant.

Ab his distinguuntur Attributa Externa, vt Creator, opifex, conseruator, Moderator, prospector, Largitor, Viuificator, adorari. Hæc, meo iudicio, aliud sunt ab ipso Deo: quia sunt ipso posteriora: sicut & inter se habent ordinem prioris & posterioris.

AVCTIO.

Auctio 1. est Augmentatio, hoc est, actio

augendi. Hæc est vel propria, vel impropria. Propria & naturalis, secundum omnes dimensiones, in animatis, quæ vim auctricem habent, per calorem naturalem. Hæc igitur à potentia auctrice proficiscitur. Impropria est inanimatorum, vt cum ignis dicitur augeri appositis vrendis. Ad impropriam etiam refertur animalis pinguefactio, quę fit tantum in certis partibus, cum vtilis superfluitas sanguinis frigidirate membranarum condensatur: Et Priapismus, auctio pudendi in longum & spissum præternaturalis, citra rei venereæ appetentiam ex caliditate quadam acquisitam, quæ cum inflammatione quadam & dolore laterum consistit. Vocatur etiam pudendi Tentigo.

Auerroes ait, auctionem 3. modis sumi posse: aut secundum verum augmentum, vt in plantis & animatis: aut secundum rarefactionẽ, vt in aqua: aut secundum accumulationem, vt in corporibus consimilium partiũ compositis, vt in mineris. Hos 3. modos etiã tradit Alb. Mag. 1. de cœlo. Sic Physice & vulgo auctio accipitur.

2. In Politicis auctio est rerum priuatarum venditio. Magister auctionis est, quem creditores hastæ præficiunt, qui absentis bona ei, qui plurimo licitus est, mancipat, ex lege, vt is creditoribus aut omnino satisfaciat, aut aliqua ex parte, vt dicta lex fuit, ait Theophilus, cum iis decidat, & si quid soluto ære alieno supersit, id in ærarium referat.

Auctio hastæ est venditio publica bonorum eorum, qui damnati proscriptiue sunt.

Auctio luminis in Astrologia est Planetæ accidens seu dignitas accidentalis. Dicitur enim auctus lumine Planeta, cum à Sole post coniunctionem discedit, si Sole est velocior Luna, Mercurius, Venus: vel vbi post coniunctionem discedit Sol à Planeta, cuius motus est tardior, vt Mars, Iupiter, Saturnus. Contra minutus lumine dicitur cum vel Planeta ad Solem, vel Sol ad Planetam accedit. In Theoric. Planetarum Christianus Wrestisius, sic describit:

Auctus lumine Planeta dicitur, cum velut accepto stipendio suo à Sole recedit, vel, si motus sit tardioris, Sol ab eo. Eo namque tempore splendor eius, qui ante admodum languere cœperat, renouari, & masculas quasi vires induere videtur. Huiusmodi luna est à neomenia per primam quadraturam ad plenilunium vsque.

Contra minutus lumine dicitur, cum ad Solem vel ipse properat, vel Sol ad eum. Sic Lunæ lumen paulatim decrescit & minuitur ab oppositione ad coitum vsque Veneris & Mercurii ab vtraque statione, donec se sub radios Solis abdiderint.

In Musica augmentatio dicitur cum notis & pausis maior acquiritur quantitas, quã alias ex gradu suo obtinent, vt cũ



Diminutio est cum notarum & pausarum solida ex gradu quantitas est imminuta, vt cum



Vide Iohan. Zangerum Oenipontan. in præcept. practicæ Musicæ. Sic Lippius in sua Harmon. Notæ augentur parte dimidia, aut omnes appositio semicirculo



& puncto

aut quędam tantũ vt maxima, longa, breuis, præfixo circulo.



Dimi-

Diminuuntur tactu trochaico in certa aliqua proportione, vel tripla, vel sesquialterâ, quarum signa sunt aut numerus, aut color.

Tripla.



AVGMENTATIO, ACCRETIO.

Augmentatio primum populariter accipitur pro accumulatione, quæ προσθέσεως species est, vt cum per appositionem aliarum fabarum dicimus augeri cumulum fabarum: cum aquam ex aquæ adiunctione maiorem fieri dicimus. *Secundo* dicimus aliquid augeri per solam rarefactionem, & contra imminui per condensationē sine subtractione alicuius particulæ. Cum enim aer in aquam vertitur, fit minor quantitas, quia aqua est densior aqua, cum vero aqua in aerem mutatur, quantitas maior fit, quia aqua est rarior aqua.

Tertio proprie sumitur pro accretione viuentium corporum, quæ simulatque nata fuerunt, augeri incipiunt, dum ad perfectam ætatem & iustam quantitatem perueniunt. (Græci dicunt: αὔξησις est, τῶ ἐνυπάρχοντος μεγέθους θέσεως incrementū quantitatis, quæ prius erat in subiecto.)

Hæc tertia habet essentiales conditiones tres. Vna est, vt ex aliqua extrinsecus accedente materia fiat res maior. Secunda, vt id quod augetur idem numero maneat, postquam est auctum, quod ante αὔξησιν fuit. Tertia, vt non totum maius fiat, sed etiam quælibet eius particula augeatur. Hinc colligi potest non augeri spongiam, cum post compressionem laxata diffunditur: nihilo enim maior est, sed fusior. Pinguefactionem, quæ in aliquibus tantum corporis partibus secundum dimensiones duas fit, non esse veram accretionem, in qua scilicet totum & omnes partes corporis secundum omnes simul dimensiones extenduntur ad maiorem quantitatem.

AVGMENTVM.

Augmentum Physici accipiunt pro accretione corporis, quod præexistebat, ex adiunctione portionis aduentitiæ. Itaque Aristoteli est perfectio actionis nutrimēti, (vnde auctū, vt ab effectione res effecta) alias Incrementum, sunt & qui crementum vocent. Proprius affectus est quantitatis, quatenus quātitas est, ait Scaliger. Cessare fere post annum tricesimum putatur.

Augmentum Gramm. Verborum & Simplicium & Compositorum præterito imperfecto tribuitur. Estque in auctione syllabica, vel mutatione tēporali. Itaque augmentū distinguitur in syllabicū & temporale. Syllabicum est, cum verbo incipienti à consonante præponitur ε & ita augetur syllabe, vt λέγω ἔλεγον. Breu. syllabicum fit adiectione vocalis ε.

Temporale (χρονικὸν) est, cum verbū augetur seu potius mutatur tempore seu quantitate incipiens à vocali aut diphthōgo immutabili, vt ἀκούω, αἴρω. Vocales mutabiles sunt α ε ο. Hic α & ε mutantur in η, ἀκούω ἤκουον. ἐλεύθω, ἤλευθοι: ο in ω, vt ὀπάζω ὤπαζον. αι in η, vt αἴρω ἦρον: αυ in ηυ, vt αὐλίζω ηὐλιζον, οι in ω, vt οἰκίζω ὤκιζον.

Obserua. Attici augmentum ſyllabicum vertunt in temporale, vt ἔμελλον. ἤμελλον.
Compoſita augentur vel ab initio, vel in medio, vel vtroque in loco. Vide Grammaticos.

AVSTERVS.

In Phyſicis Auſterus ſapor fit in materia mediocri, ſi calor impotens eſt. Efficitur autem is per diſſolutionẽ acerbi. Materia enim acerbi terreſtris & dẽſa, paulum incipit humeſcere, nec tamen perfecta partium ſiccarum & humidarum fit commixtio. Quod ſi materia magis humectetur, vt diffluat ex humiditate aquea & ſubtili, acidus generatur ſapor. Effectus autem auſteri eſt aſtringere, ſed moderate ex ſubſtantia ſua terreſtri. Grata ſunt auſtera ventriculo, quia corrugando & vniendo ventriculi partes appetentiam excitant, & calorem eius congregant.
Differt ab acerbo, etſi ei vicinus eſſe videtur. Nam Auſterus ſapor eſt in materia terreſtri craſſa frigida & ſicca, ſed plus habente caloris & humiditatis, quam habent acerba.

Auſteri'as morum. In Ethicis αὐστηρὸς, Auſterus vituperatur, & auſteritas vitium eſt comitati & humanitati oppoſitum. Pro Auſtero homine etiam Acerbus dicitur, & Seuerus Cic.

AVTHOR.

Author eſt vel cauſa rei ſola vel principalis (dux negotii.) Opponitur ei cauſa miniſtra, vt πῷ authoritatiue apud Scholaſticos opponitur Miniſterialiter: Chriſtus habet authoritatem, hoc eſt virtutem baptizandi, Apoſtoli miniſterium. Non Apoſtoli, ſed Deus baptizat. Illi affundunt aquam, Deus mundat. Radulph. Ardentius Pictauus in Homil. in Dominic. VI. poſt Trinit.

2. *Author pro Scriptore* ſæpe accipi notum eſt: quo ſenſu Euangelium ſecundum Lucam Caſtellio dicit Euangelium authore Luca. Magis tamen proprie Troiani belli author dicitur fuiſſe Paris ἀρχέκακος. Scriptor vero huius belli Homerus, vt Salluſtius belli Iugurthini & coniurationis Catilinæ ſcriptor, non author fuit. Theodor. Beza ad defenſ. & reprehenſ. Seb. Caſtellionis.
3. Author ſignificat Deum, à quo quis authoritatem, id eſt, ius dominii in rem quampiam accepit. Sic vſurpauit Cicer. 7. Verrina.

Authoritas ſignificat ἐξουσίαν, ius ſeu poteſtatem agendi vel venerationem ac dignitatem quandam, cui credendum ſit. Duodecim tabulæ aduerſus hoſtem inquiunt, perpetua authoritas eſto. Cicer. 1. offic. id eſt, perpetua ſit facultas agendi in iudicio. Oldendorpius & Franciſc. Iammet. in Lexic. Iuris. Magna eſt iuris authoritas, id eſt, fides.
In iure etiam ponitur pro iure dominii, pro decreto & permiſſu: Vt ex authoritate iuris reſponderent. Pomponius l. ſept. menſe, ff. de ſtatu homin. id eſt, ex decreto vel permiſſu.
Cum authoritate Græcis eſt αὐθεντικῶς.

AVT, VEL.

Primo Aut proprie diſiungit Res. 2. ἀκύρως eſt Declaratiua vel diſiunctiua appellationis, 1. lib. de anim. contex. 48. Finis demonſtrationis eſt ſyllogiſmus vel Concluſio, id eſt, Seu. Methodorum, quarum ſunt principia, aut cauſæ, aut Elementa, &c. l. 1. Phyſic. c. 1. Hic, inquit Zabarella, Aut non res diſiungit, ſed tantum locutionem, vt ſententia ſit: In omni methodo habẽte aliqua prima ac ſimpliciſſima, è quibus alia conſtent, ſiue ea nominentur principia, ſiue cauſæ, ſiue Elementa:

lementa, tota cognitio fit ex eorũ primorum cognitione: Ac addit Zabarella: Non sine ratione hoc loquendi modo vsum esse Philosophum, ne aliqua oriretur lis de horum primorum appellatione. Sic 2. Physic. text. 31. principium mutationis, aut motus.

Hic putarit quidam Nomina mutationis & motus poni, vt æqualia, hoc est, vt idem significantia, & disiunctiuam Aut tantum appellationem disiungere. Lib. 1. Physic. text. 6. Figura vero vel forma (seu specie) differentia. Hic Vel solum locutionem, non etiam rem disiungit, interprete Zabarella: Forma enim hic significat formam accidentalem, non substantialem.

3. Magis ἀνύρως est coniunctiua pro Et. 1. post. analyt. text. 4. Antequam autem inductum est, aut acceptus syllogismus, &c. id est, antequam sit cognita assumptio & illata conclusio. Conclusio enim vocatur acceptio Syllogismi, quia Syllogismus proprie significat συλλογὴν, id est, collectionem conclusionis factam vi cogentis rationis.

A V X.

Augis Vox est peregrina & exotica, desumpta ex lingua Arabum. Sic enim loquuntur: Cum Planeta est in Auge, plus distat à medio: Cum autem est in opposito Augis, propior est medio.

Aux in Astronomia 1. significat punctum quoddam. 2. Arcum Solis.

Aux in prima significatione est punctum circumferentiæ Eccentrici, maxime à mundi centro remotum, & ad σχῆμα, id est, fundamentum proxime accedens, quod cum centrum Solis in eo ambitu semper existens attigerit, altissime à terræ conuexitate distat, & corporis eius semidiameter minima apparet, scilic. $1\frac{1}{5}$. scrup. $1\frac{1}{4}$ 1. Huiusmodi punctum designatur linea à centro mundi per centrum Eccentrici vsque ad illius Circuli ambitum educta: quæ Augis linea dicitur. Hoc punctum dicitur alias summum fastigium, maxima longitudo, longior longitudo, μεγίστη ἀπόστασις, μέγιστον ἀπόστημα, ἀπόγειον ἡλιακὸν: (punctum à terra longe dissitum.) Ptolom. Summa absis, Plinio. Oppositum Augis est punctum circumferentiæ Eccentrici, centro terræ proximum, & procul à fundamento recedens, quod cum Sol occupat, Maxima eius semidiameter apparet: scilicet 16. minut. 55. secund. Quæ enim propiora sunt, maiora apparent. Optici.

Designatur eadem linea augis in oppositam Eccentrici partem in contrarium & rectum profecta. Hoc punctum dicitur alias longitudo propior, altitudo humilior, ἐλαχίστη ἀπόστασις, ἐλάχιστον ἀπόστημα, minima distantia, περίγειον Ptolom. Infima absis Plin.

Aux Solis in secunda significatione est Arcus Zodiaci, à principio arietis, secundum successionem signorum ad Augis vsque lineam computatus, ostendens locum, in quem Apogei punctum recessit. Vide quæst. in Theor. Plan. Purbachian. Christ. Vurstisii pag. 55.

AXIOMA.

Primo Axioma Logicis Stoicis, Ciceroni & Rameis significat Enunciatum, seu sententiam seu Propositionem, hoc est compositionem notionum, qua aliquid affirmatur aut negatur.

Secundo Peripateticis significat προτασιν indemonstrabilem. In doctrina de Demonstratione ita accepisse Aristotelē, certum est. Αξιωμα διαιρετικὸν Diuisiuum dicitur à Græcis principium contradictionis affirmatiuum: Oportet de omni re affirmare aut negare: Quia in eo immediata & ἄφυκτος, id est, ineuitabilis & necessaria diuisio continetur. Alexander Aphrodisiensis testis est in Topicis Aristotelem Propositiones indigentes Demonstrationis vocasse Axiomata.

Est & *vox oratoria.* Vocant enim oratores λόγον ἀξίωμα, orationem illustrem. Vim & authoritatem rerum & verborum tum singulorum, tum coniunctorum. Vocatur & λόγος σεμνὸς (grauis) & λόγυ μέγεθος. Vid. Hermogen. & Sturmium. Virum grauem & magnum decet oratio axioma. *Qualis vir, talis oratio*, dicebat ille, cum audiret ranam coaxantem.

Est & vox politica, vt cum dicimus Personę axioma pro dignitate & amplitudine propter virtutes aut corporis dotes; Rationis & σύμβολον & interpres est oratio, singulare donum & axioma homini peculiariter tributum.

A X I S.

1. Axis est lignum teres transuersum in curru, circa quod vertitur rota.

2. Axis in Astronomia linea est per mundi centrum ducta, circum quam mundus perpetuo conuertitur, Cicero Axem cœli vocat.

Astronomi distinguũt inter Axem Sphæræ & circuli in hac.

Axis Sphæræ est recta linea per centrum Sphæræ ducta & ad circumferentiam vtrimque terminata, circum quam quiescentem Sphæra voluitur seu versatur. Seu, Est Diameter Sphæræ, circum quam immobilem Sphæra conuertitur. Differunt igitur Axis & Diameter vt Species & Genus.

Axis circuli in sphæra est recta perpendicularis ad circulum per centrum eius ducta, & ad περιφέρειαν sphæræ vtrinq; terminata. Breuiter est Diameter Sphæræ ad circulum perpendicularis.

Axis igitur est Realis vel Imaginarius.

AVVLSIO, Decisio.

Auulsio species motus violenti est.

In Trãsplantationibus fit auulsio. Transplãtationes enim sunt plantarum trãslationes vel generationes, quæ auulsione fiunt, cum scilicet rami à matre auulsi, id est, à radice siue ab alio corpore in bene subactam transferuntur terram, qui viuere sane & augescere cernuntur & ex sese proceras efficere arbores. Nicol. Leon. in Aristotelem de iuuentute & senect. Mort. & Vit.

Trãsplãtatio est translatio plantæ ex auulsione.

Triplex Modus Generationis Stirpium.

Stirpes proueniunt
- E Seminio.
- Auulsione seu decisione.
- Insitione, cum ex alia arbore inseruntur arbori ramusculi
  - Eiusdem
  - Diuersi

  } Generis.

Virgilius 2. Georg. Auulsionem hanc vocat abscissionē. Auelli Græcis est παραιρεῖσθαι. (Vtitur Theophrast.) & ἐνσπᾶσθαι (Vtitur Arist. 3. de Generat. c. 11.) Auellere est παρασπᾶν. Virgilii verba sunt, Plantas tenero abscindens de corpore matrum. Sic Columell. 3. c. 19. Malleolus matri abscissus, &c. 18. Malleolus, qui deponitur in parte, qua est à matre decisus.

LIT. E.

EADEM.

Eadem { Simpliciter, ταὐτὰ, ratione communis Generis, Eadem λόγῳ οὐσίας.
Analogice & secundum accidens, τοιαῦτα, Eadem analogica.

Tres sunt in corpore alimenti concoctiones, quæ diuersis fiunt organis. Prima in ventriculo, Secunda in Venis, Tertia in partibus solidis assimilantibus. In his idem aliquid est analogicum. Proprium animantium est, vt solidiore quadam substantia tãquam fulcris quibusdam sustineant partes molliores. Hæc fulcra vt sunt diuersis prædita naturis, ita diuersas etiam habent appellationes. In piscib. dicuntur spinæ, in μαλακίοις sepia, in gradientibus ossa. Trium horum commune; vt Genus, nihil est, sed quiddam commune analogicum: spinas habere proprium est animalis, quia μαλάκιον, id est, animal aquatile ἔναιμον: lepion, quia ἔνυγρον ἄναιμον ζῶον: os, quia spirantia sunt: ἄναιμα. Quare cum his tribus discrepantibus primo insint, Idem aliquid duntaxat analogicum habent.

Quæ insidem sunt natura cõmunicant in accidentibus propriis.

Ad eadem simpliciter refertur Canon: Eadem secundum speciem seu naturam, licet nuuero diuersa sint, communicant tamen in propriis accidentibus: vt si vnus homo est τελαστικὸς, omnes alii erunt huiusmodi; quia accidens proprium cõsequitur naturam specificam. Atq; eo magis consequitur partes vni° indiuidui homogenei. Itaq; si vna stella est sphærica, omnes erunt rales; si vna stella est luminosa, vt sol, reliquæ quoq; luminosę sunt, licet differãt secũdũ magis & minus; id est, vna stella magis sit luminosa, quam altera. De Luna tamen hic aliqua dubitatio. Multis enim videtur luna omne lumen recipere à Sole.

Interdum eadem sumitur presse, seu angustè, vt similibus opponatur, vt cum dicitur ὁμοίωσις non est ἀυτότης, & ἀυτότης non est ὁμοίωσις. Aliud est ὁμοίωσις τὶ ὅμοιον, aliud ἀυτὸ τὸ ὄν.

Ἄλλως ex informatione Armandi.

Eadem dicuntur aut per se, aut per accidens.

Per se aut Absolute, aut Respectiue.

Absolute dicuntur esse eadem, quæ sunt vnum numero, habentia idem esse naturale: ita Petrus Petro, id est, sibi idem est.

Respectu ad aliud eadem dicuntur

1. Respectu speciei. Ita eadem specie sunt, quæ sub vna specie continentur. vt Arist. & Plato sub Homine.

Et hoc modo etiam aliqua sunt idẽ proprio & definitione: Quæcunq; enim sunt vnius speciei, habent eandem Definitionem & idem proprium ὁσαῶς.

2. Respectu Generis. Ita dicuntur eadem genere, quæ continentur sub eodem genere: Homo & Asinus sub Animali.

3. Respectu alicuius Analogi seu communis

nis ab vno : ita ſubſtantia & accidens ſunt idem in ente , quod de vtroque per ſe dicitur.

Per Accidẽs eadem eſſe aliqua dicuntur, ita vt dicatur accidens per ſe & ſubiectum per ſe, idq; tripliciter.

1. Cum duo accidentia dicuntur de eodem ſubiecto: vt ſi dicatur facundia & deformitas de Vlyſſe : Hæc ſunt idem per accidens.

2. Cum accidens de ſubiecto dicitur , vt facundia de Vlyſſe. Hic facundum & Vlyſſes ſunt idem per accidens. Armandus hic addit 3. modos eorundem per accidens.

1. Cum de ſubiecto ſimplici prædicatur ſimul ſubiectum &accidens:vt hic homo eſt homo facundus. Vbi nimirum dicuntur ſimul ſubiectum & accidens.

2. Cum de ſubiecto & accidente prædicatur accidens ſolum, vt Homo formoſus eſt formoſus.

3. Cum prædicatur ſubiectum & accidẽs ex parte prædicati de ſubiecto , & accidẽte ex parte ſubiecti,ita vt accipiatur totum ſimul ex parte prædicati & ſubiecti:vt:Hic homo facundus eſt homo facundus. Sed hi poſteriores Armandi modi non habent magnum vſum.

EBVLLIO.

Ebullire proprie eſt inter bullitionẽ , id eſt, bullarum emiſſionem , effundi: vt aqua in aheno valde calefacta efferueſcit,ita vt non capiendo ſe ipſam non effundi non poſſit: id quod fit propter rarefactionem.

Fit autem Bullitio , cum inflatur humidum à calido.Nam attollitur , quia intumeſcit, & fit moles amplior.In paru. Naturalib. ſeu Bullitio fit , cum calidum agit in humidum , & id reſoluit in ſpiritum , qui mouetur ad id,quod eſt exterius. Petrus de Aluer.deiuuent. ſenect. &c.l.18.c.81.

Per Metaphoram vſurpatur à Phyſicis de effectis improprie dictis , quę ſunt emanationes, effluxus quaſi & conſecutiones naturales , vt proprietates ebulliunt è cõditionibus ſeu principiis rei eſſentialibus,id eſt,exiſtunt,oriuntur, proficiſcuntur , manant, deriuantur.

Ab oratoribus interdum accipitur pro oſtentare , vt ebullire ſuas ſapientias; quæ hyperbolica eſt translatio.

- Efficiens
  - Per se (suavi Effectū producens)
    - Prima
      - Simpliciter: quæ nullam prorsus habet se priorem.
      - Secundum quid: certo respectu prima.
    - Secunda primæ subordinata
      - Mediata, quæ interuentu aliarum agit.
        - Remota, inter quam & effectū plures causæ intercedunt.
        - Propinqua, inter quam & effectum vna tantum causa intercedit.
      - Immediata, quæ sine interuentu aliarum proxime agit; alias Proxima.
  - Per accidens, (quæ effectum causat per aliud)
    - *Ex parte* causæ
      - *Propior*; vt si Physicus, qui accidit ędificatori, dicatur causa ędium factarum.
      - *Remotior.*
    - *Ex parte Effecti*
      - Remouens impedimētum. Hic causa habet necessarium quodammodo ordinem ad effectum.
      - *Fortuita* seu Fortuna & Casus, vt loquitur Aristoteles. Hic causa ad effectū prorsus non necessarium ordinem habet.

Explicatio quorundam, quia hæc non sunt omnino ἐξαγώνια.

Immediata] Hæc ab Aristotele etiam Sūma dicitur, quia plene satisfacit quæstioni propter Quid.

Remouens.] Columna, in qua quiescit lapis, impedit motū lapidis deorsum. Si igitur aliquis mouet columnam (per se) is dicitur mouere lapidem, in columna alioquin quiescentem, per accidens.

Fortuita] Fodiens agrum est causa fortuita reperti thesauri. Hic effect⁹ cōtingit præter ordinem & rarissime.

Propior, Remotior.] Id est. alia causa per accidens, est magis per accidens, alia minus, id est, prout magis vel minus coniuncta est cum causa per se, eatenus dicitur magis vel minus accidentalis esse. Exempli causa, Statuarius est causa per se statuæ, sed ei coniuncta sunt Homo, vel Polycletus & Musicus: Inter hæc autem propinquior est Homo vel Polycletus statuæ, quam Musicus.

Ita igitur Homo minus accidentalis est, quam Musicus, quia est necessaria conditio statuarii, vt sit Homo, si

debeat esse statuarius. Musicus vero est remotius quid & magis accidentale. Musicus enim causa statuæ per hominẽ, in quo est Musica, & homo per artem statuariam, quæ in ipso est.

Sed nonnulli hodie non causam statuæ, sed adiunctum efficientis malunt dicere Musicum: (Ex his sunt Ramei) & Hominem conditionem sine qua non.

EFFICIENS PER SE.

- Efficiens per se
  - Ordinaria, quæ agit secundum cõmunem naturæ ordinem.
    - Naturalis.
    - Moralis, quæ effectum causat moraliter seu Ethice.
    - Artificialis; ex præscripto artis.
  - Extraordinaria, quę in efficiendo à cõmuni causandi ordine recedit. Ea est
    - Præternaturalis, παρὰ φύσιν, (vt cum Deus præter vsitatum Naturæ ordinem agit.)
    - Supranaturalis, ὑπὲρ φύσιν, supra captum viresque Naturę agens.
- Efficiens per se
  - Necessaria
    - Simpliciter. Absoluta necessitate agens.
    - Secundum quid; Necessitate hypothetica seu conditionata agens.
  - Contingẽs, contingẽter agens
    - Voluntaria
      - Simpliciter plena integraq; voluntate agens.
      - Remissa refractaque, agens voluntate seu appetitu tristi & ægre sequaci.
    - Inuoluntaria, quæ agit sine voluntate vel προαιρέσει.

Efficiens à Scholasticis sæpe accipitur ita stricte, vt excludat Meritoriam & Demeritoriam causam, item disponentem, vt cum dicit Scotus, peccatum non corrumpere gratiam effectiue, id est, Physice, sed demeritorie lib. 2. dist. 37. Scotus & deficientem: vt cum dicunt peccatum nõ habet causam efficientem, sed deficientem, habet volũtatẽ pro causa deficiente, non efficiente. Scotus ibidem ex Augustin. 12. de Ciuitat. Dei cap. 7. Id est, voluntas est peccati causa quatenus defectibilis est.

Scotus tamen alicubi efficientis nomen meritoriæ etiam causæ tribuit, idq; recte. Est enim meritum efficiens impulsiua. Melanchthon in Dial. Verba Scoti sunt, Christus salutem nobis collatam per redemptionem effecit meritorie, vt homo. l. 3. dist. 9.

Dionysius à Rickel in Enarratione in Euang. Iohan. Aqua est materiale elementum corpus lauans & dispositiue regenerans. Spiritus Sanct. vero intus mentem purificat & efficienter regenerat.

EFFECTVM.

Effectum accipitur γενικωτάτως.

Pro

1. Pro αἰτιατῷ, Causato, & Causatione seu pro effecto & effectione cuiuslibet Causæ, siue ea sit interna, siue externa, vt pro formato & formatione, pro rei habentis formam facultate & actione propria; pro materiato & materiatione, pro re constante ex materia & forma, quæ dicitur Essentia, vt quæ effectum sit materiæ & formæ.
2. Generaliter (γενικῶς) pro Effecto vel effectione efficientis, seu pro actione efficiente & opere ipso, actione producto, seu pro ἐνεργείᾳ, ἐνεργήσει & ἐνεργήματι simul, pro generatione & generato, pro motu, & re motu facta, pro alteratione & re alterata.
3. Specialiter tantum pro opere, energemate, apoteleſmate, pro generato productiue. Eius species est absurdum Effectum è certo falso.
4. Specialissimo pro effecto efficientis è materia: cui opponitur productum ab agente per emanationem naturalem, vt creatio est Entis, quod ortum habet à summo Ente, quod ortum non habet ex non Ente, non effectio, sed constitutio.

Nomen effecti proprie vni generi, nempe efficienti respondet.

1. Quæ illarum significationum sit propria, quæris? Respondetur, Effectus, si nomen spectetur, proprie ad Efficientem causam refertur. Quo facit, quod Causæ nomen κατ' ἐξοχὴν à Platone & Cicerone Efficienti soli tribuitur. Et Simplicii hoc est: Efficiens proprie est causa: materia & forma sunt concausæ, in prædicam. cap. 85. Adde, quod primo effectum, & quod vi efficientis est, conuenit, secundario vero reliquis.

Euenti etiam & Euentus nomen modo generale est, modo speciale. Generaliter Euenta sunt, quæ è Causis euenitunt. Specialiter, quæ existunt vi efficientis. Specialissime, quæ sunt à Causa cõtingente.

2. Cum Effecti nomine non solius Efficientis αἰτιατὸν seu Effectum significatur, sed vel plurium, vel omnium, quæritur de significatione Effecti principali?

Ad effectũ omnes quatuor causæ, vel plures concurrunt.

Resp. Principaliter ita effectum pariter ad omnes causas referri, & ita effectum est, quod ex causarũ concursu & quasi conspiratione existit seu euenit. Minus principaliter ad Causas non omnes, vt verbi gratia ad duas, vt ad materiam & formam: nam in vsu docendi, disputãdi & arguendi concursus ille non semper est absolutus.

Omnino igitur effectum considerator tripliciter: *vel respectu singularũ causarũ seorsim seu separatim*, (vt cũ dico effectũ est vel Efficientis, vel materiæ, vel formæ, &c.) *vel respectu causarum omnium simul: vel respectu plurium*, quod effectum dicitur Essentia, quæ nunquam assequitur perfectam Naturam Entis, antequam assequatur Esse existentiæ, vt loquitur Alex. Alens. in 5. Metaph.

Διχοτόμως.

Effecta { Coniuncta. / Separata.

Vsus.

Ex his intelliguntur sequentia. Hoc Platonis, efficiens & causa recte vnum dici potest. Et hoc Ficini. Effectio pertinet ad mentem, quæ per Ideam ex materia quadam efficit. Effectorum omnium primum est esse (intellige de *Esse creaturæ*, quod est *esse participatum*.) Idem M. Ficinus in Platon. Theolog. l. 2. Effectorum alia alicuius gratia fiunt, vt ea, quorum opifex aut natura, aut voluntas est: alia nullius, vt cum vellimus capillum. Themist. in 2. Phys. text. 49.

Effectus causæ agentis ex proposito est illud, quod accidit ex intentione agentis. Vnde quicquid prouenit in effectu præter intentionem, est per accidens. Thom. in 2. Phys. text. 8. Effectus in suis naturis assimilatur causis proximis, non remotis. Thom. 6. Metaph. lib. 3.

Effectus artificialis assimilatur conceptui. Alex. de Ales in 1 Metaph. Horum pronuntiatorum quædam ita explicanda sunt, vt accipiatur vox effecti γενικῶς, quædam, vt ἐν μέρει.

Effectum Materiale dicitur id quod habet Materiam: Alias materiatum & Physicum.

Decem 4. Causæ concurrunt ad effectũ materialem.

Ad hoc effectum necessario quatuor causæ concurrant. Id ita ostendit Alexander de Ales in 5. 1. Philos. text. 2. Effectus materialis de ratione sui requirit, vt sit deductus de potentia ad actum, & cum nihil de se ipso generetur, deducitur ab aliquo agente, quod ob aliquem finem deducit, & cũ educatur de potentia passiua ad actum, oportet, vt & potentia passiua, & actus concurrat per se ad ipsum effectum, ac potentia passiua fundatur super materiam, & actus super formam, vel est idem quod forma: & ita ad effectum quatuor causæ concurrunt. Hæc Alensis erudite.

Vsus vocis.

1. *Effecti nomen* non conuenit adorandæ Trinitati, seu Deo in se cõsiderato, extra respectum seu σχέσιν ad creaturas, Nõ dicitur Filius esse effectum Patris: Non dicitur effectorum omnium primum. Est esse diuinum, quod est esse per Essentiam, quia ab alio non est, vt ait Alexander Alensis in 5. 1. Philos. context. 12. Pater nullum habet suæ ὑπάρξεως, principium, nullam causam. Filius ad Patrem, vt ad ὑπάρξεως suæ principiũ, refertur. Græci tamẽ Theologi Patrem αἴτιον, Filium αἰτιατὸν dixerunt, eo quod Filius cõsideratus nõ respectu essentiæ, sed hypostatice, nõ à se, sed à Patre sit, quo sensu nõnulli dicunt Filiũ nõ esse αὐτιπόσατη, etsi sit αὐτόθεος.. Sed quo prouehimur?

Deus Vniuersalis Essentia causa.

2. Deo, prout extra se, id est, in operibus suis creaturas respicientibus contemplandus nobis proponitur, Effecta tribuuntur. Ita proprium Dei effectũ dicitur, quod cæteris agẽtibus omnibus supponitur τὸ εἶναι, simpliciter acceptũ.

Differt Effectum.

1. A consequente, vt species à genere. Omne enim Effectum est Consequens. Sic Plato in Philebo: Efficiens semper præcedit: & quod efficitur, insequitur. Sed nõ omne consequens est Effectũ. Σύσχυσις igitur hic est vitanda recte loqui volentibus, & quidem debentibus in arduis disputationibus: Peccata non sunt Reprobationis diuinę Effecta, (Deus enim non est author Peccati) sed Consequentia.
2. A Facto, quia factum solius Efficientis factum est.
3. Ab Opere, quia etsi opus quodcunq; non vnius causæ vi existat, sed vi causarum quatuor, tamen ad Efficientem potissimũ refertur, quippe opus dicitur esse alicuius Efficientis, non autem materiæ, nec formæ, nec finis: vt gladius dicitur esse opus fabri, non autem ferri, nec figurę suę, neq; deniq; vulnerationis, de Ioh. Piscat. sententia, lib. 1. Exercit. Log. Sed Apotelesma ẽt Materiæ & Formæ appropriatur. Sic enim loquũtur Philosophi: Materia & Forma sunt principia constitutiua: Ἀποτέλεσμα ἐξ ἀμφοῖν, id est, è materia & forma constitutum corpus, est compositum naturale. Ratio est, quia Physicæ formæ & materiæ analogia quædam est, & σχέσις ad duas causas coefficientes prolis, vt ex congressu viri & mulieris existit proles perfecta: vnde pater & mater dicuntur. Sic ex coniunctione, συνδυασμῷ, congressu formæ (vt patris) & materiæ (vt matris) existit compositum Physicũ vel Essentia seu Natura, (quæ est, *quo quisq; constat*) vt apotelesma.

Opus vt ab Efficiente productum, vi quoque cæterarum causarũ, vt ex Materia & Forma propter Finem: ita potissime Efficienti attribuitur.

Quid Natura.

Effectis subiecta sunt τὸ διὰ φύσιν, τὸ ἐκ προνοίας, ἢ προαιρέσεως, τὸ διὰ πάθος, τὸ διὸ τύχης, τὸ βίαιον, id est: Profectum à natura, à cõsilio, à perturbatione seu repentino motu animi, à fortuna & casu, (Fortuita vocantur & Casualia,) à vi seu

à vi seu necessitate violenta seu cogente. (vocatur violentum.)

De Effectis Efficientis sequentes distinctiones intelligantur. Effecta sunt duplicis generis. Alia sunt Actidentia, quæ à formis & causis suis fluunt. Alia ipsa subiecta, in quibus accidentia hęrent: Ita ratio siue Rationalitas, tum Risibilitatis, tum Hominis causa est: & vtrumq; Effectum illius, Fortun. Crell. in Com. in lib. 1. ἑρμεί. Arist. pag. 14.

Ex his accidentia sunt simplicia subiecta, vt corpora naturalia συγκεχυμένα, id est, confusa dicuntur, quia tota sunt, quæ ex diuersarum partium quasi confusione constant, quod in corpore animalis perspicuum est.

Effecta sunt rerum positiuarum, vel priuationum. Positiuarum, vt Iustitiæ, Sanguinis Christi, Apellis: Priuationum, vt cum dicitur Cęcitas miseriam quandam afferre; Mors Filij tristitiam parenti: surditas defectum disciplinæ acroamaticæ.

EFFVSIO, ἔκχυσις.

Effusio est propria vel impropria. Propria est, quæ fit per exitum in aliud cũ defertione sui subiecti. Impropria, cum quod communicatur, non migrat in aliud subiectum. Vel cum large copioseque aliquid alij datur, vt insit.

Forma naturalis non est, nisi in vno, seu habet esse in vno. Non igitur proprie effundi dicitur.

De forma rationis aliter statuendum putat Alb. Magn. Sicut enim, inquit, coloris species defertur per lumen ad visum: ita etiam per lumen intellectus agentis defertur species cognitionis, (quæ est intentio rei) ad animam, & similiter etiam per lumen diuinum. Alij dicunt: quia plures cognoscunt rem aliquam, ideo dici in pluribus cognitionis formam esse effusam, quæ in anima est per modum accidentis.

Duplex est virtus animæ: Vna, quæ est in ipsa, vt potentia viuua: Altera, quæ effusa est (Barbari dicunt Effluxa est) ab anima in corpus, quæ defertur ad singulas partes corporis spiritibus corporalibus. Albert. Magn. in cœlesti Hierarchia.

Aliud Exemplum Metaphoricæ Locutionis.

Bonitas seu virtus effusa seu effluens à Deo in res omnes est vna res, non ratione generis vel speciei, sed analogia seu ordine ad vnum principium, vt Ens. Sed vt habet esse in particularibus, vt effectis, non est vna, sed multitudo ei attribuitur. Albertus Magn. in Cœlest. Hierarch. Et qua habet esse in particularibus, consequitur eam multitudo: at qua accipitur per abstractionem à particularibus, vt commune quid, consequitur eam Vnitas.

Licet non tangatur corpus proportionaliter distans ab igne secundum substãtiam, tangitur tamen ab eo per virtutem ipsius, quam agendo in illud effundit, id est, emittit, eiq; imprimit. Ita enim magis proprie dicitur.

In Ethicis Effusio significat prodigalitatẽ, quæ liberalitatis imitatrix est, teste Cicerone, vt Effusus Prodigum: Metaphor. sumpta ab aqua. Effusores dicuntur, qui patrimonium vel peculium prodigunt, id est, temere expendunt.

Effusa interpretatio alicuius est ampliatio seu extensio alicuius, quod ad intellectum attinet. Gotofredus.

ELECTIO.

Electionem vocant Astrologi obseruationem dierum vel horarum ad res gerendas vel non gerendas: vel ipsam Inuentionem temporis, in quo cœlum ita constitutum sit, vt produci effectum desideratum possit.

Eius ſpecies ſunt multæ, vt Electio ſectionis venarum, arborum cædendarum, plantationis, ſeminationis, commigrationis, peregrinationis, legationis, piſcationis, venationis, curationis certi alicuius membri affecti, balnei. Harum aliæ ſunt ſuperſtitioſæ & nullius efficaciæ: aliæ ſunt Phyſicæ, & habent efficacitatem. Vide Henr. Ranz. Diarium de Electionib. pag. 325. & Iohan. Regiomont.

Electio in Ethicis accipitur æquiuoce.

Vno modo pro actu voluntatis plenam comprehenſionem intellectus conſequente, vt cum dicitur quis peccare ex Electione, cum affectus non perturbat intellectū, aut ignorantia eum vitiat. Altero, pro actu voluntatis antecedēte concluſionem Syllogiſmi practici, quæ electio non eſt aliud, quam efficax obiecti volitio, ad inquirendū medium, per quod poſſit obiectum attingi. Seu, Electio vel accipitur pro plena acceptatione perfectaq; volitione. Hæc præſupponit notitiam perfectam obiecti. Vel pro volitione efficaci Syllogiſmum practicum ſequente. Hæc non eſt niſi eius, ad cuius eſſe operatur voluntas, quantum poteſt, quia nihil vult efficaciter, niſi ad quod ordinat media, per quæ eo poteſt deduci.

Vſus.

Quæritur ab Ethicis, an Electio ſit Impoſſibilium? Reſpon. Primi modi eſt impoſſibilium, quia voluntas eſt τῶν ἀδυνάτων, non errans tantum, ſed etiam talis, quæ habet præſuppoſitam plenam apprehenſionem intellectus. Electio ſecundi modi non eſt impoſſibilium, nullus enim de impoſſibilibus ratiocinatur practice. Syllogiſmus enim Practicus ex fine concludit deſtinatum ad finem, vt iter, qua ad eum definiatur: Talis διάνοια non eſt de impoſſibili (nullus conſultat de impoſſibilibus, nec præcipit intellectui practico ad inquirendum media ad illud) Scot. l. 2. diſt. 6.

In Politicis Electio eſt idoneæ Perſonæ ad dignitatem vel ſocietatem ſolennis vocatio. Vide Comment. in Ius Canonicum.

ELECTRVM, ἤλεκτρον.

Electrum 1. eſt gummi arboris, ſeu lacryma defluens ex arboribus, inprimis pino & pinaſtro, quæ deinde congelaſcens, in lapidis duritiem vertitur. De hoc Ambroſius Hexaemer. l. 2. cap. 15. Quid tibi referam, quod Electrum lacryma virgulti ſit, & in tantæ materiæ ſoliditatem lacryma dureſcat? Nec leuibus id aſſeritur teſtimoniis, quando folia & minutiſſimorum ſurculorum portiones, aut exigua quædam animantium genera in Electro ſæpe reperiantur, quæ videtur, cum adhuc gutta eſſet mollior, recepiſſe, & ſolida tenuiſſe. In ſignificatione hac vſurpauit Martialis illo verſu:

Corticibus duris ſudare electra feruntur.

Eſtq; vel Natiuum (quod eruitur è fodinis metallicis) vel Factitium. Vide Plinium l. 33. c. 4. & Seruium in 8. Æneid.

2. Electrum eſt aurum, cui admixta eſt quinta argenti portio. Sic accipiunt Iuriſconſulti. Hoc Vlpiano auri appellatione non continetur. Hinc Electrei nummi apud Lampridium, qui ſunt ex auro & argento quaſi fœderati, vt loquitur Tertullianus contra Praxeam.

3. Theophraſto eſt miſtura ſeptem Planetarum, id eſt, metallorum, facta colliquatione in vnum corpus.

ELEMENTVM.

Ariſtoteles 5. Metaph. cap. 3. declarans omnis vocis Elementi ſignificationes ait, hanc eſſe veram omnibus conditionem, quod Elementum ſit primū & ſim-

& simplex & irresolubile in alia, & quod in ipsa re insit. Zabar. De Ratione Elementi est esse internum & primum. (in eo genere) Idem. Grammaticus non vocat dictiones elementa orationis, neq; syllabas elementa dictionum, sed solas literas, quæ in nihil aliud resolui possunt, & sunt absolute primæ. Has namq; elementa vocat orationis. Ita in scientia Naturali non possunt vocari elementa, nisi prima materia & forma, quæ ex nullis aliis prioribus aut simplicioribus constant, sed sunt simplicissimæ: at materia proxima, cũ sit ex alia materia & aliis elementis composita, non potest Elementum vocari.

In Physicis igitur improprie dictum Elementum est corpus simplex inferius & inconstantius, ex quo reliqua corpora fiunt seu componuntur, & in quod resoluuntur. Auerrois hoc iudicium est.

Improprie, quia ex aliis prioribus componuntur, videlicet materia prima & forma: Sed magis improprie à Peripateticis etiam Cœlum dicitur Elementum seu στοιχεῖον, quod Elemento sit simile. Proprie enim Elementum est causa interna, vt materia; Cœlum vero est causa externa.

Translate etiam Elementa dicuntur principia artium & scientiarum, earumq; Rudimenta.

Vsus.

Quæritur, quo sensu Euclidea dicantur Elementa?

Respondetur Elementi significationis distinctione è Scal. Elementum est ὁμώνυμον. 1. Id, quod confirmat & demonstrat, est elementum eius, quod confirmatur & demõstratur; vt Prima propositio apud Euclidem est elementũ Secũdæ propositionis, & quarta quintæ. 2. Elementum dicitur, in quod, tanquam simplicius diuiditur id, quod compositum est. Atq; hac ratione non quæuis propositio dicetur esse Elemẽtum, sed omnium prima ac simplicissima eorum, quæ in rei effectæ productione sunt constituta, sicut Postulata & Axiomata sunt Theorematum & Problematum elementa. Atque iuxta hanc Elementi significationem constructa sunt Euclidis elementa.

Sic Elementa cuiusq; scientiæ dicuntur, ex quibus cętera omnia producuntur, & in quæ omnia resoluuntur. Vt vocis literatæ sunt pura & simplicissima principia, & quæ diuidi nequeũt, quib. nomen Elementorum imponimus, Litteræ, omnisq; ex his cõstat dictio & oratio. Ita sunt quædam Theoremata principia totius Geometriæ, quæ principii locum rationemq; habent ad ea, quæ consequuntur, quæve diffusa sunt per omnia, atque multorum demonstrationes accidentium præbent. Eaitaq; nominant Elementa.

Distinctio.

Elementa { Absolute. Prima principia & remotiora.
Secundum quid, propiora principia.

Explicatio.

Materia prima & Forma sunt absolute Elementa, quia in nulla alia resolui possunt. Simplicia corpora nõ sunt absolute Eleměta, sed solũ inter corpora, ideo rectius vocatur Elementa secundũ quid, seu cum additione dictionis corporea (Elementa corpora.)

Elementa { Essendi
Cognitionis

Rerum } Principia.
Scientiæ }

ELEVATIO.

Alia ſignificatio eſt, cum dicitur in Politicis Eleuatio fidei teſtium: & in Aſtronomicis Eleuatio poli. Illic enim eleuatio eſt extenuatio & depreſſio: hic vero ἔξαρσις, ſeu exaltatio.

In Chymia Eleuatio eſt ſubtiliatio μικροχρονικὴ, breuioris temporis, cum partes ſpirituales à corporeis, ſubtiles à craſſis, non fixæ à fixis inſtar fumi, vi ignis eleuantur. Eſtq; ſicca vel humida. Eleuatio ſicca eſt, qua partes ſiccæ ſubtiliores eleuantur. Vulgo ſublimatio.

Eleuatio humidi eſt, partium humidarũ in halitus extenuatarum à craſſis & ſiccis ſubtiliatio. vulgo Deſtillatio.

Eleuatio per retortam eſt cum humor propellitur ex retorta, id eſt, vaſe globoſo, cuius collum paulatim à ventre procedit, ac ſenſim in oblongum canalem reflexum tranſit.

ἔλλειψις.

Ellipſis, Defectus, opponitur ὑπερβολῇ, vt in Ethica virtutum Doctrina.

In Logica, Ellipſis eſt partis vel enuntiati, vel ſyllogiſmi, vel methodicę tractationis. Eſt ſpecies crypſεως.

In Grammatica Ellipſis quoque eſt, varia. Ab hac alia eſt Apoſiopeſis, Obticẽtia, Reticentia, Interruptio, qua ſenſus interrumpitur, integra ſententia non enuntiatur, Familiaris indignantibus. Virgil.

Men' incœpto deſiſtere victam?

Exemplum Grammaticæ Ellipſeos eſt, cum illius temporis mihi in mentem venit. Vallæ enim placet ſubintelligi, Conditio, Status, Qualitas. Sed Priſciano placet eſſe Antiptoſin Genitiui pro Nominatiuo. Franciſcus Syluius putat eſſe locutionem integram, vt verbum venit ſit impersonale. Sylvio non adſtipulor: Etſi cum dicitur, Venit mihi in mentem: vereri, ſubdubitare, impersonaliter accipi affirmẽ, Es kompt mir/rc.

In Sophiſtica, τὸ ἐλλειπὲς diuiſionis, & Fallacia περὶ τὸ ἐλλειπὲς διαιρέσεως eſt, cum diuiſio eſt mutila, cum aliquod membrum eam deficit.

EMANARE.

Emanare eſt immediate eſſentiam comitari, tamen ſine reſpectu exiſtentiæ, & ante exiſtentiam, & ſine reſpectu cauſæ externæ.

Emanatio accipitur dupliciter.

1. Proprie eſt fluere ab alio, ſeu ex principiis eſſentiæ ſubiecti exiſtere ab eſſentia alicuius indiſſolubili nexu vinculoq; proficiſci. Sic emanant Reales proprietates. Sic ex anima emanant potentiæ.
2. Eſt tantum conſequi, vt Entia rationis: externa prædicata, cognitum eſſe à Deo.

Barbari ſic loquuntur. Aſſumptum ab Angelo corpus mouetur ab eo, vt à virtute emanata vel effluxa. Tu dices, emanante vel effluente, vel, quæ emanauit, vel effluxit, quæ emanat vel effluit.

Theologi Emanationem tribuunt proceſſioni Spiritus S. æternæ.

EMINENTER.

Eminenter eſt ſupra omnem menſuram, ſupra omnes gradus. Piccolhomineus dixit, Deum eſſe omnium rerum eminenter. Oppoſitum eius, Certo modo & menſura: itẽ Formaliter, Perfectiones creaturarum, quas nominibus bonitatis, ſapientiæ, &c. ſignificamus, ſunt in Deo, vt illarum cauſa ac principio eminenter vel formaliter. Multa, quæ rebus Phyſicis tribuuntur eminenter ac nobiliſſimo modo perfectiſſime: Deus mouet ſe non hoc

noſtro

nostro modo, sed alio nobis incomperto.

Quod habet virtus inferior, habet etiam superior, ait Boetius, intellige eminenter habet. Sic Angelus habet rationem eminenter.

Eminentia per metaphoram est excellentia, Eminere, excellere, cæteris præstare. Eminentia, excellentia, ὑπεροχὴ, vt formæ eminentia, in p. fin. Authent. de alien. & Emph. Et titulus honoris est apud Iurisconsult. eminentia tua.

EMOLLIRE.

In Physicis Emollire est ex duro facere molle, vel mollius facere. Emollitio est alteratio sensilis, qua ex duro fit molle: cui opponitur Induratio, qua ex molli fit durum.

Efficiens emollitionis est partim calidum siccum, humidum absumens: partim frigidum siccum, constringens humidum.

Per Metaphoram ad mores & animos transfertur, qui dicuntur molliri, id est, mitigari, inflecti.

ENS.

Ens primo modo dicitur, quod recte responderi potest ad quæstionem quid est: vt, Animal, cum quæritur, quid homo? Secundo, ꝙ potest respondere ad quæstionem An sit: vt, Cæcitas est, Homo est, Vide Citadinum contra Picum.

Censura.

Hæc distinctio est inanis & falsa. Nam quærenti quid est peccatum, Respondeo; est malum, & tamen malum non est Ens primo modo dictum. Itaq; sic dicendum potius.

Ens primo significat rei Entitatem seu naturam decem generum, vt Cœlum Beatorum. Secundo veritatem propositionis, vt Cœlum Beatorum est.

Vsus.

Quæritur an priuatio, vt Cæcitas, sit numeranda in Entibus seu rebus? Resp. Ens dupliciter dicitur, vno modo vt incomplexum, entitatem rei significans, & ad aliquod prædicamentum pertinens. Ita nulla priuatio est Ens: Altero, vt significans veritatem propositionis, quæ consistit in compositione, cuius nota est, verbum Est: & hoc Ens est, quod respondetur ad quæstionem, An est. Ita cæcitatem dicimus esse in oculo, & aliam quamcunq; priuationem (vt malum) esse in subiecto, eique inniti, vt bono. Atque ita malum quoq; Ens est.

Thom. Aquinas.

Quæritur, an Cæcitas perfectam habeat mali rationem? Resp. Cæcitas & aliquid boni relinquit, cui innititur: & perfectã mali rationem habet, nõ quia omne bonum adimat, sed quia totũ illud bonum, cuius priuatio dicitur (hoc est visum) adimit, quod non facit ophthalmia. *Picus in Resposs. ad Anton. Citadinum.*

Distinctio è Platonicis.

Ens dupliciter accipitur. Primo Ens est omne id, quod est extra nihil. Sic vsus est Aristoteles, cum Ens vni fecit æquale. In hac significatione Deus est Ens. Secũdo Ens est ꝙ ipsum esse participat, sicut Lucens dicitur, ꝙ lucẽ participat, & videns, cui ipsum inest videre. Ita Platonici accipiunt: sic Deus non est Ens, sed supra Ens, & pura puta Entitas. Est enim ipsum esse, quod à se, & ex se est, & cuius participatione omnia sunt. Et sic Deus cuuslibet generis limites excedit.

E antè N.

Vſus.

Theſis.

Vnum eſt prius & ſuperius Ente. Platonici.

Antitheſis.

Vnum non eſt prius & ſuperius Ente. Ariſtoteles.

Conciliatio.

Vnum, hoc eſt, Deus. *Vnum ante multa, eſt prius & ſuperius ente ſecundo modo accepto, & quidem prius & ſuperius eſt Attributione indirecta ſeu obliqua, cauſali. Omne enim Ens (hoc eſt, quod habet eſſe participatum) eſt ab vno (Deo) à fontali, vt loquitur Picus, vnitate: At ens non eſt Deus.*

Vnum non eſt prius & ſuperius, hoc eſt, communius Ente, primo modo accepto, & quidem non prius & ſuperius Attributione directa. Ens enim æquale eſt vni, & vnum enti. Itaque dicitur Ens eſſe vnum, & vnum eſſe Ens.

Ens { Actu, quod re, oportet, extat. / Potentia.

Totum actu vnum. Si totum diuidas in partes, partes quidem remanent, ſed Totum, quod diuiditur, ipſum non remanet, ſed deſinit eſſe *actu*, & *potentia*, tantum eſt, ſicut partes, quæ prius erant *potentia*, tunc eſſe *actu* incipiunt: quippe quæ prius cum erant in Toto, vnitatem propriam actu non habebãt, quam tum primum ſortiuntur, cum ſeparatæ à Toto ipſo per ſe ſubſiſtunt. Picus in Apolog.

Ens { *Incompletum*, Diminutum in natura, vt Motus. / *Fixum*, in Natura, vt calor.

In Agente principe virtus actiua eſt ens completum, in inſtrumento moto ab agente principali virtus eius, ſcilicet Inſtrumenti, vt proportionatur inſtrumentum motui, eſt ens incompletum.

Entis completi appellatione excluditur nonnunquam Ens partiale, ſiue ſit pars eſſentialis, ſiue integralis. Pars integralis, dum actu componit, non eſt ens completum. At ſi actu non eſt pars integralis, cum poſſit eſſe pars, eſt ens completum, vt id, quod cras tibi ſeu tuo corpori aggeneratur per nutritionem. Pars eſſentialis nunquam eſt ens completum, ſiue actu componat, vt forma actu inhærens, & materia actu ſubſtans, ſiue actu non componat: (ſed tantum aptitudine, id eſt, inclinatione) vt anima ſeparata, & materia nuda. Eſt ergo ens completum ens, quod non eſt actu pars integralis, nec eſt actu, nec aptitudine pars eſſentialis. Biel. l. 3. diſt. 1. quæſt. 1. Sed ego animam hominis ſeparatam à corpore nolim dicere ἁπλῶς eſſe incompletum Ens: Puto improprie & κατά τι eſſe imperfectum, quatenus in Anima ſeparata manere intelligitur inclinatio ſeu ὀπτηδειότης ad informandum ſubiectum. (ſi modo coniuncta hoc informat.)

Entis ſeu ὄντος ſignificatio Platonica.

Τὸ ὂν & αὐτὸ ὂν (Ipſum Ens) Platoni eſt Deus. Religio eſt τοῦ ὄντος γνῶσις, id eſt, Dei cognitio. Vide Platonis Eutyphronem, Phędonẽ, Philebũl 6. & 7.

6.&7.de Rep.10.de Legibus, Epimonidem, Timæum, Phædrum. Vocatur Deus ab eodem αὐτὸ ἕκαστον, αὐτὸ τὸ καλὸν, αὐτὸ τὸ ζωῆς εἶδος.

Ens amplissime sumptum est omne id, quod est extra nihilum. Ita etiam principia, Materia & Forma & Modi sunt entia.

Deinde complectitur & principium omnium, Deum; & perfectam substantiam & accidens.

Tertio strictius sumptum significat ens dependens, vt cum dicitur: Omne ens habet duo momenta: omne ens per se est διάλυτον, principium seu causa entis est, à quo ens dependet seu causatur; principium entis est τοῦ εἶναι vel τοῦ γίγνεσθαι, principium entis constituendi dicitur causa; principium entis cognoscendi est axioma, per quod ens incomplexum cognoscitur; Quodq; est aut non est; Idem eidem simul inesse & non inesse est impossibile.

Entis & Æterni distinctio è Timæo Platonis.

Aliquid est, quod semper est, eodemque modo se habet, nec vllum habet ortum. Aliquid, quod gignitur seu ortum habet & initium existendi, neque vnquam vere est (eo modo quo illud τὸ ὄν) τὸ δὲ τὸ ὂν μὲν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον. τὸ μὲν τὸ γιγνόμενον ὂν δὲ οὐδέποτε. Illud est ἄριστον αἰτιώτατον: Hoc vero, quicquid est præter Deum, vt natura seu Mundus, qui factus est à Deo ex subiecta materia. Γιγνομένων autem quædam habent mutabilem, fluxam & inconstantem ὑπαρξιν & naturam: quædam constantem atq; firmiorem ex opificis voluntate & virtute, atque adeo cum cæteris rebus comparata æternitatem quandam precariam consecuta sunt, non tamen vere sunt æterna, cum & principio quodam exiterint, & cum voluerit opifex, desitura sint. Itaq; Æternũ seu ἀίδιον duplici-ter, vere & primo, id est, πρώτως καὶ καθ' αὑτὸ per essentiam (καθ' ὕπαρξιν καὶ αἰτίαν τοῦ εἶναι) quod vni Deo proprium est, nec vllo modo conuenit rebus creatis; & Æternum quodammodo (ἀιώνιον πῃ) id est per participationem (κατὰ μετοχὴν τοῦ εἶναι) ex opificis αὐτοῦ ὄντος voluntate & pietate, vt sunt Angeli, animi hominum.

ENS ex Caietano.

Caietanus in c. 1. de ente Thom. Aquin. ens significat id, quod habet esse: Id autem quod habet esse, comprehendit in se essentiam, Essentia vero significat id, quod importat Definitio, vt dicetur, quæ non dicit esse vel non esse. ex 1. poster. Ens ergo ita se habet ad essentiam, quod complectitur in se vtrunq;, essentiam scilicet, & esse; Essentia vero alterum tantum, & ideo ens appellatur compositum respectu essentiæ.

Quatuor modi sunt Essendi.

Esse
- Debilissimum.
- Huic proximum in debilitate.
- Minus debile.
- Perfectissimum.

Debilissimũ ens est maxime improprium. Huiusmodi sunt Negatio & Priuatio, quæ remouent aliquid: Eaq; ratio concipit quasi quædam entia. Itaque in ratione esse dicuntur.

Proximum in debilitate esse est, quod habet aliquid admistum de Priuatione & Negatione, vt Motus, (actus imperfectus) Generatio, quæ via est ad formã; corruptio, quæ via est ad non esse; Tẽpus. Tempus enim non est nisi quia tendit ad non esse, ait Augustinus, & semper manens non est tempus.

Minus debile est, quod habet quidem esse debile, sed tamen nihil habet de non ente admistum, quia non per se, sed in alio est, subsistit, vt proprietates Substantiæ, Quantitas, Qualitas.

Perfectißimum, quod habet eſſe firmum & ſtabile ac ſolidum, per ſe ſubſiſtens, quod habet eſſe in natura ſine admiſtione priuationis, vt ſubſtantiæ.

Accidentia tamen, quæ habitus ſunt, & quantitates patibiles, reſpectu fluentium & ſucceſſiuorum, ſtataria ſeu firma etiam dicuntur ac perfecta.

Et elementa, reſpectu elementatorum, quæ iis perficiuntur, dicuntur ſubſtantiæ imperfectæ à Scal. lib. de Latin. Ling. & exerc. Elementata perfectæ.

Ens
- Abſolutum, (quaſi ab omni alio ſolutum) nullum reſpectum includens.
- Reſpectiuum, quod habet χέσιν (Relationem) ad aliud, & dependentiam ab alio.

Ens
- Res
  - Communis.
  - Singularis.
- Rei Notio.

Scalig.
Relatio Realis eſt Res præter notionem intellectus.

Difficultas cognitionis intellectus vel ſenſuum
- In re propter
  - *Exiguitatem & debilitatem*, vt Materiæ primæ & motuum quorundam, quorum minutiora ſunt momenta, illa fugit mentis noſtræ captum: hi latent ſenſus noſtros. Scal. ex. 359. ſ. 12.
  - *Immenſitatem* ſeu magnitudinis exceſſum vt, Dei.
- In Rei Notionibus, vt cum ſunt obſcuræ. (Rei notionis notio eſt nomen, quæ Notio ſpeciei ſpecies eſt, ſicut ſpecies eſt imago rei)

Quicquid eſt
- Extra nos eſt, Res.
- In nobis, in mente; Eſt enim quaſi rerum ſpeculum intellectus noſter, cui niſi per ſenſum repræſententur Res, nihil ſcit ipſe. Rerum ſpecies, vt & quæ in ſpeculo videntur.
- A nobis, â mente, *Specierum Notæ* in oratione, cuius principium materiale, vox, nota earum notionum, quæ in anima ſunt, ſi ſit rationis æquatio cum re, cuius eſt nota veritas. Vid. Scalig. de Plant. 1. pag. 6. hæc pulcre explicantem.

Res
- Materiales, vt: ſenſiles.
- Immateriales, vt: νοητὰ
  - Extra intellectum
    - Deus
    - Mentes.
  - In intellectu. Notionis, ideſt, Rerum ſpecies mente comprehenſas. Hinc PICTVRA & SCRIPTVRA. Hæ erutæ ſunt per ſenſilia duo *colorem* cum figura & *ſonum*, inprimis vocem animi interpretem.

Vide plura in 2. Scal. de cauſſis ling. latin. 136.

Quod manus agit in materiam, hoc agit intellectus in notiones: Vt igitur faber manibus ſubiectum habet materiam aurum: ita philoſophus intellectu moderatur notiones. Notio dicitur quoq; conceptio, vt: Mentes cuiuſdam conceptionis communione videntur vnius naturæ participes. exerc. 359. ſ. 14. ORDO rerum & notionum hic eſt.

1. Res. 2. Imago rei, quæ notio eſt intellectui. 3. Voces, quę notionũ illarũ notiones ſunt. 4. Scripta, quę notionũ illarũ notiones ſunt, vt: 1. Equus. 2. Equi ſpecies in intellectu. 3. Equi nomen in voce. 4. Equi repoſitio in ſcriptura.

Prima duo à natura ſunt, equi quoq; ſpeciẽ ab equo eductã intellectus agens in intellectũ poſſibilẽ impreſſit: Altera duo ab arte aut caſu ſunt, pag. 140.

Nota
- Vnius ſpeciei. Dictio.
- Multarum. Oratio.

Dictio

Dictio enim nota est vnius speciei, quæ st in animo indita ei rei, cuius est species secundum vocem pro arbitratu eius, qui primo indidit.

Hoc, quod dicitur ENS, aliquando verum est, vt: Deus: aliquãdo nõ verum: Et hoc dupliciter: Aut enim est Priuatio, aut Fictio. Priuatio, vt Vacuum. Fictio, vt Phœnix. Itaque sane horum nomina non significant eodem modo ipsa, quo modo Deus Deum, sed priuationem per habitum, sic: Quia PLENVM significat locum tactum vbiq; à corpore: eius cõtrariũ Vacuũ significabit, quod quãquam non est, tamen per illud, quod est, intelligitur. Ficta autẽ facilius percipiuntur; sunt enim quasi orationes falsæ: Idem enim est, Phœnix: Et oratio hæc: Auis rediuiua sui causa.

Vsus.

Huius diuisionis vsus est in sublatione huius dubitationis, nomina, quæ notiones sunt figmentorum, non esse dictiones. Rei enim nullius sunt notæ. Scal. lib. 3. de caus. ling. latinæ.

ENS
- Reale
  - Absolutum
  - Relatiuum
- Rationis: Notionale vel intentionale. Aristoteli τὸ μὴ ὄν. lib. de interp. cap. 11. sect. vltim. Polanus. in Systematis logici pag. 95.

Hinc Realitas
- Absoluta.
- Relatiua.

Rationis
- Negatio. Nihil negatiuum.
- Priuatio. Nihil priuatiuum.
- Relatio Rationis, quæ tantum cogitatur mente, vt inter superius & inferius in terræ incolis.

Explicatio.

Negatio) Quod impossibile est aut factũ, [a] aut interiit [b] ita, vt subiectũ eius non sit amplius reliquum, vt: si quis cõcipiat hominẽ, quod nõ sit animal.

[a] Chymera. [b] Equus Alexandri Magni.

Absolutum) quasi ab omni alio solutum, id est, nullum respectum includens. *Vnde dictum Absolutum? Quid ens relatiuum?*

Relatiuum) Respectiuum, quod habet χέσιν seu relationem ad aliud & dependentiam ab alio.

ENS
- ὄντὸν
  - Simplicius: diuiduum in partes
    - Nullas, vt sunt εἴδη secretissima.
    - Pauciores, quoad magis aut minus concreta εἴδη intelliguntur.
  - Compositius: in plures diuiduum partes, vt: Composita physicæ scientiæ subiecta. Hæc enim diuidua sunt, cum sint formæ quædam cum materia concretæ.
- ἀιδητὸν
  - Quod vere est, vt: verum animal.
  - Quod vere est vmbra & simulacrum, vt: animal pictum aut fictum, aut in speculo expressum figura duntaxat & coloribus, quæ speculi ἔμφασις dicitur.

ENS seu QVOD EST.

πρότερον ὄν, quod prius existit, ὕστερον ὄν, quod posterius existit. Quo pertinet ἐφεξῆς ὄν, quod in posterum existit. Ἅμα ὄν, quod simul existit.

Sic Caspar Peucerus in lib. de Diu. loco de pręsagiis Medicorũ: προηγούμενον αἴτιον (ante-

(antecedens & interna cauſa) à morbo, qui incipit fieri, eſt inſeparabile tanquam ἐφεξῆς ὂν: συνεκτικὸν (continens ſeu proximum) vero tanquam ἅμα ὄν.



Communes naturæ egent singulari existentia.

Ens qua ens.

Metaphysica vt scientia vniuersalis est entis qua ens, id est, cõsiderat ens sub ratione communissima entis, & non sub aliqua ratione contracta: At scientiæ speciales considerant tantum definitum genus entium, vt: Mathematica quantitatem., Physica res mobiles. Errant illi, qui statuunt Logici obiectum esse ens qua ens. Scientia vniuersalis est consideratio entis qua ens, non specialis, non organi.



Prima Conclusio.

Entia, quæ extra animum reuera existunt, sunt Realia, vt Mauritius Landgrauius Hassiæ. Eorum enim esse non pendet ab operatione intellectus.

Id,

Id, quod habet esse, secluſa omni animi operatione, habet esse reale
- Materiale & formale, vt paries, color in pariete.
- Spiritale seu repræsentatum, vti species coloris recepta oculo, & species quæ sunt in anima. Zab. lib. 1. de visu. ca. 7.

2. *Conclusio.*

Ea, quæ sunt reipsa in intellectu, vt subiecto, sunt entia realia, siue cogites siue non, vt: species νοηταί; Actus intelligendi; Habitus intellectus, vt: Scientia, quæ est imago rei cognitæ rem repræsentans extra animam existentem.

3. *Conclusio.*

Entia fictitia, quæ non habẽt fundamentum in re, sunt entia rationis, vt: Cerberus. Non enim habent aliud εἶναι, quam quod tribuitur eis à ratione: Extra intellectum prorsus nihil sunt.

4. *Conclusio.*

Quædam sunt entia rationis, quæ licet obiectiue sint in ratione, tamen habent fundamentum in re, quo ad certum conceptum mouemur: vel permanens, & stabile, vt: priuationes, cæcitas, surditas. Eorum enim fundamentum est potentia Optica, & Acustica, quæ mouet intellectum istas priuationes hoc & non alio modo concipiendas: vel Transiens, quod est actus alicuius facultatis apprehensiuæ, quæ non est, nisi quando ipsa potentia operatur, & exercet suam actionem circa obiectum, vt: visus apprehendit formam puellæ; Ex hac visione puellæ sequitur, puellam esse visam. Hoc ens rationis est. Fundamentum eius est visio. Dicitur autem ens rationis, quia *esse visum* nec est aliquid in puella, quæ videtur, nec aliquid in ipsa facultate visiua, sed tãtum est ens obiectiue existens in ratione seu intellectu, qui cognoscit, puellam esse visam ab oculo.

Aliquid potest esse
- Extra intellectum.
- Subiectum intellectui, id est, in intellectu vt accidens ab eo receptum, quod tamen etiam ab intellectu cognosci potest.
- Obiectum tantum intellectui, vt id, in quo occupatur intellectus, quod solum ab intellectu cognosci potest.

5. *Conclusio.*

Ens aliquod rationis habere esse obiectiue tantum in intellectu, est ens aliquod rationis nec respectu rei esse extra intellectum, nec inhærere seu esse subiectiue in intellectu, sed tantum ab intellectu cognosci. Itaq; nihil ponit in re vt in potentia cognoscente.

6. *Conclusio.*

Entia quędam, etsi habẽt esse subiectiue, hoc est, sensui vel animo sunt impressa, vt sigillum ceræ, in sensu vel intellectu, tamen etiam habent in eo esse obiectiuum, cum ab eo cognoscũtur, vt: Forma puellæ est in intellectu tuo, in subiectiuo recipiente, & obiicitur intellectui vt γνωστὸν, cum hic eam cognoscit.

IPSVM ENS: αὐτὸ ὄν.

Ipsum ens Platoni in Timæo & Parmenide est ὄντως ὄν, primum ens, sincerũ verumq; ens. Quod & ὅπερ ὂν (κατ' ἐξοχήν) nominat, αὐθυπόστατον & αὐτὸ ἀεὶ, ipsum semper, & ipsũ καθ' αὐτὸ & ἀρχηγὸν καὶ πρώτην seu ἀρχέτυπον & ἰδέαν (primã omniũ caussã) ὄντως ὑφεσταμένην. Ei opponit τὸ ὂν συμμετοχῇ, id est, ens per participationẽ, cuiusmodi est res à Deo creata.

Eius οὐσιώδη quasi πάθη Plato facit 1.

Quod sit τὸ ἓν ἄπειρον ἀσχημάτιστον, Vnum infinitum, figuræ partiumq; expers. Ideoq; non sit multa, nec cum rebus genitis vllo modo commiscea-tur; Quo respectu etiam τὸ Ἄλλο dicitur, 1. Quod sit omnis motus ac mutationis expers, idem nimirum constanter permanens (Ἀκίνητον καὶ ταυτὸν) 2. Quod non sit μετέχειν χρόνου (non est ætatis & temporis vllo modo particeps) neque est iunior, neq; se-nior. Itaq; illi omnia semper sunt præ-sentissima. 3. Quod omnib. rebus sin-gularibus facultatem τοῦ εἶναι, id est, existẽdi, tribuat, & ita omnes res creæ-ræ sint vi & beneficio primæ causæ. 4. Quod ita diffundatur in omnes res, vt tamen ipsorum, multiplicitatem & pe-ne infinitatem singularum rerum cer-tis vnius cancellis finibusq; circumscri-bat; idque dupliciter, tum, quod o-mnium rerum essentia ab essentia eius vt primariæ causæ pendeat, tum, quod primaria illa causa creauerit certas & definitas rerum species; vt rerum natu-ra, ad quas innumerabilis prope κυβερνήσεων turmæ reuocantur: ita duplici illo respectu ipsum seu vnũ, ὃ reuera est infinitum, sit πεπερασμένον (finitum) in reb. ipsis. Deus enim infi-nitus in sese mirabili quadam & au-gusta ratione in hac naturæ εὐταξίᾳ se quodammodo (quodammodo dico, quia non proprie) finitum & deter-minatum præbet conspiciendum. Io-hann. Serrar. nobilis familiæ Platoni-cæ philosophus in Platon. Parmenidẽ videatur. In conuiuio vocatur Sum-mum pulchrum. In Timæo δημιουρ-γοῦσα αἰτία.

IPSVM QVOD QVID EST.

Aristoteli 1. Top. cap. 7. *ipsum Quid* est es-sentia rei, id est, vniuscuiusque rei na-tura, quæ non solum in substantia est, sed etiam in accidentibus. Definitio explicat ipsum quid est esse, seu, ipsum quid est esse rei. seu, declarat, quid sit esse rei, non quæ sunt extra rei esseñ-tiam. Explicat ipsum quid est esse rei, definito. Hoc autem quid est esse con-stat è duobus, Materia & Forma, vel ex aliquo ꝓportionali materiæ & formæ.

Ens è Thom Aquin. lib. de Ente.

Ens per se dupliciter dicitur
- *Primo modo*, vt diuiditur per 10. genera & prædicatur de re-bus, quæ sunt in decem generibus, & quidem per prius & posterius, qua Ens perfectori modo est in substan-tiis, quam in accidentibus. Nam & Substantia simpli-citer habet essentiam, accidens secundum quid.
- *Secundo*, vt significat veritatẽ propositionis, & prædicatur de omni eo, quod potest esse subiectum affirmatæ pro-positionis.

Veritas Propositionis est cõpositio facta in & à secunda operatione intellectus obiecto conformis.

Omne Ens habet Essentiam. Priuationes & negationes non habent essentiam. Ergo priuationes & negationes non possunt dici entia.

Respondet Thomas, propositionem ma-iorem veram esse tantum de ente pri-mi modi, falsam de ente secundi mo-di, eo quod intellectus det priuationi-bus & negationibus esse in anima ob-iectiue, dum facit eam propositionis terminum.

Ens primi modi 1. non significat distinctũ gradum à naturis specificis & generi-cis, puta à Substantia vel homine, vt contra animal significat gradum aliũ ab homine, sed significat conceptum vnũ formalẽ conuenientẽ substãtiæ & accidenti, Deo & creaturæ, in esse, seu inæqualiter repræsentantem esse Sub-stantiæ & accidentis, Dei & creaturæ.

2. Significat immediate & per se ipsum primo

primo (sine media aliqua cõmuni natura, sicut animàl significat hominem & bestiam mediate, id est, interuenru naturæ sentientis) prædicamenta. Ens statim se ipso est, substantia, & quantitas, & qualitas, &c.

Ens autem & essentia differunt, vt habẽs & quod habetur, vt quod & quo. Ens enim id est, quod naturam seu realitatem habet: sed essentia est id, quo aliquid est in quocunque genere & quatuis specie, siue genus vel species illa sit substantia, siue accidens.

Itaq; vt Ens tanquam commune dicitur de Homine, ita essentia de humanitate.

- Ens
  - Per se
    - Extra animam,
      - Substantia.
      - Accidens.
    - In anima, Ens verum, quod significat veritatem propositionis, vel accidẽs reale, vel in anima
      - Accidens Intẽtionale, vt species lapidis.
      - Propositio.
  - Per accidens, cum dicitur
    - Accidens de subiecto.
    - Accidens de accidẽte.

} vel contra.

Ens est actu vel potentia, vel est ex actu & potentia compositum. Rude lignum est potentia statua: viridis spica est potẽtia frumentũ, grana tritici matura sunt actu frumẽtũ, imago Mauritij è ligno facta est actu statua; Deꝰ est ens actu secundũ essentiam & existẽtiam.

Sæpe actus & potentia differunt vt res & res, naturalis facultas & actus.

Res actu & res potentia non faciunt multitudinem, id est, nõ differt ens potentia ab ente actu, vt res à re, sed vt eadẽ res à seipsa, iuxta modos essendi, nempe vt ante existẽs in causis suis à se postea existente in se ipsa.

Esse actu est esse simpliciter, esse potentia secundum quid, ens quodammodo, quoddam ens. Arist. 7. Metaph. cap. 1.

Vsus.

Quæstio est, An potentia & actus sint eiusdem generis? Apud authores inuenies & affirmatã & negatam. Respondendum igitur est: Vocem potentiæ esse ambiguam: Vno modo potentia est principium operandi, & ita diuiditur in Actiuã & Passiuam. 5. & 9. prim. Philos. Altero modo accipitur, vt diuiditur contra actum, & ita potentia & actus nõ sunt tantũ eiusdẽ speciei, sed etiã eiusdẽ numeri, vt dicitur 9. Meta. Illud enim indiuiduũ, quod nunc est in actu, idem fuit in potentia: Potẽtia aũt primo modo est principium transmutãdi aliud, quatenus aliud, vel ab alio. quatenus aliud. Cum igitur dicitur, Potentiã & Actũ esse eiusdẽ generis, falsum id est de potentia, quæ est principiũ Transmutationis: quia accidens immediate recipitur in substãtia, alioquin fieret processus in infinitum. Potentia igitur Actiua vel Passiua sic accepta nõ est eiusdẽ generis cum suo actu. Hoc etiam probatur ex Aristo. 7. Metap. in fin. vbi dicitur, substantiam non produci in esse, nullo quanto vel quali præsuppositio in actu, sed in potẽtia tantũ. Ergo secundum Arist. Substãtia ponitur iumediate esse accidentis effectrix.

Ens per accidens,

Ens per accidẽs 1. interdũ accipitur pro ipso accidẽte, & opponitur enti per se, quo significatur substantia. Substantia enim est ens per se, id est, cui per se cõuenit esse primo non in alio. Vnde definitur Substãtia Ens per se existẽs. Accidens igitur non per se ens est, sed eo, quia est entis, hoc est, Substãtiæ. Itaq; accidens definitur ens in subiecto.

2. Ens per accidens dicitur, cũ duo ita cõiunguntur, vt vnũ alteri accidat, vt Musicũ esse albũ, & hominẽ esse Musicũ.

Vsus huius distinctionis.

De priori Ente per accidens est scientia: quia accidentia propria demonstrantur inesse subiecto proprio per mediatam causam. De posteriore dicitur: De Ente per accidens nō est scientia, quia talia possunt infinite variari. Vni enim infinita possunt accidere. Infinitum autem qua infinitum est ignotum.

ENS rationis.

Ens rationis, quod est in ratione seu cognoscente per modum obiecti, estq;
- Simpliciter & proprie, quod obiectum rationi, ab earum consideratione non habet in se aliud esse reale, præterquam obiici intellectui de eo cogitanti.
- Κατά τι & improprie, quod habet in se verum esse reale, secundum quod rationi obiicitur.

Ens rationis acceptum
- Valde improprie
  - Quod efficitur à ratione, vt Syllogismus. (*ex efficiente dictum*)
  - Quod inhæret rationi seu intellectui, vt Scientiæ. (ex subiecto)
- Proprie, quod (Ex obiecto) obiicitur rationi, quod cadit sub rationem, à qua consideratur. Suarez. p. 701. de hoc Canon: Ens rationis (fictum) intelligendum est per comparationem cum Ente reali.

Non Ens.

Non entia duplicia sunt: Quædam sunt non Entia omnino: quædam quadantenus. Quædam sunt non entia, & habentur etiam ab omnibus pro non entibus. Quædam sunt non entia, sed ita, vt existimentur à nonnullis entia. Distinctio hæc Iohannis Gandauensis est.

Vsus.

Quæritur, an non Entium sit Scientia, vt non Ens est vacuum, quæritur an de hoc recte explicet Naturalis philosophus, vt Aristoteles in Physicis? Resp. Non Entia primi modi non considerantur à Naturali. At secundi modi considerātur ἀναστευαστικῶς seu ἐλεγχτικῶς, quia refutantur.

ENTITAS.

Entitas accipitur vel pro Essentia & definitione rei, vel pro actuali existentia extra animam, sicut ens pro re existēte.

Quæritur: An compositum dicat tertiam Entitatem distinctam ab entitate materiæ, & ab entitate formæ? Aristoteles dicit Animal esse corpus & animam. 2 de anima. videtur igitur significare compositum non esse ens aliquod distinctum à materia & forma simul sumptis, licet ab vtraque distinguatur seorsim accepta.

At Scotus contrarium sentit, & simplicius accipit Aristotelis verba in sensu causali, non formali, animal ex corpore & anima constat.

Conciliatio.

Materia & Forma si considerantur secundum proprias essentias ac definitiones, distinguuntur à composito: Alia enim est definitio compositi; alia partium, quæ habent rationem principiorum: Nullus autem effectus est sua principia. Ita ergo compositum dicit tertiam entitatem, id est, tertiam essentiam.

At si

At si Entitas sumatur pro existentia, & vt compositum, nihil aliud est quam materia existens formata, & forma existens in materia: Non enim alio modo existit materia, quam sub forma, nec alia modo existit forma, quam in materia: Hoc modo Compositum non dicit tertiam Entitatem seu tertium Ens, quia nulla noua natura iungitur materiæ & formæ. Igitur compositum nihil aliud est, quam materia existens cum forma.

Fonseca in doctrina de 3. Personis distinguit inter Entitatem & Essentiam: Quanquã tres Relationes diuinæ personales tres entitates relatiuę dici possunt, tres tamen essentias relatiuas dicere Theologiæ regulæ non permittunt. Lib. 5. prim. Philos. pag. 397. Hic accipit entitatem pro reali existentia.

Entitas aut est maior, aut est minor, vt Absolutum est maioris entitatis: Relatio est minoris entitatis, quã res absoluta, est perfectio dans esse omnium infimum. Relationis realis entitas distincta est à fundamentali entitate.

ESSE.

Esse est vltima, vel potius prima rei actualitas. Suarez.

Esse { Simpliciter, Esse existentiæ receptiuum.
Esse { Secundum quid, esse essentiæ seu informatiuum.

Materia confert formæ esse informatiuum: Forma materiæ tribuit esse Receptiuum, seu vt materia sit hoc aliquid. Principia corporũ sunt corpora quodammodo seu secundum quid, id est non formaliter, sed virtualiter. Causa enim nihil põt dare effectui, quod non habet ipsa vel formaliter, vel virtualiter seu Eminenter.

Esse { Simpliciter, indifferens ad omnia, Transcendens.
Esse { Particulare { Permanens, vt vita proprie dicta.
Esse { Particulare { Fluens, vt operationes vitales.

Habens suum esse in facto esse, vt sunt calor, frigus; Et habens suum esse in fieri, vt sunt motus, operatio. Illud dicitur Habens esse permanens: Hoc vero habens esse fluens.

Esse est vel reale seu essentiale, vel intentionale & cognitum. Ego qui existo habeo esse Essentiale; sed esse intentionale est in intellectu.

κατά τι, hoc est, veritas conceptus de rerum essentiis est æterna in intellectu diuino. Et hoc sensu quoque vera necessario dici solent Simpliciter Æterna.

ESSATVM.

Barbara vox est Chymicorum pro eo, quod est essentia seu natura prædita, affectum alterius virtute. Essatum vinum dicitur cum vino distillato adduntur herbæ, vt earum extrahat essentias.

Essatum potentiale Chymicis est potentia & virtus, quæ ineft mineralibus & vegetabilibus. Rolandus in Lexicis.

Vsus.

Nihil extra Deum est æternum. Essentiæ, ideę, & quidditates rerum sunt æternę. Ergo non sunt extra Deum.

Resp. ad Propos. Nihil extra Deum est æternum *secundum esse essentiale*. Ad assumpt. Essentiæ rerum sunt ab æterno

ESSE ἄλλως.

Esse aut est simplex aut complexum: Simplex dum alias incomplexum: Essentiæ (ita cœcitas non existit, non enim eius essentia est proprie dicta) eius gradus præcipuus est esse personale. Complexum est propositionis, quo significatur compositio prædicati cum subiecto, seu propositionis veritas. 5. Metaphys. (Sic cœcitatem dico esse in oculo.)

Vel vt alij:

- ESSE
  - Proprie
    - Incomplexum
      - Existentiæ, qua esse & existere pro eodem accipiuntur.
      - Subsistentiæ eius quod subsistit suppositale, vt Personale.
    - Complexum. Propositionale Enuntiatiuum ἀξιωματικὸν.
  - Improprie
    - Obiectiuum.
    - Potentionale.

His in Christo sunt plura esse existentiæ, quia plures essentiæ seu naturæ inter se minime confusę, sed vnũ esse subsistẽtiæ, id est personalitatis, quia vna in Christo persona, non plures.

Esse aut est reale tantum & actuale, aut hypostaticũ. Natura humana Christi τὸ εἶναι, seu esse (reale) id est, quod est habet à seipsa, vt natura perfecta ex sua quippe materia & forma composita: τὸ ὑποστατικὸν vero εἶναι, id est, personale esse, id est, quod subsistẽs quiddam est substantiale, hoc habet ab vnione qua sit, vt subsistit in λόγῳ. Hoc εἶναι, est prioris πλήρωμα & τελειότης, id est, cõplementum & perfectio.

quod nobis est ὁμοούσιος, substantialis. Alia ab esse peculiari seu singulari hypostatico, vt quod perfectissimo afluit copia omnis sapientiæ & gratiæ. Hoc alij sic enunciant. Alia attribuuntur & conueniunt naturæ assumptę ex Actu, id est, perfectione naturali: Alia ex actu personali, id est, perfectione substantialis subsistentiæ. Schegkianus.

Etsi natura Catonis & aliorum intellectualium creaturarum subsistit seu existat, seu consistat hypostatice in seipsa & ex consequenti sit persona, non tamen est formaliter persona, id est persona non est de ratione naturę formali. Biel. lib. 3. dist. 5. quæst. vn.

Alia ei attribuuntur à proprio εἶναι, vt

- ESSE
  - Perfectum, permanens.
  - Imperfectum, fieri quod maxime improprie est esse.

Actus voluntatis, qui sunt velle & nolle, sunt qualitates simplices permanẽtes: habent esse suum totũ simul sine successione partium in esse (ἐν τῷ γενέσθαι) permanẽti, licet habere possint partes successiuas in Fieri (ἐν τῷ γενέσθαι) successiue enim intendi possunt. Biel lib. 4. dist. 16. quæst. 1.

- ESSE
  - Completum.
  - Incompletum
    - Successiuum, quod est in fieri vt motus & tempus.
    - Tale cui aliquid deficit requisitum ad suum esse, id est, quod non est actualiter.

Nihil enim actualiter est, cui deest aliquid suum εἶναι necessarium, vt natura vel forma deficiente homo non est.

- Essentiæ,
  - Esse, id est, existere vel subsistere, cuius summus gradus esse personale.
  - In esse persistere, hoc est, durare & conseruari.

Hæc

Hæc distinctio sumpta est ex Pici Mirandulæ Apologia. Vtraque naturarum in vnione hypostatica singulari, retinet suum proprium esse Essentiæ. Per illapsum autem communem Deus intimus sit omni creaturę naturaliter seu modo congruenti naturæ ad duo, 1. ad actum naturę primum, quod est esse stabiliendum vt persistat, 2. ad actũ naturæ secundũ, quod est operari producendum, vt existat: sine vllo enim illapsu non potest creatura in esse persistere, neq; propriam operationẽ elicere. Quia per illapsum Deus creaturã in esse conseruat, & τῷ συνεργεῖν, id est, cooperando & dat modum. Per περιχώρησιν vero Deus fit intimissimus naturæ quam assumit voluntarie, sed modo supernaturali seu excedẽte limites naturæ similiter ad duo, scil. ad extollendum naturam ad actum primum, simpliciter. Esse naturale rerum.

ESSE ἔναι { ἁπλῶς simpliciter. Esse naturale rerum. / εὖ bene. Esse aduentitium ἐπείσακτον.

Prima est Esse naturale rerum, vt homini Esse hominem, lapidi Esse lapidem, quod esse naturalis bonitas indiuidue sequitur, seu potius comitatur. Sunt & alia Esse, quæ aduentitia dici possunt, vt homini esse sapientem, esse pulchrum, esse sanum præter primum esse desiderantur à rebus creatis, alia esse: quia, aliud est esse fœlicem; aliud esse hominem. Ita prętęr primam bonitatem ab iis aliæ appetuntur bonitates, vt enim multiplex est Esse: sic quoque multiplex seu multiformis est bonitas (scilicet primæ seu naturali aduentitia.)

Esse substantia est per se subsistere, esse accidentis est inhærere. Aliud est magnitudo singularis, aliud est esse magnitudinis, id est, quidditas communis.

ESSE TRVNCATVM.

Scoto Esse Truncatum alicuius est cum formæ operatio impeditur.

mum, qui est esse subsistentiæ diuini suppositi & promouendum potentiã ad actum, id est, operationes diuinas, quibus ditatur.

Interdum distinguitur esse essentiæ ab esse existentiæ, ita vt esse Essentiæ sit ipsa essentia, & esse subsistentiæ sit ipsa subsistentia, vt per περιχώρησιν, Deus naturam assumptam ad diuinum esse subsistentiæ, (seu in esse diuinæ subsistentiæ.) Sublimauit, id est ad personalitatem & subsistentiam Filii Dei euenit. Ita igitur esse essentiæ, & esse subsistentiæ vel existentiæ accipiuntur intransitiue, vt creatura salis, id est, quæ est sal. Verbum Dei, id est, quod est Deus substantia matetiæ manet, id est, substantia, quæ materia est substantia panis, id est, quæ est panis. Sacramentum Baptismi, id est, quod est Baptismus.

Sic Scotus ait, in mixto elementum manere formaliter, sed cum quodam esse truncato, id est, in mixto esse quidem verum ignem, veram aquam, sed formas horum esse truncatas, quod actionem ignis impediat aqua & vicissim. Hoc, inquit. intelligo sic Esse Truncatum, quod sint ibi veræ formę, sed operationes earum impeditæ. Vide Scotum pauperem seu abbreuiatum distinct. 15. quæst. 1.

ESSE COGNITVM.

Scotus opponit esse cognitum & esse reale, quod quippiã habet extra. Scoti abbreuiator, dist. 45. Deus vult alia à se: Hic notandum quod creaturæ habeãt duplex esse. Vnum qua sunt obiecta cognita à Deo ab æterno. Aliud qua sunt iam creaturæ cum esse cognito, producta. Hinc duæ conclusiones.

I. Deus necessario & ab æterno vult creaturas, quatenus sunt obiecta cognita.

II. Deus vult creaturas, vt sunt extra, contingenter tantum, & non necessario.

ESSE intrinsecus & externe.

Vnum & idem potest esse in diuersis subiectis vtiusq; compositi, virtus moralis intrinsecus & essentialiter est in volũtate subiectiue, quia in eadem potentia est actus & habitus in ea genitus. In sensitiua & executiua potentiis, quibus voluntas potest imperare imperio politico vel despotico, est virtus externa denominatione. Potest enim voluntas imperare appetitui sensitiuo moderando eius affectum, persecutionem vel fugam, seu inclinare appetitum sensitiuum, vt cum delectatione moueatur ad actum honestum.

Virtus moralis proprie & interne inclinat ad electionem, & est habitus προαιρετικὸς: Ea in voluntate est virtus aliquo modo, scilicet externa denominatione, inclinat ad ea, quæ rectæ rationi consonant. Ea potest esse in executiua potentia, item in appetitiua.

ESSE POSSIBILE.

Esse possibile est rei, quæ esse potest actu, nondum est, ac reipsa nihil aliud est, quam esse causæ seu causarum ipsius, Id est, possibile non habet aliud esse, quam in sua causa. Hoc esse non est proprium esse, & distinctum ab esse causæ. Opponitur ei *esse existentiæ*, & essentiale seu proprium reale, distinctũ à suis causis. Gabriel Biel. lib. 3. distinctionum, d. 22. quæst. 1. Posse esse dicit esse aptitudinale vel secundum potentiam naturæ, vel simpliciter secundum potentiam quamcunque, siue diuina sit, siue naturalis. Oppositum esse dicit *Esse Actuale.*

Possibilia eo modo, quo sunt in potentia, habent veritatem. Canon.

Possibilia qua possibilia manent in esse possibili.

Aliquid est in intellectu
- Subiectiue, vt: ὑπόληψις, Scientia aut Opinio in anima.
- Obiectiue
  - In solis nudisq; conceptibus. a
  - Non in solis conceptibus. b

a Quæ nec formaliter, seu, quatenus talia sunt, existere in rerum natura queunt, nec de rebus existentibus in rerũ natura prædicari, vt: Styx, Cerberus.

b Quæ aut formáliter existere possunt in rerum natura, aut de rebus in natura existentibus prædicari.

Quę formaliter existere possunt in rerum natura, sunt primo entia realia, substantiæ & accidentia: Secundo Negationes, quæ quasi inhærent subiectis, vt: Tenebræ, Cœcitas.

Quæ de rebus veris seu in natura existentibus dici possunt, etsi nec positiue, nec negatiue existant in rerum natura, sunt esse prædicatum, esse subiectum & similia notionalia τεχνικὰ.

ESSE seu EXISTERE ALICVBI.

ESSE ALICVBI sumitur proprie vel improprie. Proprie pro eo, quod est Esse in loco proprie dicto seu finiti spatij termino. 1. *Siue communi*, vt: Sella est in hypocausto: *Siue peculiari*, (singulari, proprio) vt: Aqua in puteo est. 2. *Siue Reali*, vt: Corpus meum in superficie definita extrinsecus ambiente: *Siue imaginario*, sicut mundus est in ea spatij dimensione, quam occupat.

Quod est seu existit in vno tantum loco proprie dicto, est in illo definitiue tantum aut etiam circumscriptiue.

Vno in loco esse est ita esse in illo, vt extra illum non sit.

DEFI-

DEFINITIVE IN LOCO ESSE est ita esse in loco, vt totum sit in toto, & totum in qualibet parte, vt: Sic Angelus Gabriel erat in loco, cum esset præsens Mariæ.

CIRCVMSCRIPTIVE IN LOCO ESSE est ita esse in loco, vt totum sit in toto, & pars in parte.

Circumscriptiue in loco est aliquid *vel per se, vel per accidens. Per se*, quod per se extensum est, seu per se habet partem extra partem, vt: Corpus seu moles corporea: per accidens, quod propter corpus totum, vt: Materiæ & formæ substantiales & accidentales, si ad diuisionem molis corporeæ sint diuiduæ.

Situs est quidã modus existendi in loco.

Quanquã definitiue in loco esse aliquid inuenio nonnunquam apud Scholasticos dici dupliciter: Vno modo generaliter, altero specialiter. *Generali ratione dicitur, id esse in loco definitiue*, quod ita est in hoc loco, vt non sit in alio. Sic quicquid est creatum, in loco est, siue existat totum in toto, & pars in parte, vt: corpus: Siue totum in toto, & totum in qualibet parte, vt: intelligentia separata.

Ratione vero speciali in loco esse aliquid dicitur definitiue, quod ita est in loco, vt non sit etiam circumscriptiue, hoc est, vt nõ sit totum in toto, & pars in parte, sed totũ in toto, & totum in quauis parte.

Improprie sumitur ESSE ALICVBI pro eo, quod est esse in re aliqua. Ita forma est in materia: pars quælibet in suo toto; oculi in capite.

Esse in loco per contactum
- Molis Corporeæ vel Essentiæ, id est, per præsentiam substantiæ suæ.
- Virtutis & Operationis.

Διχοτόμως.

Esse in loco per seipsum præsentia
- Quantitatis molis. Per contactum molis.
- Virtutis. ἐνεργητικῆ. Per contactum virtutis.

Esse in loco
- Diuisibili seu composito.
- Simplici seu Indiuisibili: in quo posse esse substantias separatas volunt Scholastici Doctores.

ESSE
- Essentiæ. De hoc Axioma Aristotelis: Essentia non fit. 7. Diuinor. cap. 8. id est, Forma seu Essentia abstracte sumpta proprie & simpliciter produci non dicitur, sed comproduci: Habet enim causam efficientem, etsi alij colligant ex illo Aristotelis, Essentiam à nihilo esse.
- Existentiæ quo quid extat
  - *Essentiale.* Quod ad solius Dei essentiam pertinet.
  - Accidentarium. Quod rebus creatis accidit, seu, vt accidens conuenit, cum Socrates gignitur, eius essentia à generante accipit esse existentiæ, sub quo incipit esse, cum antea non extaret.

Confert aliquid alicui esse.
- Simpliciter. Potentiæ vt formæ accidentariæ subiecto proprię & natiuæ, quæ à forma proficiscuntur, quasi comites essentiæ, subiecto tribuunt seu conferunt esse secundum quid: Forma autem subiecto primũ ac substantiale esse tribuit.
- Secundum quid. est multitudo seu dualitas, sc. radicaliter, quia est radix multitudinis.

Esse formaliter & radicaliter opponũtur. Iamblicus Platonicus: materia prima

Esse simpliciter & quodammodo opponuntur, vt anima quodammodo est omnia, non autem simpliciter.

Vsus.

Omnia ea, quę sunt, est quodammodo anima. Aristot. l. 3. de anima. Id sic intelligatur. Quæcunque sunt, sunt aut αἰσθητὰ, aut νοητὰ. Anima est quodammodo omnia sensibilia aut intelligibilia. Est enim in anima sensus & intellectus. Sensus autẽ est quodammodo ipsa sensibilia, & intellectus intelligibilia. Nam sensus est potentia δεκτικὴ omnium formarum sensiliũ. Intellectus est potentia receptiua omnim formarũ intelligibilium. Anima igitur quodammodo est omnia.

Τῷ εἶναι, ESSENDO.

Claud. Alberius in orat. de beatitud. & extrema absolutione.

Τῷ εἶναι *nonnullis*, τῇ οὐσίᾳ *opponitur*, & est idem quod Reapse, vt in anima partes siue potestates animæ ratione quidem & Reapse (τῷ εἶναι) distinguuntur: at οὐσία non differunt, id est, essentiæ ratione.

Spiritus renouationis, spiritus ἀνανεότητος, Spiritus δι' ὅλης θέσεως, ex tota virtute, & habit° absoluti sunt vnus spiritus οὐσίᾳ, qui quidem vnus & idem spiritus distinguitur τῷ εἶναι, id est ratione & reapse, vt partes, quæ constituunt totum: Διάθεσις & habitus, imperfectũ & perfectum, τὸ τέλειον, & τὸ ἀτελὲς, seu τὸ ἐκ μέρους, non differunt οὐσίᾳ. Itaque in Categor. Qualitatis vnum genus constituunt.

Τῷ εἶναι, (*essendo*) *opponitur* τῷ ἔχειν *Habendo*. Deus est viuens & bonus τῷ εἶναι quidditatiue. Est enim ipsa bonitas & vita. Creaturæ sunt bonæ τῷ ἔχειν, habendo bonitatem: non sunt αὐτὸ ἀγαθὸν, ipsum bonum.

Τῷ εἶναι ἀντιδιαιρεῖται, τῷ ἰδιοσυστατῷ εἶναι, eo quod subsistens quoddam est substantiale, seu τῷ εἶναι ἰδιοσυστατῶς, eo quod est personaliter seu subsistenter, seu τῇ ὑπάρξει, id est, substantia, Illo εἶναι natura à Filio Dei assumpta est natura perfecta. Hoc vero est ἐνυπόστατος, id est, in hypostasi τοῦ λόγου assumentis existit, seu subsistentiam personalem obtinet in Filio Dei, non per se. Illo est per se, quia est substantia: Hoc non est per se, quia non est ἰδιοσύστατος, non habet propriam personam, sed subsistit in alio. Illud εἶναι habet à se ipsa: Hoc vero ab vnione, ἢ κατ' οἰκονομίαν, singulariter dicta.

Τῷ εἶναι, in der That vnnd Warheit: reuera, in rei veritate. Oppon. 1. Imaginarie, ex fictione. 2. σχετικῶς, symbolice, Sacramentaliter, vmbratiliter.

Persona Christi fuit in Vet. Test. τῷ εἶναι, extitit enim ab æterno: Vnio Hypostatica, quæ facta est in tempore, non contulit esse Personæ Christi.

Panis Cœnæ est Substantia inanima τῷ εἶναι & ὑπαρκτικῶς: At est corpus Domini σχετικῶς & Sacramentaliter.

Vita mea est veniens panis potusq; superne.

Est, scilicet τῷ εἶναι, id est, verè, est enim spiritualis vita: Vt caro Christi vere cibus est, à verè fidelibus verè manducatur, non tantum Sacramentotenus, quia cibus spiritualis est.

Τῷ εἶναι est absolute, formaliter. Oppon. ἐνεργητικῶς & virtualiter. Caro Christi fuit in Patribus, non τῷ εἶναι, sed vt in principio actiuo, seu vt effectus in causa sua efficiente. Mors Christi fuit in Vet. Testament. non τῷ εἶναι, sed virtute, quia profuit. Bernhard. Sic Christus est nostra resurrectio, (quam Rhetores Metalepticam vocant orationem, vel Metonymicam: Logici prædicationem impropriam.)

Τῷ εἶναι, opponitur ei, quod est Præfinitione: Verbum Diuinum fuit ab æterno Homo, non προϋπάρξει (præexistentia) Humanitatis ante creationem, sed Decreto Dei.

Τῷ

τῷ εἶναι est realiter, actualiter, essentialiter, oppon, *Obiectiue*, ratione diuinę cognitionis: Sic creatura est in Deo cognoscente: vel *eminenter*: sic creatura est in Deo, eo quod perfectio diuina sit excellentior creatura.

Nonnullis τῷ εἶναι idem est quod τῷ λόγῳ seu ratione & essentia: & ii opponunt ei τὸ Numero & Subiecto.

Fortun. Crell. in 1. Phys. Arist. p. 53.

Principia duo sunt & non duo, sed tria, sine contradictione, quia deest conditio illa πρὸς τὸ αὐτὸ, Duo sunt Numero & Subiecto, Materia subiecta & Forma (Subiectum .n. cum priuatione vnum numero est). Tria τῷ εἶναι siue τῷ λόγῳ, quia alia materiæ hominis, vel æris, alia priuationis ignorantiæ Musices essentia & natura est. Deest igitur conditio ὡσαύτως. Idem paulo ante. Materia prima est Numero vnum: Essentia & definitione seu ratione duo, quia priuationem omnium rerum perpetuo sibi coniunctam habet. Τῷ εἶναι igitur & τῇ οὐσίᾳ ei hic idem sunt. *Intellige autem quasi numero vnum, non vere.* Quia vere numero vnum actu est: Materia autem prima actu non est, (quia in potentia ad omnes formas constituta est, nec propriam habet) nõ vt τὸ δέ τι, quia τὸ δέ τι id demum vere dicitur, quod actu subsistit in rerum Natura.

Materia quasi vnũ numero nõ vere, & cur?

Quid vero τὸ δέ τι.

Contra veniet fortasse aliquis, vnum Numero seu ἀριθμῷ, & vnum essentia seu οὐσίᾳ, nihil differre, sed idem esse.

Respon. negate. Nam vnum Numero latius patet, quam vnum Essentia. Verbi gratia Subiectum & proprium reciprocum vnum numero, sed non vnũ essentia constituunt. Neque enim natura hominis eadem est, quæ natura Risiui (proprii Reciproci.)

IN ALIQVO ESSE.

Esse in aliquo vt in principio
- Materiali seu secundum materiam signatam, id est, certam. Sic materia huius carnis fuit pars animata parentis.
- Actiua, vt in parente fuerit vis aliqua generatiuæ & propagatiuæ huius carnis.

Esse in aliquo
- οὐσιωδῶς, essentialiter; sic Substantia vniuersalis inest singulari, Species & genus indiuiduis.
- ἐπουσιωδῶς, accidentaliter: Sic accidentia insunt subiecto inhærentiæ.

Esse in aliquo
- Vt absolute
- Vt respectiue

} considerato.

Esse, Vnũ, Verũ, Bonũ, seu essẽtia, Vnitas, Veritas, Bonitas, hæc quatuor duplici ratione in Deo considerari possunt. 1. Quatenus absolute est Deus, vt non sit causa seu nullo respectu ad causam, quam non habet (Ipse enim omnium causa, ἀναίτιος, id est, à nullo est).

2. Quatenus aliorum causa est. Insunt igitur Deo tum simpliciter, tum vt rerum causa est, vel respectu ad causam, quam nõ habet. Itaque Deus & omnis absolute perfectionis vniuersitas, plenitudo ipsius esse, *bonum* perfectum, sufficiens, maxime expetendum est. *Perfectum*, quia ei nihil deesse

Tres conditiones Boni Platoni in Phileb.

poteſt, qui eſt omnia. *Sufficiens*, quia hoc bonũ poſſidentib. nihil deeſt. *Maxime expetendum*, quia ab illo & in illo ſunt omnia, quæ ratione aliqua poſſunt expeti, & vt cauſa rerum, Entis, vnius, veri boni rationem habet.

Esse { Naturam in *Suppoſito*. / Suppoſitum *in Natura*.

Vnum Suppoſitum in duabus Naturis eſſe, Idem ſuppoſitum ſubſiſtere in duplici natura, in Diuinis eſſe vnam Naturam in tribus Suppoſitis dicitur perſonam verbi ſubſiſtere in Humanitate.

Natura humana extra vnionẽ ſubſiſtit in ſeipſa.

Perſona verbi eſt ſeu ſubſiſtit in humana natura aſſumpta Terminatiue, vt terminet dependentiam eius; ſeu non ſeparata ab ea, vel Perſonaliter, non effectiue tantum.

Λόγος ante incarnationem ſubſiſtit in ſe ipſo ſolo.

Aſſumpta natura ſubſiſtit ſeu exiſtit in Verbo Dependenter, vt imperfectum in perfecto, id eſt, dependet à verbo, ſeu innitur ei ſingulariter, hoc eſt, in Verbo perſonatur, ſeu habet eſſe perſonale.

Diuina natura eſt in λόγῳ vt eſſentia in ſingulari ſubſtantia Identice.

Verbum Diuinum ſubſiſtit in vtraq; natura, vt quod in quo, vt perſona in iis, quæ eius ſunt, vt compoſitum in componentibus.

ESSENTIA.

1. Eſſentia eſt rei cuiuſque ſimplex & omnibus proprietatib. atq; accidentib. ſpoliata cõſtitutio. De ea Canõ: Cõmunis: Eſſentiæ ratio ineſt omnib. indiuiduis. De Creaturis intelligatur hæc Definitio: Eſſentia eſt illud, ꝙ per ſe omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei commune eſt, quodq; totam ſingulorum eſſentialem perfectionem complectitur. Nam tres perſonæ Diuinæ, Pater, Filius & Spiritus S. Diuinam eſſentiam habent, neque tamen propterea ſunt eiuſdem ſpeciei indiuidua. Deitas enim de illis neq; vt Genus de Specie, neq; vt Species de indiuiduis, neq; vt pars de Toto enuntiatur. Auguſt. l. 3. Trinit. c. 6. Lombard. l. 1. diſt. 19.

Natura ſeu φύσις aliquid, vt ita loquar, magis compoſitum, quam οὐσία deſignat, id eſt, eſt eſſentia ſuis proprietatibus veſtita & coniuncta. Damaſc. l. 3. orthod. fid. c. 9. In Hypoſtaſi & perſona ἥτε οὐσία καὶ ἡ φύσις θεωρεῖται. Ita in Chriſti perſona non tantum ſunt ipſæ ſimpliciter οὐσίαι, Diuina nimirum & Humana, ſed etiam φύσεις, id eſt, ipſæ eſſentiæ vna cum ſuis proprietatibus coniunctæ, eaq; in eadem Chriſti perſona manent ſaluæ & incolumes minimeq; confuſæ.

2. Sæpe tamen eſſentia & natura pro eadem ſumuntur, & inter ſe ſæpe conuertuntur, quia natura eſt principium interdum (vt loquuntur) & formale, & per principium iſtud eſſentia cuiuſque rei completur & perficitur, vt cum in Scholis dicitur; Indiuidua eiuſdem ſpeciei non differunt in quidditate, vel natura communi.

3. Eſſentia nonnunquã accipitur pro ſubſtantia, ſicut & Natura, vt cum Auguſtinus facit aliud bonum Natura ſeu eſſentia, aliud bonum participatione.

Eſſentiæ nomen in Subſtantiis (compoſitis) ſignificat illud, quod eſt ex materia & forma compoſitum. Thom. Aquin. c. 2. de ente & eſſent. Sic & Auicenna. Eſſentia igitur compoſiti eſt compoſita, non ſimplex. Itaq; non eſt ſola Forma, (ſine Matetia) Homo tamen diſtinctus eſt à ſua quidditate ſecundum rationem, vt habens ab habito. Caietanus.

At Commentator 6. Metaph. comm. 21. & 34. opinatur materiam non eſſe partem quidditatis naturalis. Videtur & Ariſtoteles 7. Metaph. text. com. 34. & 37. Materiam à quidditate remouere. Sed Caietanus reſpõdet, Ariſtotelẽ ibi

non

non remouere materiã à quidditate, sed materiam particularem, & eas partes, quæ per accidens sese habent ad speciei intellectum, vt manus & pedes, verti gratia, ab hominis ratione, & has carnes, & hæc ossa.

Materiæ essentiæ Scaligero est receptiuitas: non igitur agit materia. Scal. ex. 61.

Aliquid finitæ essentiæ esse dicitur, quod continetur terminis suæ essentiæ.

Nihil finitæ essentiæ est extra terminos suæ essentiæ. Ergo non est in pluribus locis simul.

Essentia analogum alicui est plus quam simile alicui, vt pabulũ oportet esse simile, & quod amplius est, essentia analogum principiis constitutionis, inquit Scal. ex. 10.

Canon.

Fieri non potest, vt priuatio sit essentia rei positiuæ. Hic essentia quidditatem significat. Assume. Peccatum originis est priuatio. Et hinc conclude: Ergo peccatum non est essentia hominis. Contr. Flac. Illyr.

Chymicis essentia est simplex extractum è rebus tota sua natura perfectis productum. Ac distinguunt eam in Succũ & Mysterium seu Arcanum. Lex. Mart. Ruland. Vide vocem Succus in S. & Arcan. proxime in Quint. Ess.

ESSENTIA QVINTA.

Quinta Essentia 1. accipitur à Peripateticis pro Cœlo, quia iis Cœlum neque est calidum, neq; frigidum, neq; humidum, neq; siccum: seu pro essentia sincera & pura, vt natura ætheria: Alias cœlestis Substantia; sic dicta quia est aliquid præter Elementa, nec ex crasi horum ortum.

Philosophis Chymicis quinta essentia est Substantia, in qua purissima & sincerissima est crasis, seu natura, vis, virtus, spiritus & proprietas rerum à corpore suo per artem extracta. Seu Materia corporalis ex omnibus, quibus vita inest, separata, ab omnibus impuritatibus subtilissime purgata, in qua omnis rerum potentia & medicina est.

Quinta essentia animalium est, quę ratione mistionis ex partibus animalium extrahitur: Vegetabilium est, quæ ex vegetabilibus extrahitur: vt quinta Essentia vini; mineralium, quæ ex mineralibus conficitur, vt quinta essentia gemmarum, metallorum. Vide Lexic. Alchem. Martin. Ruland.

Distinguunt eam ab Arcano seu mysterio Specifico, quod est extractum naturę interioris cuiusq; speciei Substãtiã referens propius, vt in illa agnosci queat. Essentia quinta propter summam subtilitatem & nobilitatem videtur pene à sua specie ad classem ætheriorum deflexisse. *Sed arcanum specificum mistorum* substantiam, formamq; & differentiam specificam è corpore productam exhibet proprio. *Estq; materiale*: extractum specificum materiæ corporis vicinius: vel *Astrale*, quod est formalius.

De Essentia esse.

Præter consuetudinem & morem Philosophorum Iunilius Africanus Episcopus, qui claruit anno Christi 440. discipulus Augustini, in lib. de partibus diuinæ Legis, septem, ait, *esse de Hominis essentia*, quæ si consideraret Homo, in æternum non peccaret, materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, stat⁹ instabilis, mors tristabilis, dissolutio imserabilis, dãnatio detestabilis, & cõsideratio gloriæ ineffabilis. Ex Bernhard. de consider. Nullum horum proprie est de hominis essentia, excepta materia. Nam quæ de essentia rei sunt, sunt de rei ratione seu Definitione. Quæ non sunt de rei essentia, dicũtur esse extra rationem rei, sæpe etiam

rei accidere. Scaliger audiatur: Quantitati accidit informari. Non enim informatum esse est de essentia Quantitatis. Omne quod est de essentia, est essentiale: at non omne quod est essentiale, est de essentia, Essentiale enim id quoq; dicitur, quod essentiã insequitur. Quidã dicunt potentiã primã (primæ materiæ,) Esse de essentia materię, id est, esse rationẽ formalem seu quidditatẽ Materiæ: alijcõtra esse ei essentialẽ, id est, esse proprietatẽ quãdã naturalem Materiæ, ex eius manantem essentia. Vid. Perer. lib. 5. de Mater. c. 22. Nota hoc contra φιλοσόφους istos, qui cum volũt dicere, peccatum originis esse nobis Naturale, dicunt *esse De Hominis essentia.* Bene hi sentiunt, sed male loquuntur.

PER ESSENTIAM TALE ESSE.

Tale esse per essentiam à Scholasticis sumitur duobus modis. Vel enim dicitur Tale per essentiam, quod Tale est secundum modum primum dicendi per se. Ita Homo dicitur Rationalis per essentiam, quia Attributum Rationale conuenit homini definitiue, seu secundum primum modum dicendi καθ' αὑτὸ.

Vel dicitur, Tale per essentiam, quia habet aliquam rationem formalem, non per participationem, sed secundum vniuersam plenitudinem perfectionis, quæ tali rationi est consentanea.

Ἄλλως, etsi res eodem redeat.

Τὸ per Essentiam potest determinare subiectum vel prædicatum. Si determinat Subiectum, τὸ per essentiam distinguitur à quacunque re, quæ est extra subiecti Essentiam. Ita Homo dicitur Rationalis per Essentiam, quod non per aliquid extra Essentiam suam sit Rationalis. Sic voluntas per essentiam dicitur à coactione libera. Si vero τὸ per Essentiã determinet prædicatum, tunc quod tale est per essentiã (vt creator) ab eo distinguitur, quod est tale per participationem (vt creatura.)

Quid sit participatum?

Vocatur autem *Participatum*, quicquid habet aliquam rationem formalem, sed nõ secundũ absolutissimã plenitudinem perfectionis, eiusmodi rationi formali possibilis. Hinc apparet, illud quod dicitur Tale per essentiã primo modo, si perpẽdatur secũdũ significationem posterioris modi, dici tale per participationẽ: & quia omne participatũ ab imparticipiato depẽdet secũdum modum dicendi per essentiam, qui spectatur ex parte prædicati, dici posse causam primi modi, qui subiectum determinat. Id quod fit à Platonicis.

Ἄλλως, re eodem redeunte.

Id quod est Tale primo, quot Modis dicatur.

Quod primo Tale à Philosophis nominatur, ita solet appellari ob duplicem, vt ita dicam, Primitatem.

Est enim Primitas quædam in genere rerũ Materialiũ, secundum quam id dicitur primo tale, quod non est tale per aliud, id est, per aliud extremum. Aristot. Primo poster. ca. 4. seu, vt loquitur Mazonius, quod iuxra latitudinem speciei aut generis, recipit aliquod attributum, ita vt hoc extra illam non inueniatur: vt, habere tres angulos æquales duobus rectis, ita conuenit cuilibet triangulo, vt extra triangulorum species nulla alia sit figura, quę tres angulos æquales habeat duobus rectis. Esse animal rationale inter ea, quæ habẽt materiã; ita conuenit Homini, vt nullũ aliud materiatũ inueniatur, cui hoc attributũ possimus adaptare. Secundũ hanc igitur Primitatem Homo dicitur Rationalis, & triangulũ habẽs tres angulos æquales duobus rectis. Atq; hæc Primitas est *Primitas in certo genere.*

Altera Primitas non est in hoc vel illo genere, sed simpliciter secundum hanc appellantur ea primo Talia, quæ non sunt talia per aliud. Hic cum dicitur

Non

Non per aliud, excluduntur non tantū externa, sed ēt partes, proindeq; secūdū hanc significationē ꝙ est Tale ratione partiū, non est per se primo tale. Quapropter hoc modo nullū compositū ex materia & forma pōt esse primo tale. Quomodo enim, inquit Mazon. secundū istā significationē appellabimus Hominē primo Rationalē, qui est Talis propter animā? Aut quomodo dicemus triangulū habere primo tres angulos æquales duob. rectis, cū in eo nonnulla sint quæ nō sunt anguli? Secundo hoc modo primo Tale est Deus in quo omnia entia suo modo, qui eminentissimus est, sunt. Vid Mazon. l. 1. Philosoph. Plat. & Aristotelic. cōparationis, pag. 22. qui habet in se vnite, q̄ in inferiorib. sparsa & disseminata sunt. Primo modo Tali per Essentiā, opponitur tale per accidens, vt Volūtas hominis per Essentiam libera est, & habet δύναμιν ἀντιφάσεως, sed per accidēs determinatur & serua est, vt disputant Theologi & Ethici. Vid Iacob. Schegk. in Comm. in lib. Arist. περὶ ἑρμηνείας.

Vsus.

Quæritur, an Deus sit Bonus per suam essentiam, & quomodo?

Resp. disting. Aliquid dicitur Tale (ταὐτόν) *vel* quia id, quod tale dicitur, consequitur & quasi profluit ex essentia eius. Sic Homo est capax risus per suam essentiā. *vel* quia id quod Tale dicitur, ad eius essentiā attinet. Sic Homo est p essentiā animal. (Animalitas pertinet ad Hominis οὐσίαν) Iā Deus perfectione formali (id est naturaliter & quasi moraliter) bonus est per suam essentiam posteriori Modo.

ESSENTIALE.

Essentiale in Philosophia distinguitur contra accidentale, vt accidentale cōtinet omne accidens, siue sit proprium siue cōmune. Quare ita essentiale dicitur, ꝙ per se includitur in essētia rei, vt in composito χρήματος (rei seu Reali) materia & forma dicuntur ei essentialia: in composito vero λόγου seu definito, Genus & Differentia συστατικοὶ dicuntur partes essentiales rationis seu rei definitæ.

Theologi in Diuinis Essentiale opponunt Notionali. Essentiale est id, quod est Essentiæ (& re & prædicatione personis commune). Notionale dicit Relationem Internam Personæ ad Personam: Ac sic dictum est, quod pertineat ad notitiam distinctionis Personarū. Scot. in Quodlib. quæst. 1. Augustinus hac voce non est vsus, sed AD ALIQVID. In Deo nihil secundum accidēs dicitur. Nec tamē omne quod dicitur, secūdū essentiam dicitur. Dicitur. n. ad aliquid, sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem 5. de Trinit. c. 5.

Sed ad vsum Philosophicum redeo. Hic Essentiale primum est Essentiam constituēs, vt vita essentialis est, quæ essentiam rei viuentis partiatim constituit. Quę opponitur & vitę accidentarię, id est, vitæ functionibus (vt sensioni, &c.) & existentiæ animæ in corpore, quæ etiam vitæ nomen habent. Hoc essentiale Scholastici sæpe dicunt de essentia rei. 2. Essentiam comitans, cohęrens cum essentia rei (vt capax scientiæ cū natura hominis) quod à re, cuius est, separari nequit.

Essentia interdum opponitur Solennitati, vt Quædam pertinent ad Essentiā actus, quædam ad eius solennitatem. Exemplo sunt ritus in promotionib. Doctor. Scholastici D. quædā, inquiūt, pertinent ad essentiam Baptismi, quæ omittere nefas est: quędā ad solēnitatē eius, vt quędā ceremonialia, sine quib. etiam verum Baptisma confertur.

E S T.

Est denotat aliquod esse siue reale, vt Homo est doctus, siue rationis, vt Homo est cæcus.

Concipi aliquid ꝙ reuera nō est ad modū formæ existētis in subiecto, est esse ens.

rationis, vt si concipias cæci quasi naturam in oculo.

Interdum Est accipitur pro constat, vt hęc res est è principiis suis, id est, constat ex iis. Vide verbum Sunt.

Verbum Est duobus modis poni obserua: nempe aut nomini soli solum adiacet, vt Cæsar est; actum significatur eo rei existentia in rerum natura extra animam. Aut inter duo extrema quasi sequestrũ, vt Cæsar est albus. Hoc modo nihil significat, sed quasi nexus & copula est, qua albedo iungitur Cæsari, copulat autem cum antecedente vel substantiam, vel accidens. Vid. Zabar. de Propositi. Necessar. c. 4. lib. 1. Cæsar est. [Scholastici vocãt propositionem de secundo adiacente. Hic prędicatum non est re distinctum. Cæsar est albus] Propositio de Tertio adiacente. Hic prædicatum re diuersum seu distinctum est à subiecto.

Est Adiecti { Primi, τὸ est prædicatum. / Secundi, prædicatum adiectum subiecto post copulam Est.

Est pro significat seu sonat. Sic inquit ille, πάντα μία νοὶς, Id est, pro quo Scaliger, Id aũt sonat; omnia vnus puluis.

Est interdum idem est quod esse fingitur, vel esse præsumitur. Vid. Lexic. Iuridicum Caluini. Nam τὸ Est transcendẽs quid est. Modi dicendi Iurisconsultorum sunt; Quæstionis est, Rationis est, Consuetudinis est, Summæ æquitatis est.

E R G O.

Ergo, Igitur, interdum habent vim colligendi ex dictis. Interdum vim incipiẽdi tractationẽ vel argumentationem. Arist. 8. Phys. cont. 5. Ergo & hoc necessarium, aut facta, &c. Hic Aristot. argumentari incipit (Exempla infinita sunt, vbi insequitur propositionem vel diuisionem propositam seu institutam.) Similiter cum Aristoteles contex. 6. dicit, si igitur factum est mobilium, &c. Dictio Igitur non significat conclusionem, sed initium Deductionis ad absurdum.

E R R O R.

1. Error est falsa existimatio; est existimatio, qua approbatur vt verũ, quod falsum est, vel vt falsum, quod verum est, vel vt certum, quod incertum est, aut contra.
2. Est error à via recta deflexio. Iambicus senarius.

Error in Politicis Facti est, vel Iuris. Facti, cum quod factum est, factum nescitur, aut quod factum non est, factum putatur. *Est q3 vel proprii, vel alieni.*

Hic error est vel iustus, vel culpabilis. Iustus est cui nulla obiici põst culpa, quod errãs non habuerit rem notam, sed quia ignorauerit postmodum emergentia. *Culpabilis*, qui reprehendi potest propter culpam seu negligentiam inquisitionis veritatis: Prateius.

Error est, cum quis falso putat sibi quid per leges licere, quod non licet, vel non licere, quod licet. Brissonius.

Vlpianus vsurpauit errorem pro vagatione: sicut Errare interdum est idem, quod discurrere.

E R R O.

Erro in Physicis est Planeta, qui mobile illuminans, quod habet radiãtem naturam, est Dauidi Schramo: cui ab hoc opponitur stella fixa, mobile illuminans, habens scintillantem naturam.

In Politicis est Vagabundus, qui frequẽter sine causa vagatur, discurritq;. Tales sunt serui, nonnũquã & Scholastici.

E T, καὶ.

1. Primo proprie est copulatiua, id est, vi propria duas res diuersas coniungens, & ita aliquando accipitur pro Etiam.
2. Ἀκύρως ponitur pro vel Disiunctiua.

Sic

Sic accipiũt quidã in definitione Accidẽtis, Quod adest & abest præter subiecti corruptionẽ. Sic pro Vel accipitur l. sæpe. ff. de verborũ significationibus. Pra teius & Caluin. in Lex. Item Schardius.

Sic Aristoteles, Δεῖ βυλόμενον καὶ μὴ βυλόμενον ἄρχειν τὸν ἄξιον, id est, imperio dignum velit, nolit, imperare oportet.

3. Et Scholastici sæpe accipiunt pro Sed Aduersatiua. Vlysses erat facundus, & non formosus, id est, sed. Hebraismus hic est etiam frequẽtatus in libris Noui Test. Actor. 9. Saulus tentabat se adiungere discipulis, & omnes timebant eum, id est, sed, cæterum. Sic 16. cap. Et non siuit eos ire, id est, sed.

4. Ab Aristotele sæpe accipitur pro Declaratiua, hoc est, pro, Id est (quod dictu idem est.) Ac tum Scholastici dicunt duo verba coniuncta esse intelligenda in sensu cõiuncto, non in sensu diuiso, vt 1. Physic. Quoniam cognoscere & scire contingit circa omnes methodos, hoc est cognoscere, quod est scire. Ita amplum, hoc est, late patẽs & generale verbum εἰδέναι seu cognoscere contrahitur ad speciẽ per verbũ scire. Lib. 2. Phys. Actu existẽtes & singulares causæ, τὰ ἐνεργοῦντα καὶ τὰ καθέκαστα. Sic locutus est Aristoteles non tanquam duas conditiones coniungens, sed tanquam eandem declarans, ait Zabar. quia cum actiones sint singularium, non datur causa operans actu nisi singularis. Nec potest Græcorum verborũ esse alius sensus. Duplicatus enim articulus indicat esse eiusdẽ rei declarationem, non duarum coniunctionem. Ita Scotus quidam interpretatus est verba Cœnæ, Fregit & dedit, id est, dedit. λήρος.

Canones.

Vox communior sæpe contrahitur per alteram particulam sequentem interueniente ET, vt Principia & Elementa. 1. Phys. id est, principia, hoc est, Elemẽta: Methodus & artificiosa tractatio huius rei. Hic & ponitur pro Seu, seu Id est.

Communis antepositum minus cõmuni affirmatiue in sensu diuiso, facit nugationem, vt virtus & fortitudo: non sic in sensu coniuncto, quia posterius est declaratiuum prioris, vt virtus & fortitudo, id est, virtus, quæ est fortitudo. (appositiue virtus fortitudo, vt loquũtur Grammatici.)

Virgil.

Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ.
Hic *que* ponitur pro *Id est.*

5. ET aliquando videtur sumi partim copulatiue seu copulatim. Partim diiunctim, vt in Definitione Naturæ, cum dicitur. Natura est principiũ motus & quietis. Sententia enim est (Fonsecæ hoc placet) Natura est principiũ aut motus tantum, aut motus & quietis. Omnis enim natura propensa quidem est ad motum aliquem: sed quædam non solum ad motum, sed etiã ad quietẽ propensa est.

Sic Aristot. 2. de anim. Anima est id, quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus primo, Id est, Anima est, id, quo primo nos viuentes aut vegetamur tantum, aut & vegetamur & sentimus, nosq; mouemus loco, aut etiam intelligimus. Fonsl. 1. 1. Phil. c. 4. qu. 2.

6. ET videtur aliquãdo antecedẽti copulare præcipuũ. Arist. 8. Mor. Nicom. c. 13. Virtutis & Beneficẽtiæ præmiũ honos est. Indicat hic, inquit Piccolhomineus, honorẽ præcipue Beneficentiæ, id est, beneficiorum collatorũ in Rempub. præmium esse. Sed hoc rarius est.

Eadem per eadem.

ET accipitur { Proprie, Estq; particula Copulatiua.
Improprie. Estq; part. { ἑξηγητικὴ ideſt explicat, hoc eſt, ponitur pro Ideſt. Paulus Apoſt. Deum & Patrem, id eſt, Deum, qui eſt Pater.
Diſiunctiua, ſenſu { Simpliciter. Sic quidã accęperũt hoc Ariſto. Natura eſt principium motus & quietis, pro motus vel quietis.
Cum copulatione.

Iudicio Zabarellæ, cũ Ariſt. dicit, Anima eſt id, quo primo viuim⁹, ſentimus, loco mouemur & intelligimus, Et diſiũgit cũ copulatione. Itaq; quatuor illæ particulæ, viuimus, ſentimus, &c non ſunt accipiẽdę cõiunctim, ſed diſtributiue ſeu per diſtributionẽ, nõ ita quidẽ, vt ſingulæ à ſingulis diſiungãtur, quaſi dicendũ ſit, animã eſſe principiũ, quo aut viuim⁹, aut ſentim⁹, aut loco mouemur (ꝓgreſſionis motu) aut intelligimus, ſed ita, vt diſiunctio cũ copulatione ad partes antecedẽtes fiat, dicaturq; anima eſſe id, quo viuimus, aut etiã ſentimus, *aut præterea loco mouemur*, aut inſuper deniq; intelligimus.

ETYMOLOGIA.

Etymologia accipitur Grãmatica ſignificatione primo per Lexicologia, id eſt, integra doctrina Grãmatica dictionũ, & quidẽ hæc rectius ac melius dicereture Lexicologia, quã Etymologia. Deinde pro vera origine ſeu deriuatione vocis ex adſignificatione Grãmatica, vt Iuſtitia eſt à iuſti, addendo tia, albedo eſt ab albus albi.

Dialectica ſignificatione Etymologia eſt nominis interpretatio, ſic alb⁹ ab albedine, vt cõcretũ ab abſtracto, vt effect⁹ à cauſa, vt riuus à fõte. Hãc reſpiciẽtes Iurecõſulti quidã ius à Iuſtitia nõmen habere volũt. Logica Etymologia à Cicerone & Ramo dicitur Notatio. Cordatiſſimo Scaligero eſt vocis ratio, i. vis qua vox à voce generatur. λόγος enim hic poti⁹ rationẽ, q̃ locutionẽ ſeu verbũ ſignificat. Verã quidẽ Etymologiã eſſe neceſſe eſt, at rectã eſſe neceſſe nõ eſt, qua rectũ opponitur obliquo. Eſt igitur recta vel nõ recta, i. vox fit aut à recta, aut à cõtraria rectę. Notatio recta eſt è cauſa, effecto, ſubiecto, adiũcto, vel cõparato. *Iulius à magno demiſſum nomen Iulo.* Notatio è cauſa efficiente. Carnifex is à Latinis dict⁹ eſt, qui carnem facit ex viuẽte: Notatio ex effecto. Virtus appellata eſt à viro: Notatio à ſubiecto. Cic. Bãbalio ꝓpter hæſitãtiam linguæ ſtuporẽq; cordis, nomẽ ex cõtumelia traxit: Notatio ex adiũcto. Iurecõſult⁹ vocat Medicos deputatos Xenodochiis Parabolanos, quod ſint παραβόλοι, id eſt, proiectę audaciæ: Ex adiũcto. Planeta dictus, quod ſimilis ſit πλάνῳ, i. erroni, quod errãtẽ quodammodo imitetur. Ciceroni tamẽ placet hic notatio è diſſentaneo, quod certũ cõſtantẽq; ſeruãs motũ minime erret: Notatio è cõtrario, vulgo vocatur antiphraſis (quaſi dicas cõtraria locutio) Tales ſunt pauciſſimæ. Vulgo huc referũt notationẽ Parcarum, Luci, Belli. Parcæ inquiunt, dictæ ſunt, ꝙ nemini parcãt: Lucus, ꝙ minime luceat: Bellũ, ꝙ nihil habeat neq; bonũ, neq; bellum. Nõ alia ratione, inquit Eraſm⁹, bellũ eſt bellũ, quã Furiæ ſunt Eumenides. Sed mihi videtur Lucus appellatus, quod ꝓpetuis ſacrificiorũ, quæ ibi nocturno fiebãt tẽpore, ignibus luceat. Eſt enim dẽſum nemus arboribus, nõ cæduum, Deo alicui ſacrũ. Bellũ, quia fuit ab initio duellũ à duobus & inter duos, & licet poſtea multi fuerint milites, duæ tamen & vbiq; ſunt partes diſſidentes. Alii quidem malunt à bellua deductum, quod belluarum ſit, non hominum, in mutuum exitium congredi.

Sed

Sed belluæ Scaligero à bello ductum videtur, cũ bestiæ prius dicerentur. Eidem Parcæ (Deæ fatales) dictæ quod parcãt. Vna.n.tãtũ (Atropos) dicitur filũ incidere, duæ vero (Clotho & Lachesis,) altera vitã dare, altera vitæ tractũ cõtinuare (quod cõtinetur veteri versu nescio cuius; *(Clotho colũ portat, Lachesis net, at Atropos occat.)* A plurib. igitur fit nominatio: quin illa quoq; parcit. Sustinet enim aliatũ opus, quoad fatorũ iussibus pareat. Lib 3. Poet. Libitinã etiã Deã mortuorum Grammatici deductã volũt à cõtrario, ꝙ nemini libeat: sed suspicatur Scaliger nõ dictã primũ Libitinã, sed Labitinã (à λαβεῖν) ꝙ omnes mortales caperet tandẽ: Vespillones aũt seu Libitinarios, ex suo officioré durã meliore vocabulo feciſſe molliorẽ. Volunt & scholã dictã Ludũ, ꝙ non sit ludus, ꝙ longissime sit à lusu. Sed quid obstat, quo minus dicamus, ludũ dici, ꝙ pueri, qui exercẽtur ibi, quasi ludendo, exerceãtur & discãt? Refero igitur ad Notationẽ è Dissentaneis vocẽ Eumenides, & quidẽ verbis Scaligeri his: Antiphrasin verã esse fateri cogimur ex cognomento Furiarũ, quas Græci ἐρίννυας cum appellassent primũ, postea bene ominata voce εὐμενίδας nominare maluerunt. Εὐμενὴς aũt Latinis beneuolus: Eumenides igitur dictæ, ꝙ sint nõ Eumenides, id est, minimæ beneuolæ. Furiæ enim agitãt & insectãtur ĩpios angore conscientiæ, & fraudis cruciatu, qui significatur ardẽtibus earum tædis, de quib. est in fabulis. Ineptissimus est, qui deducit à mania. Si quis obiiciat, Etymologiam sæpe esse incertã, & super eadẽ voce aliã alii videri: Ideoq; tollendam. Ei respondeo, tam maxime esse inuestigandam, q̃ maxime latet obscuraq; est. Quid enim inquit Scaliger, occultius veritate? At inquiritur tamẽ & inuestigatur. Vid. cap. 115. de c.ll. Si de duabus, aut tribus quæras, vtra vel quæ verior sit? Resp. præferendam vicinam seu propinquam remotæ; eam quę per se est, accidentali; εὐλογωτέραν minus rationabili molliorem duriori. Calendæ potius à calare Latinæ formæ, vnde intercalare, quam ἀ καλεῖν. Verrea (festa Verris) potius à Verre, quam à verrendo. Mũdum potius dicimus, quod sit mundus, quam quod sit minime mundus. Impuritas enim inuecta est in eum per accidens propter peccatum: per se purum Dei opus est κόσμος. Quantum referat habere Etymologiam propinquam, ostendo vno exemplo. Politicus non est à voce πόλις, sed à voce πολίτης. Quid ita? Quia Politicus habet antepenultimam longam, vt polites lõgam penultimam. Si πολίτικὸς fieret à πόλις, antepenultimam habet longam.

Quædam à multis relinquuntur in medio, vt indefinita. Grammatici seu literati à Seneca nuncupantur Analectæ, qui lectione multa exercitati memoria sint firmissima, vt quicquid collegerint, vel audierint, vere habeant ad manum & in numerato. Alij deducũt ab ἀναλέγεσθαι, quia hoc significat concipere ac tenere firmiter (ἐννοεῖσθαι καὶ ἀναμβιβόλως ἔχειν) item sparsa colligere. Alii vero ἀπὸ τῶν ἀναλέκτων (ab Analectis,) quod veluti reliquias ciborum conseruent ea, quæ ex variis authoribus obseruarunt, quorum in censu & numero nobis sunt Macrobius & Gellius: sed quid si dicas & Analectas & Analecta esse à verbo ἀναλέγω vel ἀναλέγομαι (sicut Magister & Magistratus sunt à verbo Magistro, id est, moderor, teste Festo.)

Latro sitne à Latendo, an à latere, dubiũ. Camerarius *officium* dictum esse putat contracte, quasi *operificium*: aliis officium est ab efficiendo, quasi *efficium*. Alii malunt deducere à verbo officio (quod significat noceo) per antiphrasin, quod non officiat, sed

prosit, ita vt præpositio *ob* hic non contra, sed *circũ* significet, cum officio circa id versemur, quod nobis faciendum est.

Porro Notatio *est æqualis, vel inæqualis nomini.* Æqualis, vt cum recurrit cum nomine: Inæqualis, cum habet plus vel minus, quam nomen: quam distinctionem exemplis inexplicatã transcurro.

Excursus ad defensionem celeberrimæ & peruagatissimæ sententiæ, quod Eumenides dictæ sint per antiphrasin.

Vt non est temere standum etiam communium & peruulgatarum sententiarum præiudiciis, (Plat. in Phileb.) Sic non est temere plerorumq; omnium sapientum sententia abiicienda & deserenda. (Arist.) Ex harum numero est Furias esse Eumenidas καθ' εὐφημισμὸν, id est, bene ominandi gratia dictas notatione è dissentaneis. Quis enim bene doctorum Græcorum & Latinorum ἐτυμολογίαν, siue veteres, in quibus est Eustathius, siue recentiores spectes, idq; non abs re: scilicet Ethnici superstitiosi Furias proprio vt odioso nomine sæpe appellare non audebant, ne offensiores eas haberent, atq; iratiores sentirent. Hoc liquido appareret ex Euripidis Electra, vbi hæc legũtur: Miser Orestes prostratus in lecto decumbit, matris vero sanguis ipsum agitat μανίαισιν, id est, furoribus, ὀνομάζειν γὰρ αἰδοῦμαι θεὰς Εὐμενίδας, αὐτόν δ' ἐξαμιλλῶνται φόβῳ, Nominare enim vereor Deas Eumenides, quæ hunc certatim territant timore. Reddit hic rationem Electra, cur non dixerit Erinnyes, cum τὸ ἐρίννυες proprium nomen sit Furiarum, nẽpe quia id odiosius est. Itaq; Aristophanes etiam interpres mitiore nomine σεμνὰς θεὰς vocat, id est, seueras Deas & reuerendas. Σύμψηφός σοι εἰμὶ, κἠμοὶ ἀρέσκει (suffragor tibi & mihi placet.)

Inquit ex Platone P. Antesignanus Rapistagnensis in laudati modo loci explicatione. Furiæ infernales, Die Hellischen Plage Geister/quæ Erinnyes appellantur, quamuis Orestem ob patratum parricidium ardentibus tædis agitarent & insectarentur, Electra tamen ne illis offensioribus Orestes vteretur, in eas grauius quicquam dicere non audet, neque ipsas Erinnyas veto quidem, sed odioso nomine appellat, verum eas & θεὰς & Eumenides (εὐμενίδας) nuncupat, quasi beneuolas: εὐμενὴς enim, vnde εὐμενίδες, est beneuolus ab εὖ, id est, bene & μένος, id est, mens, virtus, robur. Reuera tamen Eumenides dictæ sunt per antiphrasin, quod sint minime beneuolæ, neque in illis bonus animus vel virtus conspiciatur. Hactenus Antesignanus p. 439. in praxi P.G quanquam hæc in iis virtus dici potest, quod velut Nemeseως (quæ Iustitiæ ἄγγελος seu nuntia apud Platonem) & Iustitiæ ministræ sunt vindices & vltrices scelerum, exagitantes facinorosorum conscientiam. Vnde hoc Poetę, (Ater an albꝰ sit ignoro) *Apuleius Apol.*

Quæ genere improbitas scelerum quasi pascitur omni,
Accersit Furias in sua fata graues.

Sic Hebræi sæpe vsurpant benedicere, pro maledicere, eadem figura. Taceo nunc, quod nostro etymo fauet literæ ἑαυτότης in fonte & riuo. Valeat igitur (nullo enim conuitio, nullo petulanti verbo, ex interdicto Legis Platonicæ & Christianæ vtar) qui contra me disputat scoptice, ideoq; Pseudophilosophice: Eumenidas dictas quasi εὐμανίδας, quod sint furibundæ. Sed, inquis; *Quod vetus est, fœtet, sunt magę grata noua.* Fruere igitur tu nouis, per me quidem licet, & patere interim me frui veteribus.. Non idem omnibus animis pastus. A me etiam est Isidorus originum l. 8. Verba eius hæc sunt: Apuleius ait eos κατ' ἀντίφρασιν dici

dici *Manes*, hoc est, mites ac modestos, cum sint terribiles ac immanes, vt Parcas, vt Eumenidas.

Excursio secunda ad asinum rudentem & rudientem.

De origine vocis *Ruditus* de asino quid dicam? siue asinus rudiat, siue rudat, mihi perinde est; at id mihi certum est, quod ruditus, qui asini proprius est, καταχρηστικῶς vero hominis & leonis, non veniat neque à nomine adiectiuo rudis, neque à verbo hoc rudire, à quo est rudimentum *di* longo, & erudire. Ista enim habent primam breuem, rudere vero, quod asini est, habet primã etiam longam, non tantum breuem. Persius.

Vincor, vt Arcadiæ pecuaria rudere credas. Rudere & peruulgatum vsuq; trium (πολυδρήκλητον) & à Lexicis, atque Grammaticis notatur, L. Apuleius Madaurensis (qui floruit sub Diuis fratribus M. Antonino vel Philosopho, & L. Aurelio Vero) l. 7. Metamorphos. siue de asino aureo, habet rudire, in exempl. quod prodiit ex officina Plantiniana Anno 1600. p. 198. Ego (asinus) porrectis auribus proflatilíq; naribus rudiui fortiter, imo tonanti clamore personui. Hoc imitatus est Caspar Peucerus in hoc (credo) Epigrammate scripto ad defensionẽ Phil. Melanchthonis: *seu Lexeographis.*

Non ego cum Furiis vlulatu, Asiníq; ruditu,
Grumitu porcis, cum canibus rabie,
Contendam; Christũ sed vera vocabo professus,
Hic iustus iudex, acris & vltor erit.

Si hic non videatur tibi satisfactum, suggero tibi hoc prouerbium. Asinus asino, & sus sui pulcer.

Excursus tertius ad Syllogismum.

Notatio Syllogismi est quod sit Sylloge, teste Zabarella: Etymologia à σὺν & λόγος, ait quidam præcox scriptor, est & ridicula, quia plus est in notatione, quam in ipso nomine. At ego dico hãc rationem istius esse falsam, quia sæpe plus vel minus est in ipsa notatione, q̃ nomine: & tamen notatio bona est, vt Geometria dicitur à dimẽsione, & tamẽ est ars dimetiẽdi cęlũ, ędificia: Grãmatica dicitur à primis initiis ipsius seu elementis, ἀπὸ τῶν γραμμάτων; & tamen hæ etymologiæ bonæ sunt. Nõ enim necesse est ἔτυμον esse adæquatum nomini. Scaliger, Homo ab ὁμῶς, id est, simul deducit, quod sit animal gregabile, & tamen solus homo non est tale animal. Actio Eucharistica dicitur Fractio panis à parte vna actionis.

Obseruatio.

1. *Sæpe aliquid nomen* habet à meliore nota. Exempli causa, ὀρεκτικὸν (potentia seu virtus appetẽs) appetitus & auersiones continet. Est enim virtus seu facultas prosequens aut fugiens, quod vel sensus exteriores aut interiores, vel mens & intelligentia coram obiiciunt, aut intus repræsentant. Sed nomen habet à meliore nota, vt appetitus facultas nominetur, non auersatio, aut vis auersatrix, cum vtrunque complectatur, vt dixi, & ὀρεκτικὸν sit potentia appetens ac auersans.
2. *Notitia primæ originis vocis* sæpe dubitationes & quæstiones explicat. Quæritur, cur dicatur Doctiusculus non Doctiorculus? Resp. Quia Doctiusculus, Fortiusculus ab aduerbiis primum ducta sunt: Doctiuscule scripsit, Fortiuscule fecit.

Quæritur, Adorare an proprie ad Deum spectet, & eius causa ad præcipuos Dei ministros? Affirmate respondent, quia deducũt Adorare ab adoreo, frumenti genere, quo in Sacris veteres vtebantur; vnde & adorea pro gloria: Ego tamen huic Etymologiæ, quæ Pri-

sciani est, illam præfero, quæ deriuat ab ore, vnde Verbum Oro. Signum honoris & venerationis est admotio manus ad os. Quæritur an Stultitia & stoliditas, stolidus & stultus sint vnũ & idem? Responderi põt affirmate ex eo, quod a stolonibus (id est, superfluis ramis enatis è radice arboris, Außsprützlinge) & stolidi & stulti nominati sunt. Sic Scaliger. Stolones sunt arborum pullulationes ab radice. A Stolonibus dicti sunt stolidi & stulti, primorem enim & hominis & plantarum ætatem nondum scitam veteres iudicabant; vnde ab illa prima emissione stolidos & stultos; ab ætate vero nondum satis composita dixerunt hebetes eos, qui tardi essent. Turnebus (quem authorem laudat in Lexico Ioh. Caluinus) aduers. l. 2. c. 23. hæc cõfirmans, Stolo, inquit, pro Stolido vsurpatur in quadam Ausonii epistola, & à Stolone Stolidi nomen esse ortum videtur: vltro etiam originem profitetur suam: sed iam non pores, ô Stolo, doceri, nisi si quis pro veteri & antiquo & sene positum putet, adiuncta tamen significatione stoliditatis & stultitiæ.

Liceat nobis hic animi gratia paululum saltare extra chorum, seu exspatiari ad Etymol. Germanicorum nominum virilium. Spero hæc collectanea nonnullis saltem non ingrata fore.

Nomina propria in Olff vel vlff desinentia, sunt Germanica.

Rodolff.

Rodolphus, Radulfus Latina terminatione Germanis est, Rathulff / à consilio & auxilio quasi consilii adiutor seu socius, Græce σύμβουλος, Alexibulus.

Ludolff, Leuthelff.

Ludolphus est Luidhulff (correpte Luitholdus) seu Leuthulff, Græce Αλεξάνθρωπος, vel Alexander, ab ἀλεξέω, id est, iuuo & ἀνὴρ, id est, Vir. Lude enim Hollandico & Westphalico idiomate, vel Leud. Diphthongo Sueuica, significat homines in numero multitudinis.

Adolphus.

Adolphus, Adelhulff gewaltige hulff.

Landolff.

Landolphus pro Landthulff / Terrarum salus, regionis auxilium.

Brandolfus.

Brandolphus, Brandhulff / hitzig zu helffen.

Gangolff.

Gangolfus pro Ganghulff prosperum auxilium, vel Gengehulff. Gandolphus videtur idem esse quod Gangolffus, vitiato G. pro D. Verso vocabulo Gãghulff dicitur Hulffgang (vt Demonicus apud Græcos Nicodemus, Dorothea Theodora) qui perperam dicitur Wolffgang / quasi lupum procedere dixeris: Hoc vitium existit è lingua Belgica, quæ etiamnum vocales ita torquet Huolffgangus / cũ vult dicere Hulffgang / quod aures imperitæ, minusque teretes accipiunt quasi Wolffgang. Wolff enim Lupus est. Quanquã videri possit Wolffgangus esse Wolgangus / Græce Eutyches, Latine Fortunatus.

Arnolff / Arnulff.

Arnolfus, Arnulfus, pro Ehrenhulff, honoris, honestatis, virtutis auxilium, qui iuuat & prouehit honestum. Sæpe enim Latini scribunt & pronuntiant A, vbi Germani E, vel diphthongum Æ habent, & aspirationes omittunt (vt Arnoldus Ehrenhold / der die Ehre lieb hatt / amans honestatis.

Marcolphus.

Marcolfus, Marckhulff / Ampthulff / vel merckliche hulff.

Menolphus.

Menolphus, Minulfus, Meinulfus, Meinulf; meum auxilium, salus mea. Myn enim Saxonice meum significat.

Didol-

Didolfus.

Didolfus, Dietolfus, Thietolfus, **Gotthülffe.**

Egenolfus, Eigenhulfus.

Egenolfus, Eigenhulfus, **Eigenhülfe**/ vt: Egenbrodus & Aigenbrotus, **Eigenbrodt**/ **der seine eygene Nahrung hat.**

Aristulphus, Hastolphus.

Est **Hasthülff**/ festinum auxilium. **Hast** Saxonice festinum, acrem, feruentem significat: qui lento, languido, torpenti, ignauo opponitur.

Ortolphus.

Id nomen fuit Duci Saxoniæ, Electori, & Dynastæ Lyneburgensi, **Ort oder Arthülff**/ vel, **ein hort da hülffe.**

Agilulffus.

Agilulffus, qui & **Eilhülff**/ id est citum, velox auxilium, idem fere quod **Hasthülff**. **Eil** enim significat festinationē, celeritatem. Vel quod hodie extat in vsu, **Eittelhülff**/ vitiose **Eittelwolff**/ quasi diceres plenum & merum auxilium.

Adolphus.

Adolphus valde deprauatum: **Hathülff** dici debet. Sic Latini Regem Longobardorum Athulffum vocant. Est autem Hatto seu Hætto idem quod Pater. Vnde adhuc hodie in Hassia pueri appellant patres suos Hatto A Italico seu E crasso & diphthongato. Ita **Hatthülff** est pater auxilians seu saluans. Et credo Cattos, quos nunc Hessos vocamus, prisco vocabulo Hattos, id est, Patres, & Hattiam patriam appellatam esse. Sic Episcopus ille Babenbergensis Hatto. Et alius Otto, quod idem est: Nam Otto sine dubio per Latinos, omissa aspiratione (sicut alias fere semper faciunt) pro Hetto seu Hatto deprauatum est. Ergo Imperatores illi tres Ottones debēt Hatti appellari: Hatto post Hatto regnauit tertius Hatto.

Nec mirum est linguā ab imperitis deprauari. Nam nos vicissim, regnante barbarie, Latinam linguam egregie corrupimus. Eadem ignorantia credo corruptum esse ipsum capitale nomen nationis nostræ, scilicet Germania. Verisimile est enim Latinos Historicos falsos esse in litera H, & eam pro G inspexisse & legisse, vel etiā auditu non satis discreuisse, cum fortis aspiratio H propinqua sonet literæ G. Igitur Hermanniam puto nostrā Nationem olim dictam, sicut & ille præstantissimus Dux, qui Augusti Legiones cæcidit, perperam Ariminius ab Italis dicitur, cum sit reuera **Hermann** adhuc hodie vulgatissimum nomen. Est autem **Hermann** vir exercitus seu Dux belli. **Heer** enim exercitus seu bellum est, vnde dicitur **Heerfarth**/ id est, expeditio bellica, vnde Hermanni, Hermannia, id est, bellicosi, bellicosa.

Idem vitium accidit nomini Segesto, qui socer fuit Hermanni, scil. pro **Hengst**/ corrupta litera H in S. Nam adhuc durat nomen cuiusdam Ducis Angrinorum apud Germanos, **Hertzog Hengst**. **Hengst** autem significat caballum vel equum bellicū, vt **Hengst** idem fere sit quod eques, vel Philippus, puta virum equestrem. Et Episcopus Colonienſis adhuc hodie se nominat Ducem Angrinorū, **Hertzog zu Engern**/ male Angriuariorum scribunt Latini. Et Anglia quasi Angria dicitur ab istis Angris seu **Engern**. Vnde & Anglia adhuc magna ex parte Saxonicam linguam habet.

Et aliis cogitandum relinquo, num & illud vocabulum Alemanni, Alemannia sit corruptum pro **Adelman**/ Adelmania, sicut ego suspicor.

Quibusdam etiam non displicet hæc alluſio, Adolfus, **Adelhülff**: id est **gewaltige Hülff.**

Brandolfus.

Brandhülff / hitzig zu helffen: qui opem fert in incendio, der erretet auß dem Brande.

Nomina in Werd & Precht *sunt Germanica.*

Wolwerd.

Fulbertus, hic est Wolwerd. Voluuerdus eadem emphatica compositione, Digne Dignus, Chare Charus.

Walpertus.

Walpertus, electione dignus, ἀξιαίρετος, Filius Wigberti, cui successit Erpertus, Dynasta Marggrauius Harciniæ, Anno Christi 881.

Ehrewerd/ Erpertus.

Aripertus Rex Longobardorũ, id est, Ehrewerd/Honoratus & Charus, honore dignus, honorius.

Liebenwerd.

Liebenwerd/id est, lieb vnd werd: sicut Liebhold/Rathülff / Hathülff: compositione Germanica. Ἀξιέραστος, χαρίεις, Gratiosus.

Werd.

Werd/id est, charum. Inde ciuitatum nomina: Dunawerd & Werd.

Wolwerd.

Et in Fœmino: Wolwerd / Walprecht/ Walpurg: vitiosissime, Eucharia, Gratiosa, Venus, Venusta. Walbertus Dux fuit Angriuariæ.

Wigberrus Dux olim Angriuariæ & Westphaliæ. Wipertus forte idem nomen est.

Kunewerd.

Gunibertus nomen deprauatum, sed optimi ominis. Est enim Kunewerd / id est, audax seu fortis, & simul charus, qui foris sit fortis, domi charus, & qui bello & pace floreat. Et componitur Kun circumflexe, & à Belgico, & Werd/fortis & charus.

Engelbertus.

Engelbertus, Engelwert/ Engelwart.

Humbertus, Humpertus.

Humbertus, id est Vnwerd / non charus. Extat familia nobilis, hoc nomine, & videtur Humilitatis virtute hoc nomen esse quæsitum, quasi diceret: Noli curare sublimia, præstat humili loco contemptum esse, quam Tragica gloria charum fieri velle. Et forte idem est Kunibertus, mutatis inuicem K.G. H. Belgico more.

Siegwerd.

Sigisbertus, hoc est, Siegwerd: id est, victor esto & charus simul. Nam victoria insolentes facit, sed clementia facit Siguuerdum.

Symprecht.

Symprecht / Symphorianus, ab quam prolixis & liberis deprauationibus, cum idem sit, quod Siegebert: M. pro G. posito,

Al. Zimprechtus, ziemlich prächtig / sicut Humprechtus est hohe pracht.

Lampertus.

Lampertus, id est, Lange vnd Werd: quod est diu charus, quia beneficia cito obliuioni traduntur. Et rarus vel nullus potius inuenitur Langevverdus, seu diu gratus.

Ruprechtus, Ruprecht.

Robertus, Ruprecht: vtrumque vitiose, sed Ratwerd dici debet, vt qui Rat vñ Werd sit, qui consilio valeat & charus sit. Sicut Tugewerd facto valet & charus est: Quia raro chari manent boni consiliarij, id est, vere Ratvverdi.

Est cui placet hæc allusio: Raupertus vel Ropertus, rawpracht / ropracht / da nichts.

Tanquerdus.

Gratia dignus, nisi forte corruptum putes è Danckmayr.

Fridebertus.

Fridebertus, Friedwert/Friedewarter.

Gilber-

Gilbertus.

Gilbertus, Wilfarter/Willfertig/ Gratificator.

Giſelbertus.

Giſelbertus, Geſellwarter.

Gisbertus.

Gisbertus, Gewißwarter.

Adelwerd.

Albrecht. certum eſt Adelwerd compoſitione appoſitiua, quaſi Edel vnd werd pretioſum & charum, ſicut gemmas vocamus Edelſteine/id eſt precioſos lapides. Werd eſt charum & precioſum. Et videtur iſta geminata eiuſdem ſignificationis emphaſin habere. Albrecht/ Alprecht/ vitia ſunt.

Sigibertus.

Sigibertus, Siegwerd/ Siegward/ Siegbracht. Axionicus, Nicephorus.

Heltwer.

Hildebertus, Heltwer/ id eſt, Heros charus & precioſus ſeu rarus, vel Holt vnd werd. Holdvverdus, Holdſelig hodie.

Tugewerd.

Digobertus, Tugeberd. Tugen eſt in precio eſſe, valere aliquid, vtilem eſſe, inde Tugent, virtus, valor, factum honeſtum. Sic dicitur: Er thet mir alle Tugent vnnd Ehr/ id eſt, exhibuit mihi omnem virtutem & officium. Dagobertus, Degenwerth oder Tagpracht.

Wigbertus.

Perſagio dignus, Dux Angriæ & Weſtphaliæ, qui vixit anno Chriſti 800.

Gutbertus.

Bonus, dignus.

Childebrecht. Childibert.

Childebertus, Geiſwart/ Pfenningmeiſter, vel potius Huldebert.

Adelbertus.

Adelbertus, Adelwerth, qui conuenienter ſplendori generis ſui viuit.

Eduardus.

Eduardus, Eidwerth/ digus iureiurando. Nomen Regis Angl.

Dietwert.

Dietvvert eſt Deo dignus vel diuini pretii Theodebertus.

Omnia Nomina in OLD *ſunt Germanica.*

Ernhold.

Arnoldus corrupt. Arionoldus, Germanice Ernhold/honeſt⁹, amans honeſtatis & virtutis. Sic hodie Cæſaris Caduceator vocatur Herold/id eſt, Ernhold/ qui virtutem & honeſtatem quærat, iuuet & ſeruet.

Leupold.

Leupold/ Hoc proprie dici debet Liebholt/ nomine compoſito, ſicut Rathülff/ &c. quaſi dicas, lieb vnnd hold/ amabilis & dilectus, Eraſmus, ἐράσμιος, Amandus. Lieb enim eſt Amatus vel Amabilis. Huld eſt gratia, qua diligo. Inde dicitur Holder bule, id eſt, chara ſponſa vel amica. Es iſt mir nicht hold/id eſt, non diligit me.

Luitoldus.

Luitoldus, eſt Leuthold/ φιλάνθρωπος.

Diepold.

Diepold. Hunc alii faciunt Theobaldum, alii Hippolytum. Sed Theobaldus nihil valet in vlla lingua; eſtq; certo figmentum. Si Hippolytus eſt, poteſt H. in D. mutatum eſſe, & tum non eſt Germanicum, ſed Græcum, qualia valde multa ſunt in Germania. Ego puto idem eſſe, quod Liebhold & Labdariſmo aliquo vitiatum nomen, quia omnes qui laborant Labdariſmo, pronuntiãt in Syllabæ initio d. & pene n quoque, cum tamen l, in fine ſyllabæ recte pronũtient, ſicut accidit & in litteram r, vt ſyllabam ab r, incipere non poſſint, & tamen bene poſſunt finale r, dicere.

Berthold.

Bertholdus (cognata mutata in cognatã) Werthulde/ dignus gratia, fauore. Fuit Rex Saxonum, interemptus in bello Francico contra Dagobertum geſto, Anno Chriſti 633.

Berchtoldus.

Bartholdus ludebat quidam, vmbs Barts vñ der Männlichkeit willen geliebt.

Reinholdus.

Reinholdt/ amor sincerus, rein holdt/ reine hulde.

Mechtildt.

Mechtildis, potens gratia, nomen fœm.

Omnia nomina in Mann/Mundt/Muth/ *sunt Germanica.*

Hermannus, Hermann.

Hermann/ de quo supra, quem Itali Ariminium corrupte dicunt, scilicet Dux exercitus siue bellator. Alijs Hermannus est ernmann.

Karlmann.

Carlmannus à Carl prisca voce, ait Scal. exerc. 266. qua robusti, Martij, fortesq; viri designabantur. Id enim est Carlman, quod Andreas, ἀνδρεῖος. Carolus ex Armenorum lingua est sumptũ. Illis Car est potuit. Carol potens. Saxones dicunt Kerle: vir proceræ staturæ & grandis corporis, qualem fuisse dicunt Carolum primum. Scribunt & Albertum, Ducem Saxoniæ, auum Augusti Electoris excelsæ staturæ proceritate & maiestate torosi pectoris conspicuum fuisse.

Hartmann.

Hartmann/ vir fortis, Andreas, Cratander. Hart enim durum, fortem, inuictum significat passiue, qui non cedit, sed perdurat. Cognatũ nomen Carlmanno & Carolo, significatione.

Est autem Mann componibile nomen, tam frequens in Germanica lingua, quam est vllum in Græca & Latina. Sic dicunt Haußmann / Ehemann/ Dorffmann/ Schwerdtmann: & fere quoties verbale nomen deest, componitur Mann cum verbo.

Segemann Sigemannus.

Segeman/ (quem Sigismundum dicunt longe corruptissime) quasi dicas Victor, seu vir vincens, vir victoriæ, vt loquuntur Hebræi. Nicander Græce victorinus. Sieg enim victoria est, siegen vincere significat.

Wogeman.

Bohemundus, Wogemann/ id est, Audax, Audentius, qui rem fortiter audet aggredi. Nam vitium scriptorum in Bohe certum est, cum Woge audierint. Bogemundus igitur rectius est.

Godelman.

Godelmannus, Theander.

Rygeman.

Raymundus eisdẽ vitiis dicitur pro Rygeman/ seu Rugeman/ id est, quietus, tranquillus, vir quietis. Hebraice *Noah*, sicut Numa Pompilius, Solomo sine bellis, &c. Aliorũ coniectura est Raymundus, rein mundt/ verschwiegen.

Thilemannus.

Thilemannus quasi Theilmann: Δίκαιος, ein Richter/ qui cuique quod suum est attribuit: der einem jeden sein Theil ordnet/ vel, der im Krieg die Beute außtheilet.

Hastmodus.

Hastmodus, Hastmuthus, hastiges Muths.

Omnia nomina in Rat, Art, & Hart *sunt Germanica.*

Rat per t est æquiuocum. Primo singularis tantum numeri significat consilium: non enim pluraliter dicitur, die Rete/ consilia. Inde Rathhauß / Rathhern, Curia, Senatores, Senaculum. Secundo significat ipsos consiliarios: inde pluraliter, die Rete: A Italico, seu Æ, diphthongo.

Tertio successum, fortunam, addita syllaba ge: Hinc gerahten/ vngerahten/ wolgerahten. Sed claret hoc esse derivatiuum à Rat.

Est & nomen Rad per d: plurale Reder/ id est,

id est, rota, rotæ, sed hoc nihil ad propositum. Sic igitur dicitur.

Gebardus, Gebhard.

Gebhard rectius Gebrat/qui potens est dare consilium, dator consilij. Alij ab Art gebe Art/Milde. Bonifacius.

Volrat.

Volrat/Wolrat / bene consulens, bona consilia habens, bonus consultor seu consiliator: Eubulus. Qui autem volet, potest dicere, Wolrat / id est, wolgerat fortunatus, felix, prosper. Sed non placet.

Conrat.

Conrat, Kůnrat accentu acuto in priore syllaba, & u Belgico, valens consilio, sciens consilium, consultus, qui potest consulere, prudens, prudentius. Hic per syncopé dicitur Kurt Kunz/Kunzlin/Kunzel/ in quibus indicat litera u/ esse dicendum Kunrat / per u / non per o. Kunnen, id est, scire, seu scientia valere. Scalig. exerc. 268. Conrad, inquit, idem est, quod audacia consulta, quæ quid aliud est quam Fortitudo?

Burgrat.

Burckardus, Burgrat/ Consul arcis, ciuitatis. Ciuitates enim Burg dictæ sunt. Et ciues, Burgenses, & adhuc hodie Burger.

Aliis Burckhard⁹ est Burghart/vnbeweglich wie ein Burg.

Eberhart.

Eberhart / rectius Oberraht / supremus Consul, Proconsul.

Reichart.

Ricardus, Ricardis, à diuitiis, quasi diues consuli, vel verius, Reckrat / consul inter Gygantes, nobiles Heroes: Recke enim significat proceros, magnos, Heroicos, fortes viros, Gygantes. Hunc hodie videntur appellare Kriegsrat.

Aliis Richardus est Reich art.

Richarda fœmina.

Olrat.

Olradus, hoc per se patet esse Altrat / seu Saxonice Oltrat/ Senior, Senator, vel Senatus, & dicitur forte contra iuueniles Senatores, qui in imperitia & stultitia sua euertunt Respublicas. Alioqui hodie dicuntur Altrat / Neuwrat/ qui per annuas vices succedunt in Magistratu.

Meinardus.

Meinardus, mein radt vel Meyenradt/ consilium fœcundum, instar Maij. Liceat hic coniectare.

Eckart.

Eckhardus, Eckart / sed mea imagine Hegerat / ab Hegen/vt supra, seruans, custodiens, prudenter & consulte. Et ille Odoacer ab Italis dictus, est Hetheger: Quia Dit seu Od, vt diximus, est Hatto, Hetto. Sic Hettheger est pater custodiens, seruans, tuens. Hinc Eck/ Wolffs Eck / rectius Hege / Hegio, Hulffshege / custodia salutis, salus custodiæ. Vel si à fortuna, Rat dici voles, erit Hegerat / seruans parta, quia Rat & Vnrat Germanice dicitur, quando res bene & male curantur, quasi per hoc bene vel male rei familiari consulatur. Sed prior Etymologia melior est.

Margrat.

Marquardus, crasse nimis, pro Margrat/ seu Marckrat/ consul Prouinciæ. Marck significat limites: ergo certæ Regioni limitibus suis deputatæ hic Margratus præest.

Frastrada.

Frastrada vxor Caroli Magni, est Best Rat/ optimum consilium, Aristobula Græce.

Tanctedus.

Tancredus est Danckrat.

Sieghart.

Hart significat robur, fest / starck. Sighardus igitur est victoriæ robur. Dux

Saxonum fuit & Angriuariæ, felix Bellator Henetorum, qui occuparunt ditionem, vbi nunc est Marchia Brandeburgensis.

Eberhardus.

Ex coniectura cuiusdam kühn wie ein wilder Eber.

Eckhardus.

Ex coniectura aliquorum, hart wie ein Eckstein.

Volckhart.

Volckhart / robur, columen, sustentator populi. Demosthenes, vel: Vnvberwindtlich am Volck.

Leenhart.

Leenhart/robur Leoninum, Lewenhart viriliter agens & impauide. Sic dictus est Leo Henricus Brunsuicensis.

Engelhart.

Engelhardus, Angelosthenes, Angelocrates. Aliud est Angeloerator, nempe qui potestatem & imperium tenet in Angelos, vt Deus.

Bernhart.

Bernhart / robur vrsi: vel Werderart. Axiogenes: Sic Bertha, quasi Werdta.

Edelhard.

Edelhardus Angriæ, Osnaburgæ & Iburgi Dux: Rex Saxonum, bellator infœlix, post plurima regno Francico illata damna victus à Carolomanno, Anno Christi 744.

Ehrhart / Erhardus.

Ehrhart / robur honoris seu honestum robur, qui viriliter honesta tuetur, Ehrnhart. Corrupt. Ariouardus, Ehrnvest / Marchio Saxoniæ & Thuringiæ, interfectus à Lothario, Duce Saxoniæ, hoc nomen habuit: sicut & Schnepfius, olim Theologus Academiæ Marpurgensis & Ienensis. Alijs placet Erardus, Ehrnart / honorati generis, honestæ indolis.

Degenhart.

Degenhart / robur virtutis, scilicet qui cõstans & firmus est in virtute, nec flectitur nec corrumpitur.

Gegen enim est à Dugen vel Dogen / valere, validũ esse, vt Saxonice dicitur: He is ein dõge nicht: homo nauci est: Er thet mir alle Ehr vnnd Dugent / id est, omni genere virtutis & officiorũ me affecit, Inde enim Dugent y Græco (Tugent alias) virtutes. Et est illud καθῆκον, quod Cicero officium vocat Latine.

Medardus.

Medardus, Mietart / Taglöhner / mercenarius.

Alardus.

Alardus, Olardus, allhart.

Gotthart Gotardus, Gothardus.

Gotthart / Gödert robur Dei, Gabriel: vel constans seu fortis in Deo: Nisi hoc velis ab art ducere, quod est ingenium seu natura: vt Gotthart sit Gutart / bono ingenio: Eugenius, Guter Natur / from̃ / vel Gotts art / vel per metathesin hart pro rath gutrath Aristobulus. Sicut & Reinart possit dici puro & pudico ingenio, Catharus, Catharinus.

Gerhard.

Gerhard gar hart.

Meinhard.

Meinhardus, Manhardus Hartmannus.

Hort.

Hort substantiue dicitur ab hart adiectiuo, firmitas. Sic Deum appellamus vnser Hort: vbi Hebræi Petram eum vocant. Inde hortig / hurtig / bonæ & firmæ valetudinis, sanus, vegetus, vel alacer, expeditus, impiger, accinctus.

Nomina in Mair *sunt Germanica.*

Hermeier.

Herimerus præfectus exercitus.

Marcomirus præfectus limitibus.

Leudtmeier.

Clodomirus corrupte Leudemehrer.

Tangmarus.

Danckmarus, Aliâs Tammo.

Vcromerus, Nomen affine nomini Acromerus, Ackermehrer.

Casy-

Casymirus.

Casymirus, Kastmayer/ Auffheber der Renten/ ein Schatzmeister/ Kesemeyer. Kostmeyer. Prouiandtmeister.

Cattomarus, Catumerus, Princeps fuit Cattorum.

Almarus.

Almar. Ita etiam Marchio quidã Montis ferrati nominatus est.

Audomarus.

Ademarus, Audomarus, Altmeyer/ der reich ist oder hat Meyer.

Waldemair.

Waldemarus, Woldemarus, præfectus syluis.

Britomarus.

Friedmayer oder Friedenmehrer: pacem augens, paci præfectus: Breytmeyer/ weyt vnd breyt regierendt.

Volmarus.

Volmarus, Vollmeyer/ oder Wolmeyer.

Viridomarus, Fridomarus.

Viridomarus, Fridomarus, Friedtmeier/ der Frieden handthabt.

Freymeier.

Veromarus corrupte Principis Cattorum nomen.

Richimer est Reichmeier.

Vadomarius.

Vadomarius, Vadomarus, Badomarus, Bottmayer/ Bottenmeister/ præfectus Tabellariis.

Dietmar.

Dietmarus, Ditmarus, Gottesmayer/ Gottes Haußhalter.

Nomina in FRID *sunt Germanica.*

Irmenfrid.

Irmenfridus est Hermanfridus, Rex Thuringorum, cõtra quem pugnauit Hatvigatus Dux Saxonum, Anno Christi 520.

Manfredus.

Manfredus, vir pacis, Manfrid.

Meinfridus, Marchio Brandeburgensis sub Ottone II. Imperatore.

Siffridus.

Siffridus, vel Sifridus est Siegfrid g, mutato in f, vel abiecto, facilioris pronuntiationis gratia, à victoria & pace, qui victoria pacem restituit. Fuit Rex Saxonum, victor Regis Daniæ, Anno Mundi 2960. Idem est Sivvartus, (vulgo Sibert pro Sigfred) per antistœchon & metathesin litterarum, nisi forte malis pro eo Siegswerd: dignus victoria.

Nomina in HVLD *sunt Teutonica.*

Mechtilda & Mechtildis.

Quasi Mechthuldus, mächtige Hulde/ vxor secunda Henrici Aucupis Imperatoris. Abbatissa etiam Quedlinburgensis.

Reinhulda.

Reinhildis, Reine Hulde.

Gunhildis.

Gunhildis seu Chunhilda, corrupte, gute Hulde/ vel gunne Hulde. Charisia, Eucharia, εὐχαρις.

Nomina in TRAVT *sunt Germanica.*

Gertrudis.

Gar vel gern Traut/ tota libens ve fidelis. corrupt. Gariotruda, voce dimid. Treuta à Treuw/ fides. Hinc Druydę (quasi πιϛοὶ,) peregrinantes & vagabundi Scholastici, quod eis tanquam sacerdotibus & sapientibus fides vulgo haberetur.

Himmeltraudis vxor quondam Ducis Sueuiæ & Bauatiæ Othonis.

Et in GANG.

Wolfgangus est Wolgangus, εὐτυχὴς. Wolauffgang/ Wolff/ contractum, wolauff.

Omnia Nomina habentia Brenn vel Bryn sunt Germanica. vt:

Brenno vel Brynno.

Brenno vel Brynno Dux Gallorum contra Rom. (Meminit eius Liuius in hist. Rom.) Et hodie frequentissimi vsus Brenno, seu verius Bryn y Pythagorico, vel uHollandico. Vnde **Brunßwig** seu **Brynßwig**/id est, arx Brenni (vt loquũtur.) Fortassis à Brẽno est Bruno, vt sint hæc vnum nomen.

Item **Brennburg**/ quod hodie per omnes aulas profertur corrupte **Brandenburg**. Nam ipsi ciues eius vrbis in Marchia adhuc hodie appellant eam ciuitatem **Brennburg** id est, castellum Brenni, non **Brandenburg**.

Est autẽ Brynn seu Brenn (vt antiqua carmina Heroum indicant) galea, præsertim cristata seu cornuta. Ergo Brenno est Galeatus. Et **Brennburg**/ vel Ducis Brenni castellum, vel Brennorum præsidium seu Galeatorum & armatorum ad tutandam regionem.

Apud Georg. Sabinum in hodœporico periphrasis **Breñburg** est, A Duce quę Brenno condita nomẽ habet. Ad hũc versum Crato Mylius sic. Vulgus, inquit, pro Brenniburgo pronuntiat Brandeburgum. Burgum vero significat propugnaculum ἀπὸ τοῦ πυργ ῦ. Et Brenuus idem est nomẽ apud Germanos quod Galeatus, vt veteres illæ cantiones testantur, quæ in Theodoricum Regẽ Gothorum extant. Significat igitur Brenniburgum seu Brennipyrgum equitũ seu Galeatorũ vrbem.

Hiltebrand.

Hiltebrand pro **Heltbrenn**/ id est, Gigas & Heros Brennorum, ceu caput & Dux eorum. Hodie **Haũptmann vber den Reisigen zeug.** **Helt** enim Heroem, vel vt Achillem vel Hectorem significat, Erat, qui diceret, Hildbrand quasi Heldbrand/ **entzündet mit einem dapferen gemüth.**

Luitbrand.

Luitbrand/ Rex Longobardiæ pro Lutbrenn, id est, hominum galea, qui homines armis tutatur. Diximus enim **Luit**/ **Lyt**/ seu Sueuice **Leut** significare homines numero plurali.

Aisbrand.

Aisbrand Rex Longobardorũ pro **Hußbrenn**/id est, domus tutor, seu qui armis domum & familiam tuetur. **Hueß**/ seu **Huß** accentu circumflexo Saxonice domum significat.

Fuchsbrand.

Fuchsbrand/ id est, **Fußbrenn**/ pedester miles, tamen Galeatus. Et videtur dici Relatiue ad **Heltbrenn**/ quasi hic eques Galeatus. Hodie **Hauptman vber das Fußvolck** vel **Weibel**/ Ille pedes Galeatus sit. **Fuß** enim circũflexe pedem significat. Vides ergo **Brenn** bellicam & militarem vocem esse.

Widebrand.

VVidebrandus, **Wittebrenn**/ cum ratione seu cordate prudenterq; galeatus.

Omnia Nomina in RICH *sunt Germanica.*

Baderich.

Badericus est **Baltreich** Regis nomen, cuius mentio fit in Chronicis Hassiæ à VV. D.

Friderich/ Fridericus; VVestphal.

Fredericus.

Friderich/ Pacificus, Salomo, Irenęus, Cæsaris Viridorix, Epidorix, quod per Lõgobardos iam Italicum factum est, siquidem & Itali Ric vocant diuitem. Est autem Rick seu **Rich** Sueuice **Reich**/ diues. Sic dicitur flumen piscosum **Fischreich**/ Terra fertilis **Kornreich**: pecuniosus, **Geltreich**.

Ericus, **Ehrrich**.

Arrigis Rex Longobardorum, **Ehrrich**/ satis frequens nomen, id est, diues honoris, qui in magnis honoribus est. **Ehrnreich**/ Honorius, ἀξιοτίμητος.

Heinrichus.

Heinrichus est **Hendereich**/**Heldenreich**/ à veteri **Hein**/ quo significabatur bonus bellator: quo explicatur etiam nomen

men Henningus, ein Heiner. Herricus, Henricus, Ericus, vnum nomẽ est. Ansericus fuit dux Saxonum.

Athanaricus (Vox quæ coaluit ex duab.) Otto Henricus Thuringorum & Hessorum Rex. In Chronic. Hess. Dilich.

Olrich seu Vlrich.

Alaricus Rex Longobard. quem nunc Olrich seu Vlrich dicimus; sed verius Allrich, id est omnibus abundans, panoplusios. Huldrich est aliud nomen vel fictũ potius de nouo. Et corrupte dicitur Childericus, Reich von Hulden.

Hattallrich.

Attalricus, Rex, &c. pro Hattallrich, / idest, Pater per omnia dines.

Genserich / Gensericus gantz reich.

Emmericus, Immerich.

Emmerich, id est, Immerich, semper dine, nunquam deficiens. Iul. Cæs. vocat Vercingetorix. Sed scriptorum vitio confusis, transpositis, & corruptis litteris. Voluit enim Saxonicum illud Hertoge Himric scribere, id est, Dux Henricus. Et postea Scriptores mutarunt H in V, & transposuerunt toge; Hinc & geto fecerunt. Sed vox hodie celeberrima, satis conuincit codicum mendas. Saxonice enim dicitur Hertoge Himric: Sueuice Hertzog Heinrich. Hertog seu Hertzog est idem quod Dux, ab Heer / id est, exercitu, & zog seu ziehen / id est, ducere seu proficisci in bellum. Significat autem Heinric id quod intus seu domi diues, seu familiarum diues, multorum pater & gubernator, velut si Abraham Hebraica æmulatione velis dicere, Patrem multarum sc. familiarum.

Dietrichus, Dietrich.

Dietrich / Græcogermanice Theoderichus, Godtreich dicitur à Deud seu Dud. y Pythagorico, vel u Hollandico, quo nomine dicuntur Germani Deum nominasse. Et Historici per T scribunt Teut / verum ipsa pronuntiatio adhuc durans testatur Deud seu Dud esse dicendum: Licet & ipse Cæsar semper T scribat, vbi D pronuntiatum audiuit ex ore Germanorum, vt infra dicetur. A hoc Deud dicimur nos Germani Deudisch, id est Deudici. Sed Saxonica Dialecto Dydich y Pythagorico seu u Belgico. Nam in talib. omnibus vocabulis spectanda dialectus Saxonica, qua olim tota Germania est vsa. Ita Germani à Deo suo nomẽ sumpserunt, quem Deud seu Dud appellauere, quemadmodum posteri eorum sese Gottos dixerunt à Gott / id est, Deo quem Gutt vocant etiam hodie illi ipsi Gothi, nempe Dani, Suedi &c. Sed tota Germania Gott. Nam Gotti fuerunt Germani. Sed quia tam Gott quã Gut / accentu circumflexo pronuntiatur, factum est vt eosdem & Gætas per Diphthongum Historici appellent. Gut vero significat, Bonus, bonum. Et apparet hoc nomen Dud manasse ex Hebræo Dõd, quod significat auunculum, amicum, amorem. Ita antiqui & primi patres Germanorum Deum voluerunt nominare Dõd, Amicũ, Amorem, Auunculũ, quemadmodũ Israelitæ eum Baal, id est, Herum, Sponsum seu Maritum vocabant, sed nec ipsum Græcum θεὸς longum dissonat à voce Deud seu Dudisch, si pronunties Teud seu Teudisch; Neq; dubium est Deus Latinum à θεὸς Græco venire, siue voluerint th per d Raphessare siue Daggessare. Nam alii T Raphessant per th alii per d: Ita est magnus symbolismus inter istas literas tenues, aspiratas, & medias. Inde nomen Diminutiuum Dõdle / quem Itali Totila vocant, sed Germanis vsitatissimum Dezel / Dizel / Dõzel / quia tz mutant Itali in tt, vt Hassia. Hattia Hatti, Hessi seu Chati. Non est dubium, quin Rex Dezel vulgata lingua dict⁹ sit ille Tottila. Nã Itali nõ scribunt Dezel / sed Dottel seu Tottila. Et sicut ille dixit, facete quidẽ, sed vere: Itali & Galli aliter scribũt, q̃ loquũtur;

& aliter loquuntur, quam sentiunt: Ita hic ore pronuntiant Dötzel / & tamen scribunt Tottila; pronuntiant Etzel / & scribunt Attila, pronuntiant Atzio, & scribunt actio: Pronuntiant lesere, asere, disere & scribunt legere, agere, dicere. Sed & Franci nostri adhuc hodie vocant Död Patrimum seu Patrem spiritualem, qui puerum è Baptismo susceperit.

Hinc est ille Didrich seu Dudrich / Gottes reich / diues in Deo, diuus, diuinus; Et θεῖος Græce seu Eusebius, pius. Theodoricus Rex Gothorum in Italia sub Imperatore Zenone magnæ auctoritatis viros Symmachum, & Boetium generum eius è medio sustulit.

Sigrich.

Sigricus quasi victoria & triumphis dives, Rex Saxonum circiter annum 1310.

Ginsericus.

Ginsericus, Gunstreich.

Dummerich.

Dummerichius est Thumreich / vel Dominus Ericus.

Helffreich.

Hulpericus Hulffreich / Helfricus, Chilpericus.

Almenrichus.

Almenrichus, Almehr reich / Immer vnnd Tag von Tag reicher.

Helmerich:

Helmerich, quasi Helmreich.

VVertrichus corrupte Berthorites.

Nomina in WICK / WIG & ICH *sunt Germanica, vt:*

Vitigis Rex Longob. Sed recte Wittich. Hunc Cæsar Diuitiacum vocat, Witte autem Saxonice est, prudentia seu peritia. Inde Wittich prudens, peritus, cordatus.

Eileke, Helicha vel Eilicha. Hoc nomen habuit filia Magni Electoris Ducis Saxoniæ & Luneburg. Al. Helena.

Hettowig / Hedwigis, Ludewig.

Hettewigis, per apocopen Hetta, Regina, rectius Hettowig Patris refugium. Wick / enim Saxonibus refugium significat. Inde Brynswig seu Brunswig / vt supra, Ita Osswig / Coswig / Herdwig. Ludouicus, sed male, Lydewig / Saxonice, seu Leutewig Sueuice, id est populi seu hominum refugium & solatium. Hunc Cæsar Lytauicum appellat, volens Saxonicum imitati, & A Italicum pro E crasso, & y pro v Hollandico vsurpauit. Hunc Galli crassissime vocant Clodoueum, inflata per guttur littera L, & Wick in veus mutato.

Heilwigis.

Heilwigis, salutare perfugium.

Hartwig, Hartwicus.

Hartwigius, Durum perfugium seu propugnaculum.

Merouæus & Merwig fuit Hessorum & Thuringiæ Rex Anno 450.

Willichius. (Sic & Ehlichius.)

Westphal. VVilcke VVestphalis, willig / promptus, paratusq;. Iodocus VVillichius Resellanus, superioris seculi lumen, fuit recht willig / promptus & facilis ad studiorum suorum liberalium cum discentibus communicationem. In Genealogic. Hieron. Heming. 2. parte.

VVilcke vel VVilckinus Princeps Saxonum post natum Christum anno 8. ad annum vsque 30, quo tempore Saxonũ Ductor fuit Harminius Cheruscus, qui anno Christi 12. Quarum vicit.

Omnia Nomina in WALT *sunt Germanica.*

Osswalt.

Osswalt / rectius Husswalt / gubernator domus, præfectus, œconomus, qui nunc in aula vocatur Hofemeister. Walt enim significat potestatem, Magistratum,

tum, vel gubernandi facultatem. Inde vox auſpicantium aliquid, **Daß Gott walt** / Deus gubernet hoc.

Bernwalt.

Bernthobaldus fuit Dominus Harciniæ, Aſcaniæ & Ballenſtedii, Dux militiæ contra Francos. Forte eſt **Bernhard**. Theobaldus.

Ehewalt.

Ehewalt ſyncopatum **Ebald**. Sed dicendum **Hegewalt** / qui poteſtatẽ vel officium cuſtodiendi & ſeruandi habet, **Hegen** enim ſignificat cuſtodire, Inde nomen **Heger** / quem nunc **Hoyer** / vitioſe dicunt, id eſt, ſeruator, cuſtos, ſeruatius Latine, in aula **Kemerer. Rentmeiſter**. Sic agrum, pratum, lignetum ſepibus circumſcriptum vocatur **gehegt** / ſcilicet quod ab vſu publico ſeparatum & cuſtoditum eſt. Et Cõſiſtorium, Tribunal ſeu ſacer circulus (vt Homerus loquitur) vocatur **B hegte B inck. Behegt gericht** ꝛc. Fortaſſe ſimplicius eſt dicere **Ehwalt** / quaſi in conugio felix.

Sebald.

Sebald Sebaldº, hoc eſt, **Seewalt**; accẽtu circũflexo in prima, eſt relatiue cõtrariũ **Hegwalt**: vt **Sewalt** ſit ille œconomus, qui foras exportat, ſeminat, plantat, arat, colit terram, rus, hortum & alia: **Hegewalt**, qui collecta, demeſſa, decerpta recipit, domum vehit, condit ac cuſtodit. Illum agricolam, (Græce Georgium) hunc promum dixeris.

Sigewaldus.

Sigewaldus, poteſtas victoriæ. Fuit Dynaſta Angriuariæ, Idem eſt Siboldus, per ſyncopen & antiltœchon.

Helmboldus, Helmwaldus.

Helmboldus, **Helmwalt** / Galearũ potẽs.

Wilibald.

Wilibald / **Billibald** / rectius **Vilewald** / id eſt, multis præfectus, multa gubernãs, quaſi ſupremus, vel maior gubernator, ſuper cæteros, **Veel** enim accentu circumflexo Saxonice multum ſignificat. Aut à bonitate **Wollwalt** / bene gubernans, velut ominis boni gratia (vt plurimum ſolent Germani) ſic vocatus.

Tipold.

Tipold / Theobaldus, ſed **Dietwalt** (per n Græcum) **Diet** (vt ſupra) dominium, poſſeſſionem ſignificat. **Dietwald** præfectus dominij, vel **Deutwald** / **Dudwalt** / Dei poteſtas, vt ſupra in **Dietrich**.

Gotwald.

Gotboldus, vel eſt Dei poteſtas, vel Dei annurus, ſeu volũtas, ſeu numẽ, Quod vult Deus, quidam olim dictus eſt, qui Carthaginienſi Eccleſiæ præfuit, eo tempore, quo Genſericus Vandalorum Rex Carthaginem expugnauit. Huius Quod vult Dei ſucceſſor fuit Deo gratias, presbyter, Auguſtino familiaris. Vide Th. 2.

Grimwalt.

Grimoaldus Rex Longobardorũ, **Grimwalt** / iræ poteſtas. Videtur Antiquis fuiſſe nomen iudiciarię poteſtatis, quę exerceat irã in facinoroſos, ſicut nunc eſt iudex, qui tradit tortori puniẽdum. Nam quod hodie **Richten** / **Richter**. dicitur, nouũ eſſe apparet, cum **Richten** proprie in bonum, non in pœnam ſonet, velut impedita & perplexa expedire & explicare. Eſtq; operatio propria intellectus; inde **Recht** / **Richtig** / ſicut lineam rectam, viam rectam, contra curuam dicimus. **Richten** igitur rectificare eſt. Inde **Berichten** dicimus hominem docere, informare, inſtruere, ex errore ducere. **Lieber berichte mich deß** / &c. Eſt igitur **Grymwalt** / iræ poteſtas. Et Itali uu in o mutant, ſono verborum capti.

Hettwalt.

Adoaldus Rex Longobardorum ab Otto ſeu Hatto **Hettwalt** / patris poteſtas, vice patris, tutor, patronus. Et hodie cauſidicis in vſu reliquum eſt **Anwalt** / quod an corruptæ n pro tt ſcriptum

& lectum sit, vt Antwalt pro Hattwalt nunc dicant, non satis scio.

Ratwalt.

Rodoaldus Rex Longobardorum. Hoc vel à Rat (sicut supra Rodolphus) Ratwalt, consilii potestas, consulendi potestas, Consul: vel à Retten / id est, saluare liberare, Rettwalt/redemptor, liberator, ereptor, sicut alius Rex Lõgobardorũ Rotharis dicitur, qui absq; dubio est Retter, id est, liberator, saluator.

Gerwalt.

Garibaldus Garnwalt (hodie volmacht) nisi forte hic ϛοχαστμὸς fallit.

Omnia Nomina in W J *N sunt Germanica.*

Richrin.

Ricuinus, victoriosus.

Volckwin.

Volckwin/Volcgewin, victor populorum, Nicolaus, Nicodemus.

Erwinus.

Erwinus, ehrnfein/ehrlich vnnd fein/ehrngewinner.

Eberwinus.

Ebervvinus est Obervvinus, Victorius. Victorinus.

Balduinus, Baldwinn.

Baldwin/Balduinus, cito vincens, eilentz Siegend. Es. 8. cito prædare. Vel Walewin.

Allewin.

Albuïnus, Alguinus, Alcuvvinus, Alboinus, Allewin/Allegewin, omnia vincẽs. Rex Longobardorum.

Handwinn.

Andoinus, si Italico more n pro l scriptũ est, idem quod Alboinus est. Illi enim scribunt Bononia cum dicunt Bolonga. Alioqui erit Handwin / id est, victrix manus, & inuicta bello dextera.

Gosswin.

Gosswin videtur esse Hussvvin/victor domorum, vitiata littera H per G. vt frequentissime fit.

Sed melius Josquin / quod nomen insignis Musicus in Belgio celebre fecit. Est autem Josquin diminutiuum à Jost seu iusto. Sic enim illi loquuntur blandiendo pueris, Justkin/ id est, Iustulus, Iustinulus. Nam quod Jobst quidam dicunt, est crassities superioris Germaniæ, qui etiam. Sanct. Jos vocant idolum & figmentum illud Anglicanum.

Vest.

Arionistus (sic Cæsar alij Ariouistus est Ehrenuest/ & est per syncopen Ehrnst. Ehrenuest autem hodie est titulus nobilitatis præsertim equitum auratorum, quod sint vel certe esse debeant honestatis tenaces & obseruantes.

Godschalcus.

Gotschalcus quasi Gottesschall (qui Deũ laudat seu canit) vel Gutschalck.

Marschallus.

Marschallus est Mehrer Stallherr. Mehrer est maior, superior. Si non fuisset corrupta illa vox, non esset opus nunc addere Archi, Ertzmarschalck / sed Mehrstallherr dedisset id; quod Ertz vel Archi, cum significet summum magistrum equitum, qui hodie titulus est Ducis Electoris Saxoniæ.

Wacker.

Hadvvackerus quasi Hatto vel Otto, alacer, vigilans, gnauus. Alias odoacer vel Audachairus, Dux Saxonũ in Germania. Vixit Anno (480. Normanorum & Cenomanorum littora infestauit, Alemanos in Sueuis domuit.

Rodtgerus.

Rotgerus, radt gern/ἐυβυλος, vel radtgier/cupidus consilii.

Bruno.

Sunt quibus placeat Bruno à colore fusco in facie. Sic Schvvirtzelius à subnigricante colore.

Hugo.

Hugo, Hoch esse videtur.

Hai-

Haimo.

Haimo, Der stets daheim. Henno est à voce Iohannes.

Hartingus,

Hartingus, Hart gesundt.

Cuno.

Chuno, hertzhafft. Sic Cunzo thun zu / der vngeschrocken angreiffet.

Amalasvitta.

Amalasvitta est Himmelsvitte / Himmelswitte / pro Witze enim Saxones dicunt Witte; Græce Vrania, Theodidacta: Latin. Diuinitus erudita cœlestis sapientiæ. Quod si à Cœli albedine deducas, erit Serena. Nam Witte etiam est albedo, candor.

Helm.

Anshelmus, Manshelm / mennlicher Schutz / vnser helm / vnser Schutz Fürst. Guilielmus, Wilhelmus, à multitudine galearum, vel volens galeas, quasi Galeatus.

Franck.

Francus, Frãciscus, Liber, Liborius, Liberius, ἐλεύθερος, per syncopen seu synalœphen à fry & Anck, quasi fryanck. Saxon. frey diphthongo Sueuica est liber adiectiue. Ancke est adolescẽs iuuenis. Et Enckel Enckle diminutiue dicitur adhuc iuuenis arator, seu aratrum gubernans, vt appareat Francos fuisse pubem seu iuuentutem, quæ se forte seruili bello per seditionem in libertatẽ asseruerit. Die Freyen knaben / Freyen gesellen / die Freyen Bawren. Franciscus Græca imitatone Diminutiuum est, Frenckel / Frencklin / Frenckle / Frentzle / Germ. Das Freyblüblin freyknäblin. Et Galli adhuc Vrancum seu Francum arbitrium freyen willen liberum arbitrium dicunt.

A Græco enim παῖς est Pædiscus, παιδίσκος, παιδίσκη, adolescentulus, puella.

Beroaldus.

Beroaldus, quasi Bernhart / der starcke held wie ein Beer.

Rabanus.

Rabanus ein Raubhan / vel Coruinus Ramanorum.

Vod, Bodo.

Vogt Voitus, Satrapa, præfectus rebus alicuius, Toparcha, tutor, curator.

Ratbodus.

Ratbodus, Ratbotus, Rex Phrysiæ, Radtvod. Fuit eiusdem nominis etiam Dominus ad Visurgim & Albim.

Marobodus.

Marobodus, Marbodus, Marobaudes, sic Laitni; sed Germani Mehrer Vod, per syncopen Mehr Vod / circumflexo accentu, licet crassilingues Germaniæ superioris deprauent in Vogt. Est aũt Mehr maior. Vnde adhuc S. Iacobum Maiorẽ appellant S. Jacob den Mehrern. Et Morauiam nos Mehrern dicimus hodie, sortitam scilicet hoc nomẽ ab ipso Marobodo, id est, Mehrervod. Vod vero venit à Vöden, quod est fouere, alere, enutrire, sicut Parentes alunt liberos & animalia suos fœtus. Marabodus igitur est Alumnus maior, superior, eminentior, qui reliquis Vodis inferioribus præest, der Mehrervod. Sic Principes debent esse Vodi, Hetti, Döde / Hettlin / Dötzlin / alumni, Patres pastores, Dii populorum.

Hinc & quædam regio dicitur Vodland: nunc corrupte Voldland / seu Vogtland quod ea fuerit forte prouincia per vnum Vodum administranda.

Porro à Vöden Ph. M. deducit feudum, seu vt scribit Bonauentura in sermonibus suis, Feodum. Extat & nomen proprium Bodo, quod est ipsum Vod, Fodor pastor, altor, educator.

V N S.

Alphonsus, Alfonsus, Valde prope est, si non ipsum est Helffvns / adiutorium nostrum, quia Itali adspirationes omittunt, & A ex E faciunt. Sic Anshelmus, vns helm.

Kind.

Widekindus, à Witte Saxonũ, quod est

prudentia, peritia, Misnice Witze. Fuit Rex Saxonum & Dux Angriuariæ, qui Witebergam condidisse existimatur.

Theudelma, &c.

Theudelma, Dudelma, Dudlin, Dydelma, à Deud Dud/ Död/ scilicet paruula Dea, sicut Totilla seu Dœdle, paru⁹ Deus. Eadē est Detzelina, Ditzeline, Eusebiola (vt ita dicam) piuscula, diuula, diuinula. Tottilla est Dötzel siue Detzel à voce Död per diphthong. œ. Sic enim Franci dicunt Mein Död / Död autem vel Deud est nomen Dei. Ergo Totilla est Dodla, Dötzel quasi Deūculus, paruus Deus, minor Deus, qui est sub vero Deo, Gottlin, mutatione tt in duplex ſſ vel z seu Hebraicū Thau. Historici hunc vocant Taxillo vel Thassillo, satis crasso gutture.

Idem factum est nomini Attila, quod Hettila seu Hettle potius dici debet, & per Thau fit Hötzle / Hötzel. Est.n. Diminutiuum ab Hatto vel Hetto & Hota, qui amissa aspiratione Otto. Oettle diminutiuum est, vrbs regia in Hungaria Buda seu Ouen, Germanice dicitur Hetzelburg, arx Attilę seu Hettilo, quia Hettila Rex Hunnorum ibi regnauit. Est autem Hattila paterculus, paruus, Pater, Vätterlein,

Heidis.

Adelheidis, nobilitas, εὐγένεια, Eugenia, ab Italis dicitur Aloisia.

Lutgarda.

Lutgarda vel Luidgarta, vxor Ludouici 4. Imperatoris, item abbatissa olim Gandersheimensis.

Dummorius.

Dummorius, Dum ohr / das jhme nichts sagen leßt.

Adolarius.

Adolarius, Adelart.

H E R.

Luther.

Lotharius.

Cæsar hunc Lutherium vocat. Est Luther freqnens adhuc hodie nomen in Germania, præsertim in Saxonia. Significat autem herum seu dominatorem hominum, Cyriandrum. Lude enim Saxonice homines significat, herr herum seu dominum. Sed Cæsar D in T solet mutare, forte propter frequentes aspirationes, vel alias causas. Quare & hic est V Hollandicum seu Y Pythagoricum. Deinde th est D. tenue & molle. Deniq; Saxones in hunc vsque diem vocant Lotharium optimum illum Imperatorem Keiser Lydherr, seu Ludherr: quod si Sueuus audiret pronuntiari, faceret ex ipso Lidher. Nam ipsi ex y Græco faciunt nonnunquam i Latinum. Cæsar autem volens per aspiratam reddere proprie Ludherum, occasionem dedit, vt postea facerent Lotharium crassilingues. Hodie faciūt Lutter / Lotter / &c. Hinc Lotharingia, Lutheringen / id est, Ludheri mansio à nepote Caroli Magni ab Historicis Lothario dicto, nunc dicunt Lottringē. Est cui Lotharius est Lenhart, humanus, Sittsam / Lauther / der sich hören lesset.

Gunther.

Guntherus, Gunther / est Gunsther.

Wernher.

VVernherus, VVernerus.

VVelterus.

VVeltherus Weldtehr. Sic' VValterus, Waltehr oder Waldherr: Vel Gualtherus, Gewaltiger Herr.

VVerder, VVerter.

VVertherus, Werter her. Al. VVartherus. Fuit Rex in Franconia.

VVeiterus.

VVeiterus, Weitehr / Weitherr / εὐρυμέδων. Poet.

Vlfar

Vlfar.

Pro Hylferus vel Hulfarus, est Hulffer seu Helffer/Sospitator, salutifer, auxiliator, Soter, Alexis, Alexius, Iosua, Iesus, Esdras.

Langerus, Langer.

Langerus, Lang ehr.

Rotger.

Rotgerus, radtgern.

Gelder.

Geldenus vel Geltherus, Rex Saxonum, anno Mundi 3300.

Iring, Yringus.

Iringus, Ehr ring/der nach Ehren ringet.

Pipin.

Pipinus à pipen/quod est osculari, osculũ seu suauium dare. Poppo.

Ericus.

Ericus nonnullis videtur esse Henricus propter faciliorem pronunciationem, omisso N, qui & Herricus N mutato in R, ἐυφωνίας ἕιεκα (sicut pro Conradus dicitur Corradus.) Dictus quasi Hendreich. Notatio hæc inde quoq; enadit probabilis, quod quidam Rex Saxonum cum ducere vellet desponsatam Danorum Regin. in sacris nuptialibus ab eodem interfectus A. M. 2920. ab aliis Henricus, ab aliis Herricus, vel Ericus vocatus est.

Ambiorix.

Ambiorix, Amptreich/ein Ober Amptman.

Childericus.

Childericus est Huldericus & contracte Ulrich/Reich von Hulde.

Burg.

Adelburga, vxor VValperti ducis Angriæ.
Ingelburga, Engelburga, Angelopyrga. Hatheburga.
Gerburga, vxor Giselberti Ducis Lotharingiæ.

Lach.

Gerlach/Gerlacus, Gerlachius, garlach oder gernlach/frölich.

Gast.

Arbogastus, Erbgast/zukömling/aduena, der ein Gast ist ins erbe.

Ding. Dingus.

Hundinguse st Chundingus, Küner ding/ Cunerdingus, audax vel potens seu valens rebus, absorpto C. Fuit Dux Saxonum victus circa Stadã à Rege Danorũ & interfectus in monomachia A. M. 3130. Rothingus, consilium in rebus.

Lauff.

Aistalaphus, Hastlauff/Schwinderlauff.

Lieb.

Gottslebius/& Gottlebus, Θεόφιλος, Theophilus, vel Θεόχαρις, vel Deo Charus. Est & nomen mulieris Gotslebia.
Pharemundus, Waremundus Rex Franciæ sepultus Frãcobergæ Anno C. 426.

De finitis in tz.

In tz sunt contracta vel apocopen passa. Heintz & Ritz pro Henricus vel Ericus, Dietz pro Diderich/ Gutritz / Euritius, nomẽ hoc Cordo Poetę Hasso. Cuntz pro Cunradus; Fritz pro Fridericus: Lotz pro Ludouicus: sed & peregrina contrahuntur. Nam Jan/ Hans/ Matz/ Bartel/ sunt Iohannes, Matthæus, Bartholomæus. Sic Moritz/ Frantz/ à Franciscus & Mauritius. Sic Apocopen passum est Truchseß pro Trugsessen.

Guastaldus.

Guastaldus officii nomen est in iure feudali: de quo vide Lexicon Ioh. Caluin. Vito Amerbachio significat procuratorem domus & rei familiaris: ac putat is factum nomen à Guast, id est, hospes, vel hospitium, veteri Germanica & Gallica lingua, & halten, id est, tenere.

E X.

Ex proprie Loci vel Materiæ nota est, vt; Mulier est ex viro, vir è limo. Cic. de vniuers. Animum ex sua mente & diuinitate genuit Deus.

Abusiue ponitur pro A, & notat Dependentiã. Sic ἐξ ἀρχῆς & ἀπ' ἀρχῆς sunt Synonyma, id est, à principio. August. l. 2. de anim. & eius origine ad Petrum Presbyter. Omnis natura vel Deus est, qui nullum habet authorem; vel ex Deo est, quia ipsum habet authorem. Sed quæ habet authorem Deum, ex quo est, aliqua facta est, aliqua facta non est: quę facta non est, & tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ab illo. Quæ genita est, Filius est vnicus. Quæ procedit, Spiritus Sanctꝰ. Et hæc Trinitas vnius est eiusdemque naturæ. Nam hæc tria vnum sunt, & singulum quodque Deus, & simul omnia vnus Deus immutabilis, sempiternus, sine vllo temporis initio, sine termino. At vero illa natura, quæ facta est, creatura nuncupatur, creator autem Deus. Creatura igitur ita esse dicitur ex Deo, vt non ex eius natura facta sit: Ex illo enim propterea dicitur, quia ipsum authorem habet vt sit, non ita vt ab illo nata sit, vel processerit, sed ab illo creata, condita, facta sit. Idem Augustin. de vera Relig. lib. Nulla vita est, quæ non sit ex Deo, quia Deus vtiq; summa vita est, & ipse fons vitæ.

Ex ipso generalius quam de ipso.

August. de Natura Boni aduers. Manich. l. vno c. 28. Non ex Deo sunt peccata, quæ naturam non seruant, sed vitiant: quæ peccata ex voluntate esse peccantium, Sancta Scriptura testatur. Et cap. 27. Id est à Deo, à voluntate, Eod. l. c. 26. Augustinus pro eo, quod nos dicere solemus EX NIHILO, dicit De NIHILO, & distinguit inter Ex Aliquo & de Aliquo, vt inter Genus & speciem. Verba Augustini hæc sunt. Quia Deus omnia, quæ de se non genuit, sed per verbum suum fecit, non de his rebus, quæ iam erant, sed de his, quæ omnino non erant, h.e. de nihilo fecit. Ita dicit Apostolus; Qui vocat ea quæ nõ sunt, tanquam ea quæ sunt. Apertius in lib. Machabæorum scriptum est: Oro te, fili, respice ad cœlum & ad terram, & omnia, quæ in eis sunt, vide & scito, quia non erant ex quibus nos fecit Dominus. Et illud quod in Psalmis scriptum est: Ipse dixit, & facta sunt: Manifestissimum est, quod non de se ista genuerit, sed in verbo & imperio fecerit. Quod autem non de se, vtique de Nihilo. Non enim erat aliquid, vnde faceret; De quo apertissime Apostolus dicit. Quoniã ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso autem non hic significat, quod De ipso; Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso. Non autem omne quod ex ipso est, recte dicitur de ipso. Ex ipso enim cœlum & Terra, quia ipse fecit illa, (ex ipso, id est, ab ipso) Non autem de ipso, quia non de Substantia sua sicut aliquis homo si gignat Filium, & faciat domum, ex ipso Filius, ex ipso domus (ex ipso, id est, ab ipso Filius, ab ipso Domus), Sed Filius De ipso, domus de terra & ligno. Sed hoc, quia homo est, qui non potest aliquid de nihilo facere. Deus autem ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ naturaliter sunt, non opus habebat aliqua materia, quam ipse non fecerat, adiuuari omnipotentiam suam. Idem August. cap. 1. de natura Boni. Summum bonum Deus est. Cætera omnia bona non nisi ab illo sunt, sed non de illo (id est, eius Substantia.) De illo enim quod est, hoc est quod ipse est: ab illo autem quę facta sunt, non sunt, quod ipse. Et paulo post: Tam omnipotens Deus est, vt possit etiam de nihilo, id est, ex eo, quod omnino

non

non est, bona facere. Hic De & Ex non sunt notæ materiæ, sed ordinis.

Accipitur etiam Ex pro eo, quod merito vel propter, vt: hoc attribuitur Enti ex substantia, id est, merito & beneficio substantiæ, vel propter substantiam.

T: Ex stricte etiam accipiunt pro SECVNDVM, & opponunt ei contra, vt virtus est ex natura (pura rectaque) quia congruit naturæ non corruptæ prauitate: At vitium est contra naturam, quia nocet naturæ. August. lib. 11. de ciuit. Dei, cap. 17. & Lud. Viu. in commentar.

Ex in Compositione interdum habet significationem Perfectionis, interdum ἀπαρτίσματος seu imminutionis. Sic expleri interdum est exinaniri (Donatus putat apud Terentium explere pro exinanire positum esse,) quod vsitatius dicimus cum Columella, Deplenii, lehr gemacht werden. Sæpius etiam expleri est penitus impleri, quæ significatio priori est contraria. Sic Cicer. Explere auaritiam pecunia. Hic dubites, cum Ouidius dicit:

Expletur lacrymis, egeriturq; dolor.

An expletur sit depletur, an impletur.

Sic eleuare est modo extenuare, ἐκφαυλίζειν, modo attollere, μετεωρίζειν.

EX SE.

Ex se sæpe idem est, quod A se, Græce ἀφ' ἑαυτοῦ. Ei opponitur καθ' αὑτὸ per se. Huic ἀντικειται per Aliud. Christus per se ipsum, non per alium, locutus est, per seipsum venit: Neq; tamẽ à à se ipso locutus est, neque venit à se ipso. August. 12. Confess. Materia est ex se informis, & immutabilis, id est, secundum se, non tam ex se, quam ex commutatione eorum, quæ in ea versantur, apta cognosci à nobis, id est, per se ipsam. Porphyr. l. de occasionibus, cap. 11. Materia prima ex se incorporea est. Perer. l. 5. de mater. cap. 11. Ex se nullam habet formam. Materia ex se non habet quantitatem determinatam.

Malum ex se nihil est, & non habet esse nisi fundetur in aliquo bono. Ipsum enim esse, sine quo malum constare nequit, bonum est.

Ex se interdum apud Auerroem significat A se. Hoc mouetur ex se, id est, à se ipso, à motore interno.

Vnum Ex alio (præcedente:) Fit seu fieri dicitur

- Proprie Ex aliquo modo remanente in eo, quod fit
  - Vt ex eo, quod perficitur, vt scyphus ex auro, vir ex puero.
  - Vt ex eo, quod dissoluitur, nec remanet in eo, quod fit, nisi materialiter, id est, ratione materiæ. Sicaer fit ex aqua; ex materia ea, quæ non homo est, homo.
- Improprie Ex prorsus pereunte. Hoc proprie post illud fieri, seu potius ei succedere dicitur vel intelligitur: Vt ex. Olympiis ludis fiunt Isthmii, id est, hi illis succedunt, seu post illos fiunt.

Vsus.

Quæritur, an communia Principia, vt sunt duo Principia Contradictionis primæ Philosophiæ, affirmatiuum & negatiuum, reuera ingrediantur Demonstrationem? Non esse autem partem aliquam Demonstrationis negatur à Zabar. lib. 1. Anal. poster.

Sed videtur ei Aristoteles aduersari context. 84. vbi dicit: Communia autem principia dico, vt ex his demonstrantes. Hic respondetur: Dictionem Ex non ita sumendam esse, vt significet materiam, ex qua demonstratio constet: Solam enim *Pendentiam* Demonstrationis hic τὸ Ex notat ab huiuscemodi principiis, quæ extrinsecus adhibentur, vt inseruiant Demonstrationi, eam corroborando, & ita perficiendo.

EX aliquo produci.

Vt aliquid ex seu de aliquo producatur, ad hoc tria sunt necessaria.

1. Vt id, de quo esse alterum dicitur, aliquo modo cooperetur ad alterius productionem.
2. Vt id etiam sit aliunde, quam per productionem eius, quod dicitur de illo produci, atque eatenus ad productionem cooperetur. Ob huius conditionis defectum non dicimus: Res, quæ à Deo, secundum materiam & formam fuerunt conditæ, fuisse creatas de materia: siquidem quoque materia fuit simul producta per earum productionem. Iam si aliquid producitur, simul cum productione alterius, non videtur id συνεργεῖν ad eam ipsam productionem.
3. Vt sit ei, quod producitur, ὁμοούσιον, (consubstantiale) seu internum: alioqui non recte diceretur de ipso illud produci. Non dicimus domum fieri ex ædificatore, quia ædificator non est internum domus principium. At mixtum dicitur fieri de vel ex materia, quia est illi interna, & supponitur seu substernitur eius productioni. Filius dicitur fieri ex semine Patris, quod varie transmutatum pertinet etiam ad substantiam filij. Thom. 1. part. quæst. 41. art. 3. August. l. de nat. boni, cap. 26. & 27. & Gregor. de Valent. punct. 3. de actib. notional. quæst. 15. cuius axioma est: Si aliquid producitur secundum se totum, non potest dici id produci Ex vel De aliquo.

EX SE, DE SE, SECVNDVM SE.

Ex se potest accipi, 1. Positiue, & ita dicit habitudinem causæ. Ex se, id est, ratione sui, seu qua tale, vt suapte natura sic.

2. Negatiue, & ita dicit solitudinem seu negationem coniunctionis cum alio. Ex se, id est, non cum alio, solitarie, vt: Natura est communis ex se. Cajetanus in 4. cap. Thom. de Ente.

Sic & Natura absolute, & natura secundum se, id est, solitarie intellecta, absque determinatione ad hoc vel illud. Res abstracta à conditionibus indiuiduantibus, vt sic, apta nata est prædicari de pluribus.

EX PARTE.

1. Ex parte opponitur τῷ ὁλικῶς, & omnino. Græci dicunt, ἀπὸ μέρους, ex parte, id est, aliquantulum. ἐκ enim & ἀπὸ interdũ idem sibi volunt. Contr. ἐκ παντὸς τρόπου, omni ratione, & simpliciter, ἐκ παντός.
2. Scholastici sæpe dicunt, EX PARTE REI, EX PARTE DEI, pro respectu seu conditione Rei, &c. Sic dicunt: *Deus aliquid non potest, vel ex parte Rei, seu obiecti, vel ex parte Dei. Ex parte obiecti* dicitur aliquid ἀδύνατον κατ' αὐτό, quod manifestam habet ἀντίφασιν, (vt oppositum in opposito) & Entis rationem tollit. *Ex parte* DEI, *aut voluntatis, aut potentiæ ipsius respectu.* Voluntatis respectu Deus quædam non posse dicitur, quæ neq; velle potest, vt quæcunque bonitati & veritati diuinæ aduersantur, vt mentiri. Respectu potentiæ ea non posse dicitur, quæ infirmitatem potius & ἀδυναμίαν innuunt, quam δύναμιν, vt: posse ambulare, posse mori.

Schola-

Scholastici etiam quidam dicunt. Hæc tria Intellectus, voluntas, potentia ex parte Dei non differunt. Tu potius dices: Non Dei, sed nostri respectu inter se distinguuntur. Isti: Δύναμις & Deus ex parte rei ipsius non differunt: Tu dices: Δύναμις & Deus non re, sed καὶ ἐπίνοιαν tantum differunt.

EX QVO.

Ex quo, formula Conclusiua, collectiua, consectarij est; seu peculiariter accipitur pro Quocirca, Cic. pro Marcell. Ex quo nemo cui &c. id est, Quocirca. Alias idem est quod, qua ex re, vt ex quo intelligatur, ex eo euenit, vt &c.

EX ADVERSO,
Ex directo.

1. In contrarium est, crebro dicunt Scholastici in disputationibus & sententiarum contentionibus ac collisionibus, pro quo Scaliger, ex aduerso est.
2. In disputatione de sensibus Cardanus accipere videtur Scaligero improprie è directo pro ex aduerso. Verba Scaligeri sunt. Tam olfactus & auditus, quam visus excipiunt, vt loqueris, è directo. Ex aduerso voluisti dicere: quippe è directo vnicuique sensui fit impressio-speciei. Etenim planum sensibilis speciei tangit planum instrumento, quod sensorium appellant.

Τῷ ex directo seu directe proprie opponitur ex obliquo, lateraliter, vt loquũtur, vel indirecte Scal. ex. 297. s. 1. Quod è directo species recipiatur, etiam in auditu patet. Si cuspis extrema deuoluti aeris defertur cochleatim, regreditur *recta*, facitque angulos æquales. Alioqui præter radendo nulla, aut *ex obliquo* sensio fieret obscurior. *Quin ad latera* quoque visus accommodatur. Nisi obijceretur nasus, vnico obtutu deferentur ad oculos, quæcunq; ab aurium mearum linea prostant. Et Cardan in lib. Subtil. Ea quæ non tanguntur, occurrunt autem, vt fugere possimus, cum *directe obuiant*, visu præuidentur: cum autem *ex obliquo*, aerem mouere coguntur, atque strepitum facere, cui auditus præficitur.

Efficiens exasperationis est agens, quod superficiem corporis inæqualem facit
- Exsiccando.
- Corrugando.
- Corrodendo.

3. In Politicis per Translationem dicitur pœnas nonnunquam esse exasperandas.

EXALTARE.

Exaltare 1. est altius facere καὶ ἀλόπον.
2. Est prouehere καὶ ἀξίαν, ad honores producere vel perducere, vt; eum sua fortuna exaltauit, non genus, pro quo Cicero: prouexit, extulit.

Sic Exaltatio 1. est in superiore loco constitutio. Hæc dicitur in Astronomia

EXASPERARE.

Exasperare 1. est ex leui facere asperum. Sic accipiunt Physici, definientes exasperationem, alterationem sensilem, qua ex leui fit asperum: cui opponitur Læuigatio.
2. Est asperius facere.

ὕψωμα, id est, Altitudo, Eleuatio & Sublimitas: vt Altitudo seu Sublimitas poli seu Eleuatio (quæ loci altitudini æqualis est) & Æquatoris: quæ est arcus meridiani inter horizontem & æquatorem interceptus.
2. Est ad ἐξουσίαν seu honores, seu dignitates prouectio, ad summum per gradus vectio seu Eleuatio, quam Scholastici Doctores & sententiarij Monachi etiam sublimiationem dicunt in doctrina de persona Christi. In hac si-

gnificatione dicitur Planeta aliquis exaltatus, vt alibi dixi.

In Chymicis Exaltatio est subtiliatio longioris temporis res sensim dissoluendo in puriorem ac maiorem virtutis suæ gradum traducens. Vel, est operatio, qua res affectionibus mutata ad altiorem substantiæ & virtutis dignitatem perducitur. *Estque* vel *Gradatio* (sic dicta quod gradatim fiat) *vel maturatio*. Sic sublimare modo est euehere, modo melius & dignius facere.

Vsus & collatio cum Sacris.

Intelligitur hinc in Philosophia Exaltationem modo esse localem, modo virtualem, ideoque necessario & vtiliter hos modos distingui.

Sic in Theologia quoque Exaltatio (ἀνύψωσις) Christi in regno est partim τοπικὴ, partim ἀξιωματικὴ ἢ ἐξουσιαστικὴ (potestatiua) id est, partim collocatio eius in throno maiestatis in excelsis. Heb. 1. partim euectio in summum illum honoris gradum, vt λόγος incarnatus palam in cœlesti gloria coram Angelis & beatis hominibus se regem & caput omnium Electorum in summa luce demonstret, & transfusa inde ad nos sua virtute maiore efficacia, quam cum corpore suo in terra præsens esset, electos seu vere credentes sibi in regno gratię vniat, cognitionemque sui in ijs per verbum & Spiritum operetur, confirmet, & obsignet, per quam & pacem æternam ijs conferat, & ad regnum gloriæ eos instauret & conseruet.

EXCEDERE.

Excedere omnem factam seu creatam virtutem nos dicimus. Barbari pro eo dicunt, superexcellere.

Exceditne accidens subiectum? Resp. Non excedunt accidentia subiectum ἐν τῷ εἶναι, id est, ita vt possint esse extra ipsum: Sed excedere possunt ἐν τῷ ἐν-ερ3εῖν, quod fit, quum altiores eliciunt producuntve actus, quam subiectum per se producere potuisset.

Potestne Homo excedere se ipsum? Resp. Homo secundum virtutem gratuitorum donorum excedit semetipsum secundum virtutem naturæ ipsius spectatum. Alb. Magn. in cœlest. Hier. id est, fit diuinus.

Scholastici & Canonistæ etiam excessum accipiunt in malam partem, pro vitio, errato.

EXCEDENS.

In vitio ponitur & virtute. In vitio, cum quis peccat in excessu. In virtute, cum heroi tribuitur, cuius virtus excedit captum communem, aut cum aliquis dicitur excedere, id est, superare eloquentia.

Causæ secundum excessum seu Excedentes Aristoteli sunt causæ remotæ, id est ab effectibus recedentes, sua amplitudine effectum excedentes 1. Post. analyt. Ijs opponuntur effectis æquales, quæ alibi Aristoteles dicit αἰτία per Synecdoch. καθ' ἐξοχὴν, quibus positis ponuntur effecta, submotis, submouentur.

EXCLVSIVA.

Exclusiua Enuntiatio constat signo exclusiuo, vt Solum, Tantum. Huiusmodi signa aliquando à subiecto alia prædicata, aliquando alia subiecta à participatione eiusdem, prædicatione excludunt.

Exemplum prioris. Prædicamenta tantum sunt decem. Homo est tantum animal rationis particeps. Exemplum posterioris. Solum animal est sensus capax. Solus homo sermone vtitur. Itaque Exclusiua est vel exclusi prædicati, vel exclusi subiecti. In priore genere signum excludit aliquod prædicatum.

catum. In posteriore aliquod subiectum. Quomodo exponendæ sint, de eo vide Fonsecæ institutiones, si placet.

Exclusiua { ἁπλῶς, vt & meriti & præsentiæ alicuius. / κατά τι, vt Meriti & dignitatis, non præsentiæ.

Exclusiua Sola, cum dicitur, Sola fide nos iustificari, fiduciam Misericordiæ Mediatoris opponit nostræ dignitati & merito, non excludit vel contritionẽ, vel bona Opera, ne adsint aut sequantur, sed dignitatem & meritum tantũ nostrum à causa reconciliationis.

Excludere est separare, vel excipere, außdingen/ vel repellere.

Excludere gallinæ vel aues dicuntur; cum incubando pullos emittunt.

Excludi tempore est prohiberi seu impediri, ne quid agatur, temporis breuitate, seu temporis angustijs, vt loquitur Cicero.

Exceptionibus excludi actiones dicuntur à Iurisconsultis & oratoribus.

EXCRETIO.

1. Ἔκκρισις, excretio ab Aristotele in Meteorologia intelligitur Exhalatio propter modum congestionis & præparationis materiæ. Fit excretio resoluta Terra cum humore à calore subterraneo in halitum.

2. Significat etiam deiectionem, egestionem, egestum, vt cum excrementa dejciuntur. Excrementa sunt superfluitates quædam animatorum corporũ. In corpore humano sunt secundum naturam, vel præter naturam, vt Chyli excrementa κατὰ φύσιν sunt 1. Ἀτμίδες seu vapores exhalantes. Coctio enim ventriculi est ἕψησις, id est, Elixatio, vt sine vaporibus ea fieri non possit. 2. pituita in ventriculo & intestinis adhærens. 3. feces alui, Chymi primi qui in Epate fit, excrementa sunt 1. Vapores. 2. bilis vtraq; , flaua in vesica fellis, & atra in liene. Tertia ὄρρος, quæ est vrinæ materia, & ἰχῶρες Chymorum, qui in venas effundũtur, secum vehit. Remanet tamen aliquid in sanguine ὀρρώδες, quod in sanguine, qui vena incisa emittitur, apparet quando coagulatur. Chymorum secundorũ excrementa sunt. 1. lateris per poros exhalatio. 2. Sordes in corpore adhęrescẽtes. 3. Sudores naturales. 4. Sputum. 5. mucus narium. 6. Sordes aurium. Huc etiam lac & semen referri possunt.

Ex his excrementis, quæ κατὰ φύσιν seu naturalia sunt, alia habent vsum aliquem, alia nullum: Vtilia excrementa sunt. 1. vapores in Chylosi & Chymosi. Sunt enim materia & sõmni in primis, quæ in χυλώσει fiunt, & pilorum, vt aliqui censent, etsi verisimilius est & pilos & vngues esse partium Solidarum excrementa, vt fiant ex excrementis secundorum Chymorum. 2. phlegma in intestinis & ventriculo, quod lubricitatem illis partibus necessariam conciliat: aliqui ali hoc illas partes existimant. Sed ex intestinis hoc phlegma bilis abstergit, in vẽtriculo semper manet aliquid, vt sit vtile excrementum ibi, si non corrumpitur. 3. Bilis flaua ad irritandam expulsionem in intestinis, & eluendum mucorẽ horum in vsum hominis. 4. & atra in ventriculum influens, quæ acore suo appetitionem in hoc auget & retentionem confirmat. 5. Ad extremum saliua rigans linguam, vt aptior sit ad formanda verba, & dijudicandos sapores. Cætera excrementa, vt sudor, vrina, mucus narium, sordes aurium, feces alui inutilia sunt excremẽta.

Παρὰ φύσιν excrementa dicuntur, cum

Chylus vel Chymi, siue sint primi, siue secundi, corrumpuntur, vel per se, vel admixtione humorum aliorum. Per se primi Chymi corrumpuntur, cum calor naturalis vel remissior fit, vel intentior, quam esse dicitur. Admixtione corrumpuntur tribus de causis: *vel alimenti, vel epatis vitio, vel partium earum*, in quas fit separatio extremẽtorum in χυμώσει. *Alimentum* quale est, tales & Chymi sunt, & superat is, qui temperamento huius plurimus gignitur, qui deinde permixtus reliquis eos vitiat. *Epatis vitio* tũ corrumpuntur humores, cum non absoluitur coctio, aut non fit separatio imbecillitate caloris, aut aduruntur Chymi à calore nimio: *Partium* vero, cum non attrahuntur à partibus ijs, quas natura constituit vt attrahant ea & recipiant, vt cum vesicula fellis obstructa, aut læsa, flaua bilis in Epar redundans & in venas dimissa massam sanguinis vitiat, & icterum facit: aut cum liene obstructo vel ex atonia laborante atra bile completur epar & venæ: quæ affectio cum ad vesiculę fellis obstructionem accedit, vtraque bilis flaua & atra in venas redundat, & fit is, qui Icterus niger appellatur. Quod si renum vitio ὄρρος (serum) non attrahitur, complentur ichoribus venæ, & fit hydropi similis affectio. De secundis Chymis idem est iudicium. Nam similiter hi à calore deficiente aut redundante in paruis seu capillaribus venis corrumpuntur. Ac nimius quidem calor sanguinem similiter vertit in bilem rubram & Chymum atrum, & si magis intenditur, partibus solidis alimentum præconsumit, vt in febri hectica. Deficiens vero calor gignit ibi eam, quæ λίμη est medicis. Sanguis vero extra venas delatus semper & putrescit, & cõcrescit, & pro eo vt cæteri humores cum hoc concurrunt & commiscentur, diuersi generis humores fiunt & apostemata.

Excrementum dictum { Exquisite. / Non exquisite, seu populariter.

Semen est vtilis superfluitas vltimi alimenti, non est περίπλωμα inutile. Alimenti illam superfluitatem excrementum quidam nominant, non exquisite, quia non transit in substantiam, sed secernitur in hunc vsum, vt fiat semen κατὰ φύσιν (naturæ ordine.)

EXEMPLAR.

Exemplar duplex est, Creatum & Increatum. Plat. in Timæo. Exemplar Increatum est idea in mente diuina. Exemplar creatum est species vniuersalis à re causata. Scotus distinct. 3. lib. 1. Ita duplex est conformitas, & duplex veritas: Vna conformitas ad exemplar Creatum, altera ad Increatum.

Canon.

Veritas dicit respectum ad exemplar.

EXIRE A SE.

Metaphoricum est cum dicitur, Amans exit à se per amorem, qui vis est transformatiua & conuersiua amantis in amatum: amans incipit exire à se, & esse illud quod amat: quia amans quiescit in amato. Amans exit à se, quia quod suum est paruipendit in comparatione amati, & magis appetit sui destructionem, quam amati, si amor est ardentissimus. Hugo & Scotus lib. 4. dist. 49. Augustinus lib. 14. de ciuitate Dei cap. vlt.

EXISTENTIA.

Existentia rei creatæ est [a] Modus rei, quo

[a] *Purius: proprius.*

res.

res dicitur esse extra nihilum; & à suis causis producta.

Extra nihilum esse est actu esse in rerum natura. Existentiæ accidentis opponitur subsistentia, id est, existentia substantiæ. Coll. Conimbr. 4. de Gener. & Corr. Arist.

Existentia substantiæ non est existentia accidentis, id est, accidens non potest existere existentia substantiæ.

An existere possit substantia per existentiam accidentis? Neg.

1. Purus modus vnius rei proprius & insitus non potest alteri communicari. Existentia accidentis, quæ est inhærentia, est purus modus, illi proprius.

Ergo *existentia accidentis* non potest communicari substantiæ, non potest modificare substantiam. (Hæc enim modificatio inuolueret ἀντίφασιν, quia esset & non esset substantia) id est, substantia non potest inhærere seu esse per modum inhæsionis.

2. Quod implicat repugnantiam Contradictionis, eius res non est capax. Modum (purum) existendi ipsius accidentis, id est, inhærentiam, modificare substantiam, id est, substantiam inhærere in subiecto, non existere per se, implicat contradictionem, hoc est, rei repugnat. Ergo illius substantia capax non est.

Hæc dicitur subsistentia à Colleg. Conim.

Existentia
- Substantiæ seu Naturæ.
- Accidentis.

Axiom. Accidens nunquam amittit Existentiam accidentis, & acquirit subsistentiam, id est, existentiam substantiæ, contra Alensem. Id est, *Accidens non potest existere existentia substantiæ.*

Existentia est rei esse extra suas causas.

Existere est rem esse extra suas causas.

Differunt vt Abstractum & Concretum. Singularium est existentia. Modus intrinsecus & proprius, hoc est, essentialis, non potest separari à re, cuius est modus. Existentia est modus substãtiæ singularis. E. Existentia non potest separari à substantia singulari.

Existentia τῇ φύσει posterior est quam essentia. In substantia considerantur essentia & existentia. Omnia accidentia sunt re disiuncta à substantia in essentia, coniuncta tamen substantiæ in existentia.

Effatum stellula notandum.

Existentia accidentis extra subiectum nulla prorsus est. Communia accidentia non fluunt à subiecti essentia, seu essentialibus principijs (vt propria) sed ab existentia potius, quæ est singularium.

Existentia Græce interdum dicitur ἐπαρσία & ὕπαρξις. Lippius describit affectionem entis simplicem, qua radicante ens ingreditur secundum essendi momentum.

Radicante dicit metaphorice, quod quasi radix sit affectionum entis, vt Durationis, qua entis confirmatur existentia, per præteritum, præsens, & futurum, fuit, est, erit, extitit, existit, existet: & vbietatis, qua id quod existit, durat alicubi (hic, illic, istic.)) *Quid duratio?* *Quid vbietas.*

Existentiale.

Barbara voce quidam formam externam, quæ accidentalis est, vocant existentialem & affectionalem, ad differentiam internæ, quæ rem constituit. Sic differentia, dicunt, alia est essentialis, vt specifica; alia existentialis, seu affectionalis, vt qualitas.

Vſus.

In definitione lineæ dicitur, quod ſit longitudo ſine latitudine. Sed talis linea in rerum natura non datur, non inuenitur, quia omnis longitudo eſt cum latitudine. Ergo definitio lineæ illa falſa eſt. Reſp. per diſtinctionem. Non eſt dare longitudinem ſine latitudine, hoc poteſt intelligi dupliciter: Vno modo ſecundum exiſtentiam in natura, & ita linea non eſt alicubi ſine latitudine. Altero ſecundum eſſentiam lineæ, & ita eſt ſine latitudine, quia in eſſentia lineæ non includitur latitudo. Iohan. de Ianduno in quæſtio. in lib. de Cœlo & Mund.

Scriptum legi (quod non eſt ὁμολογυμένως; ſeu ἀναμφισβητήτως verum.

Exiſtere ſignificat factum eſſe, ex materia emergere, educi, procedere ex re quapiam. Itaque non recte dici, Humanam naturam exiſtere in Verbo.

Non hoc, inquam, eſt generatim verum. Exiſtere enim generaliorem habet ſignificationem, vt cum dico, Mundus extitit è nihilo, & dicitur Deus proprie Exiſtere, qui tamen ex nullo materiæ ſeminio prouenit ſeu emerſit.

Exiſtere igitur generaliter loquendo eſt actu exſtare, actu eſſe.

Ens ponitur in primo naturæ momento per principia ſeu cauſas. In ſecundo per affectiones.

Interdum diſtinguitur ab eſſe: vt cum dicitur; Ens, qua principijs, præſertim internis, cauſatur, dicitur eſſe, & ita ponitur in primo momento.

Qua vero illico per illa principia affectionibus quibuſdam afficitur & perficitur, dicitur Exiſtere: ac ita ponitur in ſecundo momento.

Hinc Cicero accipit Exiſtere pro Apparere vel exoriri, vt, cuius ego fautor & adiutor extiti: &: huius ex ſermonibus vberrimis extiterunt doctiſſimi viri, id eſt, exorti ſunt. Ex victoria Tyrannis exiſtit. Dentes & pubertas natura exiſtunt.

EXISTERE SEV ESSE ALICVBI.

Eſſe alicubi ſumitur proprie vel improprie. Proprie pro eo, quod eſt eſſe in loco proprie dicto ſeu finiti ſpatij termino.

1. *Siue communi*, vt ſella eſt in hypocauſto, *ſiue peculiari* (ſingulari, proprio) vt aqua in puteo eſt.
2. *Siue Reali*, vt corpus meum in ſuperficie definita extrinſecus ambiente: *ſiue imaginario*, ſicut mundus eſt in ea ſpatij dimenſione, quam occupat.

Quod eſt ſeu exiſtit in vno tantum loco proprie dicto, eſt in illo definitiue tantum, aut etiam circumſcriptiue.

Vno in loco eſſe eſt ita eſſe in illo, vt extra illum non ſit. *Definitiue* in loco eſſe eſt ita eſſe in loco, vt totum ſit in toto, & totum in qualibet parte: ſic Angelus Gabriel erat in loco, cum eſſet preſens Mariæ.

Circumſcriptiue in loco eſt aliquid per ſe, vel per accidens. Per ſe, quod per ſe extenſum eſt, ſeu per ſe habet partem extra partem, vt corpus ſeu moles corporea. Per accidẽs, quod propter corpus totum: vt Materia & Formæ ſubſtantiales & accidentales, ſi ad diuiſionem molis corporeæ ſint diuiduæ.

Quanquam Definitiue in loco eſſe aliquid, inuenio nõnunquã apud Scholaſticos dici dupliciter. Vno modo generaliter, altero ſpecialiter. Generali ratione dicitur id eſſe in loco definitiue, quod ita eſt in hoc loco, vt non ſit in alio: ſic, quicquid eſt creatum, in loco eſt, ſiue exiſtat totũ in toto, & pars in parte, vt corpus, ſiue totum in toto, & totũ in qualibet parte, vt intelligẽtia ſeparata. Ratione vero ſpeciali in loco eſſe aliquid definitiue dicitur, quod ita eſt in loco, vt non ſit etiam circumſcriptiue, hoc eſt, vt non ſit totum in toto, & pars in parte, ſed totum in toto, & totum in quauis parte.

Impropric

Improprie ſumitur eſſe alicubi pro eo, quod eſt eſſe in re aliqua; ita forma eſt in materia, pars quælibet in ſuo toto, oculi in capite.

Eſſe in loco per contactum { Molis corporeæ vel eſſentiæ, id eſt per præſentiam ſubſtantiæ ſuæ. / Virtutis & operationis.

Διχοτόμως.

Eſſe in loco { Per ſe ipſum præſentia { Quantitatis. / Molis. / Diuiſibili ſeu compoſito. / Simplici ſeu indiuiſibili, in quo poſſe eſſe ſubſtantias ſeparatas, volunt Scholaſtici D.

Eſſe in alio per Realem { *Inhærentiam: vere in ſubiecto.* / *Coniunctionem*, ſeu externa m adiacentiam aut circumſtantiam, *Quaſi in ſubiecto.*

Sicut Terminus motus interdum eſt in patiente per realem inhærentiam, vt quantitas & qualitas: interdum tãtum per realem coniunctionem, vt Locus: ſic Paſſio eſt in patiente vel per realem Inhærentiam (id eſt vere, in ſubiecto) vt accretiones & alterationes, vel tantum per realem cõiunctionem; vt locales motus. Sic vincula dicuntur pati ſerui, cum ligantur, & arma milites, cum induuntur, & vaſa argẽtea aurũ, cum inaurantur; & tamen iſthæc non inhærent rebus denominatis à ſubiectis, ſed extrinſecus adiacent.

Accommodari hoc poteſt ad Filium Dei: Paſſio in eo ipſo fuit non per realem inhærentiã, ſed per realẽ coniũctionẽ.

Mens eſt in Ratione, ſicut ἀρχὴ καὶ ἄρχων, id eſt, rationis principium eſt mens & princeps eam dirigens ad inuentionẽ & iudicium. Eandem proportionem habet ὁ λόγος ἐν τῇ ψυχῇ. Eſt enim poteſtas ad motum, qui ducit ad cõcluſionem tam ſpeculatiuam, quæ eſt ſcientia, quam Practicam, quæ eſt Electio boni. Anima vero eſt in corpore alio modo, quippe dans ei hoc, quod appellatur eſſe: Spiritus autem in corpore tanquam eius pars præſens; Sanguis autem tanquam ſedes atq; etiam metallum Spirituũ Scal. ex. 307. ſ. 38.

EXPOLITIO.

Expolitio Græce ἐξεργασία 1. eſt operis vltima perfectio.

2. Oratoribus eſt plenior Tractatio; vel Synonyma pluribus explicata verbis, figuris, ſententijsque, idem ſignificantibus & in rebus cognatis finitimisq; prolixa commoratio. Artifex hic eſt Cicero. Verſat is eadem ſæpe diuerſis modis: in vna re hæret: in eadem commoratur ſententia, ita tamen vt aliud atque aliud dicere videatur.

Huc pertinet Repetitio eiuſdẽ probationis ἐκ περισσείας (ex abundanti) quæ etiam Commoratio ſeu ἐπιμονὴ dicitur.

Contraria ei συντομία (breuitas,) id eſt, conciſa & preſſa oratio & perſtrictio.

Expolitio eſt vel Synonymiæ ſeu per Synonymiam & æquipollentiam, quam & interpretationem vocant ſeu ἑρμηνείαν, vel Rerum. Illa eſt, *cum eandem rem* diuerſe & commutate dicimus: Hæc vero, *cum de eadem re* commutate dicimus.

Prior ſpecies fit trifariam. Primo cõmutatis verbis per Synonymiam vocabu-

lorum vel coniunctionis. Exemplum est 13. Metamorphos. in querela Hecubæ:

Nata iaces, videoque meum tua vulnera pectus,
Et ne perdiderim quenquam sine cæde meorum,
Tu quoque vulnus habes.

Et postea:

—— Cecidisti & fœmina ferro.
Postque tot amissos tu nunc quoque sola leuabas
Maternos luctus, hostilia busta piasti &c.

(namq; dolor facit esse loquaces.)

Secundo fit commutatio gestu & pronunciatione variata.

Tertio mutata tractatione per figuras, si eandem sententiam primo proprijs verbis, deinde tropis & figuris quasi mutatam efferamus, & ijs præsertim, quæ auditorem vel dicentem expergefaciant, vt sunt communicatio, interrogatio, cum subiectione, apostrophe, &c. Vsus huius in paraphrasi liberiore.

Expolitio rerũ nihil fere aliud est quam expolita probatio vel argumentatio copiose explicata. Hæc non solum est in verbis Synonymis, sed in rebus quoque cognatis & finitimis commoratur. In hoc genere expolitionis fuit felix Erasmus.

Vitanda in ea 1. ταυτολογία, fastidiosa ingeminatio, tædiosaque repetitio eiusdem rei vel sententiæ, nulla commutatione verborum, nullaque orationis varietate culta.

2. περιεργία, id est operosa expolitio in re tenui, superuacanea opera & nimis curiosa ac immodica loquacitas.

Ἐπεξεργασία tantum gradu & perfectione differt ab ἐξεργασία.

Quidam vocant commorationem, cum in argumento vel loco firmiore aut illustriore, quo tota causa continetur & splendet, manemus diutius, & eodem sæpius redimus, vt sit tanquam sanguis diffusus per totum corpus, quod placet Gallioni. Sed Velcurio statuit idem esse expolitionem & cõmorationem. Gallio sentit expolitionem esse speciem commorationis.

Scaliger expolitionem Locutionis faciem ac cutem quandam esse dicit, ac commorationis speciem esse negat, ac definit *Commorationem: cum eandem materiam aut alia facie ostendimus, aut per partes discurrimus.* Libr. 3. Poet. cap. 46.

In Physicis & Mechanicis etiam rudis materiæ quædam informatio & expolitio est.

EXPRESSIO.

Expressio est extractio per prælũ, quo coacta res substantiam forma liquida effundit. Est igitur motus violentus. Ab oratoribus accipitur interdum pro imitatione: per Metaph. expressum est extortum, vt cum dicitur confessio expressa vi.

EXQVISITVM.

Exquisitum est diligentia quæsitum, accuratum, exactum, vt verba exquisitissima. Exquisita argumẽta; Exquisitius colligere rationes. Cic. Epulæ exquisitæ, id est, lautæ, apud Plinium. Exquisitæ pœnæ, exquisita supplicia apud Iurisconsultos. Exquisitus sensus apud Physicos.

Exquisitum autem sensum duobus modis intelligere licet. Etenim aut summam celeremque vim ad recipiendam rei sensilis impressionem; aut facultatem in medio constitutam ad omnium sensibilium differentias. In prima intellectione bruta comprehenduntur: quibus efficacissimam potestatem natura insinuauit ad ea sentiendum, quæ sensibus quatuor percipiuntur. Ita quam acutissime quam remotissima cernit aquila, solisque patitur radios absq; detrimento. Vultur quam maxime distantia capit odoratu: Auditum

ditum talpæ ac vulpi tribuunt excellentissimum : Gustum nos gallinis, multisque alijs auibus. Tactus homini certissimus & exploratissimus.

Altera significatio ad exquisiti iudicij perfectionem penes hominem est. Is enim cum ad beatitudinẽ creatus sit, ad eam vias illi muniuit natura. Iccirco mediocriter omnia hæc. Tactum vero dedit perfectissimum, quia nudum & imparatum maxime & dignoscere oportuit & cauere. Exercit. 286. Scal.

Pueros exquisite sentire falsum est. Nimio namque humore hebetantur. Idem ibid.

EXTENSIO.

Extensio proprie quanti est. Sic Philosophi & Physici accipiunt, cum dicunt Ens extensum.

Vnde Grammaticis Extensio est figura, qua breuis syllaba producitur. Græce ἔκτασις.

In Logicis extensio est Ampliatio, Extendere Ampliare, laxare, vt Extendere legem, id est, producere ad non expressa, cui opponitur *Astringere*.

Canon.

In Fauorabilibus extensionem fieri oportet, si assit idonea ratio. Vide Caluin. Lexic.

Extensio conueniens corpori ratione Quantitatis,
- Ratione partium in se, vel Entitatiua dicitur, inter se.
- In Loco seu in ordine ad locum. Hæc supponit necessario extensionem rei in se, quam habet per internam suam Entitatem materialis substantia, teste Suaretz, vt à quantitate extensionem in loco.

Sic Distantia partium
- Quantitatiua, quæ sequitur ex interna extensione, quam in se habet quantitas.
- Situalis seu localis, qua partes actu occupant partes spatij inter se distantes.

Extensio in ordine ad se est Effectus formalis quantitatis.

Extensio Entitatiua materiæ non est modus quantitatis, sed modus substantialis.

EXTERNVM.

Externum primũ accipitur pro eo, quod extra essentiam rei est. Deinde pro eo, quod non est in eodem subiecto vel loco. Exempli causa, Efficiens omnis causa externa est, quia extra essentiam effecti posita est. Efficiẽs maxime proprie dicta (vt quæ agit per transmutationem, & dicitur Transmutatiua) est causa externa, non tantum quia extra essentiam effecti est, sed etiam quia nõ in eodem est subiecto, in quo est effectus, vt liquet ex interpositione terræ, & Eclipsi Lunæ: à Terra enim Eclipsis subiecto & loco disiuncta est.

Externum ratione
- Essentiæ.
- Loci vel Subiecti.

Sic quoque Internum.

Rationalitas est causa τοῦ γελαστικοῦ Emanatiua, id est agens per emanationem seu effluxum, & externa & interna.

Externa respectu Essentiæ effecti. Interna respectu subiecti, quia in eodem est subiecto. At iugulator vtroq; modo externum efficiens est. Nam & extra essentiam effectus est, & subiecto quoque loco ab eo diuulsus.

EXTRANEVM.

Extrarium (Festo) Barbaris.
Extrinsecum.

Extraneum seu Externum dicitur id, quod non est intus, Ita opponitur Interno.

Interdum idem est quod Accidentale, id est, non necessarium. Opponitur enim *Necessario.*

Interdum idem est, quod non constituēs rem, etsi non sit rei accidentale, vt, Finis est efficiens. Hæc enim ad rem, cuius sunt causæ, habent essentialem respectum, & de illa prędicantur quarto modo dicendi per se. Ita opponitur *Interno.*

Non igitur omne externum, est rei, cui externum dicitur, accidentale. Zabar. l. de motu ignis in orbem cap. 9. Christi carni donum splendoris in mōte fuit extraneum, id est, præter naturā & essentiam eius aduentitium: Sed non à causa extranea, id est, à causa extra Personæ Christi rationē existente in Christo fuit. Deductio ad absurdum.

Splendor, qui in Christi transfigurati facie fulsit, fuit vel participatus, id est, ad ipsam carnem & faciem Christi præter eius essentiam aduentitius: vel illi essentialis. Per aduersarios non fuit participata qualitas, id est, aduentitia præter ipsam essentiam. E. fuit illi essentialis. Ex quo fit, vt quandoquidem is splendor non semper in facie & carne Christi fuit, caro seu facies Christi non semper suam essentiam retinuerit. Quod est ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Hæc Danæus contra eos, qui statuunt in Christo splendorem illum non fuisse creatum, & qualitatem extraneam, id est, donum aduentitium ad humanam eius naturam, sed fuisse ipsius essentialis Dei Lucis veram partem carni Christi realiter communicatam.

Extraneum Græcis dicitur ἐπίκτητον; Aristoteli πάθος ἐπίκτητον est affectio acquisita, aduentitia, extranea, superueniens, quæ non pertinet ad constitutionem animantis, & sine qua animās gigni, cōstitui, & viuere potest, vt, morbus, qui vel in vtero contractus est, vel in lucem edito postea euenit.

Internum { Quod intus est. / Quod naturam rei constituit. / Quod rem necessario consequitur. / Alias insitum.

Ἔσωθεν est ab interna causa: ἔξωθεν ab externa causa. Accidit productiones vocalium augeri ἔξωθεν, id est, extrinsecus, per consonantium concursum, quam positionem appellarunt.

Lex Homogeneas non admittit in scientia Extraria seu Extranea, seu aliena, id est, nec subiectum nec finem scientiæ attingentia documenta. *Est instar parietis herciscentis familias*, vt Iurisconsultorum phrasi vtar.

In Politicis Extraneus, seu ἀλλότριος, seu exterus hæres est, qui testatoris iuri subiectus non est. §. cæteri. Institut. de hæred. qual.

EXTRA.

Extra 1. quid proprie significet, notum est, nempe exclusionem vel separationem, vt anima rationalis mortuo homine est extra corpus. Extra rationem alicuius est non includi definitionem alterius (vt subiecti.) Extra esse est non tantum in animo esse, vt singularia, quæ immediate existunt; extra esse dicuntur. Vniuersale, qua vniuersale est, in animo solum est, non extra, inquit Fort. Crell. de Categor.

Omne peccatum externum dicitur esse extra corpus præter scortationem: *Extra corpus, intellige Obiectiue*: id est,

pecca-

peccatum abutitur obiecto aliquo extra corpus posito, vt peccatum ebriosi vino.

2. Extra interdum non tantum à Ciceronе & Iureconsultis pro præter (quod annotarunt Syluius, Spieg. & Schardius) sed etiam à Physicis. Sicut enim Iureconsultis dicuntur fieri extra ordinem, quæ legitimo & vsitato ordine non obseruato seu præter ordinem fiunt, & feriæ extra ordinē indictæ sunt, quæ præter consuetudinem existunt: Ita physici ea, quæ fiunt præter naturam seu naturæ ordinem dicunt sæpe fieri extra naturæ legem & ordinem. Extraordinarium tamen dicimus, præterordinarium non dicimus.

Ἄλλως.

Extra primo extrinsecus est, vt, sensu, quæ extra sunt, percipimus: Nihil est extra vniuersum. Opponitur ei intra & intrinsecus.

Interdum idē est, quod Vltra, cui opponitur Citra. Sic Fonseca. Terminus id est, extra siue vltra, quod nihil est rei terminatæ, & intra seu citra quod omnia [a] illius continentur.

a. id est, omnes partes rei terminatæ.

Nonnunquam idem est quod præter, vt vox extra modum absona, id est, præter modum. Cicer. extra Deum, id est, præter Deum.

Ad extra Scholasticis est respiciens extera seu externa, vt Actiones Dei ad extra, quibus opponunt ad intra.

Extra quam, formula exceptionis est, vt Cic. postulatis, quicum agitur, à prætore exceptionem, extra quā in reum capitis iudicium fiat. Sic Iurisconsulti: Extra quam si quid ita factum sit, vt lege l. 1. §. Labeo. ff. de fluminibus.

In disputatione an Extra Cœlum sit, Vacuū Scholastici dicunt? Extra dupliciter considerari, vno modo positiue, vt si quid circumscriptiue seu contentiue sit extra Cœlum: Altero: negatiue, quod extra Cœlum nihil sit aliud, nec circumscriptiue, nec inclusiue. Primo modo Extra significat differentiam loci, eique opponitur Intra: At secundo modo non, quia intelligitur negatiue, quod nihil sit contentum à loco, sicut materia prima dicitur vna numero, quia non habet multitudinem formarum, nec includit aliquam. 12. Metaphys. Vide Iohan. de Iand. in quæst. in Arist. de Cœl. & Mundo.

Actiones ad Extra tendentes sunt actiones, quibus agens agit in aliquid externum, seu actiones circa obiecta extranea versantes: vt actiones Dei quasi προαιρετικαὶ, liberæ & contingentes, quæ creaturas respiciunt, etsi in Deo sunt quadantenus seu suo modo, immanentes tamen.

Ad extra tendunt, id est, versantur circa obiecta Deo extranea.

EXTRAHERE.

Extrahere in Physicis speciem motus localis violēti notat, vt extrahere telum è corpore. Transfertur ad ea, quæ animorum sunt, vt ex animo assensionem extrahere.

Extrahere radicem quadratam in Arithmeticis est inuenire latus quadrati per eius analysin.

2. *Extrahere est segregare* à corpore essentiam seu subtiliores partes relictis fecibus. Quod è corporea concretione relicta crassitie elementi extrahitur, Extractum dicitur quasi medulla & pars nobilissima substantiæ totius. At distrahere est diuellere diuersa ante cohęrentia, aut vnita. Vide Lexic. M. Rolandi. Estq; separare (scheiden) vel calcinare, id est, res coagulatas in calcem igne soluere (Dicunt etiam hoc cinificare) Calx autem in significatione Chymica non est tantum calx proprię humiditatis in partes tenuissimas, & quasi impalpabiles comminutas.

E vepreculis extracta est nitedula (muris

genus) (quod Ciceronianum est) vt prouerbium vsurpatur.

EXTREMVM.

Primo Aristoteles Topic. 6. loco 45. videtur extremum accipere pro fine seu eo, cuius gratia.

2. Non tamen idem est extremum & id, cuius gratia. Non enim omne extremum dicitur esse cuius gratia (τὸ ἕνεκα) sed id quod est optimum. Quare licet mors sit extremum omnium rerum, non tamen est id cuius gratia: quia non est ἄριστον.

In extremo laborare est in extrema parte laborare.

In extremis laborare est in extremo mortis tempore esse constitutum. Baldus.

EXVPERANTIA, EXVPERATIO.

Exuperantia modo in malam partem accipitur, vt cum vitium excedens dicitur Exuperantia seu hyperbole, cui opponitur vitium deficiens: modo in bonam pro excellentia, vt cum virtutis exuperantia dicitur pro virtute eximia, excellente, heroicave, vt cum Muretus ait, ingratos semper eos existimari, non eos modo, qui prouocati beneficiis gratiam studerent referre nullam, quod mihi ferarum superare immanitatem videtur: Sed omnes omnino, qui quibus in viris aliquam virtutis exuperantiam animaduertissent, non eos omni obseruantia colere, omnibus modis ornare, omni denique genere prædicationis celeberrimos efficere contenderent. Sic Cicero, populus omnem exuperantiam virtutis odit. 2. Tuscul.

Per exuperationem significatio fit, ait Cicer. ad Heren. cum plus dictum est, quam patitur veritas, augendæ suspicionis gratia. Græce ὑπερβολή.

EVENTVS, EVENTA, ἐκβασὶς, συμβαίνουσα.

Euentus 1. accipitur pro effecto generatim sumpto, vt cum dicit Cicer. causarum cognitio cognitionem euentorum facit. 2. pro effecto efficientis. 3. pro effecto per accidens, vt casu: seu casu fortuito, vnde ex euentu & per accidens à philosophis nonnullis, vt Piccolhomineo, pro eodem vsurpantur plerumque. 4. Pro exitu alicuius negotij. Sic sæpe oratores, Historici & Politici; Cic. in Rhet.

Euentum committe Deo, & fac congrua recto.

Euentus est finis, seu exitus cuiusque negotij. Dicitur eo dicitur Euentum in manu stultorum versari.

Consiliorum & rerum gestarum Euentus effecta sunt, nempe præmia aut calamitates, vitæ exitus talis vel talis, miser vel felix.

Euentus autem primo sunt aut per se, aut per accidens, vt sunt fortuiti. 2. aut sunt Regulares & ordinati, aut Irregulares. Regulares congruunt cum Regula seu ordine diuinitus vel humanitus constituto. Irregulares sunt extraordinarij, vel confusi ac inordinati. Honestæ causæ ornantur à Deo secundis euentibus, quia Deus illas comprobat, & secundi illi euentus sunt signa comprobationis diuinæ. Euenta nonnunquam opponuntur factis; vt, non euentis, sed factis (vt consilijs) cuiusque fortunam ponderari.

Per accidens] Nempe effecta, quæ præter naturam vel consilium euenirunt. Huc igitur pertinent euentus consiliorum non sperati, non exspectati, vt quando male ceciderunt bona consilia. Nam exspectati & intenti pertinent ad effectum per se à consilio ortum.

Canon.

Causis per accidens non est necesse respondere ἐκβασὶς, id est, Euentus. Itaque describitur causa per accidens Agens, quod habet euentum alium præter intentum aut ordinatum, cum tamen

men euentum illum secundum non necesse sit accedere: Fossio est causa per accidens inuenti thesauri, quia voluntas vinitoris erat fodere, vt vites plantaret. Hunc finem & effectum comitatur inuentio thesauri, quem euentum (hoc est casum fortuitum) nec fodiens cogitauerat, nec accedere necesse fuit.

Tales Euentus dicuntur *Raro contingentes.* Barbari dicunt extra semper & frequenter. Græce vocant ἀπὸ τύχης συμβαίνοντα.

Vsus.

1. Cicero iniurias, potissimum eas vocat in officiis, quæ fiunt consulto, seu de industria & cogitato (ἐκ τῆς προνοίας,) aut perturbatione aliqua, seu repentino aliquo animi motu (διὰ πάθος) (vt quæ proficiscuntur à metu, vt cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo) quæ medium quendam locum inter τὸ ἑκούσιον & ἀκούσιον habere videtur. Τὰ δὲ ἐκ τύχης συμβαίνοντα (quę fiunt casu, seu fortuito) inter iniurias non numerat, vt cum Cephalus Procini vxorem vepre latentem, feram esse ratus, iaculo confixit. Nam imprudentiæ facta ad τὰ κατὰ τύχην referuntur recte.

2. In eodem euentu potest esse confusio & ordo, diuersa ratione. Nihilque in mundo adeo ἄτακτον est vel geritur, in quo non etiam ordo diuinæ sapientiæ & iustitię aliquo modo eluceat. In parricidio Iudæorum crucifigentium Filium Dei, in seditione Absoloni horribilis fuit ἀταξία, quoad volũtates & actiones humanas, sed ordo fuit quoad consilium & voluntatem, ac finem seu scopum Dei tradentis Filium in mortem propter peccata nostra, & punientis Dauidem ac Absolonem.

Euenire, ἐκβαίνειν, τυγχάνειν, Latini effecerunt etiam per cedere, vt Hoc tibi cedit ad mortem: ἐκβαίνει, τυγχάνει. Euẽtus mortalitatis est Vlpiano casus mortis, seu naturalis fati.

EVENTVALITER.

Distinctio veterum est vtilis & necessaria, qua dicitur aliquid accipiendum esse *Euentualiter*, id est, significatione euentus seu exitus (ἐκβατικῶς dicunt Græci Theophylactus & Basilius) *non autem causæ seu efficacis operationis.* Aliquid exponendum esse εἰδικῶς, non τελικῶς. Explicationem denique hic esse τοῦ ὅτι: non esse autem disputationem τοῦ διότι, id est, non agi de quæstione, quare sit.

Vsus.

In grauissimis Disputationibus Theologorum vtilitas huius distinctionis manifesta est. 1. Ionæ 3. ad Ionam dictũ est de euersione Niniues. *Adhuc intra quadraginta dies Niniue subuertetur.* Hæc tacitam in se conditionem continent, nempe si ita pergerent viuere, cladem & ruinam vrbis euenturam intra tempus assignatum. Omnes enim commi-nationes diuinæ conditionem pœnitentiæ includunt. Euentualiter igitur non de causa per se efficiente impietatem Niniuitarum accipiatur, quasi ea in Deo resideat.

2. Dicit Deus ad Mosen Exod. 33. Prædicabo in seu corã te, quod idem est, in nomine Domini, miserebor cuius miserebor, & clemẽs ero, cui ero clemẽs. Hoc à Theologis aliter atq; aliter explicatur. Quorundã expositio fit sensu exclusiuo eiusmodi seu tali: vt Deus dicat, se certis modo quibusdam misericordem & clementem esse, certis contra iusto iudicio gratiam & misecordiam denegare. Alij homines à me ad salutem destinantur gratia mea indebita, alij ad perniciem addicuntur iusta meæ gratiæ denegatione. Interpretatio hæc Augustini & Caluini est. Alii vero ita interpretantur: Clemens ero, cui ero clemens Euentualiter, non

efficacia excluſiua tali, qua aliquibus modo velit Deus placabilis eſſe, aliquibus vero nolit. Itaque hoc volunt Iehouam dicere: In populo Iſraël prædicabo doctrinam de Miſericordia Dei gratuita: in hoc populo eam doctrinam reuelabo & quaſi deponam, qua vna via munitur ad gratiam & miſericordiam meam conſequendam, vt quisquis me propitio vtitur atq; vtetur, per hanc vnam viam, quæ hic munitur & munita eſt, illud conſequetur.

Ad propoſitiones ſeu enuntiationes ἐκβατικὰς (euentuales) ſunt referendæ ἐπαγγελτικαὶ (denuntiatiuæ) eius quod eſt euenturum. Deus prædicit Pharaoni euentum futurum, poſui te, inquit, &c. Loquitur ἐπαγγελτικῶς ſeu denuntiatiue, declaratione eius, quod ſecuturum erat Pharaonis contumaciam ſeu impiam pertinaciam, cuius author non fuit Deus, niſi forte per accidens & indirecte, vt loquitur Dionyſius Carthuſianus.

Deuter. 29. hoc pronuntiato, Non dedit vobis Dominus cor intelligens; nihil aliud dicitur, quam hoc quod eſt: Omnib. his benefactis, prodigijs & portentis non profecit apud vos DEVS tantum, vt ipſum timeretis. Τοῦτο hic ἑρμηνεία eſt, non diſputatio διότι.

Factatiſſimum illud ſedecies fere repetitũ in hiſtoria; Ego indurabo cor Pharaonis; hoc vult, quod eſt: Tam multis miraculis apud ipſum edendis tantum induraturus ſum eum, nihilque hæc omnia aliud apud ipſum ſunt profectura, quam vt ex hac aduerſatione (ſua quidem ipſius culpa) efficiatur inſanior, contraque me & meum populum bacchetur ac ſæuiat petulantius. Hæc de eſſentia huius dicti annotauit M. Bergius.

Diſputatio quoque eſt de vaſis iræ Rom. 9. dicãturne iſta ratione efficientiæ diuinæ, an Euentualiter? Quidã volunt DEVM ipſum σκεύη ὀργῆς finxiſſe, ſeu ſeu condidiſſe. Alij contra dicunt, iſta ita dici ἐκβατικῶς non ratione diuinæ effectionis ſeu ποιήσεως, quod, inquam, iſta non ipſe quidem Deus εἰς ἀπώλειαν κατήρτισε (in interitum apparauit) cum ipſorum perditionem non velit, ſed vel tum etiam, cum propoſitum ipſi eſt ob repudiatam illius bonitatem, peſſimis modis ea perdere, tamen admirabili patientia diu differt pœnas; quibus digni ſunt perire præcipitisque viæ vindictam admirabili patientia ſuſtentat. Theologis hæc ſobrie diſputanda relinquo.

EVIDENS, ἐναργές.

Euidens Ciceroni idem eſt, quod perſpicuum. Nec omnino idẽ eſt quod certum. Quædam enim Fidei noſtræ capita non ſunt euidẽtia: omnia interim certa ſunt, & firma eſſe dicuntur in nobis. Certitudo reſpicit πίστιν (crediti) obiecti infallibilitatem: Ita certum eſt, cui ſi aſſentiare, non falleris. Firmitas intellectus adhæſionem ſeu aſſenſionem conſtantem, quæ excludit omnem formidinem & dubitationem. Euidentia manifeſtationis modum, quo veritas ſic manifeſta redditur, vt intellectus non poſſit non aſſentiri. Hæc Manifeſtatio fit aut per cognitionem ἐμπειρικὴν (experimentalem) aut per complexionem notam ex terminis, aut per demonſtrationẽ. Differunt igitur Euidens & certum, vt ſpecies & genus.

Euidentia dicitur quaſi clara ſeu expreſſa viſio. Al. perſpicuitas ad ſenſum. Certitudini, euidentiæ & demonſtrationi opponitur probabile, πιθανὸν (præſumptio.)

Euidẽs cauſa dicitur αἴτιον προκαταρκτικὸν, (cauſa procatarctica ſeu laceſſens, ſeu irritatrix) à Cornelio Celſo, cauſa extrinſecus accidens, Galeno ἔξωθεν προσπίπτουσα αἰτία, vt calor, frigus, fames,

mes, satietas, ebrietas, casus externi, vt plaga, affectus animi, vt mœror, amor, qui sunt extra corporis substantiam atq; habitum, id est, subiectum, morbi. Opponitur huic causa interna, irrita, προηγουμένη. Sed Paulus Ægineta hic interdum improprie loquitur, nec differentiam hanc vbique obseruat: quod improbant Galenici. Euidens temporaria est προηγουμένη seu antecedens est stata, manens, diuturna.

Sic dicitur Euidens probatio in politicis (vt cũ Euidentia facti, vt cũ quid sensũ corporeo coram percipitur) euidens voluntas Testatoris, euidens calumnia, euidens vtilitas.

Euidentiam facti & Notorium exæquãt Canonistæ.

Quod manifestum, apertum & euidens est, nulla potest tergiuersatione celari: dicunt Iureconsulti.

EVIGILATIO, ἐξέγερσις, ἔγρήγορσις.

Euigilatio primo est propria Physica, sensuum. Estque ἐγρήγορσις ὕπνου λύσις, id est, euigilatio est somni solutio. Seu, vt Somnus est sensuum δέσμις seu vinculum: sic Euigilatio est horum ἄνεσις remissio seu λύσις. Itaque vt Somnus est in Categoria Passionis, sic Euigilatio in Categoria Actionis.

2. Est Impropria quidem, sed καὶ ἐξοχὴν vera, ἠθικὴ & spiritualis mentis ac cõscientiæ à vitiorum veterno. Ἔγερσις θυμοῦ est vim animi incitans. Ἔγερσις μανίας est in furorem concitans, insaniam prouocans. Ἐγερσίνοον apud Nonnum est mentem excitans, quæ omnes sunt Metaphoricæ locutiones. Sic ἔγερσις quoque, cuius significatio est passiua, & proprie & Metaphorice accipitur. Metaphorice, vt cum sumitur pro prompto & alacri. Sic Latini dicunt Excitatum ingenium. Proprie, vt cum Philosophus dicit: Omnis Somnus est ἔγερσις. Nam Somnus est πάθος partis sensitiuæ (μορίου αἰσθητικοῦ) seu in somno affectum est primum αἰσθητήριον. Quicquid igitur dormit, habet facultatem sentiendi, præditum est sensu. Sed in somno κυρίως proprieque & simpliciter nihil sentitur (ego malo dicere, nihil perfecte sentitur.) Neque enim simul agere & quiescere potest vna & eadem facultas. Ergo πᾶς ὕπνος ἔγερσις. Hoc scilicet argumento Philosophus Euigilationem (Physicam) esse necessariam. *Ea autem est vel spontanea, vel violenta. Illa fit sponte, hæc vi.*

Explicatio φυσικωτέρα.

Euigilatio fit vbi cor se recollegit. Tunc enim minore copia & caloris & spiritus, neque quiete amplius cerebri & exteriorum partium opus est. Itaque plus iam à se emittere incipit, etiam non poscente neque attrahente cerebro, quo fit vt cerebrum rursum incalescat, & potest hoc modo etiam non prorsus perfecta coctione, & halitibus adhuc exhalantibus, euigilatio accidere. Si tamen hæc etiam confecta est, halitu ũ etiam nihil est, & quasi materia somno præciditur, etsi hæc causa minus principalis videtur, cum durãte etiam exhalatione, sicut interdiu, coctio sine somno fieri possit, si cerebrum non refrigeretur aut humectetur. Itaque etiam inanes à cibo & non crudi dormire possunt. Qui tamen ex somno in fame euigilant, ijs humor cerebri deficiens euigilationem potissimum adfert, etsi sub finẽ coctionis, id est, hac maxima ex parte absoluta & minus halituum est, & qui sunt tenuiores, vt minus ex his liquoris fieri possit; atque ita etiam à corde & ab halitibus euigilationis causæ in cerebro concurrant, etiamsi in corde vi-

dentur esse præcipua. Cum autem alij aliter temperatum cerebrum habeãt, aliorum etiã cerebrum tardius, aliorũ citius incalescit, & liquoris etiam plus aut minus, & tenuiorem aut crassiorẽ efficit, vt hoc etiam modo aliorum sera fit, aliorum celerior euigilatio. Quorũ tenues aut pauci halitus sunt, aut cerebrũ calidius est, vt in tenuem liquorem halitus condenset, facillime euigilant, cum neruorum & sensuum organa tenuiter obstruantur, & permultum in his spiritibus animalibus loci seu spatij concedatur. Potest enim à corde & huius temperamento causa accedere. In valde defatigatis cordi plus opus est temporis ad se recolligẽdum, & cerebri & nerui vehementius sunt excitati. Itaque in his etiam somnus lõgus & serior euigilatio. Fortassis etiam Lux diurna nonnihil confert ad euigilationem, quod spiritus quasi euocet. Quæ omnia euigilationem, eam potissimum explicant, quæ sponte fit, cumque humectatio & refrigeratio cerebri somnum efficiant, nimirum cum hæc deficiunt, euigilationis causæ præsto sunt. In violenta autem euigilatione quies cerebri turbatur externarum partium commotione, & sensuum organis obiecto oblato tanto, quo sensus fiat, &, quod consequens est, cerebrum simul cum sensu occupari incipit.

LITERA I.

IDEA.

1. SIGNIFICAT speciem seu formam, seu rationem rei externam (quæ extra rem est) ex Aug. l. 83. qq. quæst. 46. Itaque à re ipsa distincta. Nec est forma rei, sed vna ex quatuor causis.

Eius descriptio est generalis vel specialis.

Generatim idea est forma seu exemplar rei, ad quod respiciens opifex, efficit id, quod animo destinarat. Seneca Epist. 66. vt pictor habet imaginis eius, quam potest, vel vult pingere, in mente exemplar.

Speciatim, seu peculiariter est forma, seu ratio rei, in mẽte diuina, æterna & immutabilis, quam intuens simile quid efficit. Hæc soli Deo conuenit.

Vel est essentia diuina ipsamet vt à Deo cognita, tanquam id, ad cuius similitudinem, seu imitationem quandam res ipsa producitur, & in quo etiam res, tanquam in suo exemplari eminenti cognoscitur à Deo. Essentia enim Dei propter perfectionem ipsius est & principium & obiectum cognitionis.

Principium est obiectiuum cognitionis rei, id est, in quo res cognoscũtur tanquam in sui simili. Oportet enim inter ideam & rem esse aliquam similitudinem, quæ modo est vniuoca, modo est analogica, qualis est inter essentiam diuinã & perfectiones creatas. Vniuoca, quæ consistit ex conuenientia essentiali.

Analo-

Analogica, quæ consistit in eo, vt talis fiat vt qualis fuit ab artifice cognita.

Non itaque idea proprie est species intelligibilis, vt quæ sit principium cognitionis quasi formale. 2. significat rei faciendæ cognitionem ipsam quatenus est rei faciendæ conformis, & quodam modo similis.

1. Corollar Idea igitur principium est operationis per modum exemplaris, quia ad eius similitudinem res effici debet. Vid. in Cõcilia tore de IDEA.

2. Corollar. Et idea est in intellectu Diuino vel creato.

De posterioribus dici non potest (quod Aristoteles tribuit Platonicis 1. & 3. Philosophiæ) quod sint formæ specificæ (id est quarum ex participatione, & velut impressione res singulares in vnaquaque specie fiunt) expertes ortus, & interitus à rebus singularibus separatæ & extra intellectum existentes. Nulla enim res extra Deum est æterna. Et omnis res quę existit hoc ipso, quod in se indistincta est & distinguitur, à qualibet re alia singularis est, illud Theologicum, hoc Philosophicum principium

Logico idea est species.

Oratori idea orationis est genus dicendi.

Esse ideale, vt loquũtur Barbari Scholastici, est esse alicuius in mente secundum speciem, in qua, vt obiectiuo principio, res cognoscitur.

Opponitur ei esse reale, seu esse formaliter, vt cum quidam falso dicunt, creaturas, secundum esse reale (id est, secundum suam existentiam, seu, secundum proprium & particulare ipsarum esse) ab æterno ea extitisse Deo. Hoc contra verum: Omnes res Deus habet in sua natura diuina, vt primo principio Eminenter (Eminenter esse creaturarum est esse Diuinum, quatenus omnes creaturæ sunt Eminenter in Deo) & secundum esse cognitum. Sic Electi antequam essent, fuerunt apud Deum, id est cogniti ab eo fuerunt.

IDEA.

Quid IDEA. 1. Idea est ratio architectatrix (id est secundum quã fit fabricatio) in mente artificis.

Est igitur Ens respectiuum, id est essentia ideę dicitur cõsistere in relatione ad aliud, seu referri ad aliud, hoc est esse exemplar alterius, seu archetypũ. Vocatur & idea prima & exemplar primum & ἀρχέτυπον exemplar.

2. Idea prima, vt & exemplar primum, interdum accipitur pro re per se subsistente, vt cum idea Mundi dicitur sempiterna, vbi Dei sapientia ratioque sempiterna, ac incommutabilis, qua Deus mundum fecit, intelligitur, id est ipse Deus. Platonici vocant Mundum νοητὸν id est, intelligibilem, à nostris oculis remotissimum: cui opponunt sensibilem, quem nos incolimus.

Mundus duplex Platonicis { Exemplaris, idealis, Spiritualis. / Pro exemplaris imagine, Typicus, corporeus.

Platoni Idea Mundi huius est quiddam ἰδιῶδες. Nam ipse est Deus qui rerum omniũ, quæ sunt in hoc sensibili mundo formas eminenter in se continet, Philo. Iudæus inquit, primitiua Idea. Idearum omnium est Dei λόγος, Idea mundi non est abstractum quid, vt accidens in mente diuina. Non enim Deus abstrahit rerum obiectarum formas & imagines, cum cogitat & intelligit, non ex vno ad aliud progreditur: cum operatur non ad speciem prius efformatam, in animo opus suum cõsiderat & examinat, ne erret, sicut homines opifices solent, qui nihil nisi ex obiecto exemplari sibi fingere possunt, & in agendo, conficiendoque ἔργα sua vtuntur διανοίᾳ, id est transit

ab vno ad aliud. Itaque mundus idealis vt diuersimode intelligitur, ita probatur & improbatur à sapientibus.

2. Ideæ sumuntur nonnunquam pro conceptionibus seu notionibus animi communibus.

Vitus Amerbachius in comment. de Philosoph. naturali, lib. 2. pag. 79. ait: Aristotelem facere differentiam inter εἶδος & ἰδέαν, ita vt hanc velit esse quiddam, si est, singulare: Illud vero generale, ac tantum notionem, seu rationem communem indiuiduis, nec substantiam absolute.

Aristoteles in lib. de prim. Philosoph. 8. scribit, ἰδέαν τῶν καθ' ἕκαστον esse, & χωρίστην. Hoc de communi animi notione accipi non potest.

Ex Gabriele Biel lib. 1. distinct. 15. quæst. 5. Idea est ratio cognoscendi rem, vel Exemplar producendi, id est, ad quod respiciens artifex efficit id, quod in animo destinarit, (sic loquitur Liuius) vt *a* Idea iuris: idea domus *b*.

Ex Augustino de sententia Platonicorũ Ideæ sunt principales quædam formæ, seu rationes stabiles, & immutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ideoque æternæ, (quæ non possunt neque oriri neque accidere) & semper eodem se habentes modo, quæ diuina intelligentia continentur.

E Gabriele Biel.

Singula propriis creata sunt rationibus, quæ sunt in ipsa mente creatoris. Rationes hæ sunt Græcis Ideæ εἴδη, λόγοι.

Ex Iohannis Serrani argumento in Parmenidem Platonis.

Sed antequam de re ipsa dico, ἰδέας vocabulum prius est mihi explicandum, ne fallat ὁμωνυμία. Non ita hic sumitur, vt quum dicimus ἀγαθὸς ἰδέαν, pro eo, qui est bona forma, id est, formoso: vel ἰδέα λόγου, pro genere dicendi, vel ἰδέα σώματος, pro eo, quod Latini dicunt speciem oris: nec vt illud Thucydideum, πᾶσαν ἰδέαν περᾶναι, pro ad omnes artes se conuertere, nec vt illa ἰδέα κακοτροπίας, χυλῶν, & cætera id genus. Quæ quidam alioqui Grammatica obiter noto, vt verus istius vocabuli apud hunc authorem, & in hoc quidem argumento, vsus intelligatur. Diogenes Laertius, non ignobilis rerum Philosophicarum rapsodus, ait apud Platonem ἰδέαν ζεύγος, παράδειγμα, ἀρχὴν καὶ αἴτιον, esse synonyma. Et recte: Ille enim est harum rerum genuinus vsus apud hunc Philosophum. Et ne omnia colligam, illustres quosdam locos tantum commonstrabo, ex quibus appareat ἰδέαν & αἴτιον, apud Platon. idem significare. In Phædone, quod εἶδος & ἰδέαν vocauerat, αἴτιον sæpissime vocat: pag. 97. 98. 99. In Philebo, τὴν ταὐγαθοῦ ἰδέαν, de qua copiose disputat, αἰτίαν δημιουργοῦσαν vocat, & seipsum exponens, τὸ δὲ ποιοῦν, inquit, καὶ αἴτιον ὀρθῶς ἂν εἴη λεγόμενον ἐν, pag. 26. Et VI. de Repub. postquam de illa ταὐγαθοῦ ἰδέᾳ, in cuius cognitione maximam versari dicebat disciplinam, sæpius egisset, addit tandem: Τοῦτο τοίνυν, τὸ τὴν ἀλήθειαν, παρέχον τοῖς γιγνωσκομένοις, καὶ τῷ γιγνώσκοντι τὴν δύναμιν ἀποδιδόν, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν φάθι εἶναι, αἰτίαν δὲ ὅπως ἥμης ἕσαν καὶ ἀληθείας. Et ibidem ait: τὸ εἶναί τε καὶ τὸ ὠφέλιμον, ὀπ' ἐκείνης rebus ipsis, προσεῖναι: Sicuti iam annotauimus. In Timæo pag. 28. Πᾶν δὲ αὖτὸ γιγνόμενον ἐπ' αἰτίου τινὸς ἐξ ἀνάγκης, γίνεσθαι παντὶ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν. Tum addit: Τοιούτῳ τινὶ προσχώμενος παραδείγματι τὸν ἰδέαν, καὶ δύναμιν ἀπεργάζεται, & ὁ δ' ἄλλος τῶν αἰτιῶν, loquens: περὶ τῆς ἰδέας δημιουργούσης: ibidem quod ἰδέαν, δύναμιν, αἴτιον, vocarat ἀρχὴν vocat. Et in eodem δι' ἃς τε αἰτίας, καὶ προνοίας

προνοίας γέγονε θεῶν, & διανοίᾳ αἰτιωτάτῃ & λεκτέα τὰ τῶν αἰτίων χθών. In summa ne in re perspicua immorer, illud constat ἰδέαν & αἴτιον apud Platonem esse συνώνυμα: ita vt quum legimus inscriptionem de Idea, norimus agi de caulis: ne (vt nonnulli iocanturin re seria, ad hanc doctrinam eludendam) Chimæras quasdam siue Tragelaphos, Idearum nomiue intelligi arbitremur. Hoc addo ἐκ προσθήκης, Platonem non ex se inuenisse hoc vocabulum, sed illud ab antiquis Philosophis sumpsisse; quo nimirum causarum vis atq; efficacitas à fortuna, & rerum fortuitarũ temeritate discriminata, ἐμφυτικότατα repræsentatur. Idea enim est παρὰ τὸ ἰδεῖν. Vt ergo opifex, artis & industriæ auspiciis aliquid acturus, opus futurum habet in animo ita delineatum, vt illud quasi præsens conspicetur, antequam reuera extet: ita & certa sunt causarum veluti ἐκμαγεῖα, in quibus rerum opifex futuras res veluti præsentes contemplatur. Contra, cæca est & improuida fortuna, mentis nimirũ perspicuitate destituta. τὸ γὰρ τυχηρὸν πρὸς τύχην, ἄτακτον τῆς φρονήσεως δημιουργὸν θεὸν, vt ait noster Philosophus (Plato) Deus ergo vel natura, veluti periti artifices, certa causarum prouidentia agunt, ac proinde certa est in ipsis rerum ἰδέα, atque repræsentatio. Addo ἰδέας vocabulum sumi etiam pro communi illa notione, quæ dicitur de pluribus numero differentibus: sicuti apud Aristotelem. Sic satis designata est vocis vis & potestas.

IDEATVM.

Ideatum est vi Ideæ productum, seu est Ideæ effectum. Sic Gabriel Biel. lib. 2. dist. vlti. quæst. vlt. Idea est exemplar, ad quod agens per Intellectum respiciens producit Ideatum. Albertus Magnus, radius diuinus est Idea diuina repræsentans se in ideatis, vnde ideata simpliciter quidem plura sunt re, sed vnumq; in quadam ratione analogiæ ad ideam, quæ simpliciter vna est subiecto & re, licet sit ibi aliqua pluralitas rationis, respectu diuersorum ideatorum, quorum quodlibet habet rationem ipsi propriam, quæ tamen non simpliciter pluralitas est in Idea prima. Hic ideatum idem est, quod productum est ab Idea. Albertus Magnus in expositione cœlestis Hierarchiæ.

IDEM numero, vnum numero, ἓν κατ' ἀριθμὸν.

Numero idem est; 1. quod penitus est secretũm ab omni alio, & plane est indiuiduum, vt quiuis est numerus, qui ab omni alio sua specie est separatus, nec addi ei quicquam, vel detrahi potest, tota ipsius mutetur species: ita essentia quælibet, tota est, & indiuidua quicquid est.

2. Numero vnum dicitur, tempore & loco circumscriptum, ὃ τῷ καθόλου εἶδει seu vniuersali distinctum.

Quæritur, an corpus viuum & mortuum sit vnum numero?

Corpus viuum & mortuum vnum numero
- Est
  - Suppositi
  - Materiæ — ratione
  - Quantitatis
- Non est ratione formæ.

IDENTITAS.

Identitas est affinis vnitati: vt diuersitas multitudini, sed non est cum illa eadem. Nam identitas est χέσις vnius

eiusdem ad alterum idem: vt è contrario diuersitas est χέσις vnius diuersi ad alterum diuersum: Vnum vero & diuersa sunt entia absoluta. Identitas vt definit Timplerus, est conuenientia vnius entis cum alio orta ex vnitate alicuius tertii (quã fundamentum vocant Scholast.) quod vtriq; conuenit.

Esta. ταυτότης, vel Realis, vel Rationis. Realis; qua vnum ens cum alio respectu alicuius tertii, realiter, vere, vel *Tanquã* idem est. Rationis idẽtitas est, qua vnũ ens cum alio tanq̃, alio raione est idẽ. Ratione idẽ esse, est secundũ mentis nostræ conceptũ idem esse. Talis est idẽtitas eiusdẽ ad seipsum, quia hic extrema nõ sunt re ipsa diuersa, sed ea tãtũ ratione distinguuntur, Intellectus enim eodẽ vtitur, vt duob. vt hic homo est sibi ipsi amicus. Identitas igitur non est vnitas formaliter, sed in sensu causali, hoc est, fundatur in vnitate. Secundo identitas, κατ' ἐξοχὴν dicta, fundatur in vnitate substantię, seu essentiæ. Ita similitudo non dicitur identitas: idem iudica de qualitate.

IDENTICA.

Identica est prædicatio eiusdẽ de eodẽ: estq; identica

- Simpliciter per se & naturalis
  - Eiusdem voce etiam gladius est gladius.
  - Eiusdem aliter nominati: vt Ensis est gladius σκάζοντες, sunt iambi claudi: Hoc est corpus meum, id est Thomę Aquinati hoc quod continetur, seu latet sub specie panis est corpus meum. Hoc est corpus meum, id est Lutheranis, hoc quod latet seu continetur sub substantia panis est corpus meum.
- Ὁποσῶν, quodammodo per accidens & non naturalis, vt subiecti de accidente: vt albũ est lignũ, hæc prædicatio significat illud cui accidit esse albo esse lignũ. Non igitur ipsum albũ, sed id, quod est subiectum albo dicit esse lignum. Zabarella & Auerroes.

Ab hac differt ἀδολεσχία, inutilis repetitio, cum sæpius de re quadam prædicatur idẽ eadẽ significatione, quæ est vel explicata, vt est homo, homo albus, vel implicata, vt Dialectica est ars & via docendi. Arist. lib. 6. Top. Scheck. in organo περὶ ἑρμηνείας, pag. 134.

Identica prædicatio est

- Omnino in qua idem prorsus est subiectum cum prædicato.
  - Thomas est Thomas. Sic Scotus.
  - Ego ipse sum: ait Christus.
- Fere quodammodo cum aliqua intercedit identitas inter substantiam & prędicatum
  - Hic homo est Deus: sic Bonauentura.
  - Iesus est homo. Idẽticæ hæ sunt, qua vnũ vere affirmatur esse alterũ. Sic Greg. de Valent.

In prędicationibus veris propriisq; affirmatis identitas significatur.

- Secundum formam
  - Vtriusq;: Homo est animal rationale.
  - Alterius: Secundũ essentiã.
- Secundũ vtriusq; suppositum seu subiectum tantum.
  - Homo est albus.
  - Hic homo est Deus verbũ.

Explica-

Explicatio per Exempla Valentiniana.

Cum de homine vel de corpore affirmo, quod sit album, nõ secundum formæ vtriusque vnum de altero affirmo, sed solum secundum subiectum seu suppositum vtriq; commune. Sensus est enim, hominem, vel corpus esse id, quod habet sibi adhærentem albedinem. Id enim significat proprie albũ, nempe habens albedinem. Hoc autem modo, & sensu identitatem etiam corporis & albi similiter secundum suppositum siue subiectum significo. Illud enim ipsum suppositum, seu subiectum, quod est corpus identice est habens, seu est id, quod habet albedinem inhærentem, quod significatur proprie per nomen album. Cum autem dico, homo secũdum suam essentiam est animal rationale: quia non modo secundum suppositum, sed etiam secundum formam vtriusque, alterum de altero affirmo similiter identitatem secundum formam eius, quod significat vox homo, & eius, quod significat vox animal rationale denoto.

Vsus.

In omni effato, quo vnum de altero vere proprieq; affirmatur, aliqua identitas vtriusque significatur pro modo ipso & ratione affirmationis, vnius de altero, vt si secundum formam affirmatur, identitas significatur secundum formam. Si secundũ suppositum seu subiectum tantum, itidem necesse est vt significetur identitas secundum suppositum seu subiectum. Sed inter hominem Christum secũdum proprium suæ humanitatis suppositum naturãq; diuinam, & id quod proprie stgnificat nomen Deus, verbum, omnipotens &c. vere potest significari identitas, non autem inter Christi humanitatẽ, seu Christum secũdum humanitatem & id quod itidem eiusmodi nominibus, nempe verbum, Deus, omnipotens, &c. significatur.

Ergo homo Christus secundum suam naturam diuinam ac humanitatis suæ propriam hypostasin vere & proprie affirmatur esse Verbum. Deus Omnipotens, non autem etiam ipsa Christi humanitas seu Christus secundum humanitatem. Ass. probatur. Quia nomina illa Verbum Deus Omnipotens significãt id, quod per essentiam suam internam habent, id est habens subsistentiam verbi, habens diuinitatem, habens omnipotentiam. Homo autem Christus secundum personam quidem humanitatis suæ, & suam naturam diuinam, non autem secundum humanitatem, identice est id, quod per suam essentiam habet subsistentiam verbi Diuinitatem & Omnipotentiam. Ita fit vt inter hominem Christum secundum suum proprium ὑφιστάμενον suamq; naturam diuinam & significatam illorũ nominum, verbum Deus omuipotens vere possumus significare identitatem, nõ autem inter significatum eiusmodi nominũ & Humanitatem Christi seu Christum secundum ipsam etiam humanitatem. Et cum hæc fuerit Syllogismi propositi assumptio, recte etiam sequitur cõclusio. Vere proprieq; affirmari non posse Humanitatem Christi esse verbum Deum omnipotentem, Gregor. de Valent. contra πρόμαχον παναχθ-σίας. Ἀδύνατον est prorsus vt Homo sit secundum formam seu essentiam hominis idem cum Deo. Induceretur enim identitas Formarum, quæ gignit ἀντίφασιν. At δυνατὸν est secundũ suppositum postquam caro diuino supposito est vnita personaliter, vbi identitas aliqua significatur, ibi cessat disparatio. Cum aliquid de altero proprie affirmatur & vere, vt hic homo est Deus, eiusmodi affirmatione aliqua identitas significatur. Ergo ibi cessat

disparatio, id est, etsi naturę ipsæ disparatæ sint, tamẽ Hic homo & Deus disparatorũ hic rationẽ nõ sustinẽt: identitas intra hunc hominẽ & Deũ, quę est in supposito, non patitur disparationẽ.

Syllog. Quæ vnum sunt secundum suppositum (non secundũ naturam seu formã) non habent rationem disparatorum. Homo Christus & Deus sunt vnũ secũdũ suppositũ: vnde recte dicitur persona filii hominis est persona filii Dei. Persona humana est eadẽ diuina. Ergo nõ habẽt rationẽ disparatorũ.

Disparata de se mutuo affirmari nequeunt, si in vllo vno vel subiecto vel supposito conueniant.

In vera enim affirmata necesse est vt p̃dicatũ in aliquo sit idẽ cum subiecto.

At quę in inusitatis huius mysterij enũtiatis disparata de se mutuo enunciantur, ea secndum commune vtriusq; suppositum vocabulis cõcretis. (Deus & homo) significatum enuntiantur. Ergo proprie dispatata non manent. At hic humanitas est Deus, Deitas est passa, mortua, nulla significatur cõmunio in supposito. Ergo proprie enunciantur disparata, & falsę sunt hę enũciationes.

IDIOTISMVS.

Idiotismus accipitur dupliciter. 1. pro proprietate linguæ alicuius, vt idiotismus Hebraicus, id est Hebraismus. Idiotismus Atticꝰ, id est Atticismꝰ. 2. pro vulgari dicendi modo, quem facit Scaliger electæ orationis vitiũ lib. 4. poetic. pag. 1.

IGNIS.

Ignis significatus
- Proprius
  - Elementaris, simplex & purus εἰλικρινὴς. Hic verũ colorem nõ habet sincerꝰ & à fece terrena liber est in ꝓpria regione.
  - Vsualis διακονικὸς nostras: Mixtus, vt Ignis in Alembico. Eum perfundit flauus color ab opaci terræ admistione.
- Transsumptus, sic calor febrilis, & Erysipelas, dicitur ignis, item scortũ. Itẽ incẽdia in aere, meteora ignita, seu ignes meteori ὑπεκκαύματα Aristoteli (Alio significatu Hippocrates 1. Aphorismorum aliměta vocat ὑπεκκαύματα, nẽpe quia calorem naturalem fouent.)

In historiis Africanis scriptum est, ait Scaliger ignem in Lybia pro Deo habitũ quę vestaliũ ritu perpetuũ seruarẽt. Ignẽ pro cœlo accipere alienũ est à Philosopho: etsi cũ in prouerbio dicitur, Miscere terrã πυρὶ πῦρ videatur dictũ, pro cœlo seu æthere. Ignis Physicus seu naturalis πῦρ φυσικὸν Aristoteli est calor naturalis, in quo posita est vita, cuius caloris extinctio mors.

IGNORANTIA. ἄγνοια.

Ignorantia Aristoteli est
- Puræ negationis: Mera & absoluta scientiæ negatio καὶ ἀπόφασιν. Cum tota penitus abest cognitio.
- Prauæ dispositionis (καὶ διαθεσιν) notitia falsi, opposita notitię veritatis, vt cum quis prauam cogitationẽ animo fouet, qua se ipsum & alios decipit. Hoc omnimodo peccatum est. Vel quasi incoatæ formæ.

Vsus. Ignoratio à qua incipit discursus Philosophicus, est ignoratio, quasi incoatæ formæ, non puræ negationis.

Purę negationis est
- Iuris. Hæc est vitiosa, cum est affectata.
- Facti. Hæc nõ semper est peccatum.

Ignorantia Platoni est
- Philosophica (καὶ ἀπόφασιν Aristoteli) eorum qui nihil sciunt, discere tamen cupiunt.
- Sophistica, (κατὰ διάθεσιν Aristoteli) eorum qui peruicaces & obstinati discere nolunt.

Recipiẽs rẽ alienã bona fide, siue per donationẽ, siue per emptionẽ, aut cõmutationẽ nescies nec credes eã male acquisitã, nõ tenetur eam restituere, si ignorantia nõ fuerit crassa, Hostiensis.

Si re-

Si recipiens rem alienam, scit probabiliter eam esse raptam, & tamen nescit à iure ciuili prohibitum esse eam emere, eius ignorantia non excusat, quia illa prohibetur, à iure naturali traxit originē. Hic habet locum axioma: Ignorantia facti, non iuris excusat.

Crassa ignorantia dicitur, cum non diligenter inquiritur de re.

Ignorantia est vel quæ agnoscitur ἀναμάρτητος vtilis, cum ea ignoramus, quæ erant nocitura. Plat. 2. Alcibiade, vel cum putat aliquid quis scire, quod ignorat ἐπονείδιστος, cum ea ignoramus, quæ nosse debemus.

Ignorantiæ conscientia est commoda ad discendum παρασκευὴν.

Ignorantia prauæ dispositionis est, cum cognitionis quædam inest facies, sed neutiquam suis picta coloribus. Idq; duobus euenire modis potest: Vno quod sit falsa conclusio, non solum è falsis, sed etiam è veris: veluti si dicas, Quadratura circuli non est in natura. Falsa est hæc, omne enim spatium definitum, alicui definito æquale esse oportet: adde rationē: Quia noscitur ab hominibus. Hæc ratio vera est, quæ tamen ex se ipsa falsam peperit scientiam: Altero modo cum vera sit, aut è falsis, aut non necessariis. Non enim est scientia, sed opinio: Neq; ille qui eo habitu præditus sit dicere queat: scio. sed ita mihi videtur. Scaliger poetic. lib. 3. c. 1.

Ignorantia ἀποφατικὴ, eorum est, qui cum nihil sciāt, tales quippe vulgo videtur esse, vt vulgus, rude & indoctū.

ἰωτικὴ eorum, qui ne id quidem sciunt, quod nihil sciant, sed falso sibi & aliis persuadent se sapientes esse, tales sunt sophistę δοξόσοφοι, eruditionis famam & opinionem affectantes. Theodorus Zwingerus in Theatro vitæ Hum. vol. 3. pag. 203.

I L L A B I.

Illabi est intime esse præsens alicui secundum substantiam & præsidentiā, Gab. Biel. lib. 2. dist. 8. quæst. 2. Illapsus est talis præsentia, seu est ingressio secūdum substantiam & regimen, seu dominationem plenam, & opponitur ingressui ac influxui, secundum effectum gratiæ, vel malitiæ. Ita Deus dicitur illabi animæ. Scoto præsentia Dei per illapsum frequens est, ὁλόγος dicitur humanam naturam sibi ita appropriare, & quasi ad se attrahere, vt illapsu, seu influxu suæ personalitatis eam singulariter sustentet & gestet. Sed generalius etiam ab aliis accipitur pro influere etiam secundum operationem, & ita illapsus etiam est operatio, seu ingressus secundum effectum, seu virtutis alicuius exertio. Sic Dei in Paulum Apostolum illapsus seu influxus dicitur, pro gratiosa quadam in eum operatione. Vid. Lombard. lib. 3. dist. 6. Thom. part. 3. quæst. 2. artic. 1. Gregor. de Valen. Tomo 4. quæst. 1. punct. 1. Zanchium de incarnatione pag. 200.

Illapsus sanctificatus Spiritus Dei dicitur, cum datur in donis Spiritus Sanctus, illapsu suo sanctificatiuo hominem per gratiam inhabitat.

Illapsus { Generalis / Specialis in vnione personali.

I M A G O.

1. Imago est homonymū, vt & exēplum. Nam imago aut est id, ad quod vel ad cuius exemplum, aliud fit vel est: aut est id, quod ad aliud seu secūdū aliud fit. Priori significatione Imago dicitur ἀρχέτυπος, & πρωτότυπος, vt Deus, posteriori imago est ἔκτυπος expressum quid ad illā priorē, vel eā adumbrans, seu quasi lineamentis quibusdam repræsentans, vt homo. Sic accipiūt Platonici, & ex horum dogmate illud in Genesi, Faciamus hominem ad imaginē nostrā, interpretātur nonnulli de Idea, quasi p̄formata in Deo ab ęterno. Sed hæc nō satis cōuenit veritati historiæ. Vid. prælectiones F. Iunij in 1. cap. Genes. & Cyrillum lib. 2. cont. Iulian.

2. Ima-



Pictæ) Muta imago, Ciceroni est pictura.

πνευματικαὶ) Huc refer imagines, quibus animi pulsantur, imagines memoriaq;: item quæ multis physicis, fluere à corporibus solidis dicuntur.

3. In oratoria imago est oratio demonstrationis corporum aut naturarum similitudine. Et imago est formæ cum forma, cum quadam similitudine collatio. Cice. de inuent. & ad Herenn.

Theologorum hæc est distinctio.

4. Imago hæc est increata, & essentialis & immutabilis: vel creata accidentalis & mutabilis. Christus est imago Dei patris, sed non res creata, neq; tenuiter adumbrans, sed plene exprimentis patris ὑπόστασιν. Homo est imago & similitudo Dei vt ἀρχετύπου creata, maiestatem & perfectionem Dei adumbrans, est μέτοχος Dei κατὰ μετάδοσιν.

Porro in nomine Theologi imaginem dupliciter considerant: primum secundum creationis legem, seu in natura & conditione hominis, vt primum à Deo extitit. Ita *quæ* in homine est imago Dei, cõsistit in tribus. 1. *In Essentia*, nempe anima spirituali, immortali, intelligente, volente, quæ post lapsum mansit? 2. *In Rectitudine*, quia in mẽte hominis fulgebat lux recte agnoscens Deũ, in voluntate, corde, appetitionibus est cõformitas cũ Deo. 3. *In statu*, quia homo imperium tenebat in creaturas, cum omnium bonorum affluentia, & felicitate. Hæ duæ partes imaginis ex peccato sunt amissæ. Deinde secundum legẽ instaurationis, vel gratiam Dei, prout in Christo indies renouetur, & perfectionem summam olim adeptura est. Ioachimus Camerarius vocem Imago, deducit ab antiquato accusatiuo Im, ab Is, pro. eum, vt sit eum referens.

I M A G O.

Imago vox relatiua est, cui respõdet πρωτότυπον, & est similitudinum species.

Imago opticis est forma visibilis à polita superficie reflexa. Albazen⁹ in proœm. lib. 5. c. 1. prop. 1. seu est, forma in Speculo comprehensa. Vitello def. 13. lib. 5.

Imago aut est rei veræ, aut rei falsæ. Rei veræ seu extantis, imago est vel essentialis, vel accidentalis. Essentialis in diuinis est character hypostaseos Dei, Filius vocatur etiam φυσικὴ. Accidẽtalis est in creaturis μιμητικὴ, estq; vel mundus, vel rationalis creatura, vt quod dignitatem causalitatis, Deus etiam cum creaturis, cõmunicauit pro ipsa-

ipſarum modo. Mundus ideo ab Euſtathio magnum Dei idolum dicitur. Sæpe enim idolum accipitur pro imagine ſiue ea parua ſit, ſiue magna, Rationalis creatura, vt Angelus vel homo, qui (Homo) imago dicitur κατ' ἐξοχὴν propter imperium in res omnes inferiores, & rurſus ex hominibus vis κατ' ἐξοχὴν imago & gloria Dei appellatur 1. ad Cor. 11. quia poteſtatem etiam habet in vxorem, quam nõ habet hæc in illum. Imago rei falſæ, per ſynecdochen dicitur Idolum. Dico per ſynecdochen, quia interdum etiam per idolum imago rei veræ intelligitur, vt effigies veri hominis Sapient. 14. Gen. 21.

Varia imagines nominãtur idola. Cic.

Differt imago à ſimili, vt ſpecies à genere. Non enim omne ſimile habet rationem imaginis.

Imago
- ſit
  - Expreſſa è re, cuius eſt imago. Sic filius eſt Imago patris. Tui vultus imago, quæ eſt in ſpeculo, ex tuo vultu expreſſa eſt.
  - Effoꝛmata ad exemplar, ſeu formam rei. Sic princeps pictus eſt imago viuentis principis.
- Referat ſpecificam rei cuius eſt imago
  - Eſſentiam, vel figuram (aliamve qualitatem)
  - Vtrumq;.

Itaq; ouum non eſt imago oui, etſi ſimile ſit ei.

Vſus.

Quæſitum eſt, qualis imago Dei attribuẽda ſit animæ noſtræ. R. anima noſtra habet imaginem diuinitatis κτιστὴν & μιμητικὴν, non φυτικὴν, quæ filio Dei tribuitur, vt qui φύσει εἰκὼν (expreſſiſſima) Imago ſit τοῦ θεοῦ ἀοράτου, creaturis etiam alijs, quam homini attribuitur imago Dei. Plato enim differit Mundum eſſe effigiem Dei (quo fit vt dicant Scholaſtici, creaturas eſſe creatoris explicationem) ſed non κατ' ἐξοχὴν.

IMAGINARIVM.

Imaginarium accipitur paſſiue (ſicut aliquando Nuncius pro ipſa re nunciata) pro eo quod Barbari dicunt imaginatum, Latini imaginatione conceptum, effictum, phantaſia adumbratum, cogitatione informatum.

In iure dicuntur imaginaria (vt venditiones, quæ non vere, ſed ſimulate dicis cauſa fiunt; noſtri dicunt **zum ſchein vnd pro forma.**

IMITATIO.

1. Generaliter. Eſt alicuius ex aliquo expreſſio, ſeu eſt exempli ab aliquo trãſlatio: Eſt vere expreſſio: Imitari enim eſt aliquid ex aliquo exprimere, exemplum ab aliquo transferre. Cicero ait: In omne re vincit mutationem veritas.
2. Specialiter Imitatio in oratoria eſt, qua impellimur cum diligenti ratione, vt aliquorum in dicendo ſimiles eſſe velimus, vt ait ad Herenn. Cicero.

Imitatio
- Recta, temeraria, vitioſa.
- Deprauata, temeraria, inconſiderata.

Æmulatio plus eſt quam imitatio, vt cum dicitur: Fiunt parodiæ, non ſolum per imitationem, ſed etiam per æmulationem. Talis modus eſt, qui non ſolum imaginem aliunde ſumptam, artificioſe ſuis numeris abſoluit, ſed etiam eam multo ampliorem & ſplendidiorem efficit. In hac re Virgilius magnus artifex inuentus eſt, cum 4. Æneid. Catullum non ſolum imitatus eſt, ſed etiam æmulatus in Didone ſua: Barthol. Rictius in lib. 2. de mutatione poetica. Ciceroni tamen aliquando ſunt paria, vt cum dicit: Ille æmulus & imitator ſtudiorum meorum.

3. Imitari pro aſſimilare vel effingere in

malam partem accipitur à politicis: vt imitari chirographum, id est adulterare, quod capitale crimen est. Sic Imitator pro effectore, Imitatio pro adulteratione, effictione. vide l. quid sit falsum. ff. ad legem Corneliam de falsis. Cæsar Maximilianus symboli sui imitatorem Erardum, à sylua, post amputatam dextram vltore gladio puniuit frequẽti curia apud Laureacũ.

IMMEDIATVM.

Quod est, vel fit sine medio, vel logico, vel physico, vel artificioso, vt Mediata Manducatio, quæ fit per medium seu in alio obiecto. Immediata, quæ fit sine medio.

- Propositio
  - Mediata
  - Immediata secundum
    - Rem: seu rationem rei. Est & propositio, non solum secundũ cognitionem, sed & secundum rem immediata vt principium demonstrationis.
    - Cognitionem, id est rationem ipsius cognitionis. in sola materia necessaria. Vid. Zabarell. in 1. post. analyt. text 165.

2. Propositio immediata in materia est necessaria vel cõtingente. Ratione cognitionis animę datur immediata propositio etiam in materia contingente & probabili, cum enim propter magnam rei probabilitatem opinamur aliquid per se ipsum, non ductu aliquo medio, hæc dicitur opinio mediatæ propositionis ab Aristotele. Si res ipsa spectetur datur propositio immediata

Quælibet immediata propositio potest à posteriori, Id est, per effectũ posteriorem demonstrari, vt hic homo est λογικὸς per medium γελαστικὸν. Et tamen dicitur, immediata, quia nullum habet medium prius, quod sit causa, non solum cognitionis, sed etiam rei.

- Immediata Aristoteli etiam indiuidua
  - Affirmatiua, quæ medium non habet, quod sit causa inhærentiæ, prædicati in subiecto.
  - Negata, cuius & subiectum & prædicatum, est genus summum, vt nulla substantia est qualitas.

Immediate prædicari Aristoteli lib. 1. poster. analyt. context. 104. est indiuidue prædicari: Hoc est, cum nulla causa media interposita est, per quam subiectum de prædicato affirmetur vel negetur, hinc dicitur indiuidue prædicati propterea, quod propositio per medij interiectionem diuiditur in duas, per quas demonstratur.

Immediatius se habere ad aliquid Scoto est, esse propius, essentialius, magis intimum alicui, q̃ magis habent rationẽ perfectionis, vt illud, quo suppositum constituitur formaliter, immediatius se habet ad naturã, quam proprietas aliqua. Dicitur immediatius aliquid dupliciter vel positiue, vel negatiue. Positiue ita vt nullum sit mediũ inter primum & vltimum. Negatiue ita, vt excludatur medium inter extrema.

Immediatius positiue est, ꝙ tanquã medium inter extrema includitur. Immediatius negatiue dicitur, vbi aliquid tãquam mediũ magis excluditur ex gratia. Superficies est immediatior substãtiæ quam color, ita vt habeat rationẽ medii positiue inter illa, scilicet colorẽ & substantiam. Sed potentia ridendi est immediatior homini, quã color negatiue. Non enim mediat inter extrema illa positiue, sc. hominem & colorẽ, sed magis excluditur mediũ inter hominẽ & potentiã ridẽdi, quã inter hominẽ & colorẽ. Scot. in Quodl. quęst. 1.

IMMORTALIS, ἀθάνατος.

In disputationibus vtilis est distinctio.

IM-

Immortalis dupliciter accipitur. 1. pro eo quod est Non posse mori, quod vnius Dei est. 2. Pro eo quod est posse nõ mori, quod hominis est. Adam⁹ enim potuisset nõ mori, si nõ peccasset. Vsus huius distinctionis est in disceptatione quæstionis, An primus homo fit creat⁹ immortalis, seu an fuerit ab ipsa creatione protoplasti ἀθάνατος, & an verum sit, mortem σωματικὴν primorum nostrorum parentum fuisse pœnam peccati, quæ quidã negant. Idem iudica de voce ἀμάρτητος.

Ἀμάρτητος est, vel qui potest non peccare, vt homo ita conditus est, vt potuisset nõ peccare, si voluisset: vel qui non potest peccare, quod proprie solius Dei (immutabilis prorsus) est. Scholastici vocant Impeccabilem. Vide Ludouici Lucii discep. schol. in qua distinctiones hæ aduocantur contra Socinianum Guttichiũ. Nõ tamen debeo dissimulare τὸ ἁμάρτητος proprie significare negatiue eum, qui non peccat & eũ qui peccare non potest: Et item τὸ ἀθάνατος eum, cuius esse non desinit, seu desinet ὁ μὴ ϛερησόμενος τοῦ εἶναι, sicut loquitur Nazianzenus.

IMMORTALITAS.

Immortalitas vt natura ex qua Deo substantia inest, hominis non conuenit.

Immortalitas quatuor modis sumitur.

1. *Pro impotentia, seu potius impossibilitate moriendi absoluta* & naturæ, ita sol⁹ Deus immortalitatem habet, vel potius est ipsa immortalitas.
2. *Pro impotentia moriendi ex gratia* creationis, ita angelis & animæ humanæ conuenit immortalitas.
3. *Pro impotentia moriendi ex gratia doni*, seu ex Dei pietate: sic corpora beatorum incorruptibilitatem, & immortalitatem habebunt.
4. Pro potentia non moriendi, seu negatione actus moriendi, ex aliqua hypothesi; licet id cui hæc negatio conuenit in se sit mortale. Secũdum hunc modum, homo primus creatus est immortalis. Etenim homo ante peccatum immortalis erat corpore ex hypothesi vnionis cum anima originaliter perfecta immortali. Corpus licet in se compositum materiatum, corruptibile tamen vi animæ perpetuam humorum, spirituum harmoniam erat conseruaturum, ab omni morborum intemperie, lue, morte immune, si non interuenisset peccatum. Dauid Paræus in lib. de grat. homin. prim.

Homo potuisset non mori, si non peccasset.

Obiectio. Hominis natura fuit ex elemẽtis & humoribus contrariis conflata, vnde interna manat potentia corruptionis, fuit generabilis, cibo & potu indiget. Ergo etiam mortalis fuit & corruptibilis. Soluitur distinctione potentiæ & actus. Corpus in se fuit mortale. Potentia licet nunquam moriturum esset ante peccatum, sicut caro tua nunc est vulnerabilis, licet etiam nunquam vulneretur. Nota hic obiter aliud esse potentiam non moriendi & aliud impotentiam moriendi.

Homo mortalis fuit, id est, mori potuit conditione corporis.

IMMVTABILITAS.

Immutabilitas est, quo quid mutari nequit.

Ea est
- Dei relata ad
  - Essentiam, simpliciter inuariabilis, id est absolute ad vnum oppositorum semper determinata.
  - Actionẽ externã: ad cõtraria indifferẽs: ad opposita vertibilis.
- Naturæ, cuius etiam gradus sunt.

Aliquid est vel *immutabile* absolute, vt pẽdẽs ex simplici, naturæq; diuinæ necessitate, vel *ex hypothesi* diuinę *ordinationis seu cõstitutionis*, vt saluatio hominũ per Θεάνθρωπον Christũ. In specie immutabilitas seu ἀμεταλυσία in physicis Aristotelis est mutationis vacuitas. Hæc proportione respõdẽs quieti, opponitur mutationi. 5. Physic. Aristotelis cõtextu 55. Sicut enim ad motum se habet status seu quies, sic ἀμεταλύσια ad mutationem.

IMMVTATIO.

Immutatio Physica est vel φθαρτικὴ, id est corruptiua (vt dolorifica) vel est τελεωτικὴ, hoc est, perfectiua, quæ à Barbaris vocatur saluatiua, vt cũ Scotus ait lib.3.dist.15.prima radix doloris est immutatio offensiua, vel corruptiua διαθέσεως, conuenientis naturæ, contra prima radix delectationis est, immutatio saluatiua, dispositionis conuenientis naturæ.

IMPERFECTIO.

Imperfectio in rebus (creatis) duplex est, seu quicquid imperfecti rationem habet, in his quæ sunt, duplici definiuntur capite: Alterum est, cum quid in re est, quod in genere illius rei minus perfectum est. Alterum cum perfectum suo quidem in genere est, sed ideo non simpliciter perfectum, quia vnius tantum generis perfectionem habet, non multorum aliorum, nimirum extra ipsa genera, quæ suas perfectiones habent. Exemplum primi. Cognitio sensitiua, non ideo solum imperfecta est, quia cognitio tantum est, & non appetitio, sed quia imperfecta cognitio est, cũ quia organo eget bruto, & corporali, tum quia extrema tantum attingit, verum ad intima, id est, ad substantiam non peruadit. Cognitio hominis rationalis imperfecta est, quia incerta & laboriosa vita, quæ est in plantis, imo, quę est in omni corpore, nõ solum ideo imperfecta est, quia vita est tantum, & non cognitio. Sed quia non pura vita, sed potius viuificatio quædam, ab anima in corpus deriuata semper fluens, semper admistum habet aliquid mortis. Sed nec perfecta vita Angelorũ est, quam nisi perenniter viuificus radius diuinę lucis foueret, in nihilum tota dilaberetur.

Picus de Ente & vno.

Exemplum secundi: Concipe voluntatẽ Angelorum bonorum perfectissimã, vitam eorum item talem: Huic vitæ & voluntati aliquid imperfectionis admistum est: ita vt non possit dici simplicissima, quia non est Dei vita & voluntas. *Particularis participatio creaturæ. Dei vniuersalis. Augustin.*

Sapientia Dei non plus est sapientia, quã iustitia, & vicissim, Vita Dei non plus est in eo vita, quam cognitio, & vicissim, sed sapientia creaturæ, & iustitia in ea non sunt vnum.

Scotus in Quodlib. lib.1.distinct. 8. Imperfectum negatiue vocat, quod non est capax alicuius perfectionis, corpus animale est subiectum imperfectũ negatiue, id est, non capax perfectionis corporis spiritualis seu glorioſi. In creaturis igitur imperfectio cum perfectione mista est. Exempli causa: In generationibus successiuorum, hoc est perfectionis in eis, quod dum fiunt, sunt. Hoc vero imperfectionis in eis, quod nõ manent, sed habent esse tantum in fluxu partis post partem, exemplo est motus Physicus, vt alteratio. In generatione permanentium, hoc est perfectionis, quod manent, illud vero est imperfectionis, quod non sunt, dũ fiunt, quia hoc ponit imperfectionem in faciente. Faciens enim non est perfectum. Exemplo est calor in aquam ab igne inductus. Scotus in Quodlib. lib.1.distinct. 9. Augustinus 15.de Trin. cap.15.

Hoc imperfectionis est in nostro verbo, quod est formabile, antequam formetur (cogitatione) at formatum perfectum est. Omnino forma in creaturis habet aliquid imperfectionis, & aliquid perfectionis. Imperfectionis, quia est forma informans aliquid & pars compositi non potis existere extra illud quod informat. Perfectionis, quia est id, quo aliquid est tale, seu est ratio essentialis alicuius creaturæ. Sapientia in nobis est accidens, hoc est, imperfectionis, sed quod sapientia est, id quo aliquid est sapiens, hoc non est imperfectionis, sed essentialis ratio- *Verbum nostrum in fieri.*

nis sa-

nis sapientiæ. Sapientia enim est forma sapientis.

Imperfecto negatiue opponitur imperfectum priuatiue. Imperfectum priuatiue est, quod caret perfectione aliqua, seu quod capax est alicuius perfectionis, quam non habet, sic homo imperfectus est priuatiue, qui est monoculus, vel mancus.

Quæritur, an infans parentis Christiani, iam in lucem editus sit infidelis? Resp. est infidelis, hoc est, non credit; Imperfectio hęc est negationis, seu negatiua. Non est infidelis, hoc est, non caret fide, hæc est imperfectio priuationis, seu priuatiua: nam carere fide, est imperfectio priuationis, qui capax fidei non est, non potest dici carere fide, sed tantum non habere fidem. Infans ergo talis hic subiectum est imperfectũ negatiue, non priuatiue.

Nota, cum hic dicitur imperfectio negationis, vel priuationis, id accipiendum esse intransitiue, non transitiue. Sensus enim est imperfectio, quæ est priuatio. Imperfectio, quæ est negatio.

IMPOSSIBILITAS.

Impossibilitas potentiæ
- Ex parte Dei.
- Ex parte Rei, vt infiniti impossibilitas; Itaque hoc non potest fieri.

Impossibile aliquid
- Secundum legem Dei ordinariam, ist est, vt nunc sunt res à Deo constitutæ, & ordinatæ, vt: non potest ignis humectare secundum potentiam Dei ordinariam, impossibile est sedentem ambulare actus ratione. Sic causæ naturales non habent potentiam, vt nulli ptæexistente subiecto agant.
- Secundum potentiam Dei absolutam id simpliciter impossibile, vt creaturam producere non ex non ente. Creatio enim è nihilo ita proprie Deo conuenit, vt nulli rei alij conuenire, nulli creaturæ communicari possit. Deum fabricare non ens: obiectum enim diuinæ potentiæ tantum est ens. An Deus in id, quod omnino non est, agere possit: quæstionem mouet Scaliger exerc. vlt. sect. 9.

Impossibilitas recipiendi in subiecto prę-existente est, vel ex parte agentis, vel ex parte passi.

Ex parte passi 1. vel quum simpliciter, id est, ex natura sua repugnat, vt lapidem esse sapientem.

2. Vel quia subiecto, quod habet vnum contrarium, repugnat, simul habere, & alterum, ita mortalitas fere repugnat beatitudini perfectæ. Anima enim beatitatis susceptrix, non potest esse perfecta beata corpori mortali coniuncta: Scotus lib. 4. distin. 49. Dicitur Ferè, quia miraculum fuit, quod in Christo ad mortem vsque simul fuerunt beatitudo & mortalitas propter repugnantiam effectuum. Vide ibid. Scotum de Repugnantia formali, & virtuali. Impossibile effatum Logicis est, quod semper, necessarioque falsum est, vt homo est lapis. Impossibilitatis effatum est, Scaligero effatum modale, seu modificatum, modo, qui impossibile dicitur, vt homo nullus potest esse Deus, vel lapis.

IMPLICAT. INVOLVIT.

Implicat Scholastica Ellipsis est vsurpatissima. Hoc implicat intellige contradictionem: Implicat autem contradictionem, quod per se consecutionem eam importat, seu infert, vt non esse & miserum esse, creaturam esse, & infinitum esse. Implicare contradictioné dicuntur duæ propositiones, è quarũ altera sequitur contradictoria alterius, vt hic, Mortui sunt miseri. & mortui non sunt.

Hic ex priore enuntiato sequitur contradictoria posterioris, nempe Mortui sunt. Itemque ex posteriori sequitur contradictoria prioris, nempe Mortui non sunt miseri. Nam si mortui sunt miseri, certe mortui sunt, & vicissim, si mortui nõ sunt, nec miseri sunt. Abest (vt olim loquebantur) tertius adiacẽtis, adest secundi adiacentis)

Sunt autem paria

Implicare contradictionem.

Inuoluere cõtradictionẽ, repugnantiam,

Ασύςατον esse, destruere seipsum.

Σιδηρόξυλον esse ein hültzern schüreisen/ eine leinen Duchscher/ Genserwein. Repugnantia in attributo, pugnantia in adiecto: id est, cum consequens repugnat naturæ antecedentis: cum attributum seu oppositum (ἐπίθετον) repugnat naturæ suppositi, seu subiecti, vt Deus peccati causa. Deus enim est ἄναιτος πανὶ, nec Deus esse potest, si autor peccati sit, Latini dicunt. Hæc se ipsa perimunt: Hæc se mutuo destruunt, secum ipsa non conueniunt. Inuolui ἀσυςάτῳ est sibi non constare: sibi cõtradicere, secũ ipsum nõ conuenire: ii quoque linguam barbarie infuscant, quos nos sequi dicunt. Hęc sunt incompatibilia. Hæc non sunt compatibilia.

Implicatio ex parte { Dei (agentis) vt ipse faciat. Obiect. vt cum in obiecto est repugnantia aperta, seu contradictio: non potest fieri, vt Adam, qui reuera peccauit, non peccauerit.

Canon. Implicatio contradictionis semper includit non Ens. Est enim contradictio inter Ens & non ens.

A nulla potentia fieri possunt, quæ implicant contradictionem.

Exemplum pugnantiæ in adiecto seu opposito implicat adiecto spatium, sine fine locali.

Implicat adiecto nõ mensurabile tẽpus.

IMPRESSIO,

ἐκτύπωσις, ἐπιχάραγμα.

Impressio est superficies secundum partem in profundum transitus, pulsione aut percussione, in totũ autem tactũ. Aristotel. 4. meteoror. corporeæ impressionis est hac descriptio. Hinc alia impressibilia bene vel male dicuntur, vt æs & cera, alia non impressibilia, vt Aqua. Aristotel. ibid. Sed generaliter loquendo est res in rem intima quasi insinuatio (quasi infixio) Alias intima receptio.

Specialiter à Meteorologicis accipitur pro Meteoro: id enim imprimitur in aere potissimum, vt cum ait Albertus Magnus. Generationis impressionis loca sunt 4. superior regio valde calida, Media frigida, inferior pars aeris, habens aliquid caloris, & aliquid frigoris, & venter terræ. Thomas Aquinas, Impressionis materia est humiditas non fluens, sed permista cum sicco terrestri in 4. Meteoror. ex digressione de coloribus.

Accipitur nonnunquam Impressio de influxu cœlesti, quem tamen Aristoteles non admittit. Zabarella. Interdum pro efficiente: Cicer. de oratore. Numerosum id quod habet quasdam impressiones. Interdũ pro informatione notarũ vel specierũ, vt cum dicuntur animis nostris impressæ notiones incoatæ: visa in animos imprimi à Ciceronc

Coloribus etiam impressio tribuitur.

cerone. Informationes notarum dicũtur etiam signaturæ.

Sæpe in Politicis pro impetu & vi, vt euertere aliquem non iudicio, sed impressione.

A Scholasticis & hodie nonnullis Theologis frequentata est hæc vox, pro infusione πνευματικῆ: sic enim hodie quidam loquuntur: Homo fit diuinæ naturæ κοινωνὸς, impressa nouitate, seu infusione plenitudinis gratiæ, vt in cœlos vacuos. Flac. & Enthus.

Hinc Distinctiones sunt:

I. A modo & obiecto formal.
Impressio { Corporea / Spiritualis
Impressio { Realis / Intentionalis
Realis { Speciei in { Sensu. / Intellectu.
Intentionalis { Luminis in perspicuo.

II. A subiecto.
Impressio { Elementaris { In aere, aqua & terra. / In metallis & lapidibus. }
Animalis { In stirpibus. / Brutis / Hominibus { vt phantastica, spiritualis. }

III. Ab efficiente.
Impressio { Diuina à Deo. / Naturalis: quæ à cœlo cœlestis. / Artificialis, quæ ab arte, leuis vel constans.

Impressum { Extrinsecus. / Naturaliter insitum; & quasi infixum.

Impressio speciei, seu imaginis, siue in sensu, siue in intellectu per Metaphoram conuenienter, & insignite dicitur inhibitio, hoc est, intima vnio cũ sensu, vel intellectu. Vide Zabarel. c. 5. de speciebus intelligibilibus.

IMPROPORTIONATVM.

Improportionata quædam sunt vel proportione Geometrica, vel proportione operationis, cognitionis, potentiæ ad obiectum. Scotus lib. 4. dist. 49. exempli causa: Essentia diuina improportionaliter excedit potentiam intelligendi, non est obiectum intelligibile proportionatũ intellectui creato, proportione Geometrica. De hac verum est, quod dicitur, nulla est proportio finiti ad infinitum, quia finitum quotiescunq; sumptum, nunquã reddit infinitum, eodem modo entitas creata est improportionata vnitati increatæ.

IMPVLSIVVM.

Impulsiuũ est, quod habet vim impellendi. Impulsio fit vel vi, vel suasione aut hortatione. In Logicis, & oratoria causæ impulsiuę, seu impultricis duo sunt genera. Vnũ est ὁρεκτικὸν: Alterũ λογιστικὸν: ὁρεκτικὸν impulsionem nominant, quæ est cæcus & temerarius impetus vel repentinus animi motus, quæ sine vlla consideratione, commodi aut incommodi hominẽ ceu ventus rapit, vt sunt ira, odium inueteratum, vlciscendi studiũ, iniuriarũ dolor, cupiditas honorũ, glorię, imperij, pecuniarũ. λογιστικὸν est, quod ratio & consiliũ gubernat, vbi finis cõsidetatur, hoc est, quæritur aliqua vtilitas. Collocata siue in spe comparandorum bonorum, & adeptione alicuius cõmodi, vt opum, honorum, siue in malorum metu, & vitatione alicuius incommodi, vt egestas, infamiæ ignominiarum.

IN *& secundum differunt.*

Etsi In & secundum, determinatiuæ particulæ differunt: tamen interdum vni conueniunt, modo eodem, modo diuerso sensu. Differentię exemplum affert Scotus in Quodlib. lib. 4. dist. 48. Aliud est dicere, Christus in forma humana iudicabit: aliud: Christus secundum humanitatem iudicabit. Vera enim est ista. Christus in forma humana creat animas, sed non hæc Christus secundum humanitatem creat. Imo quicquid fecit verbum incarnatum, hoc fecit in humana natura. Ne astringas hoc, quod est in natura, ad intellectum eius, quod dicitur secundum naturam, vbi notatur non tantum coniunctio naturæ humanæ ad actionem, sed causalitas huius naturæ. In humana natura iudicare est non deponere, seu exuere, humanam naturam, cum iudicabit. Secundum dispensationem humanitatis, vt loquitur Augustinus, iudicare est ita iudicare, vt humana natura habeat potestatem, seu ἐξουσίαν iudiciariam seu iudicandi seu sententię ferendæ vicariam, quam Scotus vocat commissariam, ac dicit esse Summam excellentiam, quæ potest creaturæ conuenire. Hæc autem conueniunt Christo in forma, & secundum formam glorioſam apparebit & videbitur.

I N.

IN est analogum ad nouem genera accidentium sicut ENS & ad omnia genera.

Vsus.

Si inhærētia aptitudinis esset de essentia accidentis, quātitas & qualitas non essent genera generalissima. Esse enim In esset his superius. R. Hoc sequeretur si esse IN, non esset diuersarū rationum in prædicamentis.

Sicut Esse AD constituit accidens relationum: ita esse In constituit accidens vniuersale. Contrahitur enim Ens per esse In ad nouem genera accidentium: itaq; sicut Ad est de essentia Relationis (vnde Appellatio ad aliquid, & τὰ πρός τι) ita IN est de accidentis essentia. Hinc Simplicius in com. in categoriis. Esse in nullum constituit genus, sed omne accidens comprehendit.

Thomas de Vic. in prædicam.

Relatiua definiuntur ad Reliquum (id est ad alterum) non autem per reliquum. Nam particula PER significat Causāle. AD vero habitudinem (relationem, rationem referendi). PER

Attamen citatur à Io. Baptista Bernhardo in Seminario Alberti M. sententia in prædic. Relatiuū vnum quandoq; per reliquum definitur. Sed idem Albertus M. in topic. Relatiuū cū ponitur in definitione alterius, non ponitur vt definiens, sed vt terminans. Rursus idem in prædic. Relatiua si definiuntur παρονύμως, seruus est qui seruit, domino relationē pro genere sumūt, & correlatiuum ad ꝙ est pro differētia.

Substantię primę per se subsistunt, & sunt in secundis, vt *Partes Materiales*, quemadmodum vnus lapis est pars congeriei lapidum.

Secundæ substantiæ sunt & subsistunt in primis, vt *Partes formales*, id est, vt partes essentię ac definitionis primatū: sic humana natura est in singulis hominibus.

Brachium in suo corpore est pars in corpore vt toto subsistens ὑσιωδῶς: itaque substantia ἐνυπόστατος.

Humana natura Christi est substantia, ἐνυπόστατος: nam subsistit in hypostasi τοῦ λόγου, quasi pars, non enim vere pars est, sed coniunctum instrumentum personæ τοῦ λόγου, qui λόγος, velut principium est, in quo natura assumpta hypostatice

postatice gestatur: adiunctum inhærens essentiale τῷ λόγῳ non dico τὸ IN. nota est sæpe *subiecti Inhæsionis*, quod dicitur subiectum ᾧ cuius & in quo, cum aliquid inhæret, vt ignorantia est in mente sæpe *subiectum adhæsionis* subiecti ᾧ cui, cui quippiam adhæret. Oraculum Sybillæ, ὦ ξύλον μακάριον ἐν ᾧ θεὸς ἐξετανύσθη, ô lignũ fœlix, in quo Deus ipse pependit. Huc referri potest circumstantia loci, vt corpus Domini est in cœlo, non in terra. Neutro modo panis Eucharisticus est subiectum corporis Domini. Sæpe *Subiectoccupantis*, id est obiecti. Modo *interni*, vt Arithmetica versatur in numero, logica in ratione dirigenda. Modo *externi*, vt Arithmetica versatur in re numerabili, logica exercetur in quouis themate differendo.

Interdum περιστάτεως χρόνε id est circumstantiæ adiuncti temporis, vt agitamus nunc in mense Martio.

Materia est in toto vt pars componens non vt forma inhærens. Forma in materia tanquam in Subiecto informationis. Natura IN suppositio, id est, secunda substantia in prima, substantiæ communes in singularibus, vt in subiecto prædicationis.

Natura & personalitas est in toto supposito, vt partes illud constituentes. Personalitas enim est naturarum modus: & subsistentia sine naturarum seu substantiæ consortio existere non potest.

Accidens est in subiecto inhæsionis, vt innitens sustentatum, & dependens in sustinente.

At habitus & locus & actio transiens, proprie non inhærent, sed extrinsecus afficiendo denominant. Sic humiditas inhæret seu inest intrinsecus aquæ, sed poculum extrinsecus afficit, idq; inde denominat IN pro sub. Species in genere est, id est, sub genere, quia pars generis subiecta est.

1. IN pro sub. In signo esse cœlesti est esse, sub aliqua partium duodecimarum Eclipticæ esse: ita stellæ, quæ sunt sub ecliptica, inprimis vero Sol, qui sub ea perpetuo decurrit, in signis sunt.
2. Quia signifer habet latitudinem stellæ, aut plantæ, quæ extra eclipticam quidem, sed tamen Sub signifero sunt in signo aliquo esse dicuntur.

In aliquando significat instrumentum, & τὸ μηχανικὸν, vt præualuit Dauid contra Philistæum in funda & lapide, id est, cum.

IN *præpositum actui.*

IN ipso adulterio, auff frischer that / ἐπ' αὐτοφόρῳ.

IN *præpositum efficienti.*

Vita est in anima, id est, anima viuificat corpus: motus est in mouente, id est, à mouente. Non est in medico semper releuetur vt æger. ὁ λόγος est in assumpta carne, vt perficiens in perfectibili, vt habitator in singulari templo, vt singulariter gestans sustentansq; in gestato ac sustentato.

IN *præpositum materiali principio.*

Planta est in semine.

IN *præpositum formato effecto.*

Anima est in corpore animato; vita in corpore viuente.

IN *præpositum obiecto.*

Prima Philosophia versatur in Ente qua Ens.

IN *præpositum formæ.*

Corpus animatum est in anima, id est, anima corpus animatum continet, vt forma formatum.

IN *præpositum conseruanti causæ.*

IN manu Dei esse.

IN *Præpositum ablatiuo significante certum vbi.*

Augustinus Psalmo 90. Caput in cœlo est, corpus in terra. Cum autem pedes eius flagellarentur, calcarentur à Saulo, clamauit caput: Saule, Saule, quid me persequeris? sed ne putemus separatum esse caput à corpore, discretum est enim locis, sed iunctum est effectu.

IN *in vna oratione primo loco præpositum ablatiuo obiecti, secundo ablatiuo subiecti.*

Hoc accipite in pane, am Brodt (mystice) quod appendit in cruce, physice. Obiectū enim manducationis, quod ore extremo fit, est vnicum, nempe panis fractus, qui est corpus Domini, pro nobis passum & mortuum, hoc est, corporis Domini pro nobis fracti in cruce Sacramentum: seu corpus Christi Sacramentale, seu corpus Christi in pane verbo sanctificato: non autem geminum corpus Christi cum pane.

IN Hebraice Beth pro per. Qui conculcant sanguinem, in quo fuit sanctificatus, id est, per quem. Hebr. 10. capit.

Nouum Testamentum in sanguine meo, hoc est, quod sancio & paciscor sanguine seu per sanguinem, Ephes. 2. cap. iustificati in ipsius sanguine, Philip. 4. omnia possum in Christo. Ita IN significat modum, rationem, συναίτιον, Instrumentum rei.

I N.

Naturæ duæ subsistunt in vna hypostasi, vt partes in toto. Hypostasis subsistit in natura vtraque ad modum totius in partibus, quia persona Christi constat ex vtraq; natura. Augustin.

Humana natura subsistit in verbo, in æterna verbi persona, non in propria suæ naturæ persona, per singularem dependentiam, ordinem. & relationem, quam habet ad verbum per singularem gestationem, quæ est personalis.

Filius in carne subsistit. Cyrill. ad Orientales contra Nestorium, propter carnis assumptionem.

Deus est passus in carne, vt subiecto inhæsionis, pependit in cruce, vt subiecto adhæsionis, seu recipiente ad se corpus Christi, editur in pane Sacramentali vt obiecto, persona verbi habet esse ab æterno in Deitate. In persona verbi est natura humana, vt in supposito singulariter gestante & sustentate, vt in quasi subiecto adhæsionis.

Adhæret personæ verbi adhæsione singulari per assumptionem, ad personæ subsistentiam talem. In persona verbi inest natura diuina per modum identitatis, Filius Dei est in piis gratiose per influxum capitis in membra, in humanitate per vnionem hypostaticam.

Corpus Christi in cœlo localiter, in verbo personaliter, in Eucharistia Sacramentaliter.

Omnia sunt in Deo, id est, virtus diuina subsistunt.

Christus est in nobis per influxum capitis in membra, non per localem coniunctionem, à membris suis est indiuisus.

I N V I A.

In via infieri & imperfectum sæpe Scholasticis, vt & Zabarellæ idem sunt. Opponitur his in termino, perfectum & in facto esse.

Conceptus in vtero est species specialissima non quidem perfecta, sed imperfecta, & (vt aiunt) in fieri, non in facto esse. Conceptus enim humanus, quando accipit animam vegetantem vel sentientem, est homo in fieri, & in via. Zabar. lib. de facultate animæ, cap. 8.

Κίνησις ἐν τῷ γίνεσθαι μόνον τὸ εἶναι ἔχει, id est, motus in fieri tantum esse habet. Alibi diximus, alias res esse, quæ constent,

ment, alias quæ fiant: Vide Scal. l 5. de causis l. l. c. 110.

Scholasticis Doctoribus etiam In via est in hac vita: Vnde nos dicunt viatores, Opp. In patria, vbi Ecclesia triumphãs, vt contra hic militans.

INVISIBILE, ἀόρατον.

Inuisibile accipitur tripliciter in Philosophia. 1. Pro eo quod nullo modo videtur. 2. Pro eo, quod φαύλως: seu male & difficulter videtur propter luminis abundantiam. 3. Pro eo duod difficulter videtur, vt parum habens luminis.

Vsus.

Quæritur, an corpus glorificatum sit inuisibile oculo non clarificato. Resp. Est inuisibile ei, hoc est difficulter & non bene visibile propter excessum luminis: at non est inuisibile primo modo: secundum hęc intelligatur hoc Augustini, &c. ad Orosium: Clarificata carne: vtique resurrexit Christus, sed noluit in ea clarificatione discipulis suis apparere, quia non possent oculis suis talem claritatem perspicere. Si enim antequam moreretur pro nobis & resurgeret, quando transfiguratus est in monte, discipuli sui eum videre non potuerunt, sed præ timore in terram ceciderunt, quanto magis clarificata carne domini eam videre nõ potuerunt, videre intellige fixe, nõ enim potuerunt ὄψει, & intuitu sustinere illam claritatem.

De modis variis ESSE IN, *vel* FIERI IN.

IN disputationibus de grauissimis rebus particula IN, quæ multipliciter accipitur, non recte explicata, & modi inessendi ignorati vel cõfusi sæpe magnos errores pariunt, vt cũ quæritur: Quomodo vita, & potentię vitales insint animæ: Quomodo corpus sit in anima, & anima in corpore? Quomodo (vel anctiã) vtrũq; verũ sit, caro Christi in verbi persona suã subsistentiã habet, & in vtraq; natura indissolubili fœdere copulata subsistit persona θεάνθρωπος. Verus Deus orat in carne, & vera caro in Deo verbo. Athan. serm. 4. cont. Arr. Quomodo ferrũ in igni positum luceat, & ignis in ferro? Quomodo nos simus in tempore, & tempus in nobis? Cum dicitur ab Augustino: Hoc accipite *in pane*, quod pependit *in cruce*, an eodem modo intelligendũ sit τὸ in pane, quo intelligitur τὸ in cruce? & id genus alia. Non igitur videmur actum agere de particula IN & τρόποις Fiendi, & Essendi IN pro re nata explicantes.

ESSE in subiecto, est persistere in aliquo subsistente.

Totum est in partibus per modũ constitutionis & dependentię, id est constituitur à partibus, & conseruatur, item per modũ perfectionis, pars integrans est in toto per modum existentiæ, vt constituens in constituto: effectus est in causa vniuoca, secundũ similitudinem speciei. Effectus est in causa non vniuoca, vt res generata in Sole, hoc est, secundum aliquam formam propriam, & permanentem proportio, natamq; ad effectum talem.

Materia prima est in corporibus, vt principium, nõ vt species entis, vt radix & fundamentũ passionis. Indiuidua sunt in specie, vt Cicero in homine, vt ἐν τῷ καθόλου, Species est in indiuiduo, vt homo in Cicerone, & Paulo, vt ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα.

Aliter mens est in ratione, nempe vt principiũ & princeps dirigens eã ad inuentionem & iudicium, aliter anima in corpore, nempe vt forma in formato: aliter spiritus in corpore, nempe tanquam eius pars præsens, inquit Scalig. vel vt aliis placet, vt corporis adiunctum, exer. 307. sect. 38.

Vniuersale est in singulari, non per inhærentiam, sed identitatem non reciprocã. Species est in genere cũ potestate.

Cauſæ internæ ſunt in effecto, vt principium in principiato, effecta ſunt in cauſis per dependentiam: Effecta ſunt in fine, vt opus architecti, color floridus in ſanitate. Omnia ſunt in Deo, id eſt, Dei virtute ſubſiſtunt, viuimus in Deo, id eſt per Deum: Sic cum dicimur in manu Dei eſſe, notatur cauſa conſeruans: nos ſumus in Deo, vt ſuſtentante, ſeu per modum dependentiæ. Deus eſt in nobis per efficaciam, & gratiam, per verbum, Sacramenta, Spiritum, caro Chriſti eſt in λόγῳ per ſubſiſtentiam. Deus eſt in ſanctis per aſſiſtentiam ſpecialem. Λόγος eſt in carne Chriſti, vt habitator in ſuo templo. Surculus eſt in trunco, per inſitionem ac dependentiam, Anima eſt in loco per accidens, quia corpus quod informat in loco eſt. Locus vt terminus, ſeu extremitas in aliquo eſt, non vt in loco, ſed vt ſubiecto corpore continente aliud corpus. Locus non eſt in aliquo vt ſubiectum in adiuncto. Lumẽ cuius traiectio momentanea eſt in aere, vt medio, Lux & color ſunt in loco deſignationis ſpatij. Itaque lux duplex, triplex, centuplex, denique in vno eſſe poteſt loco, neque tamen locum ſibi occupat, quia alia lux in eodem loco, vel millies maior eſſe poteſt.

Deus in loco cœleſti præeminentia maieſtatis, ſeu gloriæ, non occupatiui loci occupatione. Magnitudines & corpora ſunt in loco, loci occupatione & complexione, ita vt locum occupent, & compleant. Anima eſt in corpore, & in corporis partibus, vt informãs ſit in informato, improprie dicitur, contineri ſub corporis qualibet parte, Gregor. de Valentia. Species ſubiecti materialis eſt in oculo vt organo, in aere vt medio. Lumen in oculo, vt viſio fiat, vt organo in perſpicuo, vt medio in colore, vt obiecto materiali, Zabarel. de viſu pag. 795.

Anima eſt in ſanguine, tanquam in propria diſpoſitione corporis neceſſaria. Anima enim eſt actus corporis viuentis. Viuere autem eſt per calidum & humidum, quæ in anima per ſanguinem conſeruantur. Thom. Aquinas materia tertia de creatione.

Sanguis eſt in corpore, vt pars in toto.

Chriſtus eſt in animis noſtris præſentia gratię, Corpus Chriſti eſt in animis noſtris præſentia ſpirituali, ſeu κατὰ εἶδος eius. Res ſignata eſt in ſigno per repræſentationem: myſteria, arcanum, inuiſibilemque theſaurum, ſub externa viſibilique ſpecie latentem continent, ſed ita latentem, ſicut res ſignata latet in ſigno, hoc eſt, per ſimilitudinem repræſentatur & intelligitur. Non autem latentem ſicut contentum in continente, ſeu latibulo corporali, & locali, ſicut fingunt corpus Chriſti latere ſub accidentibus.

Filius eſt in patre, vt ortum à principio, eſt in principio, vt productum immanens eſt in producente per emanationem. Pater eſt in Filio, vt producens, per emanationem, non eſt extra productum, vt ſol non eſt extra lucem, anima non eſt extra intellectum. Tempus eſt in nobis, vt adiunctum internum (duratio) in ſubiecto re exiſtente, nos ſumus in tempore, vt ſubiectum in adiuncto externo ſeu circumſtantia. Nos ſumus in loco ſubſtantiæ, quibus accedit locus, vel vt adiuncta recepta, in ſubiecto, ad ſe recipiente.

Deus præibat filios Iſrael die in columna nubis, nocte in columna ignis in ſpecie humana ambulauit, in horto locutus eſt cũ Adamo ſecundum ſuam diſpenſationem. Ipſa natura, ſeu ſubſtantia Dei corporaliter videri nequit. At per ſubiectam creaturam, eandemque corpoream, non per ſuam ſubſtantiam Deus oculis apparuit mor-

ruit mortalium. Ipsa Dei essentia per semetipsam visibilis esse nullo modo potest. Deus corporali specie seu similitudine mortalibus sensibus significationem sui dare potuit, lib. 2. Trinit. cap. 10. 14. 18. l. 3. cap. 11. ἀλλὰ ταῦτα μέν ὅσα ταῦτα, atque hæc eiusmodi sunt.

INÆQVALIA.

Inæqualia in Geometr. proprie sunt, quę magnitudinibus discrepant, vt quorum alterum maius, alterum minus est.

In Logicis etiam Imparia inæqualia dicuntur.

Contra Æqualia dicuntur, quorum magnitudo eadem est.

Æqualitas est vel Positiua, vel Priuatiua.

Positiua est inter quanta finita, quorum initia & fines adæquantur, ita vt neutrum ab altera excedatur.

Priuatiua est eorum, quæ in terminorum negatione conueniunt.

Vsus.

Infinitum infinito æquale dicitur æqualitate priuatiua: Hic enim termini non adæquantur, qui nulli sunt. Ratio dicitur esse inter æqualia vera & positiua æqualitate. Est enim certa ἕξις, (habitudo) quæ finitam vtriusque quantitatem supponit.

INCIRCVMSCRIPTVM.

Incircumscriptum, ἀπερίγραπτον, primo accipitur late, vt non solum Deo, sed etiam Angelis conueniat. Neque enim Deus, neque Angeli dicuntur esse in loco circumscripte, περιγράπτως. Sic accepit Vitus Amerbachius lib. 4. Physic. cum ait: Definitiue seu incircumscriptiue in loco esse dicitur, quod ita est in loco, vt cum hic sit essentia, non sit alibi, sine partium exaggeratione, sine extensione, sine dimensionibus, adeoque non vt alia pars eius sit in alia parte loci, hoc est, superficiei corporis continentis, sed ita vt totum sit in corpore aut loco, vt punctum, in quo est: Sic anima est in corpore, sic Angelus & similes essentiæ, quæ quantitatem non habent, & hoc ideo, quia hæ substantiæ sunt simplices & indiuisibiles. Quare improprie quoque sunt in loco seu ὁμωνύμως.

Sic dicunt Scholastici, Corpus Christi in Sacramento altaris non esse circumscriptiue, sed definitiue, hoc est, ita vt anima in corpore, idque per miraculum, aut singularem Dei, non ipsius corporis, potentiam. Huic opponunt esse in loco circumscriptiue, id est, secundum quantitatem seu dimensiones, & ita vt pars eius, quod est in loco, sit extra partem. Id dici potest etiam esse in loco extensiue.

Secundo ἀπερίγραπτον stricte sumitur, vt soli Deo conueniat, vt qui maxime incorporeus sit & simplicissimus.

INCLINATIO,

ἔγκλισις.

Inclinatio accipitur stricte & laxe.

Stricte inclinari est habere se in potentia naturali ad aliquid respectu cuius habet actiuitatem: ita habitus inclinat potentiam ad agendum.

Laxe est esse in potentia ad aliud sine omni actiuitate ad contrarium. Hæc inclinatio tribuitur materiæ ad formam. Respectu enim formæ materia nullam habet actiuitatem.

Inclinatio est actus in voluntate vel natura. Itaque voluntaria est, vel naturalis. Synonyma fere sunt: Inclinatio, connaturalitas, amor seu appetitus naturalis, Naturale desiderium, virtus insita (quæ proprietas est naturalis formam consequens, vt sunt

Inclinare est actum aliquo modo causare.

grauitas, leuitas, quibus res ad sua loca naturalia, quibus eæ conseruantur, tẽdunt, & aliæ qualitates, quibus vel cõseruantur ἐν τῷ εἶναι, vel corrumpentibus resistunt.) ἐπιτηδειότης, habilitas, Vid. Biel. l. 3. dist. 27. quæst. vnic. & Boet. 4. de Consol. metro 6. & 3. de Cõsol. prosa. vbi ait: Dedit creatis à se rebus Deus hanc vel maxime manendi causam, vt quoad possint, naturaliter manere, (hoc est, durare) desiderent.

In Doctrina Astronomica & Geographica Cœli partes vocantur segmenta & inclinationes. Segmẽta sunt Græcorũ paralleli, id est, præscriptiones æquales inter se factæ à circulis æque distantibus, quorum punctum medium est in vtroque vertice, quem Græci dicunt polum. πολεῖν enim vertere est.

Inclinationes sunt Græcorum κλίματα, Climata, id est, segmentorum seu parallelorum certi tractus à vertice ad medium circulum.

Ita appellatæ, quia medio circulo subiecti populi rectum cœlum supra se habere dicuntur: (id est, æquatori seu æquinoctiali orbi subiecti habent sphæram rectam) propterea quod linea ab eo circulo ad axis medium punctum demissa rectum vtrinque angulum constituit. Axis est à vertice ad verticem ducta linea. Vitruuius vocat Inclinationes Cœli l. 1. c. 1. Pontanus in Poemate Cliuos. Clima est à κλίνω, quod quælibet plaga duobus intercepta parallelis certo spatio (in quo dimidiatæ horæ percipitur varietas) inclinet ad polũ, vel declinet ab æquatore.

Vsus.

Quæritur, vtrum Exiguus Regulus, vel Troglodyta, vel Tyrannus sit à forma, an à nostratis Cœli segmentis seu inclinationibus? Prius affirmat Scal. posterius Cardanus intendere videtur Scaligero, qui interim non negat à soli fœcunditate, vi Cœli, quæ sunt alicubi minora, esse alibi magnitudine potiore.

INCOMPOSSIBILIA.

Incompossibilia & Incompassibilia Barbarorum sunt, Die sich nicht bey einander leiden mögen/ ἀσύγκατα, ἀσυνδύνατα.

Contraria in gradibus intensis pugnãt inter se formaliter, & se formaliter exigunt seu extrudunt è subiecto, quia ad positionem vnius consequitur desitio alterius ob Incompossibilitatem ipsorum inter se terminorum, vt caloris & frigoris.

Incompossibilitas
- Physica, per Naturam tantum, vt Virginem esse & parere.
- Absoluta, qua duo non possunt esse simul nec per diuinam potentiam.

INCONVENIT.

Non incouuenit barbarum; Latine, Non est incommodum, vt: Non est incommodum idem agere & pati interdum.

Agere) id est, fundere ex se actiue.

Pati) id est, in se recipere; vt anima intelligens fundit ex se vt fonte potentiam intelligentem, & eandem in se recipit.

Inconuenit idem agere ac pati, hoc est, non conuenit.

Agere) Actione coniuncta cum motu, quæ maxime propria seu physica est.

INCORPORATVM.

Incorporatum est vox Physica, Optica, Astronomica.

Anima

Incompletum
Ens dr, quod aliud
pars integralis alte
rius pars essentialis ejus
alius vere aptitudine: sic enim
anima rationalis, abstracta à corpore remota omni
spe reuniendi ei corpus dependentiam & inclinationem. Ita quam ait Aristoteles, non ὃν ἄνθρωπος sed ὃν τοῦτο ὃν ἀνθρώπου
specifice ejus forma hominis, desiderans tantum cum suo conjungi corpori ut illo perficiam speciem.
nempe humanam constituendo. S. Aug. de natura & gr. c. 39. Greg. Nyssenus lib. de opif. hominis c. 27.
Anima vacua non quasi completa corpora. ubi Kecker. in Physicis lib. 2. c. 7.

Anima enim dicitur Incorporata propter vnionem cum corpore. Humidum mistorum manans ab Alberto M. dicitur incorporatum commiscibile & cõtinuatum esse.

Planeta dicitur Incorporatus Soli cum minus 16. scrupulis abfuerit à Sole ante vel post.

Eodem sensu planeta dicitur esse in Corde solis. At si plus 16. scrup. minus tamen mediate seu orbis distat à Sole, combastus dicitur. Liber vero à combustione, si distantia eius à Sole maior est 15. gradibus.

Optici dicunt lucem esse incorporatam colori. Hæc incorporatio metaphorica est.

INCORPORATIO.

Huius vocis vsus duplex est, alter Philosophicus, alter Theologicus. Philosophicus in Physica, ἐμφύτευσις, vnde per analogiam etiam ad Politicam seu Iurisprudentiam traducta est. Exemplum Opticum est Lux sui & aliorum manifestatiua colorum per sui incorporationem in superficie humidi perspicui effectiua, ita loquitur Augustin. Bartholom. Anglicus l. 8. Vitellon. Albacc. in commentat.

In Theologia Incorporatiõ, seu ἐνσωμάτωσις, primum significat ἐνσαρκωσιν Filii Dei: Deinde κοινωνίαν nostram spiritualem cum Christo.

INCREPATIO,
GRÆCE ἐπιτίμησις.

Ethica vox est Increpatio; & nihil aliud est quam ob desertum officium reprehensio & incusatio. Aliud est *cohortatio*, quæ est ad officium (id est rectam seu ἀξιωτὴν actionem) incitatio, *Admonitio* vero est proprii officii ostensio. Gualand. de ciuil. facult. lib. 4. cap. 12. Græce νεθησία, quasi mentis in suum locum repositio, sic dicta.

INDICTIO.

Indictio est numerus annorum quindecim ostendens annum, quo Romanis tributa ferri solebant, & quotus sit annus post tributorum solutionem indicat: Hæc appellatio est metonymica, proprie enim indictio vel denunciatio, impositio, vel imperatio, ipsum tributum, seu ipsa exactio, quæ à principibus populo indicitur. ab indicendo, id est imperando. Indicere forum dicitur Magistratus in prouinciis, cum & locum & tempus designat, quo causæ in conuentu agantur. Est & indictio, indicatio, vel significatio, seu indicitum: vt indicatio criminis: vel est precii rei vendendæ constitutio, seu æstimatio venditoris est, vt liceri & mercari emptoris. Indicare pro æstimare, hoc est pretium rei venalis statuere, Græcis est ἀξιῶν. Est & indicare interdum idem quod deferre seu accusare, vt index est, qui crimen indicat seu defert. Vide. Bucerum in Genealog. & Ast. Pædianum. Indicatiuus verbi modus in Grammaticis est simpliciter enunciatiuus.

INDISCIPLINATVS.

Indisciplinatum Barbari Philosophi & Logici ἀπαίδευτον vocãt, id est, eum, qui non nouit τρόπον παιδείας.

Ignis calefacit, cur? Quia habet calorem. Cur autem calor calefacit? Alia ratio non est, quã quod calor est calor. (id est, talis eius natura est) Indisciplinati autem est quærere causam, vbi non est causa. Gabr. Biel. lib. 1. dist. 41. Vt quærere causam voluntatis Diuinæ, quæ est sui ipsius regula: eius causã si quæritur, non inuenitur, ait Augustin. de ciuitate Dei.

2. Barbari Ethici ita vocant hominem excutientem disciplinam, vngezogen.

INDIVIDVA.

Per individua interdum intelliguntur sin-

singularia, quæ numero inter se sunt distincta, vt sunt Cicero, Petrus: interdum species indiuiduæ seu vltimæ, ad quas vsque progrediendum est diuidendo, & ibi consistendum. Singularia vero vt infinita propter nunquam deficientem eorum successionem relinquenda. Sic accipit Arist. l. 2. Top. loc. 2.

Indiuiduatum.

Indiuiduatum est, quod est in singulari seu contractum ad singulare. Thom. Aquin. quæst. 1. de anima. Vniuersalia no habent esse in rerum natura vt vniuersalia sunt, sed solum quatenus sunt indiuiduata. Idem, Formæ indiuiduantur ex propria materia. Idem: si anima est hoc aliquid, oportet vt sit aliquid indiuiduatum.

Indiuiduari.

Indiuiduari dicitur cum forma, quæ per se non subsistebat, per materiã in subiecto producto esse realiter & subsistere incipit. Principium indiuiduationis est id, per quod forma alicuius, quæ per se non subsistebat, incipit subsistere in hoc vel illo.

Quod est principium indiuiduationis alicuius rei, id non potest alteri rei, quæ supposito ab ea re distinguitur, inesse, vt: Id quo ego subsisto, & sum indiuiduum quoddam seu singulare, non est in re aut in alio homine, alioquin tu esses ego.

Indiuiduatio est principium indiuiduæ naturæ formale. Scalig. ex. 307. sect. 17.

INDIVISIBILE.

- Indiuisibile
  - Formæ quædam, vt Deus, Angelus, anima nostra.
  - Terminus continui in
    - Permanentibus, punctus.
    - Successiuis, Momentum.

M. Aquarius in Dilucid. pag. 171.

Quædam.] Sunt enim teste Auerroe 2. de anima, aliquæ formæ diuisibiles, quæ si diuidantur, quælibet illarum pars exercet vitæ opera, vt est pars plantarum, quæ si replantetur, adhuc producit arborem, qualis etiam est pars decisa animalis annulosi, quæ habet sensum & motum secundum locum constrictionis & dilatationis.

Flaminius Nobilius in Arist. de Generat. & corr. commentar. l. 1. pag. 95. & 96. quamuis, inquit, Species multæ rerum ese habeant vt numeri; non tamen omnes. Ac in mixtis videtur potius fieri nouus numerus, id est, noua essentia ex pluribus numeris simul coniunctis, quam ex vnitate addita priori numero, cuius diuersitatis illud in causa esse potest, quod formæ Elementorum intenduntur & remittuntur (quod tamen Soncinas negat l. 12. quæst. 68.) iccircoq; mixtæ sine alia vnitate nouam speciem promere potuerunt.

Actus etiam quidam sunt diuisibiles. Potest portio aliqua Cœnæ Sacræ auferri, (vt fractio panis) nec tamen necesse est totam Cœnam tolli euertiq;, vt euertitur sublata manducatione & bibitione. Sicut, teste Philopono; constat temperamentum quadam latitudine, cuius si portio aliqua auferatur, non continuo totum temperamentum euertitur, sed perstare potest, quãuis requirat iustam quandam latitudinem, cuius nimia portione dempta totum euerteretur.

IN-

INESSE.

Ineſſe eſt vel *per veram inhærentiam*; ſic ineſt albedo parieti; ſic vulnus ineſt corpori: ſic actio tranſiens in patiente: *vel per Denominationem*, ſic actio tranſiens eſt in agente. Dicitur enim, Ignis calefacit.

Ineſſe ſeu attribui πρώτως

- Sine medio Cauſæ. Schegk. Riſibilitas (πρῶτον καθόλυ, quod cum ſubiecto ſuo eſt ἀντίστροφον) ineſt homini vt πρώτῳ ſeu primo ſubiecto, ſed non πρώτως, id eſt, primo.
- Non alii ſubiecto priori vel prius. Zabar. Homo eſt proprium ſubiectum, cui primo riſibilitas attribuenda. Compoſitum eſt proprium ſubiectum, cui primo eſt accretio attribuenda. l. de Accret. c. 24.

Ineſſe dicitur alicui vel actu, vel imputatione, vt ineſſe in aliquo peccatum eſt ineſſe actu ſeu realiter, vel imputatione ſeu reatu.

Peccatum ceſſante ipſius actu eſt in eo, qui peccauit, reatu. Mag. ſentent.

Coroll. Itaq; denominatur aliquis peccator ex reatu, quamdiu is durat. Reatus autem eſt obligatio vel damnatio ad pœnam.

INEXISTENS.

ἐνυπάρχον Ariſtoteli l. 5. Top. loc. 24. ſignificat id, quod actu alicui ineſt, nullo addito modo Neceſſarij, contingentis aut poſſibilis.

Ineſſe.

Ineſſe aliquid rei negatur dupliciter. Nam quædam rei cuipiam ineſſe negamus, aut quia illa non habet, vt cum dicimus nigrum non eſſe album, aut quia excellentiori nota & perfectiore ratione habet, quã nos eam ex tali locutione ſignificamus, vt cum negamus albedinem eſſe albam, non quia nigra ſit, ſed quia non ſolum, ideo nec eſt nigra, quia eſt alba, hoc eſt, quia habet albedinem, ſed quia ipſa albedo eſt. Vid. Picum Mirand. De Ente & Vno.

Duo dicuntur ineſſe aliquando vt vnum & vt plura, exempli cauſa: Sapientia, Bonitas, & alia Dei attributa inſunt Deo vt plura, nõ ſecundum rem (ſunt enim vna ſimplex diuina eſſentia) ſed ſecundum denominationem diſtincta, dicuntur autem plura propter nominum pluralitatem, vnam diuinam perfectionem ſimpliciſſimam nihilominus ſignificantium. Inſunt autem non per inhæſionem vel adiacentiam (vt mihi, vel tibi aliquid inhæret vel adiacet) ſed per identitatem.

INENS.

Nouatum à Scaligero, quod opponit *ambienti* 2. lib. de plant. Neq; ambiens, vt ambiẽs eſt temperatum, quæ attingit, neq; (vt ad monſtrum monſtroſo vtar telo) inens vlla cauſa eſt temperamenti noſtri. Intromiſſus enim ſpiritus per guttur ad cor, atq; per totum corpus (vt hoc donemus falſum) diſperſus non continet temperaturam, ſed moderabitur calori, ne exſuperet cœtum illum.

In ſe ipſo eſſe.

Totum ineſt in ſuis partibus ſimpliciter. In ſe ipſo eſt κατά τι. Totum autem in ſe ipſo eſſe dicitur reſpectu partium ſuarum, quæ ſunt & id in quo eſt aliud, & id quod eſt in illo. Nam & ea quę parti conueniũnt, tribuuntur toti, vt ſciens dicitur aliquis, quod pars animæ λογιστικὴ ſeu διανοητικὴ ſit talis. Hoc dicũt veteres ſic: Aliquid in ſe

esse per synecdochen, vt si dolium cum vino habeatur pro toto, id in se erit, quatenus pars, hoc est vinum sit in parte, vt vase. Vt nihil sit aliud sic totum esse in seipso, quam totum ex partibus constare, quarum altera insit alteri. Vit. Amerbachius.

INEXPLICABILE, INSOLVBILE.

Inexplicabilia sunt, quæ nescio quas ansas & vncos perplexitatis Dialecticæ secum inferunt, vt pro cognitione veritatis ad neutram partem videaris propendere posse.

Talia fuisse mentientes seu ψευδόμενος paralogismos, testatur Cicer. 2. Acad. his verbis: Quid igitur? hæc vera, an falsa sunt? Si te mentiri dicis: idq; verum dicis: mentiri verum dicis. Hæc scilicet inexplicabilia esse dicitis, quod est odiosius, quam illa, quę nos incomprehensa & nõ percepta (ἀκαταλήπτα) dicimus. Sed hæc omitto. Illud quæro; si ista explicari nequeunt, nec eorum vllum iudicium inuenitur, vt respondere possitis, vera ne an falsa sint, vbi est illa definitio, effatum esse id, quod aut verũ, aut falsum sit? Et paulo post: Vide ergo hanc conclusionem probaturusne sis: *Si dicis te mentiri, verumq; dicis, mentiris; dicis autẽ te mentiri, verumq; dicis, Mentiris igitur?* Ex quibus talem possimus deducere Syllogismum, vt Stoici dicebant, Inexplicabilem:

Syllogismus Inexplicabilis Stoicis.

Si mentiri te dicis, verumq; dicis, mentiri te, verum dicis.

Sed mentiri te dicis, verumq; dicis.

Ergo mentiri te verum dicis.

Sed interpretes Græci mentientẽ seu ψευδόμενον ita explicant, vt scribit Lilius in Historia Poetarum & in Dialogismis: Epimenides ait Cretenses esse mendaces, & ipse est Cretensis. Ergo & ipse mendax. Igitur non est credendum ei. Sunt ergo Cretenses veraces, & illis credendum. Et hic Cretensis. Ergo & ei credendum. Aiuntq; Philetæ mortem obtigisse, quod hoc tortuosum differendi genus soluere nequiuerit. Declarat hoc eius Epitaphium, cuius meminit Athenæus:

Hospes ego hic sum Pseudomenes, me sermo Philetam
Perdidit, & curæ noctibus Hesperiæ.

Inexplicabil. hoc exemplum est: somniauit quidam ne somniis crederet. Si enim crediderit, tum sequitur credendum non esse. Ita si nihil sciri, potest, necesse est idipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur, posse nihil sciri: falsum est ergo quod dicitur, nihil posse sciri. Sic inducitur dogma sibi ipsi repugnãs, seque dissoluẽs. Simile quoq; exemplum hoc est; verum est effatum; Nulla datur veritas. Ergo sequitur veritatem esse. Hæc & similia sunt Inexplicabilia illa, ex quibus se Stoici profitebantur colligere, exceptiones quasdam primi principii: Omne effatum aut est verum, aut est falsum. Propterea aliquis doctrina eorum imbutus dicere posset, esse quasdam enuntiationes, in quibus verum à non vero distingui non possit, ideoq; ex ista propositione, Nulla veritas datur, non minus posse hauriri verum, quam non verum.

Ἀσύστατοι.

Sed quia non videtur ferendum Philosopho Peripatetico & Platonico primum principium exceptionem pati, iccirco omnis mouẽdus est lapis, vt ex istis inexplicabilibus laqueis & pedicis nos omnino expediamus & explicemus. Iacob. Mazon. sect. 3. l. 1. cõparationis Philosophiæ Plat. & Arist. Dicimus igitur cũ Talentonio, quẽ Mazon. hic laudat, in hæc absurda Stoicos incidisse ob Ignorationem Elenchi. Est autem ignoratio Elenchi, cum aliqua quinq; conditionum omittitur earũ, quæ ad constituendam contradictionem requiruntur. Contradictio enim fit cũ loquimur de eodẽ, ad idẽ, secundũ idem, similiter, & in eodẽ tempore, ad quod postremũ etiã conditio eiusdem loci referri debet. Vna itaque ha-

harum conditionum deficiente, non est contradictio. In ante dictis autem Stoicorum Insolubilibus, quæ videntur, contradictio non est secundum idem. 1. Mendaces enim dicebantur Cretenses in Pseudomeno, dum referuntur ad hanc vel illam rem, de qua loquebantur. Verax autem erat Epimenides, quia referebatur non ad hãc vel ad illam rem, de qua loquebantur Cretenses, sed ad suam orationẽ, qua dicébat Cretenses esse mendaces. Vel vt melius explicem, dicebantur mendaces esse Cretenses apud Ethnicos, quia passim iactabant Iouem apud se esse mortuum & sepultum. Sic Callimachus: Dicti fuerunt Cretenses semper mendaces, quod sint Iouis sepulcrum fabricati, cum nunquam ille obierit, perpetuoq; sit. Quod ad factum respiciens Epimenides, quem Paulus Apost. adducit, dixit: κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, id est, Cretenses semper mendaces, quia mentirentur Iouem Opt. Max. & immortalem apud se mortuum. Erant ergo mendaces ratione huius insignis mendacii, quod agnoscens Epimenides & detestans verax dicebatur.

2. Eodem modo somnium, quod vt verum proponitur, ad somnia referebatur, ita vt esset somnium somniorum. Somnia vero, quæ falsa videbantur, erant illa, quæ non ad somnium, sed ad phantasmata referebantur in somnio alicui occurrentia. 3. Pari ratione, qui dicit nullam esse veritatem, negat entium, ita vt sunt, comprehẽsionem, ideoque propositio ad hanc entium incomprehensionem relata, omnẽ tollit veritatẽ. At si ad suimet cõprehensionem referatur, aliquam veritatẽ ponit. Ex quibus patet eas propositiones, vt ad diuersa referuntur, modo vniuersalium, modo particulariũ induere naturam: vt quando ad res, quas significant, referuntur, vniuersales sint, quãdo autem ad orationem vel ad somniũ, quod de illis est, particulares nominentur. Nec est, quod dicas, vniuersales proprio ambitu particulares etiam comprehẽdere, quia sicut cœlum se ipsum tegere non dicitur, etiamsi omnia circumplectatur: ita vniuersales illæ propositiones res quidem omnes possunt continere, quas significant, non tamen se ipsas. Vide etiam, si placet, Dialecticam Suessoni cap. de Insolubilibus, & in hoc Lexico vocem *significatio formalis & materialis.*

INFERI.

Inferi & ἄιδης opponuntur modo iis, qui in cœlo sunt, modo iis, qui adhuc in terris viuunt, qui vocantur à Luciano οἱ ἄνω id est superi. Inferi igitur sunt mortui & sepulti. Exemplis hoc patescit è Luciano sumptis.

Relinque tropæum in terra: ἐν ἄιδου γὰρ εἰρήνη: apud inferos enim pax est. Idem: Ille quidẽ ad Deos aduolauit immortales, tu vero vmbra (εἴδωλον ὤν) ad inferos (εἰς ἄιδου) aduenisti. In dialogo Herculis & Diogenis. Idem quid prohibet animum ipsum esse in cœlo (ἐν ἀέρι) me vero mortalem venisse ad inferos (παρὰ τοῖς νεκροῖς.) Idem Diog. periculum est te triplicem iam fecisse Herculem. Her. Quonam modo triplicem: Diog. Hoc quidem modo: nam si vnus in cœlo existit: tu vero apud nos (inferos) imago, corpus autem in Oeta, iam in puluerem versum, hæc tria iam sunt, &c.

In doctrina Sphærica inferi dicuntur, qui versantur in inferiori Hemisphærio, superi qui in superiori, quæ distinctio rationis est, nõ realis. Εν παρόδῳ addo, quod Erasmus Roterodamus censet non esse satis latinum infernus pro loco inferorum, vt dicendum sit descendere ad inferna seu ad inferos, non ad infernum.

Infernus enim adiectiuum est pro inferus. *Improbitate ignes infernos improbus intrat.* Ill. M. Landt.

Aſt inferna accipitur ſubſtãtiue: vt in Arat. Subiens inferna leonis, id eſt, infernas ſeu inferiores partes.

INFINITVM.

Infinitum in Grammaticis idem eſt, quod incertum ſeu indefinitum. Sicut contra finitum eſt certum: ſic Scaliger lib. 4. de cauſis Lat. ling. c. 78. proprium eſt ſingularis numeri, finitum eſſe, id eſt, certum, quia ſcimus quantum ſit hominum, cum dicimus Homo. At pluralis infinitus eſt, non quod fine careat, nihil enim in natura ἄπειρον infinitũ. ſed quia ſit ἀόριστος incertus. Si enim dicas Homines, quot ſint, neſcias: itaq; additur aliquid præſcribẽs, vt decem, viginti.

Verbum finitum eſt, quod numerũ certo flexionis fine definitum adſignificat. Infinitum, quod vna terminatione quemuis numerum adſignificat, vt amare, amauiſſe. Improprie enim modus, qui dicitur infinitiuus, videtur dici eſſe ſine numeris & perſonis Matthiæ Bergio.

In Grammatica Mauritiana nomen infinitum eſt, quod nullo caſu flexum eſt, vt nequam, quatuor. Sic dictum, quia finis eius non mutatur ſeu flectitur. Finitum contra.

In Logicis nomina infinita ἀόριστα ſunt, quibus omnes res poſſint nominari, exceptis iis, quæ nominantur ſeu affirmantur finitis nominibus. Quibus opponuntur finita, quibus vna res ſignificatur.

In Phyſicis cauſæ ſunt finitæ, id eſt, certæ numero vel infinitæ, id eſt numero indefinitæ, incertæ.

Quibus per ſe fit quippiam, cauſæ finitæ ſunt: at quibus ſecundum accidens infinitæ ἀόριστοι, vt morietur ille, quia venenum ſumpſit, per ſe cauſa mortis eſt venenum. Ac vt ſumere venenum, infinitæ per accidens præceſſerũt cauſæ, vt quia iratus ei aliquis erat, & vt iraſceretur in cauſa fuit fractum poculum.

De infinito axiomata ſunt.

Infinitorum nulla eſt comprehenſio.

In infinitis nihil primum, nihil medium, nihil vltimum. Ergo ſi erunt cauſæ infinitæ, neque prima, neque media, neque vltima erit. Schegk. in explicatione Ariſtotelis de interpretatione pag. 143.

In Phyſicis quidam materiam primã corpus infinitum vocant, hoc ſenſu, quod non ex ſeipſo finitum ſit, ſeu quod ſecundum propriam naturam, nullos ſibi certos terminos præſcribat. Sic Zabarella. Iohannes Grammaticus materiam ait eſſe corpus infinitum, non quidem infinitum actu (tale enim nõ datur. Et materia prima ſemper eſt actu ſub terminis & finita) ſed infinitum Mentis tantum abſtractione à finibus ſeu terminis.



Explicatio tabulæ.

κατά τι *Materia prima*] Ea enim etſi ſemper ſub aliqua eſt forma, dicitur tamen δυνάμει infinita, quatenus eſt in potentia ad omnes formas.

Corpus naturale] Hoc enim etſi eſt ſimpliciter finitum propter formam ſubſtãtialem, dicitur tamẽ infinitum ſecundum quid, id eſt ſecundum potẽtiam materiæ ſuæ, quatenus propter materiam

riam capax eſt infinitarum formarum accidentalium : Sic ignis ſuapte natura poteſt (paſſiua potentia) in infinitum augeri.

Infinitum
- Perſe, ac ſuapte natura. Sic Deus infinitus, ſua eſſentia & actu puriſſimo.
- Per accidens & per aliud. Sic quidam dicunt humanam in Chriſto naturam infinitæ eſſe virtutis, ex accidenti & per aliud (non tamen formaliter) hoc eſt propter Deitatem, cui hypoſtatice eſt vnita. Hac virtute factum eſt, vt peccata mundi ſint expiata.

Infinitum
- Eſſentia, natura, potentia actiua, Duratione.
- Potentia paſſiua: Extenſione: Intenſione, vt linea infinite extenſa. Albedo infinite intenſa.

Finitudo & infinitas etiam formæ tribuitur à nonnullis Scholaſticis, vt Thomæ ſectatoribus.

Forma finita eis eſt, quæ finitur materia, eſt igitur talis ex vnione cum materia.

Infinita dicitur, quæ non finitur, id eſt, non coarctatur per materiam, cum ſit forma abſolute & ſimpliciter, id eſt, non coniuncta alicui materiæ.

Infinitum in arte, & infinitum in natura, Auerroes diſtinguit ita vt dicat: Colores eſſe infinitos in natura, licet in arte ſint finiti. Non incommode hoc dictum videtur.

Immenſum ſeu infinitum, quod dimenſionem ſeu finem non habet.
- Syncategorematice: Potentia, mentali abſtractione, vt Zabarella loquitur. Ab infinito in potentia, ad infinitum actu nulla eſt conſecutio.
- Categorematice: Actu. Hæc immenſitas non poteſt communicari vlli creaturæ.

Canon. Ab infinito Syncategorematice ad infinitum categorematice nulla eſt conſecutio, id eſt: Ab infinito in potentia ad infinitum actu.

Infinitum
- Negatiue ſeu ἁπλῶς, quod ſimpliciter nec habet, nec habere poteſt finem vllum: vt negatiue, immortale, id eſt ſuapte natura eſt, quod nulla ratione poteſt mori, ita Deus eſt infinitus, & immortalis.
- Priuatiue, quod finem quidem non habet, ſed potuit tamen, aut etiam num poteſt habere, vt cœcus priuatiue dicitur non videns: Etſi enim non videat, tamen eius naturæ non repugnat, potuiſſe, aut poſſe videre.

Infinitum.

Quæſtio eſt, an alicuius creaturæ actio poſſit eſſe infinita? Reſpondent Theologi, peccatum eſſe infinitum: Peccatum autem materialiter actio eſt, quædam igitur actio creaturæ infinita eſt. Reſpondet ſubtiliſſimus Scotus lib. 4. diſtinct. vlt. circa finem. Peccatum dicitur infinitum, non formaliter, ſed cauſaliter, cuius diſtinctionis hæc eſt ſententia: Peccatum dicitur infinitum, quia ſeparat à bo-

no infinito, ſicut contra bonitas & integritas coniungit nos cum infinito: at malitia formaliter infinita non eſt.

Infinitum in Deo non dicitur per extenſionem, ſicut in quantitate continua, ſed per negationem: quia non finitur, ſeu determinatur aliquo.

Quomodo virtus Dei dicatur infinita?

Primum virtus Dei dicitur infinita ratione effecti, quia non contrahitur ad aliquos effectus, cum omnem virtutem producat.

2. Comparatione cum aliis, quia eſt ſuper omnẽ virtutẽ, ita vt hoc ipſum, ꝙ nomine virtutis cõmune intelligitur, non adæquet diuinam virtutem, ſed ea minus ſit. Hoc Scholaſtici dicunt non terminari per commenſurationem alicuius virtutis.

Quid ſit virtutem non terminari commenſuratione virtutis alicuius.

3. Ratione actionum ad effectus terminatarum, quia non terminatur per ea, quæ ſunt, cum poſſit infinitis modis & virtutes alias infinitas producere, præter eas, quæ ſunt, vt tamen propterea non hebetetur aut debilitetur eius actio omnis virtutis effectrix.

4. Dicitur Infinita: quia non terminatur intellectu, id eſt, diuina virtus cuncta excedens ineffabilis eſt, nec ſatis comprehendi poteſt. Thom. Aquinas in Dionyſium. Virtus autem Deo tribuitur, ſicut à ſapientia & vita. Primo, quia omnium rerum virtutes in ipſo primordialiter & ſupereminenter exiſtũt. Secundo cauſaliter, h.e. quatenus eſt cauſa omnis virtutis. 3. ratione actus, quatenus ipſe operatur, producendo omnia autem ſecundum virtutem immutabilem & indefatigabilem.

INFINITE.

Simpliciter, ſine modo, ſine adiunctione ſeu determinatione, vt; Infinita quæſtio eſt, cũ quæritur prædicatũ de ſubiecto ἁπλῶς, ſine adiũctione modi, vt; an Cœlum ſit æternũ? *Definite* ex modo & adiunctione. Hinc quæſtiones dicuntur definitæ, quo pertinent Modales.

Scaliger Infinite & proportialiter ἀντιτίθησι ex. 307. ſ. 18. Nonnulli Deum ipſum voluerunt intellectum agentem (de quo Ariſt. l. 3. de anima) temere admodum. Æqualiter enim in omnibus reciperetur & eluceret. Non enim debet aut poteſt Deus impediri à materia. Neque agit proportionaliter, ſed Infinite cauſa prima. Oportet igitur Intellectum hunc eſſe aliquid cauſarum ſecundarum.

At ego puto aliquando poſſe τὸ proportionaliter τῷ Infinite ſupponi, non opponi. Etſi enim Deum infinite agere non negem, tamen etiam conuenienter rei naturæ agit. Dat animam non materiæ ligneæ vel lapideæ, ſed ſubiecto ſentiẽtiῳ & idoneo. Sic illuminat quidẽ hominum mentes, ſed mentẽ hominis recte adfectum eſſe oportet, vt diuini luminis ſit aptũ & idoneum ſubiectum, phantaſiæ organon oportet eſſe bene informatum. Sic ſolis lux aerem & vitrum penetrat, vt quæ transparentia corpora ſint, ſed non lignum aut ſaxum, quæ corpora ſunt opaca. Rationis expers, ſtipes aut fungus non eſt capax diuinorum myſteriorum.

Naturalia Gratiæ ſuppoſita & ſubſtrata ſunt.

INFLVERE.

Influere proprie liquidorum eſt, vt aqua, vinum influunt. Metaphorice eſt immittere, quaſi influxu ſeu influendo dare ſeu communicare, ſeu per influxum cauſare, effectiue ſeſe impertiri. Scot. l. 4. anima non poteſt animare partem remotiorem à corde, nec dare ipſi vitam non organice (immediate) niſi det cordi vitã, quo mediante, influat vitam in cæteras partes organicas diſtan-

distantes, sicut patet ex Philos. in lib. de animal. quia cor est magis dispositum ad susceptionem vitæ, quam alia pars, id est, non potest anima causare vitam in parte remotiori, nisi prius causet in parte propinquiore. Vsurpatur dupliciter. 1. absolute, vt causa prima plus influit, quam secunda. 2. Transitiue, Spiritus Sanctus efficaciter regenerat gratiam influendo. Deus indurat non influendo malitiam, sed non conferendo subsidium, seu non adhibendo gratiam duritiem cordis emollientem. Sol per suam elongationem est causa congelationis non impertiendo frigiditatem, sed non influendo calorem. Dicitur & caput influere in membra.

Alberti Mag. hoc Barbarum est: Lumen influitur extremitati perspicui, 2. de anim. tract. 3. cap. 7.

INFORMATIO.

Barbaria influatio.

Informatio materiæ
- Per inhæsionem. Potentiæ & actus, seu operationes animæ materiam informant ipsi inhærendo. Vt visiua facultas, & visus informant materiam oculi, ita vt ei inhæreant.
- Per περιχώρησιν, id est, intimam insinuationẽ. Anima informat materiam, eique suum esse substantiale impertit, seu communicat, per omnes eius partes se intime insinuando, easq; animando.

Anima intellectu simplex & immaterialis potest materiæ suum esse ὑποστατικῶς communicare per modum περιχωρήσεως (immeationis & immansionis) sed nequit materiæ communicare immateriales suas potentias, & eas operationes, quæ ab his eliciuntur, ita vt materia eis informetur. (Quanquam intellectio aliquo modo communis animę & corpori dari potest, quatenus intellectio non fit absque consortio animæ & corporis, ac intellectio animę in corpore pendet à speciebus, quæ sensuum comparantur ministerio, & quatenus oportet intelligentem speculari phantasmata. Colleg. Conimb. 2. de anima, c. 1. quæst. 7. art. 2. Anima intellectiua in hoc vitę statu, omnem cognitionem haurit à sensibus, & quoad vsum etiam specierum saltem maiori ex parte dependet à corpore, quatenus oportet intelligentem speculari phantasmata.

Informatum interdum opponitur prorsus conformato ac perfecto. Sic Scaliger. Finis dicitur informare actionem, quia dat actioni nomen, vt bona sit actio, cuius finis bonus, mala contra, cuius malus.

Informatiue idem est, quod per informationem.

INFORMARE.

Philosophis informare primum est, se vt formam dare: quod est formæ. 2. est dare formam, quod est efficientis causæ, vt naturæ, vel Dei. 3. est formam esse. Exempli causa: Anima informat corpus quoddam, scilicet idoneum ad receptionem, non animatum, vt simulatque animarum fuerit, sit animati forma.

Efficiens autem, causa informat quoddam corpus non animatũ, quod formã recipiens fit animatũ, & ita anima est forma animato. Hic soluitur argumentum: Si anima informat corpus, informat aut animatum, aut non animatum. Non animatum, quia quod animatum est, iam informatum est,

non inanimatum, tum quia esset forma non animati, vt lapidis. 4. Informare Scaligero & oratoribus est principium operi quodammodo informe & impolitum dare. Est hoc arte agentis. Exempli causa. Hæc breuiter vt potui informaui. De hac re orationem informaui. Hæc est informata cogitatio. Cic. ad Atticum. Ab iis artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet. Cic. pro Archia. Hæc sunt quæ de colorum natura, omnium in Philosophia difficillima, à paucis vix dum informata commentabar. Scaliger exerc. 325. Sect. vltim. id est, inchoata, nõ omnino perfecta, affecta potius. In hac 4. significatione non accipit Scaliger, cum dicit: si vna forma mundus informaretur, aut reliquæ formæ omnes illius formæ partes essent, aut ab illa essent informatæ, quorum vtrumque perabsurdum esset. exerc. 6. sect. 2.

INFORTVNA,

Δυσυχία.

Barbara vox est Astrologorũ in Genethliac. Iis est alia infortuna maior vt ♄ alia minor vt ♂ vterque planeta est malus, infortunatus, maleficus, Sed Saturnus infert mala cum tarditate & diu durantia. Mars vero subito, & cito transeuntia. At ♃ & ♀ boni, fortunati, benefici, dicuntur; Hic fortuna minor, Ille fortuna maior ☉ ☿ & ☽ naturam inter bonos & malos mediam obtinere censentur. Quo fit vt à nonnullis mediocres dicantur & medii.

Distinctio ab effectis.

Iuppiter est homini velut, & Venus alma benignus,
Qui satur est annis contra cum Marte malignus
Mercurius Medius cum lumine vtroque putatur.

INFRIGIDATIO.

Infrigidatio Barbariusculum pro frigefactione, Cicero dicit refrigeratio ψυξις Græce, alterationis species est. Est enim non frigidi in frigidũ mutatio, quæ fit modo naturaliter, modo violenter. Exempli causa, Somnus fit infrigidatione cerebri, quæ ex calore est subducto, vt in omni coctione, ea quę dicitur elixatio seu ἕψησις necesse est esse ἀτμίδας, id est vapores, qui exhalent: ita cum coctio in ventriculo inchoata est, ἀναθυμιάσεις (euaporationes) ex ventriculo ascendunt in fastigium cerebri, & quia cerebri calor à corde subtractus est, frigescit cerebrũ, & ad huius infrigidationem illæ ἀναθυμιάσεις ibi condensantur in liquorem ad modũ pluuiæ, perinde ac si vapor in calido hypocausto illius, orbibus vitreis frigidiusculis condensatur, & in guttulas colliquescit: ille liquor hinc inde fluens suauiter afficit & humectat cerebrum, ac decidens tandem obstruit meatus, & orificia neruorum. Hæc infrigidatio cerebri duplex est, Altera κατὰ φύσιν: Altera παρὰ φύσιν. coacta seu violenta. Infrigidatio κατὰ φύσιν fit, quando calor & spiritus sub noctẽ introrsum ad vitalia reuocantur. Nam cum subter occasum se abscondit, natura nonnihil sentit se languefieri, igitur cor tum ad se reficiendum copiosius pabulum attrahit, caloremq; exterioribus membris suffuratur, vnde vires exhaustas interdiu recolligit: cũ enim membra, quæ sunt in perpetuo motu, vt cor & cerebrum, nec quiete possunt refici, natura ordinauit, vt aliquo modo pristinus vigor illis restitueretur, nempe cordi attractione caloris, cerebro vero quod diurnis contentionibus exiccatur, rigatione & humectatione. Et hæc infrigidatio est causa somni naturalis.

Violentia cerebri infrigidatio non fit ex reuocatione caloris & Spiritus ad suum principium, qui tum magis foris

sunt

sunt, sed aliunde & ex causa alia, siue pharmacis soporiferis (somni conciliatoribus) siue ex vino halituoso, crapula, vel cibo & potu halituosioribus, & illi habitus conciliant etiam somnum hoc modo de die, cum fumi iusto copiosiores, vt in ebrio, ascendunt ad suum fastigium, cerebrum, etsi tum maxime calescit, agitatione & contentionibus diuersis, tamen non habet calorem ἀναθυμίασιν, id est, calor est imbecillior, quam vt fumos illos discutere, & consumere possit, propter copiam eius. Proinde fumi ibidem densati sua copia, & quantitate premunt cerebrum, & calorem eius, & tandem prorsus obruunt, & extinguunt, ex quo fit, vt cerebrum infrigiderur κατὰ φύσιν, vel βιαίως, & ita somnus oboritur, qui quantum naturam reficiat, sub sensum cadit.

INGENIVM.

Ingenium (quasi ingenitum & connatum) accipitur vel generaliter vel specialiter.

Generaliter pro insita vi & natura cuiusque rei, ita etiam conuenit inanimis.

Specialiter accipitur proprie, vel improprie.

Proprie, si continet vim feliciter ac facile inueniendi ac fingendi in hominibus, & vim memorię, teste Cicer. Improprie si accipitur analogice in brutis quibusdam, vt in psittaco, Elephante, vel metonymice, pro artibus, quæ ingenij beneficio discuntur, vel inueniuntur, vt Ouidius:

Ingenium quondam fuerat precioſius auro.

Ingenium maxime proprie dictum, est facultatis rationalis animi constitutio, ad intelligendum aliquid, siue inueniendo, siue discendo. Seu ingenium est naturalis aptitudo seu facultas, qua nos discimus, & per nos ipsos cogitamus, seu inuenimus aliquid. Ingenij genus est εὐφυία, Latius enim patet hęc illo, nã (generatim est natiua animi corporisve bonitas) speciatim est bona animi constitutio per naturam, tũ ad verum, tum ad bonum, nec tantum est εὐφυία ingenij, sed etiam iudicij naturalis. Assentitur Scheckius Topic. loco 39. hæc est reuera εὐφυία posse recte eligere verum & fugere falsum. Sed Aristoteli ingenij pars est naturalis facilitas ad aliquid diiudicandum.

Ingenij pars est εὐμάθεια, id est, recta constitutio ad disciplinas apprehendendas. Est & pars ingenij solertia, Græce ἀγχίνοια, hoc est, celeris inuentio medij termini. Aristotel. in fine libri 1. post seu est celeritas in inuenienda causa rei.

Σύνεσις id est perspicientia veri, non est idem cum ingenio, etsi ei affinis sit. Versatur ἐν πρακτοῖς, id est, perspicit, & iudicat res prudentiæ subiectas.

Estque politica, vel πνευματικὴ (spiritualis, Theologica. At ingenium esse potest sine iudicio. Memoriam quoque cum Cicerone de finibus ingenio comprehendi, existimamus. Sic Cicero, Docilitas, memoria, quæ fere vno appellantur ingenii nomine, eas virtutes qui habent, ingenioſi putantur.

Iudicium qui ingenio subiiciunt, cum iis non facit Scalig. nam iudicium si de actione loquaris, seu est, probatio, seu improbatio ratione sententiæ, seu est actus mentis, opus effectum cognoscentis, & perpendentis, seu est reflexio mentis super priorem notionem vel est ingenioſe inuentorum perpensio, hoc est, (vt ita dicam) manſorum veluti ruminatio, ad coquenda consilia, vt ait Scaliger.

Si loquaris de potestate seu vi intellectus, est ratio reflexa, exposita enim, quæ

inuenit aut accipit, accuratius recenſet, ac quædam admittit, notas aliis inurit. *Huc illud Scaliger.* Inuenta perpendimus, reuocamus ad reflexionem rationis, tanquam Lydium lapidē, incudem, ſeu ignem, id vocat iudiciū: Ingenium ergo ad inuentionem neceſſarium eſt, & ad eam requirit dexteritatem ac aciem, ad doctrinam etiã expoſcit docilitatem & iudicium: iudiciū verò ad inuentorum perpenſionē, & rectam inuentorum approbationē.

Doctiſſimus Petrus Molinæus diſcimen hoc agnoſcit, cum ait: Philoſophia eſt lima iudicij, & ingeniorum cos. A iudicio abeſſe poteſt memoria, & viciſſim, quia ſæpe fit, vt qui valeat memoria, à iudicio ſit inops. Multi memoriã fatigant, ſed non habent iudicium.

Varietas ingenii pendet tum ex temperamento corporis, tum ex varia diſpoſitione mentis, & conſtitutione organorũ, & facultatum adminiſtrarum, vt φανταστικῆς, (imaginatricis.)

Diſtinctiones ingenii variæ ſunt. Ingenium enim ſubtile eſt, vel craſſiuſculum, acutum vel hebes. Perſpicax vel minus perſpicax, velox vel tardum, acre vel minus acre quanquã acrimonia etiam iudicio tribuatur.) Acrimoniam & perſpicuitatem eſſe tantum ſpiritus, qui illuſtre & viuum reddunt ingenium, author eſt Piccolhim. grad. 2. cap. 4.

Ab ingenio ſolerti ſubtilia producuntur effecta, & contra hebetis vulgares ſunt operationes.

Subtilitas eſt vis intellectus, qua difficilia cognitu facile comprehenduntur.

INHÆRERE.

Inhærere eſt exiſtere in aliquo, vt in ſubiecto, à quo habet actulem dependentiam inhæſiuã. Eſtque Accidentis, cui ſubſternitur propria ſubſtantia.

Scholaſticis Inhærentia eſt
- *Aptitudinalis*: Aptitudo, vt accidens in ſubiecto exſtat. Hæc aptitudo eſt, non repugnantia nexu prorſus indiſſolubili naturam accidentis conſequens. Dicitur & POTENTIALIS, eſt propenſio ad inhærendum. Actus inhærendi.
- *Actualis*, conditio ſeu modus exiſtentiæ, quo actu accidens ineſt ſubiecto.

Volunt autem Scholaſtici ſecundum naturæ ordinē ſeu ordinario naturæ curſu legeque, ſeu Dei potentia ordinaria accidens actu inhærere ſubiecto: Abſoluta autem Dei potentia poſſe extra ſubiectum exiſtere & manere incolume: vt tueantur Tranſſubſtantiationē. Ita ergo *dependentia* quoque accidentis à ſubſtantia fuerit vel Potentialis vel Actualis. Eodem modo VNIO Accidentis cum ſubſtantia, potentia & actu diſtinguitur. Etiam dicitur in materia inhærere forma. Anima eſt forma immaterialis materiæ tamen inhærens, id eſt, in materia tamen exiſtens ſeu immerſa in materia. Zabar. de Aur. & materia, cap. 15.

Inhærere primo accipitur laxe, vt inhærentia non tantum conueniat in accidentia, ſed etiam in naturam, in animam, atq; ita ponitur pro inexiſtere, ſeu receptum eſſe in aliquo, ſeu ſubiectiue INESSE. Sic Zabar. lib. de nat. cap. vlt. Cum ſumimus Eſſe in ſubiecto, prout competit etiã formæ ſubſtantiali & ſignificat inhærere in materia & illã informare. Sic omnis forma naturalis eſt in ſubiecto. Itaque ſi anima in materia inhæret, & eam informat, & dat eſſe corpori animato, abſque dubio anima eſt in ſubiecto, & eſt talis corporis natura. Ita ergo inhæret quid per informationē vel ὑποστάσεως, vt natura animato corpori, in quo recepta eſt, vel acci-

Tam generaliter etiã in Phyſica accepit Peterius.

den-

dentaliter, vt virtus animæ. *Deinde accipitur ab Aristotele preßius*, vt tantum accidentib. & affectionibus tribuatur internis, vt cum dicitur Accidens, qua saluum est, semper inhæret.

Nullum enim accidens est SEPARABILE, id est, nullũ accidens per se existit (extra subiectum) existit. Axioma hoc nullam patitur ἔνστασιν, nullam admittit exceptionem. *Et separari accidens à subiecto est accidens penitus interire.*

Inhærere est vel Positiue, vel Negatiue. Positiue inhærere est habere inhærentiam, vt Modum vnionis cum subiecto. Hoc proprie est inhærere. Ita inhæret qualitas corpori. Ita inhærent dispositiones materiales, hoc est, infixę in ipsa materia.

Inhærere negatiue est non esse seiunctum à subiecto. Hoc proprie est inniti, sustineri, sustẽtari, vt circumscriptio substantiæ à prima dependentis.

Priori modo infima in subiecto omnia accidentia realiter ab eo distincta: vt qualitates.

Secundo ea, quæ formaliter tantum vel modaliter à subiecto differunt, vt relationes (vt paternitas) & alii modi accidentarij. Horum maior est vnitas cum subiecto, quam per positiuam inhærentiam. Itaque & Inhærentia dicitur vel Positiua vel Negatiua, propria, vel minus propria, vere vel quasi. Dicitur hinc subiectum Inhæsionis, vt cum nonnulli docent subiectũ Inhæsionis, omnium accidentium esse totum compositum.

Vsus.

Hæc vocis explicatio vsum habet in quæstionib. 1. An anima inhæreat materię, & omnino: An Forma inhæreat materiæ. Sic loquitur Physiologus quidam doctissimus: Generatio terminatur ad formam substantialem, non quidem separatam à materia, sed & inhærentem intimeque coniunctam. 2. An Inhærentia sit modus existentiæ accidentium duntaxat, an omnium: posterius negandum. Quia tempus quod tanquam mensura suo mensurato externe adhibetur, non inhæret illi.

Pro Inhærere interdum dicitur subsistere seu existere in alio, esse ἑτερυπόστατον, non esse ἀυθυπόστατον. Porro Inhærere aliquid dicunt Scholastici, vel actu vel inclinatione.

Inhærere est accidens esse in subiecto per intimam præsentiam: Accidens inhærere subiecto addit dependentiam à subiecto, & hæc dependentia separari non potest ab accidente, quia non distinguitur ab accidente. Nihil enim aliud est, quam talis natura, quæ naturaliter nequit separari à subiecto, Biel 3. libr. dist. 1. quæst. 1. opponitur assistere.

Vnum de Deo prædicatur non per modũ inhærentis, vel adiacentis, sed stantis, vel per se stantis, id est substantiæ.

Pro Inhærere etiam Metaphorice vsurpatur sedere. Insidere & infixum esse, vt corrupto corpore facultates corporeis organis insidentes non magis superstant, quam accidentia sublato subiecto. *Facultates animæ organicæ pereunt vna cum corpore.*

Quæ vero organis non insident (seu vt alii loquuntur, quæ organis affixæ non sunt) id est, quarum proprium subiectum est anima, non magis intereunt, quam proprium à suo subiecto re ipsa remouetur. *Facultates non organicæ non intereunt.*

Intellectus materialis non est virtus insidens in corpore.

Cardano affectus sedem in voluntate, in quod Scaliger animaduertit.

Interdum inesse vel inhærere in aliquo seu alicui, est in aliquo sese, seu vim suam exerere. Peccatum inhabitat, seu inest in membris corporis nostri, id est in membris vires suas exerit. *Paulus Rom. 7.*

Modus accidētis quoad ēivaj.

Inhærentia & Adiacentia differunt. Inhærentia maxime proprie est accidentis: sed Adiacentia etiam est substantiæ, vt vestimentum, galea corpori adiecit, non inhæret. Habitus vltimum prædicamentum, est adiacentia, id est, applicatio rei per se existentis (substantiæ) ad aliam rem. Verum alia quoq; est adiacentia cum conuenit inhærentiæ, vt Figura est corporis adiacens ex sententia Alberti Magni, & inhæret tamen corpori figurato.

INNITENTIA.

Innitentia est quo quid innititur alteri.

Natura humana innitur supposito verbi per specialem gratiã, qua innitentia (verbi) sublata natura humana esset suppositum, Gab. Biel. lib. 1. dist 30. q. 4. Idem vocat communicabilitatem, & inniti, communicari.

Substantia est, quod nulli innititur, sed est per se Antonius Fauentinus contra Picum.

Aliquid alteri innititur
- Vt forma subiecto
- Pars toti.
- Constituens constituto.
- Natura suppositanti, id est personanti, vt anima & corpus dicuntur in τῷ λόγῳ.

Alteri nõ inniti, idem est interdum, quod in se subsistere, vt suppositum personę.

Persona verbi quodammodo terminat innitentiam humanæ naturę.

INSISTERE.

Insistere Barbarum est, pro ἐνυπάρχειν (inexistere) seu inesse, opponitur ei assistere: Sic virtus insistens assistenti, vt proprium extraneo. Gab. Biel. lib. 4. dist. 5. quæst. vnic. Ex Scoto. In corpore naturali, est operatio naturalis, qua vnum membrum per virtutem sibi insistentem & propriã operatur in aliud: non ita in corpore mystico, quod est ecclesia, vbi operatio ministri dispensantis Sacramenta non est naturalis, sed ex voluntaria ordinatione, nec minister agit ad effectum gratiæ virtute propria, sed ministerium tantum exhibet (est causa ὑπηρετικὴ, id est inseruiens Christo) & Christus Sacramentorum institutor suo signo assistit, ad producendum eius effectum (est causa ὑπηρετεῖσα) vtens sacerdotis ministerio. Sed Picus Mirand. loquens pro Insistens adhibet Inhærens, vt verbo assistit gratia non inhæret. Idem Biel. lib 4. dist. 11. quæst. 1. Sacramenta efficiunt, quod signant, non per aliquam, virtutem insistentem, sed assistentem. Talis erat virtus S. Spiritus virginem Mariam obumbrantis.

INSITIO.

Insitio accipitur proprie & physice, & improprie & politice.

Physice vt cum dicitur surculus arbori esse insitus, id est implantatus.

In Theologia dicitur per assumptionem personalem, naturam humanam filio Dei, tanquam partem quandam (extraneam) hoc est naturaliter & per se non pertinẽtem ad hypostasin illam) personæ mediatoris intitam & veluti implantatam esse.

Hinc pars dicitur insititia, quę est aduen-

titia

titia seu extranea, talis est surculus in arbore, vt toto, cui per singulare artificium est implantatus.

Politice pro contractu, quo vsus vel dominium vtile fundi à domino transfertur ad colonum vt eum colat, & domino sit obligatus, ad præstationem alicuius seruituris, Erbbeſtändtnuß. Græce Emphyteusis; quæ pertinet ad iustitiam commutatiuam.

INSTANS.

Instans physicis est idem, quod non tempus, seu extremum temporis, quod improprie dicitur tempus momentaneum, & indiuisibile, seu indiuiduũ. Quidam instans appellarunt, quod Grammatici vocant præsens, eo quod inſtet cedenti præterito, de quo vid. Scalig. de causis Lat. ling. c. 113. Scotus instans naturæ dicit, quod Scaliger vocat momentum naturæ, ac facit id duplex primum & secundum. Verba Scoti sunt lib. 2. dist. 16. imaginandum est, quod anima quasi in primo instanti naturæ, sit natura talis. in 2. instanti sit operatiua (seu potens operari) & potentiæ, quæ sunt principia operationum, contineatur vnisiue in essentia. Sic Scalig. ex. 5. sect. 6. propria etsi sunt natura substantiis suis posteriora, non tamen re, sed sunt aut ipsamet res in secundo momento naturæ, vt vult Scotus, aut saltem omnino inseparabilia.

Instantanee est in instanti, hoc est puncto, seu momento temporis, cui opponitur, cum mora, lente, tarde, Græce σὺν χρόνῳ.

Pro eodem etiam dicitur in oculi nictu vel in oculi ictu. Vid. prouerb. Gilberti 435. Baldo etiam Instantaneum est, quod est valde modicæ durationis.

INSTANTIA, ἔνστασις.

Instantia Aristoteli & Ioanni Grammatico in 2. prio. cap. 26. est propositio contraria propositioni propositæ, sed differt à propositione, quia instantia vel contrarium vniuersale introducit, vel particulare. Ammonio in prædicamẽtis etiam instantia est cum quæstioni non credimus, sed etiam subuertimus. Alberto Magno in prior, Instãtia duobus dicitur modis. Primo propositio instans absolute, secundo ipsa ratio, per quam huiusmodi propositio probatur. Eidem Instantiæ syllogismus vniuersalis pertinet ad demonstrationem. Ad Dialecticum tam vniuersalis, quam particularis.

Oratoribus instantia etiam est intentionis depulsio seu ἀντιλογία, seu ἀντίστασις.

Instans est obsistens, reclamans ἐνστάτης & ἐνστατικὸς, repugnans, non cedens, aduersarius in iudicio, ἐν enim hic ἀντὶ significat.

INSTAVRATIO.

Instaurare est renouare, verbũ est ab Instar. Est igitur quasi ad instar & similitudinem prioris aliquid reficere, est in pristinum statum reducere.

In nutritione Instauratio triplex est, prima est ante ἀκμὴν, cum plus accedit ad corpus, quam decessit. Ac istud quod plus accedit, fit nutrimentum, quo corpus crescit & augescit.

Secunda fit tempore τῆς ἀκμῆς (vigoris) atque hic accedit tantum, quantum decessit, & non tantum quantum in antegressa instauratione.

Tertia est, in paracme seu παραχμῇ (id est remissione vigoris), vbi fit minus, quã deficit natura: igitur non semper agit similiter in alimentum. Calor enim innatus humorem ita carpit, vt tandẽ eum depascatur, & ita his destruatur.

Restaurationis vocem pro instaurat. Scalig. improbat exer. 195. vbi ait Medico.

rum libri ἐβαρβάρωσαν (Barbarum fecerunt) te Cardane, qui non semel infelici verbo Restaurare veteris. Hoc alii quoque politioris eruditionis studiosi ante eum annotarunt.

Sed tamen Tacitus & Iustinus historici etiam verbo Restauro vsi sunt.

INSTRVMENTVM.

Instrumentum non mouet nisi mouea-
tur, agit ex virtute principalis agentis Thom. Aquin. vt Humanitas Christi quodammodo diuinitatis Instrumentum agit in virtute eius.

Quæ Christus in humanitate sua fecit vel passus est, ex virtute Deitatis opus sunt nobis salutaria.

Resurrectio Christi est causa efficiens resurrectionis nostræ virtute diuina, cuius proprium est mortuos viuificare.

Instrumentum { Coniunctum. / Separatum, quod mouetur per coniunctum.

Virtus Instrumenti { Inchoatiua cum instruitur. / Completiua cum mouetur à principali agente.

Omnes actiones & passiones Christi operabantur instrumentaliter, in virtute diuinitatis ad salutem humanam, Thom. 3. q. 4. & 6. capp.

Ab efficiente.

Instrumenta sunt naturalia vel artificialia. Naturale, vt lapis Indicus, quo expoliuntur sagittæ. Artificiale, vt malleus. Instrumenta sunt aut ad agendum, vt fistula, nauis, currus; aut ad faciendum; vt malleus, incus.

Instrumenta sunt vel ad perfectionem comparata, vt acus, malleus, aliqua ad destruendum, vt tela. Faciunt tamen aliquid hæc quoq; pauca ex homine cadauer. Instrumēta sunt vere vel quasi. Quasi, vt seruus apud Aristot. in politicis, & equus.

Instrumenta rustica ὄργανα γεωργικὰ sunt Varroni lib. 1. Rei rusticæ cap. 17. { Vocalia, vt serui. / Semiuocalia, vt boues. / Muta, vt aratra, plaustra, trahæ.

Vnum & idem potest esse δεκτικὸν receptiuum huius & instrumentum alterius. Quo fit vt σκεῦος significet & vas & instrumentum. Vas, qua receptaculum eius quod recipit, ac complectitur. Instrumentum, qua vtensile est Domini.

Cum Paulus Apostolus dicitur σκεῦος electum, intelligitur organon, seu instrumentum electum.

At quid hoc, quod Scaliger dicit Poetices lib. 3. instrumentum inter causas numerat Plato, cuius sententiam non temere sequi debemus? Respondetur, si quis ita instrumētum numeret inter causas, vt sub efficiente id nō comprehendat, aut non contineri dicat, is erat.

Quæritur, vtrum voluntas dum conuertitur à Deo, habeat se pure passiue tantum, an etiam actiue?

Vsus in Theologia. Hominis mens & vo- *Homo sub-*
lun-

luntas est αὐτοτὸν, seu subiectum qualitatum & inclinationum nouarum, à Spiritu Dei per verbum, in conuersione excitatarum, seu donatarũ. At instrumenti seu efficientis secundarii rationem habet actionum Spiritus Sanctus. Agimus enim à Spiritu Dei acti. Vis apprehendendi Domini est; apprehẽsio nostra est: à Spiritu acti non coacti credimus. Quis dicat meræ passiuitatis esse apprehensionem, seu actum assentiendi.

INTEGRVM.

1. Integrum proprie denotat solas partes materiales. Scalig. in lib. de plantis primo, vt arbor integra dicitur, quæ partibus ad germinandum apparatis prędita fuerit.

Integrum { Eiusdem rationis, cum omnibus partibus. / Diuersæ rationis, seu dissimile.

Ita partes Integrales dicuntur { Vnius rationis seu similes; ita quælibet pars materiæ est materia. / Diuersæ rationis. Talia sunt membra humana.

Vsus explicationis significationum harũ non est nullus.

Quærit Scaliger. An arbor integra dicetur, quæ putata est, ac respondet. Integra quidem, si vitam spectes: at non integra μαθηματικῶς, quando, quæ aderant, absunt.

INTELLECTVS.

Intricatum & plenum obscuritatis negotium est, intellectus naturã perscrutari. Itaq; significationes & distinctiones varias videam⁹. Intellect⁹ primo accipitur pro potẽtia intelligente (vt in lib. de anima) vel pro principio intelligendi. Secundo pro habitu cognitionis indemonstrabilium & formarum immaterialium in Eth. & philos. sumitur. Tertio pro actu intelligendi, vt cum dicitur

Intellectus est { Rectus, cum homo alias res extra se cognoscit. / Reflexus, cum homo seipsum intelligit, id est, in-

Completum seu perfectum (cui nihil addi potest) plus est, quam integrum, eidem Scaligero. illud enim complectitur etiam potestates, potestatumque tempestiua momenta.

2. Integrum interdum accipitur pro absoluto, vt cum forma aliqua dicitur integra, aut essentia hominis integra à Pererio lib. 7. c. 21. physi. hoc est tota. Ita integrari est constitui. Entitas totius dupliciter cõsiderari põt, vel in se formaliter, & per se, vt est quędã res distincta à suis partibus, & sic se tota differt ab omnib. suis partib. Vel cõstitutiue & integratiue, vt dicit relationẽ ad partes, ex quib. cõponitur, & sic nõ differt aut se tota aut secũdũ aliquid, sai à partibus suis, lib. 7. phys. cap. 22. Perer.

tellectio. Sic Scaliger exerc. 307. s. 2. intellectus (id est principium & vis intelligendi) noster non intelligit se per speciem, sicut cætera Entia materialia, sed per reflexionem. Hoc autem in immaterialibus & facile & semper fit, sunt enim eius duæ actiones. Vna recta, altera reflexa. Prima quidem cognoscit aliquid, secunda cognoscit se, & cognoscere & cognoscendi habere potestatem. Qua reflexione seipsum tametsi non disiungit, tamen geminatur. Et exerc. 307. s. 9. Intelligitur res intellectione recta veritas reflexa. Neque enim qui vera dicit, scit se vera dicere, nisi cum re comparet orationem. Et paulo ante. In composito, quod complexum vocant, veritas non intelligitur nisi per reflexionem. Reflexa intellectio cur dicatur, percipitur ex hac alias descriptione. Intellectio re-

flexa est, cum animus alia intelligens, ad se reuertendo, & reflectendo sese intelligit & intelligere se agnoscit. Piccolhominei hoc est, nisi forte memoriá labor.

Et intellectus alius est speculatiuus, alius practicus (non differunt subiecto, sed fine & obiecto.)

Speculatiuus est, qui ex principiis theoricis elicit, ἐπιστητὰ, id est conclusiones ad sciendum: & quidem etiam bonum contemplatur, qua est verum.

Practicus, qui ex principiis practicis colligit πρακτὰ, id est, quæ sunt agenda. Quorum principiorum in mente conseruatio dicitur συντήρησις: vnde oritur conscientia. Hic intellectus (practicus) ante se requirit mentis cognitionem seu intellectum speculatiuum, vt ὑπηρέτην & ministrum. Nam

In Intellectu practico spectantur
- Apprehensio.
- Approbatio vel Improbatio.
- Prosecutio vel auersatio, quæ voluntatis etiam actio est.

} REI.

Et intellectus, id est intellectio per phantasmata id est, quæ fit ope Phantasmatum, est operatio immanens itaq; subiectiue remanet in anima, à qua producitur, non suscipi potest in corpore Id est ipsum intelligere, subiectiue tantum inest in anima rationali. Sola anima exerit hanc operationem, quæ est intellectio. Ergo sola anima est proprium huius operationis subiectum. Proprium enim operationis subiectum est, quod eam exerere potest. Cum intellectu, vt actione mentis nihil communicat actio corporalis. Aristotel. tertio de anima, Intellectus non est commixtus corpori, vt subiecto. Etsi intellectus, id est, intellectio, propria animæ rationalis operatio, obiectiue dependeat à corpore, id est à phantasmatibus, & anima rationalis non intelligat pura & simplici cognitione dum est in corpore. Et intellectus extrinsecus accedit, id est intellectio seu ἐνέργεια intellectus dependet ab externo intelligibili, quod verum est, sed non probo, quod Portius illud Aristotelis, Mens extrinsecus aduenit, interpretatur de mente, quod attinet ad actum secundum, id est, operationem intellectus. Nã dubitatio ab Aristotele proposita, non fuit de operatione intellectus, seu intellectione, an educatur è semine nec ne, sed de substantia partium animæ. Philosopho igitur Mens significat Substantiam animæ intellectiue. Archang. Mercen. In dilucidationibus. Et Intellectus, id est intellectio, est passio vel actio.

Anima intellectiua primo producit intellectionem & eandem recipit.

Quid proprium ἐνεργείας subiectum.

Non omnis intellectio passio est, sc. perficiens, sed sola apprehensio prima notionum, quas ille intellectus, cum agitat, diuidit, componit, deducit: alius est intelligendi modus, qui διάνοια appellatur. Scalig. exercitat. 307. sectione 22.

Intellectio non est passio corruptiua.

Intel-

- Intellectio
  - Apprehensio simplicium obiecti, est passio. Receptio speciei.
  - Διάνοια seu notionum agitatio.
    - Simplex
      - Compositio.
      - Diuisio.
    - Composita. Commutatio seu deductio
      - Syllogistica.
      - Methodica seu Ordinatiua.

Principium intelligendi, dicitur intellectus possibilis, seu patiens, seu materialis, seu primus. Non est hic, ait Archang. Mercen. potentia de secunda specie qualitatis, quia non est facilitas ad intelligendum, sed principium intellectionis, quod perfici potest ab obiecto intelligibili, vt materia à forma.

Dicitur autem intellectus possibilis potentia, non quidem ad esse, quia actu est, sed quia potest omnia fieri, vt contra intellectus agens omnia potest facere τὸ δύναμει νοητὸν efficit νοητὸν ἐνεργείᾳ.

Et intellectus est manifestus vel abditus: id est,

Intelligere est
- manifestum: obliquum, quod non fit sine phantasmate, vel adminiculo sensus & phantasiæ.
- Abditum: Directum, per hoc anima intelligit se ipsa: Hoc non est commune animæ & corpori.

Conclusio Pici 45.

Anima per intelligere abditum, quod est directum & permanens, sine adminiculo sensus, aut Phantasiæ, seipsa tantum actu & distincte intelligit.

Et intellectus est
- Verus, cum homo intelligit rem prout est, aut prout non est.
- Falsus, ab adiuncta veritate & falsitate. Id est intellectio est vera, vel falsa.

Obiectio. Ac Augustinus Falsum ait, non est intelligibile, id est, intellectus non potest intelligere falsum, sed tantum verum. Armand. tractatu 2. de transcend. cap. 11. Intellectus non potest agere in contradictoria. Verum & falsum sunt contradictoria vt Ens & non Ens. Ergo non potest intellectus agere in verum & falsum. R. Dictum Augustini καλά τι accipiendum, cum enim intelligere sit vnum ex ijs quæ dicuntur κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον, primo conuenit vero, secundario falso. Intellectus autem possibilis & agens non sunt partes aut species animæ intellectiuæ, sed modi & gradus eius secundum rationem differentes. Anima enim intellectiua, vt caret intelligibilibus, & potentia est ad illa, dicitur possibilis: & habet se vt materia. Cum vero singula facta est, habet alium modum seu gradum perfectiorem, & dicitur in actu primo seu habitu; Habet & alium gradum perfectiorem, vt agens quatenus abstrahit. Ac vt lumen facit potentia colores actu colores: ita intellectus agens facit potentia intelligibile actu intellectum, ideoque substantia actu dicitur. Hic Mercenarius sic analogismo argumentatur. Sicut lumen facit potentia, qui sunt colores actu: ita intellectus agens omnia facit. Iam vero lumen non facit colores secundum esse reale, quia colores in te-

Barbari praexistũt.

nebris delitescentes sunt iam actu colores,& existunt, seu extant ante illuminationem sed facit actu colores, quo ad actum videndi,quatenus facit vt sint κατὰ φανέρωσιν, seu quae eos ponit in esse quodam conspicuo, vt videantur, cum antea in tenebris delitescentes non viderentur.Itaque intellectus non facit omnia simpliciter, & secundum esse reale, sed facit omnia, vt sint potentia intelligibilia, actu intellecta, quatenus ponit obiecta in esse quodam manifesto (quod est εὖ εἶναι) ita vt intelligantur, cum iam pridem conditionibus materialibus inuoluta perinde ac tenebris non intelligerentur & perspicerentur. Intellectus igitur agentis officium est,illustrare phantasmata.

Cur dicitur agens intellectus? Ac agens dicitur intellectus, cum de potestate in actum exit,sed alijs philosophis & Theologis agens intellectus non est aliquid causarum secundarum, sed est mens illa prima & æterna, pater illeluminum Deus, qui luce sua humanas mentes collustrat, vt semper fieri possit intellectio, modo habitus sit in mente nostra acquisitus,& phantasiæ organon recte comparatum atque affectum. Is illustrat phantasmate mentem humanam, ad contemplandum mouet, quo modo lux colores potestate aspectabiles, actu tales efficit:Sic Alexandro mẽs extrinsecus adueniens est Deus in libro de intellectu, quod Zabarellæ non displicet. Quid multa? Dicunt mentem humanam & recipere species à phantasia, diuina luce illustrata impressas, & de receptis iudicare,idque vel recte,vel secus,prout vel cohærentes, & homogeneas (congeneres) apte connectit,vel imperite disturbat, alienasque annectit. Ac diuinam illam lucem vocant, seu aiunt esse mentem agẽtem. Hanc sententiam inuenies in Zabarell. libr. de mente agente. Et approbat eam Tilenus disp. de facultatibus animæ rationalis, è cuius argumentis hoc vnum est, in omni rerum genere, in quo est aliquid primum & per se tale,itemque aliqua secundario talia,certum est ista ab illo habere, vt sunt talia. Quocirca cum mens agens efficiat potentia νοητὰ actu νοητὰ non potest alia esse,quam mẽs illa prima, & æternus fons omnis luminis. Verum mihi non fit verisimile Aristotelem Naturæ genium in doctrina physica de mente hominis ad Dei εἰσροὴν καὶ ἐμφωτισμὸν (influxum seu illapsum,& irradiationem) seu Deum hominem illuminantem seu lucem insinuantem aspirasse atque ascendisse, quo opinor Plato diuinus philosophus prouectus est. Aristoteli vnus intellectus,quatenus enudat species agens est, quatenus earum subiectum est, materialis est iudicio Scaligeri, & omnino est potestate cognoscendi,& vatis instar spirituales species recipiendi.

Alij vt Melanchthon existimarũt intellectum agentem autorem esse omnium inuentionum, exempli gratia horologij, machinarũ, nauigationis,& aliarũ artium esse caput, & parentem omniũ cõsiliorũ. Materialẽ vero intellectum esse quasi vsufructuarium & beneficiarum illius. Cæterum si ita esset inquit Scalig.ex.307.sect.18. omnis discursus & omnis ratiocinatio ab intellectu agente proficisci videretur,nihil igitur opus esset intellectu materiali. Auerroes denique in paraphrasi Metaphysices dixit esse vltimum motorem cœlestium. Quæ sententia est temere prolata, nec vlla apud me viget ratio, quæ mihi eam persuadeat.

Intellectio à Grãmaticis dicitur cum aliquid nõ expressum tacite intelligitur. Ennius: Quis tu es mulier qui me insueto nuncupasti nomine? Græce ὄνομα. Refertur enim tacite ad hominem

quis

quis (homo) tu es. vid. Scip. Gent. in parerg.

Intellectiuum rationale.

Intellectiuum primo est, quod habet vim intelligendi. Secundo quod intelligit. Tertio quod intellectū vel iudicium rationis sequitur, quod est in parte animæ intellectiua. 4. intellectiuus seu rationalis dicitur appetitus quidam nempe voluntarius, non quod intelligat, sed quod sit in parte intelligente & sequatur intellectum, vt illud appetat, quod intelligens cognoscit. Non enim diligimus nisi cognita, ait Augustinus.

INTELLIGIBILE.

Intelligibile in philosophia dupliciter accipitur. Primo pro eo quod est, quod ipsum intelligi potest, vt in l. 3. de anima Aristoteles. Deinde pro eo quod intelligendi vim habet, vt intellectus agens agit, vt intelligibilis, nō quod ipse intelligatur, sed ꝙ per ipsum alia intelligantur, & ita sit ratio intelligibilitatis aliorū, id est actus & perfectio, qua cætera reddantur intelligibilia, Zabar. de mente agente lib. c. 4. Phantasma illuminatū dicitur actu intelligibile, quia potest producere in intellectu possibili speciem intelligibilem, quæ est intelligibilis formaliter, quia ipsamet recipitur in intellectu. Secundo intelligibile formaliter est species, qua in intellectu, vt coloris species spiritalis in oculo recepta dicitur visibilis formaliter.

Intelligibile obiectiue: vt phantasma, ꝙ in phantasia est illuminatum, dicitur actu intelligibile obiectiue tantum, quia ipsummet nō est in intellectu: vt color realis in pariete, illuminatus dicitur visibilis obiectiue tantum, cum nō sit in oculo, sed extra intellectuale, in physicis Zabarella vsurpat semel passiue pro ὕστερον, cum ait principia vniuersaliora in causando sunt à sensibus remotiora, & magis intellectualia, & abstracta à materia, ideo sunt notiora, secundum naturam, & secundum rationem. Nolim te hoc imitari.

INTENDI PER SE.

Tripliciter accipitur. 1. dicitur aliquid intendi per se, quia non intenditur propter aliud quippiam assequendum. Sic sanitas dicitur intēdi per se ab ægroto, non autem deambulatio, quia hæc quæritur gratia alicuius, nempe sanitatis, illa vero non item. At sic per se à nullo agente intenditur corruptio. Secundo dicitur quid per se intēdi, quia in sese est obiectum terminans actum intentionis appetitionisue alicuius, siue ad aliud quid vlterius referatur, siue non. Sic deambulatio dicitur per se intēdi, quia in se est obiectum electionis ægroti, licet ægrotus deambulationem ad obtinendam valetudinem destinet. Tertio dicitur intendi per se, quicquid necessario exigitur, ad obtinendum finem, licet in se malum sit. Sic corruptio (quæ nullam bonitatem participat) intenditur per se secundaria intentione, seu minus præcipua.

Non sunt æqualis ambitus.

Suscipere magis & minus latius patet, quam intendi & remitti suo ambitu comprehendit, non solum intendi cum remitti, sed etiam extendi, & contra, quorum illud qualitatis, hoc quantitatis est. Formam intendi nihil aliud est, quam nouam perfectionem sibi intimam acquirere (quę graduum intensione, & detractione, augescit, & minuitur.)

Formā remitti nihil aliud est, quam aliquid intimæ perfectionis amittere.

Fonseca lib. 8. Metaphysic. cap. 3. quæst. 1. sect. 2 pag. 47.

Intendere est tendere in aliud
- Ex se (mouente se in illud.) Hoc principaliter est potentiæ liberæ.
- Ab alio motum seu ductum. Hoc est potentiæ naturalis.

Intentio igitur est actus liberi arbitrij, & naturæ, sed æquiuoce.

Intellectus dicitur intendere aliquid seu tendere in aliquid, id est aciem suam conuertere ad obiectum aliquod.

Tendere in aliud { Finem
obiectum { Præsens.
Distans seu absens.

Scotus in Quod. lib. 2. distinct. 38.

INTENDO.

Intendere veterum physicorum phrasi denotantionem scopi & finis habet. Natura inquiunt physici non intendit monstrum, id est monstra non fiunt ex instituto naturæ.

Hac enim metalepsi, hoc est mutatione obscurioris in facilius cum tersioribus physicis libenter vtor.

Intentio est idem quod propositum, & institutum, vt consilium, quod interuenit (Barbari dicunt mediat) inter causam efficientem & scopum, hoc est finem illum, quem sibi attingendum proponit, qui actionem aliquam dirigit. Est enim intentio appetitio, qua agens expetit assecutionem scopi, vt intentio piscatoris est, pisces capere, capiendi pisces sunt proximus scopus piscatoris.

Sæpe tamen intentio pro scopi eo fine accipitur. Intentio est principalis, vel minus principalis.

Vsus.

Huius distinctionis vsus est in physicis & politicis.

Quæritur an natura intendat somnum?

Responsio est, Somnus quidem est quiddam φυσικὸν, seu κατὰ φύσιν & naturæ vtile, sed κυρίως loquendo, nõ est tale, quod natura intendat. Vt enim natura nec χύλωσιν, nec χύμωσιν intendit, sed hoc principaliter, vt alimentum quod assumimus in substantiam corporis nostri conuertatur, hoc antequam fiat, necesse est, fieri multas alterationes & præcedere χύλωσιν, & χύμωσιν, sic etiam natura non principaliter Somnum intendit (is enim non habet rationem finis principis) sed retectionem corporis, cordis, & cerebri, vt vires horum interdiu laboribus & contentionibus nonnihil exhaustæ, recolligantur, & corpori suus vigor pristinus redeat, atq; hoc facit per suas coctiones, & dum hoc agit, interea accidit hoc πάθος naturæ, quod est Somnus.

At enim inquis Somnus quies est. Ergo finis princeps est. R. Hoc sequeretur, si Somnus esset quies vniuersalis, at non est quies vniuersæ naturæ, qualis est in lapide delato ad locum naturalem seu ad centrum, sed tantum quarundam partium. Nam dormientes se versant, dentibus stridٍent, loquuntur, nonnihil etiam sentiunt, aliqui etiam inexplicabili quodam modo obambulant, & caute etiam in periculosis locis, cuius rei & Galenus & Aristoteles mentionẽ faciunt. Quid multa? nulli functioni, quæ vitæ necessaria est, natura in somno quietem concedere potest. Cerebrum ne in somno quidem sibi in ijs, quæ sustentationi ipsius necessaria sunt, abesse potest, nec Somnus eiusmodi infert obstructionem, quę impedire musculi actionem liberam possit.

INTEN-

INTENTIO.

1. Intentio { Proprie dicta; actus mentis, quo tendit in obiectum, intentio formalis.
Improprie dicta; obiectum in quod.

Actus mentis fertur, vt intentio auari est pecunia. Intentio obiectum. Vtraque est prima vel secunda.

Prima intentio formalis est actus intellectus directus, id est, quo obiectum suum percipit directe. Secũda intẽtio formalis est actus intellectus reflexus, id est quo aliquid per reflexionem cognoscimus.

Prima intentio obiectiua est omne id, quod per actum directum cognoscitur. Secunda intentio obiectiua est omne id, quod per actum reflexum intellectus cognoscitur, siue sit ipsa actio intellectus, siue potentia, siue ea, quæ conueniunt rebus, prout sunt in subiecto obiectiue.

Exempla.

Cognosco per actum intellectus directum hominem. Cognitio hæc, qua hominem percipio, est intentio formalis prima. Sed quia ad hanc cognitionem intellectus (qua cognoui hominem) sequitur quidam respectus seu Ens rationis, fit vt intellectus reflectat se in ipsum, & cognoscat hoc quoq; ens rationis. Et hæc intellectio seu actus, mentis reflexus, quo cognoscit hoc Ens rationis, vocatur intentio formalis secunda.

Potentiæ { Imperfecte, Sensitiuæ: aduertunt enim tantum se operari dum operantur.
Nobiliores, reflectunt se in sese { Perfecte, Intellectiua { Aduertit se operari.
Conuertit se ad suam operationem, id est, cognoscit eius naturam & proprietatem cognoscit, quemadmodum & sua principia, & proportionem suam cum obiecto & omnia, quæ obiecto conuenire possunt, ἐκ τοῦ ἐνεργεῖν.
Ignobiliores, non reflectunt se in sese, vt quæ non sentiunt.

2. Intentio est vel Intellectus, vel Naturæ, seu naturalis inclinationis. Natura igitur recte dicitur finem intendere.

3. Intentio dupliciter dicitur. Vno modo motus mẽtis destinantis opus ad finẽ. Altero modo ipse finis intentus, id est, ad quam mens actiones suas destinat.

Vsus.

Quæritur, An intentio faciat opus bonum vel malum, seu vt loquuntur, an imprimat speciem operi? Respondetur ex hac distinctione: Si loquamur de intentione primi modi, ex ea iudicantur opera vel bona, vel mala. Nam motus ille mentis, qui ordinat opus ad finem, nunquam est bonus, nisi sit rectus ordo: non est autem ordo rectus, nisi ordinentur extrema.

Si secundo modo de intentione loquamur, non omnia opera ex intentione iudicantur, sed illa tantum, quæ per se bona sunt, vel indifferẽtia seu ἀδιάφορα; quædam vero sunt per se vitiosa &

mala, quæ ex intentione bona ſeu fine bono bonitatem non nanciſcuntur, vt ſi quis adulterium cõmittat, vt depletus ſeu exoneratus & à cõcupiſcẽtię moleſtia releuatus quietius ſpiritualibus vacet. Alij dicunt duplicem eſſe finem ſeu intentionem: vnum intendẽtis; Alterum rei ſeu operis. Finis intendentis eſt, quẽ agens ſibi pręſtituit, quamuis media non ſint ἀκόλουθα, id eſt, proportionata ad eiusmodi finem. Idcirco bonitas talis finis non ſemper ſufficit ad bonitatem moralem operationis. Alter vero finis dicitur finis operibus ſeu medijs ad finẽ ordinatis ἀνάλογος & cõgruens. Idcirco à tali fine operatio dicitur bona & mala.

In doctrina de ſenſu Scholaſticis Intentio aut eſt id, in quod intendit ſenſus: ita ipſum obiectum eſt Intentio: aut id per quod tãquam per principium formale in obiectum tendit ſenſus, hoc eſt, eſt ſpecies, quæ pertinet ad tertium genus qualitatis. Scotus l. 2. diſt. 13. Sic lumen dicitur intentio, hoc eſt ſpecies ſenſibilis ipſius lucis.

Intentio { Primaria. Secundum hanc non vult Deus malum vel Naturæ, vel pœnæ. / Secundaria.

Ἄλλως.

Intentio non accipitur μονοτρόπως (vno modo.) Primo ſignificat actum intendendi ſeu liberæ potentiæ, quo fertur hæc in aliquid (ſiue moueatur à ſe, ſiue ab alio) vel tanquam in obiectum, vel tanquam in terminum ſeu finem, remotum vel propinquum. Sic volitio finis ſeu velle finem eſt intẽtio. Sic intentio quædam eſt recta, quædam obliqua, quædam ſincera, quædam non. Quædam eſt actualis, quædam eſt habitualis in eo, qui habitu inclinante ad eiuſmodi actum prædituſ eſt: Quædã virtualis in eo, qui quidem non habet actum volendi finem, ſed vult tamen actu media ad finem τὴν ἐνεργείᾳ (actualiter) intentum.

Secundo ſumitur pro potentia ipſa intendente. Ita intentio dicitur oculus voluntatis à Scholaſticis, quia per intentionem diſcernitur operatio voluntatis bona à mala ſeu ſiniſtra.

Tertio pro habitu dirigente. Sic dicitur intentio Lumen, quia intendenti manifeſta eſt.

Græci dicunt ἀπὸ τοῦ σκοποῦ, extra inſti.

Quarto pro fine ſeu ſcopo. Barbari vocant Intentum. Biel. l. 2. diſt. 39. & l. 4. diſt. 4. quæſt. 2. d. 6. quæſt. 1. Scotus in 2. diſt. 38. Hinc dicitur aliquis facere, ad quod actus per ſe ordinatus eſt.

Quinto pro ſententia animi, vt, nec finẽ, nec media intendit, id eſt cogitat.

Exempla.

Intentio eſt vel directa, vel Interpretatiua, id eſt, voluntas; requiritur intentio ſeu voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum directa ſeu propria in adulto, & Interpretatiua, hoc eſt, vicaria, in paruulo. Sola autem voluntas parentum eſt voluntas paruulorum interpretatiua, antequam rationis vſum habeant. Itaq; ſi contra voluntatem parentum baptizarentur, non eſſet ibi voluntas, nec directa (εὐθεῖα) nec Interpretatiua ſeu obliqua & vicaria. Biel in quæſt. An infantes infidelium inuitis parentibus ſint baptizandi, & adulti ad Baptiſmum compellendi.

In ſermone diſciplinæ audibili proprie non continetur intentio animæ. Intẽtio enim animæ eſt cognitio ſeu cogitatio, quæ inhæret potentiæ cognitiuæ, quam perficit, non alteri rei exteriori. Biel. l. 4. diſt. 1. quæſtio. 1. Gregor. lib. 26. Moral. Non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem & intentionem. Quia non debet intẽtio verbis

verbis ſ.. dire, ſed verba intẽtioni. Occam. In verbis ambiguis & multiplicibus non eſt recurrendũ ad cõmunem intelligentiã, ſed potius ad intentionẽ loquentiũ. Et Gloſſa ſuper tex. Hilarij, (Intelligentia dictorum ex cauſis aſſumẽda eſt dicendi, quia nõ ſermonis res, ſed rei ſermo eſt ſubiect⁹.) Nõ ſemper intelligere debemus vt verba prima facie (id eſt exteri⁹ ſeu ſuperficietenus) ſonare videntur, maxime vbi ambigua ſunt, ſed debemus recurrere ad intentionem loquentis. Et iurecõſulti præcipiunt; Extenſiones, diſtinctiones, reſtrictiones, exceptiones ad diſpoſitionem legis & intentionem loci referantur. Vid. etiam Ethic. Piccolhom.

In Opticis intentio eſt ſpecies viſibilis repræſentans ens reale, colorẽ. Intentiones minutæ non videntur in luce debili. Ἀσύναλον eſt viſu vnam intentionum viſibilium per ſe ſolam comprehendere. Alhazen. 63. n. 2. & Vitell. li. 4. theo. 1. Omnes formæ corporales ſunt compoſitæ ex multis intentionibus (id eſt, formis) particularibus. Ibidem in declaratione Theorematis.

Intẽtiones illæ ſunt Generales ſeu ſpeciales, id eſt, particulares vel indiuiduales. Vid. Vitell. Opt. 4. propoſ. 71. Hinc intentio nihil aliud eſt quam imago, hoc eſt, ſpecies rei. De hac quæritur à philoſophis: An ſit res quædam ſuapte natura exiſtens? (ſic eleganter Scaliger vocat Ens reale) necne? Reſp. Non eſt Ens reale, ſed eius εἴδωλον. Sic color in herba viridis eſt res quædã ſuapte natura exiſtens ſeu Ens reale: ſed viriditas in ſpeculo ex vero herbæ colore manans, non eſt tale Ens. Sic lumen imago quædam eſt corporis lucentis, ſiue rectum illud ſit, ſiue ἀνακεκλασμένον, id eſt, reflexum.

Scholaſticis Intentio etiã eſt idem quod impoſitio, nam illis voces primę intẽtionis nihil aliud ſunt, quam voces primario impoſitę ad rerum ſignificationem, hoc eſt, ſunt voces primæ impoſitionis, quibus opponuntur Intentiones ſecundæ.

In Oratoria Intentio eſt aduerſans vel affirmatio, vel negatio. Cui opponitur Depulſio defenſoris. Hinc conflictus oritur, Exemplum Iacobi Omphatij, Pro L. Manilia Intentio ſuadentis Ciceronis eſt; Pompeius, in quo ſumma ſunt omnia, bello Aſiatico eſt præficiendus. Depulſio: Summa omnia in Pompeio licet ſint, non tamen ideo huic bello præficiendus. Αἴτιαι ſeu rationes depulſionis.

1. Non oportet ad vnum Pompeium omnia deferri. 2. Periculoſum eſt huic regio bello pręponi Pompeium, cuius virtute vniuerſæ Reip. ſalus nititur, ne illius ruina, ſi quid humanitus accidat, totius ſpes ciuitatis ſimul concidat. 3. Nihil eſt noui & contra veterum inſtituta faciendum.

Συνέχον, id eſt, firmamentum ad labefactandas rationes.

1. Debent ad vnum Pompeium omnia deferri, qui omnem oram 40. diebus piratis & furioſis latronibus liberauerit.

2. Quo minus certa eſt, & minus diuturna vita hominis, eo magis in publica libertate propugnanda Pompeij virtute eſt fruendum.

3. Multa ſunt noua ab ipſo Catulo ante in Pompeio contra veterum exempla conſtituta.

Ex hac αἰτιῶν & συνέχων conflictione naſcitur ſtatus coniecturalis, ſitne Aſiatico & regio bello præficiendus Pompeius? In hoc enim deliberatio vertitur.

Exempl. Valent. Erythræi.

Status Orationis Pro Archia Poeta *naſcitur ex ἀποφάσει, Intentione, & κατάφάσει, depulſione.*

Intentio aduerſarij ſeu Accuſatoris: Archias non eſt ciuis.

Depulsio seu inficiatio Defensoris: Archias est ciuis.

Status seu quæstio, seu constitutio causæ; vtrum Archias ciuis Romanus factus sit, necne?

Αἴτιον, id est, Ratio defensoris: Archias est fœderatis ciuitatibus adscriptus, & habuit in Italia domiciliũ tum, cũ lex ferretur à Syllano & Carbone, & 60. diebus apud prætorem populi Romani professus est. Singula autem probantur.

Firmamentum (συνέχον) Accusatoris, quod opponitur rationibus defensoris: Archias non est Heracleæ adscriptus, nec habuit domicilium, &c. nec professus est apud prætorem, nec est census. Singula probantur.

Κρινόμενον (de quo iudicium est) seu disceptatio, quæ oritur ex rationum & firmamentorum coniunctione.

An cum Archias Heracleæ, & in alijs socijs ciuitatibus adscriptus sit, cum tamen Heraclienſium publicæ tabulæ, in quibus nomen illius scriptum sit, desiderentur, & sedem omnium suarum rerum multis annis Romę collocarit, sitque professus apud prætorem populi Rom. quod dubium est, & cum testamentum fecerit Romanis legibus, & adierit hæreditates populi Romani, & ad ærarium in beneficijs delatus sit, cum tamen non sit census; idcirco in numero ciuium habendus sit, necne?

Etsi enim tot sunt κρινόμενα (iudicationes) quot rationes & firmamenta: tamen ex his vna coniuncta & composita fieri isto modo potest.

INTENTIONALE.

Scholastici Ens Intentionale appellant Ens, quod sola intellectus conceptione & consideratione inest; seu Ens quod est intra animam per notiones, vt ait Mazonius; cui opponitur Reale, quod reperitur extra animę notiones. Sic dicunt quidam: Genus est intentionale, vniuersale est reale, philosophia quædam est intentionalis, id est rationalis (propædia) Logica; quædam est realis, vt Physica, Metaphysica, scientiarum realium radix vniuersalissima.

Intentionales dicuntur species sensiles, quia obiecta materialia sensui repræsentant.

Intentionalis forma Scholasticis est sensilis vel intelligibilis.

INTENTVM.

Intentum est spectatum seu propositum.

Intentum seu spectatum *per se primo est vel in Totum seu in solidum, vel ex parte.* Primus modus est, cum id bonum respicitur, quod in se omnia ad ipsum directa, qualiacunque sint, & quomodocunque sumantur, terminat: Id est, *quod tam ipsum, quam omnia ad ipsum vtcunque destinata, intenduntur.*

Secundus modus est, cum aliquid in se quidem est bonum, ideoque spectatum, sed tamen per occasionem quandam nascitur ex alia re non intenta. Huc pertinet iustitia punitiua. Ea enim sui ortus occasionem sumit ex patratis peccatis. Ita passio Christi per se intenta fuit à Deo, cum in ea salus nostra consistat, & tamen ex malo culpæ tam salutare & appetibile bonum occasionem nactum est. Iac. Mazonius p. 34. 1. sect.

INTENSIO.

Intensio seu intensiua augmentatio est additio gradus ad gradum, quæ sunt partes formæ in parte eadem subiecti simul & penetratiue existentes, per quam forma ipsa fit perfectior, non extensiue maior. Gabr. Biel. l. 3. in Magistr. distinct. 13. quæst. vnica.

Augmentatio qualitatum, quę recipiunt magis & minus, quam intensionem dicimus, fit per additionem gradus ad gra-

gradum in eadem ſubiecti parte ſe penetrantium, numero tantũ (nõ ſpecie) differentium, per quam fit totum maius perfectiue, id eſt, non quantitate molis, ſed virtutis & perfectionis. Intenſio enim fit etiam in non habentibus extenſiuã quantitatem, vt in qualitatibus animæ, & ſimiliter in habentibus quantitatem extenſiuam, ſine tamen maiori partium ἐπλάτει, vt in augmento caliditatis, aut nigredinis.

Quacunque forma intenſibili data, ipſa conſtituitur ex pluribus indiuiduis ſcilicet gradibus eiuſdẽ rationis. Biel. ibid. Naturaliter in formarum intenſione eſt ponere ſtatum & terminum ſeu limitem, vltra quem procedi nequit. Agens in φυσικὸν vltra gradum proprium virtute ſua non agit, & ὁρισμένον eſt definitum ad certum gradum, vltra quem non recipit (alium perfectiorem) ſalua natura talis ſubiecti. Ad inductionem enim maioris gradus ſequeretur illiço ſubiecti corruptio Ratio nulla alia eſt, quia hæc natura eſt hæc natura, non alia. In cauſarum enim redditione ſeu ætiologijs non poteſt procedi in infinitum.

Augmentatio autem hęc ab extenſiua diſtinguenda eſt, de qua hoc: Viuentia ſecundum naturam nequeunt quantumlibet augeri. Determinant enim ſibi certam magnitudinem, quam excedere nequeũt, quia requirunt debitam organizationem & figurationem, vt loquuntur, partim quæ naturaliter eſſe nequit in quauis quantitate. Vide vocem Terminus.

Ex Occamo & Biele l. 3. diſt 13. quæſt. vnic. Qualibet forma intenſibilis poteſt augeri à Deo in infinitum & ſine termino. Quia quacunque forma intenſibili data poteſt ei Deus gradum aliquem denuo productum vnire, & ſic etiam maiorem facere. Quodcunque enim indiuiduis datis ſpeciei habentis plura indiuidua Deus poteſt creare aliud indiuiduum eiuſdem rationis cum eis. Hoc enim ſi non eſſet, ex eo eſſet, quod vel aliud indiuiduum non eſſet ποιητὸν, vel quod Deus non poſſit aliud producere, vel quod producendum prioribus repugnaret. Non primum: quia cuiuslibet ſpeciei habentis plura indiuidua eiuſdem rationis infinita ſunt δυνατὰ fieri ſucceſſiue. Nam ex ſententia Ariſtotelis poſita mundi æternitate, cuiuslibet ſpeciei generabilium infinita indiuidua ſunt futura. Ideo quocunq; certo numero indiuiduorum dato, adhuc eſt aliquod indiuiduum eiuſdem rationis ποιητὸν. Non (creabile)
ſecundum: Quia Deus eſt infinitæ potentiæ, cui obſiſti nequit. Poteſt igitur omne ποιητὸν (factibile) facere. Non tertiũ: quia indiuidua eiuſdem rationis non habent formalem inter ſe repugnantiam. Dato igitur & admiſſo, quod Deus non poſſit facere tot indiuidua eiuſdem rationis, quia poſſit facere plura, non tamen idcirco poteſt facere indiuidua infinita categorematice, id eſt, in actu. Nam ſi ponatur προέλα, ideſt, proceſſus eiuſmodi in infinitum, ſemper illud quod ponetur in actu eſt finitum, & ita ſemper faciendo plura finita, nunquam faceret infinita. *Quia finitum additum finito, ſemper facit finitum, nũquam infinitum.* Quo fit, vt ſicut in infinitũ augeri poteſt numerus, (quia dari non poteſt maximus) nunquã tamen datur numerus infinitus: Ita ſi in infinitũ augeatur Dei Gratia in homine aliquo ſancto, non ſequatur dari poſſe Gratiã infinitam. Quia in iſta αὐξήσει ſeu προσθήκῃ ſemper finitum additur finito. Imo ſi in tali proceſſu deueniretur ad infinitum, iam non procederetur in infinitum, quia in illo infinito finiretur proceſſus, cũ vltra infinitum non ſit progreſſio. Ea propter ex in finito ſyncategorematice non infertur infinitũ categorematice. Cum igitur dicitur fieri poſſe progreſſum ſeu

abitionem in infinitum, Infinitum accipitur Syncategorematice, id est, non potest procedi ad tot vel tanta, quin possit procedi ad plura vel maiora. Inde autem non sequitur posse procedi ad aliquod ἄπειρον seu infinitum categorematice, id est, ad aliquod interminatū in multitudine vel magnitudine.

Corollaria.

Licet infinities possit procedi, nunquam tamen proceditur (actu) infinities; quia processus semper est finitus, id est, certo numero comprehensus. Licet infinities potest finitum produci, nunquam tamen infinities producitur finitum.

Infinitum aliud est intensione, aliud duratione.

Intensio & remissio fit dupliciter.

1. Sine mutatione speciei. Et hoc dicitur proprie recipere magis & minus. Ita igitur remissio constituit mediū, quod nō differt specie ab altero extremorū.
2. Cum mutatione speciei. Ita remissio constituit medium, quod specie differt ab extremo vtroque.

2. Substantia, quę est secundum formam, nòn potest recipere magis & minus, id est, non potest intendi aut remitti absque mutatione speciei, quia cuiusque substantiæ essentia est indiuidua.
2. Forma ignis potest remitti, & amittere aliquem gradum, sed ea remissio mutat necessario speciem. Zabar. de Mistione l. c. 7.
3. Qualitas intendi & remitti potest absque mutatione speciei.

INTERCALARIS.

Intercalaris mensis dicitur Februarius, cum dies ei vnus interseritur. Ac dies ipse insititius dicitur intercalaris, Græcis est ἐμβόλιμος. Ipsa intercalatio seu interserto dicitur ἐμβολισμὸς.

Intercalares versus dicuntur qui saluo sensu tolli possunt: At qui interdum sæpius repetuntur, dicuntur παρεμβεβλημένοι, interpositi. Talis est apud Catullum. Concubinæ nucis da ei Hymen ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe. Huc refert etiam Scaliger Epiphonemata & προσφωνήματα.

INTERESSE.

Interesse alicui tus Scaligero est pertinere ad aliquem, vt indiuiduæ naturæ principia perscrutari videtur interesse philosophi, id est pertinere ad philosophum, ad officium philosophi spectare. Hanc significationem etiam inuenio apud Iureconsultos: Publice interest, quod expedit in commune, priuatim verò, quod ad singulorum spectat vtilitatem.

INTERMINATA.

Quantitas.

Quantitas interminata est triplex dimensio quantitatis in se spectata absq; vlla certa figura & termino, non quod ea sic actu existat, sed quia non nisi merito formarum hanc aut illam figuram seu terminum vendicet, sicut materia ex se informis dicitur, quia natura sua non magis ad hanc, quam ad illam formam prędinita est, licet re ipsa nunquam forma careat. Synomyma sunt Quantitas interminata, Dimensio simplex, Dimensio in potentia, Non circumscripta certis limitibus. Adde quod Quantitas terminata & interminata re idem sunt, ac ratione & modo tantum differunt, teste Zabar.

Interminatum est, cuius quantitatem accipientibus quantamcunque, semper restat aliquid accipiendum. Alias Infinitum.

INTERROGATIO.

Interrogatio natura sua Rhetorica figura non est, sed vsu.

1. Quædam enim recta oratione quæ dici solent, si flectantur ad interrogationem,

nem, figuram committent. Sic oratio hæc: Ego te vidi Damonis pessime caprum excipere; addita particula Nonne efficitur interrogatio oratoria seu figurata. Semper autem exercetur affectibus: *admiratione*, vt,

Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia?

Indignatione, vt

—— Et quisquam numen Iunonis adoret?

Desperatione,

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo?

Græcis est ἐρώτησις, Percunctatio autem Græcis est ἐξέτασις. Vid. Scal. 4. Poet. c. 42.

2. In dissertationibus duorum seu Dialogis Interrogatio dicitur πρωτολογία. Sic Plato 1. de Regibus πρωτολογία est facilior, quam δευτερολογία, id est, facilius est interrogare, quam respondere.

3. In organo Aristotelis Interrogatio accipitur Synecdochice. Interrogare enim ei est petere propositiones ex ore respondentis. l. 1. post Analyt. contex. 85. Ad quem Zabarell. ita commentatur: Sumitur hic interrogatio pro illa, qua Dialecticus vtitur, qui petit ab aduersario propositiones, ex quibus argumentetur, & paratus est accipere vtramlibet partem contradictionis & ex ea argumentari, quæ Interrogatio nullo pacto conuenit Demonstranti, qui scientiam parere vult per certa principia, non per illorum opposita, id est, Demonstrator non potest interrogãdo dare aduersario optionem respondendi vtram partem voluerit, sed ipse sumit certa quædam ac statuta principia demonstrationis suæ, quam molitur, vnde intelligis Interrogationem Dialecticam esse petitoriam.

4. Sed est & Interrogatio Demonstratiua, quæ dicitur scientialis, (id est ex principijs, seu quia fit propter cognitionem veritatis, non propter victoriam) quia Demonstrator interrogat alteram partem cõtradictionis determinate, eamq; solam vult responderi, non partem oppositam, idque facit vt cõcessis principijs à discipulo scientiã conclusionis firmiorem in eius pariat animo, vt si demonstrandũ sit hominẽ esse γελαστικὸν, inquit: Nonne omnis homo est rationis particeps? Annuente illo, mox interrogat: Nonne omne rationis particeps est γελαστικὸν; Adhuc illo annuente, iam infert fine interrogatione: Omnis igitur homo est γελαστικὸς. Vid. Comment. Zab. in cap. 11. lib. 1. Poster.

INTERIECTIO.

Interiectio in Grammaticis dicitur, quod interrumpat orationem interjaciatur que, Aug. libr. de Grammatica cap. extremo: qui hoc confirmat versu Virgilij. Spem gregis, Ah, silice in nuda connixa relinquit.

Interdum etiam accipitur pro paréthesi.

INTIMARE.

Intimare 1. est Intimum fieri per περιχώρησιν, Deus intimatur soli naturæ, quã voluntarie assumit, id est, intimus fit naturæ assumptæ. Sic intimatio περιχωρήσεως est intima vnitio. Picus in Apol.

2. Est insinuare, significare, intimis sensibus subijcere. Sic accipit Augustinus. Vnde est Intimatio pro tali subiectione, siue ea sit priuata, siue publica, cuiusmodi est scriptum significationis voluntatis Moderatoris ciuitatis vel Senatus de aliquo; quod interdum πρόγραμμα dicitur, edictum, interdictum.

INTRANEITAS.

Hoc Barbarum est Armandi & Gabrielis Biel. l. 1. distin. 38. qu. vnica, pro interna perfectione, cõstitutione, essẽtialitate,

vel essentia. Non omnis proprietas per se est constitutiua illius per se, cuius est proprietas. Nã aliqua proprietas non est de Intraneitate, id est, essentia eius, cuius est proprietas per se (vt risibilitas nõ est de hominis essentia.) Omne autem constitutiuum est essentiale constituto.

Armand. tractat. 2. de nominibus secundarum intentionum. Concretum substantiale Denominatiuum significat aliquid, quod pertinet ad intraneitatem suppositi, id est, ad ἐντελέχειαν seu interiorem perfectionem, vt animatum.

Ad adoptionem requiritur Extraneitas, id est, ad hoc vt aliquis sit alicuius Filius adoptiuus, requiritur vt sit ei extraneus, id est, non sit eius naturalis filius, cui ex conditione naturalis generationis conueniat ius successionis in hæreditate adoptantis.

Sic barbarum quoque est *Intrinsecitas* Iohan. de Iandun. pro ἐνυπάρξει vel inhærentia, ab adiectiuo barbaro Intrinsecus, a, um, pro quo Latine dices Intestinus, a, um.

INTRANSITIVE.

Intransitiue, Græce ἀμεταβάτως, opponitur τῷ μεταβατικῶς, seu Transitiue, atq; accipitur vel Philosophice, vel Grammatice.

Philosophice, vt cum dicitur subiecti huius accidens communicari alij intrãsitiue, hoc est, ita vt non transeat seu transmigret è subiecto in subiectum. Sic dicimus in Theologia κοινωνίαν fieri verbi diuini & assumptæ Humanitatis intransitiue, hoc est, proprietate alterius naturæ in alteram non transeunte. Propria enim non egrediuntur sua subiecta, quæ veterum regula est. Et Sacramẽtum Cœnæ dictum est intransitiue, pro eo, quod est Sacramentum, quod est Cœna. Ita constructio hæc est intransitiua. Verbum intransitiuum est, cuius actio non tranfit in aliud, vt sto, sedeo: cui opponitur μεταβατικὸν, vt amo.

Grammatice accipitur, cum distinguitur inter constructionem Transitiuam & Intransitiuam. ex. gr. Dico, Manus est pars corporis, hæc est constructio transitiua, ex regula, substantiuum cũ substantiuo, &c. Atque hæc Syntaxis est regularis. At cum Iohannes Euangelista dicit; Iesus autem dicebat de templo corporis sui; constructio hæc de διανοίᾳ est intransitiua, in ea enim est anomalia casus, cum genitiuus pro nominatiuo sit positus; De templo corporis sui, hoc est, de Templo corpore ipsius, hoc est, de corpore & proprio, quod fuit templum diuinitatis. Sic ad Colosſ. dicit Apostolus: In expoliatione corporis carnis, hoc est, corporis, quod est caro. Sic dicunt Physici: Terra & Aqua cõmunicant in symbolo frigoris, hoc est in symbolo, quod est frigus. Vid. Dionys. Carthus. in enarrat. in Ioan. Sic Rom. 4. dicitur de Abrahamo: Et signum accepit circumcisionis, id est, ipsam Circumcisionem, Deo iubente, pro signo distinctiuo inter ipsum & posteros fideles, ac infideles; & etiã pro signo fidei suæ, quam habuit ante Circumcisionem. Idem Dionys. in explan. 4. cap. Porro verba Transitiua in Grammaticis sunt illa, quæ quibusdam dicuntur Actiua, cuiusmodi sunt, quæ adsciscunt duos accusatiuos, alterum personæ, alterum rei, vt doceo te Grammaticam.

INTRINSECVS,

ἔσω.

Idem est quod sua natura & formaliter. Opponimus ei extrinsecus ἔξω, & externa quadam appellatione seu denominatione.

Sani primum tantum significatum, quo tribuitur corpori, intrinsecus & formaliter est tale. Reliqua quæ ad sanitatem corporis referuntur, vt color, cibus, formaliter sana non sunt, etsi sana dicantur

dicantur. Talia autem dicuntur externa quadam appellatione & relatione certa ad illud primum. Itaque hæc, corpus hoc animatum est sanum, propria prædicatio est: Sanitas enim propria affectio est rerum animatarum: Cibus enim dicitur sanus non in se & per se, sed quia sanitatem conseruat. Ista vero, Cibus est sanus, color est sanus, dicitur Externa; Color sanus dicitur, quia ostendit eam.

Spongia dicitur humida externa prædicatione. Aqua enim ipsa per se & proprie humida est. ἔσω καὶ ἔξω cum præponitur eis articulus ὁ, significat nominaliter, vt ὁ ἔσω λόγος (interna oratio) ὁ ἔξω λόγος externa oratio, qui dicitur προφορικὸς.

Cum enim Filij Dei caro patiebatur, ipsa non erat extra corpus, id est, non erat seorsum à sua carne, non deserebat carnem. Athanas. 4. Sermon. cont. Arrian. p. 245.

Sic principia Physicæ rei sunt, quæ neq; ex sese, neq; ex alijs, sed ex quibus ipsa per se constat aut gignitur. Et principium non est id, quod non ex alio, sed ex quo ipso aliquid est.

INIVRIA.

Iniuria primum capitur generice pro omni, quod nõ iure fit, vt etiam βλάβην seu damnum (id est iniuriam culpa data ab eo etiam qui nocere voluit, l. 5. §. 1. ff. ad l. Aquil. Hot.) quę Græcis est παράλογος, & contumeliã cõplectatur.

Specialiter pro contumelia, vt damnum excludat, ita iniuria fieri dicitur consulto & malitiose vel ex animi affectione: damnum vero ex culpa.

Etsi nonnullis iniuria sit minus quã contumelia, sic enim Nonius Paccuuius: patior facile iniuriã si est vacua à contumelia (quæ Græcis ὕβρις id est iniuria cum contumelia iuncta seu contumeliosa, ideoq; atrox. Talis est attẽtatio pudicitiæ alicuius: sordida concussio seu calumnia specialissime pro iniuria facta cum deliberatione.

Autor ad Heren. Iniurię sunt, quę aut pulsatione corpus (hæ sunt reales, id est fiunt re) aut conuitio aures, aut aliqua turpitudine vitam cuiuspiam violant, (hæ sunt verbales, item verbis fiunt.) Distinctio.

Aristoteli iniuria consideratur vel ex actione, vel ex habitu, à quo denominatur agens l. 5. Ethi. c. 14.

Vsus.

Quæritur, an ex iniuria illata statim sit quis iniustus? Respondet Aristoteles agentem cum deliberatione ex iniuste factis ἄδικον, id est, iniustum dici debere: ad hæc distinguit sic.

Homines sciẽtes & volentes peccant

- Sine deliberatione, vt qui quouis tandem affectu impulsi iniuriam alteri inferunt, iniuste igitur isti agunt & eorum peccata ἀδικήματα, siue iniusta facta sunt: ipsi tamen nondum iniusti possunt appellari, aut improbi. Non enim malitiose & consulto damnum intulere, sed ex affectus impotentia.
- Cum deliberatione & consulto, non affectu, sed ratione peruersa inducti. Hi igitur iniuriam inferunt, & iniuste agunt: eorumque peccata ἀδικήματα: denique ipsi propter ista peccata consulto commissa improbi & iniusti proprie appellandi erunt.

Secundo quæritur de hoc, Iniuria ex affectu fit, damnum ex culpa, l. qui seruũ ff. de act. & oblig. Prat. Respondeo iniuria hic accipitur specialiter (non generaliter de omni eo, quod nõ fit iure, vt furtum, adulterium, rapina, detrimentum seu damnũ) sed vox affectus accipiẽda est παρατατικῶς id est per extensionem, vt ea non significetur tantũ impotentia animi, perturbatio animi vel ratio peruersa, sed etiã cõsiliũ, deliberatio, malitia, προαίρεσις malitiosa-

INVESTIGARE.

Inuestigare 1. est per vestigia alicuius euntis per viam ad viæ terminum deduci. 2. Trãslate est ignotum aliquid quasi indagare. Inuestigare Deitatem est per documenta quædam eam inquirere. Via autem naturalis inuestigationis Dei per creaturas est triplex.

1. Eminentiæ seu Attributionis per eminentiam *in Deo*. 2. Causalitatis seu effectionis *in creatura*. 3. Remotionis *à Deo*, qua nimirũ remouemus à Deo, quicquid imperfectionis est in creatura.

Via causalitatis sic progredimur. Omne quod est ex nihilo, necesse est vt fit ab aliquo, à quo ipsius esse fluxerit. Sed omnes Creaturæ habent esse ex nihilo. Ergo necesse est, vt sint ab aliquo primo increato, quod est Deus.

Via remotionis sic: Vltra imperfectum oportet esse aliquid perfectum, cui nulla imperfectio admisceatur. Omne corpus est quid imperfectum, quia suis dimensionibus est finitum. E. vltra corpus necesse est vt ponatur aliquid, quod non sit corpus, quem Spiritum dicimus. Sed Spiritus sua natura est mutabilis. Itaque non potest esse nisi ab eo, qui incommutabiliter & simpliciter est. Is Deus est.

Via eminentiæ sic proceditur. Bonum & melius dicuntur comparate ad optimum. Sed in creaturis corpus inuenitur Bonum, Spiritus melius, quæ tamen bonitatem non habent à semet ipsis. Necesse est igitur dari aliquod optimum, à quo bonitas vtriusque, nempe DEVM. Vid. August. l. 6. de ciuit. Dei.

IPSE.

Ipse, quod paucis, credo, notum, interdum habet vim reduplicationis, seu pro nota reduplicatiua ponitur; Vt animal ipsum sentit, id est animal qua animal. Sic Patres sæpe. Deus ipse non est passus: id est qua Deus. Interim recte dicitur Deum esse passum impropric, id est κατ' ἄλλο & secundario, quia caro Dei passa est absolute & primo, vt cui passio inhæreat. Deo autem incarnato passio adiungitur, seu adhæret quasi corpus Christi ipsum, id est, qua hoc corpus in se & per se cõsideratur, non frangitur, non atteritur dentibus, non manducatur, sed integrũ manet.

IPSE PRO INTEREST.

Ipse pro interest ὁι πάλαι Cicero ad Atticum lib. 5. Epist. 21. Triginta dies erant ipsi cum has dabam literas, per quos nullas à vobis acceperam.

Ipsum Ens αὐτὸ ὄν Platoni esse Deum alibi dixi.

IRA.

Iracundia & Iracundus naturalem facilitatem significant, vt Leo iracundus à natura factus est.

Ira vero est animi perturbatio, cuius varij modi videantur apud Scalig. libr. 3. Poet. c. 2.

Veteres Iram dixerunt appetitum vltionis, Scaliger mauult depulsionis.

Ira est concitatio animi vehemens, qua appetitur depulsio vel vltio: non enim semper irascimur, vt vlciscamur, aut malam gratiam reponamus. Aristoteli est comes fortitudinis: Scaligero audaciæ. Ex sententia eiusdem ira forti producit lacertos, imbelli linguam, instrumento musculorum & spirituum, qui exeunt.

Indignatio est commotio animi, seu, ira ex indignitate. id est, ex facto aut dicto contra rei vel personæ meritum. Vid. Scalig. ex. 313.

Vehemens ira appellatur à Cunrado Pellicano in 18. Psalmi paraphrasi Exæstuatio, Metaphorice.

IRRATIONALE.

In Physicis Irrationale est expers rationis. Interdum dicitur Brutum.

In Mathesi Irrationale est quod non habet λόγον certum.

Irratio-

Irrationales magnitudines sunt, quæ nec actu, nec potentia sunt commensurabiles, seu nõ possunt definite quodam numero exprimi, ἄλογα μεγέθεις.

Quantitates sunt compatibiles { Determinate: vt numerus ad numerum: numerus ad vnum, vnum ad vnum.
Generatim & indefinite: quæ nulla specie proportionis numerorum possunt explicari.

IVVS, VT

Meditatiuus.

Quæ per Iuũ finiunt, fere faciendi potẽtiam (vt motiuus) quæ per Ilis (vt flexilis) potentiam patiendi significant. His apud Græcos in κλὸν vel πλὸν finientia: illis finientia in κὸν respondent. Quare Aristoteles vocabulis ποιητικῦ (factiui) & παθητικῦ, vocabulum δυνάμεως improprie addidit in doctrina de motu, iudice Vito Amerbachio.

Διδακτικὸν, quod habet potentiam docendi, διδακτὸν, quod sub doctrinam cadit, vt μαθητὸν, quod potest discendo percipi, & ἐπιστητὸν, quod potest scientia comprehẽdi, & ποιητὸν, quod sub effectionem cadit; πρακτὸν, quod sub actionem; πρακτικὸν ad agendũ idoneũ, ποιητὸν ad efficiendum valens: συγγνωμικὸν ad ignoscendum promptum ac propensum. Versor Eth. Arist. M. Bergius, qui ita τὸ βαρβαρικὸν τῆς λέξεως Agibilis vitare studuit.

IACENS.

SPHÆRA iacẽs cuius vterq; polus incumbit horizonti: Opponitur stanti & sedenti. Hęreditas iacens Iurecõsultis dicitur, quæ nondũ est adita. Canon. Hæreditas iacens, id est antequã adita fuerit non est in patrimonio.

IOCVS.

Iocus interdum specialiter accipitur: interdum ita vt ludum etiã complectatur. Sic ludus etiam interdum pro ioco capitur. Quidam volunt vocem ioculator pro festiuo vel iocoso, qua vtuntur Canonistę, minus probam esse:

Sed reperitur in epistola ad Atticum semel & alibi. Ioculatoria disputatio pro nõ graui, non seria, quæ etiam iocularis; Affinis huic ludicra.

Qui ludo & ioco magnopere deditus est Græcis est παιδιώδης, id est ludio. 7. Ethic. Arist. c. 7.

IVDICIVM.

1. Iudicium est sententia de re iudicata concepta prolatave: Vel est eorum quæ ingenij sunt per reflexionem perpensio & recognitio (quasi ruminatio quædam.) Est reflexio mentis super priorem notionem, examinatrix.

Iudicium est Dianoias censura extrema, quod est examen in libra, id est, in mente iudicium, sicut enim illud iudex æqualitatis & inæqualitatis, ita hoc est approbatio, vel improbatio, qua vtitur ratio in contemplatione sui discursus.

Examinat autem iudicium censoria autoritate non tantum verum & falsum, sed etiam bonum & malum.

Iudicatio est examinatio rei intellectæ à libero hominis pendens arbitrio. Si fiat secundum veritatem & falsitatem, dicitur Theorica: Si secundum bonitatem & malitiam, dicitur Practica.

2. Iudiciũ est animi optima pars, seu vis, qua valemus aliquid censere.

3. Iudicium est animi pars seu vis, vel actio, qua ingeniose inuenta perpendimus. Hæc descriptio generalis est, (ad δύναμιν & ἐνέργειαν.)

Iudicium hic pendere dicitur, cum vel sententia nõdum dicta est, vel affirmatio vel negatio dubia est; vt in rebus vel vtrinque probabilibus, vel perplexis.

Iudicium in Logica tropice accipitur, pro parte Dialecticæ iudicarice, qua simplicia componuntur (id est iunguntur vel disiunguntur) & disponuntur, indeque iudicantur.

A medicis, physicis iudicium seu Crisis in σημειωλικῇ sumitur, pro subita & præcipiti in morbo mutatione, qua 1. aut confestim liberantur à morbis ęgri. 2. aut magnam in melius mutationem obtinent. 3. aut statim moriuntur. 4. aut multo deteriores euadunt. Harum primam vocant crisin simpliciter. Secundam ἐλλειπῆ (deficiẽtem) Tertiam κακὴν ἢ πονηρὰν (malam) quartam ἀτελῆ (imperfectam:) quo fit vt illæ mutationes, quæ paulatim fiunt, vel scilicet debilitata virtute vel in morbo, vel crises, sed simpliciter λύσεις, id est solutiones nuncupentur. Vid. Paul. Scal. Epist. Cathol. lib. 1.

IVS.

- Ius,
  - Paritas seu ęqualitas dati & accepti, vel bonorum & commodorum, quæ inter aliquos aut commutata, aut diuisa, & distributa aut adiudicata fuerint.
    - Distributiuum.
      - quo bona
        - Distribuentes vtuntur
        - Cõmutantes vtuntur.
    - Commutatiuum
  - Potestas versandi circa bona ciuilia, à societate moderate concessa, ad ipsius conseruationem,
    - Ius contrahendi, vt vendendi, locandi.
    - Ius in re, in bonis
      - Proprijs,
        - Meus
        - Tuus
        - *Ius absolutum.*
      - Communibus
        - Plurium
        - Omnium
        - *Ius cum alio.*
    - Ius par seu æquale, Ius plenum vel certis limitibus circumscriptum, *Ius melius vel optimum.*

Ius par seu æquale interdum accipitur pro æqua iuris redditione & iudicis dictione.

Explicatio Gualandi.

Absolute dicimur ius habere in bonis, si soli legitime possideamus. Sic enim propria cuiusq; dicuntur. Nã in bonis cõmunibus ius habemus vna cũ alijs. Illud vero bonũ, in quo ego ius habeo & potestatem, meũ dicitur, in quo tu, tuũ: in quo plures vel omnes, cõmune. Atq; eius, quod meũ est & propriũ, ego Dominus dicor, tu tui. Cõmunis vero plures simul socij vel tota societas, quę cũ salus publica poscit, omniũ quoq; quæ ad singulos pertinent, domina est. Dominiũ enim ius vocatur, quo bona ipsa nostra sunt. Par ius est par potestas in bonis, seu paritas potestatis, seu eiusdem permissus par, vbi scilicet mihi meũ æque possidere permittitur, coq; frui, ac tibi tuo. Plenũ ius dicitur integra perfectaue in bonis potestas. Alius enim liberã cõpletãq; habet potestatẽ agendi in, de & cũ bonis, quod sibi cõmodũ videtur omni alienæ potestatis in ijs obligatione excluſa: Alius certis limitib. & legib. circũscriptã, vt is, qui vel proprietatẽ rei tantũ, tum vel vsum habet. Melius vero vel optimũ ius & in bonis potestas dicitur, quę meliori aut optima causa, & vt Iurisconsultorum voce vtamur, titulo nititur, quæ fere cõtrouersiarũ de iure origo est. Nã sępe quis hęreditario iure bona possidet, quę alius contendit emptionis aut donationis nomine ad se spectare.

Etsi ius est potestas quædam, non tamen est libertas, licet pro eodem sumantur, sui iuris esse, & liberum esse.

Ius

Ius autem & libertatem differre 1. patet argumẽto à signo seu posteriori. Cum quispiam prohibetur eo, quod vult, aut cogitur, quod mallet non facere, quiritatur sibi ademptam esse libertatem: At cum bona ei eripiuntur suum sibi ius auferri, seq; iniuria affici queritur. Et qui libertate priuatus est, seruus; qui iure, pauper dicitur. 2. ab obiectis. Ius respuit bona: libertas hominis appetitum seu voluntatem, locomotricem, & naturalia organa agendi. Improprie etiam ius accipitur pro lege. Remo cum fratre Quirinus iurabat, id est leges. Nam Lex aliquando est ius, vel præceptum ad ius, & commune commodum conducens.

Leges autem sunt præcepta communia, secundum quæ omnes particulares actiones ciuium sunt dirigendæ, vel: Lex est societatis voluntas commune sociorum commodum definiens, vel officii singulorum & iuris, seu communis commodi declaratiua. Nam à quocunque rite feratur Lex, siue à principe, siue à Senatu, ab ipsa societate authoritatem habet, & communi illius consensu ferri videtur: alioquin vere Lex non esset, inquit Gualandus Episcopus lib. 9. facult. ciuilis capit. 5. qui & allata à se de Notione iuris sic concludit. Ius est nomen ad vnum tanquam ad caput. Præcipua & prima significatione est bonorum & commodorum paritas inter socios. Paritas est secundum rem, vel secundum hominum voluntatem.

Paritas secundum rem proprie & simpliciter paritas est & exacta. Hæc igitur simpliciter ius est. Sed hæc (paritas) quia diuersis de causis non facile percipitur, sumitur eius loco paritas secũdum voluntatem commutantium & contrahentium.

Hæc ergo secundario paritas est, & τιτὶ ac πῶ, & non exacta, qua ciuiles homines contrahentes vtuntur sine dolo, & ita vt nullum in societate incommodum ex ea sequatur. Ac vt vere salubriora sunt, quæ sanos homines reddunt: quę autem à Medicis salubria dicuntur, seu existimãtur, aliquãdo quidẽ sunt, aliquãdo vero nequaquã. Ita etiam iusta sunt vere paria, quæ autem contrahentibus videntur, aliquando sunt, aliquando non sunt huiusmodi. Deinde & posteriore loco ius eorum omnium æqualitas est, quæ ad eam quomodolibet referuntur aut conferunt.

Nam vt Ens primo de substantia prędicatur, secundo ipsius respectu de accidentibus, ita ius primo de bonorum commodoruuq; paritate dicitur. Deinde seu secundario ipsius respectu de paritate, amoris, fidei, honoris, cæterorumq; omnium, quæ aliquo modo conferunt ad bonorum æqualitatem. Hinc enim videmus socios se inuicem incusare, quod non æque redament, atq; amantur, vel quod parem fidem non habeant, atq; illis habetur, & queri, quod non faciant æquum.

De verborum quoq; & signorũ inæqualitate queruntur, seq; affici iniuria putant, si verba vel signa exteriora suis verbis & signis non æque respondent: vt si quis salutantem non pariter resalutet, aut caput aperienti non vicissim certa ratione modoq; aperiat. Sunt enim hæc voluntatum indicia, ex quibus facile coniici potest, se non tanti ab altero fieri, quanti illum facit, quod prorsus haud æquum ducit. Omnino autem vt in medicina salubria omnia referũtur ad sanitatem, & æqualitatem humorum & partium: ita in iure omnia iusta ad æqualitatem vtilitatis & commoditatis. Nam paritas amoris, signorum & operationum nullam aliam ob causam, quam bonorum & commodorum expetitur.

Alia autem significatione ius est facultas,

tum ad possidenda bona, seu ad fruendum bonis, tum ad omnia circa bona agenda, quæ ad fruitionem pertinent.

DIVISIO.

- Ius
  - κοινὸν commune omnibus
    - Naturale
      - Immutabile, eius efficiens est animi vis
        - θυμοειδὴς, in corde residens, variis affectibus obnoxia.
        - ἐπιθυμητικὴ in hepate & testibus.
    - Gētium.
  - ἴδιον locale variabile (vt ciuile) Alibi enim fures duplum redhibent, alibi supplicio afficiuntur capitis.
- Ius positum θέσει constans
  - ἄγραφον
    - Naturale
      - *Rationis*, νοητικὸν: *Naturale in specie*, proficiscens à natura hominis communi cum brutis.
      - *Ratiocinationis*, proficiscens à *natura*, hominis, qua homo, propria.
    - Consuetudo, vsu populi, vtilitate suadente introducta, non voluntate legislatoris.
  - ἔγγραφον ciuile cōstat
    - Lege, Plebiscito,
    - Senatusconsulto,
    - Principis Placito,
    - Prætoris Edicto,
    - Responso prudentum.

Illa iuris naturalis sunt, Amor benefactorum, odium malefactorum, vis vi repulsio. Ab hac indiuidui conseruatio per alimenta, & speciei humanæ per generationem sui similis, & generati tutelam.

Ius Gentium, in quo omnes gentes, non barbari, id est, recta ratione præditæ consentiunt.

Ciuilis interpretatio, vel correctio est ἐπιεικὲς quodammodo ius. ἐπιεικὲς etiam referri potest ad ἄγραφον. ἐπιεικὲς enim illud est, ius explicatum non scripto, sed arbitrio boni viri.

- Ius gentium
  - Distributiuum
  - Correctiuum

Exempla vide in Tabul. Zwingeri pag. 179.

Hoc

Hoc alicubi circumſcribitur & explicatur à Iure Ciuili & naturali primo, vt domino in ſeruos ius ¡vitæ & necis poteſtas eſt, ait ius gentium: Ius ciuile addit: ſecundum rectam rationem, non ex libidine tyrannica.

DE IVSTITIA.

Iustitia
- Archetypa Essentialis, αὐθυπόστατος Increata. Plato αὐτοδίκαιον.
- ex illa expreſſa
  - Angelica
  - Humana
    - Personæ. Iustitia
      - Habitualis p modũ alterationis
        - Originalis.
        - Acquiſita.
      - Qualitatis ſeu inhærentiæ
        - Imperfecta
          - Increata in ſtatu gratiæ.
          - In ſtatu gloriæ.
        - Perfecta.
      - Relationis ſeu imputationis, quæ in perſona eſt gratioſa, id eſt per gratiam imputationis, vt iuſtitia Chriſti: Hanc nos habemus, ita vt, Chriſtus habet peccatum noſtrum, per modum donationis.
    - Cauſæ

Origin. Connata ſeu naturalis
- Cauſaliter, quia à natura.
- Subiectiue, quia in natura.
- Tradutiue ſeu tranſitiue, quia per traducem ſeu naturali propagatione communicanda fuiſſet poſteris, ſi Adamus manſiſſet integer, ſicut nunc tranſmittitur peccatum in poſteros per modum generationis, & per modum culpæ.

Ethica & Legalis conſideratio.

Iustitia
- Publica
- Priuata
  - Vniuerſalis erga leges. Vnde iniuſtus ἄνομος, ἄνισος, & ἄδικος dicitur legem non ſeruans.
  - Particularis æqualitatis ſeruatrix
    - Religioſa erga Deum
    - Profana quæ homini cum homine extra religionẽ intercedit
      - Diſtributiua.
        - Proprie erga alios, quib. cũ viuitur, vbi fit
          - Diſtributio eorũ, quæ debẽtur
          - Ex pacto & cõuentione aliqua expreſſa, vt in contractu empt. vend. locat. abſq; pacto & cõuentione aliqua fide tamen tacita interueniente propter honeſtatem præcipientem, vel propter beneficium, vt in gratitudine, vt in honore debito virtuti.
        - Improprie erga ſeipſum
      - Cõmutatiua.

Δικαιῦσθαι (iustificari) & δίκαιον πάσχειν, vt cum fur punitur.

Distributiua, quæ rerum & personarum æqualitatem, secundum proportionẽ Geometricam sequitur, vt personæ quæ æquales sunt, æquales quoq; res obtineant.

Commutatiua, res & personas inæquales, secundum proportionem Arithmeticam adæquet.

Vni voci interdum duæ significationes oppositæ, sunt impositæ, vt δικαιῦν iustificare, conficere, prodere. Iustificare duas habet significationes contrarias. 1. publico iudicio aliquem iustum censere, & pronunciare, itaque à condemnatione liberare. 2. causa diiudicata & sententia pronũciata ex iudiciali processu aliquem supplicio afficere, **einem sein recht thun.**

IVSTA IVDICIS SENTENTIA.

Iusta iudicis sententia duobus modis dicitur, lib. 1. Topicorum o. Alter cum iudex necessariis argumentis ductus iudicat: quod simpliciter est iuste iudicare, καὶ τῷ ὡς δεῖ, vt oportet. Altero cũ verisimilibus tantum & probabilibus: quod idem vocat κατὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην κρίνειν, hoc est iudicare secundum animi sui sententiam. Illa scientia, hæc sentẽtia est, ait Scipio Gentilis, iniusta & iniqua sententia prætoris, vocatur etiam nomine iniuriæ & ἀδικίας. Iustinia.

IVXTA *Naturam esse.*

Iuxta Naturam esse est κατὰ φύσιν, id est, secundum naturam esse; & opponitur ei præter, vel supra, vel contra: vt Rectitudo, Iustitia, sapientia, felicitas homini primo fuerunt iuxta naturam, id est, naturalia, quia hominis naturæ fuerunt concreata.

Canon.

Quorum contraria insunt præter naturam, vel ita insunt, vt Naturæ aduersentur, ea iuxta naturam insunt, id est, insunt secundum naturam, seu sunt naturalia.

LITE-

LITERA O.

OBIECTVM.

SCholastici Doctores diligenter distinguunt & vtiliter inter Obiectum vt Quod, & vt Quo.

Differẽtia Indiuidualis, qua natura communis contrahitur ad esse hoc seu esse singulare, quod accidentia quædam comitantur, vt figura, locus, tempus, sentitur vt Conditio sine qua non: Natura communis seu per se indifferens ad hoc vel illud sentitur vt Quæ, seu vt Ratio formalis obiectiua. Totũ singulare sentitur vt obiectum Quod, scilicet sensionem terminat. Mouet igitur potentiam sensitiuam natura, nõ singularitas, quãuis sine singularitate natura sensu percipi nequeat: quemadmodum colorem sine Quantitate visus non percipit, quamuis quantitas nõ sit Ratio formalis & primo mouens visionis. In Margarit. Philosoph. l. 10. de potẽtiis animæ intel. c. 8. Georg. Reisch.

Obiectum { Adæquatum & præcisum, & primum, vt Ens intellectus nostri. / Principale.

Obiectum { Vnitum operanti in actione Immanente. / Separatum ab agente in actione Transeunte.

Scotus.

Obiectum vt vnitum operanti est ratio formalis operationis immanentis; vt species visionis in oculo.

Obiectum est Quod se obiicit & præsentat potentiæ operanti, vel circa quod operatio versatur, vel in quod fertur potentia quocunque modo.

Obiectum actionis { Quod, Res, quæ datur aut offertur, vt; Munus sacrificium laudis. / Cui, Aliis subiectum, vt Homo vel Deus, cui datur vel offertur vltimus terminus, in quem tendit actio.

Obiectum { Immediatum, principale, in quo vltimo acquiescitur, vt non tendatur vlterius in aliud: Barbaris *Vltimatum*. / Mediatum, per quod aliquid tendit in vltimum.

Obiectum actus intelligendi ἀμέσως, id est, immediate & principaliter (Barbari dicunt Vltimate) eum terminans est Res: Mediatum est conceptus, id est, Medium, quo intellectus tendit in obiectum princeps. Vid. Gabrielem, si placet, l. 1. dist. 2. quæst. 8.

Itaque obiectum est vel Mouens, vel Terminans.

OBIECTIVE.

Per modum obiecti; Subiectiue, vt in subiecto; seu per modum, quo quid est in subiecto; vt Habitus est in intellectu

Subiectiue, id est, vt in Subiecto inhærentiæ adiunctum & perfectio aliqua.

Ens rationis (fictum) in nulla re est subiectiue, id est, vt in subiecto, sed tantũ obiectiue est in intellectu, id est, obiectũ est intellectus, vt intellect⁹ sit adiũctum occupatum in ente illo; Habet esse obiectiuum (non reale) in intellectu.

Omnipotentia non ineſt Carni Christi Subiectiue, id est, vt in Subiecto δεκτικῷ, non formaliter, id est, non vt forma in subiecto, non habitualiter, id est, non vt habitus in animo.

Opponitur Finaliter, vt iustitia possum male vti non Finaliter, sed obiectiue.

OBLIGATIO.

Obligatio 1. Politica vox est. Estq; fere idem re cũ promissione, & obligari idẽ quod promittere, sed ratione differũt. Nam obligatio respicit voluntatis religationem seu deuinctionem, promissiio autem rem, ad cuius traditionem quis obligatur. Hæc Gualand. Episc.

Mihi sunt coniũcta, seu connexa, seu comitantia, vel differunt vt causa antecedens & consequens effectum, vt promissio obligationem antecedat, ita vt, qui promittit, se suaque statim alii obliget, quantum in ipso est, vt non possit non velle.

Obligatio aut 1. simplex est, vel stipulationibus pactisve firmata. 2. Est naturalis, (vt parentum erga filios pietas) vel ciuilis, quæ interdum sunt coniunctæ. Nam qui aliena bona accipit, non ciuiliter tantum, sed etiam naturaliter obligatur, vnde arctior ligatio.

Geminum vinculum arctius ligat.

Metaphorica autem hæc significatio est, vt qui obligatus est pro portione, respondeat iis, quæ extrinsecus alliguntur; Vt corporea ligata loco moueri non possunt: Ita eorum, qui se obstrinxerunt (qui secundum voluntates & appetitiones mouentur) non possunt moueri ita, vt aliud velint.

In Logica Rami Obligatio, quæ scripto vel verbis fit, argumentum est, pertinens ad Testimonium humanum.

In Logica Scholasticorum quorundam docetur, Defendentis esse caute thesin defendere, & suppositis principiis cõsentanee disputare.

Hæc ratio differendi vocata à Scholasticis est *Obligatio*, vt monerent pactis quasi conuentis standum, nihilq; temere esse affirmandum aut negandum, quod quidem cum propositione ipsa pugnet.

Præcepti igitur Dialecticorum obligationis ea vis est, vt nihil repugnans propositioni in progressu & cursu disputationis admisceatur, seu, obligatio Dialecticorum postulat, vt quæ dicuntur inter se consentiant, & cauet ne quid cum positis & concessis dicatur aut admittatur pugnans: clamat, obligatus es ad sententiæ vel disciplinæ tuæ caput fundamentumue semel positum tuendum.

Canon.

Ad possibile à te concessum cum iam sis obligatus, concedendum etiam tibi est quod inde sequitur. Vide plura de hac obligatione 3. part. mearum controuers. Logic. in fine pag. 470. Ex eodem loco require exempla.

OBLIVIO.

Est disiunctio actus intellectus à speciebus memoria comprehensis.

Obliuio omnimoda est abolitio specierum *μνημονευτῶν*.

OBSTRVCTIO,
Aliq. oppilatio.

Obstructio impeditionis & causæ impedientis ac officientis species est.

Estque

Eſtque Naturalis, vel Violenta, Totalis, (ὁλικὴ) vel Partialis (μερικὴ.)

Diſtinctionis huius vſus eſt in doctrina Somni & Morborum.

Quod ad Somnum attinet, coctione incepta fumi ſubuehuntur (ſurſum vehuntur) à nutrimento ad cerebrum, quod ex calore ſubducto modo frigeſcere cœpit, & hoc frigiditate ſua condenſat ibidem vapores ſublatos, reſoluitq; in guttulas liquidas, quæ deſcendẽtes obſtruunt meatus ſenſuũ, & neruorum motiuorum. Non fit autem obſtructio ὁλικὴ, id eſt, eiuſmodi, vt nihil omnino ſentiri poſſit, cum cubans in loco fœtido etiam dormiens fœtorem percipiat. Nec motus localis ita ſiſtitur, vt ſaxi deuoluti ad centrum ſeu locum naturalem lapſus ſeu curſus inhibetur, ſed manent reliquiæ vt ſenſuum interiorum, ſic exteriorũ. Nam nerui illum liquorem defluentem imbibunt inſtar ſpongiæ, nec ita hauriũt, vt ſpiritus vitalis & aliquid virtutis ſenſitiuæ non poſſit ſimul illabi & transmitti in neruos. Patet aliquis locus, & quidem externis ſpiritibus ſenſitiuis, quia humor influens intercipit aliquid capacitatis, ſed non omnem, vt aliquis locus ſit capax adhuc ſpiritus ſenſitiui: ſicut videmus magna ἀδιάτα, quę ſenſus feriunt, acrius percellere etiam dormientes, adeo vt ſomno excutiantur. Cum ergo ſimul cum alio liquefacto humore influat aliquid ſpiritus ſenſitiui, ſequitur fieri obſtructionem non totalem, vt in apoplecticis, vbi viſcoſitas & lentor humoris non patitur aliquid Spiritus ſenſitiui ex cerebro in neruos ingredi.

Sic Scal. exer. 289.

Incerta primarium principium eſt τὸ ζωτικὸν: *Secundum illud* τὸ κινητικὸν. *Hæc neq; vnquam ceſſant, neq; ſomno impediuntur, aut intercipiuntur. Ceſſant autem in ſomno facultates aliæ operoſiores* τὸ αἰσθητικὸν, τὸ νοητικὸν, τὸ γεννητικόν. Intellige autem τὸ γεννητικὸν prorſus ceſſare, αἰσθητικὸν & νοητικὸν ἐπὶ πλέον, ne locus hic ſit captioſæ argumentatiunculæ.

OCCASIO, καιρὸς, εὐκαιρία, ἀφορμή.

Opportunitas temporis vel loci caſu proueniens.

Non videtur eſſe hoc generale. Occaſio enim multis ſtudio quæſita eſt: etſi I. Piſcatori ita videtur definienda, *Agendi* tempeſtiuitas ſeu opportunitas caſu oblata. Itaque ei Occaſio eſt cauſa per accidens, quod occaſioni accidat, vt agens ea vtatur, ita vt neque illa hanc per ſe aut neceſſitate aliqua ad agendum impellat, ſed tantum moneat & alliciat (& quaſi aurem vellicet) argumento commoditatis agendi tãquam diuinitus oblatæ. Exempli cauſa. Furandi occaſio, id eſt tempus ad furandum idoneum, cũ quis ſcilicet ſolus & maxime in tenebris opes alienas ſibi expoſitas habet, vt nemine ſentiente auferre eas, alioq; transferre poſſit; tale inquam, ſeu ita modificatum tempus ad furandum ſæpe impellit, ſed per accidens, quia huiuſmodi tempori accidit, vt quis eo ad furandum abutatur. Nam ſi per ſe impelleret, quemuis impelleret & ſemper, id quod non fit. Nam ſemel atque iterum oblata fuit Dauidi occaſio interficiendi Saulis (vt cum in ſpelunca alam pallii eius abſcinderet, cum in caſtris dormienti haſtam & phialam eriperet) attamen timore Dei retentus inhibitusq; occaſione ea non eſt vſus.

Aliis occaſio eſt in numero earum cauſarum, ſine quibus res commode perfici non poteſt, quod idem

quoq; Piſcator affirmat 2. exerc. Log. lib. 1. de Occaſione.

Melanchthon in Dialect. l. 4. Occaſio ſeu ἀφορμὴ eſt cauſa minus principalis, vel aliqua leuis προκαταρκτικὴ, vel circumſtantia temporis & loci, quæ agentibus facultatem præbet.

Frederico Beurhuſio in Compar. Logic. pag. 530. Occaſio eſt argumenti fructus, quod ea poſſit eſſe è Cauſis, Effectis, Subiectis, Adiunctis, & è cæteris etiam argumentis. Quod equidem non probo. Nam ſæpe arguimus aliquid ex occaſione : Itaque argumentum eſt.

Iulius Scalig. exerc. 464. occaſionem facit tempeſtiuitatem, quæ cauſam circumſtat, vt Milo habet cauſam, qua Clodium interficiat. Eam niſi fulciant commoditates, fruſtra erit. Sunt enim multæ πειϱάσεις, quæ ſeſe ingerunt ad perficiendam occaſionem, perſona, opes, ætas, & alia. Nam ſi Brutus abeſt, tempus non adeſt interficiendi Cæſarem. Fortunam vides in opibus: Sine exercitu non erit occaſio, neque à loco, neque à tempore, neque à perſona Imperatoris expugnandi hoſtes. Ætas autem eſt perſonæ ἕξις, quemadmodum & ſexus. Itaque Scaligero Occasio eſt *Conditio ſine qua non efficientiæ*, non eſt ei cauſa, non principium, ſed commoditas, quæ ſeſe offert in tempore & loco & aliis, quæ his adiunguntur. Si enim locus non reſpondeat, tempus per ſe aptum, ineptum fiet, atque è contrario, velut ſi Clodius in Senatu dormiat, non occidetur à Milone. Tempus intempeſtiuum factum eſt ex incommoditate loci. E contrario, ſi in ſolitudinibus Aſiæ ſit bene armatus, bene ſtipatus. Hinc perſpicitur, quid iudicandum ſit de definitione occaſionis. Euſtrat. lib. 1. Ethic. cap. 31. Tempus vnicuique negotio opportunum: & de deſcriptione Speuſippi: & de definit. Platon. Flos ipſe temporis rebus agendis conferens, tempus bonum quandam ferens opem.

Occaſio nõ reſpicit ſolũ tempus, aut ſolum locum.

Eidem idem occaſio eſt quod σύμπτωμα, vt quæ accidant cauſis eæ acceſſiones occaſionis appellatione deſignentur. Sed hoc κατὰ τὸ μέρος accipiendum, quia σύμπτωμα longe generalius quid eſt, quam occaſio.

Καιρὸς & εὐκαιρία, forte idem ſunt, præſertim Philoſopho. Nam ſi non eſt bona occaſio, ne occaſio quidem eſt, vt Scaliger iudicat. Sunt tamen καιροὶ ſeu occaſionis gradus, vt vna ſit altera commodior, & opportunior.

Nec puto ego eſſe piaculum diſtinguere occaſionem in opportunam & minus opportunam.

(Sic Occaſio quædam eſt felix, quædam infelix:) & Scaliger ipſe ſemel occaſionis voci addidit Epitheton opportuna. Et Poetæ diſtichon hoc eſt:

Conſilium ſapiens, occaſio commoda, felix
Exitus, vnius ſunt tria dona Dei.

Franciſco Patritio lib. 6. c. 10. de Regno, Occaſio eſt id, quod negotia omnia recte perficit. Sed hæc eſt impropria deſcriptio. Proprie enim ipſa occaſio nihil perficit. *Occaſio eſt cauſ. Quod*

Amando Polano lib. 1. Logic. Occaſio eſt cauſa per accidens, quæ præter naturam ſuam aliquid cauſat, cum non ſit ſua natura deſtinata, nec feratur ad hunc effectum producendum: vt commoditas nocturni temporis, quæ occaſio quædam eſt, cauſa adulterii eſt, ſed præter naturam ſuam. Nam per ſe cauſa eſt voluntas adulteri, qui commoditate nocturni temporis ad committendum facinus hoc abutitur: Hoc ad voluntatem eius accedit, & quaſi via eſt agenti. Paul. Roman. 7. verſic. 8. & 11. Peccatum occaſione per illud mandatum: (Ne concupiſcito) effecit in me omnem cupidi-

cupiditatem, seduxit me & per illud occidit, id est, per Legem existunt peccatorum affectiones & cupiditates per accidens, quia prauitas seu vitiositas naturæ nostræ occasione Legis mala prohibentis irritatur, vt mala illa committat, & ita quod per se bonum est, nempe Lex, fit nobis mortiferum (θανατηφόρος) quod Barbaris inscite vocatur mortale. Huic sententiæ ego magis faueo, sicut & Hieronym. Zanchius, qui in doctrina de Priuatione Physica occasionem diserte signateq; dicit esse causam per accidens, & Melanch. in Phys. l. 2.

Petro Martyri, cui in 1. Ethic. Aristotel. Comment. Occasio est pars & momentum temporis, quod ad rem faciendam seu facile expediteque producendam ad finem magnam præbet commoditatẽ, annumeratur Causis adiuuantibus, quod in bello interdũ plus adiuuet occasio, quam virtus.

Petrus Ramus occasionem seu ἀφορμὴν refert ad causam per se adiuuantem efficientem. Talis ei causa est locorũ opportunitas ad gloriosam victoriam Cæsaris, vt ad Effectum: Quia causam per accidens angustius prehensiusque accipit, quam πρόφασιν, nempe pro causa effectuum seu euentuum, vel ex propositis consiliis, aut alioqui simplicibus animi motibus: vel ex coactione seu vi externa (quia per se agens impeditur.)

Πρόφασις seu prætextus longe aliud est quam ἀφορμὴ seu occasio. Est enim falsa, sed speciosa causa, quæ praua cupiditati & inhonesto facto patrocinari studet, aut iniusto negotio prætexitur.

Thucydides vocat σχῆμα πολιτικὸν λόγου, Ego malim vocare σχῆμα σοφικὸν λόγου. Causæ bellorum plerunque sunt Ambitio & Auaritia, praui & vituperandi affectus. Sed hi dissimulantur, iisque prætexitur vel defensio pacis, vel vltio iniuriarum. Cicero in Officiis quosdam ait ignauiæ suæ prætexere despicientiam rerum externarum. Lucanus Poeta interficitur à Nerone accusatus, quod hostibus ipsius se coniunxisset. Sed fuit longe alia causa odij & huius sæuitiæ, nempe quod vinci se Nero in certamine Poetico noluit.

Id docent nonnulli Logici congruere ad fallaciam secundum non causam vt causam. Alij vocant falsam seu Sophisticam Translationem.

Occasio est causa imperfecta modo per se, modo per accidens. Sufficiens causa peccati est propria voluntas. Scandalum seu dicta vel facta alicuius hominis sunt Occasio peccati seu ruinę.

OCCVLTVM, OCCVLTATIO.

Occultum est abditum seu latens, vel sensui, vel intellectui, vel vtrique. Opponitur ei apparens, & apertum, vt cum dicunt Scholastici: Hoc apparet ad sensum. Vitus Amerbach. Considera, inquit, quanta sit rerum, non quidem latentium in natura, sed apparentium nostris mentibus, veluti ex aliqua densissima nebula non solum obscuritas, sed immensa fere varietas, ne dicam turbatio & confusio.

Occultatio seu Crypsis *Logica* est, cum aliqua pars enunciati, syllogismi vel ordinis occultatur. Sic Oratoria cum artificium. *Occultatio Astronomica* est stellarum, quæ dicitur occasus Heliacus, descensus stellæ sub horizontem post Solis obitum, ita vt cũ pridie visa sit occidere ἀκρονυχῶς, tunc disparcat, ob Solis vicinitatem, radiis eam suis inuoluentis. Ei opponitur Ortus Heliacus, φάσις, apparentia, emersus.

Politica occultatio est cum veritas celatur seu dissimulatur. Occultator latronum nonnullis proprie est homo: locus vero est eorum receptator. Sed discrimen hoc non obseruatur. Nam doctissimi quiq; etiam Receptatores,

dicunt eos, qui latrones eaque, quæ rapuerunt, recipiunt, occultantq; Marcian. in l. 1. de Receptat.

OFFICIVM.

Huius vocis πολυσημίας ἀπαρίθμησις hæc est:

1. Actus congruus cuiusq; Personæ hac voce significatur: Hic significatus generalis est.
2. In Ethicis accipitur specialiter pro Honesto seu Decoro, pro ἐνεργείᾳ κατ' ἀρετὴν, seu actione virium humanarum mediocritate librata, quomodo Schramus ipsam virtutem definit, sed nō bene; seu pro eo quod fieri dicitur.
3. Interdum declarat non id, quod debet, sed quod solet fieri: Ita non est vox ὄντος, sed πράγματος seu γινομένου σημαντική. Ita officium calumniatoris esse dicitur verba & literas sequi. Huc pertinet quod ait Scaliger: In comœdia officium non parum distat ab officio Philosophorum, id est, Ethicorum. Nam illi officium ab honesto, quod Scaligero est ciuilis beatitudinis incoatio, non disiungunt: In Comœdia suum se officium facere clamat Leno cum iuuentutem perdit. Ad eundem modum scriptum est ab authore Rhetoricorum ad Herennium, Canes fungi officio luporum. Est igitur hic officium ius actionis ad quemcunque statum pertinens, vel actus congruens cuiq; personæ. Accipitur igitur μέσως (in bonam & malam partem.)
4. Interdum officium accipitur pro ὑπηρεσίᾳ, obsequio vel gratificatione. Vnda illa sunt: Officia vel merita potius, officio sibi aliquē deuincire, homo officiosus, homo plenus officii, qui libenter seruit aliorum commodis.
5. Interdum pro ἀρχῇ, Magistratu, vnde alicui muneri atque officio præesse. Commune officium censuræ communi animo defendere: Sic & Iureconsulti accipiunt.

Vulgo officium auferre alicui dicitur, pro quo elegantius, Magistratum abrogare; Imperium abrogare, successorem dare.

Cicero & Augustinus Officium & Finem sic discernūt; Officium est, quod est faciendum; Finis, propter quod est faciendum.

Officium est, quod facere dicitur orator: Finis, cuius causa facere dicitur. Cicero de Inuent.

1. [a] Officium (Ethicum) de quo Cicer. in lib. de Officiis: Est actio consentanea rectæ rationi, πρᾶξις, ἀκόλουθος ὀρθῷ λόγῳ, (Cicero & Diogenes ita definiunt: Perfectum officium, sed meo iudicio tantū κατ' ἐξοχὴν conuenit huic & primo. Sic H. Wolffius in comment. Si recta ratio, quam etiam medio officio seu πῷ καθήκοντι communem arbitror, κατ' ὑπερβολὴν intelligatur Rectum, hoc est Perfectum; iudicium nusquam exorbitans, nec ad dextram, nec ad sinistram declinans, sed recta ad verum scopum tendens, cui necessario etiam voluntas nulla prauæ cupiditatis labe contaminata respondeat, hæc definitio: Actio consentanea rectæ rationi est perfecti seu recti officij.)
2. Estque perfectum (τέλειον) vel Medium. Illud dicitur κατόρθωμα, paucissimorum: Hoc vero incoatum seu commune.
3. Perfectum est, quod ita rectum est, vt nihil ei desit, neq; supersit, quod ne in minimo quidem exorbitat. Tale requirit Lex Dei.
4. Medium est, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi potest. Cicer. Ratio hæc à bono aliquo petitur. Zeno ait: καθῆκον μέσον ἐστὶν, ὃ πραχθὲν εὔλογον ἔχει τὸν ἀπολογισμὸν, factum quod habet rationes probabiles. Tale requirunt Leges humanæ.

[a] ἀκόλουθος ὀρθῷ λόγῳ & εὐλογον ἔχει τὸν ἀπολογισμὸν, Stoici.

Facto

Facto autem eriam consilium & dictum comprehenditur.

Seu, καθήκοντα sunt, quæ esse facienda ipsa ratio homines conuincit, ὅσα λόγος αἱρεῖ ποιεῖν: vt καθήκοντα sunt, Honore afficere parentes, suum cuique tribuere.

5. His opponuntur susceptа παρὰ τὸ καθῆκον, id est, contra officium ὅσα λόγος ἀπαγορεύει, quæ ratio vetat, seu quæ cum iudicio ipsius naturæ pugnant, vt occidere innocentem, violare bene meritum, & Adiaphora seu ἀδιάφορα, id est, Indifferentia seu neutra, nempe susceptа μήτε καθήκοντα, μήτε παρὰ τὸ καθῆκον, hoc est, neq; ex officio, neque contra officium, quæ ratio neque iubet, neque vetat, cuiusmodi sunt stantem, aut sedentem, aut ambulantem legere vel docere.

6. Aliud officium est Absolute seu simpliciter, ἁπλῶς, quod dici potest ἀπερίσπατον, id est, non adstrictum circumstantiis certis, quod sine vlla exceptione semper faciendum, vt curare valetudinem animi & corporis. Aliud Determinate seu κατὰ περίστασιν, quod pro cõditione circumstantiæ (loci, temporis, rerum, personarum) recte fit vel secus, vt præcidendum dare aliquod corporis membrũ. Vide Wolfii Commentar. in Off. Cicer.

Critic.

Notent hic Latinitatis studiosi, quod Cicero dicit Officium consulis, aut iudicis, forte non esse τὴν ἀρχὴν, id est, ipsum consulatum, seu præturam, sed τὸ ἔργον seu καθῆκον, id est, munus, quod à Consule vel iudice postulatur, quod & Græcis est τὸ τὰ δέοντα ποιεῖν. Demosthenes.

O M N I A,

O M N E S.

Omnia interdum est particula distributiua, vt Omnes Planetæ sunt Stellæ; Tunc dicitur Signum Vniuersalitatis.

Interdum est collectiua, vt Omnes Planetæ sunt septem: Tunc potest esse pars medii termini in ratiocinatione; vt Omnes Apostoli sunt duodecim. Petrus, Iacobus, &c. sunt omnes Apostoli. Ergo Petrus, Iacobus, &c. sunt 12.

Interdum idem est, quod Vnumquodq;, vt cum Aristoteles ait; Omnia ex ipsis (principiis) sunt: sententia est, Vnumquodq; ex suis principiis est. Bonum est id, quod omnia appetũt, id est, Bonum cuiusq; est id, quod vnaquęq; res appetit.

Canon.

Nota Omnis Collectiua, vt & Distributiua in genera singulorum (cum prædicatum non in singula indiuidua: sed in indiuiduorum ordines certos & status distribuitur) imperfecte & secundario propositionem vniuersalem faciunt.

Differunt Omnia & Vniuersa, non pollent idem. Vere enim dicitur, omnia folia huic arbori decident, Vniuersa decident, falso: Vniuersi enim omnes simul collectos significat.

Aut nullam, aut vniuersam pecuniam volo, id est, omnem simul. Terent. Id illa nunc abripiet vniuersum.

Interdum Omnis est Totus, vt Omnis populus, Omne reddes.

Vsus.

Omnes Apostoli sunt duodecim. Petrus & Iacobus sunt Apostoli. Ergo Petrus & Iacobus sunt duodecim. Paralogismus est, quia hic Omnes medii pars non subsumitur. Potest hæc Fallacia dici Diuisionis & imperfectæ subsumptionis termini.

O M N I N O.

Omnino 1. ponitur pro Prorsus, vt Omnino recessit, id est, recessit animo non redeundi, sed permutandi domiciliũ. Iureconsulti.

2. Pro Simpliciter & primo. Ita opponitur ei ſecundo & ratione alterius; vt, Solæ primæ ſubſtantiæ exiſtunt omnino per ſe; Secundæ exiſtunt per ſe ſecundo & ratione primarum. Quidam dicunt; Vniuerſalia non exiſtere per ſe, ſed habere exiſtentiam in ſingulari, quod per ſe exiſtat.

Fonſeca: Chriſti Humana Natura eſt res ſingularis, verum non per ſe omnino exſiſtẽs, ſed exſiſtens in verbo Diuino, à quo ſuſtinetur.

OMNIVOCVS.

Verſus Omniuocus dicitur, qui ex omnibus, quas vocant, partibus orationis conſtat, vt:

Væ tibi ridenti, quia mox poſt gaudia flebis. πρὸς δέ με τὸν δύϛηνον ἔτι φρονέοντ' ἐλέησον.

OPACVM.

Opacum opponitur Transparenti. Eſtq; ϕ radios non trãſmittit, qualis eſt terra. Scal. ex. 80. ſ. 1. ſic. Eſt Opacum, quod in vmbra eſt, aut vmbra ipſa apud Ciceronem, & illud, quod radios non tranſmittit.

Opacorum aliud Lucidum, vt ſtellæ omnes excepta Luna; Aliud non, vt Luna, Scalig. ex. 238.

OPERARI.

Operari in aliquo proprie eſt agere in eo, cui agens coniunctum eſt. Ita ergo ſignificatur Vnio, non Communicatio. Sic mens agit, id eſt, intelligit in corpore (cui eſt vnita) at non propterea facultatem ſuam intelligendi mens cori communicare dicitur.

Cum aliquo operari proprie eſt cum aliquo ſuam operationem cum alterius opera coniungere. Sic nonnulli interpretantur hoc Leonis, Vtraque forma (id eſt Natura in Chriſto) agit cum alteriùs communione; id eſt λόγος operatur cum carne, & Caro cum λόγῳ.

Operari per aliquid tanquam per organon proprie eſt eo vti tanquam inſtrumento ad opera ſeu apoteleſmata ſua, non autem eſt communicare illi ſuam eandem numero facultatem operandi; vt operatur χειροτέχνης ſeu artifex per ſerram: & ſerra facultatis operandi, quæ ineſt in artifice, non eſt particeps, id eſt, non habet ſibi facultatem fabri propriam communicatam. Hic ſi quis Inſtrumentum κυρίως αἰτίᾳ dicat doctum, vel ſapiens, vel intelligens, pro docti, ſapientis, intelligentis, ille loquitur populariter, improprie, μεταληπτικῶς.

OPVS.

Scholaſtici Opus operatum ab Opere operante diſtinguunt. Illud, quod ex ſe aliquid efficit: Hoc, quod efficit vi agentis. Biel ex Scoto & Alexandro. Signum Sacramentale conferre gratiam, dupliciter poteſt intelligi: Vno modo ex opere operato, id eſt, ex ipſo ſigno, id eſt, eo ipſo, quod opus illud, puta ſignum, exhibetur, etiam ſine bono motu interiore (qui gratiã mereatur) ſuſcipientis, modo is non ponat obicem peccati mortiferi: Sic Baptiſmus confert gratiam ei, qui non habet vſum rationis perfectum. Altero, ex opere operante id eſt, per modum meriti, cum Sacramentum foris exhibitum non ſufficit ad gratiæ collationẽ, ſed præterea requiritur bonus motus ſeu interior deuotio ſuſcipientis Sacramentum.

OPPOSITIO.

Oppoſita accipiuntur Stricte & Large. Stricte ſumendo Diſparata non ſunt oppoſita. Faciunt enim Peripatetici quidam, vt Zabarella, oppoſita quadruplicia: Contraria, Relata, Priuantia,

tia, Contradicentia, exclusis Disparatis. Large vero, vt complectantur etiam Disparata: Sic accipiunt Ramei & Keckermannus. Itaque dicunt Virginitatem & Maternitatem opponi. Hæc annotatio vtilis est, propter Logomachias, quibus interdum ingenia turbantur.

Gabr. Biel. 3. dist. 6. quæst. 2. Virginitas & Maternitas non opponuntur. Quia Virginitas non dicit nisi integritatem corporis & mentis, si est virtus moralis: Maternitas vero dicit actionem causæ inferioris subordinatę causæ superiori ad constitutionem prolis, siue illa superior agat modo naturæ, siue supernaturaliter; illa autem non repugnant.

Iohannes Scotus l. 3. distin. 4. quærit, an Virgo Maria sit vere mater Dei & Hominis: Ac primum negate respondet ex eo, quod opposita contraria non possint inesse simul eidem etiam per potentiam Diuinam: Virginitas autem & Maternitas sint opposita contraria. Sed hoc argumẽtum postea sic soluit; Virgo & Mater non opponuntur aliqua oppositione formali, nec vt priuatiua, nec vt contraria. Virginitas enim tantum priuat actionem causæ superioris naturalis, non autem virtutem actiuam matris. Maternitas autem nõ necessario ponit actionem causæ superioris, sed tantum illam communiter comitatur illa actio: sed si alius suppleat actionem causæ naturalis, potest esse maternitas secũdum suam rationem, & tamẽ cum priuatione causæ naturalis superioris. Ita etiam se res habet cum virginitate. Sic obiectum creatum natum est cõmunicare cum intellectu meo intellectionem. Intellectum igitur cõcipere notitiam ordinarie requirit obiectum creatum mouens intellectum: sed non requirit hoc ex ratione sua seu per se. Si enim Deus suppleat actionem obiecti mouendo intellectum, potest intellectus concipere eandem notitiam, quam perciperet mouente obiecto; & ita si in intellectu concipiente non moueri ab obiecto creato designaretur per nomen Virginitatis vel incorruptibilitatis, non repugnaret aliquo modo formaliter intellectum concipere & virginem esse. Hactenus Scotus.

Ego soleo dicere, hanc propositionem, Virgo est mater, & Mater est Virgo, esse compositionem Disparatorum, & naturæ ordine esse impossibilem: In hac vero, Hæc Virgo seu Maria est Mater, & hæc mater est Virgo, esse synthesin consentaneorum extraordinariam seu miraculosam. Nam etsi recte dicatur Maria Mater Christi naturalis, miraculose tamen eum genuit, non naturaliter.

Maria Mater Domini

Naturalis, ratione potentiæ actiuæ, qua naturaliter erat fœcunda & conferebat materiam, & potuisset concipere à Patre naturali, nec non ad productionem prolis cooperari Physice.

Miraculosa, Ratione deductionis potentiæ naturalis Mariæ in actum, qualis deductio ac perfectio non fit naturaliter, nisi á causa actiua definita naturali, id est, vi actiua patris naturalis, quæ hic non fuit, vt ait Scotus, & Anshelm. de concept. Virgin. c. 11.

Ad potentiam autem Naturalem, quam habuit Maria, accessit potentia obedientialis Mariæ, vt esset Mater Domini.

OPTIME TERMINO ALIENO TERMINARI.

Est facillime susçipere cuiuscunque continentis figuram, vt: Si in rotundo vase sit, accipere rotundam: si in quadrato, quadratam figuram. Proprium hoc est humidi seu humidi corporis, vt aquæ.

ORATIO.

Oratio aut est ἐνδιάθετος (ὁ ἔνδον) id est interna, aut est προφορικὴ, id est, externa. Illa Græcis est etiam ὁ ἔσω λόγος. Hic intelligitur cum Isocrates dicit, ἐν ἑαυτῷ vel πρὸς ἑαυτὸν διαλέγεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων, quod nihil aliud est, quam consultare, deliberare, consilium capere, Græce βυλεύεσθαι, & Cicer. in officiis secum loqui, & Matt. Euangelista de Hæmorrheusa, ἔλεγεν ἐν ἑαυτῇ.

Barbari dicunt, consiliare.

Oratio externa (ὁ ἔξω λόγος) interdum accipitur Generaliter, vt complectatur & sermonem Grammaticum, & Propositionem Dialecticam, & sententiam ornatam, qualis est Rhetoris. Improprie definitur geminata vocum successio: nam ex continuatarum vocum successione seu consecutione consurgit. Rectius est è vocibus conflata sententia. Hæc nunc vnico versu, nunc pluribus constat, de quibus vide vocem Versus.

Interdum specialiter, vt cum dicitur Elocutio esse exornatio orationis.

Ita Oratio est simplex, vel ornata. Ornata est vel ἄμετρος seu Libera, nullo metro adstricta, etsi certis locis admittat numeros, & ita euadat εὔρυθμος seu εὐρυθμισμένη: (numerosa) vel ἔμμετρος, non libera, sed certis metri legibus adstricta.

Oratio vna
- Natura, Cæsar amat Lucinam; Hæc vnum de vno dicit.
- Coniunctione, Syndesmo, colligatione, vt loquitur Sextus Pompeius; Cæsar amat & pugnat. Hæc secatur in plures.

Cæsar amat, Cæsar pugnat, sunt duæ orationes sepatatæ, quæ coniunctione in vnum coalescunt.

Coniunctiones aut sensum coniungunt ac verba simul; aut verba tantum coniungunt, sensum autem disiungunt, aut sensum coniungunt, nomina disiungunt.

Si sensum coniungunt, aut non necessario, aut necessario.

Si non necessario, tunc fiunt copulatiuę, vt Cæsar doctus fuit & pugnax. Hæ enim res non necessario cohærent; quare etiam potest fieri disiunctio apposita negatione.

Si necessario coniungunt, fiunt Ætiologicæ, id est, Causatiuæ, Rationales, collectiuæ, præstituentes causam, aut subdentes. Sumtq; ex hypothesi, vel Absolutæ. Exempla sunt. Si stertit, dormit. Alias dicta conditionalis & Hypothetica, & Ramo connexa. Si dies est, Lux est. Si nox est, Sol sub tetra nobis est. Quia iubes, faciam: Do vt des; pugnaui, quia læsus fui.

Vinum lætos facit, qua seu quatenus bonum. Quas particulas antiqui Absolutiuas & Perfectiuas, quæ ad doctrinam Reduplicationis in Logicis pertinent.

Si sensum disiungunt, necessario non cõiungunt: ac tunc fiunt orationes Disiunctiuæ. Et sunt primum in contrariis, aut positiue, vt Aut sanus est, aut æger; aut Priuatiue, aut dies, aut nox est, aut Relatiue: Aut Pater est, aut Filius. Deinde in Diuersis seu occupatiuis, seu Aduersatiuis. *Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.* Quanquam Vlysses erat facundus: tamen non erat formosus. Tertio in Disparatis, vt, siue homo sit, siue equus, siue lapis, necesse

est

est vt corpore sit præditus. Vicina hæc conditionali.

Siue seu *seu* ἐξηγητικὴ interdum declaratiua est coniunctio, diuersitatem tãtum appellationis designans, vt Alexander seu Paris. Antistrophe siue reciprocatio. Hic igitur coniungit sensum & disiungit quodammodo voces diuersas. Scaliger refert ad Disiunctiuas. Sed non sunt re Disiunctiuæ, sed tantum φαινομένως; & verbotenus.

Ad Dubitatiuas propius accedunt, seu cum iis ineũt societatem, Dubitatiuæ, vtrum hoc an illud, & comparatiuæ illæ, quæ dicuntur Electiuæ, Malo Cæsarem quam Catonem: & diminutiuæ, saltem ne interfice, si liberare non vis, id est, Aut libera me, aut interfice. Saltem enim non est particula Exclusiua, sed ἐλαττωτική.

Completiuas malo referre ad Aduerbia, vt Equidem, quidem.

Coniunctio fit secundum { Sensum tantum. / Verba tantum. / Vtrumq;.

Coniunctio sensum { Necessario / Non necessario / Necessario non } coniungit { Conditionalis. / Copulatiua. / Disiunctiua.

Res enim { Necessario / Non necessario / Necessario non } cohærent.

ORDINARIVM.

Ordinarium duobus modis intelligitur, aut enim significat { Id, quod legitimum ordinem sequitur & ab eo pendet. / Id; quod in more positum est & vsu seu consuetudine nititur.

Ita ordo accipitur pro vulgato more & vsu.

ORDO.

Ordo est vnum ex iis, quæ non vno modo dicuntur.

Primo est τάξις prioris ad posterius; Variorum dispositio sua cuique loca tribuens.

1. Vbicunque igitur datur ordo, ibi datur prioritas.
2. Ordo supponit distinctionẽ aliquam ordinatorum, id est, vbicunque datur ordo, ibi datur distinctio aliqua; at nõ viciſſim.
3. Eiusdem ad seipsum nullus est ordo.

Secundo Ordo est modus viuendi religiosorum, vt ordo Augustinian. Carthusian.

Ordo primi modi varie distinguitur.

1. Ordo accipitur ita, vt plura respiciat, vt tẽporis, naturæ, loci. 2. ita vt adstringatur ad enumerationem passiuam. (primi, secundi, tertii) (Eodem modo priora ordine distinguuntur. Sunt enim alia priora ordine loci, temporis, naturalis originis: & alia sunt priora ordine solius enumerationis seu enumerabilitatis; qui est vel Naturalis enumerabilitatis (id est, eius, quæ congruit ordini inuento in rebus) vel Arbitrariæ ordo. Natural. vt si filios tuos numerem ordine incipiendo à natu maximo, & desinendo in natu minimo, ordo hictẽporis est. Arbitrar. vt si incipiã à medio, Numera ita personas Diuinas, Pater, Filius, Spiritus sanctus, & hæc enumeratio erit secundum ordinẽ originis inuariabilẽ: Et hic ordo est Naturalis enumerationis. Numera ita, Filiꝰ, Pater, S.S. & hac enumeratiõe tan-

tantum numerum personarum colligis pro arbitrio tuo.)

3. Ordo est Essentialis, vel Accidentarius.

Essentialis, vt eorum, quæ necessario & essentialiter ordinantur ad causandum. Accident.contra.

Axioma.

Essentialis ordo non est Indiuiduorum eiusdem speciei, vt sunt Iohannes, Petrus, Paulus.

Indiuidua enim eiusdem speciei non sunt ad se inuicem ordinata. Vid. Auicennam l.6.Metaph.

Exempl. ὅτι τριῶν δεῖ παιδείαι, φύσεως, μαθήσεως, ἀσκήσεως, teste Philosopho:

Naturæ primas in agente, Artique secundas, Exercitationi assigno Tertias.

Temporis hic ordo est, sed si spectetur honoris Potentiaq; prima exercitatio est.

Ordo est
- Et realis & formalis, Inter quodlibet productum & producens.
- Realis, sed non formalis, Inter partes eiusdem quantitatis continuæ.
- Nec realis nec formalis, sed virtualis, virtute Intellectus] Huc pertinēt quæ nostra tantum consideratione distinguuntur.
  - Rei, inter Attributa Diuina (vt sunt Bonitas, veritas) & inter quædam etiam creata.
  - Intellectus. Qui ordo Ratio Ratiocinantis dicitur, inter concretum commune & abstractū cōmune, vt inter Leonitatem communem seu καθόλου & leonem communem.

De Ordine Logico, seu τάξει Partium Doctrinæ.

Ordo Doctrinæ est instrumentum Dianoeticum bene ordinandi res diuersas & varias secundum prius & posterius, commodioris & facilioris traditionis & perceptionis gratia. Alias etiam Methodus dicitur.

Ordo
- Artificiosus & perfectus. Eius
  - Leges
    - Panarmonias seu consensionis.
    - Connexionis seu συνεχείας.
    - Homogeneitatis.
  - Distinctio in
    - Vniuersalem, qui Totum systema artis respicit
      - Synthecticum.
      - Analyticum.
    - Particularem, qui respicit partem aliquam disciplinæ. Ac versatur circa
      - Themata
        - Simplicia.
        - Coniuncta.
      - Argumenta, quibus themata tractantur.
      - Vtraq; simul.
- Inartificialis quodammodo & Imperfectus, qui ab artis norma quodammodo deflectit, & pro prudētia arbitrioq; docentis instituitur. Dicitur & Crypticus, quia occultat aliquid, & arbitrarius.

Syn-

Synthetícus eſt, quo Diſciplinæ partes ita diſponuntur, vt à ſubiecto vniuerſali ad particularia, adeoque à ſimplicibus ad compoſita progreſſus fiat.

Analyticus eſt, quo diſciplinæ partes ita diſponuntur, vt à notione Finis fiat progreſſus ad notitiam principiorum ſeu mediorum, per quæ finis obtinetur, ſeu in ſubiectum ſuum introducitur.

Zabarella ſtatuit illum tãtum locum habere in diſciplinis Contemplatricibus; Hunc in Operatricibus. Sed alii, vt Piccolhomineus & Zuingerus, putant Diſciplinas Practicas & Operatrices etiam doceri poſſe Synthetice.

Lex ſeu Canon παναρμονίας, & συναλη-θείας eſt: ſingulæ partes doctrinæ inter ſe amice conſpirent, ne vna alteram per analogiam tollat.

Lex connexionis & cohæſionis eſt: Antecedentium & conſequentium cõnexio in tractationis capitibus per tranſitionum vincula & formulas oſtenditur.

Lex homogeneas eſt: partes methodi omnes ſint homogeneæ, id eſt naturæ aliqua cognatione inter ſe coniunctæ, ob ſubiecti & finis illius, ad quem reſpiciunt, Identitatem.

ORDINATVM.

Ordinatum. 1. eſt quod ordine conſtat ſeu ordinem habet.

2. Idem eſt quod ordinarium, cui opponitur extraordinarium, & id quod præter ordinem eſt.

3. Idem eſt quod deſtinatum, vt Herbæ & ſimiles res ordinatæ ſunt tum ad vſum hominum, tum ad ſimilitudinem Dei participandam, qua eis eſt ἀθανατον in perpetuitate: quo fit vt ſeruent ſemen in folliculis, vt maneat virtus propagatiua, Scholiaſt. in Athenienſium Antiſtitem & Galliarũ Apoſtolum.

4. Eſt coniunctum alii cognatione quadam vel inclinatione mutua.

Duo vel plura inter ſe, ordinata eſſe inter ſeſe, nihil aliud eſt, quam vnum eſſe prius altero, ſiue loco, ſiue tempore, ſiue natura, &c. ſiue enumeratione paſſiua tantum. Poſteriore ratione primum dicitur eſſe prius reſpectu ſecundi & ſecundum reſpectu tertii, & ſic deinceps. *Inter Ordinata vnum prius eſt altero.*

Quæcunque inuicem referuntur, inuicem ordinata ſunt: ait Thomas. Hoc ſic interpretatur Fonſeca: Quæcunq; inuicem referuntur, id eſt, extrema, quæ denominantur relatiua, ſeu extrema, quæ mutua relatione referuntur, ſunt cognata inter ſe, aut communicatione alicuius formæ communis, vt duo ſimilia (vnum in albedine,) aut mutua ad ſe inuicem propenſione; vt agentia & patientia creata.

Multa ſunt diſtincta, quæ non ſunt inter ſe ordinata, ſed confuſa, Id eſt, in quibus vnum non eſt prius altero, vt in turba hominum circumfuſa tumultuarie, & in duobus quibuslibet relatiuis æqualis comparationis, ſiue eiuſdem appellationis, vt in duobus perfecte æqualibus vel ſimilibus. Itaq;

Non vbicunq; datur diſtinctio, datur ordo.

ORGANICVM.

Eſt idem quod inſtrumentariũ ſeu inſtrumentale: vel habens organon, vtens organo, vt partes organicæ, quæ Zabarellæ alicubi veniunt nomine Materiæ; & Ariſtoteli nomine corporum ipſorum. 2. de anima text. 37.

Omnia naturalia corpora animæ inſtrumenta ſunt, id eſt, omnes partes corporeæ organicæ.

Intellectus dicitur Inorganicus, quia non habet proprium organon, quo vtatur. Poteſt tamen Intellectus dici organicus, quia ei inſeruiunt & miniſtrant omnia organa potentiarum organicarum. Remote igitur, id eſt, per potẽtias inferiores vtitur organis omnipus. A-

uer.comm.5. tert. lib. ait, quod totum hominis corpus instrumentum sit ipsius Intellectus, cum ipse hominis omnibus partibus & facultatibus, & hominis toti corpori imperet, & ita instrumentis vtatur, non per seipsum, sed per potentias inferiores.

Eatenus enim est inorganicus.

Dialectica dicitur Doctrina organica, quia est instrumentum Philosophiæ.

ORIGO.

Origo proprie initium est, siue sit generationis, siue creationis: ciuitatis origo est, ex qua quis est oriundus.

Hinc originale est ex origine acceptum contractumve, Exemplum originale dicunt iurisconsulti, quod vulgo appellatur Vidimus. Improprie & metonymice primũ pro materia originis accipitur, vt pro semine. Exempla sunt passim obuia: Deinde pro originis qualitate: cuiusmodi est eminẽtia, quæ origini interdum adhæret, vt nobilitas: vt cum dicitur multi gloriantur de sua origine, sic accipitur etiã in Theologia: vt boni angeli retinuerunt suam originem, id est suam originalem, hoc est concreatam ipsis perfectionem.

OSTENTVM, OMEN.

Doctrinę gratia nonnulli χαρίεντες è Philosophorum choro τέρας Genus faciũt Ostenti & Monstri, vt duarum specierum. Τέρατα iis (vt Casp. Peucero) sunt non tantum errata naturæ, sed quæcunque vel nouata specie & abvsitatis rerum formis aliena offeruntur, vel vniuersim omninoq; à communi & τεταγμένῃ, id est constituta diuinitus rerum πορείᾳ (progressione) ac cursu deuiant, siue in mundi ætherea regione, siue in hoc elementari domicilio, adeoque vel ipsis Elementis, vel procreatis inde rebus.

Ex his Monstra dicuntur, quæ ex animantibus nascuntur non sui generis specie, sed aliena & dissimili, nimirum quæ vel diuersarum rerum formis varie cõsutis, vel natiua rei facie distorta, confracta, aliove modo defœdata constant, aut mutila sunt & truncata, aut plurium non necessariarum partium, integrorumve corporum adhæsu coalituque naturæ modum prætergressa.

Ostenta sunt non solum in vicino aere ceu picturis expressæ imagines conligentium exercituum crepitus & fragores concussorum armorum ac similium, sed etiam quæcunq; in sublimiore illo siderum cœlo Dei iussu insolenter accidunt: de quorum genere sunt signum retroactæ vmbræ, stella Christo nato à Magis notata. Vtrique generi nomen Prodigii conuenit & Portenti. Vid. de Teratoscopia Casp. Peucerum.

Prodigium & Portentum vt signa considerata respectu tantum differre videntur. Nam si terminum à quo spectes, hoc est, Deum à quo immittitur, vt nobis voluntatem suam prodat, prodigium est. Sin vero Terminũ ad quem, Homines videlicet, ad quos impendentia quæ præsignificantur attinent, portenta nuncupantur à portendẽdo.

Theodorus Zwingerus inclinat in hanc sentẽtiam, quod ostentum sit φάστασμα, quod vel nihil reipsa sit, at nostris sensibus obiectum aliquid esse videatur, vel si aliquid est, aliud tamen sit, quam esse videtur, siue naturalis alicuius rei speciem præ se ferat, vt lactis, sanguinis, armorum, animalium; siue non naturalis & diuinæ, vt Dei, dæmonis. Differt igitur Zwingero Ostentum à Prodigio & Portento, quod ostentum nihil sit, vel certe non sit id, quod videtur esse, neq; à natura fiat, sed à causa aliqua diuiniore: Prodigium vero sit id, quod esse videtur, & à natura prouenit, quamuis præter morem suum agente. Sic in cœlo varia

ria nonnunquam ſpectra conſpiciuntur, quæ vel nihil ſunt, vel ſi quis νοῦν ſeu Angelum ſubeſſe contendat, fateatur neceſſe eſt, aliud eſſe, aliud apparere. Quando autem montes concurrunt, terra tremit & mugit, varia monſtra brutorum & hominũ eduntur, mula parit mulum, quæ natura ſua ſterilis eſt, feræ miteſcunt, animalia cicura efferantur; fiunt quidem iſta omnia à natura, non tamen conſueto more ordineq; agente, & ſubeunt nomenclaturam prodigii.

Omina aliud ſunt à Prodigiis, Monſtris, & Oſtentis. Sunt enim tum facta & πάθη σημαντικὰ (quaſi præſaga) modo proſperarum, modo aduerſarum rerum: Tum nomina à primo ortu hominibus impoſita, & Voces ſeu Dicta. Facta quædam facta ominoſa ſunt tot generum, quot actiones humanæ, πάθη ſeu paſſiones ſunt, verbi gratia, ſternutamenta, offenſiones pedum, palpitationes oculorum, Tinnitus auriũm, (vnde prouerbium: *Mihi dextra tinniit auris*:) Dicta ominoſa ſunt diuerſa à Præſagiis proprie dictis. Nam qui præſagiunt certo id quod dicunt, enuntiant: Qui vero ominantur, fortuito tantum & παθητικῶς magis quam λογικῶς vocẽ, in qua omen eſt, proferunt.

Omninoque Omina differunt à prodigiis & monſtris: Hæc enim hominiũ præter conſuetum morem eueniũt, vt ſi homo naſcatur biceps, ſi Leo pariat agnum: Omina vero homini contingunt naturaliter & conſueto more, neq; perſe & abſolute nouitatis aliquid hãbere videntur, ſed per accidens tantum & κατά τι, ratione circumſtantiarum tẽporis, loci, modi, perſonarum, vt quamuis fortuito accidant, paulo poſt tamen vel eorum authoribus, vel iis, qui ea notarunt, præſagii loco fuiſſe videantur. Itaque OMINVM Genus

Omina non ſubiicium-

non eſt τέρας, ſed σημεῖον, id eſt, ſignum diuinatorium. *tur τέρατα, ſed ſignis.*

Diſtinctio Ominis.

Omen eſt vel dextrum, vel ſiniſtrum, id eſt, fauſtum, vel infauſtum, bonum vel triſte, quod & deteſtabile & minax dicitur & terrificum. Apud Liuium eſt Omen magni terroris.

Ominoſum tamen ſæpius in malam partem accipitur.

Ominis vox interdum ad ſignificationem Voti ſeu optationis traducitur, vt cum dicitur καλῶς ἔρρω, Bene ſit, Ominis vox apud veteres fuit, cum quis rem quampiam nouam & arduam auſpicaretur. Sic Latini rebus agendis præfabantur, Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque ſit. Sternutantes, ſic precabantur, ζεῦ σῶσον, Iupiter ſerua: Pii mortuis, Sit tibi terra leuis.

Generaliore acceptione aliquando ab authotibus Ominis vox etiam brutis tribuitur, vt cum dicitur migratio ciconiarum, à faſtigio templi, celebris cuiuſdam oppidi, in tectum carnificis, nido ibi exſtructo, ominoſa.

O V V M.

Ouum proprie & primo accipitur de ouis genitabilibus, vnde prouerbiale: *Ouo prognatus eodem*, vbi vox Oui translate ſumitur.

Secundario de iis, quæ ante tempus ſunt edita nondum abſoluto putamine & teſta.

3. De ſubuentaneis & Zephyriis, quæ citra coitum eduntur ex imaginatione, quæ ſunt inefficacia. Græci vocant ὑπηνέμια.

Ad primam ſignificationem pertinent Oua eſui præparata, quæ dura ſunt, vel mollia. Ex horum genere ſunt.

I. ῥοφητὰ, id est, *Sorbilia*, quæ vix bene calefacta sunt, & in quibus albumen ita modice coiuit, vt vix animaduerti possit.

II. Τρομητὰ vel *Tremula*, quorum candidum euidentius nonnihil coactum est, vt summa parte consistere possit, ne diffluat amoto putamine, sed tremit tamen adhuc & palpitat ob teneram mollitiem & nutritioni aptissimam.

III. ἑφθὰ, id est, *Cocta*, in quibus album totum consistit & coagmentatum est, sed citra tamen magnam duritiem, luteo quoq; oui (seu vitello) permanente molli & fluido. Hæc etsi non improba sunt superioribus, tamen non sunt paria.

Quædam etiam in aqua molliter coquũtur, amoto putamine: parantur quoque ita, vt in vase aliquo paruo, & puro sale, butyro & acero, aut vino aspergantur, & deinde in ahenum aquæ feruentis plenum demittantur vna cum vase, in quo continentur, & lento igni subiecto molliter coquantur. Vtraq; probantur Brun. Seidel. in explic. rerum non naturalium, quæ non extat.

Dura sunt talia vel Elixatione, vel Assatione sub cineribus, vel frixione. Hæc prioribus deteriora censentur.

Inter dura & mollia media sunt *agitata*, gerühret / cum oua prius contusa in sartagine munda semper agitantur supra ignem lentum, donec moderate crassescant.

LITERA V.

VBI.

GEneraliter acceptum VBI est existentia in loco vel spatio, specialiter est circumscriptio corporis, ex loci circumscriptione proueniens. G. Porretanus, vtrumq; externum est. Ἀκύρως & τῇ καταχρήσει quoddam VBI etiam à nonnullis Inhærens seu Internum dicitur.

VBI
- Internum, connaturale rei finitæ, vt corpori quanto. Sine hoc VBI nulla creatura omnino esse potest. Itaque si Angelus esset creatus ante mundum, habiturus fuisset suum VBI Internum.
- Externum seu ambiens, cum quid est alicubi per modum locati extrinsecus circumdati.

VBI
- Circumscriptiuum, circumscriptibile, Corporeum, vt Physicum. Huius modus est situs.
- Definitiuum, Spirituale, vt Angelicum, dicitur.

1. Esse alicubi est rem habere Vbi extra quod esse non potest; ita Angelus & Homo sunt alicubi simul.
2. Esse alicubi circumscriptiue res dicitur, quæ ita alicubi est, vt tota sit in toto, & pars in parte spatij, quod occupat repletque. Talis est res materialis. Ea non est alicubi sine quantitate.

3. Esse

3. Esse alicubi definitiue dicitur res, quę licet non habeat in loco extensionem partium, intra certos tamen limites seu definitum spatium existit & cohibetur.

Esse definitiue interdum sumitur generice, vt comprehendat esse circumscriptiue, & opponatur τῷ esse vbiq;. Exempli causa: Definitiue esse alicubi dicitur, quod ita est alicubi, vt intra definitum (seu limitatum) spatium contineatur, nec simul possit extra illud: Homo & quælibet substātia materiata est ita alicubi, vt intra definitū spatiū contineatur, nec simul possit esse extra illud. Ergo Homo dicitur esse alicubi definitiue: seu esse in loco definite est contineri intra ambitū alicuius spatij determinati seu definiti. Terra continetur intra ambitū spatij definiti. Ergo terra est definitiue in loco. Definitum vnius Vbi est extra Vbi alterius. Damascenus verbo circumscribendi vtitur generaliter l.1.de fid.Orth. c.17. & l.2.c.3.vt complectatur etiam Scholasticorum τὸ Definitiue. Ita Angeli quoque dicuntur esse circumscriptiue alicubi. Sed tamen addit Damascenus verbum Circumscribendi esse ambiguum, seu non habere eandem vim in rebus spiritualibus, & in corporalibus. Substantia materialis est in loco ratione quantitatis & interuentu quantitatis: Vnde vbi quantitatium dicitur, (id est, propriū quantitatis) quod alias dicitur circumscriptiuum. Quantitas non habet proprium Vbi distinctum reipsa à substantiæ Vbi.

Tertia Distinctio.

Vbi est vel Adæquatum Substantiæ, vel non Adæquatum substantiæ.

Vsus.

Corpus affectum definita quantitate necessario habet Vbi Adæquatū suæ substantiæ, & occupat spatium adæquatū suæ Quantitati. Angelus vero nō semper habet adæquatū Vbi suæ substantiæ. Etsi enim ex dignitate & perfectione suæ naturæ definitum sibi certum spatium habeat, cui suā præsentiā ὑφωσῆ exhibere potest, non tamen semper ex necessitate toti illi adest seu præsens est, sed potest esse in minori & maiori. Verum dicitur hoc tantū probabiliter. Itaq; alij dissentiunt statuentes Angelū necessario habere semper adæquatum vbi, seu adæquatam præsentiam suæ substantiæ. Vt vt sit (id est, siue Angeli ita finiti sint natura, vt in aliqua certa extensione suam præsentiam exhibeant, siue non) hoc non dubito falsum esse, quod ait Suaretz: Etiā in puncto substantiam Angelicam esse posse. Statuo enim eam semper esse in spatio aliquo. Punctū autem spatium non est, quia extensum nō est, cum sit indiuiduum. Quicquid hic alij dicant contra, ego in lucro pono.

Vsus.

Quæstio est: An habeant Angeli Vbi? Resp. Habēt & Vbi propriū seu Internum, quod modus est substantiæ finitæ, eius capaces sunt Angeli, quamuis nulla sint corpora. At necessitas talis Vbi in illis oritur ex Angelicæ naturæ limitatione seu circumscriptione. Sed habēt quoq; Vbi externū, nempe cœleste: Hominis Vbi internum est ex positu proprio ordinatoq; partium.

Quibus conuenit externum Vbi, in eos cadit Imperfectio. In Angelos & corpora glorioſa non cadit imperfectio. Ergo Angelis & corporibus glorioſis non conuenit externū Vbi, sed sufficit eis Internum. Nego assumptionē cum viro acerrimi iudicij Scoto. Nam solus Deus est bonū summe perfectū, αὐτάρκες, sufficiens, excludens omnem defectum, imperfectionem, indigentiam. Angeli igitur & corpora glorioſa, cum sint Entia circumscripta, ita perfecta entia sunt, vt tamen habeant aliquid imperfectionis, & vlteriorē aliquam perfectionem recipere possint.

Ens est { Perfectum ita, vt vlteriorem perfectionem non recipiat: Solus Deus.
Imperfectum ita, vt non possit recipere perfectionem, vt Respectus.
Medium, quod cum perfectione sua est in potentia ad perfectionem aliam vt ad terminum motum, vel vbi quo caret. Eiusmodi sunt Entia absoluta omnia præter Deum.

Differunt Vbi & Positio Simoni Simonio lib. 1. Antischegk. Vbi connotat χέσιν, id est, respectum & ordinem circumscriptionis totius locati ad locum totum nulla ratione partium habita. Positio vero partium locati ordinem & respectum ad loci partes (vt enim totus locus toti locato, sic singulæ partes loci singulis locati partibus respondent) siue natura, siue voluntate, siue accidente talis τάξις sit constituta.

Vbietas est affectio Entis creati, qua id existens durat alicubi. Eius radix est existentia.

VBICATIO.

Ab Vbi Scholastici Barbar. pro Extensione in loco seu actuali loci occupatione seu repletione. Huic subest corpus Quantum. Itaque dicitur successiue habere varias Vbicationes. Suarez in Thom. de Sacr. p. 662.

ALICVBI.

Alicubi esse accipitur Proprie & Improprie. Proprie cum sumitur pro eo, quod est esse in loco, proprie dicto, idque incircumscriptiue vel definitiue, de sententia Fonsecæ. Impropriepro eo, quod est esse in aliqua re, quæ ἀκύρως dicitur locus, quomodo digiti dicuntur esse in manu, oculi in capite.

Alicubi esse est esse { In loco proprie dicto { Peculiari, vt aqua in puteo est, { Reali, vt in superficie extrinsecus circumdante.
Communi, vt sella in domo est. { Imaginario, vt vocari solet, id est, in spatio aliquo, quo modo mundus est in ea spatij dimensione, quam occupauit & etiamnum occupat. Sed hoc spatium verum & necessarium est Fonsecæ, non fictitium.
In re aliqua, quæ improprie dicitur Locus, vt { Pars quælibet integrans in suo toto seu σωόλῳ.
Forma in materia.

Definitio Fonsecæ.

Quicquid est, alicubi est, saltem in spatio aliquo aut spatii alicuius termino. Hanc definitionem P. Fonseca etiam extendit ad Deum, quia sentit Deum ab omni æternitate ὄντως, & reuera fuisse sine vlla sui extensione in eo spatio, in quo mundum condidit, & quidem totum in qualibet eius parte, lib. 5. Metaph. c. 15. quæst. 19. prim. assert. sect. 4. Ita igitur Alicubi quid est vel extensiue (vt corpus,) vel sine extensione.

VBIQVE.

Vbique esse accipitur à nonnullis pro eo, q; est esse & in cœlo & in terra simul. Idq; Deo tribuunt, qui dicatur implere cœlum & terram præsente potentia, non absente natura.

A non-

A nonnullis pro eo, quod est non solum in mundo, sed etiam in infinito spatio, quod est extra mundum, esse illi (priores) volũt Deum non esse nisi in mundo, seu Deum determinate seu definite esse in spatio hoc, quod mundus occupat. Hi vero seu posteriores Indeterminate, vt cœli cœlorum eũ capere nequeant. Ex horum numero sunt Augustinus (cuius videsis lib. 11. de ciuit. Dei. & cap. 5. lib. 7. confessionum, vbi dicitur, omnia creata in Deo esse, quasi spongiam in medio mari aqua plenam, & negatur Deum absentem esse à locorũ extra mundum spatiis.) Bernhardus, Salignacus, Fonseca, Fr. Picus Mirand. Posteriorum axiomata sunt.

Ante Mundi creationem Deus in nulla re vera fuit, quam in se ipso spatiũ extensuum, in quo fuit, non est res vera, sed rei capacitas. P. Fonseca.

Deus nusquam comprehensus est, nõ est circumscriptus terminis localibus.

Omnia Entia, prẽter Deum, finita sunt, id est, certis terminis contenta. Franciſc. Picus Mirand. Iohan. Pici nepos.

Deus est amplitudo quantitate carens, quam non capit animus tuus, quæ nec magnitudine concluditur, nec figura coercetur, nec potentia cõtinetur, nec temporibus comprehẽditur, nec finibus cohibetur. Gregor. Nyssenus orat. 1. in Faciamus Hominem.

Quærat forte aliquis, quomodo hæc cõgruant, Deus vbiq; est, & Deus nusquã est, quod ait Elias Cretensis Episcopus? Resp. Dicitur nusquam esse κατά τι, id est, sensu sano, nempe hoc, quod secũdum essentiam & virtutem suam nullo loco concludi aliarum rerum more possit. Ita enim fere Antistes dictum à se explicat.

Præterea τὸ Vbique quoddam Philosophicũ est, quo vniuersale ab Aristoteleis dicitur vbiq; esse, quod sic intelligatur: Vniuersale simul est cũ singularibus, in quibus est ac cõsistit naturali actu. Singularia aũt sunt vbiuis locorũ. Ergo vniuersale vbiq; diffusum est & dispertitũ per sua singularia. Vide cõment. Zabar. in Analyt. Arist.

VLTIMATVS, pro prorsus Vltimus & Completus.

Vltimatum, vltra quod nihil requiritur. Barbari Scholastici ita loquuntur. Sed par est nos ab ea voce abhorrere, cum Latinæ præsto sint Adæquatus & Perfectus. Gregor. de Valent. puncto 1. de Dei perfectione, quæst. 4. Perfectionẽ in Deo respondentẽ perfectioni creaturæ eodẽ conceptu formali concipimus, & eodem nomine significamus, quo perfectionẽ Creaturę: Eodem, inquam, conceptu non quidem proprio & vltimato (nam sic infinite distat esse perfectionis diuinæ à ratione cuiusq; perfectionis creatæ) sed communi aliquo, quæ etiam per notionẽ talis perfectionis soleat significari.

Principia Theologica sunt ipsæ sacri Canonis veritates. Ad sacri Canonis veritates fit vltimata Resolutio Theologici discursus, & ex iis primo singulæ Conclusiones deducuntur. Petrus de Alliac. 1. lib. sent. quæst. 1. art. 3.

Barbara quadantenus verba, sed prorsus Nectarea sentẽtia, quę dicit: Canonicas literas esse πρῶτον seu principium αὐτόπιστον, adeoque per externum aliquod principium ἀναπόδεικτον.

Vltimate { Immediate per se, non mediante aliquo. / Finaliter.

Exempla:

Significans vltimate, id est, non mediante alio; Vltimate terminans, id est, immediate & per se. Hæc sunt apud Gabrielem Bielem.

Vltimata ad formam dispositio est, ad quam aliquid vltra non requiritur: Latine pro vltimata diceres: Omnibus numeris absoluta. Itaq; ea posita statim sequitur effectus.

Cauſa prima, id eſt, ſimpliciter independens, & finis vltimus terminat dependentiam cauſalem efficientis cauſæ & finalis alterius vltimatæ, id eſt, finaliter.

Scotus l. 4. d. 49. Licet in ſubſtantiis perfectio prima (qua nihil deeſt ad primum eſſe rei pertinens) ſit ſimpliciter nobilior quacunq; perfectione ſecunda interna (qua nihil deficit pertinens ad eſſe ſecundum) tamen non eſt perfectio vltimata, quia ipſa habita adhuc exſpectatur, & appetitur vlterior perfectio.

Hæc ætiologia eſt definitiua, id eſt, hac ratione Scotus vltimatam perfectionem definit ſeu deſcribit. Idem paulo poſt: Vltimate & complete non perficitur aliquid niſi externo perfectiuo: Aliquid, inquam, quod natum eſt ſic perfici. Eiuſmodi quaſi externum perficiens eſt Deus.

VLTIMVM
Potentiæ Rei.

Definitio. Vltimum ſeu extremum potentiæ rei eſt totus conatus & contentio virtutis rei.

Canon Scoti.

Can. Scot. *Naturale agens non impeditum ſemper agit ſecundum vltimum ſuæ potentiæ*; Id eſt, toto conatu niſuque & contentione virtutis ſuæ agit. Cum contra voluntarium agens tantam vim ad agendum conferat, quantam vult, non quantam poteſt. Exemplo eſt Spiritus S. qui operatur in nobis imperfecte & inæqualiter pro εὐδοκίᾳ ſua.

Declaratio è contrario.

Scot. l. 3. d. 5. Spiritus S. agit libere. Ergo non neceſſario agit ſecundum vltimum ſuæ potentiæ.

Itaq; poteſt ad aliquid ſe extendere cauſa ſecunda cooperante. Ita in Generatione Chriſti Spiritus S. & Maria fuerunt συναίτια, ita vt Spiritus S. ſupplerit vicem patris Naturalis.

VLTRO CITROQVE.

Vltro citroque eſt 1. hinc illinc ἔνθεν καὶ ἔνθεν, vtrinq;, viciſſim, ex vtraq; parte, huc atq; illuc, ſurſum & deorſum, ἄνω καὶ κάτω; vt multis verbis vltro citroq; habitis (id eſt vtrinque) ille dies nobis conſumptus eſt. Curſare vltro & citro, id eſt ſurſum & deorſum.

Beneficia vltro citroq; lata & accepta, id eſt viciſſim. Cic. ὁδῷ παρέργως, illud annoto hic, quod de quantitate primæ in citro dubitatur. Nam apud Buchananum, quem imitatur Ioh. Pincierus lib. 2. hæc ſunt.

Impetus & tardo flexu qua citima fulgent
Sidera.

Et

Sed quo citerior quiſq; eſt, minus impetus ille, &c. At, H. Smetius hæc contra annotauit. Phaleuc. Sidonii, Vincens aſpiciet citraque carnis.

Fulgent. Qua citrinus limes diſpeſcit turbida puris.

VMBRA.

Vmbra 1. Opticis eſt affectus aeris luce priuati terræ opacæ obiectu contingens, definitore Scaligero. Vnde vmbracula in comœdiis pro caſis & locis actorum excitatis, quæ Græci vocant ſcenas, accipit Scaliger, cum dicit: Nulla ſub ſole, nulla ſuper ipſum vmbra eſt, ille ipſe ſcilicet in medio lucis ſuæ agitat. l. 6. Poet. p. 800.

2. Vmbræ ſunt ſimulacra inferorum, de quibus Virg. Georg. 4.

Erebi de ſedibus imis
Vmbræ ibant tenues, ſimulacraq; luce carẽtum.

3. Per Metaphoram etiam accipitur pro re non ſolida. Sic virtutis vmbrã dicimus, & ſcientiæ vmbram. Etenim

Vmbra quod in ſole eſt, hoc tota Scientia noſtra eſt.

Sed ad vmbram Phyſicam ſeu opticam redeamus. Vmbra hæc nobis eſt lucis imminutio, ſeu impeditio in aere, terræ opacæ obiectu contingens. Definitio

tio hæc est analytica. Nam genus est imminutio, loco formæ. Subiectum est aer: terræ opacæ obiectu est causa propria. Vmbra igitur est aeris affectus luce quodammodo priuati. Non ergo Analyticus Doctor eos audit, qui dicunt vmbram esse aerem luce carentem; Subiectum enim non est Genus. Vmbra igitur non est σωματικόν τι. Itaq; prehendi nequit. Nil nisi corpus potest prehendi. Vmbræ non sunt corpora: non ergo possunt prehendi. Recte igitur Poeta: Prensantem necquicquam vmbras.

Ex Definitione efflorescit quęstio, an aliqua sit sub Sole vmbra? Vulgus ita loquitur. Sed Philosophus ait nullam esse sub sole, nec supra ipsum, sed ipsum in medio lucis suæ agitare. Vide Scal. l. 6. Poet. pag. 800.

Vmbrarum adiunctum commune est nigror. Sed quid ita? cum vmbra sit πάθος aeris non omnino luce priuati. Respondemus, omnia, à quibus nullum prorsus lumen fertur ad oculos, nigra nobis apparent, Ramus in opticis. Ab vmbris nullum prorsus apparet lumen. Ergo vmbræ sunt prorsus nigræ.

Adiunctum proprium est proiici in oppositam partem, vt qui habitant citra tropicum 69. meridiem versus, iis vmbræ cadunt in partem oppositam versus ἄρκτον. Huc spectant versus pulcherrimi:

In sphæra semper noctes æquante diebus
Quando suos Sol læuus equos deduxit in austrum,
Dextrorsum vmbra cadens boreis spatiatur in hortis,
At dexter geminas pendentia sidera in vrsas,
Cum terra australis tegit vmbra sinistra colonos.

Vmbræ aut sunt maximæ, aut mediæ, aut minimæ.

Maximæ sunt horis diei vel nocti proximis.

Mediæ sunt, quæ post ortum ante meridiem & post meridiem ante occasum sparguntur.

Minimæ seu breuissimæ sunt in meridie.

De vmbris quæ existunt aduentante nocte versus est Virgilii:

Et Sol discedens crescentes duplicat vmbras.

Quo pertinet illud:

Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ.

Crescere quidem commune est vmbris, quæ iaciuntur horis diei siue nocti proximis. Sed rursum discrimen est in iis, horis enim proximis meridiei crescunt lentius, horis vero nocti proximis ita festinãter, vt exiguo tẽporis spatio videantur duplicari. De vmbris arctissime constrictis est versus Ouidii:

Fecerat exiguas dum Sol altissimus vmbras,

Idest, erat meridies: Et Buchanani loquẽtis de Sole in meridie constituto:

Cum medius rerũ minimas Sol efficit vmbras.

Vmbra die medio quibusdam oppidis nulla iaci dicitur. Itaq; talia loca dicuntur ἄσκια, sed verius fortassis, illis locis Sol quotannis in ipso vertice versans iacit vmbram in meridie perpendicularem, id est, de corpore opaco recta deorsum missam. Cum itaq; dicitur in Syene oppido, sub tropico 69. sito solstitii die medio nullam vmbram iaci, intelliges vmbram perpendicularem iaci. Nam si corpus opacum parte sui superiore habet πλάτος, vt arbor ramosa, sub arbore illa erit vmbra aliqua.

Errant qui Solem & Lunam tantũ parere vmbras volunt. Interdum enim cernũtur radii Iouis, Veneris & Sirii in conclauis pauimento refulgere, & si infigatur gnomõ aut digit⁹, in inferiori parte vmbram gignere obseruantur, quãdo per patentes fenestras illabuntur.

Vmbram esse hostem segetum, vt Virgilius Eclog. 6.

——*Nocent & frugibus vmbræ.*

Non est κατὰ παντός. Disiunctiua enim Plinii l. 17. c. 12. certa est, quibusq; satis vmbra aut nutrix, aut nouerca est.

Ex vmbrarum consideratione inuenta sunt multa præclara, inter quæ hæc quæ sequuntur, vltimum non habent locum.

1. *Quæstio est, cur Luna deficiens modo appareat nigra, modo subfusca, modo plus, modo minus habeat lucis.* Hic ratio ex vmbræ & radiorum diuersitate reddenda est. Primo ergo vmbra est profundior, vel minus profunda: Secundo Radius est Primus, vel Secundus. Primus est species & imago lucis, itaque fortior. Secundus est species illius speciei, itaque debilior, In primis Radiis corpus est illustre in secundis sublustre. His positis. Luna in vmbra terræ constituta est in, secundis radiis Solis, non in primis, teste Scaligero, & Alexandro Picollhomineo in Sphær. Luna in primis radiis Solis est illustris, in secundis sublustris. Nigrescit Luna deficiens cum à primis Solis radiis longissime abest: Nigerrima apparet, cum in perigeo orbis sui in vmbram terræ profundissime incurrit; subfusca fit, cum paulo post & propior radiis Solis. Fusca apparet, cum in medio spatio vmbram minus profunde ingreditur: fit & apparet subrufa, quando vmbram tenuissimam in apogeo percurrit.

2. *Terræ situs in medio mundi probatur ex ratione vmbrarum.* Vmbræ igitur sunt æquinoctiales, vel solstitiales. Æquinoctiales, quæ æquinoctialia puncta Sole tenente, excipiuntur. Solstitialia, quæ excipiuntur diebus Solstitialibus. Iam manifestum est primum vmbras æquinoctiales & matutinas & vespertinas ὅτι μίαν εὐθεῖαν congruere, hoc est, vmbram Solis Orientis in die Æquinoctiali congruere secundum rectissimam seu breuissimam lineam cum vmbra Solis Occidentis eodem die. Secundo experiundo didicimus, vmbras Solstitiales, matutinas & vespertinas congruere, id est, omnibus terræ locis, siue rectæ sint, siue obliquæ sphæræ, vmbram Solis Orientis die Solstitiali congruere secundum rectissimam seu breuissimam lineam cum vmbra Solis Occidentis die brumali, vmbram Solis Orientis die brumali constituere omnino rectam lineam cum vmbra Solis Occidentis die Solstitiali. Hæc profecto non possunt fieri, si terra è medio mundo exempta alterutri polorum vicinior poneretur. Iohann. Andreę, F. Tausanus Danus in positionibus suis Miscell.

V N D E.

Vnde significat nonnunquam Terminum à quo, vt rediit, vnde venit. *Vnde* τ πόθεν.

Interdum efficientem, vt Superum est, vnde est motus. Supra est, vnde incipit accrementum, quod videlicet ore vel radice excipitur & præparatur. 2. de Cœl. c. 2. Aristot. Vnde ortus est Mundus, id est, à quo effectore. *Vnde Ca sale.*

Interdum Materiam: Vnde extitit Mundus? id est, ex qua materia.

Valde improprie accipitur VNDE à Scoto l. 2. dist. 37. pro Quá, vt quæritur: Sitne bonum causa per accidens mali? Hoc intelligi potest dupliciter, nempe quod accidentale vel ex parte causæ, vt cum dicitur: Polycletus esse causa statuæ per accidens, 2. Physic. & 5. Philosoph. prim. Ex parte effectus, vt quod casus & fortuna in Physicis dicuntur esse causa per accidens, vbi non est aliquid accidentaliter coniunctum causæ per se, quod vocetur causa per accidens, sed effectui per se, quod effectus per accidens eiusdem causæ, cuius effectus per se est, intentus dicitur. Primo modo dicitur voluntas non quidem vnde voluntas, (id est, qua voluntas) sed vnde defectibilis (id est, qua defectibilis) esse peccati causa.

Linconiensis in Scholiis in Mysticam Dionysii

Dionysij : Corpus vnde corpus est quantum, id est, quatenus est corpus.

Vnde (ὅθεν,) interdum latissime accipitur ab Aristotel. vt complectatur Post quod, A quo, Ex quo, Per quod, & propter quod, vt cum dicit Aristotel. 5. Metaphys. c. 1. Prrncipium est primum id, vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.

Hic Vnde significat & terminum à quo, & causam agentem, & materiam, & formam, & finem seu finale principium.

VNGVIS.

1. Vngues Græce ὄνυχες, in digitis manuum ac pedum sunt duriores & quasi cornei è superfluitatibus neruorum facti ad fortius apprehendendum, ad radendum, vellicandum, scalpendum, & vsus alios.
Extremæ partes eorum, quæ resecantur Reduuiæ dicuntur: (Alias Præsegmina :) quanquam hoc etiam Morbi nomen est. Inferior semicirculus lacteus in vngue dicitur ἠὼς, id est, aurora.
2. Vnguis seu Vngula oculi est affectus oculi. 1. Cum albicans membranula & duriuscula ex angulo oculi & coniunctiua tunica enascitur, & pupillam sensim obtegit. 2. Fit etiam cum post suppurationem aliquam non effluxit omne pus extra oculum, sed intus adhuc continetur, atq; efficit quoddam simile vngui condito.
3. Vnguis est gemma candida, gemma vnguis humani, Græc. ὄνυξ.
4. Est pars inferior folij rosæ. Plin.
5. Palmes primum enatus, ein Rebenschößlein.
6. Instrumentum vindemiatorum acutum, ne distringant vuas. Columella.

Ad vnguem pro exquisitione seu ἀκριβείᾳ vsurpatur. Et: *velut vnguis in vlcere regnat*; Et, vnguem in vlcere existere (id est, dolorem mouere molestissimum, einen ein Schweren grüblē / ein vnreiffen Schweren auffstechen.) Prouerbialia sunt. Vide Fabri Thesaur. Et Chil. Erasmi.

VNIO.

Vnio seu συνδυασμὸς realis non infert necessario communitatem realem in vnitis. Anima intelligens corpori humano vnita est. Itaque est in corpore anima intelligens, seu, Anima & intellectus, vnione, quæ hominem facit intelligentem. Non autem *reali communione*, quæ corpus pariter & hominem faciat intelligentem. Nulla enim pars corporis intelligit. Caro Christi habet Deitatem omnipotentem, seu Deitatem & Omnipotentiam, seu, particeps est facta omnipotentiæ *Vnione Hypostatica*, quæ hominem facit Deum & Omnipotentem. Itaq; nec habet in semet ipsa vt in Subiecto (Non enim Deitatis etiam Naturam habet in se tanquam partem suæ substantiæ) sed *In Persona* τοῦ λόγου, in cuius vnitatem vere & realiter assumpta est. Non autē *reali* κοινωνίᾳ, quæ carnem pariter & λόγον faciat Deum & omnipotentem.

Proprie igitur Persona τοῦ λόγου, seu Filius Hominis est omnipotens *Proprietate Diuinæ suæ Naturæ.*

Hominis enim Filius habet in Substantia Personæ vt Naturam Diuinam, sic Proprietates omnes Diuinæ Naturæ.

- Communis
  - Naturalis
    - *Essentialis*; Materię & Formæ, Animæ & corporis, quatenus ex iis constat natura Humana.
    - *Personalis* (καθ' ὑπόστασιν) animæ & corporis, quatenus ex vtroq; constat vnus Homo.
    - *Carnalis, Socialis*, vt: Viri & Vxoris. Et κατὰ παράστασιν, id est, per assistentiam, vel χάριν aut χάριν, id est, gratiam aut affectum: qualis est spiritualis (qui adhæret Deo: Vnus Spiritus fit cum eo) aut ἀξίαν & ὁμοτιμίαν, id est, dignitatem & eundem honorem.
  - Vnio plurium rerũ Coniunctio (ἕνωσις)
    - Artificialis, vt aquę & vini mixtio
      - Consperssio (φυρμὸς) cum ex farina & aqua fit tertium, Panis.
      - Confusio (σύγχυσις) cum ex contusis cinamomo, gingibere & pipere fit tertium, genus aromatum.
      - Commixtio, cum ex aqua & melle fit mulsum (σύγκρασις.)
    - Singularis
      - Essentialis in Triade Mystica, vbi tres Personæ propter vnitatem essentiæ, qua sunt vnitæ, sunt tantum vnus Deus.
      - Personalis in Christo τῷ λόγῳ, & carnis assumptæ.

Consperssio] Ex humidis & siccis mixtio.
Confusio] Ex solis siccis.
Commixtio] Ex solis humidis mixtio.

Ad Vnionem per Assistentiam Pontificij nonnulli referunt coniunctionem seu connexionem specierum sacramentaliũ & corporis & sanguinis Christi. Altisiod. l. 4. tract. 5. c. 4. Species tantũ assistunt corpori, & velant ipsum.

Suaretzio quodammodo comparantur species ad corpus & sanguinẽ, sicut amictus ad rem vestitã, vt quemadmodũ dicimus tangere hominẽ tangẽdo eius vestẽ, ita quodammodo dicamur tangere Christum tangendo species.

Alia distinctio Vnionis.

Vnio seu connexio aut est propria: realis, formalis (vt accidentalis quędam) perfecta, interna. Aut est impropria, κατηχὴ, accidentalis quædam (nõ omnis) imperfecta, externa, vt localis continẽtia, seu vnio per modũ continentiæ & præsentię, vel saltẽ per effectionem, quæ dicitur vnio effectiua, qualis est inter baculum & manũ, inter angelũ & corpus assumptum, inter corpus & sanguinẽ in animali ἐναίμῳ nõ intercedit realis vnio, sed tantũ localis continentia, quia sanguis est in corpore tanquã in vase: Præterea naturalis dependentia mutua est inter viuũ corpus & sanguinẽ, cuius ratione postulant, vt sint inter se connexa & commista, quia neq; corpus incolume manere seu naturali suo statu potest conseruari sine sanguine, neque sanguis extra corpus conseruari incorruptus, vnde mutuo se fouent.

In Philosophia necessaria est distinctio inter Vnionẽ & Vnitatẽ: Hæc ex illa resultat. Materiæ & formæ est ἕνωσις, Hinc est compositi (quod est ἐξ ἀμφοῖν ἀποτέλεσμα ἑνώτης.) Vnde vnũ essentiale ab vtroque principio dicitur.

Sic

Sic τῦλόγυ & Humanæ naturæ vnio est in Christo: sed personæ vnitas est: Vnde vnum personale dicitur ab hypostasi, vt Termino ad Quem.

1. Vnio seu Coniunctio aut est substantiarum, aut substantiæ cum accidentibus, vel accidentis cum accidente.
2. Substantiarum est realis, vel rationalis.
3. Realis est ordinaria vel extraordinaria.
4. Ordinaria est corporalis vel spiritualis.
5. Corporalis est Physica, vel Artificialis.
6. Physica simpliciter talis, vel quodammodo.

Proprie & simpliciter talis est essentialis per immeationē, Materiæ & Formę ad constituendū compositū: Corporis & animæ ad constituendū Hominē: Vel est mistio partium, vel vnio carnalis: vel coniunctio Palinuri cum naui.

Mixtio partium siue perfecta, siue imperfecta est vnio mixtilium (Elementorum) ad mixtum corpus componēdum, quorum nullū in mixto corpore retinet propriam formam.

Improprie & quodammodo naturalis est Vnio σαρκικὴ, vt sexus cū sexu: Æneas cum Didone συνουσία: & vnio gubernatoris cum naui est per assistentiam.

Artificialis est per compositionem, vel appositionem, vel per confusionē. Per compositionem, vt cum partes realiter vniuntur ad vnius compositionē, ita vt & quæq; pars manear integra, & possit ab aliis separari, qualis est vnio parietum, tecti & fundamenti ad constituendam domum.

Spiritualis, vt vnio Dei cum Sanctis per assistentiam, vnio Christi cum suis membris; Vnio amantis sponsi cum sponsa amata. Hæc ēt absentiū loco esse pōt.

Extraordinaria est substantialis, vel accidentalis.

Substantialis est Essentialis, vel Hypostatica. Essentialis vnio Patris, Filii & Spiritus sancti. Hypostatica vnio est λόγυ & Carnis vnio in vnam personam inseparabilis.

Accidentalis, vt vnio serpentis & Diaboli: separabilis.

Rationalis, vt σχετικὴ, vt cum partes re ipsa quidē separatę à toto manent, sed ordine tamen quodam & legibus sunt in vnum coniunctæ, vt ex multis hominibus fœdere aliquo & nexu legum iunctis fit vna ciuitas, vna Academia, vna societas, vnus exercitus. Huc pertinet vnio dextræ & fidei vnio Sacramentalis.

Vnio substantiæ cum accidentibus est, vt animæ cum scientia, ferri cum calore ignis, accidentis cum accidente, vt dulcedinis & flauedinis in melle, dulcedinis & albedinis in lacte vel saccharo.

Vnionis Spiritualis & Hypostaticæ tanta vis est, vt quod capitis est, tribuatur membris, vel quod membrorum est, capiti; & quod vnius Naturæ est, tribuatur Toti. Exēpl. 1. Nos dicimur sedere in cœlestibus nō reipsa *in nobis*, sed *in Christo capite*, cui sumus coniuncti.

2. Exempl. Christus sedens ad dextram Dei sui glorioſe regnat in cœlo, pati tamen dicitur in suis membris, in Ecclesia, in Iohanne Baptista, in Apostolis, Saule quid me persequeris? Sic Imperii princeps Cæsar, Rex violari dicitur in legato suo cum violatur. Exempl. 3. Filius Dei est passus nō in sua Deitate, seu non in se ipso, qua Deus, sed in carne. Hic Homo est omnipotens seu omnipræsens, nō realiter in ipsa Humanitate seu secūdum eā, sed in λόγῳ, & secundū λόγον, quicum ὑποστατικῶς coniuncta est Humanitas.

Alia dist.

Vnio est proprie dicta, vel improprie dicta. Proprie dicta, vt Physica συστατικὴ seu Essentialis, quæ fit per Immeationem, vt Materiæ & Formæ ad constituendum compositum, vt corporis & animæ ad constituendum hominē. Et vnio mixtilium (Elementorū) ad corpus componendū, quorum nullum in

mixto corpore retinet propriam formam. Hæc vnio fit per partium mixtionem perfectam vel imperfectam.

Et vnio, quæ fit per compositionem, vt cum partes realiter vniuntur ad vnius compositionem & quasi exædificationem, ita vt quæq; pars maneat integra, & possit ab aliis separari, qualis est vnio parietum, & tecti & fundamenti ad construendam domum. Et μυστηριώδης ὑποστατικὴ, nempe vnio carnis & Verbi diuini in vnam personam inseparabilis.

Improprie dicta est tum duorum in vnũ commixtio & confusio, tum ea, quæ dicitur παραστατικὴ, vt vnio Dei cum sanctis per παράστασιν, id est, assistentiam, vnio serpentis & diaboli, vnio gubernatoris cum naui, cui assistit sine informatione.

Vnio
- Diuina Transcendens naturam.
- Mundana
  - Physica, vt Essentialis.
  - Artificialis, vt per appositionem, vel confusionem.
  - Ciuilis, vt per confœderationem, vel communelegum vinculum.

Vnio est Realis, vel Rationalis, qualis Politica, vt cum partes reipsa quidem separatæ à toto manent, sed ordine tamen quodam & legibus sunt in vnum coniunctæ, vt ex multis hominibus fœdere aliquo & nexu legum iunctis fit vna ciuitas, vna Academia, vna societas, vnus exercitus. Rationali subiacet χρετικὴ (respectiua) qualis est vnio dextræ datæ & fidei hominis veracis; quæ dicitur Symbolica.

Vnio est Corporalis σωματικὴ, vel Spiritalis seu Spiritualis, quæ absentium etiam loco est, & interuentu fit Spiritu, animo.

Vnio
- Ordinaria Substantialis.
- Extraordinaria
  - Essentialis, Patris, Filii & Spiritus Sancti.
  - Hypostatica seu Personalis, Filii Dei & Carnis.

Corporalis, vt carnalis vnio duorum coniugũ. Spiritalis Vulgaris est, vel Peculiaris, Vulgaris, vt amantis sponsi cũ sponsa. Hęc fit per speciem.

Peculiaris & plane arcana: vt Christi capitis cum suis membris.

Alia distinctio.

Vnio Entitatis affecla, vt loquitur Scaliger,
- Realis Vera, vt quæ fit per transmutationem in rebus Physicis.
- Formalis, qua fit vnum formale. Est hoc vnũ fieri conuentu & concilio, vt loquitur Lucretius: nempe id quod sub vna forma vnum propter eam est.
- Per compositionem vel appositionem.
- Per applicationem.
- Per speciẽ in nobis Intellectus est rei, quæ intelligitur per præsentiã intellectionis in intelligentiis, quæ non eget motu locali aut impressione speciei. Itaq; Intelligentiis opus est mutua irradiatione, cum superiores cognoscunt inferiores.

Vnio est vel Substantiæ cum Substantia, vt ferri cum igne, vel Substantiæ cum accidentibus, vt ferri cum calore ignis, vel accidentis cum accidẽte, vt dulcedinis cum flauedine in melle.

Dicitur & vnio per coagulationem, vt cũ coagulo coeunt lactis partes & densantur ignea vi, de sententia Galeni; & cõdensationem, vt cum lateres condensantur, in quibus humor soluitur in ignes, vt in lacte serum exigitur.

Realis]

Realis] Huc pertinet cum quid aliter intus per introreceptionē, κατὰ τὴν ἐισ-

Vnio secundum
- Gratiam.
- Operationem.
- Dignitatem.
- Honoris æqualitatem.
- Relationem, σχετικήν.
- Affectum.
- Virtutem.
- Compositionem, id est, subsistentiam (verbi ad carnem.) resultet. Talis non est coniunctio inter Panē Eucharistiæ, & corpus Domini.

ἐπιδοχὴν, non per appositionem, qua lapides dicuntur augeri.

T

Vnio κατὰ περιχώρησιν, κατ' ἀντεμβολὴν, κατ' ἀντέμβασιν, mutuam vnius naturæ in alterā penetrationem, immeationem & ingressum, qualis in iis rebus fit, quæ mutuo quodam contemperamento coalescunt, vt ex vtroq; sic coeunte tertia quædam natura vel actio ex vtrisq; mista nascatur, velut in humoribus confusis. Vide Danæum contra Chemnitium pag. 133. Ἄλλως.

Vnio est duorum vel plurium coniunctio seu σύζευξις. Ea interdum dicitur communio & coniugatio, vt coniugatio est rerum existentium. Thom. Aquin. artic. 2. Vtrum in Sacramento maneat substantia panis.

Hæc varie distinguitur.

1. In propriam vel perfectam, & impropriam vel imperfectam. Perfecta magis vera est, quæ imperfectionem excludit. Duorum in vnum commixtio & cōfusio improprie vnio est.
2. Aut est formalis seu interna, aut extranea, vt effectiua, id est, nexus seu vnio per effectionem.

Formalis seu interna est, in qua duo extrema componentia ita cōiunguntur, vt proprie & realiter vnum componant (vt cum potentia actui vnitur) quę cōpositio semper requirit in vtroq; vel altero extremio internum & realē modū vnionis essentialiter depēdentem ab altero extremo, cū quo fit compositio, vel à toto cōposito, quatenus ipso destructo non potest ille modus conseruari, sicut è cōuerso posito illo modo vnionis, necesse est vt compositum

Effectiua est, cum duo ita sunt sibi intime præsentia, vt ex operatione vnius in alterum non possint separari, vt ferrum est cōiunctum magneti & propinquitate locali & vnione effectiua, quia magnes effectiue illud trahit & continet, ne à se separetur.

Formalis seu internæ species est Physica *tum essentialis*: vt ex qua resultat vnum Physicū cōpositū (sic dicta, quia duo coniungūtur naturaliter:) *tum accidētalis* ex substantia & accidente: nam quæ tantum est per contactum aut externā habitudinē, vt est inter vestem & rem vestitam, locum & locatum, calamum & manū, valde improprie est vnio: tātum inter hæc est propinquitas & σχέσις quædam.

Cum autem accidens subiecto interno vnitur, dicitur vnio inhærentiæ.

Vnioni internæ subiicitur Hypostatica, id est vnio in subsistētia. Hic etiā vnū est alterius aliquo modo actus, vt ὁ λόγος Carnis: Talē nōnulli olim cōstituerūt inter panē cœnæ & corpus Domini: sed non est horum vnio Hypostatica, sed Sacramentalis per modū ἱερατικῶ ordinis signi diuini & rei signatæ, nō per modū realis cōtinētiæ: hinc viso, tacto, fracto, moto pane (proprie) corpus Domini dicitur videri, tāgi, frangi, moueri (per accidens) quæ quædam communicatio idiomatum est.

Sunt qui prēter dictos vnionis modos faciant etiam vnionē quandā causalem,

qualis est inter causam principem & instrumentum coniunctum : sed ea sub Effectiua comprehendi potest.

Tertio vnio est
- Adæquata, cum vnum respicit aliud, vt adæquatum terminum suæ χέσεως, & vicissim: vel quia aliquo modo habent inter se mutuam dependentiam. Sic corpus organicum adæquate vnitur animæ.
- Non adæquata, sic vnitur anima capiti vel parti capitis, Humanitas verbo, quia licet ab hoc dependeat, non tamen vicissim.

Adæquata interdum etiam dicitur Totalis, vt vnio animæ ad singulas partes, id est, ad hanc vel illam partem non est totalis. Vbicunque enim est Humanitas, ibi est verbum; non tamen vbicunque est verbum, ibi est Humanitas. Vbi est caput, ibi est anima, licet non è conuerso.

Vsus.

Obiect. Vbicunque est Verbum, ibi est Humanita sipsi vnita. Verbum est vbiq;. Ergo Humanitas eius quoq; vbique est.

Respon.

Par huic argumentatio est : Vbicunq; est anima, ibi est manus ei vnita.

Anima est & in capite, & in corde, & in pede, &c. Ergo in capite, &c. est man⁹.

Nego maiorem, & distinguo inter vnionem adæquatam & non adæquatam. Vnio adæquata est, cum vnum respicit alterum vt adæquatum terminum suæ habitudinis, & vicissim, vel quia aliquo modo habent inter se mutuam dependentiam : ita corpus animatum adæquate vnitur animæ.

Vnio non adæquata est, cum anima vnitur capiti vel pedi, Humanitas verbo, quia licet pendeat ab ipso, non tamen vicissim.

Anima igitur licet habeat vnionẽ ad corpus & ad singulas eius partes, tamen quia illa vnio respectu singularũ partium non est totalis, iccirco non vbicunque est anima, ibi est caput vel pes, etsi vbi est pes, ibi sit anima. Ita non vbicunque est verbum, ibi est Humanitas, etsi vbicunque est humanitas, ibi vt verbum sit necesse est. Hæc nihilominus vnio existentiam vnius naturæ in altera requirit.

De VNO commentatio.

Non dubito omni asseueratione confirmare, doctrinam de VNO cum Philosophiæ, tum Theologiæ studioso tam esse vtilem, quam quæ maxime. Itaque de ea θετικῶς disseram.

1. Vnum dicuntur, quæ sunt ἀδιαίρετα (indiuisibilia in multa) Arist. 10. 1. Phil.
2. Vnum est ἁπλῶς, vel κατά τι. Ἁπλῶς (simpliciter) per vnitatem. κατά τι (secundum quid) per vnionem.
3. Vnum per vnitatem est, quod simpliciter seu absolute in plura indiuisibile est, vt res simpliciter simplex, DEVS, in quo non est multitudo aliquorum essentialiter inter se differentium. ac distinctorũ. Neq; enim Persona Diuina à Persona, neq; Attributum Dei internum ab attributo eiusdem interno ἀδιαφόρως differt.
4. Vnum per vnionem est, quod est vnum in, cum vel ex multis vnitis. Seu quod est indiuisibile in aliqua non eodem modo se habentia, vt esse vnum specie vel genere est esse indiuisibile in quæpiã specie vel genere distincta, vt Homo & Bestia, Plato & Aristoteles. Vnũ in quãtitate est esse quantũ indiuisibile in partes deiũctas seu distinctas, vt os dentium συνεχὲς in Pyrrho.
5. In vno ex multis seruantur integræ naturæ, aut immutantur.
6. Cum seruantur naturæ aut fit Tertium,

aut

aut vnum dependet ab altero. (Quod Gabr. Biel. dicit vnum esse de altero.)

7. Prioris exemplum est compositum substantiale. Hoc enim est ex materia & forma manentibus principiis eius συσατικοῖς, internis, vt substantia viuens, Animal. Posterius est vel Naturale, vel singulare.

Naturalis exemplum est, cum inseritur ramusculus Pyri in pomum. Ibi enim etsi fit coalitus, seruatur tamen natura vtriusq;, nec Pyrum fit Pomum, nec vicissim, nec ex ambobus constituitur nouum τὸ δέ τι (noua species) id est, vna arbor tertia, sed manet eadem arbor, habẽs duas οὐσίας seu naturas, pomi nimirum vnam; pyri alteram, re differentes atq; distinctas, in ipsa subsistentes. Hic ἐπικρατοῦν (dominatũ tenens) trahit ad se alterum, non vt sit ipsum, sed vt de ipso dependeat vegetatione, id est, nutrimenti seu succi & vigoris vitæ sumptione.

Singularis prorsusq; Extraordinarii exẽplum est, quod ὁ λόγος attrahit carnem ad vnitarem suæ personæ, vt vna sit hypostasis vtriusq;, ac caro ab illo vt vniente dependeat ac gestetur.

Cum natura est mutata, mutatio facta est in vnitorũ vtroq; vel altero. In vtroque æqualis vel inæqualis. Æqualis, cũ neutrũ prædominatur, vt in vnione aquæ & mellis.

Inæqualis, cum alterum principatũ tenet, altero refracto retusoq;: vt cũ plus argenti vel auri est, quam æris vel cupri. In altero tantum, vt cum modica aqua miscetur multo vino: hic vinum vt superans attrahit aquam ad sui vnitatem & naturam, & aqua quasi absorbetur.

2. Vnum per vnionem est per se, vel per accidens.

Vnum per se est concretum ẽ materia & forma ὑσιῶδες.

Vnum per accidens est vnum per alterius adiunctionem vel ordinem, aut rationem ad alterum.

Aut eorum vnum *accipit ab altero vel Attributa*, itaq; denominationem, vt subiectum, ab accidente inhęrẽte, quod necessario ab illo dependet. Sic paries est & dicitur albus ab albedine, ac albedo visibilis est, & propter eam paries quoque est visibilis. Si cum pomũ aliquis habet coniunctum manui, manus participat pomi odorem, fit & dicitur odorata: *vel denominationem tantum*, vt cũ quis dicitur tunicatus vel ocreatus ab adhærẽte tunica vel ocrea, ei ocreæ vel tunicæ accidẽtia nõ cõueniunt. *Vel neutrum*, vt cũ lapis appositus vel coaptatus est lapidi (durum duro). Huc vnum pertinet, quod per aggregationẽ & collectionem dicitur.

Aut conueniunt in vno tertio, ac hæc dicuntur vnum analogia, vt genus & materia. Sicut enim materia vna diuersis formis informatur: ita vnum genus per differentias contrahitur seu determinatur, quibus cũ cõstituit vnã definitionem. Sic vnum analogia sunt seu multitudine proportionali signa & res signatæ. Propter hanc similitudinẽ nonnunquam nomina rerum tribuuntur signis quasi metaphorice. Gab. Biel. lib. 1. dist. 8. q. 2.

Tertio (hæc diuisio longius & in altiora genera patet) per vnionẽ vnum est *vel ordinarium seu Regulare*; idq; κατὰ φύσιν, cõmune; vel κατὰ τάξιν ἱερατικὴν, id est, ordinẽ (nouũ) Sacri Ministerii: vel *Extraordinarium*.

In ordinato secundum naturam seu ordinẽ naturalẽ alterũ vnitorum alteri præsens est *præsentia vel indistantia*, σωματικῶς, *vel virtutis*: Præsentia illa, vt sint simul contactu proprio Physico seu Mathematico localiter seu in loco adæquato, vt corpus (animatum) & anima. Ferrum (ignitum) & ignis. Panis & caro in eo, quod dicitur artocreas, amphora vini: Hac vero vt simul sint contactu improprio seu Metaphorico & spiritali, vt cœleste lumen à luce profectum, & aer: Habitus in anima,

Obiectum præsens intellectui in esse cognito. Diligens cohæret dilecto affectuose. Gabriel.

& animâ: Intellectus & intellectum: Animus fidelis & creditum: amans & amatum. Hoc est quod Physici aiunt, obiectum γνωστὸν esse in potentia cognoscente per præsentiam cognitionis cum actu cognoscitur, licet ab eo realiter distet, seu κατ' οὐσίαν. Amat quis puellam, ea cordi inest non materialiter seu κατ' οὐσίαν (hanc enim cor affectum præsens facere non potest) sed κατ' εἴδωλον, secundum speciem: Barbari dicunt Intentionaliter.

Huc, si placet, refer Deum & creaturas, quibus ille adest vniuersis & singulis κατὰ παράστασιν (secundum assistẽtiã) cõmunẽ, seu præsentia vniuersali efficaciæ eas sustẽtãdo seu cõseruando & gubernãdo: Scholastici, in eas influẽdo ita tamẽ vt Deꝰ nõ cõmisceat vlli creaturæ suã essentiã, neq; vllius fiat pars, neque ab vlla inquinetur. Vnum hoc magis improprie dictum.

Ordinatũ secundũ ordinẽ diuinitus sancitum in Ecclesia seu eius ministerio est Sacramẽtale in primis, & spirituale. Vtrumq; Mysticũ seu μυστηριῶδες est. Vnum Sacramentale est 1. Elementum & Verbũ, 2. Signũ & res signata, sacramẽti & Sacramentati. Vnio hic relatiua est, nõ συνουσία, id est, consubstãtiatio seu commixtio vel annexio corporea. Panis enim nõ est corpus Christi substãtia, sed relatiue seu respectu ad ipsũ ex ordine institutionis & relatorũ natura: nec adest aut vnitur ei corpus Domini præter adhæsum & annexũ corporalẽ, nec homini per cõtactũ, mansum, pastũ, actũ, effectũ & coalitũ materialem, siue sit cogiteturve Physicus, siue hyperphysicus.

Spirituale vnũ sunt Deus & Ecclésia, corpus Christi & Pii, vi spiritus, Membra corporis Mystici. Hoc παράστασις, id est, assistẽtia seu præsentia Dei specialis facit: qua Deus adest & cõmunicat se Ecclesiæ viuificãdo sanctificandoq; eam: seu qua facit mansionem apud viua membra Ecclesiæ.

2. Qua in manducatione cœlesti ac Spirituali corpus Christi agit secundum promissionem in pios homines virtute spirituali Deitatis & vnius eiusdemq; Spiritus, qui & in ipso Christo est, & quo eidẽ tanquã viti vuæ credẽtes vniuntur, cõmittũtur, coaptãtur & agglutinãtur insitione efficaci & viua, ac cohærent & coalescunt illi cohæsu ac coalitu vero & viuo, vt palmites, vel vt surculi, trahẽtes & haurientes ex eo fide, succũ spiritualis nutricationis, quo aluntur, proficiunt & crescunt in vita spirituali ex Deitate vt κυρίῳ αἰτίῳ ac fonte per corpus tanquã organum seu mediũ & canalẽ, virtute spiritus, applicatione non physica seu materiali, sed spirituali, & ita manẽt in Christo, & ipse in eis. Ioh. 6. Fiunt vere pii vnus cũ Christo spiritus, non vnum corpus cum ipsius corpore, sed veri viuique corporis palmites & surculi, caro de carne eius, & os ex ossib⁹ ipsius, sicut ipse naturaliter est os ex ossibus nostris.)

3. Qua fiunt pii & spirituales homines vnũ inter se corpus mysticũ, & illius corporis inter se membra, cuius Christus caput est. Vnitas igitur & vnio, societas ac κοινωνία hic spiritualis est κατ' ὁμοίωσιν etiã & σύμφυσιν arcanã, ita vt non fiat hic commixtio, (σύμμιξις) seu vt Deus fiat pars mixti.

Vnũ extraordinariũ est præter vel supra ordinem: παρὰ vel ὑπὲρ τάξιν κοινὴν, vt Mõstrũ; Angelus & res inferior, vt Gabriel & corpus assumptũ; Satan & corpus obsessum: Deꝰ & creatura Spiritus S. & colũbæ forma, vel linguæ ignitæ, & κατ' ὑπεροχὴν extraordinariũ, personaliter seu Hypostatice vnum. Homo Deus seu Deus-Homo, θεάνθρωπος (vnum Monadicum, μοναδικόν.)

Vel Distinctius sic.

Præter rerũ ordinẽ: Monstrosum, difforme, cõfusum, σύμμικτον, vt Minotaurꝰ, semiuir, bos & vir semibos, Androgynos.

Supra

Supra rerum cursum & ordinem : Miraculosum (Hic vnio est Dispensatiua) Idq; accidentale seu parastaticum: vbi vnio est Accidentalis & separabilis, vt Angelus & corpus assumptum vel occupatum, Deus & creaturæ alicuius forma: vel Hypostaticum, ὑπὲρ πᾶσαν φύσιν καὶ λόγον: vbi vnio singulariter est personalis & inseparabilis λόγῳ assumente carnem in vnitatem suppositi. Hoc quia non est vnum simpliciter per se, vt Socrates, nec simpliciter vnum per accidens, vt paries dealbatus, vel etiam ferrum ignitum, ideo Schegkio videtur dicẽdum vnum quasi per accidẽs, quod qui impugnent nõ desunt. Alex. de Ales part. 3. q. 2. memb. 4. Cuiusmodi sit hæc Communicatio, qua natura humana cõmunicatur verbo, non est hominis definire, vbi cõmunicari pro vniri accipitur. Hoc tantum scimus, quod intima hic præsentia est & virtutis singularis exsertio Ineffabili gratiæ largitate verbum & caro coniuncta sunt. August. l. 3. de Trinit. c. 19.

Προθήκη.

1. Nullum vnitorum de altero prædicatur voce abstractiua, vt anima non est corpus, dolium vel amphora non est vinum, & vinum non est dolium vel amphora Arist. ἀκροάσ. Phys. l. 4. c. 3.
2. Propter dependentem χέσιν & vnionem singularem concreta naturæ assumptæ, & assumentis verbi de se inuicem prædicantur, vt vere dicantur & sit Deus Homo, & Homo Deus.
3. Propter vnionem & cohæsionem rerum & signorum, quæ relatio est allæosi satis vsitata, nomina signorũ imponuntur ipsis rebus significatis, vt panis cœnæ honoratur nomine corporis Christi propter respectum & ordinem ad ipsum; & vicissim nomina rerum signatarum imponuntur ipsis signis, vt arca fœderis insignitur titulo augusto Iehouæ, quia symbolum erat gratiosæ Dei præsentiæ.
4. Eadem ἀλλοιώσει proprietates etiam nonnunquam signorum tribuuntur seu appropriantur rebus significatis, vt corpus Christi iacet in mensa sacra, ingreditur in os cœnantium. Spiritus S. visibiliter mitti dicitur vi signi alicuius visibilis (quod inuisibilem missionem Spiritus sancti repræsentat) sensibili ostensione, licet in sua natura nullatenus oculo corporali videatur. Gabr. Biel. l. 1. distinct. 16. quæst. vnica, c. 3. Ita corpus Christi ore manducari dicitur in Panis manducabilis (qui ἀπαθὲς nũc corpus Christi repræsentat) sumptione licet in sua natura & essentia ore corporeo non edatur.
5. Eadem ἀλλοιώσει quod proprie est efficientis primarii, tribuitur organo. Sic serpens dicitur decepisse Euam, cum κύριον αἴτιον deceptionis sit Diabolus.
6. De vno per vnionem seu societatem vel συνδυασμὸν aliquando prædicantur partes Improprie. Hæc impropria prædicatio extat apud Athanasiũ nuper à me obseruata, καυτήριον (cauterium, ein Brandeysen) *ignis simul & ferrum est.*

Vnum
- Ex causa per se
  - φύσει, Natura seu ordine Naturæ.
  - θέσει instituto
    - Voluntatis seu βουλήσει Arbitrii.
    - Artis τέχνης.
- Ex causa per accidens, τύχῃ vel casu.

Vel, Vnum
- Ordinatione
  - Naturæ,
  - Voluntatis.
  - Artis.
- Præter ordinem, concursu fortuito.

Vnum
- Per se seu solitarium, vt Deus, corpus Physicum, figura Mathematica, ciuitas, Ecclesia, Poema Musicum, oratio Rhetorica, species & Definitio Logica, Domus, Grex.
- Cum alio
  - Substantia
  - Accidente
    - Altero extremorum, vt Paries & album.
    - Tertio, vt hoc ouum & illud albedine, mel & saccharum dulcedine.
  - Effecto.
  - Subiecto.
  - Adiuncto.

Vnum per se] Cum vnum dicitur vnum ratione quadam.

Cum alio] Cum duo dicuntur vnum.

Vnde intelligitur vnum esse Transcendens, transnaturale, Physicum, Mathematicum, Practicum, Logicum, Poeticum, artificiosum seu musicum, arbitrariũ, fortuitum. Transcendens, quod est ὀντολογίας, Transnaturale, quod est θεολογίας, Physicum, quod est Physices, &c.

Ἄλλως.

Quodcunq; est, vnum est. Quod est, aut est vnum substãtia, vt Homo & equus: Aut Accidente, vt Homo & album. Aut subiecto, vt flauum & dulcor in melle: aut vnitate vel vnione seu nexu partium vel causarum siue aliquarum, siue omnium, vt corpus Physicum, vt figura, mathematica, vnum factum ex multis lateribus, vt corpus politicum, Ciuitas: vel eorum, quæ sunt symbola causarũ, vt species & Definitio Logica. Aut Mistione, vt Posca vel aliud crama. Aut aggregatione seu collectione, vel cõprehẽsione, vt aceruus, popul⁹, vinetũ. Aut Mathematica continuitate, vt ramus, cuius pars etiamnum viuens pars arida est, vnum corpus est eadem quãtitate, non eadem natura, non vnum formaliter, sed materialiter tantum.

Nexu.] Huc pertinet, cum glutinãtes delibutas ferruminatione particulas cõponunt, vt vnum faciant, cum duo asseres fiunt vnum coagmentatione.

Definitio.] Constat enim ex Genere & Differentia.

Species.] Constat enim ex iisdem à definitione designatis.

Populus] Populus rem vnam è multis constãtem notat; Ideo nomen collectiuum vocant: vinetum vnam rẽ multas comprehendentem. Ideo nomen comprehensiuum vocant.

Paulus Iurecons.

Grege legato vna res legata est. Est autem Grex vnum Aggregatione.

Vnũ est idem quod indiuisum l. 5. Meta. cap. 6.

Vnum est vel per se, vel per accidens.

Per se vel simpliciter, vel quodammodo.

Simpliciter, quod habet simpliciter seu absolute vnam essentiã: vel quo dicũtur idẽ esse singulare & τὸ τί εἶναι: vt sunt 1. naturæ vniuocæ. 2. αὐτὸ ἕκαστον (ipsum singulare) & ipsius esse. Expl. Deus αὐτὸ ἕκαστον (ipsum τὸ δέ τι εἶναι, seu ὅπερ αὐτὸ) & ipsius esse sunt idem simplicissime.

Schegkio Substantiæ singulares idẽ sunt ipsæ, & esse ipsarum. Socrates & eius esse idẽ sunt. Cõcretũ enim & esse, id est, definitio concreti sunt idem. Et tamen aliud concretum ipsum, aliud esse ipsius sincerum esse iudicatur.

Quodãmodo seu secundũ quid, vt sunt analoga.

Vnitas per se seu Essentialis, quæ reddit subiectum eiusdẽ essentiæ, est simplex vel mista.

Simplex est Formalis, vel Numeralis.

Formalis rei communis in se ipsa, id est, in Natura sua. (per hanc Homo & Bestia dicuntur vnum in animali.)

Estq;

Estque Generica vel Specifica.

Intellige genus, vt vniuersale cohibere in se inferiora. Et cum genere & differentia vnum εἶδει seu οὐσίᾳ constitui: & vnum genere aut specie definiri μετοχῇ καθόλου prædicatorum essentialium.

Numeralis seu Indiuidualis, hoc est, propria indiuiduorum est indiuisio rei singularis in seipsa, per hanc dicitur idem secum & bestia.

Mixta, præcisiones, Negatio diuisionis in plura eiusdem nominis & rationis coniuncta cum aptitudine ad diuisionem in plura inferiora, seu indiuisio rei communis in sua inferiora. Hæc præcipue est rei vniuersalis, quatenus vniuersalis, sic dicta, quia non cadit in naturam, nisi vt præscinditur & veluti liberatur à suis inferioribus, non admittit actualem communicationem. Itaq; conuenit in statu abstractionis.

Vniuersale est vnum præcise aptum ad essendum in multis. Nam præscindimus intellectu Naturam à contrahentibus differentiis, vnde in ea resultat capacitas essendi in multis.

Vnitas singularis negat omnem sui multiplicationem secundum nomen & rationem.

Vniuersale est diuisum in inferioribus. Fit vnum cum ab illis separatur.

Vnum vere, id est, τῇ οὐσίᾳ ἀδιαίρετον. Sic accipit Schegkius.

Vnum
- Vnum per se tantum, vt Homo.
- Etiam per identitatem, vt tres Personæ sunt Vnum & per se, & per identitatem.

Ad vnum per accidens pertinent vnum subiecto, seu τῷ πάθει & τῷ συμβεβηκότι, τῷ πάθει vnum sunt propria cum subiectis composita, vt homo γελαστικὸς. τῷ συμβεβηκότι, vnum sunt subiecta cum accidentibus concreta, vt hoc album. Etsi autem subiectum & accidens, item duo accidentia & subiectum dicuntur esse aliquid idē subiecto, tamen discrepant τῷ εἶναι, & definitionibus: aliud enim est esse hominis, aliud esse albedinis.

Vnum seu Vnitas propriissime INDIVISIBILITATIS. Sic nullum diuisibile est vnum, sed tantum ἀδιαίρετα, Deus, Angeli.

Proprie Compositionis: Sic Homo est Vnum. Improprie Aggregationis, vt populus.

Vnum ἁπλῶς opponunt non enti ἁπλῶς, Vnum σωθέσει oppositum sibi habet falsum.

Vnum
- Absolute, quod simpliciter ponit remotionem omnis diuisionis: Ens indiuisum. Itaque hoc cum ente conuertitur. Quodque enim tamdiu conseruat suum esse, quamdiu conseruat vnitatem suam. Hic modus maxime proprie tribuitur Deo.
- Relatiue, quod est principium Numeri. Illud multitudini opponitur per modum negationis: Hoc per modum προσθέσεως, adiectionis, quæ est numerus ipse. Numerus autem est multitudo per vnitatem mensurata.

Quæ in natura dicuntur Vnum, alio modo dicuntur multa, vt: Quod totum vnum est, secundum partes in multa diuiditur. Quæ vnum sunt specie, differunt Numero.

Zabar. l. 1. cap. 6. de natur. Logicæ.

Res Vna seu Vnum
- Coniunctione & applicatione. Sic res spiritales inter se vnum & idem fieri solent, vt colligitur ex Aristotel. 3. libr. de anim. vbi dicitur mentem intelligentem fieri rem, quæ intelligitur.
- Accidente, Lac album. Homo & album.
- Subiecto, Album & Dulce in lacte. Sic vnum subiecto momentum est. Vide Crell. in Phys. p. 207.
- Mistione, Posca.
- Cumulo, aceruus, cumulus, turma, populus, grex. Sic grege legato vna res legata est, vt ait Paulus.
- Substantia, vt Homo & Equus.
- Mathematicum, vt quadrantalis figura vnum est ex multis lateribus.
- Metaphysicum seu Dialecticum, vt Definitio, quæ constat ex genere & differentia, & species quæ constat ex iisdem designatis à definitione. Scaliger etiam vocat vnum forma.

Vnum vnitate
- Ipsius rei.
- Significationis, vt multa ordinata ad vnum significandum.
- Continentiæ, sic dicuntur, quæ vnum continent.
- Effectus, sic vnum dicuntur, quæ vnum efficiunt.
- Ordinis & finis, sic vnum dicuntur, quæ ad idem ordinantur tanquam ad finem. Amor vnit naturaliter amantem cum amato per concordiam voluntatum. Omnia præcepta sunt vnum in radice charitatis. Gregor.

Vnum corpus est, cuius partium omnium extrema vnum sunt inter se.

Omne quod est, vnum est, non solum propter continuationem & priuationem puræ contiguitatis, sed propter actum quoque: cuius vi fit, vt illæ partes vnum fiant. Actum voco formam, per quam fit vt partes, quæ natura sua, atq; aptitudine coire poterant ad vnionem, vnum actu sint.

Crama, id est, aqua dilutum vinum non est vnum forma, sed continuatione sola, cuius corporis partes tot sunt simul, quot erant in suis totis prius quam miscerentur, vnaquæque scilicet sub pristina sua forma, vt aqua pars aqua sit, vini vinum.

V N A.

Vna est idem quod simul, vt vna agunt id est, simul.

Intelligitur nunc quoad tempus idem, nunc quoad locum eundē; nunc quoad idem subiectum: nunc quoad coordinationem sine respectu identitatis loci aut temporis, vt cum duo vna aliquid agere dicuntur in diuersis Hessiæ locis diuerso tempore.

Ait quidam, Eucharistiam vocari res visibiles & inuisibiles vna præsentes. Particulam *vna* si de tempore præsentiæ intelligit, verum dicit. Sin de modo & loco præsentiæ, falsum. Constituuntur enim Sacramenta rebus terrenis & cœlestibus, & simul vtraque accipiuntur, simulque præsentes sunt, etiamsi modus acceptionis & p̄sentiæ est diuersissi-

diuersissimus. Res terrenæ, terreno & corporali; cœlestes cœlesti & Spirituali modo accipiuntur, proindeq; sic etiam sunt præsentes terrenæ corpori nostro per συνάφειαν seu contactum corporalem, Cœlestes Fidei & spiritui nostro, siue etiam nobis totis per συνάφειαν seu contactum spiritualem.

Vna cum pane & vino Cœnæ est Caro & sanguis Domini non ratione eiusdem subiecti aut eiusdem loci, ficta enim est Consubstantiatio & coexistentia quorundam Sophistarum: sed ex Relatione diuina Mysticaq; & ordinatione Christi ratione eiusdem temporis in vero symbolorum sanctificatorum vsu. Vid. Claud. Alberium in 6. Top. l. 19.

VNITAS.

Alia est vnitas Indiuidui, alia Speciei vel Generis. Vnitas indiuidui est rei singularis. Vnitas speciei vel generis est rei communis. Illa etiam Vnitas κατ' ἀριθμὸν dicitur. Exempli causa. Si omnibus accipientibus vel vtentibus Sacra Cœna sufficit vnus Panis dicitur adhiberi vnus numero Panis. Hæc vnitas est indiuidui. Nihilominus si propter multitudinem celebrantium Sacram Cœnam plures adhibeantur panes, de vno tamen pane conuiuæ dicuntur participare, intelligendo vnitatem generis. Sic Paulus Corinthiorum vnum panem nominat, intelligens vnum genere, id est, communi significatione & vsu; quotquot enim panes adhibentur ad Cœnæ administrationem, omnes vnum & eundem scopum habẽt, vt nimirum Corpus Domini nobis repræsentent. Mea & tua Fides de Christo est vna, non vnitate indiuidui (sumus enim duo indiuidua) sed genere, quia vterq; credimus salutem esse ex Christo. Ita vnus Baptismus est non numero, sed genere.

Et est alia vnitas, Mystica scil. Sic Ecclesia est vna partim per vnitatem sui capitis, quod est Christus: partim per vnitatem fidei & dilectionis.

Fide enim adhærent Christo singula Ecclesiæ membra; Dilectione vero tum Christo, tum ipsis inter se mutuo.

Vnitas seu conuenientia
- Specifica, quæ pluribus indiuiduis continetur multarum essentiarum singularitate distinctis. Sic Deus non est vnus ratione specifica, quæ plures Deos complectitur.
- Singularis seu indiuidua; Sic Deus est vnus singulari vnitate seu ratione indiuidua, vnitate simplicitatis perfectissimæ (non tres Dii numero distincti.)

Soltum specie, tum numero vnicus est & singularis. Vnitas specifica humanæ naturę constat ex pluribus humanis indiuiduis distinctis, quæ constituunt vnum.

Deus est vnus numero. Negatiue, id est, ratione Vnitatis indiuiduæ numerum vnitatis constituentis. Deus non est vnus numero, id est collectione vnitatum, vt tres homines singulares sunt vnus homo specie.

Vnum quodque eo ipso est vnum, quod est Ens indiuisum.

Vnitas per excellentiam accepta appropriatur Deo, vt cum Platonici dicunt, Angelus non est ipsa vnitas. Non enim est Deus, nec plures sunt Dii. Angelus igitur est numerus (impropria prædicat.) Ergo vna multitudo. Vide Picum Mirand. de Ente.

VNVS.

1. Opponitur Multis. Sic Philosophi.
2. Est exclusiua, pro Solus. Sic Cicero.
3. Est Num. Ordinal. pro Primus. Sic Hebræi.

bræi. Sic Marci 16. dicitur Christus resurrexisse vna sabbatorum, id est, prima die Hebdomadæ, quæ est Dominica, ad diuinum cultum & humanam quietem deputata, vocata ab antiquis, Iustino, Tertulliano, Cypriano, Dies Solis.

Definitio.

Vnus potest esse in potentia plures seu multi. Vnum potest esse in potentia multa. Albus color videtur esse in potentia colores omnes, quia omnes colores recipit. Vid. Scal. ex. 325. s. 9.

VNIFICVM.

Verſori cœlestis Hierarchiæ Dionysii Vnificum est colligens dispersos in vnũ, vnificare est multos in vnum colligere vel coniungere.

Vnum est vnum vel vnitate, id est, simplici vnitate, vel vnificatione. Sic loquitur etiam Hugo: Eius verba sunt in expositione cœlestis Hierarchię: vna illuminatio omnium est, vna est similitudo, & vna forma, in qua vnum sunt omnes ex illa, qui illuminantur ab illa, & vnum cum illa: quoniam illuminata sunt lumina, sicut ipse est lumen. Illi tamen, qui ex ipsa vnum sunt, vnificatione vnum sunt, nõ vnitate, quia vnum sunt ex multis, vnũ sunt in vno. Ipsi enim multi sunt, & propterea vnum sunt, non sunt in eo, quæ sunt: sed quia multi in vno sunt, ex vno multi vnũ sunt, & vnificatione vnum sunt, non vnitate. Ipse vero non vnificatione, sed vnitate vnus est. Quia vnus est ex eo quod est, quod vnum est. Et propterea simplicem dixit vnitatem, quia ex vno vnus est, & idem vnum à quo est ipse est. Idcirco vnitas in vno simplex est: vnificatio vero multiplex in vno, quia illic ex vno vnum, & vnum in vno, hic autem ex multis vnum, quia multi in vno, & multum in vnis.

Ego dicerem, vnum aut est natura, aut compositione. Ea quæ sunt à Deo, nõ sunt vnum cum ipso secundum formam dantem esse, sed sunt vnum sicut exemplar cũ exemplato: Exemplar autem licet sit vnum in Substantia, est tamen plurium exemplar secundum rationes plures.

VNIVERSALE.

Vniuersale seu commune latissima significatione est vnum quid ad multa pertinens. Fonseca.

- Vniuersale seu commune
  - Causalitate; Sic causa vniuersalis respectu
    - Omnium, Deus.
    - Generabilium, Sol.
  - Abstractione; vnde τὸ καθόλου prædicatione
    - Amplius, Genus.
    - Strictius, Species.

Abstractio dicitur respectu materię; Quædam autem sunt abstracta ab ea secundum esse. Ac quamuis quædam ex his sint particularia, quædam singularia, dicuntur nihilominus vniuersalia per Abstractionem à materia secundum esse.

Quædam sunt vniuersalia per abstractionem à materia secundum cogitationẽ tantum. Hoc autem potest fieri tripliciter.

Vno modo vt quippiam intelligibile cõsideratur absque hac, Signatam vocant Scholastici, sensibili materia: Etsi cum materia sensibili in communi, vt cum Homo consideratur, non considerato hoc homine Socrate. Talis abstractio dicitur Physica, quia est scientiæ Naturalis, quæ nõ excludit materiam sensilem cõmunem, quia intelligit hominem cum ossibus, neruis, & omnibus in communi, nec tamen cõside-

siderat cum Platonis vel Socratis carnibus, neruis, ossibus in particulari.

Secúdo modo fit hæc abstractio, vt intellectio cõsiderat quid tantũ cũ materia intelligibili (sine materia sensili, & sine hac materia sensili) Ita potest considerari circulus sine ferro, sine ligno, vt materia, sed non intelligit eum intellectus sine materia intelligibili. Talis abstractio dicitur Mathematica, quia est huius disciplinæ.

Tertio potest aliquis considerare quippiam sine quauis materia, & sensili & intelligibili. Hæc abstractio (non est realis separatio, sicut culter separat carnes ab ossibus, sed) est consideratio seu apprehẽsio vnius, nempe communis, sine altero, seu sine apprehensione cõiunctorum, cum ea intellectus ex phãtasmatibus abstrahit. Ita consideratis abstractis, quia conuenit vt dicantur de multis, sicut sunt in multis, iccirco abstractio, quæ hanc consequitur, est per prædicationem. Ita Homo est abstractum communitate prędicationis, quia prædicarur de Socrate & Platone. (Homo est forma abstracta mente ab indiuiduis, & tamen etiam est concretiuum vocabulum, quia constat Homo corpore & anima rationali; sic Humanitas est forma seu species abstracta τῇ ἐπινοίᾳ ab Humanitate hac seu Humanitate ἐν ἀτόμῳ) Atq; hoc est Vniuersale Logicum, quod est aptum natum de pluribus prædicari. Quidam hoc constituunt triplex. 1. Animal est vniuersale maxime proprium, quod habet actu plura suppositа, vt Homo habet Socratem & Platonem. 2. Quod actu non habet plura suppositа seu singularia, sed successiue, vt Phœnix.

3. Quod non habet plura singularia nec actu, nec successiue, vt Sol & Luna, quę considerari possunt sine conditionib. indiuiduificis, sine Hoc, sine Hic, sine Nunc: & hac ratione dici possunt τὰ καθόλου. Ita sentit Armandus de Bello Visu.

Vniuersali causæ opponitur Particularis, quæ habet virtutem ad certi effectus particularis productionem, vt Socrates non habet virtutem nisi respectu Platonis. Vide Titulũ de Abstractione & Separatione.

Vniuersalia nonnunquam non pro rebus, sed pro Speciebus rerum accipiuntur.

Τὰ καθόλου seu vniuersalia sunt πῶς (non ὅλως ἢ ἁπλῶς) id est quodammodo in anima. Aristot. hoc est, Res vniuersales non sunt in anima, non hærent in intellectu, sed rerum species.

Vniuersale nonnunquam vsurpatur pro Notione connata animalibus. Sic Vniuersalis Species in animali Scaligero est, qua Singularia omnia referuntur. Verba eius sunt Exerc. 307. s. 22. Haud alia ratione pullus miluum metuit, nec metuit ardeam: nisi qui connatam secum habet milui speciem vniuersalem, qua singulares milui omnes referuntur. Hæc species non à sensu deprompta, sed innata est. Eius sedes est (iu bruto animali) summa bruti animæ potestas: quam minus apta ad rem voce vocarunt Existimatiuam, vel Æstimatiuam.

Vniuersalia sunt in
- Causando, principia, communes rerum causæ.
- Essendo, res seu naturæ communes in multis inferioribus existentes.
- Significando & repræsentando, voces & conceptus multa indicantes in singularibus multiplicata.
- Prædicando, quæ enuntiatur de multis. Alii tribus modis contenti vniuersale in essendo & prædicando coniungunt.

Deus dicitur esse Vniuersale in causando: Imo & Sol, sed κατὰ τι.

Vniuersale { Independens, Vniuersalissimum, Deus, omnium rerum causa prima. / Dependens, vt Virtus Cœlestis, Calor Naturalis in animali.

Vtrique opponitur Particulare.

Vniuersale est, quod per se & totum facit, & vim suam exercet in id, quod patitur aut fit, non tamen in vnũ aliquod. Nam virtus cœlestis, calor naturalis in animali suo quodam modo multa faciũt eiusdem generis, & diuersarum specierum. Sic Deus author multorum heterogeneorum, Sol totus facit hominem, & insuper alias animantes: vt Plantas.

Particulare est, quod similiter & totũ facit, quod fit: non tamen & alia diuersarum specierum eiusdem generis. Sic Leo non facit aliud quam Leonem.

Vniuersalia in Essendo esse res per se cohærentes extra singularia: seu naturas communes substantiarum, præsertim specificas existere per se separatas à singularibus, Plato meo quidem iudicio, non sensit, etsi Aristotelis ei hanc sententiam tribuat. Per ideas enim intelligit exemplaria in diuina mente existentia.

Huc pertinet hæc Distinctio.

Vniuersale accipi potest { Materialiter pro re, quæ denominatur Vniuersalis, vt Homo. / Formaliter pro { Aptitudine seu potentia in pluribus essendi. / Relatione ad particularia.

Sic causa accipitur 1. Pro re ipsa, quæ causandi vim habet, vt pro Deo. 2. Pro ratione causandi, pro agendi efficacia, seu pro re actu exercente causalitatem. 3. Pro causandi relatione.

Explicatio fusior è Fonseca.

Vniuersalium triplex est consideratio. Primo modo spectantur τὰ καθόλου, quoad esse rerum, quæ denominantur Vniuersales, vt Substantia, quæ summum genus dicitur, quatenus substantia est, & animal, quod genus est subalternum, quoad ipsum animalis esse. Altero, *quoad relationem* vniuersalis ad Particulare, quæ supponit vnitatem rei, & aptitudinem essendi in multis.

Tertio, quoad ipsam rationem vniuersalitatis, quæ consideratio vniuersalis est, quatenus vniuersale est.

Primo modo vniuersalia dicuntur perpetua, quę per se ipsa nec gignantur, nec intereant.

Secunda ratione Vniuersale & Particulare sunt simul Natura & cognitione, id est, alterum sine altero nec esse, nec intelligi potest. Tertio modo sumpto Vniuersalis nomine quærunt Philosophi, cohæreantne vniuersalia in rerum natura, an vero in mente solum? Quæstio, inquam, hæc non de rebus ipsis, quæ vniuersales dicuntur seu cognominantur, absolute sumptis intelligitur, eæ enim in rerum natura consistunt, non item de iis, quatenus mutuo referuntur relationibus Vniuersalitatis & Particularitatis, cum

non

non excitetur illa quæstio de esse illo rerum vniuersalium, quo simul natura sunt cum suis particularibus, sed de eo, quo illis sunt priores aut posteriores ex huius aut illius sententia. Quidam enim creduntur existimasse, dari res vniuersales ante particularia in rerum natura, ad nullum particulare addictas, vt Hominem communem qui nullus sit ex singulis seu singularibus, sed omnes ex æquo respiciat, separatus à singulis. Alii vero iudicãt, quicquid vniuersale est, qua huiusmodi, posterius esse suis particularibus nec esse aliquid à singularibus seiunctum nisi intellectus operatione, cuius officium est, vt quæ in rebus coniuncta sunt, ipse seiunget. Atq; hoc vniuersale dicunt esse aptum quid, vt in pluribus insit per modum identitatis, & proinde de pluribus dicatur.

Vniuersalia dicta
- Vere, proprie & simpliciter, quæ absolure vnius rationis sunt, vt Vniuoca. Hic vnitas est Nominis, Rei, Rationis.
- Improprie, analogice & κατ' ὁμοιότητα, quæ pure vniuoca non sunt, vel quorum nomina naturam vere vnam non significant quæ quodammodo tantum vnius rationis esse dici possunt.

Analogis deest vera vnitas: etsi apta sint (suo modo) vt in multis insint. Itaque Entia per accidens, vt sunt Respub. & nauis, Fonseca ad analoga refert.

Ad improprie dicta Vniuersalia refer Nomina communia. Ea enim possunt modificate appellari vniuersalia, quod sint signa vniuersalium, id est, eorum, quæ pluribus insunt, & de iis prædicãtur. (quo pacto Cæsaris statua appellatur Cæsar) Nam quia res, inquit Aristoteles lib. 1. Elench. in disputationem afferre non possumus, nominibus pro rebus vt signis vtimur, quemadmodum ii, qui calculis rationes subducũt. Dicuntur igitur Nomina communia nonnunquam vniuersalia ratione prędicationis seu attributionis, quia illa sunt media, quibus hæc de particularibus prædicantur.

Arist. in Categor. Secundæ Substantiæ (quæ sunt καθόλου) significant quale quid, id est, Nomina Secundarũ Substantiarum, per Metonymiam signati pro signo.

Diuina essentia non est res vere vniuersalis, quia deest hic aptitudo, vt sit in multis, in quibus sit multiplicata.

Distinctio alia Scholastica.

Vniuersale secundum
- Rem & rationem
  - In actu.
  - In potentia.
- Rationem tantum.

Explicatio.

Est vniuersale 1. & secundum rem & secundum rationem in actu, quia res illa realiter est in pluribus, non autem tantum vt obiecta est intellectui, vt hæc multa, Iohannes, Petrus &c. sunt actu in rerum natura. 2. & secundum rem & secundum rationem in potentia, vt domus septangula obiecta intellectui est vniuersale

respectu plurium septangularum, quæ non sunt, esse tamen possunt. 3. Vniuersale secundum rationē tantum; qua res illa non inuenitur re ipsa in pluribus, sed tantum obiecta intellectui. Sic Luna obiecta intellectui non est vniuersale respectu plurium, quæ nec sunt, nec aliquando erunt. Idem iudica de Sole.

Alia vocis Distinctio & Explicatio.

Vniuersale { Formaliter: Ipsa Vniuersalitas.
Obiectiue In { Actu, Res vna apta nata esse in pluribus.
Potentia; Res ipsa vna formaliter sine adiunctione aptitudinis ad essendum in pluribus.

Vniuersale in Repræsentando est, quod rem repræsentat, non repræsentatis conditionibus eius iudiuiduantibus.

Vniuersale in Prædicando, quod prædicatur de multis. Quod alias est multis Attribui. Hoc vniuersale esse in actu, vel in potentia, iam ante dictum est.

VNIVERSVM.

Vniuersum seu Vniuersitas, Græce κόσμος, Philosophis est Mundus.

Scholæ Vniuersi sunt Academiæ, quas dicunt *Vniuersitates.*

Vniuersa ætas Physicis est Naturalis vitæ animalis periodus certo tempore circumscriptæ.

Vniuersum interdum Philosophis idem est, quod Vniuersale, vt: Videamus quidnam Vniuersum illud bonum, id est, Vniuersale, generale, commune, quod animo & intelligentia concipitur, & quæramus, an vna aliqua communis idea & species separata esse possit, ad quam omnia bona referantur. Paraphrases 6. cap. 1. Ethic. Aristotel.

VNIVERSE.

Vniuersè idem est quod generaliter, generatim, & sine circumstantiis: vt: quærere vniuersè aliquid, vt: An bellum sit suscipiendum? Opponitur ei, strictius, specialiter, sigillatim, cum circumstantiis: vt: An bellum sit suscipiendum hoc tempore. Item Indefinite.

Vsus.

Quæritur: An *Vniuersè* intelligendum, quod Aristotel. 1. Metaph. c. 1. artificibus tribuit cognitionem causarum? Respon. Non est intelligendum Vniuersè, sed Indefinite, vt verum sit in iis, qui sunt architecti, seu quasi principes in quaque arte, non in χειροτέχναις, quales sunt fabri cæmentarij. Hi enim ex arte quidem operantur, sed nesciunt causas suorum effectorum.

VNIVOCA.

Vniuocæ { Voces seu Nomina, quæ pluribus rebus tribuuntur eadem ratione, vt: Homo, Animal, Socrati & Platoni. } Scholastici vocant Vniuoca Vniuocantia.
Res diuersæ eodem nomine significatæ eadem ratione, vt Socrates & Plato nomine Hominis. Scholastici vocant Vniuoca Vniuocata.

Sic

Sic contra Æquiuoca sunt voces, quæ pluribus rebus tribuuntur diuersa ratione: vt Cancer, Animal. Cancer enim significat & sidus, & piscem, & morbum. Animal dicitur & quod viuit, & cadauer animalis, & quod pictum est. Vel Res diuersæ eodem nomine significatæ diuersa ratione. Scholastici illa vocant Æquiuoca æquiuocantia. Hæc æquiuoca æquiuocata.

Vniuoca Res.

Id est, Vniuoca sunt, quæ & nomen commune habent, & definitionem eiusdem nominis eandem, vt Homo, equus, bos habent & nomen & definitionẽ animalis: Socrates & Plato definitionem Hominis. Vniuocatio est Nominis & definitionis conuenientia.

Æquiuoca res) Id est, æquiuoca sunt ea, quibus nomen aliquod commune est, definitio autem illius nominis diuersa, vt animal, sidus, morbus: His enim commune est nomen cancer, sed definitio nominis cancer non est eadem.

Media inter Vniuoca & Æquiuoca dicũtur Ad Vnum & Ab Vno, cum non prorsus eadem ratione seu non ex æquo, sed vni primo, alteri secundo tribuitur, vt Caro. Dicuntur & aliquãdo, *Fere Vniuoca*. Vide Arist. l. 1. post. Analyt. contex. 100.

VNIVOCA CAVSA.

1. Vniuocum est, quod est eiusdem Essentiæ cum principio suo.
2. Causa Vniuoca producit effectum omnino sibi similem, nisi quid impediat.

Agens Vniuocum est, quod conuenit cũ suis effectibus nomine, & definitione, vt Homo: Æquiuocum contra, vt Sol. Hic enim causa est calidi, cum tamen ipse essentialiter calidus non sit.

Hoc est causa totius speciei, vt Sol omnium hominum: Vnde Vniuersalis dicitur: Illud vero tantùm certi indiuidui, vnde Particularis dicitur.

Vt Sol] Sic Deus non est homogeneus creaturis, & quidem Deus mensura omnium rerum, sed nõ ἀνάλογον, (proportionata) mensuratis; alioqui mensura est homogenea mensurato, vt dicitur 10. prim. Philosoph.

Ex Gabriele Biel.

Vniuocum qua discernitur ab Æquiuoco, vt signũ est vox vni cõceptui subordinata. Æquiuocum vox vna diuersis conceptibus subordinata. 2. Conceptus vnius, vel vno modo significatiuus. Conceptus Vniuocus accipitur interdum vt distinctum quid contra conceptũ propriũ seu singularẽ, & ita conceptus communis pluribus tantum est vniuocus.

Omnis terminus predicabilis de aliquibus, secundum eandem rationem predicatur de illis vniuoce.

Vniuocata sunt res significatæ. Gab. Biel. lib. 1. dist. 2. q. 9. Ὁμώνυμα & anceps significatio sunt vocabula paria.

Canon.

Quod attribuitur termino vt signo, non necesse est attribui Rei vt signato: vt dico esse homonymiam seu ancipitem significationẽ vocabuli Dei: Ergo dico τὸ Deus esse terminũ ambiguũ, sed inde nõ sequitur; me credere in Deũ ambiguũ, seu homonymũ, in Deũ tropicũ, in Deum metaphoricũ. Vniuocũ vt distinguitur à denominatione est, quod de aliquibus prædicatur essentialiter, non importans aliquid extra rationem subiecti, de quo prędicatur.

Vnum per se, cuius partes componentes non sunt in actu, sed in potentia, quia ex iis vnitis resultat aliquid aliud, quod est in actu, (ideoque per se vnum.) In eo, quod est vnum per accidens, quælibet pars est in actu, quia habet esse sibi proprium. Homo albus est vnũ per accidens, in eo aliud est esse albedinis, & aliud esse Hominis.

Vnum accipitur pro eo, quod est aliquid certa distinctaque notione apprehensum. Nemo intelligit, nisi Vnum, id

est aliquid certa notione apprehensum, & ab aliis distinctum: Concipiens in anima Helenam, non omnia simul concipio.

Fere Vniuoca disciplinę dicuntur, quæ conueniunt in vna subiecti natura, etsi scopo dissideant, vt Astrologia scientia, & Astrologia Nautica, quia vtraque versatur quidem in eadem re, sed non vtraq; sciendi gratia: siquidem inferior (Nautica) cum sit ars (operatrix) dirigit eam cognitionem ad aliquem humanum finem seu vsum vitæ.

Zabarella ad Locum Arist. Fere autem vniuocæ sunt harum scientiarũ nonnullæ, pag. 90.

Sumitur hic ab Aristotele Vniuocum pro eo, quod in nomine conuenit. Quamuis enim Vniuoca dicantur illa, quæ & nominis, & definitionis conuenientiam habent: Tamen Aristoteles hic nomen potius respicit, quam rem ac definitionem. Etenim de illis loquitur, quarum vtraque communi vocabulo vocatur Astrologia: Maluit autem Vniuocas vocare, quam æquiuocas, quia hæc nominis conuenientia non est omnino sine conuenientia rei & rationis (id est, definitionis) quod hic significauit Themistius dicens, Vniuocæ sunt hæ scientiæ, quæ nomen idem habent, sed & ratio non valde diuersa est. (Notetur hoc contra ἀπαίδευτον quendam, negantem Aristotelem agnoscere Mediũ inter pure Vniuocum & Æquiuocum.)

Astrologia, quæ Mathematica est, & quæ Nautica est, sunt fere Vniuocæ: Illæ habet cognitionẽ causæ, seu per causas demonstrat: Hæc non.

V T.

Vt ponitur modo Relatiue, vt cum dicitur, Attributa non distinguuntur re, vt dicit Thomas, id est, quod, scil. attributa distingui: Modo determinatiue & specificatiue, & æquipollet huic λέξει, Eo modo Quo, vt si diceretur, attributa hæc non distinguuntur re, eo modo quo dicit Thomas, Picus in Apol. Substantia non est in subiecto, vt accidens dicitur esse in subiecto, id est, quod de accidente dicitur in sensu, vel eo modo, quo accidens in sensu.

VT IN PLVRIBVS.

Quod nos solemus dicere plerunque vel Regulariter, vel semper, fere: Hoc Iohannes Duns consueuit efferre sua quadam phrasi, *Vt in pluribus*, secutus, credo, Græcos, qui dicunt ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Sic etiam Albert. Mag. loquitur: Contingens tribus dicitur Modis, vel vt in Pluribus, in quibus affirmatio magis vera est, quam negatio: vel ex æquo, vt in iis, quæ in nobis consistunt eligentibus hoc vel illud, vt sunt ambulare, non ambulare: disputare, non disputare: vel vt in paucis, in quibus est Fortuna & Casus.

Scotus l. 4. dist. 49. *Repugnat vt in pluribus* mortalitas beatitudini nõ formaliter, sed virtualiter, id est, quia effectus vnius repugnat effectui alterius, & per consequens causa illius effectus. Hic ego pro *vt in pluribus*, dicerem regulariter seu lege communi, qua excluduntur miraculosa. Nam naturaliter repugnat mortalitati beatitudo, ratione repugnantiæ effectuum naturaliter consequentiũ: Repugnantiã alicuius esse dissensionem ab opposito alicuius effectus. Hoc certũ necessariumq; est, *vt in pluribus*, id est, est regulare, est fere vniuersale, seu κατὰ πάντος, perquã frequenter. Græci dicunt ὅπιπαν, μάλιστα ὅπιπαν plus est, quam ὡς ὅπι τὸ πολὺ, ὡς ὅπιπαν est ferme *in vniuersum*, fere ex toto. Scot.

V T LIBET.

Vt libet in Ethicis nota est τοῦ αὐτεξουσίου, seu arbitrij liberi.

In Geometria est idẽ quod ὡς ἔτυχεν, & significat æqualiter, vel inæqualiter, vt, Seca lineã rectã vtlibet, id est, in duo segmenta æqualia, vel inæqualia.

V T E N S.

Vtens pro eo, quod est in vsu positum. Sic Logica Vtens dicitur, quæ est in vsu posita, id est, quæ est applicata rebus,

(Physi-

(Physicis, Mathematicis, Ethicis.) vel restricta ad aliquam scientiam.

Opponitur ei Docens. Sed hoc ὀπὶ καιρῷ, (ex tempore.)

VERITAS.

Veritas
- Magis propria: Actiua, quæ sequitur iudicium intellectus, & est cum intellectus iudicat rem talem esse, qualis vere est, vt si quis iudicat hominem esse animal rationale, operatio vera est, ceu conformitas ipsius iudicii cum ipsa re, Dicitur veritas Actiua.
- Minus propria: Passiua, conformitas rei vt intellectæ cum re existente extra intellectum: obiicitur mihi Homo, & ego concipio seu apprehendo animal rationale, ista mea apprehensio est vera veritate Passiua, quia homo existens ex parte rei, quæ mihi obiicitur, est similis sibi ipsi, vt à me intelligitur: (seu similitudo hominis à me concepti cum homine existente à parte rei dicitur veritas Passiua.)

Contra Falsitas
- Actiua, cum intellectus iudicat rem aliter esse quam sit à parte rei, vt si quis iudicat hominem non esse rationalem, hæc operatio falsa est, & dissimilitudo istius iudicii à re dicitur Falsitas Actiua.
- Passiua, cum res apprehensa est dissimilis sibiipsi existenti à parte rei, vt si obiecto homine ego apprehēdam animal irrationale: Hic hoc quod ego apprehendo, nō est simile illi, quod mihi obiicitur.

Veritas & Falsitas Passiua in prima etiam operatione intellectus reperitur, Quia nostra apprehensio potest esse similis rei, quā apprehendit, & potest esse dissimilis. Imo etiam in sensu (Aristo 3. de anim.) quia etiam sensus apprehendit suum obiectum, & illa apprehensio potest esse similis & dissimilis obiecto. Nec Actiua, quia simplex apprehensio non fert iudicium de re.

In Secunda & Tertia operatione reperitur veritas aut falsitas Actiua. Dicitur Actiua Veritas, quia eā nō patitur Intellectus, sed facit rē esse talē vel talem. Passiua, quia res obiecta speciem sui imprimit internā & sensus in intellectum.

Estq; plana, vel obscura, seu perfecta vel imperfecta. Plana, vt distincta; obscura, vt confusa (vt si rusticus; apprehendat hominem non distinguendo partes, Animal & Rationale.) Apprehensio enim fit interdum per proprios cōceptus, interdum per analogicos.

Veritas
- Incomplexa, seu Passiua conformitas rei cum suis principiis, vt talis sit res, qualis vt sit principia eius requirūt: sic diciemus bonum aurum, quod est tale, quale esse debet secundum naturam suam.
- Cōplexa, cōformitas intellectus, cōponētis vel diuidētis; hæc est affirmātis vel negantis cum rebus cōpositis vel diuisis, hoc est affirmatis vel negatis.

Hæc respicit res vt causam: Ex eo enim, quod res est, aut non est, intellectus dicitur verus aut falsus: Intellectum vt subiectum, cum conformitas intellectus cū re intellectui insit, vel certe ad eius operationes resultet voces tanquā notas & signa indicātes conformitatem intellectus cum re significata.

Veritas complexa in
- Rebus, vt causa, tanquam formali.
- Intellectu, vt in subiecto.
- Vocibus seu oratione, vt signis, quæ significant seu repræsentāt
  - Conceptus immediate & primo.
  - Res extra Intellectum.

Veritas orationis { Determinata. Determinatam veram propositionē esse, est propositionem, cum ea vera, ita esse veram, vt impossibile sit esse falsam: Indeterminata. Similiter Determinat, esse falsam, ita esse falsam, vt non possit esse vera.

Veritas pro λόγῳ, notione, ratione, seu ratione formali, vt alia est veritas corporis ψυχικοῦ, alia πνευματικοῦ.

Veræ sunt res & compositio ac diuisio rerum, vt considerantur extra mentis cōceptum, Natura, obiectiue, per modum obiecti. Veri conceptus mentis cum illa compositione & diuisione congruentes. Conformatiue per modum conformitatis. Oratio vel Scriptura congruens cum veris conceptibus vera est signatiue.

Veritas { Logica. Realis.

Species prædicatur de indiuiduo veritate Logica seu canonice, vt res communis de propria: Homo prædicatur de Catone veritate reali & Physica, seu exemplariter. Vid. dictionem Vox.

Veritas { Metaphysica: Conformitas rei cum mente diuina, & sua natura. Logica, conformitas λόγου (interni & externi) cum re ipsa (extra mentem & linguam posita.) Ethica, Virtus, qua ita loqui studemus, vt sentimus.

De Metaphysica veritate.

1. In prima Philosophia & Theologia κατ' ἐξοχὴν Veritas vni Deo tribuitur. Abbas Vercellens. in Extract. diuin. Nominum Dionys. Cum Deus veritas sit, negatio Dei, seu Deum negare se ipsum, casus est à veritate: Veritas autem existens est; Vnde casus à veritate est casus ab existente. Si ergo Deus existens veritas negat se ipsum, cadit ab existente, quod est manifeste impossibile. Hoc igitur est dicere Deum non posse se negare, quod est dicere, non posse se ipsum cadere ab esse vel à posse, vel à scire. Contra Elimam Magum.

2. Veritas Metaphysica dicitur esse Dei & eorum, quæ ab eo sunt, realis existentia. Hæc fundamentum est scientiæ.

3. Veritas Metaphysica dicitur esse rerum à Deo creatarum, vera existentia seu ὕπαρξις. Tilenus.

Climax & ordo veritatis.

Veritas est IN { 1. Intellectu seu scientia Dei. 2. Rebus actu existentibus seu creatis. 3. Intellectu Angelico & Humano. 4. Verbis siue diuinis, siue humanis. (quæ verba respondent scientiæ quæ est in intellectu.

In rebus.] Quia ex eo quod res est, vel nō est, conceptus verus, vel falsus dicitur.

In intellectu.] Seu animo. Quia dicitur veritas æquatio rei cum intellectu.

In oratione] vt signo. Quia oratio est signum conceptus.

Principium ab ipsa natura conditum.

Nulla veritas est contra rationem.

Itaq; quæ constituta sunt à Catholica Ecclesia inter cardines, super quibus versantur præcepta Religionis Christianę, quos articulos fidei vocāt, breuiter Christianę fidei fundamēta nō esse cōtra rationē dicimus, etsi fateamur ea nō congruere cū ratione distorta & corruptæ.

Veritas pro re, pro *vera Substantia*. In veritate pro realiter. Bernhard. in serm. de festo S. Martini: Apponitur mihi veritas, sed in sacramento, id est, vera substantia carnis sacramētaliter, non realiter. Realiter autem & Sacramentaliter non ita distinguūtur, vt hoc verum

dest-

designet, illud falsum, sed vt vero vtroque manente, veritatis interim diuersa sit ratio.

Opponitur veritas à Patribus Typo.

Opponitur similitudini, pignori, repræsentationi, quatenus repræsentare idē est quod significare signis, figuris, vmbris, imaginibus, notis. Interdum dicitur etiam Res & corpus, vt cum quæritur, an corpus Domini sit in pane Eucharistico secundum veritatem, quod etiam dicitur Realiter & corporaliter. Tertullian. de resurrect. carnis, cap. 20. Non omnia imagines sunt, sed & veritas: non omnia vmbræ, sed & corpora. Nam si omnia figura, quid illud erit, cuius est figura? Ambros. li. 6. de sacr. cap. 1. Forte dices, quomodo vera? quia similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Idem libr. 1. offic. cap. 48. Hic offertur Christus in imagine, in cœlo in veritate.

Veritas igitur interdum ponitur pro Archetypo, in veritate opponitur ficte & specietenus.

VERVM.

Vera
- Res, cum æquatur suæ ideæ, quemadmodum par est, exprimit.
- Ratio seu mens, cum à rerum natura intelligendo non recedit, sed vt est, concipit & æstimat.
- Oratio, cum à mentis intelligentia non discrepat.

Verum seu ἐπιστητὸν θεωρητὸν triplex cōsideratur
- ὃν ἐκ προθέσεως. Hoc Phys. concretum cum materia.
- ὃν ἐξ ἀφαιρέσεως. Hoc Mathemat.
- ὃν ἁπλῶς. Hoc primæ Philos. In hoc genere secretissimum & maxime sincerum Ens DEVS.

Verum opinabile
- Propter incertum accidentium sensum, verum: Hoc nomen habet coniecturæ artificiosæ in artibus, prudentiæ in Politicis.
- Scientiæ specie se venditans, verum dubitabile, quod rationibus instruitur in disputando verisimilibus, sed non proprijs & vernaculis.

Verum
- ἐπιστητὸν, necessarium.
- δοξαστὸν probabile.

Verum
- Per se
  - Verum
    - In vniuersum, ἁπλῶς, absolute, certo.
    - Aliquo modo καθ' ἄλλο ἐν μέρει.
    - Pro re nata ὅπολεν ἔτυχεν: ex hypothesi, indefinite.
- Per accidens.

Veritas
- ὑπόθεσις.
- ἀνυπόθεσις.

Veritas
- Necessaria, καθόλου immutabilis.
- Accidentalis, Mutabilis. Huc pertinet verum. Nunc, id est, temporis causa.

Veritas
- Simplicium.
- Διανοίας seu complexorum.

Hæc est intelligentiæ nostræ & rei intellectæ quædam ταυτότης & ἀμοιρία, vt contra Falsitas est, cum discrepant inter se & res & conceptus rei, vt si cõponuntur non cõponenda, & diuiduntur nõ diuidenda, cũ ipsum dicitur aliud esse, & aliud dicitur ipsum esse, res enim extra intellectũ positæ sunt mensura veritatis & falsitatis, affirmationis & negationis nostrę: veræ & falsæ dicuntur res se ipsis, non autem propter nostram notitiam, non propter nostram affirmationem vel negationem.

Canones.

1. Nostra notitia non est mensura rerum, sed contra res notitiæ.
2. A vero καλῶς ad verum ἁπλῶς non semper valet cõsecutio. Scheg. in org. 135.
3. Contradictio in præteritis & præsentibus verum & falsum certo diuidit, non autem determinate in futuris contingẽtibus quoad nos. ἐν μέρει verum, καθόλου vsurpatum est falsum.

Verum in argumentando triplex
- ἁπλῶς, vt Apodicticum.
- ἔνδοξον. Schegk. 349.
- φαινόμενον, Sophisticum.

Ἀληθὲς
- ἁπλῶς.
- πῶς
  - ἔνδοξον.
  - φαινόμενον.

Verum, pro recto & iusto.

Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est, id est, rectum, verum pretium pro iusto, vera causa pro iusta apud iureconsl. vide Duarenum in com. in titul. 1. de in integ. restit. cap. 4.

V E R E.

Idem quod sese. Ei opponitur in alijs,

Verum
- Anypotheton, quod se ipso verum esse cognoscitur.
- Hypotheton, quod discitur, & cuius ratio quædam est, vt verum esse videatur.

Verum Hypotheton (quod non se ipso, sed per aliud apprehẽdi potest) est tale
- Simpliciter, quod alioqui indemonstrabile.
- Auditoris gratia, quod alias demonstrari potest.

Vere interdum idem est, quod proprie, vt Maria virgo est vere Mater Domini, id est, proprie.

Vere pro Essentialiter. Bertramus. Si corpus Christi est, & hoc dicitur vere, quia corpus Christi est, in veritate corpus Christi est: & si in veritate corpus Christi est, corpus Christi impassibile est. Vere, id est, essentialiter & essentiali prædicatione. Vere apud Picum idem est quod Realiter. Pro Vere interdum vnum, quod vere est ἄπειρον, infinitum, omnium partium expers, fit πεπερασμένον in rebus ipsis. Deus enim infinitus in sese (id ante erat vere) mirabili quadã & augusta ratione, in hac naturæ εὐλαξίᾳ, id est, in ipsis creaturis, quæ aliud sunt ab ipso, se quodammodo finitum & determinatum præbet conspiciendũ. In Platonis Parmen.

vsurpant Scholastici & Patres veraciter, cum proprie veraciter Ethicæ virtutis veracitatis, coniugatum sit.

Vere pro eximie, solide, spiritualiter. Extra Christum non est vera sapientia, id est, diuina, solida, salutaris. Philosophia non est vera sapientia, id est, eximia illa & spiritualis (quæ Euãgelica est) sapiẽtia, quæ est potentia Dei ad salutem.

Vere pro efficaciter seu τῇ ἐνεργείᾳ,

Vere viuifica est Christi caro cæsa, sed esa,

Inferros

Insertos vivo nos tibi Christe tegis:
id est,& nobis viuifica est actu secũdo.
Vere seu proprie causæ opponuntur & conditionib.sine quibus non,& causis per accidens ,& signis causarum. Vera causa est, quæ sua quadã vi facit,quod facit. Cõditiones sine quibus nõ sunt, sine quorum præsentia non sequitur effectus: vt sunt principũ & Rerump. signa pro euehẽdis & importãdis mercibus. Per accidens seu ex euentu causa est, quæ aliena vi facit. Signum causæ est, quod significat causam non coniũctam ipsi causalitate aliqua. Gabriel Biel putat esse probabile sẽtire omnes causas naturales esse conditiones sine quibus non, quæ & ἀνύρως causæ sine quibus non dicuntur,id est,agere tantum ex Dei volũtate, velut signa quædã,vel potius Deum pro sola sua voluntate huc se alligante quasi per ipsas agere, per se prorsus inefficaces , aut nihil proprie seu vere faciẽtes. Sed hęc opinio vt merum nugamentum merito reprehensa est. Non enim creaturæ sunt tantum signa voluntatis diuinæ, sed vim etiã agendi habent,quanquã à Deo acceptam: vt si quid princeps agit per suum legatum vel præfectum , nõ ita agit vt prefectus nihil faciat,quemadmodum fit cum per vexillum in bello aliquid facit. Vid. Augustini libel.de spiritu & litera , in quo inuenies c. 34. hãc sententiã, cõsentire vocationi,vel dissentire ab ea,proprie volũtatis esse.
Quantitas non est numeranda in formis proprie agentibus, sed conditio tantũ necessaria, sine qua nihil vt quantum agere potest. Vt enim aliquid maiorẽ efficiat quantitatem,quantũ sit necesse est. Si quantum non esset, maiorem quantitatem efficere non posset. Vid. Fortunat. Crel. in 3. Phys. Arist.

Verum compacte.
Interpres Dionysii habet compacte & incompacte verum. Tam Barbarum est hoc, quam insolens; quis hoc intelligat? Iure igitur hic dixeris: ὁ μανθάνω. Compacte verum est, quod sic est verum,vt significant verba. Incompacte contra. Affirmationes in diuinis sunt incompacte verę. Negationes compacte,inquit ille; Tu dices pro cõpacte, simpliciter: Pro Incompacte, ratione sensus seu ἐπινοίας. Vide Albert. in l. de cœlest. Hierarch. Sed ἐάσωμεν ταῦτα (missa hæc faciamus.)

VERO.

In initio sententiæ pessime vero audies. Scalig.ex. 101.s.3. Vnum sane vero erit Olbida. Nec vero Cic. Sane vero actu est intus forma Scal. ex. 6.s.10. Anima in toto animali est,non autem in corde tantum Scal.ex.6.s.10. Barbare non vero in corde tantum.
Pessime audies apud philosophiæ tyrones,qui dixeris vini formã esse vbique, materiam vero non: Barbare non vero materiam.
Quædam metalla liquescunt, vt aurum, quædã v. non, sed mollescunt tantum Scal.ex.101.s.3. Quod vero non etiam aquæ forma,non autem vini forma in tua illa sit crasi,&c. exc.101.sect.3.

VERSVS.

Versus accipitur generaliter & specialiter. Γενικῶς pro compositione tot vocum, quot in charta vna recta linea capere potest.
Speciatim (ein ziel) vel pro breui sententia vt responsionem totam conficiam vno versu vel vno versiculo. Dicitur autem versus metaphora sumpta ab agricolis, quod vt illic sulco per longitudinem vel latitudinem agri ducto versus fit, subinde alius atq; alius suspenso versoq; aratro: Ita hic, id est,in scribendo, absoluta linea versio quædã fiat seu τροπὴ & reditus ad illud caput,à quo characteres exarare cœperamus.

VERTIBILIA vtrolibet.

Vertibilia vtrolibet, Vitus Amerb. vo- *Contingentia.*

cat ἐνδεχόμενα, id est quæ aliter possunt euenire, quorum aliud est ποιητὸν, id est, quod sub effectionem venit, aliud πρακτὸν, id est, quod sub actionem venit. Arist. l. 6. Ethic. Nicom. καλὰ πόλα enim hæc interpretari non placet.

VESTIGIVM.

Vestigium accipitur proprie & improprie. Proprie est signum pedis. Metaphorice aliqua similitudo est impressa in aliud.

Est autem vox relata, quia vestigium est similitudo, vestigiatio.

Differt ab imagine.

1. Vestigium enim est impressio, relicta ex transitu alicuius super aliquid ipsum imperfecte repræsentans, hoc est, confuse & sub ratione speciei. Exempli causa. Per vestigium distinguitur equus à boue, & cognoscitur trãseuntem equum non esse bouem, non autem distinguitur hic equus vt Bucephalus ab illo: Sed imago distinguit sub ratione singularis, quia imago Iouis non repræsentat Cæsarem. Quia igitur vestigium & imago habent distinctas rationes repræsentandi, non conueniunt eidem.

Secundo vestigium est repræsentatiuum partis: at imago est repræsentatiuum totius. Exempli causa, si totum corpus esset impressum pulueri, vt pes impressus est, quod inde relinquitur, esset imago totius: Sed ad imaginem præterea requiritur similitudo imitationis. Nam etiam si oua duo sint simillima, tamen vnum non est alterius imago, quia non est aptum natum illud imitari teste Augustin. Ad imaginem igitur duo requirũtur, teste Scoto, (Conformitas expressiua & imitatio, id est, imaginis est imitari πρωτότυπον, id est, id cuius est imago, & exprimere idipsum.

Repræsentatio fit per rationem similitudinis, vel per rationem proportionalitatis.

Per rationem similitudinis, vt cum filius dicitur repræsentare patrem.

Per rationem proportionalitatis, vt cum potentia Angeli dicitur repræsentare potentiam Dei, sicut ait Scotus lib. 1. dist. 3. *Limitationem producti repræsentare potentiam illimitatam producentis*: Et mensuram seu modum repræsentare aliquid sub ratione analogiæ. Proportionaliter autem repræsentare dicitur, cum ratio repræsentantis non est formaliter in repræsentato, (v.gr. in Deo) sed aliquid illi rationi proportionale.

Vsus.

Quæritur, an creatura repręsentet Deum sub ratione similitudinis seu vestigij? Resp. Affirmate in creaturis est vnitas, species, ordo: Hæc tria repræsentant sub ratione similitudinis, tria quę ipsis respõdent in Deo. Vnitas, vt quæ est in natura corporum respicit summam vnitatem primi principij, à quo est. Species, vt qualitates corporum & virtutes animæ, summam pulcritudinem. Ordo & operatio in creatura repræsentat operationem perfectissimam in Deo. In creatura sunt vnum, verum, bonum. Hæc tanquam similia in diuinis aliqua appropriata Personis. Vnum in creatura repræsentat vnitatem appropriatam PATRI. Verum veritatem appropriatam Filio: Bonum Bonitatem Spiritui Sancto. Rationem vestigij creaturæ ad Deum tres respectus integrare videntur.

Perfectiones subiectiua creatæ repræsentant absolutas Dei perfectiones personis appropriatas.

Creatura refertur ad Deum relatione fundata in vno, id est relatione similitudinis: ita Deus est causa exemplaris, creatura eius effectum, vt imago. Secundo refertur ad Deum relatione fundata in potentia: Ita Deus est producens causa: Creatura productum. Tertio refertur ad Deum relatione mensurati ad mensuram: ita ordinata est ad Deum sicut ad causam finalem. In his igitur consistit ratio vestigij in creatura.

ereatura. Ratio ẽnim vestigij non est in respectu præcise seu solo, sed in aliquo absoluto, in quo fundatur similitudinis ratio. Vid. Scot. lib. 1. dist. 3.

V T.

Solœcum est τῷ vt præcedente adeo, in tantum, vel simili particula intendendi aduerbiali vel nominali, subiungere indicatiuum vel infinitiuum, quem vocant modum. Itaque obseruanda non imitanda sunt, quæ sunt in iure Iustinianeo.

Instit. lib. 2. Titul. 16. de pupillari Substitut.

Pupillare testamentum pars & sequela est paterni testamenti: adeo vt si patris testamentum non valeat, nec filij valebit, (pro valiturũ sit, vel valere possit: Græcus diceret ὅπως vel ὡς τ.)

Lib. 1. de excusatione Tutor. tit. 25.

Qui tutelam alicuius gessit inuitus tutor eius fieri non compellitur: in tantum, vt licet paterfamilias, qui testamento tutorem dedit, adiecerit, se eundem curatorem dare: tamen inuitum curam suscipere, non cogendum, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, (pro rescripserint.)

Excusari hæc possunt per Atticismum: Attici enim ὡς τ & ὅπως cum indicatiuo construunt. Eiusmodi est quod vt causali subiungitur infinitum verbum in leg. 6. ad legem Falcidiam. In lege Falcidia hoc esse seruandum Iulianus ait, vt si duo rei promittendi fuerint vel duo rei stipulandi, siquidem soli sunt, in ea re diuidi inter eos debere obligationem (pro debeat obligatio.) Solœcophanes hoc excusetur per Græcismum ὡς διαιρεῖσθαι, vt hoc Horatij: Non Babylonios tentaris numeros, vt melius quicquid erit pati (ὡς φέρειν, id est vt melius patiaris quicquid erit) vel si forte hoc tibi placeat, expungatur Vt, & constructio omnino constabit. Genuinũ his illud Vlpiani: Hodieq; obtinuit, in vt differenter Quæstores creari (pro Vt indifferenter creentur') l. vnic. de offic. quæst. Tmesis seu διακοπὴ hic & Hellenismus est, vel Vt tollendum est, vt redundans. Vide 1. parerg. Gentilis.

V I A.

1. Via ὁδὸς, pro Methodo seu λόγῳ seu ratione argumentandi & disputandi; pro processu illatiuo vnius ex alio, cum probatur aliquid Syllogismo vel Inductione.
2. Pro ordine comparandi cognitionem disciplinamue, vel docendi distincte.
3. Pro arte.

Explicatio primæ significat. ex Ethicis Aristotelis.

Aristoteles voce λόγων & ὁδοῦ vtitur 1. Ethi. cap. 4. Duo sunt distincta λόγων seu Disputationum genera, vnum quod à principijs progreditur ad ea, quæ hinc deducuntur: Alterum, quod conuerso itinere ab his ad principia retrocedit. Itaq; Plato de hoc quærere & dubitare solebat, vltra via incederetur, Eane, quæ à principijs esset, an altera, quę ad principia duceret? Quemadmodum & in stadio, cum spatia decurruntur, duplex cursus esse potest. Aut enim ab eo loco, vbi magistri certaminis præsident (ἀφ' ἑστηκότος) initium cursus fit, & quo terminus positus est, decurritur: Vel contrario modo à calce ad carceres, id est, à termino, ad magistros cursus fit.

Hæc duplex differendi via inde est, quod in omni doctrina initium capitur ab ijs rebus, quæ notæ sunt. Nam aut nobis aliquid notum est, aut simpliciter & per se seu natura notum. Atque secundum hæc doctrinæ etiam omnis hæc ratio duplex est, vt vel de causis,

vel de ijs quorum sunt causæ deducatur. Aut enim de cognitis per se, quid effici possit, & sequi soleat, demonstratur; aut quod effectum est, sumitur, & de hoc causa effectionis consideratur via quodammodo diuersa. In opera igitur (Politica) cõstituta cũ de his etiã vijs cõstituendũ sit, vtra vtamur, haud scio, an hoc nobis faciendum sit, vt ab ijs rebus, quæ nobis notæ sunt, doctrinæ huius initium faciamus, neque à primis illis ordiamur, sed ab actionib. in vita communi, quibus virtutis nomen tribuitur, & quæ felicitatis causa suscipiuntur, docendo progrediamur. Quod cum ita fiat & faciendũ videatur, nimirum vt res flagitat, vt qui de rectis & prauis, iustis & iniustis, atque omnino de ciuili ratione quæ traduntur, vtiliter auditurus est, atque ἱκανῶς, id est, ita, ne quid in ipso requiri possit: Hic igitur vt minime sit imperitus vitæ aut morum communium, sed præclare potius hac in parte institutus, & ad officij curam assuefactus & in honestis actionibus exercitatus. Initium, enim doctrinæ in arte ciuili ex eo ducitur, quod ita sese, aut aliter habere aliquid statuitur, ex quo genere actiones sunt vitæ communis, in quibus ex obseruatione honestatis & vsus communis prudentia statuit aliquid fortiter, aut moderate, aut iuste, aut aliqua cum virtute fieri, easque persequitur. Hæc Aristoteles (sed περιφράσεις.) Hoc loco per ὁδὸν seu viam Aristoteles intelligit rationem tractationis Politicorum seu Ethicorum per argumenta seu demonstrationes conformandæ, non ordinem totius doctrinæ proprie dictum. Sed hunc tibi intelligit Fortun. Crellius.

P. Martyr, Talæus, Tempellus.

Explicatio primæ signif. è Zabar. Phys.

Via doctrinæ est processus à noto ad ignotum per discursum Syllogisticum. Dicitur & Methodus doctrinæ. Estq; principalis vel secũdaria. Principalem seu primariam primo intendit artifex: Secundariam secundo; eamq; dirigit ad primariam vt ad finem. Illa est demonstratio propter quid seu A Priori: Hæc vero quia, seu A Posteriori. Illa progreditur à causis ad effecta: Hæc ex effectis inuenit causas. Ordo vero doctrinæ est omnium partium disciplinæ legitima dispositio.

Explicat. 3. significat.

Disciplinæ & artes vocantur Viæ seu Methodi, quia Methodo aliqua (ait Zabarella; ego addo) & ordine in docendo vtuntur.

Materia via naturæ sine formis esse nequit. Via naturæ accidens non subsistit extra subiectum. Georg. Reisch.

Via pro secta, seu disciplina, seu hæresi, (q̃ & familia dicitur) familiare Scholasticis. Ita enim loquuntur: Hoc non tenet, non procedit in via Thomæ, in via Scoti. Videtur autẽ esse Hebraismus, quo etiam vsus est Apostolus Act. 9. v. 2. Si quos Saulus inuenisset τῆς ὁδοῦ, scilicet Παύλης, huius Viæ, id est, huius Sectæ, nimirum Religionis Christianæ.

VIDETVR,
ἔοικε, φαίνεται.

VIDENTVR apud Aristotelem 1. interdum significat opinationem mentis seu probabilitatem sententiæ.

2. Interdum euidentiam sensuum seu sensitiuam, quæ excludere solet instantias seu ἐνστάσεις contra assertionem Aristotelis l. 2. Physic. text. 2. Omnia quæ dicta sunt, videntur differre ab illis, quæ natura constant. Hic inductionem vniuersalem facit, & verbum VIDENTVR significat ἐνέργειαν, euidentiam sensitiuam, interprete Zabarella.

Prior

Prior significatio sæpe occurrit in disciplina Practica.

Fonseca 8. Metaph. 4. 88.

Omnis substantia videtur hoc aliquid significare, id est individuũ. Videtur, inquit, quia cum manifestum sit singularem, τὸ δέν, id est, vnum numero, seu ἓν ἁπλῶς, vnum simpliciter, quod est incommunicabile significare. Secundo etiam Animal, Homo, videntur vnum numero significare; sed reuera multum significant, seu vnum, quod inest pluribus, quia sunt multis communia. Auer. in 1. de Anim. tex. 19. vtitur Aristoteles loco certitudinis voce Videtur, in quibus est certitudo famosa. Vide ἔοικε.

ὥνητέ μοι δοκεῖν, vt mihi videtur, vt mihi placebat.

3. *Videtur vtitur aliquando etiam Aristoteles cum loquitur crassiuscule.* Vt 3. Topic. τὸ κάλλος τῶν μελῶν ἴσις συμμετρία δοκεῖ εἶναι, pulchritudo partium quædam symmetria esse videtur. Pulcritudo enim non est symmetria, (formaliter, est enim tantum symmetria in sensu causali & improprie seu impropria attributione) symmetria enim est in prædicamento Relationis, pulcritudo vero est qualitas, & quidem composita.

Theologi Latini τὸ videri sæpe accipiunt pro conspici. Ambr. Tom. 5. Basil. pag. 354. Quia prima præcepta quatuor ad Deum pertinent, hæc in prima Tabula contineri subintelliguntur: Cætera ad hominem, vt honoret parentes, non occidat, non fornicetur, non furetur, non falsum testimonium dicat, *neque quicquam proximi sui concupiscat.* Hæc sex mandata in *secunda Tabula videntur* (id est, conspiciuntur) *scripta:* quorum primum est, Honora Patrem & Matrem. Hac causa ergo dixit, Quod est mandatum primum in promissione, vt discerneret inter mandata, quæ ad Deum, & inter ea, quæ ad hominem pertinent. Sic quoque Augustinus sæpe accipit verbũ Videntur.

VINDICTA.

Vindicta Politica vox est.

1. Significat prætoris virgulam, qua seruis se donare libertatem significabat, cum ea caput serui tangebat. Sic vindicta liber factus est in Ciceronis Topicis.
2. Metonymice significat ipsam libertatem. (Signum pro signato.)
3. Vindicationem, qua vis & iniuria, & omnino quod ob futurũ est, defendẽdo aut vlciscendo à nobis propulsatur.

Distinguitur in Humanam & Diuinam. Humana in publicam & Priuatam. Publica est Extraordinaria, vt Heroica, quæ fit præter legem communem, & zelo diuino accensa punit hostes Dei: Hæc fuit in Christo, Iuditha, Heliseo, Elia, Samsone: & ordinata & legitima: Hæc est officij, vt Magistratus Politic. Priuata est coacta, vt oum vim aliquis repellit vi ἐν αὐτοφόρῳ: Hæc licita: vel Temeraria, Hæc non licita. Diuina supra omnem legem est, cum immediate, id est, per se Deus vindex seu vltor est.

VIOLENTVM.

Violentum quid sit à principio externo sine ope naturæ recipientis.

Violentum accipitur ab Aristotele late & stricte. Late pro omni habente principium extra seu externum. Sic libr. 3. Ethic. Nicom.

Stricte pro eo, quod est contrarium naturali & naturæ eius rei, cui dicitur violentum. De hoc est axioma: Nullum violentum per se est perpetuum seu perpetuo durans. Seu; Violentum vt contrarium & inimicum naturæ non perpetuatur. Hoc enim distrahit rem à naturali sua constitutione & ad interitum ducit. Vide libr. Zabarellæ de Motu ignis in orbem. Si igitur prima significatio spectetur, latius patet Violentum, quam contra Naturam.

Violentum aduersum { Naturæ, quod fit contra naturalem inclinationem. 2. Phys. / Voluntati, inuoluntarium. 8. Eth.

Passio Christi fuit voluntaria κατὰ συγχώρησιν, permittendo, & pro modo violenta, quia ἀνθ' ἁφάσεως.

Violenta expositio est coacta.

Violentare & violentari Barbari, pro vim inferre, & vim inferri.

Simpliciter violentum est, quod opponitur perfectiori naturali. Exempli causa, aquam esse sursum vt saluetur plenum in vniuerso, id est, vt excludatur vacuum, non est simpliciter violentum: Imo si tum descenderet relicto vacuo superius est violentum: Et secundum quid naturale, quia natura totus vniuersi magis est principium naturalitatis, quam natura ista particularis, ac magis naturale est, quod eiusmodi toti conuenit, quam quod proprie huic parti, corpus autem humanum perfectius quiddam est naturale, quam quoduis elementum, ideo quod illi est naturale, hoc ei magis naturale est, vt conseruari, quam violenter dissolui. Scot. libr. 4. dist. 49. ad rationes principales; Propositio, Nullum violentum perpetuum, non est necessaria Theologis, si loquamur de violento contra naturam particularem huius vel illius: quia Deus potest conseruare aliquod particulare perpetuo sub opposito eius, ad quod naturaliter inclinatur. Sed apud Aristotelem est vera, quia ponit is omnipotentiæ passiue in tota συσταχίᾳ causarum agentium respondere aliquam causam, quæ aliquando necessario deducat eam in actum: naturalis igitur potentia aliquando ad actum reducetur, & ita violentum ipsi oppositum corrumpetur.

Violentum βίαιον, interdū opponitur Naturali & est, τὸ παρὰ φύσιν.

Interdum Naturale complectitur, vt cum à nonnullis Spiratio βιαία seu violenta diuiditur in Naturalem, & Non Naturalem, qualis est in morbis, asthmate, apoplexia, paralysi, febribus.

VIR, Ἀνὴρ.

Nomen viri { Proprie, ætatis τέλειος τὴν ἡλικίαν. / Improprie { 1. Relationis pro marito συζευχθεὶς γυναικὶ. / 2. Sexus pro masculo ἄῤῥην, Vir gregis ipse caper. / 3. Virtutis ἀνδρεῖος { Fortis, animosus, robustus. / Non euiratus, non impotens, vt Eunuchus.

Vsus.

Hic significatur ætatis virilis homo.

Cum Tullia Ciceronis filia concitatius incederet quam deceret fœminam: Contra Piso gener lentius quam deceret virum, ambos eodem dicto taxauit Cicero, filiæ præsente genero dicens: Ambula vt vir: Quæritur, quomodo hic vox viri accipienda sit? R. Illic, cum dicitur, lentius quam virum, intelligendus est homo virilis ætatis. Hic vero cum dicitur, Ambula vt vir, maritus Tulliæ.

Quæritur quomodo hoc Virgilia, Eclog. 7. intelligendū: Vir gregis ipse caper? Resp.

Resp. Caper est Capellarum vir, hoc est maritus.

Vir Ceruinus seu cerui cor habens, est vir timidus. Prouerb. Vir non vir Eunuchus, quasi ἀξύμφορον.

VIRILITAS.

Virilitas 1. accipitur in Physicis pro virili ætate, cui opponitur pueritia, iuuenta, ætatis flos, senectus. 2. Pro virilibus seu verendis, vt Asiani cum pueros exectos fœminis custodes adhibuissent, eosque adultos postea, cum illis in adulterio deprehendissent, flagitium illud à quibusdam commissum in illis quidem mortis supplicio vlti sunt, in alijs toti virilitatis amputatione. Scalig. ex. 175. sect. 2. Senes defecti calore non arrigunt, Elliptica locutio, intellige virilitatẽ, quod facetus poeta dicit. Non attollit siculam. Virile ἀνδρεῖον virum decens est, quod viri est, vt forte ἁρμόττον seu congruum viro.

Virilis appellatio in iure interdum ad singulas earumq; æquales partes refertur, pro numero personarum, id est, viriles portiones sunt partes æquæ, quæ numerum constituunt pro numero personarum & in capita, non in stirpes, vt tot fiant, quot sunt personæ. Virilis pars pro viri viribus, Ciceronianum est, vt pro virili mea parte & plus quam pars virilis postulat, oneris suscepi.

VIRGA.

Virga quid proprie sit, notum est. Ouid.

Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.

Translate accipiunt Physici pro membro viri genitali. Sic Albert. Magn. de anima l. 15. tract. 1. ca. 4. Homines qui habent virgam *enormiter longam*, infœcundi sunt, quia sperma euaporat in cursu & infrigidatur, quia longe distat à principio suo; Et qui habent *nimis curtam*, non proijciunt sperma, vnde ipsa matrix sugere possit; ideo carent effectu generationis. Qui *mediocrem* habent virgam, vt plurimum generant. *Distinctio virgarum.*

Idem virgam describit membrum instrumentale ad coitum paratum ex membris, quæ singulariter sunt ligamentalia, neruosa & arteriata. Tres habet in se meatus. Vnus est per collum vesicæ, quod est pars virgæ: Secundus est spermatis per expulsoria spermatis: Tertius est meatus humoris, qui medius est inter sperma & aquam.

Proprietas & Translatio hoc disticho coniuncta sunt:

Virgo viro virga est, infesta est virginitati
Virga viri: castum virgo tuere decus.

VIRTVALITER.

Aliquid continere aliud virtualiter, dupliciter intelligi potest.

Vno modo, sicut causa virtute sua continet effectum. *Caietani hæc sunt.*

Altero, sicut effectus continet virtutem causæ hanc participando. Sic effectus quilibet continet DEVM. *Is magis proprius est.*

Sed ab alijs continere virtualiter non tribuitur effectui, sed causæ tantum. Itaque Caietanus subiungit hanc distinctionem. *Hic improprius fere.*

Triplex modus est continendi { Essentialiter. Virtualiter. Participatiuè (vt effectus in se causam continet.)

Caietani Effatum.

Nullus conceptus potest produci in intellectu nostro, qui non contineatur essentialiter vel virtualiter in obiecto relucente in phantasmate.

VIS.

Vis Insita est, vel Violenta. Insita, vt naturalis potestas. Prouidentia in Deo vis est & potestas omnia videndi, sciendi, gubernandi. Stoici quidam voluntati *Finitio prouidentiæ Lipsiana.*

intulerunt vim violentam. Peccas necessario, inquit Lipsius, per voluntatem tuam, non per vim violentam, id est, coactionem. Augustinus; Voluntas cogi non potest, vt velit quod non vult: non enim vellemus, si nollemus. Vis prima illa notione est vel vniuersa, indiuisa, stipata, vniter iuncta, vt loquitur Lucretius. Hæc intelligitur in definitione Prouidentiæ: Vel partita; qualis est in rebus creatis. De hac intelligatur sententia sequens Lipsiana, sicut supremum Cœlum inferiores omnes orbes secum ducit, vt proprium eorum motum non abrũpat aut sistat; Sic Deus Fati impetu humana omnia trahit (leniter intellige) sed peculiarem cuiusque vim aut motionem non tollit. De coactione vero hæ: Arbores & fruges voluit crescere? Crescunt sine vlla vi per naturam. Homines deliberare, eligere Deus voluit? Deliberant sine vlla vi & eligunt per voluntatem seu libere: & tamen hoc ipsum, quod electuri fuerunt, vidit ipse ab æterno, sed vidit, non coegit: sciuit, non sanxit, prædixit, non præscripsit. Fatum motum insitum & naturam à rebus non tollit, sed leniter & sine vi agit, vt cuique rei à Deo impressa signa postulant & notæ: In causis necessarijs necessario, in contingentibus contingenter, in naturalibus naturaliter, in voluntarijs voluntarie. Itaque Fatum rerum respectu vim nullam affert aut coactionem, sed vt quidque natum est facere aut pati, ita dirigit singula & flectit, (leni quasi quodam freno.)

Vis nomini subiecta.

Eleganter ita dicitur Notatio seu Nominis explicatio. Dicitur asotus ab α& σώζειν: Qui cum sua bona non seruet, sed dissipet, eat se perditum, & seruari non possit, quales sunt luxurioſi. Hæc vis huic nomini subiecta est: inquit Lambinus. Latinis etiam est perditus, deploratus.

VISVS.

Visus accipitur

1. Pro facultate videndi, seu visu potentiali.
2. Pro visu actuali seu visione.
3. Pro visorijs spiritibus, vt Nigror visum, id est, opticos Spiritus congregat, qui ad pupillam à cerebro confluunt. Sic Albor est color visum disgregans.



Explic.

Per se.] Id est quod immediate tantum, per aliud visibile ab ipso distinctum videtur, vt Lux & color.

Per accidens.] Quod accidenti per se visibili subijcitur, vt corpus coloratum, vel lucidum.

Specialiter cõiuncto seu vnico.] Sic Dei Filius visus est in terris, visa eius Humanitas, cui Hypostatica vnione vnita est Deitas.

σχέσιν habente.] Sic corpus Domini videtur in Pane sanctificato. Vid. Gab. Biel. lib. 4. dist. 11. quæst. 1.

Fidei.] Hoc est credere aliquid. Angelus videtur secundum Angelorum propriam naturam, sed in corpore assumpto Passibile est, quod potest pati, vel secun-

secundum se, vel secundum naturam, in qua subsistit.

Visio Dei Comprehensiua Scholasticis est visio tã perfecta, quam est illa cognitio, qua Deus videt seipsum, id est infinite perfecta. Ea non cadit in intellectum creatum. Deus à nobis videbitur & percipietur pro modo creaturæ.

Deus sese nobis puræ mentis intelligentia contemplandum inenarrabili cum lætitia præbiturus est, quatenus in re creata comprehendi potest. Cognitio recipitur in cognoscente secundum modum eius. Vid. Gregor. de Valen. in Com. Theolog. pag. 238. Et Scal. Id quod Deus est, recipitur quãtum potest recipi à recipiente, non autem quantum ipsum est. Ex. 359 sect. 8.

Visio est cognitio intuitiua rei in se, Scotus l. 4. dist. 49. vbi agit de Visione Dei.

VITA.

- Vita
  - Transcendens & Independens.
  - Dependens
    - Spirituum creatorum
      - Angelorum
      - Mentis humanæ
      - → Intellectiua.
    - Animatorum
      - Stirpis, minus proprie, Vegetatiua tantum.
      - Animalium, magis proprie
        - Brutorum, sensitiua.
        - Hominum, rationalis simul.

- Vita corporis Animati
  - In Genere considerati, vita Vegetatiua. Anima enim vegetalis primo conuenit animato corpori, non est propria plantarum forma, sed propria viuentis, quod commune est genus animalis & plantæ, nec per eam distinguitur planta ab animali. Ideo æque ab animali, atque à planta est participata illa anima. Zabar. l. de Natural. Scient. constitut. cap. 40.
  - In Specie considerati
    - Plantæ.
    - Animalis, Vita sentiens.

Hic dissentiunt Docti. Zabarella statuit vitam vt Vniuocum æque competere stirpi atque animalibus. Sed Zanchius adducto loco ex Aristotele sentit Vitam esse commune ab vno (seu analogum analogia attributionis vnius ad alterum) & præcipue conuenire animalibus.

Sic vitam pro actu primo dici proprie plurimi scribunt.

Sed Zabarellæ vita pro operatione proprie dicta est.

Vita accipitur { Physice { Proprie pro eo quod est viuentibus esse. / Improprie pro { Ipsa anima, Metaleptice. / Operationibus vitalibus. } } / Politice, pro ratione viuendi, vt Vita Politica seu Practica. / Theologice, vt viuit homo qua credit, ex pace cælesti.

Ordo hic est : Anima, (Actus primus) Vita, Functiones & operationes.

Vita accipitur interdum pro animi Trãquillitate, vt contra Mors pro animi perturbatione. Sic Rom. c. 7. Repertũ est illud mãdatum, quod ad vitam datum erat, mihi cedere ad mortem.

Ex Ethic. Nicomach.

Vita Hominis Practica (ad actionem apta) διτλῶς dicitur { 1. καλὰ δύναμιν, cum potest homo operari, { *Remotam*, quæ cum habitus negatione est aptitudo eundem consequendi: vt quod puer aliquando potest ratiocinari. / *Proximam*, vt cum vir bonus pecunijs destitutus liberalitatem exercere nequit; cum habens habitum iustitiæ in somno cessat à iustitiæ operatione, operaturus cum primum euigilarit. } / 2. Καθ' ἐνέργειαν, cum actu operatur { Καθ' ἕξιν, cum ab habitu perfecto & consummato operatio proficiscitur, vt Beatitudo, πραξικὴ ἐνέργεια. / Καλὰ διάθεσιν, cum à dispositione tantum facile mutabili actiones proficiscuntur, cuius generis sunt { ἐγκράτεια. / Καρτερία. }

Vita

Vita
- Practica seu facultas agendi
  - Otiosa est & feriata.
  - Actuosa est, munere suo fungitur.
- Naturalis.
  - θρεπτικὴ & αὐξητικὴ, alendi & augendi vi ac facultate prædita, quæ homini cum stirpibus communis. Huc etiam pertinet γεννητικὴ.
  - αἰσθητικὴ, quæ homini communis est cum bestijs. Sub hac comprehenditur κινητικὴ κατὰ τόπον.

Vita rerum
- Corpore constantium quadrupliciter accipitur
  1. Pro anima ipsa, quæ dicitur vita essentialis, quæ essentiam rei viuentis partiatim constituit. Sic enim lib. de motu Cordis Arist. Vita est principium actus animæ.
  2. Pro existentia animæ in corpore, quod ab anima (vegetatrice) informatur. Itaque Scalig. alicubi vitam & existentiam coniungit in Exerc.
  3. Pro δυνάμει ζωτικῇ seu facultate vitali, quæ naturalis potentia est corporis animati, orta ab anima vegetante vt à principio.
  4. Pro motibus vitalibus seu vitæ functionibus.
- Incorporearum.

Vita
- Essentialis, Anima.
- Accidentaria
  - Prima, facultas, δύναμις.
  - Secunda, Motus, ἐνέργεια.

Scaliger facultatem à vita distinguit, cum dicit in Exerc. 102. sect. 5. Conseruantur facultates in instrumentis per vitam, quæ est actus animæ in corpore, id est, vis eius per vnionẽ vtriusque. Schegk. l. 12. Demonstr. Vita perfecta est naturalis periodus vitæ certo tempore circumscriptæ.

Vita
- Essentialis.
- Accidentaria, vt sensus; qui recipiuntur in materiam essentiali vitæ vnitam, & ab essentiali vita perpetua emanatione pendent.

Vita multiplicem habet significationem. Nam est
- Actus seu ἐντελέχεια, sic viuere est esse animati.
- Actio vitalis, sic viuere est agere seu operari.
- Ratio, modus, genus agendi seu viuendi.
- Non enim omnes viuẽdo sequuntur idem institutum.

Sic vita est Aristoteli in Ethicis
- Pecuina seu voluptaria
- Ciuilis.
- Contemplans.

Explic.

Actus.] Intellige τὸ εἶναι, actum primum, id est, formam, vegetantem, sentientem, vel intelligentem.

Actio.] Sic accipit Arist. in lib. de anima cum dicit: Anima est entelechia prima corporis organici potentia vitam habentis. Ita igitur vita est animæ effectus. Zanchius, Vita, inquit, corporis est perpetua quædam animę in corpore agitatio (ἐντελέχεια) qua corpus per se alitur & augetur. De hac scriptura: Vita est in sanguine; quia sanguis, qui calidus & humidus est, materia est vitæ. Vid. lib. 2. cap. 3 de partibus & potentijs animæ Zanch.

Ratio.] Sic accipit Arist. 1. Ethic. c. 8. cum ait: Consonat rationi felicem bene viuere ac bene agere. Nam ferme bona quædam vita & actio recta dicitur.

Bona Vita
- Felix vita. Sic εὖ ζῆν est frui rebus secundis.
- Recta actio, πρᾶξις ἐπαινετὴ, laudabilis, εὐπραξία.
- Sic ἓυ ζῆν est honeste, probe, iusteque agere, ἓυ πράττειν.

Colleg. Conimbr.

Vita
- Principium actus animæ, Arist. libr. de motu: id est vita essentialis est origo & fons vitalium functionum.
- Existentia animæ in corpore, seu permansio animæ vegetatricis cum calore (in corpore) Arist. lib. de Respirat.
- Vitæ functiones, vt nutritio, accretio, sensio, motus internus.

Viuens
- Vita substantiali, quæ est ipsa anima, sic tria sunt genera viuentium à triplici anima, Vegetatrice, Sensitiua, Intellectiua.
- Vita accidentali, id est, potentia ad operationem vitalem, vel operatione vitali. Sic 4. sunt genera viuentium à quadruplici operatione, Veget. Sens. Motiu. Intell.

Vita nonnullis est essentia animæ absolute sumpta, à quo proprie anima viuificatur, seu principium internum motionis. Simplic. 2. de anima.

Nonnullis est anima in actu primo, id est, animæ substantia, prout & actus primus, seu, prout abstrahit ab omni operatione, hoc est, est essentia animæ non operantis. Theophil. Zimara in comment. de anim.

Alius

Alijs vita est functio animæ seu anima in actu secundo, hoc est, anima operans. Card. vel actio immediate profluens ab anima in corpus sibi subiectum, Platonici.

Alijs est actus internus, seu essentialis perfectio immediate ac iugiter prodiens ab anima in corpus: vt lumen est perfectio corporis perspicui proxime profluens à luce Solis præsentis in corpus diaphanum, seu vt à Sole præsente prodit immediate lumen in corpus transparens. Albertus Magnus.

Alijs vita est aut animæ facultas, aut facultatis operatio. Galen.

Alijs vita est actio facultatis vitalis à corde assidue influentis per arterias in totum corpus. Multi Medic.

Alijs vita est nutritio. Monachus Turisan. quem Licetus plus quam commentatorem vocat, ex eo, quod edidit plus quam commentum ad artem Medicam Galeni.

Alijs est quasi cumulus seu communitas omnium actionum animæ: seu prima supremaque totius animæ operatio. Pernum. in Physic. sua, cap. 2. l. 4. & Botsonnius.

Alijs participatio prima in calido naturali, & permanentia animæ primo participata. Buccaferreus in lib. de longit. & breuitate vitæ.

Alijs existentia animæ in corpore, vel mansio seu permanentia partis animæ nutritiuæ cum calido sibi proportionato. Thom. Aquin. de vit. & morte, & Nobilis Genebita.

Alijs mora seu permansio animæ vegetantis cum calore. Aristot. vel ipsum esse viuentibus (hoc est, viuentium essentia, cuius anima est altera pars.) Arist.

Alijs vita est quid commune analogum ad animæ essentiam, ad eius operationes & ad animam operantem seu in actu. Achillinus. Omnis actus viuentis, qua viuens, siue primus siue secundus, vita est. Idem.

Alijs vita est aptitudo corporis perfectæ ad operationes animatorum proprias, seu ad operandum, vnde prodeunt actiones animatorum. Auicenna. Ita vita quodammodo est passio. (Perfectiua.) Posito autem, quod talis passio vita sit, neque animæ, neque corporis passio est, sed coniuncti, sed corporis potius, quam animæ. Omnis enim Passio, qua passio est, dicitur esse passio patientis, & omnino eius, in quo est, tanquam in subiecto, siue eius, quod ab illa sumit denominationem magis, quam agentis, id est, eius à quo est tanquã ab efficiẽte, seu illius, quod ab ea non denominatur. Corpus est principium passiuum: Anima est actiuum: Vita enim perficit corpus potius, quam animam, hæc enim post mortem à corpore separata perfectior est, quam in vita corpori adiuncta, 12. Metapys. t. 51. 2. de anima text. 49. & vita est in corpore tanquam in subiecto; non ita in anima, sed potius ab anima, tanquam à sua causa efficiente, & corpus animæ coniunctum & associatum proprie ab ea denominatur viuens; anima vero neque corpori addicta, neque ab eo seiuncta (nisi multum eminenter) dicitur esse viuens. Ergo vita potius est passio corporis, quã animæ. Pro Auicenna. Sed vita proprie pertinet ad coordinationem substantiæ.

Lib. 1. de Vita Fortunius Licet. Genuens. in Academ. Pisan. Phil. ac M. D.

Anima à corpore separata est sine vita. ea, qua dicitur Passio coniuncti ex anima & corpore.

Alijs conseruatio instrumentorum animę, id est, quibus anima vtitur ad operandum. Ludou. Viu. Sed valde improprie. Nam anima corpori adiuncta protinus in eo vitam excitat, deinde instrumenta format, fabrefacta demum conseruat.

Alijs conseruatio omnium facultatum & operationum animati. Fernel.

Alijs vnio animæ cum corpore, Priscian.

Lydus in Theoph. de sensu. Phantas. & Intell. Scalig. Vbi intelligi potest vnio vel prima, vel continuata, quæ nihil aliud est, quam animæ & corporis coexistentia.

Alijs ἐντελέχεια, id est, actus essentialis seu primus animæ. Scal. in corpore instrumentali naturali.

Alijs modus essendi rerum animatarum causatus ab animæ præsentia siue essentia, subsistentia & permanentia earundem. Argenterius:

Alijs est ipsummet esse rerum animam in se habentium. Ioseph. Licet.

Alijs naturalis coexistētia seu consortiū (commercium) naturale animæ & corporis ex se ad talem animam propensionem habentis seu naturalis adæquataque (non prima) animæ participatio in corpore Physico organico, seu Physica permansio animæ cum corpore secundum se ad animam propenso. Fortun. Licet. in libr. de vita.

Platonici accipiunt vitam valde generaliter & improprie. Sic Marsil. Ficin. in commentar. de diuin. nominibus Dionys. Platonica sententia est, Mundum totum esse viuum per vitam quandam vbique vigentem generantemque omnia cum solari virtute vsque quaque diffusa quasi spiritu. In hac itaque corporis vniuersi vita per eiusmodi Spiritum omnia vegetante Platonici rationes omnium seminales effectricesque virtutes esse putant.

Vita
- Prima, Essentia viuentis. Hæc est quid ex anima & corpore consurgens seu constitutum. Fortunius Licetus negat Essentiam viuentis esse quid ab anima in corpus prodiens; & animam esse totam essentiam viuentis. Aristoteles ait, vitam esse viuentibus esse.
- Secunda, Operatio viuentis, non operatio animæ in corpus.

Hæc in accidentis, illa in substantiæ Categoria est. 1. Id enim quo substantia vna differt Substantialiter ab alia, est substantia. Vita est id, quo differt animatum ab inanimato. Ergo est substantia. 2. Accidens à subiecto, cui inest, vel re ipsa, vel intellectu tolli potest præter subiecti corruptionem.

Vita proprie primoque dicta est substātia.

At Vita nullo modo abesse potest ab animato sine interitu subiecti. Ergo accidens non est.

Veruntamen si vita primo seu proprie dicta dicatur esse aptitudo perfecta corporis organici ad operationes animati proprias, etiam est accidens, non substantia.

Vita sublimaris seu sublimarium triplex est, ac quælibet morti obnoxia. Itaque & Hominis. Vita vegetalis est naturalis inexistentia animæ vegetantis in corpore, quod informat.

Vita brutalis est naturalis inexistentia animæ sentientis in corpore bruti.

Vita humana est naturalis inexistentia humanæ animæ in corpore nostro mediante calore naturali.

In corpore Humano vita est vna omnium partium, quæ participatur ab eis ordine quodam, quia primo in corde, secundo in aliis secundum quod propinquius se habent ad principium illud vitæ, ideoque per vnam partem non potest vita deriuari ad aliam, nisi pars illa deriuans prius viuat eadem vita. *Scotus quæst. 4. dist. 5. lib. 4.* *Sic Bart. propos.*

Non sic est in corpore Mystico, quod est est Ecclesia, quia non est in membris Ecclesiæ vna vita numero.

VIVERE.

Viuere est actus & perfectio vitæ, sicut actus est esse perfectioq; Essentiæ. Marsil.Ficin. in l. de diuin. Nominib. Dionys.

VIVIFICARE.

Viuificare { Primam vitam facere,id est esse vitale.
Vitam secundam,id est, operationes vitales facere, sic videre, audire est viuere.Schegk.1.Top.corpus ratione actus primi animatur, secundi ratione viuificatur.

VIGORARI.

Barbarum, quo vtitur Zabarell.in comment.in 3.de anim. pro vegetius reddi seu perfici. Intellectus autem vehementi ac excellenti intelligibili non modo non læditur, sed etiam vigoratur.

VOLVNTAS.

Voluntas est appetitus animę Rationalis, Zabarell.lib.de facult.animæ. Vel est inclinatio, per quam solet id perfici, quod est ab intellectu conceptum ac cognitum.Greg.de Val.seu Formaliter loquendo est propensio quædam ad bonum intellectum, hoc est, quod intellectu cõceptum est, prosequẽdum, & malum fugiendum.

Cicero specialius accipit voluntatẽ cum Stoicis in Tuscul.Si simul obiecta species cuiuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura: id cum constãter pruden terque fit, eiusmodi appetitionẽ Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem, quam illi putant in solo sapiente esse,quam sic definiunt: Voluntas est, quæ quid cum ratione desiderat. Ab ea differt Libido. Nam voluntas, quæ aduersus rationem incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata. *Quid βούλησις.*

Vitia sunt non spontanea, sed sunt inuoluntaria.Iacobus Mazonius & Plat.

Vsus.

Vitia sunt voluntaria & spontanea. Aristoteles. Plato 9.de Legibus & in Hippia maiori.

Conciliat.

Ratione voluntatis, quæ quid cum recta ratione desiderat, & quæ in libero arbitrio κατ' ἰδέαν spectato requiritur.

Ratione voluntatis, quæ aduersus rationem fertur,nec intellectui recte dictanti & dirigenti obtemperat, quæq; in nobis plerunq; reperitur.

Vide in voce Simpliciter, de Libero arbitrio simpliciter & ex Nobis, ex Mazonio.

Nolitio est auersio rationalis mali cogniti orta ab illius improbatione.

Volitio.

Volitio hominis est appetitio rationalis boni cogniti, orta ab illius approbatione.

Volitio alia est conditionalis,alia absoluta;Alia Deliberata, alia Temeraria; Alia plena & integra, alia remissa & fracta.

Velle.

Velle est semiplenum in eo,qui vult, non

vult. Plenum velle est absolutum vel conditionatum.

Velleitas, Barbarum.

Optatiua voluntas, voluntas, qua quis optat & serio vult.

Voluntabile.

Quod quis velle potest aut debet: Quod voluntas appetit, βυλητὸν Aristoteli 3. Eth.c.6.

Voluntas 1. pro potentia volendi, vis animæ, qua volumus τὸ θελητικόν.

2. Pro ipso actu facultatis seu volendi. Barbar. Volitio, ἡ θέλησις.

3. Pro eo, quod est θέλημα, θελητὸν, βούλημα,

ipsum obiectum { Primarium, Finis vltimus. / Secundarium, media ad finem.

4. Valdè impropriè accipitur, cum tribuitur appetitui brutorum: propriè enim voluntas est ἐν τῷ λογικῷ, in brutis non est; propriè bruta non dicuntur velle, sed instigari. Scal. ex. 307. s. 4.

In prima significatione vsurpatur, cum dicitur, Appetitus cietur aut à sensu, aut à cogitatione, aut à memoria: à quo deinde mouetur voluntas, id est, vis volendi. Appetitus autem sunt propensiones ad commoda naturalia. Scal. ibid. Græcis est ὄρεξις, vel ὁρμή.

In secunda significatione accipit Scaliger, cum dicit, Est appetitus quidam ante voluntatem, id est, ante actum ipsum quo volumus. Is appetitus non semper educitur in actum, sed sistitur aliquando.

Voluntas quædam naturaliter vult primo vt finem vltimum: Quædam in ordine ad finem vltimum: Ad illum ferri voluntatem naturaliter: Ad hæc liberè, disputauit Tilenus.

Voluntas dicitur dupliciter, Vno modo vt Libera naturaliter inclinata est, & tendit in propria tantum obiecta: Altero modo vt inclinata est ad obiecta alterius appetitus & συμπάσχει appetitui sensitiuo, vt natura & appetitus intellectiuus propter connexionem naturalem appetitus superioris ad inferiorem. Scotus lib. 3. dist 15.

Voluntas { Actualis absoluta. / Habitualis conditionata.

Habitualis, in cuius actu Voluntas prona est procedere, nisi quid obstet. Nolle liberum est absolutum vel conditionatum. Nolle conditionatum est cum quis nollet aliquid quantum in ipso est, quod tamen certo casu vult. Nolitio cõditionata effertur per NOLLEM, si possem aliud.

Volitum { Simpliciter, quod quis vult, quantum in ipso est. / Secundum quid, quod quis vult propter necessitatem præsentem. Hoc voluntarium mixtum est cum inuoluntario. Scotus l. 3. dist. 16.

Voluntas & Intellectus vna res esse statuitur ab Aristotele in 3. de anima; diuersa vero sola ratione, id est, modo suo, vt loquitur Scaliger exerc. 307. sect. 4. Hinc fit vt definiatur seu describatur potius à Scaligero, Voluntas est intellectus extensus seu promotus ad habendum aut faciendum quod cognoscit.

Gradus Voluntatis.

1. Est Remissa seu refracta Voluntas, vt Permissio & Dissuasio, non cogens cum possis cogere. 2. Intensa, quam veteres dixerũt Appetitum, alii Concupiscentiam. Sic Scalig. Tertio modo

accipi

accipi appetitum animaduerterunt acutiores in vſu veterum pro intenſa voluntate, quam nonnulli Concupiſcentiæ (ſeu ἐπιθυμίας) nomine declarant. Hæc voluntas maxime eſt ἐνεργητικὴ, plena, integris viribus.

Voluntas
- Immutabilis, Dei. Creantem Deum voluntas noua non ſubiit, ſed nouum tantum opus externum ab æterna eius voluntate & actione interna prodiit. Nulla igitur, vbi creauit, mutatio ei accidit.
- Mutabilis, Angelorum & Hominum, Alias vertibilis.

VOLVPTAS.

Voluptas eſt conuenientiæ perceptio. Scal. ex. 307. ſ. 2.

Voluptas eſt motio, qua reſtituitur incitatius ex non naturali in naturalem affectionem animal. Definitio hæc improbatur Schegkio 6. Demonſtrat. Proprie enim voluptas non eſt motio, ſed animali, quatenus motu participat, ineſt: ἕξις autem rei in ſubiecto non ineſt.

Ariſtoteli *Voluptas* (ἡδονὴ) eſt actio non quidem naturæ perficiendæ, ſed iam impletæ, & perfectæ: ſeu Actio habitus naturæ affluentis non impedita (dolore aut moleſtia.)

Aliis Voluptas eſt Qualitas ſuauiter afficiens ob aliquod bonum cum natura congruens: Qualitas igitur eſt tertiæ ſpeciei, quæ dicitur παθητικὴ (patibilis.) Vel, eſt Affectio ſuauis ex actione, quæ proficiſcitur à natura bene conſtituta vel habitu ſecundum naturam abſque impedimento: ut Gaudium eſt voluptas faciens effuſis ſpiritibus animum ſeſe efferentem.

Plato accipit nomen Voluptatis ſpecialius, & ſtatuit Voluptate tantum ſenſus perfundi. Itaque definit eam motionem ſuauem, quę ſenſus titillat. Cicero πλατονίζει. Omnes enim, inquit, iucundum motum, quo ſenſus hilarentur, Græce ἡδονὴν, Latine voluptatem vocant. Iucunditatem autem animi, quæ copulata beatitudini & à cõtemplatione aut virtutis actione fluit, Plato vocat χαρὰν, Gaudium. Sed videtur hæc, Voluptas eſt motus vel ἐνέργεια, prædicatio eſſe impropria & irregularis, veraq; eſſe in ſenſu cauſali, non formali. Voluptas enim motui adhæreſcit & ex motu congrua oritur ſeu reſultat, actionis denique perfectio eſt.

Diſtinctiones Volupt.

Voluptas eſt σωματικὴ, ſenſuum, vt Voluptas ex vini ſuauitate: vel ψυχικὴ, Animi.

Voluptas ſenſuum eſt affectio iuuãs ſenſum, in ſuo naturali ſtatu conſtitutum. Dolor igitur ei contrarius ex eo fit, quod ſenſus ex æquabili conſtitutione dimouetur.

Oritur ſenſuum Voluptas vel ex naturali indigentia, vel à praua natura, aut vitioſo peruerſoque habitu improba conſuetudine inducto.

Voluptas animi eſt affectio iuuans animũ recte affectum: Hæc eſt abſoluta & καὶ ἐξοχὴν vera.

Voluptas eſt ſimpliciter ſeu ἁπλῶς ἡδονὴ, vel κατά τι ſeu quodammodo: Seu, eſt pura ſinceraque, vel mixta ſeu impura craſſaque.

Voluptas ſimpliciter ſeu pura eſt ἄλυπος, id eſt, quæ non habet admiſtum aliquid dolens: vel quæ oritur ex actionibus, quæ ſunt circa obiecta magis à materia ſecreta.

Mixta & ſecundum quid eſt, cui coniunctus eſt aliquis dolor, vel aliquod faſtidium; vel quæ oritur ex actio-

nibus, quarum obiecta sunt magis cum materia coniuncta. Hæc naturã fathiscentem seu deficientem & exhaustam reficit instauratque. Cessat igitur naturali indigentia (δ᾽ενόσει) expleta. Huius generis Voluptas est, quæ fit à Medicis ad leniendos dolores ægrotorum.

De mixta seu impura Voluptate locus insignis est apud Lucianum in Dialog. Menippi & Chironis.

Menip. Equidem inaudiui, Chiron, te, Deus cum esses, tamen optasse mortem. Ch. Vera ista audisti, ô Menippe, planeque mortuus sum, sicuti vides, cum mihi licuerit immortali esse. Menip. At quænam te mortis cupido tenebat, rei videlicet, quam vulgus hominum horreat? Ch. Dicam. Iam mihi desierat esse iucundum, immortalitate frui. Me. Quid? an iniucundum erat te viuere, lucemque intueri? Ch. erat inquam Menippe. Nam quod iucundum (ἡδὺ) vocant, id ego neutiquam simplex (ἁπλοῦν) sed varium quiddam (ποικίλον τι) esse, arbitror. Verum cum ego semper viuerem, atque iisdem perpetuo rebus vterer, Sole, luce, cibo, tum horæ eædem recurrerent, reliqua item omnia, quæcunq; fiunt in vita, reciproco quodam ordine redirent, atque aliis alia per vices succederent, satietas videlicet eorum me cœpit. Neque enim voluptas in eo est sita, si perpetuo fruaris iisdem, sed omnino in permutando (ἐν τῷ μεταχεῖν posita est. τἀυτὸ parit tandem προσκορὲς seu fastidium.

In quo sit τερπνόν.

Voluptas est per se, vel per accidens, Id est, Quædam sunt τερπνὰ & suauia absolute, Natura sua, & per se ipsa: Quædam Alicui vel per accidens, vt ex vitio eius, qui capitur illis.

Voluptas aut est hominum propria, aut hominibus cum brutis communis.

Voluptas humana est tum ex actionibus virtutum & contemplatione: tum ex sensibus quibusdam, vt odoratu, auditu.

Communes sunt voluptates crassæ, quæ gustu & tactu percipiuntur. Maxima, inquit Scaliger, delectatio est in re Venerea, proxima in gustu.

Voluptates quædam sunt Bonæ; Quædã Malæ, vt obscœnæ, & quæ nocent, ac propter quas turpia committimus. Quædam mediæ, quibus possunt homines & recte vti, & abuti, vt quæ sunt ex cibo & Venere. Natura tamen seu genere si æstimentur, potius bonæ sunt. Bonæ & prauæ sunt tales vel per se, vel alicui.

Voluptates sunt Moderatæ, vel Modum excedentes, itaq; prauæ.

Voluptates sunt necessariæ, vel non necessariæ. Necessariæ, vt corporeæ intra certum modum constitutæ, vt è cibo & potu.

Non necessariæ, vt corporeæ, quæ modũ excedunt.

Voluptates sunt Naturales, vel præter naturam expetitæ. Hę ex morbo, consuetudine, aut deprauata vitioſaq; natura expetuntur. His subiacent Alienæ, non propriæ.

Voluptas est momentanea, vel Durabilis, quæ in tempore fit.

Quod apud Ouid. est 7. Metamor. hyperbolicum est, nisi adstringatur ad speciem certam voluptatis:

——— Vsq; adeo nulla est sincera Voluptas,
Sollicitumq; aliquid lætis interuenit? ———

VOSSITATOR.

Erasmi Roterodami in Comm. de conscribẽdis epistolis vox est Censoria noua: sicut & Vossitatio, & Vobissatio, ineptæ rei ineptiora vocabula, in quibus & insolentissimis titulis elogiisq; oratio non secus atque in salebris quibusdam abhęrescens omnem fere gratiam summo cum fastidio amittit. Quo minus virtutis & sapientiæ est hoc seculo, eo plus ambitiosorum atq; inanium

inanium titulorũ extitit, qui ludibria potius, si cũ re conferantur & veritate, q̃ honorificæ appellationes videri queant: Est ea seruitus ingenuis animis & puri sermonis studiosis grauissima & molestissima: sed tamen his moribus τῶν φιλαύτων & ἀλαζόνων ἄφυκτος, id est ineuitabilis, vt si secus loquare vel scribas, aut rusticus & inurbanus, licet nomen tibi etiam sit Vrbano, aut contumelioſus habearis. Dominationes vestras remitto ad Priscianum vapulátem Frischlini.

VOX.

Vocum aliæ sunt Vnisonæ, aliæ Consonæ, aliæ ἐμμελεῖς (concinnæ). Vnisonæ seu aquisonæ sunt, quæ simul pulsæ vel cantatarum vnũ ex duobus sonum efficiunt, seu quando duæ vel plures voces mouentur in vna claue, vt Diapason & Disdiapason.

Consonæ sunt, quæ compositum & consonantẽ sonum reddunt, vt sunt Diapente, & Diapente cum Diapason, item Disdiapason cum Diapente.

Emmeles sunt, quæ cum consonæ non sint, consonis tamen proxime assistũt, vt sunt tertiæ, sextæ, & reliquæ imperfectæ consonantiæ.

Vox est aut non modulata, aut modulata. Non modulatam veteres dixerunt aslam: talis est histrionum Comicorũ & Tragicorum, quorum illi socco, hi vero cothurno pedes tecti in Scenam prodibant. *In Dramatibus.*

Modulata est naturalis, vt ipsius Chori in Dramatibus; vel Artificialis, vt eorum, qui modos faciebant tibiis. Zuingerus Volum. 2. l. 3.

Vox animi conceptibus declarandis est instituta.

Vox est { Significans { Significans appropriate, vt Scribit. / Consignificans, vt Bene. } / Adsignificans, προσσημαίνουσα, id est secunda quadam ratione significans, vt Nomen, Verbum, Deus viuit, compositio est duarum vocum Nominis & Verbi.

Etymologia est prior pars Grammaticæ de singulis vocibus, non de τῷ Homo & Amo, sed de τῷ Nomen & Verbum. ex. gr.

Non vox Homo de voce Socrates prædicatur, sed species de indiuiduo, quia humanitas est in eo (vt res in re) Scal. ex. 307. s. 22.

Sic partes definitionis non sunt animal & rationale, sed Genus & Differentia. Vide vocem VERITAS.

Vocum notitia consistit in { Significatione. / Notione. / Definitione. }

Vocis, qua vsurus es, legitima significatio petitur ex eius Linguæ peritis, qui talem vocem constituerunt, vt è Græcis, Latinis, Arabibus, Chaldæis, Assyriis, &c. A singulis proprius suarum vocũ vsus discendus.

Notio est communis animi conceptus, quem omnes homines habent non tãtum de significatione vocis, sed etiam de rei per vocem significatæ natura, vt de sanitate hanc omnes habent notionem, quod omnes tunc se sanos appellant, cum solitis funguntur actionibus; De morbo, quod partem, quæ munus suum obire nequit, ægrotam esse putant. De medico, quod eum medicum esse arbitrantur, qui nouit arte hominum morbos propulsare: Notiones nisi sint æquales rebus, falsum creant. Scal. lib. 1. de plantis, & Schegk. 1. Top.

Definitio est rei per vocem significatio, declaratio perspicue & breuiter per.

proximas rei constitutrices causas facta, vt morbus est affectus præter naturam, actionem lædens primo & per se. Differt à notione: hæc enim in cuiusq; plebei animo versatur, sed Definitio à solis eruditis constitui potest, quippe qui proprium definiendi rei genus & propriam formam norunt. Intellige igitur hic definitionem essentialem, quæ & absolute definitio dicitur, non descriptionem.

In Musica voces sunt fictæ syllabæ, quib. cantus effertur. Ex his sunt superiores tres, inferiores totidem.

V V L G V S.

Non est hoc notum in vulgus, quod vulgi appellatione non modo fex hominum, seu plebs, sed sæpe Magnates cõtinentur, si nihil supra vulgum aut carnem sapiant. Ita accipitur in hoc disticho Benedicti Ariæ Montani in Dauide suo:

In tenebris iaceat vulgo non agnita virtus,
Extabit tandem vindice fulta Dei.

Et cum dicitur sapientum documenta contemnit, non sequitur aut obseruat vulgus, groß Hanns vnd klein Hanns. Matth. Bergius in explicat. 3. opinio vulgaris & vulgi est πολλῶν δόξα, hoc est, non tantum ignobilis multitudinis, sed etiam claro illustriq; genere natorum virorum, sed non accurate philosophantium, seu res non penitus expendentium. Itaque vulgus opponitur Sapientibus, vt; De commodis & incõmodis naturæ aliter longe iudicat vulgus, id est, rudes homines; aliter sapientes (*quibus melior sententia cordi est.*) Sententia quo est à vulgo remotior, eo calumniæ propior, Scaliger.

V V L T.

Ab Aristotele sæpe accipitur pro solet vel Debet. Lib. 3. de moribus. τὸ δ' ἐκούσιον βύλεται λέγεσθαι. l. 2. Phys. βύλεται γὰρ ὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον τέλος. Non. n. omne extremũ finis dici debet, sed id demũ, quod est optimũ. Rhet. 2. βύλεται ὁ κατηγορῶν βελτίων εἶναι τοῦ φεύγοντος, Accusator videtur debere esse melior reo. Lib. 5. Eth. de numo, βύλεται μένειν μᾶλλον, Manere firmus & stabilis magis solet natura. Et, ὁ δικάστης βύλεται εἶναι οἷον ἔμψυχον τι δίκαιον, Nihil aliud videtur esse iudex quam ius quoddam animatum. Top. 6. τὸ δὲ γένος βύλεται τὸ τί ἐστι σημαίνειν, Genus autem videtur (vel debet) quid res sit significare. Lib. 8. Eth. πατρικὴ ἀρχὴ βύλεται ἡ βασιλεία εἶναι, i. ad patriam potestatẽ videtur proxime accedere regnum. Dionys. Lambin. in Annot. in 7. Eth. Arist.

Scaliger Vult & Recusat aliquando tribuit inanimis per translationem. Ad vnius conflationem haud recussant coire, coexistere qualitates. Ex. 12. s. 4. Et: Nullus gradus frigiditatis cum vllo gradu calidi societatem inire vult in mistis fortuitis. Ab anima motus esse vult, in ea esse nõ vult. Scal. ex. 307. s. 5.

Gaudet pro vult Græcismus est, vt;
Decipier mundus duciq; per auia gaudet,
Die Welt will betrogen sein.

LITERA B.

BALSAMVS.

BAlsamum in βοτανολογίᾳ est arbuscula odoratissima in Iudęa sola nascẽs, Plin. l. 12. c. 15. Opobalsamũ idem vocat succum balsami.

Balsamus Chymicis generaliter est 1. quicquid corpus vel viuum vel mortuum à putredine conseruat.

2. Quoduis oleum distillatum & exaltatum, id est, ad summum puritatis gradum adductum.

3. Omne illud quod celeriter sanat.

Specialiter est tẽperatissima quædã Substantia, salis interioris liquor φορφυ-

λακτικὸς, id est, turo & potenter à putrefactione præseruans: Alias, Naturæ corporis gluten temperatissimum.

Balsamus naturæ à Chymicis appellatur sulphur vnum ex tribus illis omnium rerum primis, oleosum illud, quod arder, principium formatiuum partim aerium, partim igneum & ætheriæ naturæ particeps, per quod virtus rebus inest. Paracelsus etiam sal & liquorem Mercurialem vocat balsamum.

Balsamus igitur est Externus, vel Internus. Externus habetur in signific. general. Internus in speciali.

BARBARVS.

Omnes qui crasse loquuntur, Barbari vocantur, quales olim habitæ fuerunt omnes nationes præter Græcos. Itaque hi quoque Barbari dicti sunt, qui non perfecte Græca pronuntiabant, vt Cares populi, quos Homerus vocat βαρβαροφώνους. Vide Strabon. l. 14.

Romani etiam Barbaros vocabant alias à se gentes, è quibus nemo recipiebatur in ciuitatem Romanam.

BASIS, βάσις.

Basis est solum, quod aliquid sustinet. Sic Cicero vtitur. Sic enim inquit: Statua ablata, basim tamen in foro manere voluerunt.

In Geometria Basis Trianguli dicitur Latus, cui crura innituntur.

Basis Græcis oratoribus est conclusio, & tanquam ὅμοιον μέσον exordii. Valent. Erythræus.

In Musicis Basis Symphoniæ dicitur vox infima.

BEATITVDO.

Beatitudo est commune πρὸς ἕν.

Principaliter Beatitudo est bonum sufficiens, hoc est excludens defectum vel indigentiam: est bonum completum, id est, excludens imperfectionem seu diminutionem, est bonum vltimum. Excludens itionem & πορείαν, id est, destinationem ad aliud. *Vltimatũ, Tendentiũ ordinabilitatẽ Barb.*

Deinde Beatitudo idem est quod felicitas priori subordinata, qualis est externa, vt εὐτυχία, cui opponitur δυστυχία. *Perfectio naturæ intelligentis, quæ fruitur summo bono.*

Beatitudo interdum accipitur pro coniunctione cum obiecto perfectiuo externo, vt est Deus, vel pro fundamento proximo huius coniunctionis.

Distingui etiam potest Beatitudo in beatitudinẽ simpliciter, & secundũ quid.

Beatitudo simpliciter est perfectio secunda immediate coniungẽs obiecto perfectiuo nobilissimo. Secundum quid, est perfectio secunda coniungens obiecto minus nobili perficienti.

Perfectio secunda, dico, ad differentiam primæ. Exprimitur autem secunda per hoc, quod est bene essẽ: Bene autẽ esse præsupponit bonitatem primam alicuius, cui bene sit.

Deniq; Beatitudo vel dicit bonum solitarium, vel *a* aggregationem omnium bonorum ad beatificabile pertinentium. Sic Boet. 3. de consolat. Beatitudinem dicit esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum. *a Complexionem dicit Cicero.*

Priori modo dicitur proprie in Theologia & Ethica, vbi docetur beatitudinẽ consistere in operatione: vel in coniũctione immediata ad summum bonũ seu supremum appetibile beatitudinẽ consistere completiue, in ipsa autem operatione proxime fundamentaliter, id est, tanquam in proximo fundamento.

BEATVS.

Beatum esse est summe sibi bene esse. Scotus l. 4. dist. 49.

Beatitudo (finis fruiens appetitũ) {
- Obiectiua, Increata, DEVS, obiectum beatum faciens, ad quod percipiendum anima nostra ordinata est.
- Formalis, vt informans, creata, optima hominis operatio {
  - Cognitio seu visio DEI.
  - Delectatio ex visione DEI.

E Scalig. exercit. 307. sect. 26.

Beatitudo { In subiecto, quæ subiectum facit beatum, Participata.
Quæ neq; est in subiecto, neq; subiectum vllum.

Beatus & Felix Aristoteli differunt. Nam Sapiens, qui vere est beatus, quod rerum causas cognoscat, potest esse in aliis rebus infelix. Contra, Tyrannus qui felix est opibus, non est beatus. Aristoteli Beatus est, εὐδαίμων, Felix εὐτυχὴς, εὐδαιμονία Beatitudo, εὐτυχία, Felicitas.

Sed Platoni etiam Felices opibus aliisque rebus beati dicuntur. 3. de legib. Filios Regum Persarum vocat εὐδαιμονίους καὶ μακαείους, id est beatos, & addit rationem, quia nullius indigeãt, ὅτι δεῖς ὄντας εὐδενὸς. Contra l. 2. de legib. ita ait: Felix ille est, εὐτυχὴς, cui contigit in senectute, vt sapientiam assequatur verasq; opiniones. Dat igitur Plato commutatione quadam vocum εὐτυχίαν sapientiæ, & εὐδαιμονίαν Felicitati. Herodotus quoq; de Corintho florente opibus dixit, l. 3. Κοείνθυ τῆς εὐδαίμονος βασιλεὺς. Recte igitur Virg.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Prudẽtius accedit his 2. cõtra Symmach.

O felix nimium sapiens, & rusticus idem.

Non enim, vt inquit Libauius, exigua pars sapientiæ pertinet ad agriculturam.

B E L L V M.

Bellum est à Duello, quod inter duos sit. Sic Bis à duis, vel Græco δίς. Sunque hæc Synonyma.

Per duos autem intellige tum duas personas, (hęc autem est monomachia) tum duas partes.

Ab Historicis & Politicis pro prælio vel pugna seu impugnatione violenta, quę fit gladio & armis, vel pro toto militiæ tempore accipitur.

Improprie pro lucta, certamine & pugna vel reali, quæ est inter rationem & affectus seu appetitum sensitiuum, de qua Ethic. lib. 7. inter carnem & Spiritum, de qua Theolog. ex Epist. ad Rom. 7.

(*Bellum cum vitiis, pax cum mortalibus esto:* Der Sachen Feindt/deß Mañs Freundt.)

Vel inter aliquos dissidentes sententiis, παγμαχία, vel verbalis, quæ fit verbis, λογομαχία, Picus in l. de Ente: Hic Auicennæ cum Auerroe magna bella pugnata: sed parua in re discordia, Sic dicitur Bellum Theologicum, & Gigantomachia inter Theologos, & inter quæ pugna contradictoria est, ea dicuntur dissidere inter se πολέμῳ ἀσπόνδῳ, id est, pugna irreconciliabili, quale dissidium imperiti tribuunt Theologiæ & Philosophiæ. Bellum dicitur esse inter mentem & manum, cum quis aliter scribit, quam sentit, de quo hoc; ἄλλο χεὶρ, ἄλλο νοῦς. Ex Matthæo Slado.

Proprie ergo pugna seu certamen, μάχη & Bellum, πόλεμος, differunt vt Genus & Species.

Bellum Politice acceptum est Iustum vel Iniustum. Bellum Iustum deposcit authoritatem, legitimam causam, intentionem rectam, iustum moderamen.

Authoritas est Iuris vel Iudicis.

Iuris authoritas interuenit, dum bellare concedit ius humanum, naturale, diuinum.

Authoritas iudicis interuenit dum bellum geritur de mandato Principis vel Eccle siæ.

Princeps intelligatur, qui non habet superiorem, vt Rex, Imperator.

Causæ iustæ sunt Defensio, Correctio, Recuperatio.

Defensio est legum humanarum ac diuinarum, patriæ ac hominum.

Corre-

Correctio est coercitio malefactorum, & iniuriarum, vel eorum, qui hanc negligunt aut iniuste impediunt. (Ita bellum iusta pœna est.)

Recuperatio est iniuste ablatorum & detentorum.

Intentio recta ex amore procedit DEI, proximi, virtutis, pacis, iustitiæ, nõ vt moueatur bellũ ex ἀτάκτῳ πάθει. Absit nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus animus, feritas rebellandi, libido dominandi, August. l. 22. contra Faustum.

Iustum moderamen in eo est, ne aut innocentes lædantur, aut nocentes plus iusto; vt etiã promissa hosti seruentur.

Bellum (iustum) diuiditur in defensiuũ & vindicatiuũ. Distributio est ex causis impulsiuis, nõ è finalibus. Nam impulsiua causa belli suscipiendi est vel defensio, vel vindicatio necessaria & legitima. Sed finis eius est pacis publicæ conseruatio, vel amissæ recuperatio. Itaque hæc distributio esset è Finibus: Bellum est pacis Conseruatiuum (συντηρητικὸν) vel Recuperatiuum, (ἀναπτητικόν.)

BIFORME, Δίμορφον.

Biforme in Physicis est quod habet duas formas, vt mistum genus corporum seu corporatarum rerum, quod παρὰ φύσιν est. Sic Satyri & Panes dicuntur biformes, & similia monstra.

Bifrons est biformis Græcis etiam.

Oratio etiam, tam soluta, quam ligata, aliquando biformis dicitur, quod duplex habeat εἶδος.

In Grammatica Mauritiana Biforme Verbum dicitur, quod in vtraq; forma seu diathesi flectitur, vt amo amor, flecto flector. Vniforme ei opponitur, nempe quod in altera tantum flectitur; vt volo, sedeo, curro, prandeo, loquor.

BILIS *Terminatio.*

In Philosophia in BILIS significant
- Actiue, impeccabilis, Risibilis, Spirabilis.
- Passiue, Insolubilis, Visile apud Scalig. pro visibile.
- Vtroque modo; vt intelligibilis, sensibilis, rationabilis, penetrabilis.

Risibile Philosophis Latinis est vi ridendi præditum, Græce γελαστικὸν, γελαστὸν vero & γελοῖον sunt ridiculum, risum mouens seu concitans, & risu dignum.

Intelligibile, quod habet vim intelligendi, νοητικὸν: Quod intelligi potest, νοητόν. Sed posterior significatio est frequentior.

Sensile 1. quod habet vim sentiendi. 2. quod sensum mouet, αἰσθητικόν. 3. quod sub sensum cadit, vel quod ex iis, quæ sentiuntur, hauritur, αἰσθητόν.

Nulla creatura per naturam potest esse impeccabilis (ἀναμάρτητος) nisi sit assumpta à Supposito diuino. Scot.

Rationabile animal pro rationali, & Rationabile pro eo, quod est, ratione ostendi potest. Laurentius Valla Latinitatis seruerissim⁹ censor cap. 26. l. 6. docet pro eodem accipi Rationabile, Rationale; Exitiabile, exitiale, sensile & sensibile, hocq; confirmat versu Lucretii:

Ex in sensibili ne credas sensile gigni.

Et addit, eiusmodi nomina etiamsi nonnunquam ad actionẽ referantur, passiuę tamen potius significationis esse, adeo vt sensibile vel sensile Lucretii dictũ existimet eadem licentia poetica, qua illud Vergilianum, Penetrabile frigus adurens, pro penetrante. Vide defensionem Iacob. Carpentar. cont. Talæum.

Sensibile actiue acceptum vocant etiam sensuale, eiq; opponunt intellectuale. Sic animam sensualem & intellectualem dicunt.

B I S dicere.

Bis dicere, & Bis prædicari differunt. Nõ est inanis repetitio, si idem bis dicitur, sed si idem sæpius prædicatur. Tum demum eorundem repetitio vituperãda est, cum eundem in finem & eodẽ modo aliquid repetitur. Cum autem diuersum in finem & alio modo idem dicitur, vituperari non potest. Verbi gratia, si dicam in Topicis ex omnibus causarum generibus possunt confici probabiles ratiocinationes; & in Sophisticis ex omnibus quatuor causarũ generibus existere fallaces conclusiunculas, non est inanis repetitio. Hauenreut. in prolegom. organ.

In disciplinis tamen per præcepta docendis præstiterit & artificiosius fuerit generalia generaliter & tantum semel docere, postea vero in speciebus intelligi. Ramei in Lege Reciprocationis.

B O N V M,

ἀγαθὸν, καλόν.

1. Accipitur Bonum vel Bonitas pro eo, quod cuiq; conueniens est, ideoque est appetibile. 2. Pro perfecto (vel perfectione) id est, eo, cui nihil deest, siue simpliciter, siue in certo aliquo genere.

3. Bonum
- Incommutabile per se & sua natura & essentialiter. Summum seu primum, quod ex se bonum est.
- Participatione incõmutabile. Particulare, quædã summi boni participatio. Plotin. Enn. 6. l. 7. c. 19. Ἀγαθοειδὲς. imago summi boni. sunt bona hominis.

Seu ἀγαθὸν est Ipsũ τὸ δέ τι εἶναι, seu ὅπερ αὐτὸ αὐτοαγαθὸν, vt DEVS est ipsum bonum καὶ χωρισμένοι (separatum) ἀνειδέτε: (nõ indigẽs) & prorsus simpliciter Bonum, nõ aliquid in aliquo bonum, nõ τόδε ἐν τῷδε.

1. Hoc ab alio non habet rationem Bonitatis, sed alia propter ipsum dicuntur bona.
2. Hoc nullo alio adiuncto per se bono fit melius.

Vel est participatum, vt εὐδαιμονία, ἀρετὴ & τάξις, Beatitudo, virtus & ordo

Generalia bona in rebus à Deo factis sunt
- Modus.
- Species. c. 1. De Natura mali.
- Ordo.

Bonum
- Simpliciter, Purus actus sine admixtione potentiæ; Cuiusmodi est Deus.
- Compositè, Compositum ex subiecto & perfectione, vt Homo virtute præditus.

In primo nullo modo malum esse potest. Secundum mali capax est, subiecti ratione.

Hoc formaliter Bonum est.

Bonum id quodcunque conueniens est
- Vniuersale seu summum, seu primum, quod ex se bonum est.
- Particulare; quædam summi Boni participatio. Plotin. Enn. 6. l. 7. c. 19.

Appetibilitas est eius propria affectio.

Platonici per mentem ἀγαθοειδῆ, imaginem summi Boni intelligunt Filium DEI, Diuinitatis speculum: quia qui videt hanc mentem, inquit Paul. Scalig. l. 4. ad amussim videt ipsum patrem ac Bonum.

Bonum tripliciter dicitur. 1. Est ipsa rei perfectio. Sic acumen visus est bonũ oculi, quia est oculi τελειότης. 2. Res ipsa habens suam perfectionem, vt homo humanitate præditus vel scientia. 3. Ipsum subiectum ἐν ᾧ, quatenus est in potentia ad perfectionem, vt anima ad scientiam, ὑσία oculi ad acumen visus. Iohan. Scharpius l. 1. de peccato, c. 1. Bonum primo modo sumptum priuatur per malum. Ideo in tali bono malum esse nequit. In secũdo malum esse potest, tolli enim potest perfectio, vt visus tollitur cæcitate.

Bonum est causa mali ex accidente, non ex se, id est, omne malum fit à bono per accidens & præter naturæ intentionem. Malum culpæ est à libera voluntate Angeli & Hominis. Malum pœnæ à DEO.

Scholiastes Epistolar. Dionys. Areopag. Interdum bonitas non dicitur absolute, sed contracte atque participate. Ita Deus est super Bonitatem: Interdum intelligitur bonitas incontracta, imparticipata, cum dicitur, Nemo bonus nisi vnus DEVS.

Bonum dicitur in duplici ratione, aut prout terminat motum & desiderium agentis: ita finis rationem habet: aut prout agentem inclinat ad agendum: Ita competit processui rerum à principio. Albert. Magn. in expos. cœlestis Hierarch.

Bona { Generalia in rebus à Deo factis { Modus, Species, Ordo
Specialia, vt Lux, Tenebræ.

Daniel. 3. in hymno trium puerorum: Etiam lux & tenebræ laudant DEVM, id est, eius laudem in bene considerantium cordibus pariunt, cap. 16. de Natura Boni aduersus Manichæos, August.

Bono opponitur Malum, *quod est destructio vel ordinis diuini, vel naturæ diuinitus conditæ.* Illud malum culpæ, Hoc malum pœnæ dicitur. Illud malũ turpe, hoc malum inutile vel molestum ac insuaue nocensq; dicitur.

x. cap. de natur. Mali August.

Turpe.] quod discrepat à norma in mente diuina, vel non congruit cum recto iudicio rationis.

Definitio.

Mala (vt nocentia) possunt esse materialiter bona; quia materia à Deo creata est, ideoque res bona. Sic cicuta bona est, etsi post lapsum noceat homini: quæ tamen & sacro igni medetur. Idem de aliis venenis iudica.

Bonum quod { Priuatur per malum. Substernitur malo. Agit { Per se. Per accidens.

Vsus.

Neq; actus, neq; potentia est causa mali. Bonum est actus & potentia. Ergo nullum bonum est causa mali. (Intellige malum culpæ:) Hæc obiectio est apud Thomam Aquinatem contra sententiam, Quod bonum sit causa mali, quatenus deficiens bonum est & agens per accidens. Ea vt soluatur, distinguendum est inter bonũ, quod priuatur, quod substernitur, & quod agit. Causa per accidẽs mali nec est bonũ, quod priuatur per malum: nec bonũ, quod substernitur malo, de quibus

obiectio: Sed bonum, quod est agẽs, hoc nimirum dum introducit vnam formam, priuat aliam. Hoc bonũ deficiens est, quatenus in voluntate spectatur defectus ante Electionem deficientẽ, qua eligit secundum quid bonum, quod est simpliciter malũ. Dico autem deficiens, quia boni ad deficiendum aptitudo, vt ita dicam (Barbari dicunt, Boni defectibilitas) non est sufficiens causa, vt malum sit in actu, sed bonum defectum habens in actu.

Bona humana Oratores in Doctrina generis demonstratiui faciunt Externa, & Interna.

Externa vocant fortunæ, quibus subiiciuntur honesta patria, nobilitas generis, honesta educatio, honestum genus vitæ, diuitiæ, amplitudo & gloria, Honor, gratia, authoritas, amicorũ multitudo & præstantium copia, liberorũ felicitas & multitudo, felix coniugiũ, libertas, placidus ex hac vita exitus, casus, qui post mortem sequuntur, & similia.

Interna bona nominant Bona Naturæ, quæ sunt partim corporis, partim animi.

Corporis bona sunt bona valetudo, formę dignitas, vires corporis & robur, vigor in singulis ætatibus, vegeta senectus, multi ætatis anni, sexus ratio, agilitas membrorum, industria in equitando, currendo, luctando, & similibus corporis exercitiis.

Animi vero bona partim sunt διανοητικά, partim προαιρετικά, partim παθητικά.

Διανοητικὰ sunt, quæ in mente sunt collocata, vt præstantia ingenij, rectitudo iudicij, firmitas memoriæ, doctrina, prudentia, sapientia.

Προαιρετικὰ sunt virtutes, quarum enumeratio & catalogus commodissime ex Decalogo sumitur.

Παθητικὰ sunt affectus heroici; vt vis misericordiæ, φιλοστοργία erga coniugẽ, liberos, parentes & propinquos, zelus.

Eodem prorsus modo mala, ex quibus vituperatio sumitur, discerni possunt: Contrariorum enim eadem est ratio.

Bona cum gradibus ipsorum considerantur 1. Singula, vel Vniuersa. 2. In se vel comparate.

Vsus distinctionis.

Res possunt dupliciter considerari. Aut ἁπλῶς, vt sunt in sua natura: Aut συγκριτικῶς per comparationem ad finem vniuersi. Si priori modo considereretur, ita quidem bona est à bono, vt tamen possit esse melior. Sin secundo modo, id est, collatione ad finem, τὸ παντὸς, quod est bonum (vt in exercitu) non æqualiter ab omnibus participatum nõ potuit quid melius fieri: Sicut sonus mediocris seu acutus est quidem melior; quam grauis, sed tamen harmoniam faciunt si coniungantur hi soni: in qua si vnus grauior vel acutior efficeretur, fieret dissonantia. Similiter si res inferior in Vniuerso fieret æqualis superiori, licet ea in sese melior esset, fieret tamen dissonantia in toto systemate seu vniuerso, & quia vt dicitur à Philosopho in Ethicis bonum Vniuersitatis, Collegij, vel gentis melius est bono hominis, vt vniuersum esset optimum, secundum regulam mensuramque sui finis, fecit Deus res quasdam, quæ aliis bonitate essent inferiores. Vnde Augustinus: *Bona* sunt, quæ condidit DEVS, etiam *singula, simul autem vniuersa valde* bona. Ad obiectionem retundẽdam vtilia hęc sunt sequentem. DEVS aut meliora facere nequiit his, quę fecit, & ita est Impotens seu potius non omnipotens: Aut nesciuit, & ita ignorantia in eum quædam cadit: Aut noluit, & ita inuidus est. Hæc autem omnia sunt à Deo remotissima. Ergo vnumquodq; fecit optimum.

Non est inuidia, si Deus non dat rebus ea, quæ rum pertentia ipsarum non est capax.

Resp.

Resp. Optimi non est optima facere singula, sed vniuersa simul meliora, cum bonum omniũ vnum sit melius quam vnius.

Vnumquodque tamen facit bonum, vt potest fieri pro capacitate materiæ vel potentiæ, quæ iniacet in opere Dei, licet non præiaceat (vt loquitur Albert. M.) sicut dicit Philosophus, optimum coriarium esse, qui facit ex quolibet dato corio melioré calceum, qui quidem potest fieri. Sed diuersa dispositio materiæ est ab ipso vt ab agente omne bonum vniuersi. Solutio hæc est Alberti. Obiicitur etiam: Melior fuisset natura hominis, si talem fecisset Deus, quæ nec mori, nec peccare potuisset, August. Respondet hic Albertus Augustinum intellexisse meliorem futuram fuisse hominis naturam in se quidem, sed non quoad finem vniuersi.

Bonum & Malum cadunt sub Actionem & cognitionem, sed alia atq; alia ratione. Sub actionem [a] prout re ipsa sunt, & ea ratione bonum & malum proprie appellantur. Sub cognitionem, [b] quatenus animo concipiuntur. Zabar. l. 1. de Natur. Log. c. 13.

[a] *Secũdum esse reale.*

[b] *Secũdum esse cognitum.*

Bonum
- Naturale
  - Ἀρχέτυπον — DEVS, omnis boni fons.
  - Ἔκτυπον
    - Vtile, quod iuuat conseruationem naturæ.
    - Suaue, quod cõgruit cum aliqua naturali appetitione, vt cum bibens in siti delectatur potu.
- Morale
  - Ἀρχέτυπον, seu Diuinum, vt DEVS, sapientia æterna & immota in DEO, ordinans recta & sanciens discrimen inter recta & non recta, & voluntas Dei semper volens recta.
  - Ἔκτυπον, vt humanum, actio, motus, habitus congruẽs cum æterna & immota Dei sapientia, patefacta in lege Diuina, quæ & in creatione indita est mentibus hominum, & postea voce diuina promulgata; seu congruens cum recto iudicio rationis. Hoc enim congruit cum norma in mente diuina.

Sic Lex ἀρχέτυπος & prima seu πρῶτον νόμιμον Empedocli est ipse DEVS, ordinans omnia in hominum mentibus & in tota natura.

BONITAS.

Bonitas aut οὐσία est, aut accidens. οὐσία vt DEVS, αὐτὸ ἀγαθὸν, Bonum simplicissime ipsum. Accidens, vt Qualitas. Bonitas creaturis data est qualitas, quę admittit ἄνεσιν καὶ ἐπίτασιν, id est, magis & minus, non autem οὐσία, quæ magis & minus respuit.

Bonitas, quæ est essentia seu bonum entitatis, nõ est in aliquo aliquid, nec est vllius particeps contrarii.

Bonitas, quæ est qualitas, est in aliquo vt Bono, & cõtrarium habet malum. Priuatio boni fundatur in aliquo bono.

Sic Scaliger: Bonum Entitatis non habet contrarium: est enim eadem cum ipsa entitate: omne igitur Ens Bonum est, quatenus Ens. *Bonũ transcendẽs seu Entitatiuum.*

Bonitas est Independens, DEVS, vel Dependens, participata. Illa perfecte

& ſimpliciter bonum dicitur; Cuius proprium eſt etiam malis dextre beneque vti, omniaque in orbem & τάξιν perfectæ iuſtitiæ redigere.

Bonum independens eſt αὐταρκὲς, id eſt, aliud extra ſe bonum non quærens, ſed in ſe ipſo acquieſcẽs perfectiſſime.

De Bono Dependente eſt illud: Creatum Bonũ eſt permutabile malo, quod (malum) ſine bono ſubſiſtere nequit.

Bonitas etiam accipitur à Philoſophis pro perfectione, Bonum pro perfecto, id eſt, eo cui nihil deeſt, ſiue ſimpliciter, ſiue in certo aliquo genere.



Creata] Conuenientia limitata creaturæ cum Deo: ſeu imago Bonitatis Diuinæ per participationem creaturæ impreſſa.

Naturalis] Conueniẽtia Entis cum regula creationis & naturæ generantis: Alio nomine Bonitas eſſendi, integritas naturalis, vt Sanitas, Bonitas ingenii, pulcritudo.

Moralis] Conuenientia Entis cum lege Morali.

Habitualis] Virtus moralis.

Actualis] quæ eſt in proba actione.

Artificialis] Conuenientia Entis cum regula artis.

Reſpectiua] Per quam Ens extra ſe bonum eſt.

Honeſtas] Bonitas Moralis, per quam Ens apud alios honorem & laudem meretur ſibi vel aliis.

Vtilitas] Bonitas, per quam Ens ad aliud eſt vtile ſeu commodum ſibi vel aliis.

Iucunditas] Bonitas, per quam Ens voluptatem parit ſibi vel aliis.

Bonitas alia eſt rei, quam habet cum primum eſt, Naturalis hæc bonitas, quæ eſſe indiuidue inſequitur, & eſt fundamentum ac baſis reliquarum bonitatum: de hac eſt Axioma: Vnumquodque quod eſt, eatenus eſt bonum, quatenus eſt. Alia huic adueniens, quæ eam perficit & exornat. Aliud bonum eſt Humanitas, qua homo eſt homo: aliud bonum eſt ſapientia,

tia, qua non iam homo est, & qua non fit homo, sed qua homo sapiens euadit, sicut & hæc aliud & illa aliud ens est & dicitur.

Sicut ergo omnia appetunt esse, sic etiam omnia appetunt bonum, & vicissim: & primo quidem appetunt eam bonitatem, quæ esse naturale consequitur; deinde alias εὐημερίας, quia prima illa eis non sufficit, cum requiratur ad bene esse.

BONVM ET ÆQVVM.

Bonum & æquum ab antiquis Politicis simul vsurpantur seu coniunguntur, vel κατὰ συνωνυμίαν seu ἐκ παραλλήλου, vel vt differant, ita vt bonum nos, æquum spectet alios, (quod non placet)

Est autem Bonum & Æquum ius oppositum vel duriori, vel iniquitati, quod patet ex hoc Terentii in Adelph. Num ipse durus es præter æquum & bonum. Ius non illud quidem lege comprehensum seu legitimum, vt vocat Aristoteles, sed legitimi iuris quædam emendatio, ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου, mitigatio quædam iuris, in eius qui iudicat conscientia & prudentia posita. Siquidem cum Lex posita sit in vniuersum, sint autem quædam, de quibus vniuersim caueri non potest: Lex tamen nihilosecius καθόλου loquitur necessario, tametsi id prorsus recte fieri non queat. Sed videlicet Lex id, quod plerumque verum est, amplectitur, erratis ipsa sui conscia: quanquam id non legis, aut legislatoris, sed reiipsius peccatum est. Sic enim natura comparatum est, vt omnia quæ aguntur, legis præscripto constitui non possint. Hanc iuris scripti emendationem bonum & æquũ, & ὃ βέλτιον δίκαιον vocatur (Arist. 5. Ethic.) ius autem scriptum ἀκριβοδίκαιον, h.e. summum, exactius, rigidius.

Bonum & æquum non ex vi verborum, sed ex interpretatione & voluntate scriptorum est.

Verbi tamen etiam nonnunquam *laqueo capitur æquitas*, nempe cum aucupamur eam non ex scriptoris sententia, sed ex verbis scripti. Ioh. Tislin. in commen. pro A. Cecinna.

Æquitas in l. Agraria animi moderationem & simplicem apertamque bonitatem significat. Petr. Ramus.

Cum veteres dicebant, Cui Bono, Vtile intelligebant.

BONVS DOLVS.

Dolus bonus in Politicis solertia quædam est laudabilis, qua hostes maxime decipiuntur, & amici plurimum iuuantur. Strategemata hæc sunt. Scaliger vocat versutias, id est, calliditates imperatorias. Alii vocant calida & callida consilia, ac referuntur ad Prudentiam obliquam. Vid. Lipsl. 5. Pol. c. 17. Petr. Mart. Class. 4. Loc. Comm. c. 16. Zuinger. vol. 7. Theatr. l. 3.

In Medicina bonus dolus est, cum Medicus reluctantem ægrum & inuitum, nihilque tale cogitantem vel secat, vel vrit, vel purgat, vel quid aliud agit. In Thesibus Politico-Medic. Frid. Pierii.

Opponitur dolo bono dolus malus, quo pertinet adulteratio mercium, & crimen stellionatus, de quo Lex est Plat. l. 11. de Leg. manans ex fonte naturalis iuris, qui est sine dolo bene agier & sine fraudatione, &c. Lex longiuscula videatur in Platone.

Dolus malus] malitia cum simulatione pronitatis & boni viri.

BENE.

Bene accipitur Generaliter & Specialiter. εὖ ἔχειν Generaliter, vt bene habere dicatur, καλῶς qui honestus est, qui pulcer est, qui bene valet. Specialiter, vt sit idem, quod Beate, vt, O quã bene habet ille, id est, quam beatus est. Conrad. Pelican. in Paraphras. Psalter. Bene pro valde, vt bene longa oratio ex aliis notum est. ἔχειν.

Bene viuere interdum est Beate viuere,

honeſte ſeu cum virtute viuere. In Plat 1. Alcib. εὐδαίμονες dicuntur ἓυ πράτ̃οντες. & 4. Pol. μακάριος & εὐδαίμων dicitur εὖ ζῶν. Interdum eſt luxurioſe voluptarieue viuere, & ita opponitur beatæ vitæ. Sic accepit Cic. 2. de fin. cum ait: Hos aſotos bene quidem viuere, at beate nunquam dixerim. Sic Franciſc. Syluius in comm. pro Rege Deiot. Bene viuere eſt *honeſte viuere*, iucunde & feliciter.

BREVE.

Breue aut eſt ſimpliciter, aut comparate.

Simpliciter, vt cum dico, aliorum animantium vita breuis eſt, aliorum longa.

Comparate, vt cum ait Hieronymus l. 2. in Ierem. Laudante Trithemio: *Nihil longum, quod finem habet; æternitati comparatum omne tempus breue eſt.*

In Geometria Linea breuis etiam longitudo eſt, & dicitur à Ramo in Geom. magnitudo longa.

Alias breue reſpectum habet ad longum, teſte etiam Scaligero.

In Oratione ſpectat modo verba, modo res.

BVXEVM.

Buxeum (πυξινὸν) eſt ex buxo factum, vt frumentaceum, quod ex frumento factum eſt, aliud eſt frumentarium.

Buxeus (πυξοειδὴς) color eſt, qui imitatur colorem buxi. Eſtq; dilutior luteo, qui eſt auroræ, & oui vitelli. Naſo:

Pallidius buxo corpus amantis erat,

(Quia à pallido buxi color non multum abeſt.) Scaliger eum ponit inter colores, qui poſt flauum ad fuſcedinem vertunt. Ex. 325. ſ. 12.

LITERA C.

CABALA.

IN ſpecie ſignificat antiquam quandam traditionem ſeu doctrinam Hebræorum per ſucceſſionem propagatam & receptam, continentem abditum ſenſum elogiorum Dei, doctrinam ſecretiorum DEI, legis diuinæ myſteriorum.

Generatim ſignificat quamq; ſcientiam ſecretã ſeu rei ſecretæ & myſticæ, qualis eſt ea, quæ de virtutibus rerum ſuperiorum, quæ ſunt ſupra Lunam, quę eſt pars Magiæ Naturalis ſuprema. Itaque quodq; ἐπίκρυπτον, ꝙ occulta via alicunde habetur, dicitur haberi per Cabalam. Origenes author eſt Moyſi ſpeciatim (huiuſq; ſimilibus Prophetis) & ab eo 70. ſapientibus cõſiliariis, ſeu ſenioribus à Moſe electis ex præcepto Domini reuelatam & intimatam, quos vocant Hebræi Sanedrim. Eſdræ tempore Synagogæ fuerunt myſteria Cabalæ in 70. libros redacta.

Cabaliſtæ dicuntur ab Hieronymo Magiſtri, per excellentiam. Explicant Biblia analogice, Legem non litteraliter, ſed myſtice. Sic Picus in Apolog. Sciendum duplicem accepiſſe legem Moyſen in monte, Litteralem & Spiritualem: illam ſcripſiſſe, & ex præcepto Dei populo communicaſſe. De hac vero

vero ei mandatum ne scribetet ipsam, sed sapientibus solum, qui erant 70. communicaret, quos idem Moyses ex præcepto DEI elegerat ad custodiendam Legem; eisque itidem præciperet ne eam scriberent, sed successoribus suis viua voce reuelarent: tum & illi aliis, & sic ordine perpetuo. Ex quo modo tradendi istam scientiam, per successiuam scilicet receptionem vnius ab altero, dicta est ipsa scientia, scientia Cabalæ, hoc est, Scientia receptionis, quia idem significat Cabala apud Hebræos, ℘ apud nos receptio. Fuerunt aũt postea hæc mysteria literis mandata. Idem in Orat. Cabala Hebræorum Latinis est receptio, quod illam doctrinam nõ per literarum monumenta, sed ordinariis reuelationum successionibus alter ab altero quasi hereditario iure reciperet. Verum postquam Hebræi à Babylonica captiuitate restituti per Cyrum, & sub Zorobabel instaurato templo ad reparandam Legem animum appulerunt; Esdras tunc Ecclesiæ præfectus post emendatum Moyseos librum cum plane cognosceret per exsilia, cædes, fugas, captiuitatem gentis Israeliticæ, institutũ à maioribus morem tradendæ per manus doctrinæ seruari non posse, futurumq; vt sibi diuinitus inducta cœlestis doctrinæ arcana perirent; quorum commentariis non intercedentibus durare diu memoria non poterat, constituit, vt conuocatis, qui tunc superarant, sapientibus, afferret vnusquisque in medium, quæ de Mysteriis Legis memoriter tenebat, adhibitisq; notariis in 70. volumina (tot enim ferè in Synedrio sapientes) redigerentur. Hactenus Picus.

Iudæi secretiores & acroamaticas disciplinas, quas Cabalisticas vocant, gentilibus non circumcisis manifestari nefas esse ducebant.

CADERE.

Cadere 1. proprie dicimus moueri deorsum naturaliter secundum graue, corpora naturalia cadunt, vt Lapis cadit, vt qui feratur motu grauitatis naturali.

2. Hoc verbum translatum est ad res corpore carentes, ac id vsurpatur, quoties aliquid aliter aut esset, aut eueniret, quam aut prius erat, aut sperabatur, vt cadere spe, excidere memoria, cadere causa. Verba excidere ab ore dicuntur apud Homerum. Sic à mente quoque cadere dici possunt. Scal. l. 4. de caus. Lat. ling. cap. 8.

Apud Virgilium in Bucol. duas simul habet significationes; *Alba ligustra cadunt*, id est, cadunt, & neglecta pereunt. Nicod. Frischlin.

Aliquando Grammaticis cadere in aliquod est terminari in aliquid; vt hæc dictio cadit in vocalem longam, id est, terminatur vocali longa.

Cadere sub aliquid Philosophis nonnunquam est obiici vel subiici alicui. Hoc non cadit sub Scientiam, sub sensum, id est, non subiicitur seu obiicitur sensui.

CASVS,

Πτῶσις.

Casus duo significat.

1. Effectum casualem, hoc est eum, qui raro contingit & per accidens, & præter opinionem vel intentionem. Coniungitur effectui per se alicuius causæ, vt quod fodiens terram inuenit thesaurum.

Casus fortuitus esse dicitur, quod prætereunte Petro lapis cadit, quia fuit præter intentionem & lapidis cadentis, & hominis prætereuntis, & causæ generantis lapidem, quæ hunc ad centrum mouebat.

De ratione casus sunt vt { Raro / Præter intentionem agentis } eueniat.

2. Significat causam efficientem quamlibet creatam, quatenus ex accidente & præter intentionem coniungitur cum effectu per se illius alius effectus rarus, & omnino accidentarius, non autem peculiarem aliquam causam per se institutam ad talem effectum. Sic Suarez. Casus non est determinata causa per se, sed solum causa per accidens.

Quod attinet ad primam significationem 1. tenendum est, hos effectus per accidens & contingens non solum euenire ex concursu causarum efficientium, sed etiam ex concursu fortuito efficientis causæ cum materiali. Sic enim generantur monstra, quæ raro eueniunt ex dispositione materiæ, tunc autem effectus non est casualis respectu materiæ, sed efficientis alicuius.

2 Effectum casualem formaliter esse eiusdem rationis cum fortuito, solumque hunc differre ab illo, quod fortuitus dicitur specialiter in rebus humanis, seu respectu agentis ἐκ προαιρέσεως. Quo fit vt fortuita etiam sit causa per accidens eiusdem rationis cum casu, solumque definite dicat, quod sit causa agens ex proposito, quæ sit per accidens respectu effecti præter intentionem subsecuti. Vnde fieri potest, vt idem Effectus sit Fortuitus & Casualis, seu à Fortuna & Casu, diuersorum respectu, vt Inuentio thesauri est fortuna respectu hominis fodientis terrám, & est casus respectu causæ naturalis generantis aurum.

Nullus effectus, qui regulariter coniungitur cum effectu per se, est Casualis. Itaq; Eclipsis non est Casualis.

Non omnia fiunt fato, nec necesse est, vt omnis effectus, qualiscunque sit, habeat causam per se; sed aliqui effectus sunt per accidens, qui sunt casuales causarum particularium respectu, nec habent causam per se (creatam.)

Casus in Grammatica non est mutatio terminationis, sed hoc ipsum quod iam mutatum est, ait Scal. l. 4. de caus. Lat. Ling. c. 80.

Casus Vocatiui est Bone, quod iam mutatum est à Bonus, non nunc mutatur. Itaque hæc vox Casus est præteriti temporis, Declinatio præsentis.

Quid igitur Casus Grammaticus? Est terminationis affectus, diuersus à prima (a) impositione. Est enim idem alterius atq; alterius casus, quia alia atque alia terminatione mutatus est: vel est nominis affectus ex mutatione finali.

a thema

Duo hic monet Scaliger. I. Casum esse primo affectum Nominum: Pronominum autem & Participiorum secundario. Pronominum quidem, quatenus illorum (nominum) vicarii sunt (pronomina:) Participiorum vero, vt in ipsis nominum natura inest. Sicut ego calidus sum (secundario) quia ignis, qui in me est, calidus est (primo.) Ita proprium accidés alicuius potest esse hoc modo commune, quoniam Substantia illa, cuius proprium est, Substãtia imperfecta & comparata ad vlteriorem finem, quã fuum; cuiusmodi sunt Elementa, quæ non sunt propter se: sicut nec materia prima.

II. Si quæ voces casu distinguuntur, quæ tamen non sunt mutatæ, vt Musa in Recto & Vocatiuo, hoc defectu materiæ, non formæ euenire: quam rationem fuisse ait Scaliger, vt etiam æquiuoca nomina orta sint.

In Grammat. Casus accipitur { Large, vt comprehendat Rectum: / Presse, vt excludatur Rectus.

Sic

Sic Scaliger, Casus vocē largius cum recto quoque communicata videamus, quot & qui sint.

Logici etiam Casus est τῇ κλίσει. Itaque Scaliger Casum (in Grammatica arte) appelles ait illam Terminatam mutationem exemplo Aristotelis (in organica doctrina) τῇ πλώσει διαφέρειν τὰ παρώνυμα τῶν πρωτοτύπων, casu differre paronyma seu denominata à primis (denominantibus). Sed sic Perionius l. 2. Dial. Aristoteles Coniugatis Casus subiicit. Casus autem vocat sola illa, quæ Grammatici Aduerbia nominant, vt fortiter, prudenter, & quæ generis sunt eiusdem. Ita fit, vt Casus inter se coniugata non sint, quod non eodem iugo quasi coerceantur: collata autem cum aliis coniugata erunt. Nam & Fortiter Fortitudini coniunctū est, & prudenter prudētiæ. Hæc Perionius.

Verum Cicero vno Coniugatorum loco & ipsa, & Casus complectitur, id quod ipsius in coniugatis exempla declarāt, vt Sapiens, Sapienter, Sapientia. Nam cum aduerbia numeret in Coniugatis, in casibus autem Aristoteles sola aduerbia ducat, efficitur vt à Cicerone hi duo loci in vnum concludantur. Cœlius Secund. in Comment. pag. 204.

Vltimo obseruatione dignum ab Aristotele non solum Aduerbia, vt Sapienter, sapientius, sapientissime, casus vocari, sed etiam eos, quos casus nominum in libro de Interpretatione vocat, vt Sapientis, Sapienti, Sapientem, Sapiente. Id. Cœlius Secund. loco eodem. Vid. Aristot. Top. 5. cap. 4.

- Coniugata
  - Nomina, Iusta, iustus, iustitia.
  - Casus; id est, aduerbia cum nominibus, & casus nominum
    - Iuste cum Iustitia.
    - Iuste Iustus.
    - Iusti, iusto, iustum.
- Casus
  - *Grammatice* pro variatione terminationis nominis, vt Sapiens & Sapientiæ. Sic & Substantiuum nomen & adiectiuum variant casu.
  - *Logice* pro variatione nominis & significationis simul seu nominis, quæ significationem nonnihil variat. Sic casu differunt Somnus & dormiens; virtus & honestus; Sapiens & sapientia.
  - *Physice* pro
    - Causa per accidens.
    - Euentu Casuali.
  - *Mathematice* pro Specie seu modo expositionis vel delineationis seu constructionis, qui varius est.
  - Politice pro specie facti.

Sic C.Dasypod. in Protheor.Matth. Casus ostendit varios modos delineationis & diuersitatem positionis,quando aut puncta, aut lineæ, aut superficies, aut corpora alio atq; alio modo transponuntur. Idem. Omnis varietas casus maxime conspicitur in delineationibus. Vocatur casus quasi dicas delineationis varia positio.

Ramus in Schol.Matth.vocat Speciem.

CADVCVM.

In Physicis Res Caducæ sunt res fluxæ & corruptioni obnoxiæ, cuiusmodi sunt fere sublunares, vt Flos caducus. Et Morbus Herculeus caducus dicitur: (qui alias Epilepsia) sic dictus,quia correpti hoc Morbo concidunt &torquentur læsis atque interceptis sensibus.

In Ethicis Bona caduca dissèparantur à perpetuis.

In Politicis caducæ hæreditates dicebantur,cum nemo erat, qui iure eas adire posset, & vel ad ærarium, vel ad fiscum deuoluebantur, aut à potentioribus occupabantur. Caducæ forte dictæ, quia cadebant à certo hærede. Vide Francisc. Maturantium in 10. Philip.Cicer.

Cadu
redita
qua
adeun
cum
est, q
adeat.

CALOR.

Calor { Proprie dictus; Actualis qualitas prima tactilis, per quam corpus est calidum, aliaque calefacit.Platoni interdum dicitur Ignis.
Improprie dictus, Virtualis vis seu potentia naturalis producendi calorem.Hic tactu per se deprehendi nequit.

De vtro intelligendum sit,quod Platonicus dicit (M.Ficin.)Caloris in Planetis vbi plus est, ibi lumen est efficacius & oculis manifestius : vbi humor abundat, ibi lumen est minus effieax, & albedinis instar spargit,&oculis minus se offert, inter Philosophos disputatur.

In viuente calor est duplex. 1.Elementaris,qui est calor Temperaturæ seu Mistionis. 2. Vitalis, qui insequitur animam. Hoc Struthiocameli ventriculus deuoratum metallum concoquere & in nutrimentum conuertere scribitur. Hic calor seminibus inditus habet vim generandi animal. Sic Arist. distinguit inter Calorem Animalem, quem & cœlestem & prolificum vocat; & elementarem, quem appellat igneum,& facit destructiuum in 2. de ortu animal.cap.3.

Zabarella statuit in viuente vnum esse numero calorem (Elementarem & vitalem) ex duobus conflatum, & à duobus principiis pendentem, scilicet ab elemento calido, & anima seu virtute vitali(quæ cœlo proportione respondet)Lib.de cœlesti calore c.11.

Iohanni Grammatico Calor in mistis est qualitas : in igne Substantia. Sed alii philosophi non concedunt posse eandem rem in hoc esse accidens, in illo substantiam. *Quod*, inquiunt, *secundum propriam naturam est accidens, id non potest non eandem conditionem eundemq; modum Essendi seruare.* Vide Zabar.l. 2. de rer.materia prima. cap.20.

Axioma Philosophicum.

Calefactiuum & *Calefaciens* differunt. Illud virtutis est,hoc actus:id est,calefactiuũ est quod potest calefacere,quod habet potentiam (actiuam) calefaciendi. Calefaciens, quod calidum facit; itaq; ad calefactum refertur.

Calefaciens { Virtuale, Sol. / Potentiale, Piper. / Actuale,Ignis. } Mercal.l.3.de febrium causis.

CALI-

CALIDVM.

Veteres cum Medici, tum Philosophi de *Calido innato*, alias tanquam de substantia, alias tanquam de qualitate loquuntur: Sæpe tantum ipsum intelligunt calorem, ipsam θερμότητα, quia substantia corporea nihil agit sine instrumento, vt dixit Aristoteles. Ignis agit non qua ignis, sed qua calidus. Interdum subiectum in quo inhæret cõplectuntur. Ita Fernelius calidum natiuum dicit esse corpus ætheriũ (quod non puto verum esse ἁπλῶς intellectum.) Hæret autem calor ille in corpore quodam vaporoso, tenui, aerio, quem *Spiritum* appellant. Materia igitur est spiritus. Qualitas seu forma est calor inhærens. Elicitur hic vapor ex succo quodam aerio & subpingui, verũ alias puriori, alias impuriori. Ioach. Curæus l.2. de sensu & sensibilib. ca. 31. Calori fomentum pstat seu suppeditat pabulũ humidũ primigenium. Ex eo enim elicitur quidam viscidus & viuidus vapor, cui calor, vitæ dux & omniũ functionum, quasi primus opifex, inhæret. Quem calorem barbari vocant complexionalẽ. Is non corrumpit, nõ comburit, sed maturat & concoquit. Ideo Aristoteles negat eum esse igneũ, aut esse quid ab igne effluens vel propagatum, sed vult eum ad caloré cœlestẽ blandum, salutarem & suauẽ esse (vt reuera est,) & habere analogiã, hoc est, similẽ esse calori, qui in purissimo & lucidissimo aere in regione & tempore anni temperatis à motu & lumine accenditur: Etsi interim sit Elemẽtaris. Puto enim falsum esse prorsus nullã habere cognationẽ cum Elemẽtis. Vide 2. Curç. de sensib. cap. 29.

Θερμότης { ἔμφυλος, χόνιμος, οἰκεῖα, Galen. Arist. Theophrast. ὄπικτητος.

Id est, Calor est Naturalis vel aduentitius. Simplic. in prædic. quæst. 62. Aduentitius etiam vocatur extraneus ab Auer. Meteorol. 4. Calor extraneus naturalem potest corrumpere.

Aristoteles ait calida quæ sunt, aut calorẽ externũ continent, aut propriũ, de partib. animal. l. 1. c. 2. Id. cap. 1. ait: Calidũ aliud esse perse, aliud per accidẽs: aliud potentia, aliud actu: & aliud tale, vt tactum amplius calefaciat, aliud quod flammam excitet atq; igniat.

Parmenides cum facit duo rerum principia, calidum & frigidum: hæc ὑσπωδῶς intelligere videtur, id est, per calidum ignem, per frigidum terram.

Calidum { Simpliciter. / Κατά τι seu moderate. Sic dicitur à nonnullis ouorum esse calida natura, cum oua temperata potius sint: seu ad frigiditatem nonnihil declinent.

CALX.

Calx generali eoq; Chymico significatu est puluis quilibet per ablationem superuacuę humiditatis in partes tenuissimas & quasi impalpabiles comminutus.

Comprehendit igitur sub se calcem proprie dictam.

CAMBIVM.

Cambium est humor, in quem versus est sanguis, partim ad alendum corpus, partim ad faciendum semen. A verbo κάμπτω, id est, flecto, vel à Latino Cãbio, id est, permuto.

Explicatio.

Vsitate numerantur tres Coctiones. Prima incoatur in ore, exercetur in ventriculo, absoluitur in intestinis, quando Chylus emittitur ex ventriculo in intestina. Secunda incoatur in venis

Quid venæ capillares sint?

meſaraicis, exercetur in ima parte epatis, αἱμάτωσις, id eſt, ſanguificatio, abſoluitur in gibba parte, vbi fit χύμωσις. Tertia incoatur in venis maioribus, ſanguine effuſo in venas, exercetur in capillaribus venis, id eſt, capillorũ more paſſim in corpore diſperſis & diffuſis, deſinit in nutritione, quando alimentum aſſimilatur parti alendæ, & in ipſius ſubſtantiã tranſit. In hac vltima coctione vertitur ſanguis in illum humorem; qui vocatur Cambiũ propter trãſmutationẽ: ac illud habet duplicẽ vſum. Primus eſt, vt ſuppeditet partib. alimentũ, quo ſuſtentetur corpus, & membra nutriantur. Alter vſus, vt aliquid remaneat, quod ab aliis partibus attrahatur, quas natura deſtinauit ad generationẽ, id eſt, ex quo ſemen fiat. Quare recedimus à definitione Ariſt. cum dicit: σπέρμα eſſe περίττωμα χρησίμης τροφῆς καὶ τῆς ἐσχάτης καὶ αἱματικῆς, ſemen eſſe vtilem ſuperfluitatem vltimi alimenti ſanguinei. Vltimũ enim alimentũ non eſt ſanguis. Sanguis enim antequam conuertitur in ſubſtantiam membri, ſubit nouã mutationem, qua fit Cambiũ, humor, non tam ſanguini quam ſemini ſimilis. Humor, qui ex ſanguine fit, antequam conuertitur in ſubſtantiã membri, ille eſt proprie loquendo vltimum alimentum. Cambium eſt Humor ille. Ergo Cambium eſt vltimum alimentum.

At enim, inquis, qui afferunt vim naturę, in iis eſt ſemen αἱματῶδες, ſanguineũ. Ergo vltimum alimentum (quod Galeno eſt οἰκεῖα τροφὴ) eſt ſanguis, quo argumento vtitur Ariſtoteles.

Reſpondeo conſequens non neceſſario inferri ex antecedente: Cum enim ſuperfluitas humoris conuerſa in ſemen eſt ſubtracta, ita vt nec ſemẽ adſit, nec materia, id eſt, cum nihil amplius ſuppetit, tunc fit attractio violẽta: & quia partes generationi deſtinatæ nõ inueniunt amplius illam ſuperfluitatem, ſeu illud vtile περίττωμα, ſeu potius ὑπόλειμμα ſeu reliquias vtilis alimenti, violenter attrahunt ſanguinem: at inde non poteſt pronuntiari: ſanguis eſt vltimum alimentum. Et hæc de ſignificatione Phyſica vocis Cambij.

In Politicis vero Cambiũ permutatio eſt rei cum re: vel litteræ permutatoriæ, noſtratibus, Wechſelbrieff, quæ etiam literæ cambij dicuntur: & campſores ſunt collybiſtę, trapezitę, id eſt, menſarij & numularij. Vide Alciat. l. 1. Parerg. c. 46. & Lexic. Iuridicum Schardij.

CANCRINI Verſus, μέτρα Καρκινόποδα.

Cancrini verſus dicuntur non à morbo, cuius natura eſt vt ſerpat, de quo Medici, ſed à cancro animali, de quo Phyſici, quod ingreſſum huius imitentur, tale metrum etiam dicitur reflexũ in ſe ipſum. Item Retrogradum, qui retrograditur, ſeu vt cum Cicerone loquar, viciſſim retro commeat. Græce etiam nominari poteſt παλίνδρομον, id eſt, recurrens, ab Auctore ſiue inuentore Sothade dicitur Sothadeum. Opponitur *Metro Directo.*

Fiunt autem Sothadica.

1. Aut eodem genere carminis, aut diuerſo: ac diuerſo quidem facilius, vt:

Altera regreſſu meta recurſa meat.

De hoc pentametro recurrit Iambicus:

Meat recurſa meta regreſſu altera.

Sic:

Aurea ſublimi tecta nitore micant,

Verte:

Micant nitore tecta ſublimi aurea.

Ex Trochaico fit Iambicum:

Optimum Ius, Lex amica, vox diſerta.

Verte, habebis Iambicum:

Diſerta vox, amica Lex, ius optimum.

Eodem carminis genere difficilius & durius hoc fit:

Laſo

Læso numine quo memora causas mihi Musa,
Lege retro,& habebis Virg.8.vers. 1.Æn.
Musa mihi causas memora,quo numine læso.
Secundo fiunt Sothadea in sensu vel eodem,vel diuerso. Eodem, vt:
Atlas Christus ego cœli hostes exsuperaui.
Item:
Iesus Christus ego en Dux hostes exsuperaui.
Diuerso:
Donet munere mel nõ fel pax candida nobis.
Verte,habebis contrarium sensum:
Nobis candida pax fel nõ mel munere donet.
Ex hac distinctione fit Cancrinorum dispositio.

1. Idem carmẽ hexametrum retro mensuratur,& fit rursus Hexamet.vt:
Damna tibi satan fabricãs est pessimus hostis:
Verte:
Hostis pessimus est fabricans satan tibi damna.

2. Directum Hexametrum conficitur, quod relegendo fit pentametrum. Sic Rabanus:
Es placida superis crux,huic es nauita mundo,
Verte,habebis pentametrum:
Mundo nauita es huic,crux superis placida es.
Adam primus homo crux omni posteritati:
Verte:
Posteritati omni crux homo primus Adam.
Talis versus & hic est,qui in turri Vltraiectensi descriptus est à lateribus Caini & Abeli, marmore incisi: Abel sic loquitur,
Sacrum pingue dabo,nec macrum sacrificabo.
Cain vero retro legit inuertens ordinem, vt nequam:
Sacrificabo macrum,nec dabo pingue sacrum.
Sothadeum elegiacum hexastichon:
Metra scripta duo nunc vno concelebrabo
Patrem nosco mihi,non Papam vituperabo,
Retro scripta lego,quod labris dissimulabo.
Habes melos hexastichon
Hic lector in metris tribus,
Dimensus hæc solum retro
Carebis vnico pede,
Sensusq; fit contrarius.
Sed redeo ad Hexametrum. Eius exemplum hoc quoque:

Aprilis faustus tibi sit,sit lætus Aprilis,
Aprilis lumen tibi det,te ditet Aprilis.

3. Elegiacum metrum confieitur ita, vt ex Pentametro fiat Hexametrum, & contra,vt:
Præcipiti modo quod decurrit tramite flumen,
Tempore consumptum iam cito deficiet.
Verte:
Deficiet cito iam consumptũ tempore flumẽ,
Tramite decurrit quod modo præcipiti.
Pentastichon Cancrinum:
Cuncti potens tibi dat diuinum credito corpus,
Pectore purgato tu modo suscipias.
Magnificet tua Mens bis Nati munera tanta,
Carmine Phœbeo laus pia proueniat.
Associat cibus hic mortales (enthea narrant
Biblia) delectis pol puto Cælicolis.
Deficias male ne spectatis vtere ferclis,
Pectora confirmo Daps sacra lætitiæ.
Diuitias tibi non maiores Dædala mundi
Machina præbebit,me rogo suscipias.

Et hoc:
Notitiam bene si mundi vis huius habere,
Tempus Musarum da breue carminibus.

4. Si vis,vt cum dimensione retrograda fiat contrarius sensus (quod magnum artificium est) necesse est,vt negationes apposite adhibeas. Exempli causa:
Sunt sacra, non mala sunt Doctoris dogmata nostri,
Dilige, ne spernas, est bonus, haut malus est.
Tales sunt hi Poetæ Laureati Henrici Bebelij,qui floruit superiore seculo:
Lex bona,non mala vis, sapiens, non stultus abundans
Anteferẽdus erit, hoc meritũ, haut fauor est.
Retrogredere sic:
Est fauor, haut meritum hoc, erit anteferendus abundans
Stultus,non sapiens,vis mala,non bona lex.
Eiusmodi est hoc epigramma de libero quodam εὐσεβεῖ, quem vocarunt:
Eximii liber est fructus,nec formula pacis
Publica durabit tempus in exiguum.

Vnanimi liber hic coniungit pectora sensu
Dissona, nec gliscet plus graue dissidium.
Perpetuo tua Laus viuet, nec splẽdide Doctor
Gloria decrescens te tua destituet.
Arbitrium ad patis traxit te Gloria Christi
Vnica non turpis quæstus, & ambitio.

5. Disponi possunt versus Cancrini, vt Iambicũ sit senariũ, sed non mensuretur retro, quia ita dimensum erit ἄμετρον ex hypothesi, sed sensum tantum referat contrarium. Exemplum est in hoc trimetro Acatalecto, Acrosticho de religiosorum votis:

Castitas. *Volupe est mihi castitas non Cypriæ ioci*
Paupertas. *Ornat Penia nos non metalla fulgida.*
Obediẽtia. *Voluntatem alterius, nunquam sequar meam,*
Inania sperno, non gaudia cœlestia
Silentium probo, non linguam mobilem.
Tuum est sequi, non persequi leges bonas
Ius omnes frangens est sceleſtus, haud probus,
Reddenda vota, non temere violanda sunt.

6. Fit reciprocum operosissimum & vere cerebritragum, quod vocatur à nõnullis Diaulonianũ, διαυλώνιον, à Græco δίαυλος. Diaulus autem dicebatur ille apud priscos in stadio, qui ab eo, qui præerat, iussus currebat ad aliquid nuntiandũ, recursurus statim eo vnde cœperat: deriuatur à δὶς & ἀυλίζεσθαι, quod est bis in eodem habere stationem; vnde nomen hoc aptissime in hos versus conuenit, quos retrogrado more legimus per literas. Ego voco hoc metrum διαυλόδρομον.

Talis reciprocatio litteraria est in hoc elegiaco, quod Diabolus fecisse narratur:

Signa te signa temere me tangis & angis,
Roma tibi subito motibus ibit amor.

Talis est & iste, quem Scaliger citat lib. 2. Poet. cap. 3.

Si bene te tua laus taxat, sua laute tenebis.

Et ista Rabani in libro artificiosissimo de laude crucis:

Oro te ramus aram ara sumar & oro.

Stanislaus Hiegosewski Polonus in Leonem Venetorum Ducem hos fecit versus, teste Aldo Manutio:

Si bene te trades, sedes sed arte tenebis,
Et si se retroferet, vtere forte resiste.

E quibus primus non habet omnia octo, vt est in prouerbio Græcorum. Hic tantus Poeta & Philosophus fuisse fertur, vt Venetiis anno 1584. publice thetica affixerit de Theologia Positiua, quã vocant, & Scholastica, de vniuersa Aristotelis Philosophia, naturali, morali, & Diuina, de rebus denique Mathematicis, & ad obiecta versibus responderit.

Apud Robanum est etiam alius mirificus versus huius generis, sed eius sensum, siue ante, siue retro legatur, nondum indagare potui. Est autem hic:

Si do te tibi metra sono bis Iesus in odis,

Retro sic legitur:

Si do nisus ei & si bonos artem ibis & odis.

Vbi præter legem metri si corripitur.

Est qui dicat quatuor disticha tali artificio esse facta in laudem & vituperium Pontificis, nempe qui directa lectione seu ante legendo laudent, retro legendo à litera ad literam contra vituperent. Sed hoc miraculum nondum contigit mihi videre.

Ad extremum interdum Poetæ vnica dictione in metro ænigmatice vtuntur, ideoq; illa vertenda & retro legenda, vt metrum intelligatur, vt:

Mitto tibi Metulas, si vis cognoscere vertas, id est, salutem,
Mutnegra cum murua faciunt rectissima curua, id est, aurum & argentum.

CANON.

Canon norma est vel regula.

Canon est examen trutinæ, quam normalem esse oportet. Interpres Aristophanis.

Canonicum est vel quod in Canonem relatum est, vel quod regulare est.

CAPA-

CAPACITAS,
Aptitudo.

Capacitas est potentia recipiendi aliquid, vt capacitas materiæ, respectu huius quantitatis, est potentia δεκτικὴ, id est receptiua huius quantitatis, ita vt illius: Vnde Liberum arbitrium dicitur capax gratiæ. Oppos. Ineptitudo & Incapacitas Scholasticorum. Non capax iisdem ineptum est.

Capacitas
- Absoluta, ἱκανότης τοῦ ἐνεργεῖν, essentialis agendi, vt in homine potentia seu principium internum volendi. Remota.
- Determinata & accidentalis, vt bene vel male agendi. Propinqua.
- Obedientialis, non resistens (Barb. non Resistitiua) πάθητι κὴ magis.

Capacitas Mundi est Fonsecæ, quod aliis spatium extensiuum.

Axiomata Biel. lib. 4. dist 5. quæst. vn.

Capacitas sequitur naturam specificam. Eadem igitur est capacitas omnium humanarum naturarum, cum sint eiusdem speciei.

Nihil potest communicari naturæ, nisi cuius ipsa capax sit.

Virtutis spiritualis non est capax subiectum materiale. Id est, virtus spiritualis non potest recipi in subiecto materiali. Excipere solent corpus humanum, quod informatur anima intellectiua, quę est spiritualis, ita vt virtutem eius recipiat, quod ipsum intellectu difficile est. Biel. l. 4. dist. 6. quæst. 3.

Vsus in Theologicis.

De Capacitate & Aptitudine grauis erat concertatio inter Ienenses, & Wittembergenses ac Lipsenses Theologos (legantur scripta Vict. Strig. Christophori Lasij, von der Klotzbuse, Stosselij, Flaccij, & aliorum:) An reliqua sit Capacitas seu Aptitudo aliqua Liberi Arbitrij humani in conuersione ad Deum? An Deus in conuersione agat cum homine, sicut faber cum trũco in conficienda statua?

Capacitas vel potentia obedientialis ad aliquos actus vel effectus, vel receptionem alicuius naturali capacitati sæpe opponitur, vt: cum recipimus aliquid supernaturaliter, ponitur capacitas obedientialis. Itaque capacitas vel potentia creaturæ est vel naturalis ad proprias operationes vel motus. Actiua, vel Passiua, vel Obedientia ad ea, quæ à Deo recipit.

Hoc verum est: Voluntatem nostram in conuersione & motibus spiritualibus non habere se vt statuã seu truncum.

1. quia in trunco non est arbitriũ, quod cõuerti possit ad accipienda dona Spiritus sancti. Hominis vero voluntas retinuit aptitudinem, qua per Spiritũ S. conuerti potest. Hæc est capacitas δεκτικὴ, & Remota.
2. Voluntas humana potest resistere & repugnare motui conuersionis, & opponere contrariũ actum, vt loquuntur Scholastici. Id truncus non potest.
3. Voluntas nõ renata aliquo modo potest præstare externam disciplinam, & illa est quasi pædagogia, vt homines possint doceri Verbo, per quod deinde Spiritus S. est efficax: non enim cõuersio est immediata.
4. Cum Spiritus S. flectit voluntatem ad assensionẽ, statim oritur lucta Carnis & Spiritus, quæ in trunco non est.
5. Voluntas mota & adiuta à Spiritu S. non recipit impressionem, sicut truncus aut lapis, nec ignorans, aut coacta conuertitur: imo incipit velle & operari ita, vt possit dona Spiritus sancti effundere. Itaque conuersio non est prorsus insensibilis.

CAPVT.

Caput accipitur
- Proprie pro ſumma parte corporis animantis, vt ceruicibus caput abſcidit, idq; fixum geſtari iuſſit in pilo. Cic. contra Rullum.
- Improprie pro
  1. Superiore vel principali parte vel ſumma rei, pro loco principali in aliquo libro vel oratione, Articulo, ſorte principali, vt vulgo loquuntur.
  2. Initio, Origine.
  3. Indiuiduo ſeu ſingulari: Nomine, Perſona, Homine: & generatim pro eo, quod in recenſione numerum efficit.
  4. Virili patrono.
  5. Iure perſonæ.
  6. Vita.

quæ in capita, id eſt, pro numero Perſonarum conſtituuntur, vt tot fiant, quot ſunt perſonæ.

In caput alicuius teſtimonium dicere, id eſt, Perſonam.

Caput liberũ, id eſt, homo liber, vt tutela eſt vis ac poteſtas in capite libero. Sic & Gellius accepit l. 5. c. 19. Noxa caput ſequitur, id eſt, perſonam, l. 2. ff. ſi ex noxali cauſ. agat. Quodnam κεφάλαιον (caput) ex inferis deduxiſti. Lucianus.

Qui ciuitate priuatur velut per aquæ & ignis interdictionem, capite, id eſt, iure ciuitatis deminutus dicitur.

Capite deminutus dicitur qui ex illo loco & ordine mouetur, in quo caput ſeu numerum obtinebat, & ita ius illius amittit.

Iudicium capitis. De capite illius agitur, id eſt, de vita & ſalute.

Explicatio.

Principali) Hæc prima ac propria ſignificatio eſt, quia caput eſt principale Hominis membrum & ſedes rationis.

Superiore) Caput montis.

Genitale caput (in virilibus.)

A capite arceſſere, id eſt à præcipuo vel à fonte.

Caput prouinciæ pro præcipua & honorabiliore eius parte. Bartholus.

Caput Teſtamenti vulg. articulus.

Liuius: Vix exſoluis vſuram: caput debes, id eſt, ſortem. Caput enim vſuris oppoſitum ſortem principalem ſignificat. Vid. Ioh. Caluin. in Lex. Iurid.

Caput anni pro initio. A capite ducere, id eſt, ab origine vel fonte; caput riuuli eſt vnde is manat.

Caput rei eſt, quod præcipuum eſt in re, vel per quod in rem ingredimur. Alias Arx cauſæ.

Capita codicum accepti & expenſi, id eſt, nomina quæ ſcripta ſunt in illis codicibus.

In armentis & gregibus quot beſtiæ ſunt, tot capita numerantur.

Capite & fortunis cauere eſt obligare ſe, & corpus ſuum & bona ſua.

Diuiſio in capita eſt diuiſio ſecundum numerum Perſonarum ſeu in portiones viriles, cui opponitur ea, quæ in ſtirpes dicitur. Viriles portiones ſunt æquales,

CARBO.

Carbo dicitur nõ tantum cum pruna extincta eſt, Græc. ἄνθραξ, ſed ét cum eſt ignitus. Cic. in offic. Dionyſi⁹ candẽte carbone ſibi adimebat capillum. Carbonibus defoſſis quidam olim populi diſtinguebant agrorum fines.

Per catachreſin ſtellas quidam vocarunt carbones Cœli.

Carbones cruſtoſi, lapidei, Steinkolen.

De Carbone Vid. D. Gœddæum ad l. 67. de Verb. ſignif.

Car-

Carbunculus 1. est vlcus pestilens, idem fere quod anthrax, nisi quod hic est crudelior, è crasso atroq; sanguine celeriter escharan faciens.

2. Est Gemma dicta à similitudine ignis Pyrop⁹, cui⁹ species est Carchedonius.

CARO, Σάρξ.

Caro 1. Philologis proprie dicitur mortuorum, quod careat anima. Hinc carnifex, carnem facit, id est, qui crudeli supplicio necat homines, Donatus & Ascon. Pedian. Et carnariũ ein Fleischgabel oder Fleischkamer.

2. Generaliter accipitur, vt non solum animalibus, sed etiam piscibus tribuatur.

3. Imo & pomorum caro dicitur.

4. Specialius pro ea, quæ ex sanguine effecta atq; expressa est, seu quæ sanguine, venis, ossibus, neruisq; constringitur. Sed Medici etiã σπλάγχνα, viscera, quibus tribuunt nomen παρεγχύματος, in genere carnium habent. Ea etsi sint partes σπερματικαὶ, (quæ omnes albæ sunt, & originis suæ colorẽ repræsentant,) tamen sanguinei aliquid coloris habẽt modo carnis, quod autem habent αἱματικὸν, id assumsere ex sanguine materno, quo aluntur semina. Caro igitur animantis varia est, vt simpliciter dicta, musculorum, (quæ pars sanguinea est) viscerum, intestinorum.

Sed Physici dissentiũt. Iis enim caro proprie est & primo materialis pars influens per nutrimentum, & effluens, per conuenientem calorem, organon sensus. Itaq; viua. Δευτέρως vero tum quæ esui præparanda vel præparata est, vt elixa, assa; tum quod carni proportione respondeat. Alb. Magn. de anim. l. 3. tract. 2. c. 5.

Viua.] quæ Platoni ex sanguine fit concreto, qui fibris secretis concrescit.

Translatio aliqua est valde vsitata, cum dicitur, carnis illecebras, veluti Circes pocula, homines in bruta transformare.

Carniformes partes corporis opponuntur spermaticis.

CAVSA.

Causa accipitur proprie & improprie. Proprie, vt cum principium producens, Materiale, &c. significat. Huc pertinet definitio Occami: Causę sunt quibus positis sequitur effectus, & quibus non positis non sequitur effectus. & Viti Amerbachii: Causa est id quod facit pro sua portione, vt quod fit aut est, fiat, 2. Phys. pag. 122.

Improprie, vt cum accipitur vel pro conditione sine qua non, ita priuatio formæ introducendæ nonnunquam causa dicitur (l. 2. prim. Phil. c. 2) vel pro Ratione, vt cum dicitur ab Augustino 7. de Trinit. Quod est causa illi vt sit, est causa vt sapiens sit, id est, ratio: vel accipiatur negatiue, vt sit sensus: quẽadmodum non habet causam vt sit, ita neque vt sapiens sit.

Spectatur autem causa tripliciter.

1. Quoad εἶναι, id est, Esse rei, quæ causa dicitur seu denominatur.
2. Quoad χέσιν, id est, relationem ad effectum.
3. Qua seu vt causa est idem quod attinet ad ipsam Rationem causandi.

Primo modo Sol, quatenus Sol, & Homo qua Homo causa dicitur. Sic dicimus Causam efficientem ἑτεροειδῆ, æquiuocam esse nobilioreẽ suo effecto.

Secundo dicimus Causam & effectum esse ἅμα φύσει, hoc est, se mutuo ponere ac tollere.

Tertio modo dicimus, Omnem causam esse priorem natura suo effecto: & Effectum pendere à sua Causa. Vide vocem *Vniuersale*, qua hæc declarantur.

In Logica vbi de argumertis agitur, Causa proprie est instrumentũ Logicũ arguẽs effectum, Seu est argumentum,

quo a guitur, id est, ostenditur, effectum. Qua cum definitione non debet confundi illa, *Cuius vires est*; Hæc enim est definitio Causæ vt Rei Metaphysicæ seu primæ philosophiæ.

De Prima Causa, αἰτίῳ πρώτῳ.

Causa
- Prima ratione
  - Secundarum, quæ DEVS est.
  - Sui effecti, id est, simpliciter proxima effecto.
- Primæ, quæ in scientia aliqua prima sunt principia, quibus nihil prius scientia illa habet. Alias *Remotißimæ, Communißimæ, Altißimæ.*

Canones.

1. Vniuscuiusq; Rei vnica duntaxat prima seu simpliciter proxima causa est; sicut vnica duntaxat cuiusque rei est definitio. In posterioribus Analyticis Ἀκρότατη etiam dicta Aristoteli, semper debet quæri αἴτιον ἀκρότατον (extremum) id est, proxima, maxime propria causa. Arist. in Physic.
2. Remotissimæ autem plures esse possunt.
3. In causa proxima includuntur omnes remotæ. Proxima causa à remotis pendet, Itaq; eas supponit. Zabar. l. 1. Phys.

Summa Causa,
Vltima Causa.

Summa causa Aristotele teste, & interprete Zabarella 2. Phys. text. 38. est, quæ prima immediata ac proxima est effectui, quæ plane satisfacit quæstioni propter quid est. Thomas Aquin. accipit Summam causam pro Remotissima, seu prima, quæ causa, causa causarum est.

Oportet, inquit Aristoteles, semper vniuscuiusq; causam summam quærere, id est, interprete Auerroe, causam vltimam in quæstione, non vltimam in esse. *Vltima in quæstione causa est* proxima & adæquata seu propria, quod ea adducta quæstio propter quid cessat. Multi Scholastici eam vocant *Præcisam.* Vltima in esse est causa remota, quæ eatenus vltima dicitur & est, quatenus maxime distat ab effectu.

Causa Vniuersalis
&
Particularis.

Particularis causa ad certũ effectum determinata est: Vniuersalis contra.

Vniuersalis causa duplex est; Vna Prima, & simpliciter vniuersalis, DEVS. Altera est vniuersalis respectu inferiorum rerum, vt Cœlum. Est autem agens vniuersale æquiuocum, quia non est eiusdem speciei & naturæ, cuius est effectus ab eo productus, & concurrit ad multos diuersosq; effectus producendos. Particularis causa efficiens dici solet vniuoca, quia est eiusdem speciei cum suo effecto.

Causa vniuersalior est, quæ est causa plurium effectuum. Minus vniuersalis, quæ pauciorum. Sic principia magis vniuersalia sunt, quæ plurium principia sunt; Minus vniuersalia, quæ pauciorum. Hæc quomodo ab illis contineantur, vide vocem CONTINERI.

Causa Principalis
&
Instrumentalis.

Principalis causa dicitur primo improprie per exclusionem causæ superioris agentis, & ita agere principaliter est agere independenter: sic sola causa prima est principalis & omnis causa secunda Instrumentalis. Ita accipit Plato. *Scotus.*

Secundo proprie dicitur Totum Suppositum agens per aliquam sui partem: Ita pars, per quam Totum agit, dicitur instru-

a *Hanc vocant Totalem, præcisam.*

instrumentalis: sic Homo totus dicitur causa principalis visionis, oculus vero instrumentalis.

Tertio dicitur Causa attingens effectum principalem secundum aliquam præuiam dispositionem, vt Ignis respectu caloris, per quẽ generatur alius ignis: (vbi calor dicitur causa instrumentalis respectu ignis) supposito, quod non attingat formam ignis, sed tantum calorem. Hoc est argutum & Stoicum.

Quarto dicitur causa principalis, quæ agit per formam propriam internam, siue sic agendo sit subordinata agenti superiori, siue non. Ita causa instrumentalis est, quæ non agit per ipsam formam, sed tantũ per motionem alterius mouentis, vt serra vel securis artificis. Atq; hoc modo dispositio ad formam necessaria, quæ non est ratio receptiua, potest dici causa instrumentalis actiua quodammodo. Agens principale agit ita, vt actiua virtus in ipso sit aliqua forma vel qualitas habens esse perfectum in natura. Instrumento autem licet conueniat duplex actio, Vna, quam habet ex propria natura; Altera, quam habet vt motum à principali agente, tamen virtus, eius vt instrumentum proportionatum motui, quia agit vt motum à primo agente, itaque virtus illa fere est ens imperfectum non fixũ in natura.

Humanitas Christi quodámodo instrumentum Diuinitatis agit in virtute eius. Quæ Christus in sua Humanitate fecit, vel passus est, ex virtute Diuinitatis eius sunt nobis salutaria.

Quæritur, An virtus artis sit in instrumentis motis ab artifice? Resp. Gabriel Biel. In Instrumento Artis non esse impressam ab artifice virtutem aliquã præter motum.

Causa Directe.

Thomas Aquinas per Causam directe intelligit Causam per se. Per Causam Indirecte causam per accidens, vel eam, quæ non impedit effectum, cum possit.

Sic causa ei conseruatiua est vel Directe, vt præsidiarius miles castelli, vel indirecte, vt quod remouet vel impedit actionem corrumpentis.

Christus fuit causa suæ mortis Indirecte, quia non impediit eam, cum impedire potuerit, nõ repressit hostes suos, quia voluntarie mortuus est, ipse posuit animam suam, nec repulit à corpore suo nocumentum. Persecutores autem fuerunt causa Directe. Deus etiam tradidit Christum passioni tum eam præordinando, tum persequẽtibus Christum exponendo.

Τὸ Directe etiam opponitur τῷ Reductiue seu per Reductionem.

Directe est principaliter, Indirecte secundario, Thom. Aquin. 3. quæst. 32.

Aliquid cadit sub fidem dupliciter, Directe, id est, principaliter tradita nobis diuinitus: & Indirecte, idest, ea, ex quibus negatis sequitur aliquid contrarium fidei.

Ab aliquo dicitur quid esse dupliciter.

Vno modo Directe, ꝙ existit ab aliquo, qua agens est, vt calefactio à calore.

Altero Indirecte eo ipso, quod non agit seu subtrahit actionem. Ita submersio nauis dicitur esse à gubernatore, quatenus à gubernatione desistit. Thom. Aquin. 2. quæst. 6. art. 3. concluſ.

Causa Vniuoca.
&
Æquiuoca.

Quod est in effectu, inuenitur in causa effic.
- Modo eodem; Si causa sit vniuoca.
- Modo altiori; Si causa sit æquiuoca.

Cauſa Æquiuoca eſt cauſa totius ſpeciei; Ideo vniuerſalis vniuoca tantum indiuidui: Ideo particularis.

Effectus eſt in cauſa vniuoca ſecundum ſimilitudinem formæ eiuſdem ſpeciei. At eſt in cauſa æquiuoca ſecundum ſimilitudinem formæ excellentioris.

1. Effectus *præexiſtit* (προϋπάρχει) in cauſa agente *virtute*.

2. Quicquid eſt perfectionis in effectu, id inuenitur in cauſa agente ſeu efficiente vel ſecũdum eandem rationem, ſi agens ſit vniuocum, vt homo generat hominem, vel eminentiori modo, ſi ſit æquiuocum, ſicut in Sole eſt ſimilitudo eorum, quæ generantur per eius virtutem.

Omnium rerum perfectiones præexiſtunt in DEO ſecundum modum eminentiorem.

Cauſa Adductiua.

Scholaſtici Doctores diſputantes de cauſa Tranſſubſtantiationis ſeu conuerſionis panis in corpus Domini, hanc cauſam adducunt, quod nempe ποιητικὴ cauſa hic agat per motum adductionis.

Græcis eſt αἴτιον προσαγωγικὸν, id eſt, vim habens adducendi.

In Iuſtificatione ex Fide eſt cauſa διότι προσαγωγικὴ, id eſt, vim habens adducendi in gratiam eam, per quam ſtent & gloriẽtur ſub ſpe gloriæ DEI. Claud. Apod. Orat. 3. de pace erga Deum 152.

Cauſa per accidens.

Cauſa per accidens dupliciter dicitur, Tum quod accidit cauſæ per ſe, Tum quod accidit effectui per ſe.

Canon.

Idem effectus poteſt eſſe ab infinitis cauſis per accidens.

Ad cauſam per accidens Scholaſtici referunt etiam Remouentem impedimentum.

Cauſa ſine qua non.

Cauſa ſine qua non 1. accipitur proprie pro vere cauſa, ſine qua aliæ agere non poſſunt, Tale αἴτιον eſt ὑπηρετικὸν, id eſt, inſeruiens.

2. Improprie pro conditione ſine qua non, quæ neq; eſt principium conſtituens effectum, nec aliquid agit in efficiendo eo quod fit, (ſua vi non agit aliquid vt fiat effectus) ſed ita adeſt, vt ſine eo effectus non fieret. Galenus ſic definit in 3. l. de differentiis Symptomatum: Quæ ninil conferunt, non poſſunt autem ſeparari à conferentibus, habent rationẽ cauſæ, quæ dicitur ὧν ἄνευ. In curatione vulneris cauſa ſine qua non eſt remotio puris. Niſi enim remoueretur pus, non eſſet efficax remedium. Cognitio morbi eſt cauſa ſine qua non medicationis. Medium in viſione eſt cauſa ſine qua nõ; nihil enim agit: Sed tamen interuallum eſſe oportet inter oculum & rem viſam, vt ſpecies ſparſa in medio lucido ad oculos perferri poſſit.

Recentiores dixerunt, Cauſa ſine qua nõ eſt, qua poſita aliud ſequitur, ſed aliũde. Poſita remotione puris ſequitur ſanitas, ſed aliunde. Itaque nec rei pars eſt, nec vi agit propria.

Vſus ne putetur hoc eſſe Buttu-bata.

Quæritur, Apertio valuarum an ſit vere cauſa lucis in Muſeo? R. Negate. Non enim affert lucẽ proprie, ſed eſt cauſa ſine qua non, id eſt conditio ſine qua non ſpargitur lux in Muſeum vel cubiculum. Sol enim, qui vere cauſa eſt, non ſpargit lumen per opacum corpus.

Quæritur, An confectio ſeu peragratio prioris ſpatii ſit Cauſa ſine qua non peruenireturad metam? R. affirmate. Sed perge. Eſtne cauſa ſine qua non proprie an improprie dicta? R. Sunt Phyſici qui ſcribant eſſe cauſam ſine qua non improprie dictam. Ego iis

non

non assentior, cum putem esse vere causam. Motus enim vere est causa termini, qui introducitur, vt Calefactio, caloris; frequens agitatio, butyri.

Quæsitum est olim: An bona opera sint causa sine qua non salutis?

Respons. Si bona opera ad salutem nihil conferunt, sunt ex iis, quæ dicuntur ὧν οὐκ ἄνευ ὄν. Sed bona opera ad salutem nihil conferre minime omnium ego dixerim. Habeo igitur ea in vere causis.

Quæritur, Temperantia quomodo habeat se ad precationem? Disciplina externa ad iustitiam cordis?

Resp. Vtraq; est causa sine qua non proprie dicta. Nam temperantia cum prosit ad tuendam incolumitatem, & tranquillitatem cerebri, quæ necessaria est ad cogitationis intentionem, ὑπηρετικὸν αἴτιον est precationi. Sic Disciplina inseruit seu ὑπηρετικὸν est iustitiæ cordis, quia hæc exstinguitur, cum homo ruit in peccata contra conscientiam.

Causa positiua.

Causa positiua dicitur, quæ causat positione & præsentia formæ, vt qualitatis priuatiuæ, quæ causat priuatione, vt putrefactionis causa positiua est calor præternaturalis corrumpentis natiuũ. Priuatiua est, quod humidum destituitur gubernatione caloris natiui. Itaque humidi fit resolutio, & paulatim reliquæ partes crassiores & magis terrestres fiunt similes cœno.

Hippocrates dicit nos constare ex calido, frigido, humido & sicco. Hæ causæ omnes sunt positiuæ, siue ipsa corpora, siue qualitates intelligantur. Sed Hippocrates hic ipsa, & recte quidem, corpora intelligit, id est, quatuor rerum naturas, non tantum qualitates corporibus inhærescentes.

CAVSARI.

Errant qui causari dicunt pro causare seu causam esse. Sic loquuntur, vinũ causatur ebrietatem. Dicendum erat, efficit, procreat, causat, causa est.

Causari deponens verbum est prętexere causas & excusationes. Virg. eclog. 9.

Causando nostros in longum ducis amores,

id est: Tu causas excusationesq; afferendo incendis producisq; studium & desiderium tui audiendi. Lucret. lib. 1.

Quapropter quamuis causando multa moreris.

Horat.

Stultus vterque locum immeritum causatur inique.

Causari passiuum (quod à Barbaris Philosophis profectum est) est fieri vel existere, vt dies causatur à Sole, id est, efficitur.

Adscribo verba Doleti & Christoph. Hegendorf. vt qui, quod primo loco dixi, firment, ex annotat. in lib. Æneid. ad verbum causari. Causari vel causificari est causam afferre, vel id, quod impedimento fuit, aut quod in causa fuit vt peccaremus, afferrre in excusationem: vel est causam dicere, vel defendere, vel est renuere, aut detrectare. Æneid. 4.

CENTAVRINVM.

Centaurus Poeticus dicitur Poema ex diuersis generibus carminum compositum. Interdum habet formam poculi. Sic dictum à monstro, quod est homo sine pedibus, & equus sine capite.

Quidam in eo versus sunt simplices, quidã compositi. Incoatur à longis metris, & desinit in breuia: vel contra: vel permutantur breuia cũ longis, & vicissim.

Diuersus Clarii vatibus est furor.
Flaccus insignis Lyricus pererrat
Pollice chordas.
Sed Nasoni Elegi (regnat in hisce) placent.
Virgilium rapiunt heroica metra canentem.
Acuta quæ sunt, Martiali amantur.
Mordax est Iuuenalis. (thi.
Prudẽter q̃ doces scriptis venerande Boe-
Tu Seneca es grauis atq; Tragœdus. &c.

CENTO.

Poetis cento est carmen ex pluribus versibus, vel vnius vel plurium Poetarum congestum: Vnius, vt Virgilio cento; plurium, vt cum factum est ex Iuuenali, Ouidio, Virgilio, Propertio, Horatio simul. Verbi gratia; si semissis sit sumptus ex Ouidio, semissis ex Virgilio. Exempli causa, Hoc distichon ex pluribus Poetis petitum est:

Dum studiosa cohors, & fratres forcipe tonsi
Ingrediuntur iter, concipit iris aquas.

Hoc genus Carminis dicitur etiam Harmoniacum, quia è diuersis locis Poetarum Harmonia sententiarum facta est. Poeta hic nonnunquam aliquid addit de suo: magno autem iudicio opus est ei, qui plurium Poetarum versus vult commiscere, videndum ei est, ne stylus sit nimis inæquabilis.

Henricus Bebelius Poet. laureat. exemplum ex Fescenino Ausonii de fœmina noua sponsa reluctante:

Illa manu moriens telum trahit, ossa sed inter
Altius ad viuum persedit vulnere mucro.

CENTRVM.

Centrum generatim acceptum est punctum in figura medium. Sic Ramus accipit. Speciatim est punctum in sphæra, vel circulo medium, à quo lineæ rectæ ad περιφέρειαν ductæ sunt inter se æquales. Sic Simplicius, Centrũ est circuli principium medium & finis. Psellus: Centrum in circulari motu assumit sibi motus principium, medium & finem.

Centrum grauitatis est punctum in magnitudine, à quo ipsa suspensa manet in æquilibrio. Hoc vt inueniatur, docet Archimedes in lib. de æquipond.

Centrum duplex est, Mathematicum & Naturale.

De hoc axiomata: Centrum terræ idem est cum centro mundi. Auerroes. Centrum, quod est terræ locus, est mundi centrum, ad quod secundum naturam terra mouetur. Albertus Magn. Et centrum Terræ & centrum mundi licet subiecto sint idem, non tamen vt est medium terræ, est medium mundi. Idem de Nat. Locorum distinct. 5. c. 3. Et, Centrum idem est mundi & corporis grauitatem habentis. Alex. Aphrodis. in prim. meteoror. cap. 4. Et, Centri natura grauia trahit & ea sistit. Marc. Ficin. in Platon. Conuiu.

Terra est centrum Terræ, collata ad orbis stelliferi vel ad Sphæræ Solis capacitatem. Ita enim puncti tantum instar seu rationem habet, nec magnitudo ei inest eiusmodi, quæ sensu percipi possit.

Terra est circa centrum mundi, quod intra se habet, & considerata absolute seu in se, & collata cum Lunæ Sphæra & corpore. Ita enim magnitudo eius est notabilis. Mœstelin. in Epit. Astron. & Hermannus Witekind. in lib. de Sphæra mundi.

Quidam vnius corporis Sphærici ex tota terræ & aquæ substantia constituti duplex constituerunt centrum, Grauitatis nimirum, & Magnitudinis.

Magnitudinis centrum aiunt diuidere axem totius Sphæræ ex aqua & terra. Centrum vero grauitatis extra illud consistere in diametro terræ, quæ necessario maior est, quam Semidiameter sphæræ ex aqua & terra compositæ. De hac centrorum diuersitate vide Georg. Reisch. l. 7. tract. 1. de princip. Astron. cap. 41.

Centrum horizontis est centrum terræ, vel potius oculus noster in terrę superficie definiens partem Mundi apparentem. Horizon sensibilis est centrum horizontis rationalis, sicut tota terra cœli centrum est.

A Centro est Concentratio, *quæ est in centro concursus vel coniunctio.* Sic dicitur radiorum concentratio.

Concentrari est vniri quasi in puncto. Opticorum

corum vox est. In conspicillis ob vitri caritatem vnitur & concentratur lumen tanquam in puncto, & ita vnitum ac validius effectum oculos lucidiores reddit ac penetrat, eosque facit aptos ad colores rectius recipiendos. Et Physicorum: Hyemis tempore frigus externum calefacit interiora animalium per antiperistasin, non per se, sed per accidens, quia mediate, seu per mediam frigefactionem, vt ait Zabarella: Frigefaciens enim per se & immediate exteriora animalis facit, vt calor ipsum fugiens interiora animalis petat & *concentretur*, ac ita maior fiat.

A circumferentia ad centrũ agere Scholasticorum Physicorum phrasis est, pro eo, quod est actionem suam conuertere ad id, quod est interius, vt calor internus σύμμετρος & ἀνάλογος rei mutandæ seu afficiendæ intus in corpus actiones suas per se & præcipue conuertit, non extra hoc, calor inquam talis vnit & compingit.

CERTITVDO.

Certitudo est firmitas & immutabilitas quædam veritatis.

Estque *Obiecti*, id est rei cognitæ, quæ aliter se habere nequit; vel *Subiecti*, id est, Hominis cognoscentis, hoc est, assensus nostri ad rem, quæ cognoscenda proponitur.

Vtraque requiritur in Scientia. Si vtraque vel alterutra defuerit, Opinio dicitur.

Alexandro Alensi Certitudo duplex est: Alia oritur ex natura rei: Alia ex parte nostra, in 1. Metaphysic. cap. 8. Certitudo rei est immutabilitas eius. Ibid. Distinguunt etiam Scholastici inter Certum, perspicuum, & obscurum seu incuidens.

Certiorare.

Certiorare pro certum vel certiorem reddere, & certiorari passiu. oratores respuunt. Scholastici & Iureconsul. Vlpianus de eo qui pro tut. l. 1. & l. 1. ff. de act. empt. & vendit. vtuntur.

CINGVLVM.

Cingulum proprie zona, id est, cinctorium hominis est.

Quæ sequuntur, sunt Metaphorica.

Orionis (sideris sub Tauro & Geminis illustris) *Cingulum* constat ex tribus stellis secundæ magnitudinis paribus interuallis in directum distantibus: à quibus aliæ totidem, sed minores quasi defluentes repræsentant Ensem. Vulgo dicitur Baculus S. Iacobi.

Cingulum Mundi quidam appellant montes Ryphæos, quod versus orã Oceani tanta sint altitudine, & tot producti continentibus iugis, vt cingere quasi mundum videantur: Vnde etiam *Catena Mundi* à nonnullis vocantur.

Cingulum primi motus à nonnullis vocatur Æquator, seu Æquinoctialis circulus, quod primum mobile, instar zonæ humanum corpus, medium cingat.

Cingula Terræ sunt zonæ terrestres, quibus quasi redimitur Terra. Cic.

CIRCVLVS.

Circulus primo est paruus Circus.

2. Mathematicis est figura plana, vna tanum linea comprehensa, in cuius medio pũctus est, à quo omnes αἱ ἐπὶ τὴν περιφέρειαν lineę ad περιφέρειαν ductæ, sunt inter se æquales. Descriptio est perfecti circuli. Nam & imperfectus circulus est, qui dicitur Ἔλλειψις, quæ vno circumductu propemodum circulari ambitur, vt Oualis.

3. Circuli in Sphæra improprie dicuntur (Æquator est circulus, id est, est circuli circumferentia seu circularis linea) Circulares enim tantum sunt ambitus, qui non sunt figuræ, sed lineæ

hemisphæria sectionesve sphęræ limitantes, nisi globo illis secto planam superficiem sic effectam continenter euadant in circulos & Sphæræ sectores, aut nisi imaginemur eas quasi defluentes intro ad centrum vel axem globi gignere superficiem: sicut fingendum est de circulis cœlestibus in Doctrina Sphærica.

4. Improprie etiam Circuli appellatio tribuitur Zonæ & Zodiaco, id est, superficiei duabus circularibus lineis comprehensæ.

Circulus in Physicis.

Circulus in Naturalibus est Generationis vicissitudo vnius ex altero. De hoc Scoti sententia est: In causis eiusdem ordinis non est circulus. In quibusdam rebus nascentibus circulus est, nempe in quibus generatione vltimum est causa eius, quod generatione primum est: In quibusdam non est.

Ἀνάκαμψις.

Causæ igitur sunt Reciprocæ vel non reciprocæ.

Reciprocatio ea fit in Efficiente, vel materia.

In Efficiente, vt bona Coctio efficit *εὐχυμίαν*, *εὐχυμία εὐεξίαν* (bonum habitum corporis.) *εὐεξία* rursus *εὐπεψίαν*. *εὐεξία* est causa valentium virium.

Hæ causæ sunt crebrarum exercitationum; hæ rursus sunt in causa vt corroboretur *εὐεξία*.

In Materia. Ex irrigata aquis terra vapores, è vaporibus pluuiæ: Hæ rursus sunt causæ irrigatæ terræ. Vt ex sano potest fieri ægrotus, sic vicissim ex ægroto sanus.

Non reciprocatio etiam fit in efficiente & materia.

In efficiente seu procreante: Non vt à Sole calor, sic Sol à calore.

In Materia: Non vt ex aqua aer fit, & ex aere aqua, ita ex vino acetum fit, & ex aceto vinum renascitur.

Similiter, non ex adolescente vir potest fieri, sic vicissim ex viro potest fieri adolescens.

Vsus.

Quæritur, an hominum generatio sit circularis? Resp. Negate. Negatio sic ostenditur: Si omnes homines sunt generati, seu proseminati, necesse est hominum circularem esse generationē, quomodo in circulari catena quilibet annulus ab alio annulo contiguo continetur. Fieri autem nullo modo potest, vt homines primi cum postremis coniungantur: ac certum est hominibus genitis homines, qui genuerunt, fuisse priores: Cum vero generati sint omnes, necesse est priusquam generarentur, alios fuisse homines, ex quibus sunt proseminati, atque ita necesse erit ante omnes natos homines prius homines fuisse. Hęc cum ita sint, necesse est primos homines aliquot fuisse seu extitisse sine seminio & ante seminium, id est, qui non sint ex hominibus sati. Quocirca cursus quidem Generationum hominum est, sed circulatio non est.

Cū e homin alio fa sint, n est al non ex minib sed alio prodiss Vid. T rell. de rum Ex p. 3.

Ad hæc melius intelligendum, teneatur sequens distinctio generationum.

Generationes aliæ sunt Corrumpentes, quibus contrarium fit è contrario: Aliæ sunt Perficientes, quibus fit ex imperfecto perfectum; cum id, quod in subiecto fit prius, non corrumpitur, sed perficitur posteriore.

Priorum exemplum est, cum è limo putrefacto fit ranunculus per corruptionem, Scal. exer. 6. s. 2. Cum Aceti forma corrumpitur forma vini. Cum cadaueris *ψυχὴ* forma aboletur animalis. Hic posteriore forma corrumpitur prior.

Ἀνακάμψις vel πλεν vel ἐπαναπάμπτων εἰς ἄλλην

Materia autem vini, non vinum corruptionis λα-

ptionis huius subiectum est, qua fit acetum. Hæc mutatio non ἀναπάμπλει, non est vicissitudinaria: non enim vicissim fit ex aceto vinum.

Posteriorum exemplum: Si ex puero fiat vir. Ita subtiliter Scaliger fieri ait canem ex semine canino non per corruptionem, sed per perfectionem eius, sed vulgus hoc non dicit.

De æterna Elementorum inter se Circulatione est apud Arist. in 1. Meteor. Ibi enim ait ex terra madefacta generari vaporem, ex vapore pluuiam, ex pluuia iterum madefieri terram, ex hac iterum fieri vaporem in infinitum.

Æterna esse κατά τι hæc in Elementis vicissitudo ac circularis generatur, quia omnibus temporibus perseuerat, tanquam fluuius ad superna cõtinue currens, atq; recurrens.

1. Plato 10. de Rep. (vbi agit de necessitate) circulorum inuicem implexorum multiplicitatem videtur accipere de causarum ἀλληλυχία connexaque serie: cuius motus omnes & quasi flexus Deus, vt princeps & primaria causa, efficaciter moderetur: sicut enim Deus est φυτουργὸς seu φύσεως δημιουργὸς: sic etiam est eius οἰκόνομος (Dispensator) & κυβερνήτης, natura interim ex suis causis potenter agente, & hominum industria, suo quoq; modo.

2. Est & Circulus in Politicis. Iniuria efficit inimicitias: Inimicitiæ bellum: Bellum rursus est causa iniuriarum.

Exemplum circuli Ethici seu practici hoc quoque est. Inter Moralia Aristotelis primum locum habent Ethica, Secundum Oeconomica, postremum Politica. In quo ordine Circulus animaduertitur. Primum enim per Ethicam euadunt boni probiq́ue singillatim, qui eius studiosi fuerunt. Hi bonas reddunt familias. Familiæ recte institutæ bonas efficiunt Respublicas. In rebuspublicis rursus leges & Magistratus hoc spectant, vt boni fiant singuli ciues, & ex virtute viuant. P. Martyr. in Comm. in Eth. Arist.

Est & in Logicis ἀντιστροφὴ: Sunt enim reciprocæ demonstrationes licet paucæ, id est, reciprocantur aliquando in Syllogismo Demonstratiuo Causæ cum conclusis.

3. Circulus, Circularis Scientia, seu orbis doctrinarum est encyclopædia, id est, absoluta cognitio omnium scientiarum: Disciplinæ Cyclicæ, vt loquitur Martianus Capella.

4. Circulus seu orbis cum trigono Philosophicus est σχῆμα, tria Scientię capita, seu scalam Entis subiecti, principiorum, affectionum & specierum continens.

Sic Lippius.



Circularis Definitio.

Circularis Definitio est vitiosa, quia si reciperetur, idem esset eodem notius & ignotius, quod fieri nequit.

Vnum definitur & intelligitur multitudine, & vicissim multitudo definitur vno. Ergo cõmittitur hic circulus, quod vitiosum. Antecedẽs probatur: Vnum definit multitudinem, cũ dicitur, Multitudo est aggregatio vnitatũ, & multitudo definit vnũ, cũ dicitur, vnũ ẽ ens indiuisũ.

Resp. ad probationem antecedentis: Non eodẽ modo definit multitudo vnũ, & vnũ multitudinẽ, vt ex allatis definitionib. dilucet. Itaq; circulus non cõmittitur hic.

Sic Matth. Aquarius. In multitudine duo consideranda veniunt, Alterum ipsa multitudo: ita multitudo definitur per vnum: Alterum diuisio, ita vnum definitur per multitudinem.

Auerroes. Circulus qua circulus est ineptus ad demonstrandum. 1. Poster. c. 3.

Circularis seu in orbem ducta *Demonstratio* nō quidem per se plenam facit fidem, quod in se quodammodo commeet & reciprocetur, (hinc enim dicta κυκλικὴ) sed nonnihil tamen ad suadendum valet. Exemplum eius est: Efficiens & patiens sunt contraria. Ergo genere eadem sunt & specie dissimilia. Rursus: Efficiens & patiens sunt similia genere, specie dissimilia. Ergo sunt contraria. Quid ex hoc circulo adipiscimur, & similibus? Resp. Illud primum, quod terminos inter se pares, id est, reciprocabiles, seque mutuo consequi intelligimus. Ab Aristotele sc. adhibito circulo cognoscimus, quæ sint efficientia, patientia; quæ sunt similia genere, ac dissimilia specie, quæ sunt contraria, pares terminos esse, i.e. vicissim reciprocari. Circulus enim nō nisi in paribus terminis locum inuenit. Ita cum ex eo, quod Homo docilis est, demonstraui esse rationis compotem, & rursus ex eo, quod est rationis compos, demonstraui esse docilem; statim intelligitur docilitatem, rationem & Hominē eam inter se coiisse societatem, vt vnum ab altero nūquā diuelli queat: quem seu nexū seu connexū Philosophi vocāt essentialē.

2. Illud quoq; commodi affert Circulus, q̄ conuersione ista terminos excutiētes, cognoscimus, quis ex illis propriā causam, quis effectū significet. Quare sępe cum effecto demōstrauimus causam, paulo post rationē conuertentes, ac ita naturā imitantes, ex causa demōstrauimus effectum. Etsi igitur Circul⁹ per se non demonstret, idoneus tamē est ad rerum vim naturamq; ac mutuā ἀκολούθησιν cognoscendam. Vid. Nob. Flam. l. 1. de Gen. & inter. p. 73.

Alex. Aphrod.

Quidam circulū à probatione διὰ κύκλου distinguunt; vt, inquiunt, hic circulus est distās à probatione διὰ κύκλου: Veritas est fundamentū Petri: Petrus fundamentum Ecclesiæ; Ecclesia fundamentum Veritatis.

Circulus antiquorum, qui fuerunt ante Aristotelē, quid fuerit, de eo vide Vocem Regressus, & cape hic de illo exemplū Scaligeri hoc: Si ex Aqua maris fit arena, propterea q̄ aqua salsa est, & arena fit salsugo: profecto erit circulo demōstrare, quod tamē fieri nequit. Si .n. hic circulus esset in natura, causa haberet causatū q̄ causa, q̄ absurdū seu ἄτοπον.

Circuli interdum accipiūtur pro cœtibus hominum in orbem quasi collectorū, pro synodis, h.e. congressionibus, cum amici vel publice, vel priuatim cōgressi corona facta vel tædii fallendi causa confabulātur, quales apud Grœcos fuerunt λέσχαι, quales & hodie fere sunt in foris aut locis publicis, vbi ēt de priuatis negotiis sermones habētur, vt Francofurti am Rōmer. Sic vsurpauit Cic. in off. Sermo in circulis, disputationibus, cōgressib. familiarium versetur, persequatur ēt conuiuia; sed concen[illegible] disceptationibus tribuatur iudiciorum, concionū, Senatus. Tacitus: Nō ignoro in conuiuiis & circulis incusari ista.

CIRCVMDVCTIO, *Flexus.*

Circumductio seu Peribole 1. est circuitus aut flexus.

2. In Oratoria est Oratio flexuosa, sinuosa & prolixior; Consans fere plurib. mēbris, quam vulgata periodus. Velcurio vocat Circuitum orationis historicæ. Differt à Periodo. Nam hæc est circuitus orationis oratoriæ, in hac tam rerum, quam orationis consequentia & cohęrentia requiritur bene coagmentata: Sed περίοδος longioris constructionis est: Illa oratoria est; Hæc Historica. Vitandum in ea Hyperbaton, impeditior & obscurior constructio propter vocum traiectiones remotiores.

Oratio

Oratio { Simplex { Commatica. / Membrosa. } Vide 1. Erasm. de copia c. 30.
Oratio { Duplex { Periodica. / Flexuosa. }

Vide vocem περίοδος.

CIRCVMLOCVTIO, CIRCVITIO.

Circumlocutio dicitur, cum pluribus verbis id, quod vno, aut certe paucioribus dici potest, explicatur. Græce περίφρασις. Hinc Expositio περίφρασις sententiæ alicuius dicitur. Numerant quidam inter Elocutionis Tropos: Alij inter figuras orationis. Ramus refert ad argumẽtum descriptionis. Exemplum: Quod idem est dictu: Sic circumloquitur Picus Mirandulanus SEV, particulam Declarativam seu Synonymicam. Albedo est alba, quod idem dictu est, non habet albedinem: quia est ipsa albedo. Vide Picum de Ente & Vno.

Metaphrasis aliud est, quam Circuitio seu Periphrasis. Nihil enim aliud est quã interpretatio, conuersio seu translatio sermonis in aliam linguam.

Circuitus etiam *Orationis* aliud est quam Circuitio. Significat enim oratoriam Periodum.

Circumloquutio { Obscœnum seu Turpe dictu vitat. / Ornat. / Obscurius & minus significanter dictum illustrat. Itaque ἀντιπερίστασις seu circumsistit: sic circumloquor: Aduersa vi obsidet.

CIRCVMSCRIBERE, CIRCVMSCRIBI, Circumscripto.

Circumscribi primum est *Definiri*, vt ad consuetudinem introducendam requiritur probabilis ratio, actuum frequentia, diuturnitas temporis, quæ decem annis circumscribitur, inquit Iureconsultus.

Secundo accipitur pro excludi seu secludi, circumscripto pro secluso. Circumscribere pro excludere, eximere, secludere. Sic obscuriusculum est, nec facile à quouis intelligitur, quod nõnulli Doctores Scholastici vtuntur circumscripto pro excluso, seu præterquam, vt: quædam prædicantur concreta de aliquo omni alio circũscripto (id est, excluso, hoc est, de aliquo solo, seu primo & immediate:) & de nullo illo circumscripto (id est, præterquam vel extra quam, de illo, seu illo secluso:) vt inhærere, informare, de forma tantum. Alia prędicãtur de aliquo ratione alicuius distincti & externi, quo circumscripto (id est, semoto) de illo non prædicarẽtur, id est, prædicantur mediate, seu de iis, quibus mediate conueniunt, vt album de pariete prædicatur, cui albedo inhæret accidentaliter. Alia sunt cõcreta, quæ prædicantur mediate vel immediate, vt cum dicitur Ignis est calefactiuus, (vt quod) & calor est calefactiuus (vt quo) calefactiuum dicitur & de calore, & de igne.

Causa sufficiens est, quæ alia circumscripta (id est, secluſa, seu remota, non coniuncta) adhuc causaret. Gabr. Biel in punctis lib. 3. de Incarnatione: Seu: qua posita ponitur effectus alia circũscripta, id est, quæ causare sufficit, etiamsi alia non concurrat. Causa totalis est, qua posita, omni alia circumscripta (id est, excluſa, non existen-

te,nõ vna cauſante,vt cauſa ſocia) poteſt effectus ſufficienter produci.

Et hoc modo cauſa totalis dicitur cauſa ſufficiens. Sic:Hoc,omni alio circumſcripto , id eſt , hoc præciſe ipſum cauſat. Vnde Scholaſtici etiam cauſam ſufficientẽ vocant præciſam. Vide Gabr. lib.3.diſt.1. quæſt.1. Vide & Occam.quæſt. 1. prim. quodlibet. Sine hac explicatione ὅρου nemo intelligit Bielem. Res ex eo præciſe dicitur quanta & extenſa,quod habet partem extra partẽ localiter,hoc enim exiſtente ſeu poſito , omnib. aliis circumſcriptis(id eſt, hoc ſolo) res eſt quanta,& omnibus aliis poſitis , illo circumſcripto(id eſt excluſo ſeu ſemoto)res non eſt quanta. Ita ergo circumſcriptio ſolitudinem ſeu præciſionem & excluſionem ſignificat.

Scotus lib.2.d.14. Circumſcripto omni libero arbitrio , omnia euenirent neceſſario,nihil contingenter:id eſt, abſque libero arbitrio eſſet.

Mutatio phraſeos.

Pro vnũ omni alio circumſcripto efficete, tu dices:Efficere vt cauſam ſolã, ſolitariã ſe u ὁλοτελῆ. (Barbarí ẽt vt cauſans ſine concauſato dicũt.) Huic cauſa ſocia opponitur,& cauſæ συμπεπλεγμέναι,id eſt coniunctæ ac connexæ. Sed plura locutionis propoſitæ exempla videamus. Scot.in additionib.prologi cupientes aliquid:Illud præciſa cauſa alterius eſt,quo poſito , circũſcripto vel vatiato quocunq; alio,ſequitur effectus.Multiplex perfectio generi humano ad verbi humanationem collata eſt etiam circumſcripto lapſu, id eſt, ſine reſpectu lapſus,ſeu extra conſiderationem lapſu poſito.

Scot. in Quodlib.lib.1.diſt.44. Nihil eſt ſimpliciter impoſſibile,niſi cui ſimpliciter repugnat eſſe. Cui autẽ repugnat eſſe,ei repugnat,exſe primo,& nõ propterreſpectũ aliquẽ affirmatiuũvel negatiuũ ipſius ad aliquid aliud. Repugnantia enim quæcunq;extremorũ eſt ex ratione ſua formali & p ſe eſſentiali, *circumſcripto quocunque alio reſpectu* vtriuſq; extremi poſitiuo vel negatiuo ad quodcunq; aliud. Sicuti album & nigrum pet ſe ex rationibus ſuis formalibus contraria ſunt,ſeu habent repugnantiam formalem *circumſcribendo* perimpoſſibile *omnem reſpectum* ad quodcunque aliud. Illud igirur eſt ſimpliciter impoſſibile , cui per ſe repugnat eſſe,& quod ex ſe primo eſt tale,vt ipſi omnino repugnet eſſe. Hic pro circumſcribendo reſpectum , nos diceremus: Non propter aliquem reſpectum ad aliud (vt ad DEVM.)

Itaq; πῶς circumſcribendo Scotus opponit Includendo l.3.diſt.15. Vno modo accipitur voluntas , vt naturaliter tendit in obiecta propria,circumſcribendo alia , (id eſt excludendo alia non propria.) Altero vt natura Includendo ordinem ad quæuis,id eſt, vt inclinata etiam ad obiecta alterius appetitus,cui coniungitur interuentu inclinationis illius.Eſt enim naturalis[a] cõnexio voluntatis cum appetitu ſenſitiuo τῷ ὀρεκτικῷ,id eſt appetibili , volũtati per intellectum repræſentato.

Petrus Martyr autor grauis & ſatis terſus in Comm. in 1.Ethic. Ariſt. pag, 68. Nos circumſcriptis reiectiſq; his, quæ ab altercantibus vltro citroq; afferuntur , diſtinctiones quaſdam faciles & expeditas faciemus : Id eſt , excluſis miſſis,præteritis,reſectis.

Iohannes de Ianduno ſeu Gandauenſis in quæſt. in lib. 1. de cœlo & mundo. Cœlum circumſcripto motore non, eſt animatum.

Eſſe circumſcripto,id eſt,ſecluſo,actu intellectus eſt eſſe extra animam. Ens rationis eſt quid per ſe nihil eſt, circumſcripto omni actu Intellectus, id eſt extra animam , id eſt , tantum eſt aliquid in anima & ab anima. Thom.Aquin.in Logic tract.1. cap.3. Zabarell. lib.8. Phyſ. text. 35. Indicat

Ariſt.

Volum. duplex accipit.

[a] Scotus iam vocat COLLIGANTIAM

Arist. quod mouere se ipso sit mouere cum exclusione auxilii. Hic Scholasticus dixisset cum circumscriptione.

Aliud autem est Circumscripto, id est, secluso, aliud excepto, τῷ excepto restringit vniuersale: τῷ secluso remouet συναίτιον seu societatem.

3. *Sed circumscriptum* quoq; sæpe opponitur Vago, & ei, quod ad plura pluresve attinet, estq; cui quasi septa sunt circundata. Quod igitur vagum est, sæpe aliquo circumscribitur, & fit ἀφωρισμένον. Tuo vnius studio cũ dicitur, circumscribitur studium & exemplum multis, attribuitur vni: Tuo studio, secluſa opera aliorũ, Vide Scal. de caus. Lat. ling. 6. cap. 129.

4. Circumscriptus etiam dicitur à Cicerone, qui est deceptus, oppressus: & circumscriptor, qui est deceptor. Videtur Metaphora à feris, quæ indagine circumueniũtur & circumscribuntur. Ramus in 2. Catil. Item qui potestate est prohibitus & vi repulsus. Sic Cicer. accepit in 2. Philip. interprete Bartholomæo Latomo, qui ad eum locũ ait circumscribere esse verbum iuris, & circumscriptionem quasi iuris diminutionem: circumscribere est circumuenire, & quasi septa circumdare. Circumscriptores, inquit Seneca, dici solent, qui aliquid sustulerunt. Hinc patet Scholasticorum illud Circumscriptum, quod tot exemplis ostensum est, sapere Ciceronianismum.

Quærunt Scholastici: An Vnio Hypostatica sit realis Relatio? Respondetur à Gabriele & aliis Affirmare: quia per vnionem humana natura realiter dicitur assumpta, & verbum realiter incarnatũ, circumscripta, (id est, secluſa) quacunq; collatione intellectus, quia non per intellectus nostri considerationem, sed per realem assumptionem verbum est caro factum. lib. 3. distinct. 1. quæst. 1. Sed hi volunt relationem realem esse tantum in natura humana, vt in altero extremorum: In λόγῳ esse rationis tantum: quod mihi non probatur, sed addo relationem hanc realem respectu τῦ λόγυ esse sine reali mutatione seu alteratione. *An Vnio sit realis in vtroque extremorũ.*

Quæritur? An incarnatio facta fuisset, si homo nõ fuisset lapsus? Alij affirmant, alij negant. Hoc Scholastici sic efferunt. Sunt qui etiã circumscripto lapsu ponant Incarnationis conuenientiam (id est, non existente lapsu, non præsuppositio lapsu, etsi non esset lapsus, nulla habita ratione lapsus.) Alij contra, volunt peccato non existente potuisse Deum incarnari.

Quærunt: An Natura intelligens sit Persona: ac respondent: Natura intelligens perfecta non communicata alteri seipsa, omni alio circumscripto, (id est, præcise) est Persona.

Circumscriptio huius generis fit { *Re ipsa & facto*, (Barbari dicunt de facto,) seu *Natura* (φύσει) vel voluntate, συνθήκῃ. / Per imaginationem, seu τῇ ὑπονοίᾳ.

CIRCVMSCRIPTIO.

1. Generaliter loquendo est vox notans Modificationem, Determinationem, Præscriptionem.

2. Specialiter circumscriptionem Scaliger 1. accipit in Poetica pro Moderatione, Mo[illegible] Attemperatione, quæ fit cum ei, qd dictum est, modus statuitur. Dicitur circumscriptio, quia apponitur sententiæ linea ac meta, aut ex persona introducta, aut ex persona Poetę, (l. 3. c. 36.) & accedit, si spectes collocationẽ ad vim Parẽthesis. Sic Palinurus, cũ sententiã suã delinearet: nec littora longe fida fraterna Erycis interposuit, reor. Sic Iupiter in primo Fatebor.

Venus in eodem, Haut credo: & Dido, credo equidem, nec vana fides.

Ex persona Poetæ: vt perhibent, & fama est: &, mirabile visu: &, si credere dignum est. Transferimus etiam in narrationes, eisque miscemus: veluti fecit Poeta de cœculo,

Vulcano genitum pecorum inter agrestia Regem
Inuentumq; focis, omnis quem credidit ætas.

2. Circumscriptio vsurpatur à Scaligero & Viotto pro ratione formali. A Piccolhom. in Ethicis pro Descriptione. Scaligeri locus est exerc. 357. Motus Totius Naturalis comprehensionis (id est, Doctrinæ) fundamentum & Circumscriptio, quam formalem rationem vocant subtiliores, primum omnium rerum cognitarum fuit. Sententia memorabilis. Nec tamen prorsus idem sunt: Differunt enim vt Genus & Species. Nam omnis circumscriptio rei est ratio formalis, sed non omnis ratio formalis est circumscriptio rei.

Bartholom. Viottus lib. 5. de Demonstratione. Cum subiectum in suo generali significato sumitur, tum ab vno genere Disciplinæ in aliud transferri potest, illique quibusdam arctatũ proprietatibus accommodari: qua circumscriptione addita, tunc adeo fit vni arti peculiare, vt alteri nulla ratione subiici queat. Atq; hoc additũ est, ratio illa formalis, vt aiunt, seu, est forma illa, per quam illius disciplinæ subiectum constituitur. v. gr. Humanum corpus non est subiectum Medicinæ, (sed est partiale subiectum Physicæ) sed si illud vt morbis obnoxium consideraueris, tum fit Medicinę subiectum. Circumscriptio igitur, posse ægrotare & sanari, est ratio illa seu forma, per quã fit Medicinæ subiectum.

3. Pro terminatione corporis, quæ est vel Interna, vel Externa: seu, vel Quantitas, vel Localis.

4. Pro Seclusione seu exclusione, vel exceptione seu determinatione exceptiua. Sic Scotus, Gab. Biel, Armandus. Sic Zabar. l. 1. post. Analyt. Comment. c. 24. Effectus naturales ad necessitatẽ rediguntur. Dum enim cum circumscriptione (id est, exceptione) impedimenti considerãtur, sunt necessarii, & propositiones sunt necessarię, dũ additur exceptio impedimenti, Nisi impediatur: nisi quid impediat. pag. 145.

5. *Circumscriptio etiam est periodus oratoria*, vt verba concluduntur circumscriptione, intermissione (qua cursus orationis intermittitur, & cum membratim dicimus) & Concisione seu Inciso, seu commate, quod sæpe fit singulis verbis, vt docetur in Oratoria.

CIRCVMSCRIPTIVE.

Hæc vox in Physicis dicit naturalem terminationem loci ad locum, quo circumscribitur. De ratione eius, quod circumscribitur, est, vt nõ sit extra terminos circumscribentis. Corpus ita clauditur intra terminos loci illius, quem occupat, vt extra illos non sit. Hoc est esse in loco adæquato.

Esse in loco circumscriptiue, per circumscriptionem, κατὰ περιγραφήν, & quantitatem, idem sunt.

Opponitur & πῷ Definitiue, & πῷ Immẽse. Vt Deus non est in Loco neq; Circumscriptiue, neq; Definitiue, sed Immense: Id est, præsens rebus omnibus. Immensitas eius terminis seu limitibus non clauditur vllis. NB. *Suarez.*

Corpus Christi nunc est in cœlo Definitiue, quia ex vi illius præsentiæ nõ potest naturaliter esse alicubi. NB. *Scholast.*

Circumscribi tamen & Definiri nonnunquã pro eodẽ accipiuntur, vt circumscribi loco & definiri loco ita nihil differant, vt quod loco proprie definitur, (id est circumscribitur) ita clauditur terminis illius loci, vt iuxta rei naturam extra illos esse non possit. NB.

CIR-

CIRCVMSPECTIO.

Περιβλεψία, excubatrix ſpectatrixq; negotiorum, quæ circumſtant. Cautio, rerum obſtantium depulſio vel auerſio.

Piccolhom. refert ad affectiones prudentiæ: Prudentiam, inquit, iam formatã táquam propriæ affectiones comitantur Circumſpectio, Vigilantia, Prouidentia, Cautio.

Omnia circumquaq; vide retro Argus & Ante,
Corrige præteritũ, præſens rege, cerne futurũ.

CIRCVMSTANTIA.

Circumſtantia eſt quod circumſtat rem (vt tempus) perſonam vel actum, Græce περιστατικὸν & περίστασις.

Armandus in declaratione difficilium terminorum; Quicquid non pertinet ad Subſtantiam actus, vt eſt in Specie naturæ, & tamen aliquo modo attingit ipſum actum, dicitur circumſtantia eius.

Nullæ circumſtantiæ ſunt actui internæ, quod attinet ad eſſentiam actus, nec mutant eius ſpeciem, quoad eſſe naturæ; ſed quædam ſunt actui internæ, quod ad bonitatem vel malitiam moralem attinet: Et hanc poſſunt mutare, vel nouam addere, priore non mutata. Armandus.

CIRCVMSTANTIONATVM, περιστατόν.

Barbarum Scoti & Bielis l. 4. diſt. 3. pro eo quod habet adiunctas annexaſue circumſtantias, vel quod circumſtantiis perficitur, vt; Sacramentum eſt actio circumſtantionata verbis & intentione, vel eſt aggregatum ex his. Id.

Ἀπερίστατον Barbari dicunt Incircumſtantionatum, vt officium aut eſt incircũſtantionatum, aut circumſtantionatũ; pro his barbaris tu dices: Aliud officiũ eſt ἁπλῶς ſiue ἀπερίστατον, quod ſuapte natura ſemper ſine vlla exceptione faciendum eſt, cuiuſmodi eſt cura honeſti vel valetudinis: Aliud κατὰ περίστασιν, quod pro conditione temporis, loci, rerum & perſonarum, ſimiliumq; circumſtantiarum recte fit, aut ſecus, cuiuſmodi eſt præcidendum præbere aliquod membrum corporis, aut abiicere pecuniam.

Sic loquuntur Barbari: Iuramentum debite circumſtantionatum, item iuratio recte circumſtantionata eſt actio virtutis, quæ latria nuncupatur; pro hoc tu dices: Iuſtis circumſtantiis definita ſeu moderata.

CITRA.

1. Citra opponitur Vltrà; Ita illud minus, hoc plus ſignificat, vt;

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
Quos vltra citraq; nequit conſiſtere verum.

2. Eſt particula Separatiua, ſignificans Seorſum, ſine, vt: Filius DEI citra carnem non ſubſiſtit, id eſt, diſtractus ſeu ſeparatus à carne ſemel aſſumpta.

Carnem Chriſti ab vnitate Perſonę, à qua ſemel citra commixionem aut confuſionem aſſumpta eſt, diſtractam cogitare nefas eſt, id eſt, ſine commixtione.

3. Eſt μόριον ἐκκλειστικὸν (id eſt part. exceptiua.) Omnis contemplatio citra Philoſophiam primam eſt aut cum motu, aut citra motũ, aut de iis, quæ ad motum ſpectant, id eſt, excepta Philoſophia,

Scotus l. 4. diſt. 49. Aliquid eſt ita perfectum, vt propter ſui perfectionem nõ recipiat vlteriorem perfectionem, vt DEVS. Aliqua ſunt ita imperfecta, vt propter ſui imperfectionem non ſint capacia perfectionis, vt reſpectus ſeu relationes: Alia ſunt entia media inter hæc, quæ ita perfecta ſunt, vt poſſint aliam recipere perfectionem: eiuſmodi ſunt omnia entia abſoluta citra DEVM id eſt, præter DEVM, ſeu excepto DEO, ſeu, vt loquitur Cicero, ſi à DEO diſceſſero, ſeu præterquam DEVS.

Boet. in lib. de Trinit. In omnibus, quæ ſunt citra primum, quod vere eſt V-

num, in quo nullus est numerus, est hic & hoc.

Alb. M. in expos. cœlest. Hierarch. Dionys. hic assumit: Angeli sunt citra primum. Et concludit: Ergo in Angelis erit aliqua compositio.

Scalig. exerc. 6. s. 14. Creatio fit citra omne temporis momentum. Barbari dicunt INSTANTANEE.

COACTIO:

Cogere est vi pellere, obtorto quasi collo, vt eleganter loquitur Iureconsultus, trahere.

Coactio est impulsio agentis ad aliquid, à principio externo facta, contra agentis naturalem propensionem seu appetitionem. Seu coactio est violẽta torsio, violentus impulsus (qui interdum etiã dicitur necessitas, modo simpliciter: modo cũ adiectione violenta) vt eum dico, voluntas habet libertatem à coactione: Quæ libertas ei δύναμις naturalis est. Opponitur ei suauis Inflexio: Differt ab Impulsione: Nam nõ omnis impulsio est coactio. Occasio impellit (aliquẽ) ad producendũ effectũ, & ad rem aggrediendã, sed nõ impellit vlla coactione seu necessitate, verum tantũ monendo & suadendo. Et hoc sensu occasio, id est, tempus ad furandũ cõmodum ac idoneũ furẽ facere dicitur. Multi impulsi fecerunt ita vt impellẽti potuerint resistere: ii nulla necessitate seu coactione impulsi fecerunt, sed vi quadam voluntatis impellenti, cui resistere poterat, vltro cedentis. Itaque horum factum est voluntarium, non necessarium seu coactum.

Cogere igitur est vim afferre, violenter impellere, nolentem adigere. Volens autem nemo cogi potest, vt & nemo qui volens nolẽs agit. Agere enim nolens volẽs (ἑκὼν, ἀεκόντι γε θυμῷ) dicitur is, qui agere quidẽ vult, sed nõ plena & prorsus acquiescente voluntate, sed refracta remissaq;, & cũ noluntate, vt barbare quidem, sed scite loquũtur Philosophi, mixta. Nota hic obiter: *Remissam voluntatem*, esse voluntatem cum noluntate mixtam.

Coactum est, quod motus sui ἀρχὴν, id est, principium & causam tantum externam, non etiam internam habet, qua ipsum sese moueat ad hoc vel alio modo agendum, Græce τὸ βίαιον. *Def.* *Comm.*

Huic & Inuoluntario opponitur Liberũ. Aliud ab eo est Necessariũ, ἀναγκαῖον. Nã Deus & sancti Angeli sunt boni ἀναγκαίως, id est, necessario, sed nõ coacte & ἀκουσίως, sed libere. Omne quidẽ coactum est necessarium, sed non contra omne necessarium est coactum. Itaq; differunt hæc duo, vt genus & species, & alia est necessitas immutabilitatis, alia coactionis: Illa cum voluntario, & τῷ ἐφ' ἡμῖν consistere potest: hæc non potest.

Aliud etiam quid est Coactio à Fato Peripateticorum, quod hi agnoscunt in rebus tantum naturalibus, quæ necessariam habent consecutionem, & ad causam per se, quæ naturalis dicitur, referunt. Sic fatale est hominem ex homine oriri, & à Prouidentia Dei. Ab ea enim constitutæ sunt causæ secundę in natura necessarię, in voluntate inclinantes, non cogentes, vt loquar cum Scalig. exerc. 307. sect. 25. A Prouidentiæ igitur ratione aliena remotaq; est cogens necessitas.

Coactionis Modos M. Flacc. Illyric. facit quatuor aduers. Victor. Strigel. *Multiplex Illyrico Coactio.*

Prima est Locomotiuæ, vt cum lictor ad carcerẽ, aut carnifex ad patibulũ sontem trahit rapitque obtorto collo. Sic Deus non trahit nos in templum ad audiendum verbum, tametsi multos fures & latrones ab omni religione alienos attrahit inuitos, & vt tandem in carcere audiant verbũ. Ita multos feroces iuuenes, milites, & scorta magnis malis & ærumnis domat; & ad verbi auditionem & lectionem trahit, vt

Ma-

Manassen, vt tandē dicant; Bonum est mihi quod humiliasti me, vt discerem tua δικαιώματα.

Secunda est Raptus, cum Satan vel obsessa corpora, permittente Deo in ignem vel aquam præcipitat, vel Pythiam mulierem, & alios furentes impiorum vates & ἐνθουσιαζομένους agitat. Sic nos Spiritus Dei non cogit.

Tertia est Coactio, quæ fit per minas & terrores ingentium malorum. Sic Deus nos compellit intrare, vt Dominus de âse inuitatis mandat. Sed hęc Coactio seu compulsio improprie Coactio dicitur. Est enim tantum *Impulsio*.

Quarta Coactio est, vbi nobis natura â Deo ad errores ac peccata auersis lumen aliquod & initium bonę voluntatis potenter donatur ac implantatur, cum vetus Adamus mortificatur, & nos oleastri ex nostra syluestri prauitate ad bonam oleæ naturam trahimur & immutamur. Hoc certe modo nos Deus trahit, excindens potenter lapideum cor & dans nouum, & contra Satan & vetus Adá magna vi reluctatur, nosque ad pristinas sordes retrahit.

Hæc quarta Coactio est efficax motio cordis. Talis Coactio seu potens actio nullo modo negari potest aut debet.

Hic quartus modus est falsissimus, quia tollit & euertit prorsus Modum agendi proprium voluntati, ipsi â Deo inditum nec lapsu sublatū. Itaq; hoc quoque falsum, quod ait Illyr. etiam aliquatenus impios prauis motibus reluctari, respectu communis honestatis aut legum, & non plane ex animo, sed quodam hypocritico & insincero cordis motu & prorsus *actione imperata, vel potius coacta*. Nec efficax cordis motio est proprie coactio, sed est flexio.

Huic errori de Raptu Violento hominis ad conuersionem, & coactis seu vi extortis actionibus etiam non Renatorum oppositus est hic Syllogismus: Proprietas Naturæ rationalis, quæ subiata tollitur ipsa Natura rationalis, & quæ discernit naturam rationalem à bruta, etiam post lapsum mansit. Libertas voluntatis à Coactione est talis proprietas. Ergo hæc Libertas etiam post lapsum remansit. Et hæc sententia: Voluntas coacta non est Voluntas, sed potius Noluntas. Sed ἀσύστατοι, esse prorsus hunc 4. modum Coactionis, planius sic ostenditur. Ait Illyricus, Tyranni potius corpus cogunt, quam voluntatem ac mentem. Sed Satanæ maior est potentia, vt qui non tantum corpus, sed etiam ipsam voluntatē cogere possit, ita vt impius non tantum corpore & externo opere ei obsequatur, sed etiam plena Voluntatis promptitudine. Non enim ille, vt Tyranni tantum corporis aut externi operis obsequio contentus est, sed etiam ipsum cor hominis habere, ac pro suo arbitrio regere vult, in eoq; maxime impetritat, & magis quidem, quam in locomotiua & externis actionibus. Hæc Illyricus. Sed bene habet. Si enim plena Voluntatis promptitudine, si plenis voluntatis quasi velis impii Satanæ obsequūtur, si proni præcipitesque feruntur ad id, quod Satan vult iubetq;, profecto proprie voluntatem cogere non potest.

Vinci quidem potest voluntas incitationibus & impulsionibus, exempli causa, affectuum, at cogi non potest. Ratio seu Mens sæpe cogetur credere & statuere, cp minime vellet. Quia formaliter & secundū essentiā libera non est vt Voluntas, sed tantum originarie, id est, secundum radicem & causam. Pro Illyrico obiici pōt εὐπροσώπως, quod Eras. Roterodam. in disp. de Lib. arbitr. ait: Voluntatem seu liberum arbitriū citra gratiam amissa libertate cogi seruire peccato.

Respons. Impropriæ locutiones sunt discernendæ à propriis. In seruitute peccati Voluntas proprie non cogitur.

Etiam corruptissimū peccati mācipium è duobus malis potest eligere

modo maius, modo minus, Respectu Interni principii.

Homo enim procliuis est ad peccatũ & omnis generis prauas ὁρμὰς. Subiicitur quidem peccato & prauæ naturæ suæ tanquam tyranno obedire cogitur contra legẽ Dei, sed ita vt quãuis mens videat probetq; meliora: voluntas tamen propter vehementiores affectus consentiat tandẽ in deteriora, eaq; sequatur. Inuitũ trahi, hoc est hominẽ, non proprie voluntatem cogi.

Axiomata.

1. Libertas à necessitate coactionis agendi, quæ voluntati essentialis est, mansit homini integra. D. Bernhard & Victor. Negatiua fuit Illyrici.
2. Donec omnino repugnat voluntas, nulla potest fieri conuersio.
3. Inclinare, efficaciter mouere vel incitare ad praua proprie non est cogere.
4. Efficaci motione voluntas flectitur.
5. Qui libenter quid facit, proprie non cogitur, nec à se, nec à satana, nec à Deo.
6. Tollitur coactio voluntatis proprie dicta, quando sponte aliquis & libenter obtemperat. Impij volẽtes obtemperant Satanæ sine coactione.
7. Incitandi vim habet Diabolus, nõ cogendi, Macar. hom. 17. & impedimẽta affectuum ac Satanæ non inferunt coactionem voluntatis.
8. Voluntas quantumuis tracta & incitata à Spiritu S. & Verbo, tamen non coacta assentitur, volens obtemperat.
9. Distinguendi sunt furiosi à sanis. Homo non omnino furiosus potest regere externa membra, nam abstinet à sceleribus atrocibus, etiamsi nõ possit illico incendium in corde extinguere: vt Tarquinius Superbus non fuit coactus ad stuprum Lucretiæ, sed potuisset se cohibere. Sed semel illecebris diaboli admissis, difficilimum est ei repugnare.

Indoctorum sermo est: Sol lucere cogitur: Bona arbor cogitur bonos fructus proferre: Ignis vrere idoneam naturam cogitur: Boni Angeli mandata Dei coguntur exsequi. Omnia enim naturalia, omnes naturales vires agunt *necessario*, & tamen non coacte, sed *sponte*. Itaque sic dicendum: Bona arbor non potest aliter agere, quam vt necessario producat bonos fructus, sicut contra mala malos. Et Angeli summa cum voluntate & voluptate operantur. Itaque dicendum: Non possunt non exsequi mandata.

Illyricus Motum voluntatis liberum esse, dum voluntas in actu est, Actionẽ liberam esse, sed potentiam liberam à coactione esse negat. Sed recte respondetur ei: Libera actio est è libera causa. Motus liber est actio (volitio) libera, est agens liberũ coactione. Ergo similiter libera est potentia, vnde actio, seu quæ est fons actionis. Victorinus erudite respondet ex axiomate: Impossibile est causam toto genere deteriorem esse effectu suo: Effectum toto genere antecellere suæ causæ. Sed voluntas est causa actionis, quæ vocatur velle. Hanc autẽ, fateris Illyrice cogi non posse. Impossibile igitur est ipsam potentiã, quæ vocatur voluntas, esse effectu deteriorem, & hanc proprietatem adimi seu detrahi ipsi causę, id est voluntati. In disp. de Lib. Arbit. Vinarienſ. pag. 196.

Fons non potest esse deterior riuulo. Sol non potest esse radiis, quos spargit in terram, obscurior. Addit hoc quoq; argumentum Victorinus ex peruulgato illo: Propter quod vnumquodq; tale est, illud magis tale est. Actio voluntatis est à coactione libera, idipsum fatente Illyrico ἀϊτιδιατιθεμένῳ. Ergo multo magis potentia libertate à coactione, qua violentus externi principii impulsus, & aduersantia voluntati impedimenta remouentur, prædita est. Videns quomodo inseruiat Philosophia & Logica Disputationibus Theologicis.

Coacte ergo opponitur πρὸς Sponte, &

πρὸς ἐκ

πρὸ ἐπιταγέσεως, quorum illud brutis etiam & naturalibus, hoc vero homini tantum conuenit.

COAGVLATIO.

Coagulatio species coniunctionis, coitionis & concretionis Physicæ est, qualis est lactis vel seminis, coactio. Hinc Coagulum Melanchthoni est alteratio, in qua humore conglutinantur & copulantur partes siccæ, quod fit alias à circumstante frigido, cum multa aquea humiditas comprimitur : alias à circumstante calido, assante partes, & educente ac consumente humidum.

Explicatio.

A frigido cum multa aquea] vt cum lapides in terra generantur. Sed alii hoc vocant Inspissationem.

Assante partes] vt cum sal ex aqua segregatur, & igni coquitur, quo partes assatæ coguntur, id est coagulantur. Ita duo modi sunt coagulationis, qui aliis est vnus. Alia à coagulatione est cõgelatio, quæ fit cum frigore fluidæ partes comprimuntur & durescunt, quia frigoris natura est constringere, vt fit in glacie. Sic Alber. Magn. in 4. Meteor. tract. 2. cap. 5.

Congelatio est quædam aquæ mutatio: & congelatur dupliciter, solubiliter in aere, insolubiliter in terra. Alb. Magn. in 1. Meteor. tract. 1. cap. 4. char. 78. col. 4.

Congelatum differt à coagulato ; quia coagulatum est, cuius partes constant per frigidum comprimens, ita vt partes terrestres non apprehendant aqueas, & contra; Coagulario autem fit ex calido & frigido; quia in lacte per calidum, in metallis per frigidum fit.

In Grammaticis Coagulatio est Species Metaplasmi, ita dicta per metaphoram. Aliter, Coitio, vt IngenI, pro Ingenii.

Per Metaphoram etiam catachresticam in Moralibus pro vnione ponitur hominum, præsertim amicorum. August. l. 19. contr. Faustum. In nullum nomen Religionis possunt homines coagulari, nisi aliquorum signorum, velut Sacramentorum visibilium consortio colligantur. Mitius pro Coagulari dicerentur coalescere.

In Physicis ea quæ coagulari possunt sunt duplicia : Quædam sunt simpliciter aqueæ naturæ (quæ sunt naturæ cereæ, non coagulantur, sed densantur, sustinent πάχωσιν.) Quædam sunt composita ex aqua & terra, sed habent plus terræ, quam aquæ. In his accedit primum exsiccatio ab aere.

Coagulatorum solutio dicitur Liquefactio. Melanch. Sed videtur Liquefactionis vox esse generalior, id est, liquefactio est solutio eius, quod concreuit.

COCTIO.

Πέψις Græce, Latine Coctio, ἀλλοίωσις, id est alteratio, quæ τελείωσιν seu perfectionem affert ei, quod coquitur.

Sunt autem Coctiones *caloris* opus, vt principii effectum; qui est *vel insitus rei*, quæ coquitur, aut coquit: (Dicitur is Naturalis) vel *externus* seu *accersitus*. Hac cõsideratione primum omnium, coctiones oportet vt faciamus *vnam veram atque naturalem*, & quæ proprie coctio appelletur, & *alterã quæ per similitudinẽ & metaphorice* coctio fit, quod ad exemplum fiat veræ illius.

Vera autem, propria & naturalis est Aristoteli tantum ea, quæ fit alimenti perficiendi causa à calore naturali & insito, qui vel foris, id, ꝙ coquẽdum est, ambit, vt in partibus animalium & stirpium calor is, qui alimentum coquit, quo ipsæ sustententur, vel in iis inest, quæ coquuntur, vt in partibus stirpiũ, quæ matures cunt, & animantibus vescentibus, atq; ita aliis, non sibi, alimẽtum idoneum suppeditãt. Hæ coctiones cum sint caloris solius & naturalis quidẽ huius atq; insiti opera, adiuuantes tamen causas habent in coctione

alimenti in animantibus inter alias etiam has, balnea, somnium, quietem, medicamenta augentia & confirmantia calorem internum, tempestates, ciborum naturam ad coctionem idoneam, exercitia: In stirpibus vero Soli & Cœli calorem & fomenta alia, & temporis longinquitatem, vt quæ ætatem ferentia ita matureſcunt, & culturam agrariam & hortensem vniuersam. Per similitudinem autem & metaphorice coctiones appellantur reliquæ omnes, quæ de exemplo verarum omnium à natura aut arte fiunt. Hæ igitur similiter fiũt à calore, sed partim insito & naturali, vt in morbis & excrementis, quæ vtraq; & ipsa coqui dicuntur, sed metaphorice, cum alimentum non præstent, partim à calore externo fiunt, vt artificiosæ, sed culinariæ omnes, quæ ab igne fiũt, & quæ calore cœli, Solis & soli, neq; alimentum efficiunt aut producunt, vt cum carnes, olera, aut cum ligna coqui dicuntur. Omnibus ita coctionibus & causis harum his duobus generibus comprehẽsis, teneatur amplius, τέλος seu finem, ad quem tendit τελείωτις coctionum omnium esse triplicẽ. Primus est φύσις, quando concoctione εἶδος & οὐσία cõstituitur. Hoc fit tantum in veris & proprie dictis coctionibus iis, quibus tam in stirpibus, quam animalibus alimentum oblatum in substantiam corporis ipsorum à calore naturali & insito conuertitur, tum enim forma & species alimenti mutatur, & fit ea, quam Græci πρόσφυσιν & ὁμοίωσιν vocãt, quæ est partialis quædam γένεσις, & sic, γένεσις & φθορὰ in coctionem incidunt, cum tamẽ ab Aristotele alimenti mutatio hæc inter coctiones, atq; ita inter ἀλλοιώσεις referatur.

Secundus finis est, cum non forma aut species, quæ proprie forma est, coctione mutatur, sed tantum quantitas aut qualitates eius, quod coquitur ad vsum certum in vita: hæc fit vel per naturalem & insitum calorem, vel per externum. Naturali & insito calore qualitas & quantitas mutatur eius, quod coquitur in fructuũ maturatione, quæ est vera & proprie πέπανσις seu matureſcentia, qua forma horum non mutatur, sed perficitur: est autem tũc perfecta in his maturitas, cum semen γόνιμον est, & fructus ἐδώδιμος, vt populariter loquuntur (id est, esculentus seu esui aptus.) Item excrementorum & morborum maturatione qualitas & quantitas materiæ mutatur, in quibus est πέπανσις metaphorica; etsi translate vniuscuiusq; etiam coctionis perfectio πέπανσις est, qua translatione vocabuli & Aristoteles, & interpres huius vtuntur, & dicitur apud Alexandrũ πέπανσις de iusta assatione. Externo vero calore qualitatis aut quantitatis mutatio per coctionem accidit dupliciter. Nam calor coquens aut per humidum interiectum illam mutationẽ perficit, & hæc est elixatio artificialis & culinaria, Græce ἕψησις: Aut fit hæc mutatio calore sicco, quæ assatio est Græcis ὄπτησις. In quibusdam tamen, quæ externi caloris coctione qualitatem & quantitatem mutant, hoc etiam fit, vt simul in aliam speciem transeant, vt Aristoteles loquitur, vt mustum elixum liquor esse desinit, & fit quod ἕψημα vocant καὶ ἐξοχήν: Lac etiam coquendo coagulatur; proprie tamen εἶδος οὐσιῶδες in his non videtur mutari ita, vt in alimento, cum pars fit corporis eius quod alitur, Ideo sub hoc genus recte collocari possunt. Ita tres sunt coctionum species Aristoteli, πέπανσις, ἕψησις, ὄπτησις, quarum prior iam est explicata.

Duarum autem reliquarum secundum fundamenta doctrinæ Aristotelicæ partitio talis esse potest.

ἕψησις, elixatio fit per humorem ambientem id, quod à calore, qui in humido

mido est, coquitur. Sed hic humor alias est naturaliter tantus in eo, quod elixatur, sicut in liquidis, quæ ἕψητα sunt, musto, lacte, & similibus aliis; alias extrinsecus affundi oportet, vt elixatio fieri possit.

Est autem elixatio duplex, Vna externa seu artificialis, quæ proprie ἕψησις appellatur, & fit tantum à calore externo, non naturali seu insito agente per humidum ambiens, siue intus sit ille humor rei elixandæ, siue circumfusus, vt dixi.

Et est artificialis hæc Elixatio rursus bipartita. Nam aut proprie elixatio est & dicitur: vt cum carnes aut olera elixantur affusa aqua, per quam calor agit, quales sunt culinariæ omnes: Aut Metaphorica est Elixatio, vt cum metalla aut ligna elixari dicimus, quæ non sunt ἕψητα, aut cum Sol agit in res liquidas, in quibus elixationis instar fit, aut cum putredo fit à calore externo rerum liquidarum, quas externas potius, quam artificiales elixationes appellabimus, cum non sint culinariæ aut foci; & cum liquida elixantur, vt lac, mustum, mel, & similia, quæ elixando minuuntur, densantur, & graueſcunt. Hæ sunt duæ species artificialium seu externarum Elixationum.

Alterum genus elixationis naturale, seu in natura fit, quæ nomen peculiare non habet, cum vera sit & propria coctio, sed à culinaria nomen mutuatur.

Fit autem *vel à calore naturali & insito foris ambiente id*, quod elixatur, atque similitudinem habet cum culinariis, ἐν χυλώσει καὶ χυμώσει: Hæc enim liquida sunt: & in conuersione alimenti, quæ fit à partibus humidioribus, & in putredine, quæ fit intus in corporibus; & similiter in humidioribus partibus: *vel à calore fit naturali* hæc elixatio, qui non foris ambit, sed intus in eo ineſt, quod elixatur, vt in seminibus, quorum incubatione, musti fer-

uore naturali; & omnibus quæ liquida sunt, & in his quidem tantum: externa vero fomenta in his omnibus præstant tantum causam adiuuantem.

Assatio seu ὄπτησις similiter est nomen proprium artificialis coctionis, & fit à calore sicco. Est autem assatio etiam, vt elixatio, duplex, *vna externa*; quæ *vel artificialis* est, quæ fit à calore non insito rei, & foris ambiente, vt culinario, & omnes quæ ad ignẽ fiunt, quæ sunt propriæ ὀπτήσεις: *vel metaphorica*, quales sunt, quæ à Sole fiũt in rebus siccis, i.e. non liquidis; & cum ligna ad focũ siccantur, & similes aliæ.

Altera est naturalis assatio, quæ sine nomine est, & fit à calore insito in alimenti conuersione in partibus siccioribus, vt ossibus & cartilaginibus. Hæc enim coctio assationi, quam elixationi similior videtur: sicut contra in humidis & liquidis elixationem refert.

Cum autem proprium nomen non habeat alimenti coctio & conuersio culinarias & artificiales has eis necessario applicari oportet. Ad assationem autem refertur ab Aristotele etiam τήγανσις, id est, Frixio (τηγανιστὰ ᾠὰ, ova in sartagine frixa; τηγανίζω est coquo in sartagine (ἐντηγάνω) frigo, torreo) quod videatur illi quam elixationi similior. Nam etsi quæ friguntur, humorem habent, qui in coctione circumfluit, hic tamen humor ipsa non coquit, neque humorem internum in his superat (κρατεῖ) aut educit, quod Elixationis proprium est: sed humorem potius illum pinguem ea, quæ friguntur, ab igne calefacta ad se attrahunt, atque ita consumunt, vt magis humor ab iis afficiatur, quam ipsa ab humore, atq; ita calore ignis, qui siccus est, non humoris coctio horum perficitur. Ex his cogitetur quæ in natura assationes frixionibus similes sint, cum hoc etiam πάθος ex Aristotelis argumento in natura esse oporteat, quod sit in arte.

Aliis τήγανσις, id est, coctio eorum, quæ in oleo, aut butyro in sartagine friguntur, videtur esse Media inter Elixationem & Assationem. Hæc subiecta Tabula habet συνοπτικῶς.

- Πέπανσις, Maturatio
  - Proprie fructuum. Oppositа ei ὠμότης.
  - Translate & per similitudinem
    - Morborum.
    - Excrementorum.
- πέψις, Coctio, cui opponitur ἀπεψία,
  - ἕψησις, Elixatio
    - Naturalis.
    - Artificialis
      - Propria & vera, vt cum carnes aut olera in foco ad ignem elixantur in vasculis aqua circumfusa. Opposita ei μόλυνσις.
      - Metaphorica, vt cum aurum & alia metalla & ligna elixari dicimus, quę proprie non sunt ἕψητα.
  - ὄπτησις, assatio
    - Naturalis.
    - Externa
      - Propria, Artificialis culinaria. Oppos. ϛάτευσις, vel ϛάθευσις.
      - Impropria: cum ligna ad ignem siccantur quasi assando.
  - Τήγανσις, Frixio, Media fere inter assationem & elixationem.

Ὠμότης in fructuũ succis tenuibus, quos calor non subegit, non terminauit, Cruditas est.

Μόλυνσις est leuis elixatio seu conatus quidam Elixationis. Vox Græca proprie significat inquinationem, contaminationem, fœdationem. Quidam in doctrina coctionum vertunt *Flaciditatem.*

Στάτευσις est conatus quidam & vix inceptio assationis. ϛατέυειν enim, vt Grammatici docent, est ad leuem & lentum ignem aliquid fouere, vel etiam calefacere potius, quam assare, vel leniter condensare. Sunt qui Vstulare interpretentur. Aliqui etiam Tostionem in Latina lingua Assationi opponunt, & ϛάτευσιν illam videri volunt: cum tamen Assationis & Tostionis vocabulo promiscue fere vsi videantur Latini. Porro nimia assatio proprie ἔγκαυμα est (adustio, ὑπερβολη, id est, excessus assationis.)

COCTIONI *opposita* ἀπεψία.

Ἀπεψία duas habet significationes.

1. Significat priuationem seu vacuitatem coctionis, quæ simpliciter ἀπεψία est.
2. Significat δυσπεψίαν, difficilem coctionem, vel valde imperfectam. Hæc κατάτι ἀπεψία est. Hæc intelligitur potissimum in hac Disputatione de coctionibus.

Ἀπεψία est caloris Deficientis, seu in ea est ἀσυμμετρία caloris καὶ ἔλλειψιν. Cum calor est ἀσύμμετρος καθ' ὑπερβολὴν, proprie non est ἀπεψία, sed vitiosa coctio (propter excessum caloris: vnde res corrumpitur) quæ dicitur ἔγκαυμα.

Ασυμ-

Ασυμμετρία καὶ ἀπὲ ἔλλειψιν, CITRA

Συμμετρία μέσον.

Ασυμμετρία καθ' ὑπερβολὴν, VLTRA

Exemplicausa.

In Phyſ. in omnibus generibus ἀπεψίας (Incoctionis) calor eſt ἀσύμμετρος ſecundum defectum. Quod ſi ἀσυμμετρία fuerit caloris ſecundum exceſſum, non eſt proprie ἀπεψία, ſed tantum coctio vitioſa (propter exceſſum) in qua non fit ἄπέλεια, *neque citra perfectionem conſiſtitur, ſed vltra hanc abeundo res corrumpitur.*

Ἀπεψίας ἢ δυσπεψίας *diſtinctio.*

Cum triplex ſit coctio, ſingulæ etiam ſuas habent ἀπεψίας ſeu vitioſam coctionem, hoc quodam modo.

Sicut Coctio, ſic ἀπεψία alia eſt Vera & Propria; alia eſt ſimilitudinis & Metaphorica, & fit ſic vtraque propter ἀσυμμετρίαν caloris deficientis ad humorem coquendum, ita ἀπέλεια relinquitur eius, quod coctione perficiendum fuerat. Deficit autem vel Naturalis calor & inſitus; vel Externus & accerſitus. Caloris inſiti defectus in Coctione & matureſcentia fructuum proprie eſt ὠμότης, quæ eſt qualitatis & quantitatis iuſtæ ἀπέλεια. Translate autem ὠμότης eſt ἀπέψία in omnibus reliquis, & tum alimenti ἀπέλεια fit, ſiue καθ' ἕψησιν, ſiue καθ' ὄπτησιν, quæ eſt φύσεως & οὐσίας ἀπέλεια & ὠμότης translate, vt diximus.

Elixationis autem culinariæ & omnis quæ ab externo calore in hoc genere fit ἀπεψία proprie eſt μόλυνσις: & in aſſationibus talibus, quæ à calore externo fiunt ἀπεψία nomen proprium habet σάλευσιν. Τήξανσις etiam huc referatur, nimirum huius quoque eſt σάλευσις.

Ad quas vero coctiones Elixationis nomen propter ſimilitudinem aliquam transfertur, earum ἀπεψία μολύνσεις & σαλεύσεις appellantur metaphorice. Hæc omnia genera ἀπεψίας caloris ſunt deficientis, vt in his ἀσυμμετρία ſit caloris καθ' ἔλλειψιν: ſed cum calor ἀσύμμετρος eſt καθ' ὑπερβολὴν, proprie non eſt ἀπεψία, ſed vitioſa tantum coctio propter exceſſum quendam huius in qua, & non fit ἄπέλεια neque citra perfectionem rei conſiſtit, ſed vltra hanc abeundo res corrumpitur. Itaq; φθορὰ hæc eſt potius, vel plane etiam habet commune nomen ἕψημα. Nam & elixa & aſſa nimis, nõ cruda, aut imperfecta, ſed adusta dicimus, quæ eſt nimia coctio, & non caloris deficientis atque ita frigoris, ſed caloris nimij & redundantis opus.

In genere tamen eorum, quorum proprie eſt πέπανσις, vt fructuum, in his igitur nimia coctio interdum efficit aliquid putredinis. Communis tamen definitio & γενικὴ atque popularis omnis generis coctionum eſſe poteſt talis quædam, vt dicatur, coctionem eſſe actionem caloris naturalis inſiti, vel externi aut accerſiti, qua res, quæ coquitur, vel in aliam naturam coquendo conuertitur, vel qualitatem & ſimul quantitatem aliam, ſed qualitatem tamen præcipue nouam acquirit, cum proprie & per ſe ἀλλοίωσις ſit coctio, non γένεσις, neque αὔξησις.

Quid Coctio in Genere?

COELVM.

Cœlum eſt pars mundi ſuperior ætherea lucida ab elementari parte mundi diſtincta. Alias ſphæra cœleſtis. Eius partiales ſphæræ ſunt vel inaſpectabiles, ἀνάσροι decima & nona, Alphonſin. vel aſpectabiles, (quas nobis oculi

monſtrant) ſtellisq; ornatæ ac inſignitę octo (Platoni & Ariſtoteli.) Decima mouetur vnico motu ab oriẽte in occidentem ſuper polos mũdi & Æquatorem, & ſpatio 24. horarũ ab eodem puncto in idem reuoluitur & ſecũ inferiores ſphæras omnes rapit eadẽ gyratione. Hic circũactus, hęc conuerſio incitatiſſima dicitur etiã *Mũdana*. Nona habet duos motus, externũ vnum decimæ, alterum proprium ab occaſu ad ortum ſuper Ecliptícam lineam & polos Zodiaci, contra motum primi mobilis. Hinc excuſatur in octaua ſphæra progreſſio ſtellarum fixarum (quæ 100. annis eſt vnius gradus Timochari) quæ fiunt ſubinde propiores pũctis æquinoctialib. & ſolſtitialib.

Octaua ſphæra ſtellarũ fixarũ eſt, eiq; triplex tribuitur motus, primus diurnus, quo ſemel ſingulis diebus tota ſuper polis mundi circũagitur ab oriente in occidentem. Hæc vocatur etiam στερέωμα, id eſt, Firmamentum. Secũdus Tardus, quo tanquã à nono orbe trahitur ab occidente in orientẽ, qui motus ex ſtellarum fixarum progreſſione deprehenſus eſt. Hoc ſcilicet motu a pogea viſibilia, quæ in ſphæra octaua collocãtur, mutantur & longius proferuntur. Tertius nondum omnino perueſtigatus, eſt motus, quem vocant Titubationis ſeu Trepidationis (inclinatum) qui etiam dicitur Motus Acceſſus & Receſſus. Sub octauo orbe ſunt ſeptem ſphæræ, quarum ſingulæ vehunt vnam è ſtellis, quæ vocantur Errantes, Errones, Planetæ.

Secundo Cœlum nonnunquam accipitur pro aere ſeu orbe aerio.

Tertio Platonici nonnulli per Cœlũ etiã intelligũt Deum, quem vocant Mundum Archetypum & Cœli Ideam. Vide vocem MVNDVS.

Cœlum Empyræum Scholaſticis eſt Cœlum Beatorum, quietum, lucidiſſimũ & puriſſimũ, quod alij faciunt natura vere corporeum, alij incorporeum. Cœlum Terreſtre Pythagoricis & Platonicis eſt Luna. Eandem etiam vocant Terram cœleſtẽ & ætheream. Sic Scal. ex. 62. Quidam è Platonicis Mundum quaſi aſſem diuiſere in tres trientes, vt primus triens caperet quatuor elemẽta. Secundus quatuor priores orbes, quorum primus cum ſit Luna, terram æthereã auſi ſunt nominare: Tertiũ reliquos poſtremos & ſuperiores orbes.

DE COELO
Michael Seruetus.

Cœlum tripliciter accĩpitur. Primo pro aerio. 2. pro aqueo. 3. pro luce Dei inacceſſa. Seu, duplex eſt cœlum creatum, Aerium & Aqueũ. Tertium vltra hæc eſt Increatum cœlum, diuinitatis Lux inacceſſa, quã Pater inhabitat, quod dicitur cœlũ cœlorũ. Hoc luminoſum & igneũ cœlũ (Scholaſtici Empyræũ vocãt) eſt verbi fulgor, rerũ exemplar vniuerſale, Deitas ipſa per Chriſtum facta acceſſibilis, ſicut inuiſibilis in ſe Deus eſt, per Chriſtum factus viſibilis etiam Angelis. 1. Tim. 3. Hoc cœlũ non habet peculiarem locum, ſed intra nos eſt & inſtar ignis omnia penetrat. Lib. 4. de Trinit. p. 158. & 159. Huius tertij cœli Moſes non meminit. Ibid. In hoc tertium cœlum raptus eſt Paulus. Hoc inhabitat Chriſtus. Sed Seruero non aſſentimur. Duos enim cœlos creatos, aerium firmamentum ſeu aeriam expanſionem & aquarum regionem cum Serueto damus: Tertium tamen illud increatum ei dare Veritas prohibet. Scriptura enim docet eſſe habitaculũ ſeu domicilium Dei & beatorum Angelorum glorioſum ac ſanctũ, in quo Deus proprio quodam modo, vt loquitur Bernhardus Serm. 6. de dedicatione Eccleſ. hoc eſt, ἀμέσως & palã ſe patefacit & communicat, conſtructũ à Deo; Patriam cœleſtem Sanctorum, Ieroſolymam cœleſtem, Pſalm. 68. 2.

Chro-

Chron. 30. Iohan. 14. Apocal. 13. & 21. Hebr. 11. & 13. Augustinus vocat Locum Beatitudinis, de fide & Symbolo ca. 6. Basilius in Hexam. hom. 2. vocat supercælestem & supermundanam lucem. Beda Cœlum creatum, à volubilitate Mundi secretum, hoc est, quod est extra & supra hanc Mundi aspectabilis machinam, & distinctum à spatio vniuersi. In hoc Enoch, Elias, Christus ascenderunt. Somnium igitur delirantis est hoc cœlum tertium, in quod Paulus raptus 2. Cor. 12. esse intra nos, & esse Deum ipsum: Enochum ascendisse in cœlum esse idem, quod ascendisse in Deum; Verum contra, esse creaturam. Nihil creatum est Deus ipse. Hoc cœlum creatum est. Hebr. 13 & Beda. Ergo non est Deus.

Quod supra cœlos visibiles est, non est intra nos. Hoc cœlum est supra cœlos visibiles. Ezech. 1. Matth. 3. Luc. 3. act. 7. & 10. Ergo hoc cœlum non est intra nos. Sanctuarium ab ipso Deo factum non est ipse Deus. Hoc cœlum est sanctuarium tale. Ergo. εὔλογον autem est conditum esse primo die, & à Moyse intelligi hic: In principio creauit Deus Cœlum & Terram: Reliqui cœli post Terram & Aquam creati sunt.

Cœlum interim Luc. 15. vers. 18. pro Deo, sed per Metonymiam subiecti, accipi non inficiamur: Pater peccaui in cœlũ.

Cœlum accipiunt Chymici & substantiam cœlestem & Naturam cœlestem pro materia prima, quam & microcosmum vocant, vel pro quinta essentia, in qua purissima & sinceriſſima hæret crasis & radix substantialis, mysterium ad ætheriæ naturæ puritatem viresque præstantissimas exaltatum. Ea est vegetabilium, animalium, mineralium.

Naturæ cœlestis appellatione interdum etiam à Philosophis intelligitur anima. Sic Scaliger ex. 307. sect. 20. Anima est natura cœlestis, nempe quinta essentia, alia à quatuor elementorum natura. Et paulo post: Si anima, est quinta natura ex Aristotele, nihil aliud est quam res cœlestis. Vide 2. de Generat. animal. Aristot. vbi animam adeo diuinam agnoscit rem, vt nefas putarit sine medio coniungi posse corpori corruptibili.

COGERE.

Cogere proprie est vim inferre, vt cum dicitur voluntas non potest cogi. Improprie est vehementer instare. Sic etiam accipitur Genes. 32. Coegit eum, Er lag jm hefftig an / oder / er hielt jm hart an. Sic compellere etiam schematismo Hebraico est instare diligentius Barthol. VVesthemer. in collectan. Trop. Sacræ script.

Cogere in Historia & Politicis esse idem quod colligere vel congregare, in vulgus notum est.

COGITATIO;

Διάνοια Platoni.

Cogitatio generaliter est supremæ facultatis animę agitatio. Specialiter est mẽtis agitatio: Est discursus rationis actio, Simplicio 3. de anim. Iohanni Grammatico est via quædam à propositionibus ad conclusiones. 1. de anima. Est operatio intellectus, phantasiæ applicatus & coniunctus. N. Leonic.

Cogitatio { Recta seu Emanans, cum anima cogitat de rebus extra se positis, vt de cœlo.
Reflexa, cum anima de se ipsa cogitat, vt de definitione aut ortu suo.

Metaphora à facie nostra, quæ per imaginem speculi reflectitur in se ipsam.

Interdum Cogitatio ponitur pro phantasia.

Cogitationis ſpecies eſt Reputatio, qua voce vulgus abutitur pro æſtimatione, vt recte monuit Frāciſcus Syluius. Eſt enim reputare (non æſtimare, ſed) repetere & reuoluere animo. Hæc reputans, id eſt, dies noctesque cogitans.

Cogitatiua facultas eſt potentia ſenſitiua primaria, quæ & Ratio particularis dicitur. Hac deducuntur ſingulares concluſiones.

Auerroes apud Ariſtotelem eſſe ait virtutem diſtinctiuam indiuidualem, id eſt, quæ diſtinguat indiuidualiter, non vniuerſaliter. Idem ait, Ariſtotelem Cogitatiuam vim appellaſſe Intellectum poſſibilem.

Collatio cum Platonicis.

Plato cogitationem vocat diſcurſum & ratiocinationem animi ad ſe ipſum. Alcm. cap. 4.

Cogitatio eſt animi ad ſe ipſum Diſputatio. Plato in Sophiſta. Eſt ſermo interior, id eſt, quem anima ad ſe ipſam dicit de ijs, quæ conſiderat. Plat. in Theæt. Hic Serranus vertit, quam anima ipſa apud ſe ipſam cogitando perſequitur. Sed vitioſe, cogitando enim redundat in cogitationis definitione. Cogitatio fit, cum vel particulatim ſpecies concipiuntur, vel ſimul ſpecies & genera. I. Franciſc. Picus Mirand. in exam. Dict. van. gentium cap. 18. l. 2. Vtitur miniſterio phantaſiæ. Marſil. Ficin. in Plotin. En. 1. libr. cap. 9. Cum Platonicis congruit ſermo diuinus, vbi ſæpe occurrit dicere in corde pro cogitare.

Nota hic in tranſcurſu: Cum Serranus verba Platonis in Theæt. διανυμένη, &c. cogitans autem nihil aliud facit, quam vt ipſa differat cum ſe ipſa, & interogans ſeipſam, & ſibi ipſi reſpondens, affirmans & negans: Videri mihi eum non ſatis recte loqui pro cum ſe ipſa, placet ſecum ipſa. Cogitatio, Meditatio & Oratio differunt. Meditatio plus eſt quam cogitatio: complectitur interdum exercitationem. Cogitatio διάνοια eſt ἐνδιάθετος τῆς ψυχῆς πρὸς αὐτὸν διάλογος ἄνευ φωνῆς γενομένης, interior illa animæ ſecum ipſa, quæ fit ſine expreſſa voce (Rurſus hic vertit Serranus cum ſe ipſa, quod non imitaberis.) Oratio vero λόγος eſt ῥεῦμα φωνῆς, id eſt, fluxus vocis, quæ ab ore cum ſono egreditur ἰὸν μετὰ φθόγγου.

COGNATA.

Cognata Græcis ſunt συγγενῆ.

Plato diſtinguit inter propria & cognata, inter οἰκεῖα & συγγενῆ. Οἰκεῖα dicit, quæ ad rem conſtituendam proprie pertinent: Συγγενῆ, quæ cum re ſunt coniuncta. Ad οἰκεῖα pertinent partes alicuius rei, vt Politicę Νομοθετικὴ, Βουλευτικὴ, καὶ Δικαστικὴ. Eloquentiam Plato facit Politicæ συγγενῆ ſeu cognatam, ſicut & militarem diſciplinam. Sed hæc mihi pertinet ad Politices σύνταξιν, cum eius pars ſit.

Per Cognata ſæpe intelliguntur Analoga. Ita Cognata ſunt cerebrum & cœlum. Quemadmodum è cœlo infunduntur in mundum inferiorem res quam plurimæ eæque optimæ: Ita à cerebro communicantur multæ præſtantesque virtutes inferiori corpori, quod cum ipſo cohæret. In cœlo enim eſt primum vis illuſtrandi per lucem: Deinde eſt calor ſeu vis calorifica: Tertio vis peculiaris quædam viuificandi, ſeu vitam præbens omnibus rebus: Ita cerebrum quoque 1. irradiat quaſi neruos & fulgorem neruis opticis præbet. 2. adminiſtrat corporis ſenſus. 3. præbet etiam motum.

In Politicis ſpecialiter Cognati dicuntur, qui per fœminas coniuncti ſunt.

Generaliter dicuntur perſonæ quæ natura, vel legis fictione inter ſe ſunt coniunctæ. Itaque

Cogna-

Cognatio
- Simplex
  - Naturalis: communio sanguinis, orta ex natura.
  - Ciuilis, quæ per adoptionem contrahitur; Iuris eiusdem communio.
- Coniuncta, vbi ius ciuile & naturale copulatur, seu vbi cognatio ciuilis naturali coniungitur. Vid. Modest. in l. non facile §. cognationis ff. de gradibus.

Agnatio tantum per virilis sexus personas contingit.

COGNITIO.

Cognitio proprie est actus cognoscendi. Ac ita est ἐνέργεια; vel *Qualitas spiritalis in animo impressa, repræsentans obiectum* γνωστόν. Res enim sunt in Intellectu per repræsentationem non secundum suum esse Formale.

Improprie seu Metonymice est Doctrina, quæ acquiritur per cognitionem.

Cognitio seu Intellectio hominis
- Theorica (θεωρητῶν) Hæc est à scientia.
- Practica, πρακτῶν (eorum, quæ aguntur.) Hæc manat à Prudentia. à Fine.

Cognitio
- Euidens, quæ cernitur in cognitione
  - Intelligibilium
    - Primorum principiorum.
    - Conclusionum inde extructarum.
  - Per se sub sensum cadentium.
- Obscura, vt rerum, quas credimus veras propter
  - Authoritatem solam.
  - Coniecturas & signa probabilia.

Cognitio est Absoluta vel Respectiua. Absoluta, cum res consideratur simpliciter sine respectu aut comparatione ad aliud. Respectiua contra quæ ad aliud refertur. Illa in ordine Didascalico præcedere solet. Numeratio simplex in Arithmetica prior est comparata.

Cognitio rerum
- Simplicium, ἁπλῆ
- Coniunctarum. Scal. exer. 307. s. 2. Hæc etiam complexa vocatur.

} vtraque
- Recta — Confusa.
- Reflexa — Distincta.

Estque vel
- Certa tum
  - Subiecti in quo, vt Mentis.
  - Obiecti, vt rei quæ cognosci potest.
- Incerta, & dicitur Opinio.

Cognitio rei simplicis confusa est, qua cognoscimus quidem rem ipsam esse, sed quid sit, ignoramus. *Distincta* est, qua cognoscimus etiam quid sit res.

Cognitio rei complexæ confusa est, qua, ignorata causa, cognoscitur tantum ὅτι, quod: Sed *Distincta* est, qua cognoscitur Διότι, propter quid.

Cognitio nostra, præsertim confusa est *Potentialis*, vel *Actualis*. *Potentialis nihil aliud* est, quam aptitudo seu habilitas intellectus ad comparandam cognitionem actualem. *Actualis est*, cum Logica potentia ad actum deducitur, phantasmate Intellectum mouente, seu est cognitio exercita. Estq; *Originalis*, vel *Habitualis*. *Originalis est prima rei ante incognitæ* apprehensio. Hæc prima conceptuum impressio non tãtum in pueritia fit, etsi tum maxime fiat, sed etiam ætate adulta, vt cum mihi offertur aliqua res, aliquod animal, quod ante nunquam cognoui Tunc confusus eius conceptus primum in meo animo imprimitur. Habitualis, est, quæ fit ex habitu iam pridem acquisito, vt cum lupum actu intelli[illegible], cuius notitiam iam pridem in pueritia mihi comparaui. Sic Zabarella; qui hac in parte dissentit à Scoto. Scotus enim actualem accepit vt ab habituali distinctam; Zabarella vero vt communem Originali & Habituali, & improprietatem significationis vocis Habitualis pro Potentiali in Scoto notat.

Vsus.

Disputationes hæ habent vsum in disp. de primo cognito. De hac vide Zabarel. acutiss. libr. de ordine Intelligendi cap. 12. 13. 14.

Fonsecæ *Totius cognitio distincta* est, qũ totum cognoscitur per cognitionem partium, id est, perspectis particulatim omnibus, quæ in eo continentur: vt cum cognoscimus totum ædificium lustratis omnibus eius partibus tum interioribus, tum exterioribus.

Confusa vero, qua cognoscitur Totum sine cognitione partium, non perspectis omnibus, quæ in eo continentur, vt si ædificium eminus videamus. Consentit Zabarella c. 12. l. de constit. Natural. scient. *Vtraque est Totius essentialis, vel Totius vniuersalis. Cognitio distincta seu* determinata totius essentialis (quod alias Totum perfectionis & integritatis dicitur) est, cum omnia, quæ ad essentiam illius pertinent particulatim perspiciũtur, id est, cum species intelligitur cognito genere illius summo & omnibus differentijs, quibus constat.

Confusa, cum species secundum se apprehenditur, sed genus aut differentia eius ignoratur.

Cognitio distincta Totius vniuersalis est, cum eius communitas & amplitudo per omnia eius inferiora cognoscitur, vt cum quis intelligit communitatem animalis per omnes illius species & indinidua.

Confusa Cognitio totius vniuersalis est, cum illud quidem in se concipitur, sed tamen eius inferiora ignorantur, vt si quis colorem cognoscat, & species colorum ignoret, pingui Minerua hæc cognitio fieri dicitur. Vsus distinctionum harum apparet in quæstione, sintne notiora magis vniuersalia minus vniuersalibus, necne?

H. Glarean.

H. Glarean. in Cæsarij Dial.

Cognitio
- Sensitiua
  - *Exterior*, & fit sine præexistente cognitione, quia sensus exteriores mouentur à suis obiectis. Acquiritur hæc ἀθρόως, id est, subito.
  - *Interior*: & hæc fit à cognitione sensitiua exteriore, per quam interioribus præsentantur sua obiecta propria.
- Intellectiua, Est que notitia Intellectus de obiecto Intelligibili. Est que
  - Incomplexa: & est cognitio terminorum, & acquiritur ex præcedente cognitione sensitiua. Habetur autem solum per primam Intellectus operationem, quæ dicitur Apprehensio simplicium. Acquiritur hæc sine vllo discursu.
  - Complexa, συμπεπλεγμένη seu κατὰ τὰ συμπλοκήν, qua aliqua componuntur & diuidũtur. Ea est
    - *Principiorum*: & ea acquiritur ex cognitione Intellectiua terminorum, per viam sensus, memoriæ, experientiæ, & est per secundam Intellectus operationem, quæ dicitur compositio & diuisio.
    - Conclusionum: & ea fit præexistente cognitione intellectiua principiorum, in quibus præsciuntur conclusiones in vniuersali. Est autem tertia Intellectus operatio, quæ dicitur Dianoea.

Cognitio
- Intuitiua, rei actu existentis præsentis.
- Abstractiua, rei actu existentis vel non existentis, sed absentis.

Cognitio est vel in abstracto, id est, ipsa operata; Hæc proprie dicta: vel in concreto, id est, ipsa obiecta cognita.

Trifariam aliquid cognoscitur.
Aut per Essentiæ suæ præsentiam Incognoscente, vt Lux in oculo, à quo non per abstractam speciem, sed per Essentiam cernitur.

De modo Cognoscendi.

Aut per ſimilitudinis ſuæ præſentiam in cognoſcente, qualis eſt in oculo intuente hominem.

Aut per ſimilitudinem rei cognitæ, non immediate ab ipſa re, ſed ab alia quapiam, in qua illa effulget, acceptam, vt cum hominem non in facie, ſed in ſpeculo intuemur. Vſum huius diſtinctionis oſtendit Tilenus in diſput. de Angelis.

Vſitata etiam eſt hæc diſtinctio.

Res quæ cognoſcitur, percipitur vel in ſe ipſa, vt cum homo proprio conceptu apprehenditur: *vel in alio*, in quo aliquo modo continetur, vt cum cauſa cognoſcitur in effectu, effectum in cauſa, genus in ſpecie, ſpecies in genere: Illa diſtincta, hæc vero Confuſa notitia eſt. Fonſ. l. 1. Metap. c. 2. q. 2. Et illa: *Cognoſcitur res aut per ſe, aut per ſpeciem ſui*: vt cum dicitur à Phyſicis intellectionem noſtram fieri non poſſe ſine ſpeciei impreſſione. Vide Zabar. l. de mente humana cap. 11.

Cognitio Creaturarum in Angelis
- Matutina, beatifica, qua cognoſcunt creaturas in Deo ſecundum eſſe eminens (id eſt, quatenus eminenter ſunt in Deo) & increatum.
- Veſpertina, Naturalis, qua cognoſcunt creaturas extra Deum, ſecundum proprium eſſe, quod habent in ſe, id eſt, quatenus ſunt formaliter in ſe ipſis. Thom. Aquin. & Vaſquez & Auguſtin. l. 4. de Geneſ. ad literam cap. 23.

Cognitio
- Perfecta. Hæc dicitur comprehenſio: comprehendere enim rem aliquam eſt cognoſcere eam tam perfecte, quam γνωϛὸν eſt. Thom. Seu ita rem cognoſcere, vt nihil ipſius lateat cognoſcentem.
- Imperfecta ſeu Non adæquata rei, vt noſtra Dei.

Cognitio perfecta ſeu comprehenſio alicuius obiecti
- Eminens, quæ excedit rem cognitam.
- Adæquata, quæ exæquat rem cognitam. Eſtque adæquata adæquatione Entitatis vel proportionis: Scal. ex. 369. ſ. 8. virtutem cauſæ coæquet. Deus autem naturaliter non niſi per effecta cognoſcitur. Ergo Deus à nobis perfecte ſeu definitiue cognoſci nequit.

Cognitio noſtra
- Poſitiua, cum cognoſcimus hoc eſſe.
- Priuatiua, cum cognoſcimus hoc non eſſe. Hoc enim eſt eſſe illius, quia non eſt.

Canon.

Nullus effectus in perfectam cognitionem cauſæ ducere poteſt, niſi totam

Vſus.

Quæritur, in Deo an ſit Cognitio eminens, an adæquata? Reſp. Eſt eminens reſpectu creaturarum. Eſt adæquata reſpectu ſui ipſius: perfecte enim cognoſcit ſe vt eſt.

2. An Angelus comprehendat ſe adæquate: & An potuerit præuidere futurum ſuum lapſum? Sequens diſtinctio affinis eſt priori, alia tamen ab ea Cognitio quædã eſt per poſitionem, qua aliquid ei, quod cognoſcẽdum eſt, attribuitur, quædam per remotionem, qua aliqua à re, quæ cognoſcitur, remouentur. Vide verbum Inueſtigo.

Cogni-

Cognitiones sunt Consentaneæ, vel Contrariæ.

Illæ possunt simul esse in eodem de eodem: Hæ non possunt simul in animo inhærere, vt non potest aliquis opinari eandem rem eodem tempore esse albam & nigram secundum eandem partem: Spiritum hominis esse mortalem simul & immortalem. At contrariorum cognitio in eodem Intellectu esse potest, vt intellectus, qui cognoscit frigidum, cognoscit etiam calidũ. Contraria enim secundum esse speciale (id est, species repræsentatiuæ rerum contrariarum calidi & frigidi) possunt esse in eodem. Vid. Zabarel. lib. de Mente Human. cap. 11. vbi disputat quæstionem, An intellectus patiens possit recipere simul contrarias opiniones.

Aliud Cognitio contraria, quã contrariorum.

Cognitio Contrariorum
- Vnius per alterum: priuationes per habitum.
- Alterius per alterum seu alterutrum. Sic cognoscuntur fere aduersa.
- Alterius cum altero. Sic relatiue opposita cognoscuntur.

Cognitio Directa est, vel Indirecta. Directa vt cum obiectum est Directum. Indirecta contra. Sensus per se & directe cognoscit singulare, quia per se habet obiectum singulare.

COGNOSCERE.

Cognoscere seu ἐπίστασθαι accipitur
- Ample pro cognitione tam perfecta & distincta (quæ fit per proprias rationes seu definitiones & proprias causas:) quam imperfecta leuique (quæ fit per communia vel remotiora.)
- Stricte pro cognitione perfecta (quæ est Demonstratiuæ Conclusionis) id est pro Scientia, quæ est per causam, pro ἐπιστασθαι. Ita accipitur ab Arist. in Proœm. Physic. context. 1. Cum cognoscere & scire, &c. Vbi particula Et declaratiua, Zabarella interprete, id est, accipitur pro Id est.

Cognoscitur à nobis secundum & per Cognitionem
- Sensitiuam, Singulare.
- Intellectiuam simplicem
  - Distinctam & perfectam maxime Vniuersale.
  - Rudem, crassam, confusam; Singulare. Græci dicunt γινώσκειν παχυμερῶς.

Cognoscere per organon proprium est percipere aliquid per certam corporis partem, recipientem species cognoscendorum obiectorum. Ita visus cognoscit per oculum, auditus per aures, olfactus per nares; At Aristoteli ita anima rationalis non intelligit, quia hæc sine organo species recipit.

Cognoscere per lineam reflexam nonnullorum Scholasticorum phrasis est translata ex opticis, pro qua nos dicimus, *Cognoscere per se & directe.* Dicunt indirecte & per lineam reflexam Intellectus cognoscit particulare, per se

& directe Vniuersale, Armand. tract. 2. de poster. & prior. cap. 235. ex 3. de anim. Arist.

Intellectus directe cognoscit seu apprehendit Vniuersalia. 3. de Anim. Sensus singularia.

COGNOMEN,

ἐπώνυμον, ἐπωνυμία, παρωνύμιον.

Cognomina rectissime dicas, inquit Scaliger, vir extra omnem ingenii aleam positus, l. 3. de causis Lat. linguæ c. 91. Græcorum συωώνυμα, ita ab iis prudētissime dicta, quod cum nomine res coniuncta sit, vt sunt Homo, Leo.

Cognomina sunt, quæ nominibus coniunguntur seu adduntur (vt nomina agnationum) Augustino & Gothefredo testibus sunt (a) agnomina, παρώνυμα siue ex ignominia (ἀπὸ ψόγου) siue ex decore, (ἀπ' ἐπαίνου) tracta sint, siue ex neutro. Alias Cognomenta: vt Heraclitus cognomento σκοτεινὸς; Virgilius Parthenias à verecundia virg. Suffragatur Scaliger cum dicit, Agnomen ab antiquis etiam cognomē dictū fuit.

(a) Hac voce vtitur Cic. 2 Rhetor.

Sed idem Agnomen à cognomine distinguit etiam. Sic enim inquit: Aucta Rep. numeroq; ciuium illustrium, voces, quibus Romana capita censebantur, fuere hæ, Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomen. Et paulo inferius: Nomen est familiæ nota; prænomen proprium cuiusque, quod puerulis imponebatur circiter diem septimum, cū lustrarentur: vnde nomen lustricum & lustratum dicitur: Cognomen, quod ex accidenti illis aduenit: Agnomen, quod euentus accessionem notat: vt Scipio cognomen est ab opera, quam patri seniori præstitit: Africanus Agnomē est à domita Africæ, quod Cic. in 6. de Rep. Cognomen vocat: Cognomen ἐπώνυμον Græci, Agnomen autem παρώνυμον appellarunt.

Græci prænomine carent, sed posito nomine vno apponunt Patris nomen, Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου. Idem faciunt Arabes, sed etiam authoris nomē subticent, & Patris tantum ponunt: Auen, Rois, Auen, Pace; Auen, Zoar, id est, filius Rois, filius Pace, filius Zoar: Græci vero interdum etiam cognomine vsi sunt, vt εὐπάτωρ, φιλαδέλφος, &c. Subiicere his φίλον ὄστιν (placet) regulam Scaligeri: Prænomina vere nō possunt flecti numero plurali: cætera omnia queunt; sunt enim generis, non viri (proprii) nisi sit Cognomē aut Agnomen eius, cui primum est attributum. (eius enim solius tunc est.) Hic προδιορισμὸς necessario addēdus fuit. Hinc intelligitur, quod infra ait carere plurali prænomina, & agnomina Parta. Itaq; sic loquimur: Marcus & Quintus Tulli Cicerones, Vid. c. 92. l. 4. d. c. l. 7.

Sed redeo ad significationes Agnom. & cognom. distinctas.

In Theatro Vit. Zuing. Sæpe quatuor nomina prænomen, cognomen, agnomē & nomen Romani mares ferebant. Raro mulieres prænominibus vtebātur, mares vero frequentissime: namq; cognomen & agnomen mulieri non dabatur. Eras. in Adag. Trium literarū homo, per ironiam dici potest in eum, qui generosus & ingenuus videri cupiat. Inde natum, quod olim ingenui tribus literis in literis aut insignib. suis, prænomen, nomen, & agnomen notare consueuerint, vt pro Quinto Valerio Maximo, Q. V. M.

Sed animi gratia libet exempla nōnulla, eaq; illustria Cognominū, quibus præstantes virtute & doctrina, aut contra, salutantur, adiicere.

Olim studiosi iurisprudētiæ primo anno dicebantur Dupondii, friuolo seu ludicro cognomine, quasi tu dicas, Diobolares, heller werthige. Quarto anno Lytæ: quinto Prolytæ, quod emensi iam scientiæ anfractus, tantum non ex difficultatibus se absoluissent. Cœl. l. 4. c. 7. Antiq. Lect.

N. N. Cognominatur Batalarius. Hoc voca-

vocabulũ, inquit Viues, vetere lingua Gallica vsurpatum in tyrocinio militiæ de iis, qui iam prælio interfuissent.

NN. cognoment. Mellodidasculus seu Prodoctor, seu Licentiatus, quod ei facta sit copia, quandocunque libeat, Magisterii honores & insignia consequendi.

NN. cognom. Doctor codicillaris, qui Pontificis aut principis Diplomate honorarios titulos consecutus est.

Lucerna Iuris olim cognomentum fuit *Irnerij* professoris Iurisprudentię in Bononiensi Academia.

Fons legum cognomen Azonis Iureconsulti Bononiensis.

Coryphęus Iurisconsultorum Iul. Paulus Iureconsultus Patauin. qui floruit sub Alexand. Seuero Imperatore anno Christi 230.

Glossator I. L. cognom. Accurs. Florentini.

Speculator Durandus coguominatus est.

E Septem Græcię sapientibus Speculator seu Philosophus Contemplatiuus, *Thales*; Doctor Ioniæ, Anaximander; Philosophorum parens *Pythagoras*, Dictus etiam fuit Doctor Italicus, quia relicta Samo patria in Italia sapientiam professus est.

Sectarum Philosophicarũ Pater *Socrates*.

Diuin⁹ Philosoph⁹; Iunior Socrates, *Plato*.

Genius Naturę, Anagnostes, id est lector, *Aristoteles*, sic dictus à Platone ex nobilissima multiugæ lectionis cura.

Mirificus sapiens, *Diogenes Cynicus*.

Stoicorum Pater, *Zeno Zittieus*.

Euphrastus & Theophrastus ob diuinã dictionem *Tyrtamus*, Aristotelis successor, qui habuit discipulos plus minus 4470.

Physicus, *Strato Lampsacenus*, Theophrasti Discipulus. Sophia & Gelasinus, id est, sapiẽtia & Risor Democritus, quia inania hominum studia risit. Dictus ét ab Anaxagora πάντα θλος, qn in omni genere Philosophiæ esset exercitatus.

Canis regius *Aristippus*.

Βήματα, gradus, alter Plato, minor Plato, πέντα θλος, Quinquertio similis, exercẽti in ludo quinq; artes Gymnasticas, quia in omni doctrinæ genere summas ferebat: *Eratosthenes Cyreneus*, natus Olympiade CXXVI.

Nyc *Anaxagoras Clazomenius*, ob mirandã Physicæ scientiam, vel quod Mentem ἄκρατον principiis rerum adiecerit.

Phacas, quia lentigine eius facies deformabatur, *Dioscorides* Amzarbæus, qui vixit sub Cleopatra & Antonio, teste Suida, ῥιζοτόμος seu Herbarius insignis, si historiam seu τὸ ὅτι spectes. Nã Plantarũ causas Aristoteles & Theophrastus luculentius exposuerunt.

Grammaticus, *Ioannes Philoponus* Alexandrin⁹, quia pręter philosophica & Theologica etiam multa Grammatica scripsit. Dicitur fuisse Tritheites.

Στοιχειώτης *Euclides*.

Medicorum cos, Naturæ miraculum, *Galenus* Pergamus, inter medicos eloquẽtissimus, inter eloquentes medicus acutissimus, inter vtrosq; diligentissimus, qui vixit Romæ temporib. Marci Commodi & Pertinacis Imperatorum.

Auerroes hũc Medicis omnib. pręfert.

Arabum Cicero & Galenus, Auicenna Persa. Is proprium nomen habuit, Hasser, seu cum articulo Alhasser, vix attigit annum ætatis 18. cum audiret Philosophus.

Commentator à diligenti Aristotelis explanatione, seu quia plurimum scripsit in monumenta Aristotelis, *Auerroes* seu *Auenrois* Cordubẽsis. Quidam vocarũt eum Abyssum sapientiæ, stimulum & cotem Medicorũ: quia acutissime totam fere Medicinam complexus est libro, qui dicitur Colliget. Auicennæ Medici æmulus & inimicus. Floruit anno Domini 1150.

Experimentator, *Rasis* Afer.

Sapiens, *Auenzoar* Cantuariẽsis Auicennę coęuus Pharmacopæorum Euãgelista,

& tantum non Deus, *Iohannes Meſuæ* filius, genus ſuum referens ad Abdelam Regem Damaſci.

Simia Galeni, Paulus Ægineta.

Latinus Hippocrates, *Cornelius Celſus.*

Ægineta Germanus ſeu Germanicus, *Leonhardus Fuchſius.* Parens & reſtitutor rei anatomicæ (è cuius fontibus cæteri ſuos riuulos deduxerunt) *Andreas Veſalius* Bruxellenſis, iudicio Gabrielis Fallopij Mutinenſis Chirurgiæ Profeſſoris in Patauino Gymnaſio.

Διάδοχος *Proclus* Syriaci Alexandrini Platonici diſcipulus, ſic dictus ſeu cognominatus, quia ſucceſſit Syriano in Athenienſi Schola.

Porphyrius Malchus (id eſt, Rex, Phœnicum lingua) ſeu Baſilius, Tyrius, diſcipulus Longini Caſſij Rhetoris, & Romæ Origenis, & Aquilini condiſcipulus, Iamblici præceptor. Vixit ſub Aureliano ad Diocletianum vſque: Dictus Porphyrius à Purpura, regio inſigni. Fuit Antichriſtianus.

Σωζενὸς *Plotinus*, Ammonij diſcipulus Lycopolita, ab obſcuritate, Porphyrius eius quaſi interpres habebatur. Vixit ſub Galieno. Compoſuit libros 54. qui in nouenos diuiſi dicuntur Enneades.

Quid Enneades.

Saccas *Ammonius* Philoſophus Alexandrinus, profanus è Chriſtiano factus. Eius diſcipulus Porphyrius, cuius Iſagoge præmiſſa eſt Organo Ariſtot.

Alter Plato *Philon* Iudæus Alexandrinus. Tanta fuit ἀδελφία, & ſimilitudo ingenij & dictionis cũ Platonica, vt diceretur aut Plato Philoniſſat, aut Philon Platoniſſat. Diſſeruit cũ Petro Apoſt.

Magiſter ſententiarum, omnium lumen, Theologus epitomicus ſeu Epitomator, vt loquuti ſunt barbare: *Petrus Lõbardus* Epiſcopus Parienſis, quia rudi illo ſeculo ſacros libros commentariis illuſtrauit, ac locos communes ſacros expoſuit è Patribus. Floruit circa annũ Chriſti 1160. Qui eũ ſunt ſecuti, vel in eũ commentati ſunt, poſtea dicti ſunt ſententiarij pleriq; Monachi.

Comeſtor *Petrus* Petri Lombardi frater ſed nothus Trecenſis presbyter, ſic dictus quod ſcripturę authoritatẽ in ſuis ſcriptis & concionibus tam crebro adduceret, quaſi eas in ventriculum memoriæ demiſiſſet atq; manducaſſet.

Lima Veritatis & Doctor ſubtilis *Iohannes Duns* Scotus.

Germanorum Varro *Albertus Magnus*, ordinis prædicatorũ Sueuus, præceptor Thomæ Aquinatis, qui docuit Pariſiis anno Chriſti 1275. Fuit etiam poſtea Lector Colonienſis Cœnobij apud Dominicanos. Ingeniorum veterum ſubuerſor *Guilielmus Occã*, Anglus, qui floruit ſub Ludouico IV. Cæſare, anno ſalutis 1320. Summam Pontificis poteſtatẽ diſceptauit multis in vtrãq; partẽ argumẽtis expoſitis, ſed pro Magiſtratu ciuili plerumq; pronuntiauit.

Conciliator *Petrus Aponenſis*, ſeu de Apono Patauinus, qui docuit Bononiæ Philoſophus & Medicus inſignis ac felix. Eius tempore vixerunt & claruerunt Arnoldus de Noua Villa Narbonenſis natus ann. Chriſti 1300. & Raymundus Lullius, Inquiſitores hæreticæ prauitatis eius effigiem in medio foro combuſſerunt.

Magiſter contradictionis, quod acerbius interdum pro Platone in Ariſtotelem inueheretur, & Lux Mundi, *Weſſelus Gansfortius* Friſius, Græcis dictus Baſilius, qui obiit anno Chriſti 1490. teſte Gerardo Nouiomago in eius vita. Fuit Philoſophus, trium Linguarũ peritus, Medicus, Theologus, Iuriſprudentiæ non rudis. Commentator Bononienſis *Philippus Beroaldus.* Calculator *Iohannes Suiſſet*, qui Scaligero exceſſit humani ingenij modum.

Auctor Sectæ Nominaliũ *Rucelinus Brillo*, qui claruit circiter annum Chriſti 1137.

Πενταγλωττος, vir ſupra humanum faſtigium magnitudine ingenij præditus, *Iohannes Picus Mirandulanus* extinctus

anno

anno ætatis 32. Bartholom. Blanch. in vita Beroaldi.

Cancellarius Parisiensis, *Iohannes Gerson.*

Subtilitatum Doctor seu Magister, *Iulius Scaliger.*

Philosophorum Romanorum eruditissimus *Anitius Seuerus Boetius*, Consul Romanus.

Epitomicus Liuij *Lucius Florus*, vixit tempore Quintiliani.

Epitomicus Romanæ historiæ, (seu Cæsarum ad Iouianum vsque) Eutropius presbyter Afer.

Epitomicus gestorũ Romanorum *Sextus Ruffus*, Saxonum, Danorum, & Suecorum Historiographus *Albert. Crantzius.*

Scriptor rerum Indicarum noui orbis *Gonzalus Fernandus.*

Trogi Pompeij Epitomicus, *Iustinus.*

Apostolicus abbreuiator *Bap. Platina* Cremonensis, quia Pontificum historias contraxit.

Iuris Canonici Epitomicus *Gratianus.*

Tragicorum princeps *Euripedes.*

Scriptor vitarum Illustrium Græcorum & Romanorum *Plutarchus.*

Musa Attica & Apis Attica *Xenophon* ob Eloquentiæ suauitatem.

Romanus sapiens, *Seneca*, Iusto Lipsio in Polit.

Fabulator Phryx, *Æsopus.*

Codrus agnominatus est Antonius Vrceus Brixiensis, Grãmaticus & Orator, Præceptor Philippi Beroaldi iunioris. Cũ esset Foroliuij, accidit vt princeps Foroliuiensium Pinus huic se commodaret in via forte sibi obuiã facto. Cui Vrceus subridẽs, Dij boni, inquit, quã bene res habeat videtis, Iupiter Comodo se commendat (id est, pauperrimo.) Hinc eum omnes mutato nomine Codrum appellarunt. Barthol. Bononiensis in vita Codri.

Germaniæ Phœnix olim *Eras. Roterodam.*

Author Margarithę Philosophicæ *Georg. Reisch* Carthusianus.

Ἀγέλαος *M. Cato Censorius*, & eius auus, M. *Crassus*, quem dicunt tantum semel in omni vita risisse, nempe cum asinũ vidisset comedentem carduos. Vnde prouerbium: similes habent labra lactucas.

Παλάμηδες, *Palamedes*, quod in Theoria simul & praxi esset excellentissimus. Vide in Theod. Zuinger. Theat. tit. Doctorum Principum.

Trismegistus, *Mercurius Ægyptius*, quod maximus Rex, maximus sacerdos, maximus Philosophus esset, ita appellatus honorificentissime. Suidas ob Trinitatis mysterium ab ipso primo inter Ethnicos reuelatum hoc cognomen eum accepisse asserit.

Regum sapientissimus, *Salomon.*

Gregorius Nazianzen. cognomento Theologus. Gregorius Magnus cognomento θαυματουργὸς, ob miraculorum frequentiam.

Origenes dictus est Syntacticus, id est, Cõpositor, quod multos fecisset libros.

Pierius Presbyter Alexandrinus sub Caio & Dioclet. Origenes iunior vocatus est.

Augustinum Sal terræ, & Lucernam super Candelabrũ Ecclesiæ positã Paulinus Nolanus discipulus eius appellauit.

Ioannes Patriarcha Constantinopolitan. ob doctrinę magnitudinẽ & singularẽ eloquentiam Græcis Chtysostomus cognominatus est, quod os aureum significat.

Lactantius à lacteo Tullianæ Eloquentię flumine, in quo præceptorẽ suum Arnobiũ vicit, dictus videtur, Hieron.

Agnominis exemplum insigne habemus in Thoma Aquinate. Is cum taciturnus esset inter æquales pueros seu commilitones, à plerisq; vocabatur Bos. Sed Magister cognito illius ingenio, Bos, inquit, iste mutus talem mox edet mugitum, vt vocẽ eius vniuersus admiraturus sit mundus. Marul. l. 4. c. 6.

Archilochus Iambographus τέττιξ, id est, cicada à se ipso dictus, quod loquax & vocalis esset.

Antigonus Macedoniæ Rex ob clementiam Euergetæ nomen meruit.

Ludou. I. Carol. Mag. Filius Imper. à Clementia Pij nomen consecutus est.

M. Antonino Imp. etiam cognomen Pij datum est à populo acclamante.

Titus Vespasianus humani generis deliciæ ob popularitatem, mansuetudinem & humanitatem appellatus est.

Constantinus, quod Italiam, Aphricam, & post Licinij bellum ciuile, Orientẽ possideret, Magnus dictus est, & Restitutor generis humani.

Ottho III. Imperator Germanicus, qui Collegium Electorũ constituisse scribitur, propter sapientiam cognominatus est *Mirabilia Mundi*, Paul. Eberus in Calend. Alij miraculum Mundi, propter magnitudinem rerum gestarum.

Alphonsus II. Legionis Hispaniensis Rex, Castus ideo cognominatus est, quod in ipso matrimonio cũ legitima vxore perpetuam virginitatem seruauerit.

Q. Fabius Maximus, quia cunctando restituit rem, dictus est Cunctator.

Philippus Landgrauius Hassiæ Mauritij nostri auus à Philippo Melanchthone in Epistolis dictus est Macedo.

Artaxerxi Persarũ Regi Memnonis cognomen datum, quod valeret memoria.

Septem Græci Poetæ, Theocritus, Nicander, Callimachus, Apollonius, Homerus Tragicus, Aratus, & Lycophon dicti fuerunt Pleiades à numero stellarum Pleiadum.

Plato Aristocles Primo dictus est. Plato autem cognominatus est ob amplitudinem orationis, vel vt alij volunt, ob latitudinem pectoris vel frontis.

Apud Gallos Philos. Druades dicti sunt ἀπὸ τῶν δρυῶν, à quercetis inhabitatis.

Scythæ Philosophos præstantiores olim Pileatos appellabant.

Constantinus V. Imp. infans sacrũ fontẽ alui excrementis conspurcauit, vnde Copronymi cognomentum meruit, (κόπρος enim fimum vel stercus significat) Zonaras Diac. lib. 21. Idem fecit Ethelredus Rex Angliæ, & Venceslaus Romanorum Rex teste Cuspiniano.

A carminis dulcedine Sophocles dictus est μέλιττα apis, & νέα σειρὴν, noua Siren.

Patronus Dianę Sueuicæ Iac. Andreæ.

Scipio Romanus cognominatꝰ est Aphricanus: quid ita? Stigelius causam affert in carmine præfixo Calendar. Eberi:

Damna suæ immeritus sustentat Scipio laudis,
Qui domuit Lybicæ regna superba plagæ.

Littera aurigarum est O.

Guiliel. Occam Scoti auditor cognomen *Venerabilis inceptoris* est consecutus à Nominalibus, quod Nouam Philosophandi viam primus inuenerit, & fuerit instaurator opinionis Nominalium pene iam sepultæ. Eundem Scaliger vocat subtilissimum omnium mortalium. exerc. 65. sect. 4.

Epicurei cognominantur ab Aristotel. in 1. Ethic. Nic. ἀνδραποποδώδεις (Mancipia, mancipiorum similes, homines inutiles & nihili, Græcis sunt ἀνδράποδα, Sunt enim tanquam pedes Dominorum, qui capitis rationem habẽt) quia sunt affectuum mancipia: vt serui sunt in dominorum suorum potestate, & ita sunt similes pecudibus.

Huc etiam pertinent Elogia Aristotelis Scaligeriana.

Summus Doctor sapientiæ.
Veritatis Hercules.
Summus omnium Philosophorum Imperator.
Numen Philosophiæ.

Vir omni laude maior, omnique calumnia potior.
Tribunal veritatis.
Diuinus præceptor.
Nunquam satis laudatus ille Dictator.

Sapien-

Sapientiæ noſtræ Dux.
Præceptor veritatis.
Princeps veritatis.
Homo de vniuerſa humana ſapientia præter ſupraque cæteros omnes mortales bene meritus.
Sectatores Platonis, vt eum Diuinum, ſic Ariſtotelem vocarunt Dæmonium (δαιμόνιον) quaſi mediȷ cuiuſdam ingenij inter diuinum & humanum. Ciceroni Ariſtoteles eſt vir ſingulari ingenio, dicendi copia & ſuauitate incredibili, quo nihil acutius fuit, nihil neruoſius, nihil in rebus vel inueniendis, vel iudicandis acrius.
Philopono Ariſtoteles in Philoſophia humanum captum exceſſit. Auerrois elogium eſt hyperbolicũ, ſeu modum excedit: Vnum eſſe Ariſtotelem, qui credi debeat Regula & exemplar à Natura exhibitũ, in quo ſumma perfectio, quæ homini in naturali vita degenti contingere poteſt, eluceat ac demonſtretur, tantã ingenij vim miraculum quoddam eſſe, eumque qui hac mentis facultate præditus eſt, diuinum magis, quam humanũ appellandum.
Philippus Melanchthon dictus eſt Philomela Brettauia, & affectus fuit cognomine cõmunis Pręceptoris Germanię.
Κυνισμὸς ſeu Cynica ſecta dicta eſt compendiaria virtutis via propter paucitatem præceptorum vitæ.
Thomas Aquinas vſurpatur ſeu laudatur Doctor communis.
Europa cognominatur à Plinio genitrix Domitorũ Orbis. Nec ab re hoc Elogiũ Europæ tributum eſt. Nam Græcia & Italia partes ſunt Europæ inſignes. In Græcorum autem Monarchia Alexander M. in Italico Imperio Romani vniuerſum orbẽ ipſis quidẽ cognitum domuerunt, ac ſibi ſubiugarunt. Adde, quod noſtro etiam æuo Europę quidam principes Americam, & Aſiæ ac Africæ magnam partem ſuę poteſtati ſubiecerunt.

Aquila litterariæ laudis & ſapientiæ.
Maximus omnium conſenſu litterarum Dictator.
Diuinus atque incomparabilis Heros.
Humanæ ſapientiæ pater.

Medici ægrorum in Noſocomiis & Xenodocheis, dicti fuerunt Parabolani, Parabolarij, paraboli, παράβολοι, quod audacter ſe omnibus periculis obiicerent, nec vllius quantumuis peſtiferi morbi contagionem timerent. Παράβολα enim Græcis ſunt proiecta, magnis periculis obiecta, & παράβολος proiectæ audacię hominem ſignificat. Sic accipiunt hanc vocem Plutarchus, Polybius, & Plin. in Epiſt. *Cognomines* dicuntur, qui ſunt eiuſdem nominis.

COHÆRENTIA,
συνέχεια, cohæſio.

Etſi συνεχὲς vtrunq; ſignificat & continuum & cohærens, tamen Latinis, Cohęrentia proprie nõ eſt continuitas, multo minus eſt concretio, ſeu σύμφυσις, licet quæ coniunctiſſime cohærent, quodammodo fiant vnum. Ex contiguis fieri poteſt continuum naturali concretione, quæ dicitur σύμφυσις. Ea, quæ artis ope iunguntur, proprie continua non ſunt, vt ſunt ea, quæ clauis vel glutine, quæ Græcis dicuntur γόμφος & κόλλα, compinguntur & vniuntur. Nam in his non eſt potentia seu facultas φυσικὴ, quæ ex cõtactu facit duo corpora cõcreſcere, ſed vis externa, ideo in eis cohærentia magis eſt, quã continuitas. Manent enim duæ ſuperficies, & interdum etiam duę ſpecies, vt cum os cum ligno glutinatur, aut compingitur. In reſtitutione oſſium fractorum per artem Chirurgicã non fit glutinatio tantum, & cohærentia, ſed continuatio, quia δύναμις φυσικὴ in fractis partibus adhuc reliqua eſt, vt concreſcere poſſint.

κόλλησις *Conglutinatio.*
γόμφωσις *commiſſura, contabulatio.*

In Metaphyſ. Connexa ſunt Entia coniuncta.

In Logica argumentorum doctrina Cohærentia dicuntur, quorum vnum arguit alterum vi connexionis ſolius.

In Logicis etiam Cohærentia eſt extremorum, vel Propoſitionum, vel partium Methodi connexio, quæ modo legitima eſt, modo vitioſa. Et cum mẽbra in ratiocinatione non cohærent, nec vlla ratio eſt cur concluſio lemmatibus ſeu præcedentibus propoſitionibus attexatur, ἀσυλλογίστως hæc dicitur; & ſcopæ diſſolutæ, id eſt, talis connexio, in qua nullum vinculum eſt, quod membra coniungat. Hic dici ſolet; Non magis cohærent hæc, quam aqua & ignis, præſertim cum afferuntur contraria.

In Oratoria, Hiſtorica & Politica eſt Cohæſio ſeu Cohærentia cauſarum ad faciendam fidem & Cohærentia inter ſe dicere, vt loquitur Cicero. Vnde intelligitur Cohærentiam eſſe non repugnantiam.

In Tranſnaturali Philoſophia dicuntur Mentes à materiæ cohæſione ſeparatæ: id eſt, non coniunctæ cum materia.

In Phyſicis cohærentia, id eſt, ſocietas & connexio eſt naturalis intellectus & phantaſiæ, ſeu cum phantaſia, dum animus verſatur in corpore.

Cum intellectus contemplatur Vniuerſalia, ſimul etiam phantaſia quaſi obiter & per accidens attendit ad aliqua ſingularia, ſaltem indefinite Ariſt. 3. de anim. cum contemplatur Intellectus, neceſſe eſt vna cum phãtaſmate contempletur, ἀνάγκη ἅμα φαντάσματι θεωρεῖν. Cum vero Intellectus concipit ſingularia, per ſe opus eſt concurſu phãtaſmatum. Cum enim ſpecies rerum nullum ſingulare definite repræſentent, neceſſe eſt, vt ſingularium repræſentatio ſuppleatur adminiculo phantaſmatum, vt conceptuuum formarum externarum, ſeu exemplariũ. Vid. Fonſec. in Metaph. Ariſt. l. 1. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 6. p. 147.

Cohærentibus opponuntur diſſita, laxamentis diſſita.

C O L L I G O,
COLLECTIO.

Colligere 1. eſt aliquo modo vnum ex multis facere. Scal. lib. de cauſ. l. 1.

2. Eſt multa ad vnum aliquid cogere.

3. Eſt diſſipata in ſuum locum congerere.

4. Eſt concludere, ratiocinari, inferre, deducere, vt, Hinc colligo: Apertiſſime colligo: Acute colligere.

Ad ſecundam ſignificationem pertinent hi modi Collectionis, qui traditi ſunt ab Alberto Magno in Prædicam.

Colliguntur aliqua quinq; modis,

1. In vnum locum continentem, ſed non vnientem, vt aceruus lapidum.
2. Ad vnum mouens; & ad vnum finem, vt exercitus.
3. In vnam quantitatis perfectæ figuram, vt fundamentum parietis.
4. In vnionem partium ſine perfecta ſingularium poteſtate. Talis collectio eſt forma Regni. Hic enim forma colligit partes, & tamen non addit cuilibet totam poteſtatem.
5. In vnionem partium perfectam. Sic forma Generis, ſpeciei & cæterorum Vniuerſalium vnit partes, ita vt ſingulas colligat.

Colle-

Collectio rationum, ἡ συλλογὴ τῶν λόγων & Logica, & Oratoria, & Arithmetita est. Arithmeticis idem est, quod ἀρίθμησις, numeratio.

Platoni duæ sunt Methodi, quibus omnis rerum cognitio continetur, Diuisiua & Collectiua. In Sophist. & Phædr. *Collectionis* methodus est, cuius studiosissimus Socrates, qua artes & definitiones inueniuntur. Ea progreditur à minus communibus ad cõmuniora. Platonicam hanc in definiendo collectionem Aristoteles vocat similium considerationem seu inspectionem; cum enim inuestiganda est definitio speciei, aliquorũ indiuiduorum similitudinem inspici vult Plato. Diuisio, quæ etiam sternit viam ad definitionẽ, ita debet πορεύεσθαι, vt communib. omnibus Rei, quæ diuiditur, resectis, propria & peculiaris illius natura relinquatur. Plato in Sophist.

Collectiones Plinio naturalis historiæ scriptori & Medicis sunt tumores ἀπὸ φύσεων ex humoribus in partem aliquam corporis defluentibus collecti.

Collectiua signa in Log. sunt Omnis, Vterq; Ambo. Species & Genus dicuntur esse Collectiua multorum. Thomas de Vio in Prædicam. Species magis colligit *Intensiue*, quia magis vnit adunata. Genus magis colligit *extensiue*, quia plura sub ipsum cadunt.

Collectiua nomina in Grammatica sunt, quæ multitudinem significant in singulari numero, vt Plebs, populus, vulgus, grex, turma, thesaurus, cumulus. Hæc rem vnam è multis constantem notant. Hinc extitit vt & Græci & Latini iis pluralia apponerent, vt Turba ruunt, ὁ λαὸς ἀνέβαινον. In Actis Apostol. cap. 19.

Adunatio à Collectione differt λόγῳ seu ratione, non ἕσει. Collectio enim incipit à multis, & terminatur ad vnum. At Adunatio incipit ab vno, & terminatur ad multa, quæ in vno vniuntur.

COLLIQVATIO.

Colliquatio 1. in genere est colliquefactio, qualis est rerum metallicarum σωίτηξις.

2. In specie est, cum aliquid excernitur per ventum, quod prodit ab humoribus ex corpore in ventrem defluentibus, & assimilatur ei, quæ tũ per vomitum reiicitur, tum inferne procedit, flauæ bili, Aetius serm. 9. c. 19.

Colliquamẽtum est, quod ex incremento secernitur resolutione præter naturam. Arist. de gener. Anim.

COLLVM, COLLVS veteribus.

Collũ proprie est pars corporis inter pectus & faciem, caput sustentans, quod componitur ex septem vertebris. Eius pars posterior dicitur Ceruix: prior Guttur. Aristoteles dicit vocabulum αὐχὴν significare collum.

Improprie collum accipitur pro eo, quod est collo proportionale. Collum proprie dictũ serpens non habet, sed proportionale colli habere videri potest. Arist. de partib. animal. Abusiue etiam colla accipiuntur pro illis montium partibus, quę apparent infra summum verticẽ, & supra medium montis. Sic colla Parnassi dixit Statius.

Explicatio.

Vertebris 7.] Itaque est flexile. Excipitur Lupi & Leonis collum: Lupi & Leonis collum perpetuo osse riget.

Collum habet duos canales. Primum in parte anteriori, quæ dicitur Fistula seu Canna vocis. Secundum in posteriori, quæ os Stomachi seu Oesophagus. Albert. Mag. de animal. l. 1.

COLOR.

Color primum est vox Physica, secundo Rhethorica, tertio Musica.

Physicis color est qualitas ex elementorũ qualitate & luce conflata, quatenus lux est. Estq; Realis seu Primus, vel Apparens, seu Secundus. Realis seu

permanens, qui pendet à principio interno, nec mutatur in corpore ſubiecto ſibi, niſi per alterius colorati admiſtionem, vt color vini ſpiritalis: ſeu ſpiritalis & tranſiens, qui pendet à principio externo, & ad eius mutationem mutatur, vt eſt color nubium & panni lintei à colore in vitro exiſtentis per repræſentationem expreſſus.

Nobiliores colores ſunt Albus, Flauus, Ruber, Purpureus, Viridis, Cæruleus, Niger: Ad quos omnes tãquam ad capita ſunt redigendi, ait Scaliger.

Διχοτόμως. Color eſt Simplex, vel Compoſitus. Simplex, extremus, qui ſuæ eſt originis, vt Albus & Niger. Hic oritur ab exſuperantia opaci commixti perſpicuo; ille ab exſuperantia perſpicui mixti cum perexiguo opaco. Compoſitus, intermedius, qui ex commixtione aliorum colorum reſultat, vel qui exiſtit ex luce, perſpicuitate & opacitate varie mixtis inuicem, certaque quadam ratione temperatis.

Compoſitio Mediorum colorũ refertur vel ad extremos, vel ad eorum cauſas.

Compoſiti ſunt
- Flauedo { Luteus, cereꝰ, croceus, aureꝰ, melleꝰ, citrinus, fuluus } E Dominatu albi mixti cum nigro.
- Rubedo { Puniceus, Flammeus, Sanguineus } E Prædominio nigri miſti cum albo.
- Purpureus color { Violaceus, Giluus } E Dominio rubri mixti cũ nigro.
- Viriditas { Praſinus, herbaceus. Æruginoſus. Porraceus. } E Dominio mixti nigri cum rubro.
- Color cæruleus { Claucus, Cœſius, Liuidus, Cinericius, pallidus } E Dominio viridis mixti cum nigro.

Colores
- Inſititii.
- Aſcititii, vt fucatæ faciei, vel cum alius color alii ſuperinducitur priore ſeruato, vt cum albedo chartæ integitur.

Colores
- Veri, qui habent eſſe fixum, ſemper manent, dum non mutatur qualitatum temperies, vnde ortum ducunt.
- Apparentes, qui non diu hærẽt, & plerumq; varie mutantur ex diuerſitate luminis medii, ſitus & viſus ad lucem & veros colores. Proueniunt autem ex mediatione luminis, ſeu oriuntur fere ex vario oppoſitu variorum colorum ad lumen.

Apparentes ſunt in corpore
- Terminato, opaco.
- Interminato, Perſpicuo.

Inter-

Interdum concurrunt corpus vnum diaphanum interminatum, & aliud opacum, vt cum radii vitrum viride permeant, & in parietem incidentes ad ipſum quaſi herbeſcentem viriditatem refundunt.

Color verus dicitur Color abſolute (id eſt nullo adiecto.) Color apparens ſeu ſecundum apparentiam, ſeu per repræſentationem dicitur Coloris Imago. Sic Scaliger: In ſpeculo non eſt meus color, ſed coloris imago ſeu ſpecies.

Exempla colorum apparentium.

A ſuperficie polita fit reflexio, vnde coloris imago exiſtit.

In Pyropo perfectæ & ſaturæ rubedinis videmus noſtra lineamenta, ſicut in ſcypho vino pleno. Apud Turcas habetur in pretio gemma, nomine Almandina, ait Scaliger, longe viuidiore luce atq; fulgore quam Granata. Ab ea redditur imago, velut à ſpeculo.

Colores ſunt & mutantur *A Natura*, vel *Arte*, Idque vel *Reuera*, vel per *Repræſentationem*. Reuera, vt nigredo ſuper hac charta, & cum quis caneſcit: cum ſeges flaueſcit, cum cera albeſcit, quæ ante fuit rubra.

Hic mutantur cum
- Abolentur
  - Toti.
  - Ex parte.
- Miſcentur.
- Teguntur ſuperinductione.

Per repræſentationem, non reuera, vt cum color alicuius dicitur eſſe in ſpeculo.

Hic colores apparentes mutantur
- Ad mutationem Verorum.
- Per mutationem actus, non per ſubiectum vllum, vt in moto pauonis collo, ſi lumen transferatur aliorſum.

Explicat.

Abolentur] In argento viuo cum excoquitur, reuera aboletur totus color. In cera cum albeſcit, reuera aboletur pars coloris. Sic in fronde cum rubeſcit, in cancris cum vruntur.

Miſcentur,] vt in Tyriamethyſtino.

Teguntur] vt nunc albedo chartæ ab atramento illito, non enim charta nigra facta eſt per candoris abolitionem, cum ipſa ſubtus etiam nunc alba ſit, (quod pateſcit ſi radas ſcriptorio cultello) & candor atramento tectus non appareat, teſte Scaligero exerc. 325. ſect. 19.

Colores ſunt in Elementis, vel in Miſtis ex Elementis atq; compoſitis.

Albus eſt in ſicco, cuius ſubiectum primũ terra, id quod ex cineribus & ſaxis, & arenis igni aut Sole exuſtis palam eſt. Viridis eſt in humido craſſo, cuius matricem videmus eſſe aquã. Craſſeſcens enim virideſcit. Cœruleus in humido eſt tenui, qui fit in aere. Flauꝰ in calido. Ignẽ nãq; condenſatũ ſtatim ſequitur flauedo. Denſitas. n. colorẽ facit in actu videri, qui erat in poteſtate principiorũ ineptus vt videretur. Sic & cœruleo & viridi porro inſpiſſatis nigror fit. Manifeſtum hoc eſt in nube, & in aquarum ſtantiũ ſuperficie. Sic Scalig. Sed Theophraſtus igni aſſignat flauum, Terræ, aquæ, aeri, album, Zabarella Terræ nigrum, reliquis album & perſpicuum. Color in ſuperficie eſt vel expolita, vel non expolita.

Color eſt aut cum multa luce, aut non cum multa. Scal. Fulgor & nitor videtur mihi eſſe affectiones coloris. Fulgor & nitor aliud eſt quam color, inquit Scaliger ex. 325. ſ. 17. Color non mutat ſpeciē addito ſplendore. Idem.

Colores viſum
- Diſſipant, διακριτικὰ, album.
- Congregant, viſibilia συγκριτικὰ, nigrum.
- Confundunt & perturbant, συγχυτικὰ, candidum.
- Partim congregant, partim diſgregant ac temperate afficiunt, vnde purpureum cæruleum.

An colores Medii dicantur Medii ex eo, quod habeant affinitatem, ſimilitudinem & conuenientiam cum extremis, & ita ſpecie differant ab extremis; an verò ex eo, quod conflati, mixti & temperati ſint ex extremis coloribus, qui ipſis inſint non actu, ſed imperfecte: ſicut quod tepidum eſt, mixtum eſt & concretum ex calore & frigore; & ſic ſecundum magis & minus tantum differant ab extremis, albo & nigro, intricatiſſima diſputatio eſt. Seu, vtrum Colores Medii dicantur componi ex extremis, eo quod per ſe actu & formaliter medius in ſe habeat extremos: exempli cauſa, viridis aliquid nigredinis & aliquid albedinis, aut tantum eo, quod medii habent conuenientiam cum extremis, valde dubium eſt. Prior ſententia eſt Auerrois, poſterior eſt communior. De vtraque vide Pererium l. 13. de Natura Mot. quæſt. 8. Pullum medium eſt miſtum ex atro & rubro, inquit Scalig. ex. 35. vbi agitur de colore terræ, & negatur terra eſſe pulla contra Cardanum, etſi quidā dicant terram colore carere. Et vt quæſtionem hanc melius percipias, vide vocem *Medium*, Fuſcus componitur ex albo & nigro. Idem Scal. ex. 300. ſ. 7.

An & quomodo colores medii ſint compoſiti ex extremis? An color vnus poſſit eſſe principiū aliorum?

Conſideratur color à Priori & Abſolute, vel à Poſteriori & Reſpectiue. Abſolute per ſe vt Color eſt. Reſpectiue viſus ratione. Priori modo conſiderat & definit eum Scal. ex. 325. ſ. 5. Poſteriori, id eſt, vt viſum reſpicit & viſibilis dicitur, differt de eo ſect. 4. cum ait, Color eſt qualitas in toto ſuo corpore ſubiecto, ſua ſpecie, quæ educitur à luce, pingēs aerem ad viſionem faciendam. Hic vides Differentiam, vt loquuntur, à poſteriori. Sed ſect. 5. Lux cum elementi qualitate totam explet definitionem: idq; vt loquuntur à poſteriori. Itaque poſteriori modo, id eſt, *Relate* ſi conſideretur Color, idem ſubiecto eſt cum viſibili, & differt tantum ab hoc ratione. Ariſt. 3. Phyſ. Nomen enim coloris notat naturam quandam abſolutam, cui aduenit hic ad viſum reſpectus, vt dicatur viſibilis. Viſibilitas autem eſt accidens coloris proprium.

Vſus.

Q. An ſit de ratione & natura coloris eſſe Motiuum viſus? Reſp. Motiuum viſus perſpicui actu talis, hoc eſt illuminati, vel viſus conuenit colori, non quatenus abſolute color eſt, ſed quatenus viſibilis. Hoc igitur natura coloris non exprimitur, ſed tantum proprietas.

Quær. An Color ſit dicendus is, qui eſt in profunditate? Reſp. Color abſolute ſumptus, ſeu ſecundum ſe conſideratus non minus eſt in profunditate, quā in ſuperficie: albedo non minus eſt in profundo ſubſtantiæ lactis, quam in eius extremitate. Sed tantum ſuperficie color eſt viſibilis: & color, qui in profundo eſt, tum demum aſpectabilis eſt, cum fit ſuperficialis.

Eadem quoque eſt ſententia Scalig. ex. 325. ſ. 4. vbi pronuntiat in medio corpore

pore castaneæ, non tantum in superficie eius esse colorem, quod manifesta experientia comprobat. Pro nobis etiam est Philosophus lib. de sensu: τὴν αὐτὴν φύσιν δεῖ νομίζειν ὥσπερ καὶ ἔξω χρωματίζεται. τοῦτον καὶ ἐντός. Hic intus etiam Colorem statuit.

Quęritur: An Color recte dicatur esse extremitas corporis perspicui in terminato? Resp. Valde impropria hæc prædicatio est. Proprie enim color est qualitas visibilis in extremitate corporis opaci terminata, quæ perspicuũ tangit, & beneficio luminis videtur. Vid. cap. 6. Comm. Phys. Iohan. Velcur. pag. 331. vel Color est qualitas visibilis, per quã corpus est coloratum: vel est actus colorati, quatenus est coloratum. Sic vitiosa est Definitio Coloris ista: Lumen in superficie corporis terminatum. Nã Specierum disparatarum vna per alteram definiri nequit.

Coloratum proprie est, quod colore est prædituum. Hoc est vel opacũ, vel perspicuum, vt candidum aliquod est opacum, (quod non penetrant radii) aliquod est perspicuum seu transparẽs, vt crystallus (quem lapidem radii penetrant).

Esse coloratum Zabarellæ est sua superficie visum posse terminare. lib. 1. de vis. cap. 2.

Apud Hippocratẽ Color significat cutim.

In oratione Color per Metaphoram significat nitorem verborum seu orationis ornamenta (προσχήματα.) Colores sunt prætextus quidam, quibus res conficitur verisimilis seu probabilis: Iuuenalis: Dic Quintiliane colorem. Quintil. Dandus est deformibus color, id est, speciosa causa facti quærenda est. χρῶμα λόγου, facti est probabilis ratio Hermogeni.

In Musica cantus coloratus, χρωματικὸς, simplici opponitur.

Genera Modulationum
- Ἁρμονία, modulatio artificiosa grauis & egregia.
- Χρῶμα (color) suauius delectans, subtili solertia ac crebritate modulorum.
- Διάτονον; simplicior & facilior.

Fictæ causæ dicuntur χρώματα seu colores, quia saltem verisimiles sunt, non veræ, inquit Michael Toxch. (Rectius forte pro saltem dixisset Tantum) Sicut colores non res ipsæ sunt, sed rerũ habent similitudinem & speciem.

Color Alberto M. 2. de anim. tract. 3. duplex habet esse, Materiale & Formale. Materiale coloris est, quod fit per qualitates transeuntes materiam, vt sunt, calidum, frigidum, humidum, siccum. Hæc. n. diuersimode variantia superficiem corporis terminati, diuersos inducunt colores, licet nihil horum sit de essentia coloris: & secundum hoc Esse colores actu sunt in tenebris, etsi non mouent diaphanum.

Formale autem esse habet à Lumine, quia Lumen est colorum hypostasis, quod in extremitatem perspicui influit. Huc pertinet illud Simplicii in 2. de Anim. color est illud, quod mouet diaphanum illi proximum.

Idem Albertus M. in 3. Meteorol. tract. 4. c. 9. Essentia inquit formalis coloris est ex luce, Materialis ex qualitatibus (passibilibus) subiecti, in quo est.

Ex his percipi aliquo modo potest, quod Auerroes scripsit, colores in obscuro esse in potentia, & lucem facere vt sunt in actu.

Auerroi item 2. de anim. duplex habet esse, Corporale in corpore colorato, & Esse speciale in Transparente.

COMBVSTIO.

Combustio est corporis per ignem corruptio.

Estque Incineratio, Calcinatio, vel Vitrificatio.

Incineratio est ignitio corpora vehemẽtiore igne in cineres conuertens.

Calcinatio est rerum coagulatarum maiore igne in calcem solutio.

Incinerantur animalia & vegetabilia. Mineralia calcinantur, id est, in calcem rediguntur.

Vitrificatio est combustio calces & cineres in transparens vitrum conuertens.

COMITARI.

Generaliter est iunctum esse cum aliquo, vel sequi aliquid, imo & antecedere seu progredi: non esse disiunctum ab aliquo.

Specialiter loquendo Aliud est comitari rem, aliud sequi rem.

Comitari est insequi seu confestim sequi, tempore simul esse cum alio: alicui coniunctum seu connexum esse, vt proprietates essentiales comitãtur formam, naturam colorum comitatur visibilitas: Formæ vnitionem Totius (compositi naturalis) resultantia comitatur, id est, absque noua actione confestim sequitur. Calorem ignis comitatur subtilitas, id est, hæc cum illo coniuncta connexaque est inseparabiliter. Sic Societas Conimb. Quoties aptitudo aliqua comitatur rei naturam, actus qui tali aptitudini respondet eamque necessario consequitur, etiam rei naturam sequi dicitur. Constat autem corruptibilitatem esse aptitudinem, quæ res comitatur caducas, & corruptionem esse actum seu quasi actum, qui eam necessario sequitur. Vnde intelligitur differre etiam Consequentia à Comitantibus. Bonam arborem cõsequuntur boni fructus. Naturam hominis comitatur potestas risus.

Nonnunquam tamen consequi pro comitari vsurpatur, vt indissolubili nexu seu perpetuo consequitur hoc naturam illius rei.

Barbari dicunt *per Concomitantiam*, quod Latinis est *per Necessariam connexionem*, per Naturalem cõsecutionem: vt Priuatio est forma non essentialiter, sed per concomitantiam, id est, quatenus necessario aliam formã coniunctam habet. Generatio vnius est corruptio alterius per concomitantiam, id est, coniunctum habet interitum rei alterius: seu Generationem vnius rei comitatur corruptio alterius rei: seu; Generatio & Corruptio mutuo connexa ac complicata sunt: Tametsi hanc interpretationem Zabarella reprehendat l. de Gener. & Interit. c. 5.

Falsum in sensu indicante Identitatem. Generatio enim non est reipsa idem, quod Corruptio.

Generatio vnius est corruptio alterius,

- Verum fere in sensu significante
  - Nexum, quia hæc duo ita copulata sunt, vt alterum sine altero non detur.
  - Causam, vt cum dicitur, Putrefactio est interitus caloris, id est, fit interitu: quia corruptio dispositiue causat generationem, & generatio quodammodo efficit corruptionem seu occasum.

Turpe est mulieri tonderi: Ergo & ordinem recipere, quia tonsura concomitatur

mitatur ordinem aliquem, vt ſignum ſignatum. Scot. lib. 4. diſt. 25.

Voluptas & Dolor quemadmodum antecedunt & ſequuntur, ita comitantur ſemper pturbationes. Nulla enim eſt perturbatio, quæ dolorẽ aut voluptatem aliquã iunctam non habeat. Piccolhom. 16. cap. grad. 1. Phil. Moral. quo pertinet iſtud: Voluptas & Dolor ſunt fontes, fomites, pediſſequç, aſſeclæ perturbationum. Ex eodem.

Sic Theologi: *Gratia præcedit, comitatur tracta voluntas.*

Vſus.

Vis vocabuli huius expendenda eſt in quæſtione de Vmbra. Dicitur Vmbra corpus comitari. Ergo inquiat aliquis, ſemper ſequitur vmbram, ſicut vulgo dicitur. Honor ſequitur virtutem, ſicut vmbra corpus. Reſpondeo, conſequens nõ ſequi ex antecedente. Comitari enim, & ſequi non ſunt, idem. Comitari latius vocabulum, quam ſequi. Dico igitur, Vmbram quidem corpus comitari, ſed non ſemper eodẽ gradu & modo. Interdum enim antecedit: interdum iungitur à latere atq; incedit vna tanquam ſtipator: Interdũ vero pone ſequitur. Sic aliquorũ hominum virtus ſub ipſis eius initiis habetur in honore, aliorum non ſuſpicitur, niſi cum aucta eſt & perfecta: deniq; videas aliquos non prius honoratos, quam eſſe deſierint. Petrus Martyr in comment. in 1. lib. Ethic. Ariſtot. Itaque rectius dicitur: Honor eſt virtutis comes ſeu comitatur virtutem, quam ſequitur.

Gloria virtutis comes eſt, vt corporis vmbra.

Comitari { ANTE, Intellige prioritatem Loci. / SIMVL, PONE } Sic veram Fidem vere bona opera comitantur.

Temperatura comes eſt & inſtrumentum quaſi qnoddam ad viuendum. Scaliger.

Quæritur, an recte dicatur, Formam ſeminis canini eſſe priuationem formę caninæ? Reſpon. Non forma ſeminis canini, ſecundum ſe & quatenus eſt forma, eſt formæ caninæ priuatio, ſed per quandam neceſſariam *comitantiam* & annexionem, quia neceſſario habet comitantem abſentiam formæ caninæ cum potentia ad eam proxima.

COMMENTARII.

Commentarij ſunt cõmentationis quaſi fœtus & effectus externi. Commentatio enim eſt occulta (id eſt, interna) mentis agitatio.

Gellius vocat ἀπομνημονεύματα, quia inſeruiunt memoriæ. Ammonius vocat ὑπομνημονεύματα, eaq; opponit συνταγματικοῖς, quæ dicuntur ab ordine & methodo. Sed ſcripta ſyntagmatica, quia etiã & quidẽ inprimis memoriæ ſeruiunt, quid obſtat, quo minus ad Commentarios etiam ὑπομνημονευμάτων referri poſſint? Alij aduerſariorum libros, & per translationẽ Locos communes, quod quaſi promi condi litterarij penum conſtituant. Xenophon dicta & facta Socratis edidit primus nomine ὑπομνημονευμάτων.

Sunt autem 1. Commẽtarij Organici, vel Philoſophici. Organici, vt Logici & Poetici. Philoſophici vel ſunt Simpliciter, vel Reſpectiue ſeu Organice facti. Illi ſunt Theorici vel Hiſtorici. Theorici Vniuerſalia præcepta continent: Hiſtorici ſingularia exempla. Hi vero cnm ſuis organis ſunt complicati, quibus Philoſophus vtitur vt ſubſidio.

2. Cõmentarij ſunt Exquiſitiores & accuratiores: vel minus exquiſiti ſeu

Cõmẽtarii λόγων ἐξ- κυκλίων.

Exoterici; quo pertinent, qui non certæ alicuius Philosophiæ proprii sunt, sed ὡς ἐν κύκλῳ organorum communium præcepta exemplis ex omni disciplinarum genere petitis congestisq; illustrata continent.

Quid Acroases facere?

Commentarii Syntagmatici quia scripto fiunt, Acroasibus, quæ fiunt, opponuntur. *Acroases enim facere*, est viua voce coram auditoribus vel præcepta tradere (quod est Docere) vel exempla edere disputando cum antagonista, vel declamando.

Quid Apophthegma?

Nota, ὑπομνημόνευμα non semper significare Commentarium, sed nonnunquam etiam Apophthegma, id est, sententiam illustrem alicuius viri, breuiter, scite & acute dictam, vitæ vtilem. Eustathius & Erasmus Roterodamus.

Obserua hoc quoque, Commentarios libros, quos studiosi sibi ex authorum lectione in memoriæ subsidium conficiunt, dici à Græcis Hypomnemata.

COMMISSVRA.

Commissuræ sunt iuncturæ, quales sunt tabularum ἐφαρμογαί.

Commissura in cantu fit, cum propter vicinitatem consonantiæ delabimur ad dissonantiam proximam, & ab hac denùo ad consonantiam. Sic dicta, quia dissonantia cum consonantia pugnans committitur, vt propter vicinum consonantem excusetur discordans.

Estque duplex, Directa & Cedens.

Directa est, cum Dissonans minima, vel interdum etiam semibreuis consistit initio tactus post consonantiam. Et hæc in clausulis tantum locum habet & Syncopatio. Nam syncopari Nota dicitur, cum pars Notæ, quæ in depressionem tactus cadit, dissona est, sequente mox minoris speciei nota in spatio vel linea proxime descendente.

Cedens dicitur, quãdo initio tactus Nota consona est, & mox eiusdem quantitatis sequẽs nota delabitur in locum proximum ad dissonantiam, indeque rursus ad consonantem.

Commissuræ in Anatomicis sunt compages quasi serratæ, die in einander gezãunet seindt / in modum duarum serrarum iunctarum, sunt sex capitis ossa (non tantum quatuor, vt vult Aristoteles.)

COMMISTIO.

Commistio est mistorum vnio quædam. Interdum etiam dicitur Mistio. Sic Fernelius. Temperamentum non est ipsa mistio, sed concentus quidam quatuor principium qualitatum ex omnium Elementorum commistione.

COMMVNICATIO.

Communicare significat quod est vni proprium, alteri facere commune. Hoc autem fieri potest *aut nomine tantũ & imputatione*, sed tamen vere, sineque vllo mendacio, *aut reipsa*, ita vt non minus illius rei communicatæ particeps realiter fiat, cui communicatur, quam ille, qui communicat, eam in se habet ac possidet. Hieronym. Zanch. in lib. de Incarnatione.

Communicatio nominetenus quidem fit, cum nomen rei prædicatæ subiecto vere conuenit propter illud, de quo realiter prædicatur: res autem non ita.

Exemplum. Propter Electorem, cui vere & realiter hoc nomen conuenit, ipsius Vxor, quia vna caro est cum illo, Electrix quoque vocatur, licet reipsa non sit, cum eligendi Imperatorem non habeat authoritatem. Nec tamen id fit per lusum & vane: Cedit enim hoc ei in honorẽ: Et dum hæc ita vocatur, virum eius reapse Electorem esse declara-

claratur. Quin & ipſa ex hoc nomine vero coniugii vinculo Electori copulata eſſe intelligitur. Ita non eſt res de nihilo hæc nominis communicatio: præſertim cum rem ipſam quoque habeat, ſi non in ſeipſa, ſaltem in viro, vt in altera ſui parte: Sunt enim ambo vna caro. Et ſic 1. Cor. 12. Eccleſia vocatur Chriſtus, quia eius corpus eſt, cum tamen reipſa non ſit Chriſti perſona. Sic cum dicitur, Homo Chriſtus æternus & vbique eſt: propoſitio vera eſt & realis, ſpectato ſubiecto ſeu Perſona: ſed de Natura ipſa Humana falſiſſima eſt realiter, & verbotenus tantummodo ei congruit, quo nimirum modo eidem etiam Humanæ Naturæ hic honos communicatur, vt Deus vocetur, in concreto quidem ſemper à Spiritu ſancto in Scripturis, vt Hic Homo eſt Deus, & remittit peccata. Sic enim denotatur Perſona, non nuda natura. In Abſtracto autem nonnunquam apud Patres, vt Gregor. Nazianz. Auguſtin. & Athanaſ.

Auguſtinus contr. Arian. ſermon. cap. 8. de Trinitat. & Vnitate Dei cap. 6. Diuinitas Chriſti Humanitatis *nomen accepit*, & Humanitas Chriſti Diuinitatis *nomen accepit*. Et: Quamuis in terra factus ſit Filius Hominis: Diuinitatem tamen ſuam, qua in cœlo manens deſcendit ad Terram, non indignam cenſuit Nomine Filii Hominis: Sicut Carnem ſuam dignatus eſt nomine Filii Dei, ne quaſi duo Chriſti accipiantur, alter Deus, alter Homo, ſed vt vnus idemque ſit Deus & Homo.

Fulgentius lib. de Incarn. c. 10. & ad Tra. l. 3. Verbum dignatum eſt Caro fieri, vt poſſet *Caro* Verbi, hoc eſt, Dei *nomine* nuncupari.

Item. Quomodo homo ille habere potuit Dei nomen, niſi quoniam à Deo ſuſceptus vnam cum eo poſſedit *nominis dignitatem*?

Item. Ex eo, quod Deus author vitæ Hominem in vnitatem perſonæ ſuſcepit, ille Homo *nomen* vitæ authoris obtinuit.

Athanaſius contra Apollinarium de Natura aſſumpta: Caro Verbi cum ipſo ſimul Deus (ὁμόθεος) *appellata* eſt: (Appellata, inquit: non enim realiter ſeu κατ' ἀλήθειαν eſt Deus, ſed Appellatione tantum.)

Similiter Greg. Nazianz. qui citatur à Damaſceno l. 3. c. 17.

Vigilius lib. 2. Verbum propter Carnem ſuam Homo eſt: & Caro propter Verbum Deus eſt.

Realiter autem fit alicuius rei communicatio bifariam, nempe aut ex parte, aut in Totum.

Ex parte itidem dupliciter, nempe aut quoad effecta & per effectorum communicationem: aut quoad ipſius rei Subſtantiam, & effectorum illorum efficientem cauſam. Exemplum primi: Vt ſi fructus tui fundi alteri communices, fundo tibi reſeruato, tum dicetur fundus alteri realiter communicatus eſſe, non quoad Subſtantiam fundi, ſed quoad fructus & propter fructuum communicationem. Sic entia omnia, omniaque bona communicatione primi Entis, & primi Boni participatione dicuntur eſſe Entia, & Bona. Sic nos dicimur à Petro facti participes diuinæ Naturæ, nempe participatione effectorũ eius: quomodo Plato ẽt loquitur in Phæd. Animus Deo eſt συγγενὴς θείας κοινωνὸς φύσεως, id eſt, mens cum Dei mente communicat: ratio in Homine eſt Diuinæ ſapiẽtiæ cognata. Similes autem Deo dicimur, qua infiniti Boni ad nos dimanant riuuli. Commentat. Ioh. Serran. Genus ſeu progenies Dei ſumus. Paulus ex Arato, id eſt, Genus, ex quo originem deducimus, eſt Mens Diuina vt omnium cauſa. Vid. Platon. in Phileb. vbi dicitur Mens θεὸς ἢ τ πάντων αἰτίᾳ

Sumus participes Diuinæ naturæ Platoni etiam.

λειχθέντος, id est, eadem generis *communitate* ei causæ adhærens, quæ omnium causa dicitur. Participationis effectorum DEI (quæ gradus habet) exemplum est Regeneratio nostra (Spiritualis παλιγγενεσία.) Et Electrix reali participatione magnæ authoritatis, potentiæ, &c. ab Electore propter vnionem Matrimonialem realiter acceptæ particeps Electoralis dignitatis & potentiæ vere esse dicitur. Sic effecta Maiestatis & Omnipotentiæ carni Christi realiter communicata sunt.

Exemplum Secundi; Vt, si diuidas fundum, & vna parte tibi seruata, alteram partem alteri communices. Et quemadmodum Imperium Constantini Magni in tres partes diuisum, tribus eius Filiis distributum & communicatum fuit: Hoc sane modo Maiestas Diuina communicari non potuit, nec potest cuipiam; quia impartibilis est. Quare si communicatur, tota simul communicetur necesse est.

In totum porro aliquid realiter communicari dicitur, cum tota eius Substantia seu res ipsa tota alteri fit reuera communis: Vt si totum fundum alteri in solidum tecum facias communem: vel si ad regni ius, possessionem communionemque alium tibi in solidum adiungas, veluti cum Dauid regnum suum Salomoni ita realiter communicauit, vt non minus Filius quam Pater Rex esset totius Israelis. Sic quiuis Pater Filio in huius generatione suam totam, communicat essentiam & naturam, vt non minus hic, quam ille, sit vel DEVS, vel Homo.

Hi sunt modi, quibus aliqua res ab vno alteri communicari posse dicitur, siue in rebus diuinis, siue in humanis. Nam Modum illum, qui dicitur communicare ad vsum; vt si communices equum ad equitandum, aut bouem ad arandum: facile ad communicationem per effecta reduco. Communicatur enim equi, aut bouis opera & vsusfructus, vt vocant.

Præterea nonnullis verbum communicandi significat agere cum & per aliud, vt per organon, vt cum ignis validius vrit per ferrum.

Ad extremum significat communicare nonnunquam Generaliter συνεργεῖν, adiutorem esse, cooperari. Demosthenis enim κεκοινωνηκότες τῶν πόνων sunt qui vna subietunt labores, Vocantur vulgo collaboratores. Sic κοινωνία accipitur pro cooperatione, & κοινωνὸς pro adiutore seu causa socia. Videatur Tabella.

Commu-

- Verbalis (ὀνομάτων) & φατικὴ, quæ tantum fit nomine & imputatione, vt cum propter Electorem, cui vere & realiter hoc nomen conuenit, ipsius coniux, quia vna est cum illo caro, Electrix vocatur, licet ipsa re ipsa non sit, cum Eligendi Imperatorem non habeat authoritatem.
- Vera
  - Realis (πραγμάτων) quæ fit alicuius rei participatione seu collatione
    - Propria. Hæc Cõmunicatio est
      - Quoad effecta vel vsum rei.
      - Quoad substãtiam rei; vt in generatione viuentis. Hæc est prima participatio animæ nutritiuæ cum calore naturali.
      - Ex parte vel aliquo modo,
      - In totum vel simpliciter. Huc pertinet communicatio ἐξουσίας seu Iuris Regni, ad quod ex asse alium admittit Rex.
    - Impropria, fere & quodã modo, cum idẽ significat quod vnitio seu vino.
  - Fictitia, vt si dicatur Naturæ Humanæ Christi in se consideratæ communicatas realiter esse essentiales λόγῳ proprietates, vt dici possit, Caro Christi est in sese facta omnipotens, vt DEVS.

Cõmunicatio, cum quod vni propriũ est, alteri fit commune

Explicatio.

Exparte] vt cum quid Luminis, quod est effectum lucis, particeps est.

Quoad effecta] Sic dona & effecta, diuinarum proprietatum similia, Naturæ Humanæ realiter cõmunicata sunt, vt potentia creata & aliæ qualitates.

Quoad vsum] Sic communico tibi equũ ad equitandum, vel vehendum.

In Totum] Sic totum fundum alteri in solidum mecum facio communem. Sic in æterna generatione Filii à Patre ei communicatæ sunt essentiales Proprietates cũ tota essentia. Sic Filii Persona communis facta seu communicata est assumptæ Naturæ, quatenus illa facta est huius Hypostasis, & hęc in illius vnitatem assumpta est. Ita quoq; Essentiales Filii DEI proprietates carni communicatas esse aliqui scribunt.

Vt enim subsistit caro πῷ λόγῳ vnita, non in se ipsa, sed in πῷ λόγῳ seu Filio DEI: Sic quoq; facta est particeps omnium proprietatũ eius non ἐν ἑαυτῇ, seu in se ipsa, sed in Persona τοῦ λόγου.

Hinc est Distinctio: Aliquid communicatur alicui, vt habeat in se ipso, vt in subiecto recipiente, vel in Alio, vt subiecto: Passio Humanitatis communicatur Diuinæ Naturæ, non vt Hæc sustineat Passionem in se ipsa, sed Diuinæ Naturæ vnionis gratia seu propter Personæ vnitatem, idque concretiuo nomine expressæ. Sic nomen Corporis Christi communicatur Pani Eucharistiæ. Theodoretus Dial. 1. Christus symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non quidem naturam ipsam transmutans, sed Naturæ adiiciens

gratiam. Hæc communicatio fit nomine tantum. Vnde & Transnominatio à quibusdam dicta fuit, vt à Pet. Martyre, parte 1. de Eucharist. pag. 421.

Physici sæpe distinguunt inter Communicari ἁπλῶς, Materialiter seu realiter: & κατά τι, Repræsentatiue: vt, *Quæritur, an obiecta, γνωστὰ, vt sensilia, se communicent, & Quomodo?*

Respon. Inest obiectis aliquid κοινωνητὸν, seu obiecta aliquid sui communicant. Cum igitur dicitur, Color se aliis communicat, intelligatur κατά τι, hoc est, Color producit speciem sui, & ita Repræsentatiue se communicat sensui, ac sic eum perficit. Si color aut vox non haberet vllam vim communicãdi, nec esset vnum è sensilibus. At non potest se communicare ὑλικῶς, nec organo vniri. Itaque hoc à natura tributum est eis, vt ex se possint species producere, quibus vniuntur, & similes euadant potentiis.

Fit hæc Communicatio Diffusione & Multiplicatione.

Hæc θεωρία valde vtilis est, & pertinet ad solutionem ἀπορίας: *An vnus idemque numero sit sonus huius, edentis eum, & illius recipientis?*

Hic respondetur, omnis sensilis Qualitas hoc habet proprium, vt multiplicet speciem suam in medio. Itaque sonus realiter productus, repræsentatiue, id est, per species similes in medio multiplicatur, & ad auditum vel distantem iusto tamen interuallo diffunditur. (Hæc Communicatio quædam est.) Successiua autem fit specierum multiplicatio & diffusio. Vox igitur, quæ à me editur, & quæ est in aure tua, non est eadem numero.

Species est similitudo rei extensa per medium.

COMMVNICATIO IDIOMATVM.

1. Prædicatio, quæ *Communicatio Idiomatum* dicta est, à veteribus dicitur ἐναλλαγὴ ὀνομάτων, permutatio nominum, ἀντίζευξις ὀνομάτων, ἀντίδοσις, ἀλλοίωσις, id est, Reciprocatio & alternatio nominum.

Ab hac distinguitur κοινωνία πραγμάτων (rerum) qua quod vnius naturæ proprium est, attribuitur Personæ ab altera natura denominatæ.

Allæosis est nominum permutatio seu alternatio, seu mutua variatio.

Augustſerm. contr. Arian. c. 8. Talis est vnitas Personę Christi constãs ex vtraq; natura, vt vtralibet earum vocabulum alteri impertiat, & Diuina Humanę, & Humana Diuinæ. Prædicatio hæc realis dicitur & Personalis hoc sensu, ꝙ id, quod proprium est naturæ vnius, tribuitur re ipsa Personæ ab altera natura denominatæ. De hac egregia est sentẽtia Theol. P. M. Locutiones hæ, Verbum Diuinum loquitur, est visibile, Filius Hominis cum esset in terris, erat in cœlis; DEVS in vtero est complasmatus; Christo, quatenus vnus est, sunt proprię: & eędẽ non vicissim non sunt propriæ illi naturæ, quæ verbis exprimitur. Et: Cum dicimus: DEVS est crucifixus; etsi affigi cruci de Christo DEO, qua DEVS est, dici non potest. Et in cœlo esse, cum esset in terris, de Christo proprie dicitur: ac idem de Filio Hominis, qua erat Filius Hominis, non proprie dicitur.

2. Κατὰ ἀναλογίαν hæc alternatio etiam dicitur esse inter Partes Sacraměti propter vnionem Sacramentalem: vt corpus Domini iacet in mensa. Hic quod conuenit symbolo, tribuitur Rei significatæ, panis Eucharistiæ est salutaris: Hic quod rei est, transfertur ad symbolum.

3. Sunt qui has quoque Propositiones ad κοινωνίαν Idiomatũ referant: Deus est Homo, (Igitur creatura) Filius Mariæ est Deus, vt κοινωνία etiam Idiomatum sit, cum concretum vnius naturæ prędicatur de cõcreto alterius Naturę. Sed hoc ἀκύρως dicitur. Nam nec Dei, nec Filii Mariæ nomen est σημαντικὸν Idiomatis

Non proprie dicitur Homo esse Deus per

Idiomatis seu ἰδίας. Tam late aurem accepit Gabr. Biel in 3. punct. de Incarnat. Sic enim definit: Idiomatum cõmunicatio in Christo est mutua prædicatio concretorum vtriusque Naturæ de se inuicem & de nomine Suppositi in his subsistentis.

Sunt & qui idiomatum Communicationem dicant, cum quæ vtriusq; natutæ propria sunt, tribuuntur concreto, vel Humanæ Naturæ, vt: Homo Christus Mediator est Dominus, Rex noster, Iudex: vel Diuinæ, vt Deus redemit Ecclesiam. Sed hoc quoq; ἄτοπον. Nulla enim hic est communicatio proprietatum, sed synecdochice tota persona duntaxat vnius Naturæ nomine significatur, & Dominum esse, Redimere Ecclesiã, sunt *Axiomata* θεανδρικὰ (non ἰδιότητες aut operationes vnius naturæ.) Iidem faciunt Tertium quoque Genus Communicationis Idiomatum, cum assumptæ Carni attribuuntur summa dona, seu χαρίσματα, quibus in se est exornata, qualis est Sessio ad dextram Patris, summa & inenarrabilis potentia, scientia, sapientia.

Hoc ambiguum est, & explicationis indiget. Hæc enim sunt *Diuinissima Attributa* (quæ etiam singularia idiomata vocare licet) assumptæ Carnis: (non sunt Idiomata Deitatis seu θεότητος essentialia & vere Characteristica) *Gratias Habituales excellẽtissimas* vocãt Scholastici, quæ nõ conueniunt Carni Christi κατ' ἄλλο, id est, secundum aliud.

Adeatur Tribunal Criticum.

Syllog. 1. In communicatione Idiomatum non prædicatur actus personalis de subiecto.

Redimere Ecclesiam est actus personalis. Ergo cum dicitur, Filius Dei redemit Ecclesiam, non est exemplum Communicationis Idiomatum.

2. Vbi non est καὶ ἄλλο, ibi non est Idiomatum communicatio: seu, vbi est κοινωνία Idiomatum, ibi locum habet καὶ ἄλλο.

At hic, DEVS redimit nos, Anima Christi est summe sapiens, non habet locum καὶ ἄλλο (secundum Naturam Humanam.)

Ergo hæ propositiones non exhibent exempla Cõmunicationis Idiomatum.

Vltimo quidam etiam extenderũt phrasin Communicationis Idiomatum ad propositionem hanc: Maria Virgo fuit vera Mater a Filii Dei (scilicet secundũ Naturam Humanã.) Sed hæc proprie κοινωνία ἰδιωμάτων non est. Imo propria locutio est, quamuis secundum alteram tantum Naturam mater Christi esse intelligatur Maria: sicut hæc propria est: Homo est mortalis, nullaque hic Idiomatum communicatio, quamuis secundum animam rationalem homo mortalis non sit.

a *Vnde accepit Filius Dei esse Humanum.*

COMMVNE.

Commune primum est late patens.

Estq; commune vel omnium, vel aliquorum. Opponitur ei peculiare, propriũ, singulare, separatum. Ita à Cicerone dicitur: Neq; communium literarum & politioris humanitatis expers.

In Physicis dicitur sensus communis, qui est omnium.

In Logicis terminus communis, vt homo, qui non est proprius, vt Cato. Modus Syllogis. communis (cuius termini sunt communes) non proprius aut expositorius. In Philosoph. Communis opinio doctorum. In Philolog. cõmunis consuetudo loquẽdi, communis messis, communis vindemia, quæ accidit omnibus eodem fere tempore. Sic dicitur commune prouerbium.

2. Est contritum, vulgatum, vulgare, non egregium, vt commune Ingenium.

3. Est Respublica, vt Commune Siciliæ.

Communiter est 1. Promiscue vel vniuersè. Ei opponitur peculiariter, separatim & proprie. Hæc pericula his terris

communiter, & peculiariter huic loco & tractui ſtruunt. Promiſcue & communiter omnibus hoc datum eſt: ſeparatim autem,&c.

2. Eſt de communi ſententia; vt Edictum communiter compoſitum ſeu conſtitutum.

3. Scholaſticis Doctoribus (Ciceroniani enim ita non loquuntur) eſt Plerumque vel Regulariter. Sic dicunt: Communiter accidentia, quę plecumque ſeu vt plurimum, ſeu regulariter accidunt, non ſemper, gemeinglich.

Vſus.

Cicero ait de Finibus: Nos ita eſſe natos, vt communiter ad virtutes apti ſimus. Hic qnæritur, quomodo τὸ communiter ſit accipiendum? Reſp. Non plerumque, vt cum Logici Scholaſtici dicũt communiter accidentia, ſed pro promiſcue, einer mit dem andern.

Ex Boetio, Porphyrio, Ammonio, & Simplicio in Prædicam.

Commune dicitur 1. quod in partes ſectum à pluribus poſſidetur, vt Panis, prandium.

Vſu commune.

2. Quod citra diuiſionem poſſidetur, ſeu quod etſi diuidi nequit, in vſum tamẽ à multis ſumitur, vt equus, ſeruus.

3. Quod præoccupatione alicuius fit, & poſt vſum redit ad communitatem, & fit locus iterũ commune in atrio, theatrum, forum: aut manet proprium, vt ſpolia hoſtium militibus.

4. Quod ſimul participib. ex æquo capitur, ſeu quod totũ ſimul in vſum multorum cedit ſeu vertitur abſq; vlla diuiſione, vt vox præconis. Quarto modo accipitur in doctrina Prædicabiliũ.

Alex. de Ales.

Commune per ſe, contractum, effici poteſt proprium.

Ex Politicis Voc. COMMVNIS *explicatio.*

Commune in Politicis eſt illud, quod aptum eſt poſſideri ab omnibus vel multis, vel paucis; ſeu quod ita debet diſtribui, vt omnes vel aliqui eo fruantur.

Eſtque Commune ſimpliciter, vel aliquo modo.

Explicatio.

Cum ſine diuiſione omnes, vel certi aliqui homines in Repub. communi bono fruuntur, æqualiter ab iis poſſidetur. Et ſic commune & æqualiter poſſeſſum idem eſt. Cum vero diſtribuitur, æqualiter diſtribuitur: & ſic pariter diſtributum idem eſt atq; commune: ac omnino paritas fruitionis vel diſtributionis eadem eſt cum bonorũ communitate. Cum non eſt ex æquo diuidendum vel poſſidendum, apparet non eſſe *ſimpliciter commune, ſed aliquo modo*: & ita eſt PARITAS ſecundum ANALOGIAM, iudice Gualand. l. 6. de Polit.

Ἄλλως.

1. Commune (Κοινὸν) ſignificat id, in quo multa conueniunt.

2. Quod cum alio quocunque modo eſt coniunctum ac copulatum, & opponitur Διαιρετῶς, ἰδιαζόντι, καὶ ἀπεχομένως, teſte Baſilio, Homil. 8. in Hex.

3. Interdum eſt idem, quod vulgare vel promiſcuum.

4. Significat Pollutum, & opponitur Puro, καθαρῷ. Actor. 10. verſ. 15. Sic Weſthem. in collectan. trop. SS. Iudæi quod ſanctum purumq; non eſt, commune vocant, quod Latini profanum, impurũ, aut impollutum. Opponitur ei Sanctum & Deo dicatum.

HINC

Primo eſt *Communio*, Κοινωνία, cuius vocis præcipuæ ſignificationes ſunt duæ. Prima Tranſitiua ſeu Actiua: Altera Paſſiua ſeu Abſoluta.

Actiue ſignificat rerum inter ſe coniungendarũ, coadunandarum ſeu cõmunicãdarũ actũ, quæ nominatur vnitio,

Græce

Græce κοινώνησις. (copulandi actus) Ita κοινωνία Spiritus Sancti Paulo 1. Cor. 13. v. 13. est actio, qua sæpe nobis communicat se Spiritus ἐνεργητικῶς.

Passiua significatio est duplex: Accipitur enim vel pro cum alio vnione; seu, pro ipsarum rerum diuersarum coniunctione iam facta: vel pro huius coniunctionis & copulationis effecto & fructu.

Distinguendi causa ipse actus coniungẽs appellari potest ἕνωσις. Ipsa cõiunctio, consociatio seu copulatio facta κοινωνία. Cõmunio, ipse fructus, μετοχὴ seu μέτεξις, cõmunicatio seu participatio. Ita κοινωνία etiam sumitur pro Liberalitate vel Largitione beneficii: Hinc κοινωνικὸς Liberalis est. Item pro Dono ipso seure & Beneficio collato. Exẽpla cõmunionis pro Vnione crebra sunt apud Patres.

Athanasius ad Epictetum vocat κοινωνίαν ad Carnem ἕνωσιν.

Fulgentius ad Donat. In vna, inquit, Persona Christi est Diuinæ & Humanæ Naturæ communio, id est nexus.

In Chalcedonensi Concilio dictum est, Vnam naturam in Christo agere cum communione alterius, id est, vnã Naturam agere cum vnione alterius, seu, manentẽ vnitã cum altera eiusdẽ Christi Natura non seorsum subsistentem, ne propter diuersitatẽ propriarum operationũ diuersitas quoq; Suppositorum colligeretur: non autẽ participantẽ alteri⁹ essentialẽ proprietatẽ. Hinc & cõmunicari interdũ pro vniri accipitur.

Donum & Effectum, quod ex vnione & Cõmunione rerum oritur, est duplex: Propter istam communionem fit cõmunicatio aliqua inter res coniunctas, vel *Rei*, vel *Nominis*.

Rei Communicatio seu Reale Effectum & Donum est, cum qualitas aliqua ex vna re in alterã sibi coniunctã & vnitam defluit seu deriuatur (ita vt inhæreat) vt cũ vigor ex anima in corpus ipsum vnitum defluit. Huc pertinet carnis Christi πλυτισμὸς & κοινωνία χαρίτων seu donorum realis & habitualis.

Nominis est, cũ duntaxat appellatio, quæ vnius rei propria est, alteri ipsi coniunctæ propter eã vnionẽ tribuitur, vt cũ vxor viri cõsularis aut Senatorii vocatur fœmina consularis aut Senatoria, quæ tamẽ nullo Senatoris aut Consulis munere, aut illius parte fungitur.

Honoris cum hac Communicatio interdum coniuncta est.

Sic Basilius in Homil. de 40. Martyribus scribit, eos, etsi diuersis regionibus orti essent, tamẽ propter communem passionem, quam propter Christũ semel pertulerãt, cõmunes sibi mutuo fecisse & patres & matres, quæ eos tulerãt, Honoris nimirum Communicatione.

Sic Gregorius M. epist. 201. Quia quid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Bonum proximum etiam otioso commune est. Hic imputatio seu communicatio Honoris etiam intelligitur.

Primam autem illam κοινωνίας, id est, cõmunicationis speciem, quæ est rei participatio, nominant quidam μετοχὴν seu μέθεξιν, distinctionis gratia, quia qualitas hinc aliqua rei coniunctæ ab altera datur: Illam autem alteram, quæ est Honoris & Nominis, μετάδοσιν, communicationem, Appropriationẽ appellationis.

Appellationis seu ὀνόματος hæc Appropriatio si reciprocetur, appellatur ἀντίδοσις (interdum etiam περιχώρησις) ἀναλλαγὴ ὀνομάτων, ἐπίζευξις ὀνομάτων, κοινωνία ἰδιωμάτων seu nominũ, quę significant idiomata, seu ἰδιότητες, hoc est, proprietates, Reciproca Attributio, Alternatio, permutatio nominum, cõmunicatio proprietatum. Dicitur & τὸ ἀνάπαλιν, i. reciprocatio & ἀλλοίωσις, id est Attributio κατ' ἄλλο, vt Filius Dei est passus, Filij⁹ Hominis est absolute omnipotẽs, Creator Cœli & Terrę. Hæ respectu Naturarũ, Deitatis & Hu-

& Humanitatis dicuntur & ſunt nonnullis Verbales, (id eſt, ex eo, quod dicitur, Filius Mariæ eſt conditor Cœli & Terræ, ipſi Humanæ naturæ in Chriſto nulla realis acceſſit κοινωνία) ſed reſpectu Perſonæ dicuntur & ſunt Reales attributiones.

Secundo à κοινὸν & ποιέω eſt κοινοποίησις ſeu κοινοποιία, id eſt, vel *Operatio coniunctorum* ad Apoteleſma, id eſt, ad vnum opus ſeu effectum vtriuſq; commune, id eſt, quod opus ex actionibus coniunctorum communiter emergit: ſic Viuificatio, Sanctificatio eſt opus Totius Perſonæ Mediatoris: vel κοινωνία operationum.

In Theologia Chriſtus dicitur redemiſſe Eccleſiam ſuam. Hoc κοινοποιίας ſeu κοινοποιήσεως exemplum eſt (non κοινωνίας ἰδιοτήτων) quia effectum commune ſeu conueniens vtrique naturæ, tribuitur Perſonæ communi nomine, ſeu prædicatur de concreto vtriuſque naturæ. Redemit nos Tota perſona coniunctis, ſed diſtinctis ſingularum naturarum operationibus.

COMMVNITAS, COMMVNIO.

Κοινότητες, communitates ſeu conuenientiæ in Porphyrii Iſagoge opponuntur διαφοραῖς, id eſt, Differentiis.

Prædicabilia in quibuſdam conueniunt, in quibuſdam differunt.

In Rhetorica κοινότης eſt Figura ſententiæ, cum ab vno verbo omnes ſententiæ incipiunt, & in vno nouiſſime acquieſcunt. Rutil. Lup.

COMMVNIO.

Κοινωνίας vox interdum ſignificat vnionem ipſam; Sic vnio animę & corporis interdum dicitur communio: Interdum Communicationem ex vnione reſultantem: Interdum Societatem, collationem, συνεργείαν: Interdum eſt μεταβατικὴ, id eſt, quæ fit tranſitione, effuſione, transfuſione: Interdum eſt μεταδοτικὴ, id eſt, participatiua ſeu per effectũ. Ita creatura eſt κοινωνὸς θεοῦ.

Non igitur Deitatis idiomatum, ſed effectorum. Itaq; eſt abſoluta, vel ſecundum quid.

Vſus harum Diſtinct. in Sacris.

Communio Græce κοινωνία in lib. Nou. Teſtamenti ſæpe ſignificat Societatem, quam ideo Apoſtoli inſtituerunt, vt quiſque in commune conferret, quod ſanctis Hieroſolymis mitteretur. Sic Rom. c. 15. & 2. Cor. 8. collationem hanc, quę per Eccleſias fiebat pro ſanctis Hieroſolymis agentibus, κοινωνίαν vocat, hoc eſt Societatem, quod in commune, vti in qualibet Societate fieri ſolet, contulerint, qnod Sanctis mitterent. Sic enim ad Rom. ſcribit: Placuit Macedoniæ & Achaiæ κοινωνίαν quandam facere in pauperes Sanctos, qui ſunt Hieroſolymis. Hic non quadrat legere Diſtributionem, conuenerant ſiquidem, vt in commune conferrent, non vt diſtribuerent: Hieroſolymis ea diſtribuebantur, in Macedonia & Achaia colligebantur. Sic ad Corinth. obſecrarunt vos, vt beneficium κοινωνίαν miniſterii in Sanctis ſuſciperemus. Gal. 2. ſcribit Paulus Petrum, Iacobum & Iohannem dediſſe ſibi & Barnabæ dexteras κοινωνίας, Societatis. Sic & 1. Ioh. 1. cogentibus circumſtantiis aliud nihil eſt, quam communio, familiaritas, amicitia & ſocietas. Vide Barthol. Weſtemerũ pag. 111.

Apud Paulum cum dicitur Panis fractio eſſe κοινωνία corporis Domini, κοινωνία tria ſignificat. 1. cõmunẽ oblationẽ. 2. communem vnionem (cum corpore Chriſti vt victimæ) 3. cõmunia effecta, quæ illa priora conſequuntur.

Prima pars κοινωνίας cum corpore & ſanguine Chriſti eſt, quod donatione Dei gratuita corporis & ſanguinis Chriſti victima cõmuniter pro omnibus,

bus, qui infidelitate eam non reiiciũt, est oblata, ideoque communiter ad nos pertinet.

2. Vnio cum illa victima communis omnibus membris per communem omnibus datum ſpiritũ, vt ſub vno capite in idem corpus coaleſcant. Vnus panis, inquit Apoſtolus, vnum corpus multi ſumus, quia omnes vnius panis participes ſumus. Mandato enim cõmuniter edendi de vno pane, & de vno poculo bibendi, vnius huius promiſſio incluſa eſt.

3. Communia effecta, quæ ex vnica oblatione communiter pro omnibus facta, & communi erga omnes fideles victimæ illius applicatione, ſeu vnione per communẽ ſpiritum neceſſario ſequuntur, qualia ſunt: Iuſtificatio omnium membrorum & glorificatio. Rom. 8. v. 29. 30. Gaſp. Oleuian. lib. de ſubſt. fœderis.

15. cap. Rom. & 2. Cor. 8. & 13. Hebr. ſignificat collectionem beneficam ſeu liberalem, vel eleemoſynam.

Communio Analogica ea dicitur, cum quid multis communiter tribuitur propter ſimilitudinẽ. Ita nomen Dei eſt commune Deo & hominibus iis, qui in ſacris literis ob iudicãdi munus aut gratiam, qua Deo ſimiles ſunt, vocantur Dij. Ita nomen Ciceronis communicatur Eloquentibus, Iobi patientibus. Dicitur & *Conuenientia Analogica.* Eſtque ſecundum quid conuenientia.

De ea Canon hic eſt: Propria quæ vni inhærent ſubiecto per ſe, aptantur ſeu accõmodantur alij ſubiecto per ſimilitudinem ſeu proportionẽ quandã, vt magnitudines propriæ ſunt quadratorum: At Arithmeticus vocat numeros vel quadratos, vel altera parte longiores, Analogice.

Opponitur ei Communio ſeu Conuenientia Vniuoca, quæ ſimpliciter conuenientia eſt: & Æquiuoca, (intell. pure ſeu mere æquiuoc.)

Communio Vniuoca eſt Communio Eſſentiæ, ſeu ſecundum eſſentiam: ideo Eſſentialis dicitur. Talis intercedit inter Hominem & animal Brutum. Inter Iohannem & Petrum conuenientia eſt in ſpecifica eſſentiæ ratione.

Communio pure æquiuoca eſt tantũ nominis conuenientia, ac dici poteſt fortuita, qualis eſt inter Gallum populũ, & gallum animal. Hæc Æquiuocatio Omnimoda & Pura dicitur.

Scholaſticorum Diſtinctio hæc eſt.

Communitas eſt vel alicuius abſtracti ſecundum rationem; vel per identitatẽ eius, quod eſt commune, & eorũ, quibus eſt commune. Prior eſt ordinaria: poſterior eſt extraordinaria & ſingularis, ac prorſus μυσυειώδης.

Communitas illa, quę eſt in Naturalibus, eſt communitas alicuius abſtracti κατὰ λόγον, vt Humanitas, Humanitatis Petri & Humanitatis Iacobi.

Sed communitas, quæ eſt in Diuinis, eſt communitas per identitatẽ eius, quod eſt commune (id eſt Eſſentiæ) & eorũ, quibus eſt commune (id eſt perſonarum.) Itaque non oportet nos quęrere in diuinis ſingularitatem rei cõmunis, quaſi abſtractam ab ipſis Perſonis, ſeu vt loquitur Barbariuſcule Scholaſticus, ſingularitatem in illo cõmuni abſtrahendo ab his perſonis identificatis in illo. Georg. de Valentia contra Caietanum Cardinalem.

Præter has Communiones ſeu Communitates eſt CIVILIS ſeu Politica inſignis & ſalutaris illa, quæ SOCIETATI affinis eſt.

Affinis, inquam, quia ſi termini accipiantur proprie & exquiſite Societas à cõmunitate & communione differt. Nã communitas eſt aptitudo ſeu principium, quo prædita ſunt apta, vt ab omnibus vel multis poſſideantur: Quia commune eſt, quod aptũ eſt poſſideri ab omnibus vel multis (ab Vniuerſitate, à collegio, à domo.) *Eſt igitur*

t. Sig.

Abſtractũ definitur concreto.

communitas vnio vel vnitas bonorum possidendorum, quæ vni societati deseruiunt. *Societas autem est vnio eorum, qui possident* (non bonorum est, sed possidentium vnio.) *Communio est actus* seu motus, quo bona communia efficiuntur. Actus vero, quo socij sunt, non est circa bona, sed circa voluntates.

2. Sed accidit vt communitas pro societate ponatur, ac societas pro communitate bonorum propter mutuam relationem: quanquam hæc proprie ad actiua tantum principia refertur, eorumq; vnio esse videtur: Communitas vero quorumcunq; vnitorum vnitas videri potest: & idem fortasse de communione dicendum. Societas quoque vt dicitur vnio, ita etiam potest dici Communio. Proprie autem cum dicimus, nos in re aliqua potiunda habere socium, (κοινωνὸν Græc.) ipsam inter nos affirmamus esse communem (κοινὴν,) cum socius idem ac æque possessor esse videatur. Adouard. Gualand. lib. 6. de facultat. Ciuil. cap. 6. Cicero sane communionem, communitatem & societatem in vna eademque significatione sæpe accipit. Require exempla ex Nizolio.

Communis vita, communis conuictus.

Vita conuictusq; communis, vt loquitur Cicero in Ethicis suis, hoc est, officiis, Græcis est συμβίωσις, quæ vox duo συμβίωσις significat. 1. Habitationem in iisdem *quid.* ædibus & mensæ communitatem. Ita dicitur: fuit meus quondam conuictor. 2. familiaritatem & crebros cõgressus. Sic Hieronym. Wolffius potius intelligendum vult locum Cicer. Vita victusq; communis, consilia, sermones in amicitia vigent maxime.

COMMVNICARI.

Communicari potest alteri aliquid
- Superius (seu communius Natura) sic: Persona seu ratio Personæ est communis personis singularibus.
- Subiectum formæ.
- Supposita multa communicant se formis accidentalibus.
- Subsistens ἀνυπόστατον. — Ita suppositum non est Incommunicabile.
- Forma subiecto. } Sic suppositum est Incommunicabile.
- Pars Toti
- Independens dependenti, Radians Opaco, vt Ignis communicat suum fulgorem terræ.

Hinc apparet interdum esse mutuã communicationem. Quo etiam factum, vt doctissimi quique diuidant communicationem in mutuam, & non mutuam.

His modis continetur etiam Communicatio Potentiæ & actus: de qua axioma est: *Potentiæ* (quæ sunt propietates orientes per modum cuiusdam naturalis consecutionis ab ipsis naturis) *communicãtur indiuiduis per naturas communes*, (quæ generantur in suis indiuiduis, in quibus includũtur) Actus autẽ naturis communibus per indiuidua. *Declaratio partis Tabell. de subsistente.*

Scholasticorum, qui inter existentiam & subsistentiam Naturę distinguunt, hęc sunt axiomata.

Subsistentia diuina potest alteri communicari, vt per eam aliena Natura subsistat,

sistat, vt λόγῳ subsistentia Carni, quæ assumitur, communicatur.

Subsistentia Creata non potest alienæ naturæ communicari, ita vt supponsitetur, id est, vt per eam subsistat. Thom. Aquin. 3. part. quæst. 3. art. 1.

Existentia vnius rei nō potest alteri communicari, quia est purus modus illi proprius & intestinus seu internus.

Quæritur: potius ne partes Toti, an Totū partibus existentiam communicet? Resp. Prius affirmo, quia partes sunt causæ totius.

De Differentia inter Communicationem & Communionem.

Quidam inter hæc distinguunt ita εὐλόγως, vt communicatio actionem aliquam aut motum significet. Communio autem id, quod post actionem illam aut motum relinquitur; vt communicatio fit, qua quispiam sua facit alteri communia. Communio autem fit χέσις seu respectus quidam rerum earum, quæ eædem iam in pluribus communiter insint.

Nonnunquam tamen Communio pro Communicatione à doctissimis quibusq; Philosophis vsurpatur, vt Generatio (viuentium) est prima alicuius animæ cum calore communio (ex Aristot. l. de Spiratione, Nico. Leonicenus) id est, participatio seu communicatio, vt interpretati sunt Leonicenus & Zabarella, quia Generans communicat aliquid de sua anima nutritiua, quatenus exhibet semen animatum, hoc est, præditum vitali facultate, quæ eadem in generāte erat; sed simul largitur & communicat aliquid de sua materia, seu portionem suæ materiæ, quia forma non potest migrare de materia in materiam.

Modi Communicationis animæ.

Anima communicat se corpori. 1. Per vnionem, id est, vniens se corpori, non autem corpus efficiens animam.

2. Per informationem, id est, corpus faciēs animatum, vigens, sentiens, quia horum ratione inest corpori tanquam forma subiecto: sed non faciens corpus intelligens & volens, quia hisce potentiis nullam corporis partem informat.

3. Per operationem, id est, agens per corpus, quæ corpori conueniunt, & quorum instrumentum idoneum est corpus. Nam quæ non apta sunt, vt fiant per instrumentum corporeum, vt intelligere & velle, in corpore quidem sunt; sed ea non efficit per corpus. Sic Thom. quæst. 11. de anima. Anima humana quia excedit corporis capacitatem, remanet ei virtus ad operandum quædam sine communicatione corporis; vt velle & intelligere. Hi enim non sunt actus alicuius organi corporei. (quam sententiam qui lancinant, parum mihi videntur esse sobrii.)

Filius Dei communicat se carni

1. Per vnionem, vniens se carni, ita vt Dei caro fit; at non per informationem, quia non est forma Humanitatis, sed informatrix: Ideo non facit carnem Deum omnipotentem.

2. Per operationem & vnctionem 1. agēs vna cum Deitate, quę ipsi propria sunt, per assumptam carnem, quæ carni cōueniunt, vt organo: quæ autem per carnem fieri nequeunt, operans tantum cum & in carne.

2. Ornans carnem donis perfectionis singularibus, ac diuinissimis, quæ in ea sunt re ipsa, vt in Subiecto.

Communicatio sumitur
- *Actiue* seu Transitiue respectu exhibitionis seu Largitionis ipsius communicantis, quia quid alteri subiecto tribuitur: Dicitur hæc μετοχὴ; sic nihil potest alteri communicari, quin ingrediatur suum subiectum & fiat commune.
- *Intransitiue*, & significat Copulationem cum altero, quæ appellatur συνδύασις. Sic propria dicuntur communicari.
- *Effectiue*, id est, effecta ab ipsis propriis producta & alteri communicata.

Quod alteri subiectiue communicatur, seu per μετοχὴν, fit commune.

COMMVNICATI
Natura in Politicis.

Cuiusque proprium potest communicari: sed communicatum amplius proprium non est, sed proprium fuit, Lib. 2. de Rerum Diuis. tit. 1. de commixtione. Quod si frumentum Titii frumento tuo mistum fuerit, siquidem voluntate vestra commune est, quia singula corpora, id est, singula grana quæcunque propria FVERVNT, consensu vestro *communicata* sunt, id est, Communia *facta*.

COMMVNICABILE,
Incommunicabile.

Communicabile è Relatis est, id est, respectu alterius dicitur communicabile, vt Materia respectu Formæ, & Genus ratione differentię. Ita & contrarium Incommunicabile.

Proprium principiorum est, vt sint καθόλου & communicabilia, vt intellectus gratia dicantur esse.

Incommunicabile (vnum) ex communicabilibus (multis) constituitur. Sic vna Species Incommunicabilis ex partibus Definitionis communicabilibus conflatur seu constituitur. Sic Schegkius 6. Topic. loc. 12. Vno Definitivocabulo vna & incommunicabilis essentia significatur, sed partibus Definitionis omnibus res communicabiles significantibus & speciem vnam incommunicabilem constitutibus tota completur & perficitur Definitio.

Communicabiles definitionis partes dicuntut, & quia earum communicatione cõstituitur incommunicabilis quædam species, & quia vt vniuersalia quędam prædicari possunt de multis numero & specie differentibus.

Singularia sunt ἀκοινώνητα, id est, incommunicabilia. Sic Schegk. eod. loc. Duntaxat quæ extra intellectum sunt, & singularia sunt, & incommunicabilia, id est, alii nulli communicari possunt.

I. Schegkio incommunicabile est à se dependens, non accipiens ab alio. Cõmunicabile contra. In libello de Persona Christi pag. 26. Natura Diuina in Christo terminat dependentiam naturæ humanæ, qua est Hypostaticum quiddam & incommunicabile se ipso existens, nõ ab alio accipiens, quo fiat Hypostasis & Persona, quemadmodum natura alio quodam determinatur, & non seipsa est Hypostasis, cuiusmodi in Diuinis est proprietas seu differentia Personalis. Itaque Differentia Hypostatica Verbi est ratio terminandi dependentiam hypostaticam Naturæ Humanæ, & non essentia Diuinitatis.

Et paulo post: Persona Verbi terminat Hypostaticum esse naturæ Humanæ assumptæ, quæ Humanitas suapte natura communicabilis est, quia scilicet

est

est pars quodam modo incommunicabilis Personæ Christi.

Communicabile etiam Scholastici distinguunt in communicabile cum Diuisione, & communicabile sine Diuisione seu indiuisibile. Sic dicunt Naturam diuinam esse communicabilem sine diuisione. Scot. l. 1. dist. 11.

Idem communicabile faciunt vel per Identitatem, vel per Informationem. Communicabile dicitur aliquid *per Identitatem* seu ταυτότητα, ita vt illud, cui communicatur, sit Ipsum: *per Informationem* vero, ita vt illud, cui communicatur, sit Ipso, non Ipsum.

Exemplum & Vsus.

Primo modo communicatur Vniuersale Singulari.

Secundo modo Forma Materiæ. Natura quælibet καθ' ἑαυτὸ est communicabilis vtroque modo, nempe primum pluribus suppositis, quorum quodlibet sit Ipsum. Secundo vt Quo, tanquam forma, qua Singulare vel Suppositum sit Ens quidditatiue, vel habens Naturam, vt ait Scotus ibidem.

Iam procedendo à Genere ad speciem, Natura quælibet est communicabilis pluribus per Identitatem: Ergo & Natura diuina. Sed hæc non est diuisibilis. Ergo communicabilis est sine diuisione. Possunt igitur simul consistere, VNITAS Diuinæ Essentiæ, & PLVRALITAS Personarum.

Natura Diuina est perfectio pluribus communicabilis.

Communicatiuum.

Communicatiuum & Diffusiuum sui Bonum } sub Genere *causæ*

- *Finalis*; quatenus allicit appetitum motione tralatitia.
- *Efficientis*; quatenus aliud quippiam efficit, vt Lux lucem.
- *Formalis*, vt sese alteri tribuit seu communicat ipsum perficiendo (actuando dicunt Barbari) quomodo forma se materiæ cõmunicat. *Huic modo affinis est*, & ad eum reducitur ea communicatio, qua in mysterio Incarnationis Personalitas Filii Humanitati assumptæ diuinitus tributa est.
- *Materialis* vel subiectiuæ, prout se alteri dat fouendo & sustinendo illud: Quæ Causalitas est propria materiæ respectu Formæ, & subiecti respectu accidentium, quæ recipit.

Huic modo affinis] Ergo sub Genere causæ formalis Vere vel Quasi, id est, inducentis aliquam formæ seu actus speciem.

Cœli præ se ferrent ipsius æternitatis imaginem.

Non communicatum esse cum corpore.

Proprium Animæ esse & Incommunicatum esse cum corpore, seu non commune esse corpori cum anima, idem sunt, vel hoc ex illo sequitur.

Proprium est Animæ, Ergo non est com-

Itaque Sapientum finis Sapientiæ Communicatio, Et: Hominem voluit Deus optimus participem facere suæ Sapientiæ & similem sui. Et hoc iussit æui Dominus Optimus, vt sui isti vicarii

municatum cum corpore, non est cõmune corpori cum anima. Sic Zabarell. ad locum Arist. 1. de anima context. 3. Accidentium circa animam alia propriæ passiones videntur, alia autem communes,& animalibus propter illam inesse.

Hic Græci Interpretes, Latini & Auerroes dicunt duo genera operationum animæ significari, & alias quidem esse proprias animæ, id est, non communicatas cum corpore, quia fiunt sine vllo corporis interuentu, cuiusmodi est operatio Intellectus : Alias vero communes,id est, cum corpore communicatas, nec sine ipso editas, cuiusmodi sunt omnes operationes animæ vegetalis & sensibilis. Hæ namque produci non possunt sine corporis vsu.

Communicari cum corpore Zabarellæ est non esse propriam animæ. Communicatur, inquit, cum corpore sensio;Seusio est communis operatio;Igitur non est propria animæ.

Zabarellæ idem possunt, Operationes animæ communes esse, cum corpore fieri,communicari cum corpore,pendere à corpore, vt materia sensili, seu à corporis organis (siue propriis,siue alienis, id est, aliarum facultatum & partium animæ.)

Idem Zabar. Modus considerandi cuiusque scientiæ proprius est, nec potest cum alia communicari. 1. post. analyt.

INCOMMVNICABILITAS.

Incommunicabilitas est negatio potentiæ communicationis. Non potest intelligi materia propria indiuidui incommunicabilis, ait Caietanus in 2. Thom. de Ente.

Incommunicabilitas autem vel opponitur communicationi Formæ ; aut opponitur communicationi Reali. κοινωνία illa Formæ primo conuenit Materiæ. At communicatio Realis alii composito non conuenit. Vide Caietan. in 2. c. de Ente. Thom. Aquin.

Huc pertinet ἀκοινώνητος, κοινωνία illa plane ἀμέτρου ἀταξίας, quę generis humani societatem confundit, communitas Vxorum & Liberorum in Repub. Ea est vt ἀσύμφωνος συμφωνία. De ea habes apud Platonem 5. de Rep. & apud Arist. in Polit. qui eam reprehendit vt ἀσύστατον cum veris principiis : ait enim non esse συμβαίνουσαν ἐκ τῶν λόγων.

Nomen communicabile
- Proprie, quod secundum totam significationem nominis est multis communicabile, vt nomen Leo omnibus, in quibus Leonitas inuenitur.
- Per similitudinem, quod est communicabile secundum aliquid eorum, quæ includuntur in nominis significatione, vt nomen Leo iis, quæ participant quid Leoninum, vt fortitudinem.

Natura communicabilis
- Secundum rem & rationem.
- Secundum rationem tantum, secundum opinionem, secundum similitudinis participationem.

Natura Diuina non est communicabilis multis, secundum rem & naturam, sed secundum ὑπόληψιν eorum, qui ponunt multos Deos, & similitudinis participationem.

Natura Humana est communis multis secun-

secundum rem & rationem. Natura solis secundum rem tantum.

COMMVTATIO, συμμεταβολή.

Commutari interdum est idem, quod mutari, & commutare est mutare, vt vitam cum morte commutare. Interdum idem quod conuerti & transire in aliud, vt alimentum mutatur seu cõmutatur, id est, conuertitur in alitum, nec manet illud alimentum in sua natura.

Recentiores Ciceroniani pro alteratione seu ἀλλοιώσει dicunt Cõmutationem, vt cum ex frigido fit calidum, sed vt censet recte Scaliger, multæ dari possunt commutationes, quæ non fiunt ἀλλοιώσεις. Nam & in adolescente magnitudinis est commutatio, & in sedibus, locis, possessionibus, dominiis.

- Commutatio fit
  - Τῇ φύσει.
  - Τῇ θέσει, Instituto hominum
    - Rerum cum rebus, vt vini cum oleo. Hæc simpliciter naturalis & legitima.
    - Rerum pro pecunia. Hæc considerantur
      - Inchoatiue. Ita naturalis est.
      - Perfectiue. Ita artificialis est seu Politica.
    - Pecuniarum cum pecunia. Hæc Aristoteli in ciuitate est intolerabilis.

COMOEDIA.

Comœdia deducitur à κῶμος & ᾠδὴ, id est, à comessatione & cantu: Quia primum inter conuiuia actiones Comicæ vsurpari cœperunt, ideoq; hilaritatis causa institutæ ac susceptæ. Comœdia est drama priuatarum & publicarum Personarum mores, actiones & Fortunam sine tristi fine comprehendens.

Triplex est ex distinctione Græcorum: Vetus, media & noua.

Vetus primum ad risum captandum fuit composita: postea sic instituta fuit, vt natuaret operam disciplinæ publicæ, & quasi flagellum publicum fieret, quo improbi cæderentur. Nam qui male se gerebant, vel in publicis muneribus administrandis, vel in priuata vita & motibus gubernandis, eos Poetæ Comici publice versibus suis insectabantur in proscenio, idque nominibus etiam expressis, & personis seu laruis effictis, quæ Græcis sunt προσωπεῖα & προσώπια, quibus facies eius, qui introducebatur, ita repræsentata fuit, quasi ipse cotam adesset; statim scilicet de larua agnoscebatur à Theatro, quẽ Comicus introduceret, antequam histrio vllum verbum faceret.

Media huic successit. Etsi enim populus Athenienſis Comœdos tales libertate ista vtentes & abutentes non tantum tulit, sed & defendit, quamdiu δημοκρατία salua fuit: Tamen cum paulatim populi potentia minui cœpit, & δημοκρατία labefactari, ad paucorum dominatum res redigi, quæ est ὀλιγαρχία, & intolerabili iam in insectando licentia Poetæ vterentur, sine illis etiam iocorum veluti condimentis, aut allusionum inuolucris, sed apertissime & nudo veluti capite (sicut est in prouerbio Græco) in eos, quos exagitabant, incurrerent, imo multis innocentibus iniuriam facerent: Tum igitur factum, hoc est, vt ad

Status popularis.

Vt Socrati.

iudices accusare Poetas incipèrent ii, qui ab his in Comœdiis infamabãtur. Quare decreta facta fuere, vt pauperes tantum & ex vulgo homines exagitare Comicis liceret, postea aliorum Tragicorum & Comicorũ, imo quorumlibet Poetarum veterum & recentiorũ elaborationes & fabulas ad exagitandum sibi sumpserunt. Hæc insectatio fuit minus odiosa, cum quisq; mallet Poetas ipsos inter se committi, & eos, qui non amplius in viuis essent, rideri, quam in se Comicorum dicacitatem exerceri.

Noua sub Alexandro florere cœpit, cuius ætas Oligarchiam subsecuta est. Ea fuit adstrictior certis legibus, tam ad argumenta, quã ad dictionem. Non enim ridicula in ea dramata, vt ex qualibet materia vsum captaret, nõ fabricabat vocabula noua ad risum aut cauillum. Erat apud Græcos populari sermone, de medio sumpto propior, nec excurrebat ad alios versus, solis Iambicis aut Trochaicis contenta. In vetere multas carminum species videmus. Scal. l. 1. Poetic. cap. 7. Exempla vide apud Zuingerum in Theatr. vol. 2. l. 3. pag. 173.

Vsus, finis, itemque effectus.

Comœdia est speculum humanæ vitæ, eiusque magistra. Itaque Ethicæ doctrinæ inseruit. Proponunt enim Comici exempla bona & mala: illa, vt alliciant ad virtutem capessendam; hæc, vt à vitiis deterreant. Hunc finem Terentius indicat in Adelphis, vbi Demea commemorat, qua ratione educet suum filium, & iubet inspicere aliorum vitas, suamque peractam ex aliorum erratis corrigere.

Effectus igitur morum est conformatio, & vitæ emendatio.

COMPACTIO.

Compactio proprie significat cõiunctionem plurium partium per ligamentum aliquod. Estque Naturalis, de qua in Anatomicis & Meteorologicis: vel Artificiosa, vt quæ fit per clauos.

Compactio etiam est humorum seu ὑγρῶν quorundam coniunctio: Sic Plato in Timæo. Aqua quædam fluida est (ῥυτὸν ὕδωρ) quædam congelata (πακτὸν) vt Nix, Grando, Glacies. Humor autem alius est Humidus (ὑγρόν τε τὸ μὲν ῥυτὸν) vt mel, oleum: alius compactus, (τὸ δὲ πακτὸν) vt pix, cera. Compacti vero species alia fusilis (χυτὸν) vt aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, ferri defecati genus, quod σαγὸν vocatur: Alia fragilis (θραυστὸν) vt sulphur, bitumen, nitrum, sal, alumen, & lapides eiusdem generis.

Accipitur & Metaphorice pro Adunatione alicuius agminis in vno affectu conquiescente in DEO; vt in Dionys. Cœlestis Hierarchiæ versione.

COMPARATIO.

1. Accipitur generaliter pro aliquorum inter se collatione. Cicero vocat contentionem. Ita fit non tantum quantitatis, sed & qualitatis ratione.
2. Specialiter, vt sit Æqualis, vel Inæqualis, id est, Maior vel Minor, vt si parium, vel imparium. Comparatio maior est, cum ei, quod minus est, id quod maius est, comparatur. Boet. Minor, cum minora maioribus comparantur.

Comparatio parium est, cum paria inter se comparantur. Boet. in Top. Huc pertinent Regulæ: comparabilia dicũtur esse vniuoca in eo, in quo cõparãtur. Comparatio fit inter ea, quæ sunt

ciuf-

eiusdem speciei. Simplicius. Comparationē non habent inter se, quæ non communicant in eadem natura. Auerroes.

Comparare in Geometria est applicare, Græce παραβάλλειν. Cum datum spatium toti rectæ datæ applicatur, tum spatium illud dicitur comparari. At si spatium data recta minus sit, tum dicitur deficere, (ἐκλείπειν) si maius sit, excedere (ὑπερβάλλειν) dicitur. Sic παραβολὴ, ὑπερβολὴ, ἔλλειψις veteribus Geometris sunt nomina planorum datæ rectæ æqualiter vel inæqualiter (hoc dicunt vtlibet) applicatorum & comparatorum. Vid. Ram. Geometr. & quæst. Geometr. Thom. Freigij, & Proclum inprimis.

In Politicis Comparabilia dicuntur esse debere omnia, ex quibus fit permutatio, vt minus.

Comparatiua Problemata dicuntur problemata dubia vel ambigua, quæ fiunt per comparationem, & opponuntur quæstionibus simplicibus: vt, vtrum insomnia est ex cerebri siccitate seu calore nimio, an ex cruditate in ventriculo non edente halitus somno vtiles?

COMPARATA, Collata.

Comparata generali significatione dicuntur, quæ inter se comparantur. P. Ram. Si de Argumentis Logic. intelligas, sunt, quæ arguunt vi comparationis.

Quæ inter se conferuntur seu comparantur, sunt

- Paria, ὁμοίως ὑπάρχοντα; Aristoteli, quæ æque insunt vel sunt. Hæc sunt quibusdam comparata in specie dicta.
- Imparia, ἀνομοίως ὑπάρχοντα, quæ non æque.
- Similia
  - ὡσαύτως ἔχοντα, quæ eodem modo se habent. — Aristoteli simpliciter similia.
  - ὁμοίως ἔχοντα, similiter se habentia, — Aristoteli Analoga seu proportionalia.
- Dissimilia, diuerso modo, vel dissimiliter se habentia.

Æque sunt] Æque canis est animal atque homo. Essentia non recipit magis & minus: non suscipit ἐπίδοσιν. Et species eiusdem generis non differunt quoad essentiam.

Æque insunt] Æque virtus laudem, atque vitium vituperationem meretur.

Non æque] efficere sanitatem & morbum, non æque conueniunt Medico: sed illud magis, hoc minus. Imparia suscipiunt ἐπίδοσιν, seu magis & minus.

ὡσαύτως] Cum duo cōuenire dicimus in vno tertio, vel vnum se similiter habere ad duo alia.

ὁμοίως ἔχοντα] Inter quæ est proportio: cum duo duobus conferuntur in aliquo: vt sicut se habet Sol ad mundum; sic cor ad animale: vt se habet Nauta ad nauim, sic princeps ad Rempublicam: vt se habet sanitas ad corpus, sic virtus ad animum. At sanitas est corporis perfectio. Ergo virtus est perfectio animi. *Analogismus.*

Peripatetici Logici Comparata angustius accipiunt, vt ijs subijciant tantum Paria & Imparia.

COMPATI, συμπάσχειν, CONDOLERE.

Compati Barbarorum Philosophorum est simul pati, seu affici, participem esse vel fieri doloris. Fulgentius: Deus non est compassus Homini, id est, non persensit passionem cum carne diuinitas, ὁ λόγος non est simul passus cum humana natura, vt passio etiam attigerit eius Deitatem, quia tum vna esset Deitatis & Humanitatis Natura, nempe patibilis. Sicut si anima commoreretur corpori, id est, moreretur cum corpore, vna esset natura animæ & corporis in homine.

Græco συμπαθεῖν opponitur ἀνλιπαθεῖν, quo diffidium significatur.

Συμπαθεῖν est vel ex cohærentia seu coniunctione, vel ex necessitudine aut amicitia.

Συμπάσχειν seu compati, vt Barbari loquuntur, est vel sine sensu, vt videre est in Herculeo lapide & ferro: vel cum sensu, vt in animante. Nam πάθος affectum omnem significat, sine sensu etiam. Eleganter & vere Græci dicunt, ἀσυμπαθεῖς θηριώδεις, quod non afficitur commiseratione, vel sensu alterius mali, est ferinum.

Latinis autem Condolere & Condolescere idem sunt quod dolore affici. Non dicunt condolere alicui, sed affici alicuius casu, sensu infirmitatis alicuius, communem cum aliquo capere dolorem, misericordia alicuius commoueri: Et pro Barbarorum Compatientia, dicunt; Societas ægritudinis.

Distinctio.

Compatitur aliquid secundum se ipsum: vel referendo ad se ipsum, & suum faciendo. Gerlas. Episcop. in libr. de duabus Naturis in Christo. Apostolus dixit; Carne passum, non Deitate, cum tamen ipsa Deitas totum suum faciat, quicquid Caro perpessa est: sicut & Filius hominis suum habet Totum, quicquid est Dei, & sub vna Persona merito vnus atque idem dicitur pati, quicquid vt Deus Homo patitur, non infirmitate & conditione passibili, sed dignatione suam faciens passionis iniuriam adunatione particeps, sed sine passibilitate compatiens, sicut vnus idemque virtutes operatur, quicquid vt Homo Deus operatur.

Misericordia in homine rationis vel humanitatis affectus est laudabilis: Cum in aduersis bono opem ferre non potest, eius miseriæ & calamitatis fit *quasi particeps*. Hoc est συμπάσχειν.

COMPILARE.

Compilare accipitur in bonam & malam partem. In malam, vt: compilare prouinciam, oppidum, publica sacra, Rempublicam, fana, scientiam aliorum. Sic expilare socios, regem, armarium, alienam hæreditatem, id est, atrociter seu improbe spoliare. Et compilare, id est, furari aliorum scripta inuentaque; nomina vel testimonia bonorum autorum inducere.

In bonam, vt Compilare Leges & iura, id est, in vnum volumen cogere seu redigere.

Vox autem est non à pilus i breui: sed à pilum (telum intelligo) prima longa. Compilatores sunt improbi spoliatores, ne pilum quidem relinquentes in spoliatorum corpore. Vid. Lexic. Iur. Calu.

Oppilare Physicis est obstruere, vt oppilatio Epatis, id est, obstructio.

COMPLICENTIA.

Complicentia Scholasticorum Barb. vox est pro approbatione quadam. Quibusdam definita est, Quies voluntatis in re volita: vt displicentia motus cordis auersantis aliquid cum dolore aliquo.

In habentibus cognitionem necessitatis, violentiæ

violentiæ,& coactionis est cum displicentia. Armand. tract.2.de necessitate & conting.c.248.

Complacentiæ amor dicitur à Scholast. cum amans vult amato bonum præsens & habitum. Bonum cum absens est & non habitum, ab ijs dicitur Amor desiderij & optationis.

Vterque autem Amor (& Complac. & desiderij) est amor Beneuolentiæ, quem distinguunt ab Amore concupiscentiæ,quo res amatur non ratione rei amatæ,sed ratione amantis, & qua est ipsi vtilis vel iucunda. Sic amo vinum,equum benefactorẽ.Hic amatur res non propter sese, sed propter amantem. Armand. tract. 2. d. 1. spec. qualit.cap.84.

COMPLEMENTVM.

Complementum, συμπλήρωμα, id quo aliquid perficitur.

Estque Essentiale,vel Accidentale.Essentiale, quod ad essentiæ, qua essentia, perfectionem attinet, vt Forma substantialis.

Accidentale est accidens rei inhærens, quo res exornatur & perficitur, vt scientia & Gratia intelligentis naturæ sunt complement. accident.

Accidentale est Naturale, vel Supernaturale.

Vsus.

Bonauentura Lucem ait accipi dupliciter: Vno modo pro forma substantiali,quæ det esse corpori lucido, à quo luminosum corpus præcipue sit actiuum.Ita Lux complementum est substantiale.

Altero modo pro fulgore, qui fit circa corpus luminosum, & consequitur existentiam lucis in tali materia,quod sit obiectum sensus & operationis instrumentum: Ita Lux est complementum Accidentale.

Aristoteles πλήρωμα in Politic. 3.libr.accipit pro iusto numero seu iusta plenitudine, vt πλήρωμα παραχθῆναι πόλεως, id est, implere iustum numerum ciuitatis. 2.Polit.accipit pro supplemento, vt πληρώματος πόλεως παρέχονται, id est, in ciues assumuntur ad ciuitatis supplementum.

Oratores vocant Rythmorũ πληρώματα, quæ orationis numeros cõplent. Cic. de Orat. Inculcata reperias, inaniaq; verba,quasi complementa numerorũ.

Πλήρωμα interdum etiam significat supplementum. Erraueris enim, si putes supplementum & complementum idem.Paulus Ephes. 1. dicit Christum esse πληρώματος τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, complementum eius, qui omnia in omnibus implet. Hic certe supplementum inepte dixeris. Est autem supplementum id, quod complet, quod idem dictu est additamentum, quo quid suppletur vt perfectam quãtitatem iustumve numerum habeat. Sic supplementi rationem obtinent remiges & milites classearij in nauibus: Et milites Centuriati ad explendum numerum in legionibus. Opponitur ei ὕστερημα.

Dubium, an ad Rom. cap. 11. τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν vertendum sit supplementum, an complementum, seu plenitudo Gentium, hoc est, totum veluti corpus gentium, ita vt nulla gens omittatur, quæ non Euangelium saltem ad tempus amplectatur.

In Geometria complementum est particulare parallelogrammum, à conterminis diagonalium lateribus comprehensum. Dicitur Complementum, quia cum Diagonalibus totum Parallelogrammum complet, Græce παραπλήρωμα.

Diagonale est partiale Parallelogrammũ communis anguli & diagonij cum toto parallelogramino. *Duo complementa duo Diagonalia.*

Parallelogrammum æquatur suis diagonalibus & complementis.

Cõplere locũ figuræ dicuntur, quæ circa idẽ punctum quolibet modo collocа-

tæ nihil inane relinquunt: vt in planis triangulum quadratum, oblongum, sexangulum, in solidis pyramis cubus octoedrum.

Figuræ in plano efficientes quatuor rectos complent locum. Rectangula 4. efficiunt in plano quatuor rectos. Complent igitur locum.

COMPLEXIO.

1. Complexio in signif. generali est compositio vel comprehensio.
2. In specie Complexio (oratoria) est periodus, vt cum Cicero ait; Longissima est complexio verborum, quæ volui vno potest spiritu.
3. Complexio interdum est confusio, implicatio, vt Cic. Mira verborum complexio. In ver. Sic, Complexæ res & Perplexæ res pro perturbatis, implicatis, dubijs, Sturmius & Mich. Toxites.
4. Interdum est Rationum summa & συλλογὴ, vel Argumentationis Conclusio: sic dicta, quod colligat vel complectatur partes quæstionis.
5. Ciceroni ad Herenn. est Exornatio, quæ complectitur Conuersionem & Repetitionem. Conuersio est exornatio, per quam non vt ante primum repetimus verbum, sed ad postremum continenter reuertimur. Cic. de orat. Tum in extremum eiusdem verbi crebra conuersio.
6. Ciceroni etiam idem est quod DILEMMA, argumentum quoddam è dissentaneis (Frid. Beurhus.) vel argumentatio, in qua vtrum concesseris, reprehenditur: vt, si improbus es, cur vteris? Si probus, cur accusas? Alias dicitur Syllogismus Cornutus, vtrinque feriens, & Crocodilinus, quia captiosus instar Crocodili. Vid. Log. Keckerm. p. 467.

Dicitur Complexio, quia quocunque se verterit aduersarius, tenetur.

7. In Physicis 1. Complexio est Crasis seu qualitas ex actione & passione mutua ac temperatione proportionali primarum qualitatum cognatarum & contrariarum proueniens: Quam faciunt ad pondus, vel ad iustitiam. 2. καὶ ἕξοχὴν est Temperamentum corporis animati & præcipue humani.

COMPLEXIONALIS.

E Barbarorum Schola profectum à voce abstractiua Complexio, qnæ significat Temperamentum.

Primus autem & verus calor naturalis vulgo Complexionalis vocatur, eiusque spiritus proprie Naturalis est. Ab hoc alius calor est, qui vsitate dicitur *Influens*, qui per totum corpus propagatur, & Complexionalem illum in qualibet parte per se quasi torpentem excitat, cum eo vnitur, & ita demum is calor ita conflatus proximum partis efficitur instrumentum. Ad huius Caloris conseruationem prosunt non solum externa, vestes in homine, in brutis coma & pelles, sed & Ambiens Calor vndique nostris corporibus se immiscens. Is calorem nostrum fouet, spiritus recreat, fuligines excipit. (Omnia enim in corpore perspirabilia dixit Hippocrates, & tamen maxime laudabiles fieri coctiones in corporibus) præcipue vero aer calorem suauiter fouet, vbi aut in gradu ipsi pene est similis, vt in Vere, aut per antiperistasin, ne calor foras euocetur & dissipetur, prohibet, vt in Hyeme. Ideo Vere & Hyeme ventres natura esse calidissimos pronuntiauit Hippocrates.

Calidum & Humidū
- Primigenium seminale, id est, vna cum semine propagatum, quod suo insistit spiritui, qui dici potest Naturalis, fixus.
- Alimentarium, quod ex alimento est, quod ex alimento corpori quotidie accedit.

Sic Spiritus { Naturalis, fixus. / Naturalis fluens, qui vna cum nutrimento ab epate fluit. Hic prioris est conseruator, } Inter hos est analogia.

Complexio corporis animati { Sanguinea aeria, calida & humida. / Phlegmatica aquea, frigida & humida. / Cholerica ignea, calida & sicca. / Melancholica terrea, frigida & sicca.

Sunt hæ in corpore ex qualitatibus primis temperatis & mistis secundum proportionem non quidem Arithmeticam, sed Geometricam, id est, non secundum æqualitatem *ad pondus, ita vt vna qualitas alteram nullo gradu superet, sed plane aquali quantitate insint in corporibus*; sed istæ qualitates temperatæ sunt secundum proportionem Geometricam, id est, secundum æqualitatem & temperamentum ad iustitiam, *ita vt vna quidem aliqua superet qualitas alias, sed proportione sua naturali*: alioquin immodice superans seu superabundans qualitas corrumpit corpora.

COMPLICATIVE.

Scholasticorum vox pro Complexe.

In Deo omnia sunt vnum complicatiue, & creatura est creatoris explicatio.

Complicatum pro coniuncto, vt perturbationes primo & proprie significant motiones pertinentes ad sentiendi appetitum *complicatas* cum quadam corporis alteratione. Piccol. grad. 1 cap. 9. Idem grad. 9 cap. 6. Summum bonum est duplex: Vel absolute sumptum, qua intelligitur omni ex parte perfectum: vel consideratum cum contractione, quatenus menti cum re mortali *complicata* conuenire potest, id est, vnitæ, seu coniunctæ.

COMPOSITIO.

Compositio ommium est Doctrinarum & Artium, ac modo similium, modo dissimilium, modo cognatarum, modo pugnantium.

Est compositio quædam Grammatica tum vocum singularum, tum vocum coniunctarum. Illa in Etymologia, hæc in Syntaxi spectatur. Est Oratoria seu Rhetorica orationis; Est Poetica Metri & carminis.

Est compositio Logica tũ Noetica & Axiomatica in specie, vt definiti & definitionis, omninoque subiecti & prædicati: tum etiam Dianoetica in Syllogistica & Methodica.

Est compositio Physica, quæ constitutio & γένεσις quædam est voce generatim accepta, vt corporis è materia & forma, vt actio intellectus simplices notiones consentaneas coniungens: cui opponitur diuisio seu remotio, qua negatur.

Est compositio medicamentorum simplicium.

Est compositio Musica, quæ dicitur Melopœia.

Est compositio stellarum Astronomica, quæ & configuratio.

Est compositio Arithmetica, quæ numeratio quædam seu species numerationis est, cui opponitur Resolutio seu diuisio. Compositio Arithmetica infinite componit. Resolutio infinite resoluit, & vtraque sita est in duorum vel differentia vel ratione inæqualitatis. Compositio & Resolutio differen-

Numeratio datis duobus numeris tertium inuenit est q3 compositio vel resolutio. Differẽtia in quo numerus differt à numero.

tiæ seu differens est Additio & Subductio. Compositio & Resolutio rationalis seu rationis est Multiplicatio & diuisio. Compositus binarius fit cum vnum componitur cum vno. Accipitur etiam pro collatione vel conciliatione, vt cum dicimur quædam inter se componere.

De Compositione Enuntiatiua seu Axiomatica.

Hæc opponitur Intellectioni indiuisibilium, id est, operationi intellectus simplici, qua res ipsas apprehendimus. Est igitur compositio conceptuum intellectus, cum ipsas res componimus mente faciendo propositionem. Est argumenti cum argumento ad formandam affirmationem, veluti amica quædam coniunctio: Contra diuisio est cum quis in disponendis argumentis alterum ab altero diuidit (id est, remouet) vt negationem enuntiati constituat. Guil. Tempell.

Inter has operationes duplex est discrimen: Alterum est, quod in prima operatione non est vlla falsitas: At in secunda est Verum, vel Falsum. Alterum est: quod illa operatio hac καλὰ φύσιν prior est. Quod enim simplex est, id prius & antiquius est eo, quod è simplicibus conflatum est. Tolet. & Arist. c. 3. l. 3. de anima.

Interdum etiam Compositio Generaliter ponitur (vt diuisionem complectatur) pro γενέσει cuiuslibet enuntiati (quod è duobus terminis componitur.)

De Compositione Grammatica.

Vt coniunctione certarum partium corpora coalescunt: ita notarum notionumve compositione voces componuntur. Sed dubitatur, si nomen est nota rei, an nomen compositum semper sit nota rei compositæ? Respondet Scaliger, duplicem esse compositionem, vnam veram, alteram non veram: & Priorem esse huius posterioris regulam. Connecti enim interdum res duas, vt Animus & Magnitudo: Itaque nomen compositum coniuncta illa tanquam vnum significare. Alterum modum esse in ijs, quæ sunt sicut Indoctus; significare enim compositionem priuationis & positionis, quæ in re non sunt: Intellectum autem eas non posse apprehendere, nisi aliquo componat modo.

Est & alia compositio Grammatica, quæ dicitur à veteribus Græce Synalæpha cum elisis literis aliquibus vicinæ coniunguntur. Vox Metaphorica est translatione sumpta à glutinantibus, cum delibutas ferruminatione particulas componunt, vt vnum faciant. Latini hunc affectum seu πάθος vocant *Collisionem.*

Aliud est cõiunctio duarum dictionum; quæ compositione, nulla facta partium mutatione, ita cohærent, vt propter seruatam integritatem non cohærere etiam videantur, vt ante-volãs, ante-malorũ, vt scribit Scaliger, Necesse est, quod nec-esse aliter potest, semper-florentis, semper-virgo, vt scribunt alij.

Ei contraria est disiunctio, quæ quas voces posses temere componere distanti pronuntiatione iubet pronuntiari, vt in exemplo Virgilij,

——*In littore conspicitur, sus*; ne vrsus legatur.

- Generalis quæ Entibus creatis competit: ex
  - Ente & Essentia.
  - Subiecto & accidente. Sic in anima nostra compositio est accidentis & subiecti: est enim mutabilis de scientia in ignorantiam, de luce in tenebras, vt loquitur Augustin. 6. de Trinit. & 11. de ciuit. Dei.
  - Actu & potentia.
- Compositio
  - Specialis
    - Per se, è partibus proprie dictis
      - Essentiam constituentibus
        - Materia & & Forma.
        - Genere & differentia specifica.
      - Integrantibus quantis, membris.
      - Subordinatis Toti vniuersali seu Generi, speciebus.
    - Per accidens è partibus improprie dictis
      - Causis Causati.
      - Causatis causæ.
      - Adiunctis diuersis ratione subiecti.
      - Subiectis adiuncti.

Opponitur Compositioni Simplicitas, quæ est vel Absoluta, excludens omnem ex diuersis rebus compositionem seu σύνθεσιν: vel Comparata, quæ facta collatione cum alio magis composito Simplicitas dicitur.

Compositio est Physica vel Metaphysica. Hac distinctione vtitur Georg. Reisch. in Margarita, cum ait: Essentiam simplicem esse animam per exclusionem compositionis Physicæ: Compositam vero compositione Metaphysica.

Compositio Physica dicitur, quæ est ex Materia & Forma naturali. Anima igitur nec ex materia naturali, nec spirituali composita est. (Vide Mag. sententiar. l. 2. dist. 17.)

Metaphysica vero est, quæ est ex re & re, quarum vna se habet in potentia vt quod, altera in actu vt quo: Ab illa Genus, ab hac differentia sumitur.

In omni, quod est citra primum, (id est Deum) est quod est & quo est (Boet. dicit & hoc & hoc libr. de Trinit.) Anima est aliquid citra primum. Ergo in anima est quod est, & quo est.

Canon.

Omnis Creatura est composita ex τῷ quod & quo: seu omnis creatura est hoc hoc: est ens essentia.

Quicquid est citra primum, est hoc & hoc. Boet. Angeli sunt citra primum. Ergo sunt hoc & hoc. Compositi igitur.

Compositio essentialis in Angelis est ex esse, & quod est. Cum enim sint substantiæ non coniunctæ corpori, & tamen hoc aliquid, necesse est in eis sit aliquid, quod est principium communicabilitatis: hæc est essentia, qua habent esse, & aliquid, per quod essentia indiuiduetur. Ita in eis est quod est. Habet igitur aliquid per quod natura eorum ad singularitatem trahitur. (Hoc instar materię est.)

Principium Indiuiduans.

Est & compositio in Angelis ex subiecto & accidente. At enim, inquis, Forma simplex nõ potest esse subiectum. Resp. Hoc non est ἀεὶ verum & ἁπλῶς, sed tantum respectu accidentium, quę sunt indiuidui (accidentia.) Accidentium aut speciei, quæ manant ab Essentialibus speciei, & Accidentium, quæ sunt intentiones intellectus (non res naturæ) potest esse simplex subiectum: sicut vnitas suarum passionum. Albert. Magn. in expos. Cœl. Hierarch. Dionys.

Non sunt hæc ἐξαγώγια (extra controuersiam.)

Compositio in specie est affirmatio Aristoteli. Generalius secunda Intellectus operatio, complectens etiam diuisionem, hoc est, negationem. Generalissime conuenit etiam tertiæ mentis operationi, Ratiocinationi.

Compositio { Enuntiatiua. / Argumentatiua.

Ita accipit Flamin. Nobilius in Commentar. in librum primum Aristotelis de Generation. & interit. cum inquit:

Compositio { *Ex his*: Hic fit vnum tertium. / *Cum his*, Hic non fit vnum tertium.

Ex his] Talis est compositio Physica: Physicum enim corpus constat ex materia & forma.

Cum his] Talis est compositio in Christo τοῦ λόγου & Naturæ assumptæ.

Compositio dispositione prior est, cum ait Scaliger: Numerus est conueniens sententiæ sonus ex compositione & dispositione partium. Compositionem appello verborum ex elemẽtis & syllabis, ac membrorũ ex verbis: Dispositionẽ rationem modumq; compositionis. Oportet enim verba & esse talia, & tali ordine collocata.

COMPOSITVM.

Compositũ duobus modis intelligimus { Ex aliquibus. / Simul positum ad aliquid cum alio conficiendum.

Quæritur an in Figura Grammatica ſit aliqua mutatio? Reſponſio Grammaticorum eſt affirmata, E ſimplicibus enim Nominibus cum fiant compoſita, mutari neceſſe eſt figuram. Sed Scaliger diſtinguens, compoſitum, inquit, non vno modo intelligimus; Nam & faſcem dicimus è virgis compoſitum, ſicut Andriã & Perinthiam comœdias ijſdem fere compoſitas orationibus : Is modus loquendi eſt vulgatior. Alter verior, cum dicimus virgas eſſe compoſitas ad conficiendos faſces. Virgæ namque ſunt ſimul poſitæ. Non-ſcriptum, Nec-manifeſtum, ſemper-virgo, Ante-volans, Ante-malorum ſunt dictiones duæ compoſitæ, id eſt, coniunctæ, connexæ, ſimul poſitæ. Primo igitur modo non fit mutatio in figuris. Nunquam enim quod ſimplex eſt, fit compoſitum : neque enim ſimplicis partes nomina ſunt. Sed altero modo, vt Magnum & animum dicemus compoſita in Magnanimo, ita vt è ſimplicibus facta ſint compoſita. Nam quanquam Magnanimum compoſitum dicimus, tamen non eſt ita mutata vox, vt prius ipſa fuerit ſimplex: at ipſa ſimplicia ex ſimplicibus mutata ſunt, vt fierent compoſita, id eſt, ſimul iuncta. lib. 4. de c. l. l. c. 105.

Compoſitus Politice dicitur, cuius imperium ijs, quibuscum degit, non eſt durum.

Compoſitum pro miſto Scaliger accipit in libr. de c. l. l. vt compoſitæ ſeu miſtæ ſunt ſubſtantiæ, vnde compoſitum nomen Tragelaphus, Vulpanſer: vel ſubſtantia & accidens: vnde compoſitum nomen Equiferus.

Simul poſitum.] Sic componere eſt multas res apta quadam cohærentia & velut harmonia ſimul ponere ſeu coniungere. Sic dicuntur componi orationes. Hinc per metaphoram componere lites dicimur.

Compoſitum
- Eſſentia, natura, conſtans ex materia & forma, quæ ſeu per quam ſuppoſitum eſt Ens.
- Suppoſitum, ſæpe voce ſumpta preſſius compoſitum, — Quod ex materia & forma conſtat.

Ab Eſſentia pendet indiuidue Exiſtentia, quæ actus eſt Eſſentiæ, per quem eſſentia re ipſa ſubſiſtit.

Diſtinctio hæc eſt Scoti in quodlib. qu. 1. Compoſitum eſt Reale, vel rationis. Verba Scoti ſunt. In compoſito reali Materia & Forma dicuntur ipſi eſſentialia: In compoſito rationis, vel in ipſo definito Genus & differentia dicuntur partes eſſentiales rationis ſiue rei definitæ (ὁ λόγος enim & res definita ſunt vnum numero.)

COMPOSSIBILITAS.

Hoc termino, in vulgus fere Scholaſticorum frequentato non vteris, ſed pro eo, Non-repugnantia, dices. Ita pro Compoſſibilia dices συνδύναλα, quæ ſimul eſſe vel fieri poſſunt.

Sicut repugnantia repugãnt ex ſuis proprijs rationibus. Ita non-repugnantia eſt ex proprijs rationibus non repugnantium. Hic Barbarus Scholaſticus dicit, Compoſſibilitas & Compoſſibilium.

COMPREHENSIO.

Comprehendere 1. in Genere eſt multa continere. 2. in ſpecie eſt cognoſcere perfecte. Ita comprehenſio Dei Scho-

lasticis est Cognitio perfecta omnium effectuum ipsius possibilium. Ita beati in altera vita dicuntur cognoscere Deum non ratione comprehensionis, sed excellentissimæ & clarissimæ notitiæ, quæ quidem in creaturam cadere potest. Plus igitur est comprehendere, quam clare videre.

Ita *Comprehensiue* est adæquate, & perfecte, liquidissimeque, vt; Deum non cognoscimus comprehensiue & adæquate, & clarissime.

Modum igitur cognoscendi significat: Beati omnia, quæ in Deo sunt, formaliter clare vident, non tamen comprehendunt.

In Geometria περιέχεσθαι duas habet significationes: Primum comprehendi significat, vndiq; terminari, & definitur alias περιλαμβάνεσθαι. Sic accipitur in definitione figuræ 14. def. 1. Euclid. Sic Perimeter est terminus comprehẽdẽs seu circũ circa cõprehendẽs, est figuræ comprehẽsio seu περίληψις. Secundo Cõprehensio tantum sita est in aliqua parte, nempe penes basin & altitudinem, qui duo termini nihilominus dicũtur totam figurã comprehendere, cum dicitur: Figura rationalis est quæ cõprehenditur à basi & altitudine rationalibus inter se. Per hos enim terminos cognoscitur figuræ quantitas, vt trianguli quãta sit area, cognoscitur ex eius basi & altitudine. Sic solidorum quanta sit soliditas, vt pyramidis, cubi, coni, cylindri cognoscitur, cognita mensura & magnitudine basis atq; altitudinis. De hac περιοχῇ seu comprehensione Ramus, Geometrica, inquit, Comprehensio est interdum velut in numeris Multiplicatio. Itaq; si dederis basin & altitudinem rationales, tũ numeris laterum multiplicatis explicabitur magnitudo figuræ. Tales enim numeri significant figuras rationales numero explicabiles: & numeri multiplicati inter se facientes numeros latera numeri figurati dicuntur. Figura igitur rationalis fit duobus rationalibus lateribus inter se multiplicatis, & tales figuræ sunt in planis parallelogrammum, rectangulum, in solidis rectis prisma & cylindrus: vnde figurarum reliquarum omnium ratio & mensura capitur. Id. l. 11. de Rectangulo. Cõprehensio Geometrica in rectangulis Arithmeticæ multiplicationis similis est, & sic fieri numerus è numeris inter se multiplicatis dicitur: Quo rectãgulum è duabus rectis comprehendi (vt è duobus numeris inter se multiplicatis fit numerus: sic è duobus lateribus inter se ductis t rectangulum.) In hac significatione accipitur περιέχεσθαι seu comprehendi in hoc consectario. Rectangulum comprehenditur à duobus rectis angulum rectum comprehendentibus.

Multiplicatio

1 1 11 16 Area Quadrat.
1 1 1 1
1 1 1 1 4. Latus radicale.
1 1 1 1

Sic Cõparatio Geometrica interdũ similis est diuisioni: nẽpe cum comparari est applicari, vt si ad rectam datã applicetur area datæ æqualis. Hæc inquam Applicatio est similis diuisioni Arithmeticæ. Atq; hinc etiam Applicationis nomen à Mathematicis quibusdam ad diuisionẽ est translatũ (sed obscurius hoc est) quæ frequentius à Græcis dicitur Parabole, cum παραβάλλειν sit figuram ad datam lineam applicare.

Quid sit comparatio

Comparatio

Comprehensio literarũ in Grãmaticis est Syllaba maxime proprie dicta, si Syllabæ nomen spectes: At Syllabæ nomen falsum esse iudicat Scaliger, cum monogrammatæ vocales sint veræ syllabæ, & numerus elementorum seu literarum sit Syllabæ accidens, non essentia (Non necesse est Syllabam ex literis esse concretam.) Itaque Scaliger definit Syllabam Elementum sub accentu. Vna Syllaba non est magis

Seu Comparatio

Syllaba

Syllaba, quam alia, & sic non recipit intentionem aut remissionem, at maior esse potest, vt Stirps maior syllaba quam Ab. In DEO est pars materialis accidens ipsi E. Opponi potest Scaligero, etiam non necesse esse Syllabam esse vnius elementi. Itaque definio partem dictionis cum accentu : vel cum Ramo :. sonum in voce integrum, & facio eam vel vnius vocalis, vel duarum vocalium, vt æ, vel è vocali & cõsonante mistam, vt as, ars, Mars.

Comprehensus autem in vnam syllabam duarum vocaliũ dicitur Diphthongus.

Reditus ad Comprehensionem Scholasticam.

Comprehensio Scholasticis est species Apprehensionis. Nam comprehendere eis est apprehendere adæquate, id est, attingere rem secundum omnem modum & omnem rationem, qua γνωσὶς est.

Duo sunt de ratione Comprehensionis.

1. Continere fines rei.

2. Nihil eius esse EXTRA.

Axiomata.

Deus comprehendit se ipsum. Nullus intellectus creatus comprehendere, id est, perfectissime videre potest Dei essentiam. Sunt, vt Fernelius, qui Comprehensionem nonnunquam accipiant pro phantasia vel cogitatione, vt Qui fit vt infans effigie neq; patrem, neq; matrẽ repræsentet? Resp. Fernel. causa est vehemens Comprehensio & firma grauidæ cogitatio, qua vis ea, quæ fœtum format, gubernatur. Vehemens hic cõprehensio est vehemens phantasia seu imaginatio.

COMPTVM.

Compta Oratio est oratio, quæ alienum & ascititium cultum habet atque ornatum, vt mulieres cerussatæ.

Politum vero orationis genus est, quod proprium quidem & natiuum habet ornatum, sed tamen nitidiorem, vt arma exterſa & polita.

COMPVTVS ECCLESIASTICVS.

Computi vox Barbara est.

Computus autem Ecclesiasticus Calendarij pars dicitur ea, qnæ potissimum canones & regulas festorum dierum in Ecclesia celebrandorũ continet. Versatur potissimum in duobus: in Cyclis quibusdam (qui sunt Lunaris, Solaris, indictionis) & festis diebus, eorumq; aliquot interuallis. seu; Est ea astronomiæ pars quæ anni rationem tradit, & de natura, partibus & causis temporis disputat. Est artificiosa temporis & partium eius distinctio, descriptio & numeratio ex motibus cœlestium corporum, inprimis Solis ac Lunæ deducta & deriuata, vt historiæ Ecclesiæ atque Imperiorum annotari, & ad posteritatem propagari possent, & in societate humana certus ordo atq; cõcinnitas esset actionum & negotiorũ. *Duplex vsus.*

Quidam Computum hunc à Calendario sic distinguunt: Computus enim ex fontibus Astronomicis seu motuum legibus deducit & exstruit in genere temporum distinctionem ac motus: Hoc vero & fasti sunt, tabellæ singulis annis accommodatæ, in quibus totius anni dies singuli apte in 12. menses distributi adscripta exhibent vera loca & configurationes Planetarum, Eclipses & insignium stellarum ortus atq; occasus, quibus addunt nonnulli prædictiones quasdam Astrologicas.

CONCEPTVS.

Non dicitur μονοτρόπως à Scholasticis. Vno modo Conceptus improprie est actus concipiendi seu cognoscendi. Altero proprie est res concepta (vt obiectum) cum actu cognoscendi, vt illud significetur, hoc vero connotetur, vt, φάντασμα significat principaliter rem ipsam singulariter visam & connotat actum imaginandi. Recentiores nonnulli, vt annotat Gabriel. l. 2. distinct. 3. qu. 2.

Conceptus { Formalis est conceptus, quem de aliqua re per intellectum apprehensa formamus.
Obiectiuus est res, quæ concipitur qua obiectum est nostri Conceptus Formalis.

Pro Conceptu interdum etiam Conceptio dicitur eodem sensu: vt, Conceptio est vel clara, vel obscura.
Hanc distinctionem adhibent Scholastici, cum agunt de conceptione Dei. Abstractiuam enim dicunt obscuram: ea autem est quæ fit per species rerum creatarum, seu est vt relucet in rebus creatis: Intuitiuam vero aiunt esse claram, quæ est sicut in se est.

Scoti distinctio l. 1 dist. 3.

Conceptus { Simpliciter simplex: qui non est resolubilis in plures (conceptus:) vt Entis vel vltimæ differentiæ.
Simplex, qui potest resolui in plures seorsum conceptibiles, licet possit concipi ab intellectu simplici intelligentia, vt conceptus speciei seu definiti.

Conceptus { Simplex.
Complexus { Apprehensiuus, Antilepticus.
Iudicatiuus, Criticus.

Simplex simplicis rei seu obiecti, vt Leonis. Hic est primæ operationis intellectus.
Complexus, Propositionis. Hic est secundæ operationis intellectus.
Apprehensiuus est, qui producitur ab intellectu, cum aliquid enuntiatiue apprehendimus.
Iudicatiuus, cum de eo, quod ita apprehendimus, iudicium ferimus. Is dicit verum vel falsum: Etsi Fonseca putet apprehensiuum enuntiatiuum esse eundem omnino cum iudicatiuo. 4. Metaphys. cap. 2. quæstion. 6. pagin. 611.

Conceptus { Mentalis, ἔννοια.
Materialis.

In Doctrina Physica de Formatione fœtus, *cum semina calore vteri sic foueantur, vt vim suam exercere & agere incipiant, conceptio facta proprie dicitur*: & tunc semina in actum produci & formari fœtus incipit. Intellige calorem vteri seminum vim fouere & excitare, tanquam solum sua semina. Neque enim δύναμις in ἐντελέχειαν, ἢ ἐνέργειαν à se & per se producitur, sine accedente externa causa alia.

Conceptus pro materia fœtus seu Embryone. Aristoteles 2. de Gener. anim. cap. 3. Conceptus animalium viuunt.
Conceptus, νοήματα veteri Scholæ intentiones, Latin. sensa animi, Notiones. Quæque res vt est, ita cognoscitur quoque, & ex eo quod res est, vel non est, Conceptus dicitur Verus & Falsus.

Conceptus

Conceptus { Verus, qui congruit cum re ipsa.
Falsus, qui discrepat à re: & aliud est res ipsa, & aliud intelligitur esse,

Vt: si concipiam hominem esse lapidem, aut hominem non esse animal; dico, falsos esse huiusmodi conceptus, id est rebus ipsis non consentaneos & congruentes.

Falsitas Conceptus permutabilis est ve-
ro, si erronea opinio corrigitur.
Conceptus falsus, fallens opinantem
quadam similitudine veri, dicitur fal-
sa opinio.

Conceptus { Primi, qui sunt ipsarum per se ἐπιστητῶν rerum.
Secundi, qui primis accedunt causa nostræ intelligentiæ, seu rebus, non quidem per se, sed quatenus veniunt sub mentis notitiam.

Conceptus { Proprius mentis.
Species impressæ { Intellectus.
Sensus.
Expressa phantasmata, phantasiæ.

Conceptus { Medius, Vocis, quæ profertur. Hanc præit imaginatio. Aristoteles 2. de anima.
Vltimus, Res per vocem significatæ.

De eadem re sunt diuersis hominib. conceptus { Diuersi.
Oppositi. Sic hypolepses de vno enuntiato habent contrarias.

Conceptus { Formalis, Alias Intentio seu Conceptus, Theologis Verbum.
Obiectiuus Entis, id quod repræsentatur per conceptum eius formalem.

Conceptus formalis Leonis est, imago illa seu idolum illud, quod intellectus format de quidditate Leonina, cum vult eam intelligere.
Conceptus obiectiuus eiusdem est natura ipsa Leonina repræsentata, & intellecta. Conceptus enim obiectiuus est res per conceptum formalem repræsentata in illo actum intelligendi terminans.
Leonis nomen significat conceptum vtrunque diuersimode. Est enim signum conceptus formalis, vt medij, seu quo; & est signum conceptus obiectiui vt vltimi seu quod.
Ens significat vnum conceptum forma-

lem communem in repræsentando, substantia & accidenti, Deo & creaturis: Assimilantur autem in esse. Hæc similitudo est analogica. Thomas de Vio, Caietanus.

Idem: Conceptus Entis formalis est vnus inæqualiter repræsentans esse substantiæ & Accidentis, Dei & creaturæ.

Regula.

Conceptus formalis nequit esse verus nisi in ipsa re respondeat ei obiectiuus.

CONCEPTIO.

Conceptio { Propria, quæ fit corpore, vt eius, quod exit à generante ad esse lateris. Hæc dicitur improprie Natiuitas in vtero, cum proprie Natiuitas sit ex vtero.
Impropria, quæ fit animo, vt verbi mentalis, quod cum pronunciatur, dicitur quasi nasci. Sic dicimus conceptis verbis loqui, coaceptis scil. animo. Cic.

Explicat.

Propria] Concipere enim est simul capere, quod σωματικῶς fit. Vt eius quod exit] Physica hæc Conceptio dicitur: quæ est fœminis genitalis ad faciẽdum fœtum apprehensio (vel, si mauis, comprehensio.)

Conceptio transfertur ad hominem, vt cum dicimus in prædestinatione licet concipere actus certos diuinos. Estq; hic concipere, cogitatione complecti.

Conceptio Intellectus humani triplicíter se habet ad rẽ, quæ est extra animã, 1. Aliquando enim conceptio intellectus est similitudo rei extra animam existentis. Huius fundamentum immediatum est in re. Talis est hæc conceptio, quam Intellectus habet de re significata nomine homo. 2. Aliquãdo autem ipsa conceptio non est similitudo rei existentis extra animam, sed est aliquid consequens ex modo intelligendi rem, quæ est extra animã. Tales sunt intentiones τεχνικαὶ, vt Genus, species. Huius proximum fundamentum est in intellectu, remotum in re. 3. Aliquando Conceptio de significato per nomen neque proximum, neque remotum in re fundamentum habet. Talis est cõceptio Chimæræ, quia nec est similitudo rei extra animam, neque consequitur ex modo intelligẽdi rem aliquam. Itaq; conceptio ista est falsa.

Conceptio à Scholasticis Deo tribuitur per quãdam ἀνθρωποπάθειαν, vt cum dicunt, prædestinatio est conceptio donorum gratiæ in Deo, quibus præuidet hominem vel angelum perducendi ad vitam æternam cum proposito & voluntate conferendi ea dona.

In Grammatica Conceptio seu syllepsis est duorũ vno verbo vel adiectiuo in numero plurali comprehensio, vt, furor iraque mentem præcipitant.

CONCOMITANS.

Quod simul cum aliquo est, Barbari dicunt concomitans. Itaq; distinguunt dispositionem in præuiam & concomitantiam.

Concomitantia Latinum non est, pro eo malo te dicere συναναστροφή.

Scholastici eam faciunt triplicem alicubi. Immediatam, Mediatam & Remotam seu vltimã. Vbi est realiter corpus viuum, ibi est sanguis ex immediata cõcomitantia: anima enim non viuificat corpus sine sanguine; & anima etiam ibi est ex concomitantia mediata, quia præsupponit sanguinẽ in corpore. Sic Francisc. de Maronis Scholasticus putat sub sacramento per concomitantiam remotam esse Deitatẽ, quia corpori, quod nunquam relinquit, vnita

hæc

hæc est hypostatice. In calice ei ordo est alius. Primo enim ei est sub specie vini sanguis Christi corpori vnitus per se. Secundo corpus Christi ex immediata concomitantia, quia corpus Christi immediate continet seu recipit in se sanguinem. Tertio anima Christi est ibi ex concomitantia propinqua, cum ibi non sit corpus exsangue & mortuum. Quarto est ibi Deitas συναναλε & ἀφαιρ. remota, quia etsi pertineat ad personam: eandem cum anima & corpore, cui inest sanguis: non tamen pertinet ad eandem naturã cum illis.

2. Concomitantia est vel realis, vel rationalis.

CONCORDANTIA,

συμφώνησις, συμφωνία.

Concordantia seu consonantia in Musicis est dissimilium inter se vocum in vnum reducta cõcordia: quarum duodecim in vsu apud Musicos Poeticos seruantur 1. 3. 5. 6. 8. 10. 12. 13. 15 17. 19. 20. Harum aliæ sunt perfectæ, Vnisonus. Quinta octaua 12. 15. 19. Aliæ imperfectæ. 3. 6. 10. 13. 17. 20.

Apud antiquos consonantiæ erant tres, Dianoetica, Chromatica, Harmonica.

Discordantia contra est duorum pluriumve sonorum aspera & iniucunda mixtura, quarum nouem sunt, 2. 4. 7. 9. 11. 14. 16. 18. 1.

Macrobius vocat concinentiã, vbi plurestoni coalescunt in vnã harmoniã.

Extremorum sonorum temperaturam vocat Simplicius. Marsilius Ficinus consonantiam definit, soni grauis & acuti mixturam conformiter & suauiter ad aures peruenientem. In Platon. Tim.

Consonantia etiam trãsfertur ad ἠθικὰν, vt cũ M. Ficinus inquit, consonantiã nullam magis delectare seu demulcere, quam quę in sapiente fit ex ipsa animi & sermonis concordia, & contra nulla dissonantia.

Imo ad alia quoque extenditur. Itaque Consonantiæ & Dissonantiæ nouem gradus constituuntur à M. Ficino. I. in ratione. II. in Imaginatione. III. in Affectu. IV. in sermone. V. in Cantu. VI. in sono μιμητικῷ. VII. in saltu. VIII. in quadam compositione membrorum & totius corporis. IX. in artificiosis cuiusuis artis operibus, musica quadam proportione compositis.

Explicatio.

In ratione.] Hæc consonantia est rei cum veritate consentiens, cuius contraria opinio falsa à veritate dissentiens.

In Imaginatione.] Imaginationis Consonantia est consecutio rationis: dissonantia prosecutio externorum.

In Affectu] vel temperate rationem sequente, vel intemperate imaginationem.

In sermone] vel decoro, vel indecoro, quatenus vel rectam rationem, vel imaginationem tumultuariam seu temerariam sequitur.

In cantu] cuius consonantia est decorum imitari sermonem, dissonantia indecorum.

In sono] cantum aliter atque aliter imitante.

In Saltu] concinno vel inconcinno ad Chorcam pertinente.

In quadam compos. membror.] tam spectaculo grata, quam exercitio gymnasio prompta.

Hi nouem gradus, inquit Ficinus, referant seu repræsentent tibi Nouem Musas. Harum quarta sic vnit:

» *Ardua res ratione animi compescere motus,*
» *Quam sæpe hic pausam Musa iubet facere!*

CONCORS.

Concordes dicuntur 1. qui conueniunt in opinione, vt qui eadem sentiunt de cœlo. 2. qui conueniunt in electione eorum, quæ sunt agenda. *Concordia in hypothesi* (ὑποθ.)

3. Concordes sunt, quorum vterque vult quæ placent non sibi, sed alteri. *Cõcordia in προαιρέσει* (πραξ.)

Concordes sunt vel simpliciter, vel κατά τι. Sic hostes concordant seu conueniunt, qua conferere manus volunt, quo loco, quo tempore, seu aliquo modo concordes dicuntur, cum sibi inuicem pugnandi copiam faciunt, licet simpliciter discrepent seu dissideant.

In Physicis Concordia tralatitia est cum dicitur: Quæ natura constant interse, Canis et Lupus } in syluis { venatur / nutritur } & omnia { seruat / vastat.

Nunc { bonus / malus } in mundo { tristatur / lætatur } at astra { meretur. / relinquit.

Qui { os } { anguis / sanguis } { di / mi } rus { tristi / Christi } { mulce / dulce } dine { pauit. / lauit.

Qui ca { pit / ret } ambrosia { m Christi / Christi } ca { pit / ret } ille salutem.

Polypoton seu Traductionem fere habent vel paranomasiam, vel vtramque.

CONCORPORO, συσσωματόω.

Concorporo 1. est in vnum corpus redigo, quod fit vel physice, vel artificiose, cum duæ pluresve res mistæ vnum quid efficiunt. Plinius: Mulsum ex vetere vino facillimeque cum melle concorporatur.

2. Per metaphoram est variorum præceptorum coniunctio in vnum Systema.

In Theologia Concorporari Deum est vniri seu connecti, vt loquitur etiam Cassianus l. 6. de Incarnatione Domini, Deum corpori suo. Idem, Symbolum incorporat Dei & hominis Filium & vnit hominem ac Deum.

CONCRETVM.

1. In Logicis Concretum
- Accidentale
  - Primum.
  - Secundum.
- Substantiale
  - συνώνυμον, non Denominatiuum; Homo, animal.
  - παρώνυμον, Denominatiuum, id est, Denominatum, vt animatum.

CONCORDANTES versus.

Versus Concordantes seu Symphoni, σύμφωνοι dicũtur, qui & habent communes quasdam dictiones & syllabas, ac conueniunt dictionum & syllabarum numero, etsi sint antithetici.

Explicatio.

Concretum accidens connotat ſubiectũ: Adiectiuum enim ſignificat formam adiacentẽ ſubiecto ab eoq; dependẽtẽ.

Formale igitur eius ſignificatum eſt accidentarium. Dicitur à concernendo, quia conuenit, hoc eſt, connotat ſubiectum.

Concreta { Subſtantiua ſignificant ſuum ſignificatum per modum formæ ſubſiſtentis: Itaque non modificantur à ſubiecto. Adiectiua ſignificant formam vt adiacentem ſubiecto, & ab eo dependentem. Itaque modificantur ad modum ſubiecti.

Homo albus dicitur *συνδεδυασμένον.*

Concretum ſeu nomen Concretiuum Logici veteres vocant *παρώνυμον*, quod compoſitum habet ſignificandi modum. Significat enim & formam, quæ ineſt alicui rei, & rem, cui ineſt hæc forma, ſeu, vt alij loquuntur, ſubiectum habẽs formam ſubſtantialem vel accidentalem, vt homo, doctus, album. Nam homo idem eſt quod habens humanitatem: doctus, quod habens doctrinam.

Abſtractũ ſeu nomen abſtractiuum vero eſt, quod eſt à compoſitione liberum, & ſimplicem habet modũ ſignificãdi, ſeu, omne id, ſiue ſubſtantia ſit, ſiue accidens, quod aut mẽte, aut re ipſa abſtrahitur ab eo, cui coniunctum eſt, & per ſe in proprietate ſuæ naturæ conſideratur, vt: humanitas. doctrina; hæc Humanitas, hæc doctrina. Nam humanitas ſignificat vel humanam naturam, vel comitatem & affabilitatem quaſi per ſe cohærentem & doctrina ſolam doctrinam quaſi per ſe exiſtentem, licet reuera & humanitas & doctrina ſit in ſubiecto. Humanitas igitur Chriſti ſecundum ſe conſiderata eſt abſtractum, licet illa reuera ſit in verbi Perſona. *Abſtrahentium enim* (hoc eſt, vnam rem ſine alia conſiderantium) *non eſt mendacium*, ait Philoſophus.

Concretum accid. eſt primum, vel ſecundum] Illud quidem ex ſola inexiſtentia formę in ſubiecto exiſtit, vt album, calidum: hæc dicunt ſolas qualitates albedinem & calorẽ in ſubiecto: Hoc vero ab illo deductum eſt, & propter formã in ſubiecto dicit mutationem ſubiecti ſecundum formam illam: vt dealbatũ, calefactũ, Toletus Phyſ. c. 3.

II. De re loquendo interdum accipitur abſtractum pro re abſtracta, concretum de re concreta, vt; homo & humanitas, ſpecies ſeu imago abſtracta ab indiuiduis. Hic homo, hæc humanitas, ſingulares concreteque res ſunt.

Formæ Abſtractæ ſunt formæ à materia abiunctæ.

Formæ Concretæ ſunt formæ materiæ annexæ, cum materia complicatæ ſeu coniunctæ. Ita vox eſt ſecundæ impoſitionis. Inſolens vero & nouum eſt in Scholis Logicorum, quod quidam in certamine de Perſona Chriſti per abſtractum intelligit naturam de Perſona ſeparatam: per concretum vero Naturam in Perſona exiſtentem, vel ipſam vnionem. Sic enim loquuntur: Chriſtus homo, vel qua homo eſt, non in abſtracto, id eſt, extra vnionem, ſed in Concreto, id eſt, in vnione cũ Deo Verbo vere & realiter eſt diciturq; omnibus reb us præſens. Homo in concreto eſt humanitas vnita Verbo, homo in abſtracto eſt humanitas non vnita Verbo.

Concretum in Phyſicis corpus vocant, quod præter materiã & formã plures duab. habet qualitates. Ei opponitur ſimplex, quod duabus tantum qualitatibus conſtat, vt Elementum.

Cõcreta porro faciunt vel perfectæ contretionis, vel imperfectæ: Vulgo miſta perfecte, vel imperfecte.

Perfecta, quæ naturæ suæ partibus omnibus absoluta sunt, vt animalia, stirpes, metalla, lapides: Imperfecta, quæ ex paucioribus constant, vt meteora.

Seu corpus concretum, seu mistum imperfectum est, quod ex omnibus constat miscibilibus, ita vt vera eorum sit vnio, id est ex pluribus naturis natura vna, ex pluribus formis vna forma facta est. Corpus concretum seu mistum imperfectum est 1. quod ex pluribus tantum constat elementis. 2. vel in quo naturæ miscibilium distinctæ seruantur, nec prorsus in vnam naturam versæ sunt. 3. Vapor, vnde pluuia, & halitus siccus, vnde venti, dici possūt mista imperfecta, non quod ex pluribus cōstent elementis, siquidē vterq; ex vno tantum Elemento genitus est, sed quia duorum elementorum conditionibus participat. Est enim medium quoddam, quod oritur in transitu ex vno elemento ad alterum, simplicem habēs naturam & formam vnam, sed minus durabilē. Explicationem horum vide lib. de constit. Physic. Zab. pag. 63. c 24.

Ab his alia sunt concreta Artificiosa.

CONCRETIO.

Concretio Naturalis est, vel Artificialis.

Naturalis est coagmentatio quædam è quatuor elementorum qualitatibus rectè præparatis: Alias mixtio. Huic contraria est elementorum dissipatio, cum singulæ elemētorū particulæ dissoluto subiecto in suā redeūt materiā.

Interdum pro coniunctione vel cohæsione Concretio ponitur, vt cum dicunt, Physica res ex materiæ & formæ cōcretione coagmētatas sibi vendicat.

CONCRETVM Accidentis.

Quæritur à Philosophis, quid primo significet Concretū Accidentis seu Paronymum: mittimus nunc substātiale. Auicēna statuit significari vocabulo hoc primo (id est, essentialiter) Substantiam, vt perfectius quippiam.

At Auerroes eum reprehendit, quia si hæc Auicennæ sententia obtinet, nugatio fuerit, cū dicitur, Nasus est sim⁹.

Alij igitur dicunt significari vocab. Concret. seu paronymo primo Formā, seu ipsum synonymum, cuius paronymum esse dicitur, non aliud quiddam, sed subiectum consignificati. Itaq; cōsignificantem terminum non reddere propositionem πλεονάζουσαν & nugacem. Exempli gratia, simum talem facere propositionem, si primo & essentialiter significaret subiectum (vt accidit, cum dicimus homo animal; Nā homo significat animal essentialiter, non autem connotatiue, quapropter significatum essentialiter reddit propositionem nugacem, non connotatum seu consignificatum) non autem curuitatē ipsam significaret. Posteriori sententiæ vt summorum philosophorum calculo approbatę accedit Simon Simoni⁹. Hinc deducitur hoc πόρισμα.

1. (Si concretum vocabulum accidentis seu Paronymum primo & essentialiter formam seu Synonymum significat:) Ergo Paronymū etiam primo denominat id, cui synonymū primo inest.
2. (Si Paronymū connotat id ipsum subiectum, cui primo inest synonymum primo & essentialiter significatum:) Ergo Paronymū quoq; subiectum, cui primo inest Synonymum essentialiter significatū primo denominat. Quod igitur Aristoteles ait, Albū significare qualitatem, sicut albedo significat, id intelliges quoad significationē cōcreti vocabuli, nō quoad modū significādi. Ideo in definitione cōcreti primo exprimitur subiectum, deinde forma. At abstractū vocabulū, tū ex significatione, tū ex significādi modo primo formam designat, deinde subiectū, ideo alio ordine definitio eius conficitur. Discriminis ratio est, quia concreta vocabula ad significanda composita sunt imposita.

Com-

Compositio autem à subiecto oritur, vt à sustinente, & natura seu origine priori, vt paronymum vocabulum significet χέσιν & ordinem, prout à subiecto incipit, & desinit in formam. Cõtra abstractum formis simplicibus designandis imponitur, vt χέσιν inter formam & subiectum à forma in subiectum desinentem dicat.

CONDITIO.

Hæc vox Philosophis est celebrata. I. Enim accipitur pro moderatione, circũscriptione seu determinatione. Exempli causa; cum dico, quantitatẽ absolute nec Geometer, nec Arithmeticus cõsiderat, sed cũ cõditione, id est, quãtitatẽ continuã Geometria, disiunctã seu separatãve Arithmetica. A Physico nõ corpus per se, vt corpus, sed corpus cũ conditione quadam, nempe mobile consideratur, id est, vt generari, corrũpi, augeri, imminui, alterari, & quocũque alio motus genere mutari potest. Ita igitur opponitur τῷ Absolute ac Simpliciter. Sic Medicus considerat humanum corpus hac conditione, id est, circumscriptione addita, quatenus ægrotare & sanari potest. Talis conditio subiecto addita vocatur ratio formalis, per quam alicuius disciplinæ subiectum adæquatum cõstitui solet. In hac significatione accipit sępe Claudius Alberius Triuncurianus.

Canon.

Subiectum commune multis disciplinis conditione aliqua coarctatũ, vni disciplinæ proprium & peculiare fieri potest. Vid. Bart. Viottum l. 5. de demonstrat. pene in fine.

Commonefactio Analytica seu ὑπόμνημα pertinens ad Apodeixin.

Certa necessariaq; conditio adhibita, qua attributum cum subiecto jungitur, est distinguenda ab ipsa causa Διότι seu Medio. Ἀπαίδευτοι causam cum conditione confundunt. Causa διότι (vt Pasci Carne Christi θεανθρώπου) est in præmissis ἀποδείξεως, non in complexione. At Conditio adhibita (Qui sunt in Christo) complexionem, cuius subiectum est compositum, id est, conditione, quam limitationem vocant, instructũ, ingreditur sic: Omnes illi, qui Carne θεανθρώπου pascuntur, vita æterna donantur. Omnes illi, qui sunt in Iesu Christo, Carne θεανθρώπου pascuntur. Ergo omnes illi, qui sunt in Iesu Christo, vita æterna donantur.

II. Conditio est qualitas ea, qua aliquid condi, id est, fieri aptum est. Ita quoque Iureconsulti accipiunt.

III. Conditio necessaria sine qua non Zabarellæ est causa συναίτιον, sine qua res esse non potest. Eidem, quod eodem fere recidit. Conditio est rei differentia Essentialis, opposita accidentali. De speciebus demonstrat. lib. c. 24. E conditionibus essentialibus, id est, quæ essentiam & definitionem rei constituunt, emanant proprietates. Idem ibid.

IV. Conditiones inter & proprietates illud interest, quod cõditiones proprie dicuntur differentię essentiales, (Iureconsulti interdum vocant requisita substantialia) quæ ad rei constitutionẽ necessariæ sunt (inter quas præcipua est differentia vltima): vt si dicamus conditiones necessarias ad hominis constitutionem esse, vt sit corpus & animatum, & sentiens, & rationis particeps; proprietates vero sunt accidẽtia propria, conditiones insequẽtia seu comitantia. Vid. Zab. in præfat. in l. poster. Anal. p. 2. Idem de Medio demonstrationis l. 1. cap. 20. Conditiones necessariæ sunt, sine quibus quidditas aliqua esse nequit. Et alibi: Omnis enuntiationis essentialis conditio est, vt sit vera, vel falsa. Id Exemplum è Zabarell. libr. de Accretion. cap. 5. & 24.

Barb. vocant augmentabilitatem.

Aptitudo recipiendi Accretionem, vel ipſa Accretio rei viuentis requirit tres conditiones. 1. vt ex acceſſione materiæ, id eſt, alimenti introrſum recepti, fiat. 2. Vt idē numero maneat id quod augetur. 3. Vt nō ſolum totum, ſed etiam omnes partes ſecundum omnes dimenſiones incrementum recipiant. Ex hiſce conditionibus ratio formalis eſt anima vegetans, quantitas vero eſt conditio materialis formæ neceſſaria, & ſine qua non, quia anima hoc non præſtat, vt corpora ſint augmentabilia, niſi iuncta materiæ quantæ & per eam extenſa.

Ad ſcientiam proprie dictam, vt accipitur 1. poſt. ab Ariſtotele, requiruntur quatuor cōditiones teſte Scoto l. 3. d. 24. 1. vt ſit certa excluſa omni dubitatione & deceptione. 2. Vt ſit cogniti neceſſarij ſeu rei neceſſariæ. 3. vt ſit per cauſam in Intellectu euidentē. 4. Vt ſit per cauſam neceſſariam applicatam ad concluſionem per diſcurſum Syllogiſticum. Propterea dicit Philoſophus 1. Poſter. tum ſcire opinamur vnumquodque ſimpliciter & non ſophiſtico modo, quod eſt ſecundum accidens, per hoc excludendo omnem dubitationem & incertudinem, cum cauſam arbitramur cognoſcere, ſcilicet cauſam neceſſariam, & quæ illius eſt cauſa per applicationem principiorum ad concluſionem: & hoc modo ſubiungit demonſtratiuam ſcientiam procedere ex primis, & veris, & notioribus, cauſisque concluſionis.

Id. Zab. de conſtitut. Natural. ſcient. c. 24. Miſtum perfectum dicitur, ſi duæ aſſint conditiones: vna ad materiam attinens, altera ad formam. Quod ad materiam attinet, debet ex omnibus conſtare miſcibilibus: quod vero ad formam, debet eſſe facta vera corum vnio. Hic conditio ad rei perfectionem requiritur ac pertinet. Si enim abſit, imperfecta res eſſe dicitur. De Mater. l. I. r. cap. 13. Potentia eſt conditio neceſſaria materiæ, vt ſit materia. Id eſt, eſt ratio conſtituens principium materiale. Vides hic conditionem neceſſariam poni pro *ratione Formali.*

Sic qui ad exquiſitiorem normā loquuntur, diſtinguunt inter relatorum proprietates & conditiones, inter definitionis conditiones & proprietates, vt inter eſſentiale à priori, & eſſentiale à poſteriori.

V. Conditio Contradictionis eſt Claudio Alberio δύναμις ἀντιφάσεως, id eſt, potentia contradictionis, ſeu potētia habens conditionem mutabilitatis, cuius conditionis ſi homo (qui potuit peccatum induere, & non-induere) fuiſſet expers, neceſſario fuiſſet Deus æternus, & immutabilis. Hæc δύναμις prior malo eſt natura, ortu, tempore, (oratione apodictica 3. de pace erga Deum) & bona erat, cum nondum malι ἐνέργειαν induceret.

VI. Conditio idem eſt quod Hypotheſis. (Hypotheſis autem dicitur conditio, quia conditio præſupponitur, vt, ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini) Hypothetica enim & conditionata neceſſitas idem ſunt, propoſitio conditionalis & Hypothetica prop. idem ſunt Logicis. Cōditio eſt neceſſaria vel cōtingens, poſſibilis, vel impoſſibilis.

Canones.

1. *Conditionalis habens annexam conditionem impoßibilem, æquipollet ſimplici neganti;* vt dabo tibi meam filiam vxorem, ſi cœlum digito tetigeris, id eſt, non dabo tibi. Vid. Schneidevvin. in Inſt. tit. de Nuptijs. Lexic. Schardij, & Logicam Keckermanni.

2. *Conditionalis nihil ponit in eſſe, ſed tantum ſuſpendit ſententiam ſeu ſenſum mentis, niſi ponatur conditio, quam continet antecedens propoſitionis.*

3. *Si connexio eſt bona, tota propoſitio Conditionalis vera eſt, etſi partes extra conditionem ſumptæ*

sumpta sint falsa, vt, si asinus volat, habet pennas.

Sic ICti conditionale dicũt, cui conditio adiecta est, eique opponunt purum, vt conditionalis stipulatio, conditionale legatum, leg. 44. D. de verbor. obligat. & L. 41. §. 1. ff. de legat. Sic conditionaliter dicunt, pro, sub conditione; conditionem pendentem pro ea, quę nondum existit, licet euenire possit.

VII. Conditio interdum accipitur pro Circumstantia aliqua, à qua tantum differt vt Genus à specie.

VIII. In Politicis Conditio etiam nonnunquam statum seu fortunam; nonnunquam συνθήκην id est, pactionem & conuentionem; nonnunquam denique optionem seu electionem significat. Sic dicimus conditionem seruorum pro Statu. Sic Cicer. in Top. Si quæratur, à natura ne sit ius, an ab alia quasi conditione & pactione hominum. Sic Oppius de bello Africo: Quibus cum conditionem ferrent, vt oppido excederent, idque sibi vacuum traderent, conditionemque repudiassent. Hic significatur optio seu electio: sicut ICto conditionem deferre, est optionem deferre, Einem die Wahl geben. L. 1. §. si quis in fraud. ff. si quis in fraudem creditor. Ac elegans etiam est, quod anuotauit etiam Scotus, vt & Hardianus Cardinalis: stare conditionibus (Datiuo casu) die verträge halten / cuius oppositum, à conditionibus fugere. Vid. Lexic. Simon. Schardij.

Conditio Personarum est vel Vrbana, vel Rustica, vel Militaris, id est, status, Scalig. 3. Poet. cap. 1. ex veterum diuisione.

Obseruatio Grammatic.

Grammatici particulam conditionalem à particula demonstratiua ac relatiua recte discernunt, multum enim à demonstratione conditio distat; exempli causa: Qui proprie particula demonstratiua est, & relatiua antecedentis: Si vero Hypothetica est seu conditionalis.

Particula tamen Qui interdum cõditionate sumitur per Catachresin quandã, vt pro quatenus seu qua ratione, vt, corpus quod naturale est subijcitur Physico, id est, qua naturale. Vid. partícul. Quod, vbi inuenies pulcra exempla. Propter hanc Catachresin non frustra quæritur in l. 6. ff de leg. 1. Vtrũ hæc verba, Stichum, *qui meus erit*, cum moriar; demonstrationem, an conditionem faciant? id est, an Particula Qui posita sit pro Si? Labeo pro demonstratione accipit: Trebatius contra pro conditione, nec putat quicquam interesse, legetur ita; qui meus erit; an si meus erit.

Quæstio est, cur rei essentialia, item status cuiusque vocetur conditio? Resp. Quia condere Latinis est constituere & quasi fabricare, auffbawen/ quod patet ex illo;

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Ex eo quoque, quod condere accipitur pro creare: vt conditor Mundi, id est, Creator. Hanc rationem innuit Scaliger cum ait: Conditionem appello statum cuiusque fortunæ, quia est quasi quædam fabrica: Faber autem fortuna: seruus, libertus, liber, Pater, aut filiusfamilias, virgo, cœlebs, maritus. *Puto legendum esse Fortuna.*

Conditio ponitur interdum pro quasi natura, quia malum semper alteri cuidam inhærere putatur: Inhærere vero à substantia est alienum, ideo malum fertur habere conditionem quãdam à substantia diuersam. Marsil. Ficin. in l. de diuin. Nomin. Areopagitæ.

Singulare est, quod in Historia Heliogabali Conditio accipitur à Lampridio pro ipsis Verendis: Romæ denique nihil aliud egit, quam vt emissarios haberet, qui & bene nasatos perquire-

rent, eosque ad aulam perducerent, vt eorum Conditionibus frui possent. Sic Italum quendam memini dicere de aliquo nescio quo; Erat bene conditionatus, cum intelligeret bene mentulatum. Philosophi ita non loquuntur.

Conditio sine qua non, non est vere causa.

Conditio *sine qua non* est id, sine quo quid fieri nequit, ita tamen vt non habeat rationem veræ causæ. Si proprie loqui velimus, aliud ab ea est Causa sine qua non (cuiusmodi est materia & aliæ causæ secundariæ) exemplum conditionis sine qua non est: In motu cœli non est virtus, quæ sit principium effectiuum effectus in inferioribus, sed per motum cœli fit applicatio partium cœlestium, quæ efficiunt aliquid in inferioribus. Literæ Immunitatis sunt Conditio sine qua non transeundi vrbes sine vectigali: Ita igitur hæ litteræ adsunt & requiruntur, vt sine ijs non fiat transitus, vt effectus. Gaudẽt priuilegijs Academicis Scholastici, si tamen vestiti sint more Scholastico, non scurrili.

Est que cum voluntariarum, tum naturalium rerum.

CONDITIONALITER.

Conditionaliter Philosophorum & Iureconsultorum est: sub conditione Ciceronis.

CONFICIENS

Causa.

1. Conficiens Causa Latinis veteribus est causa efficiens vel perficiens, vt conficere est efficere vel perficere.
2. Est quidam è recentioribus Logicis, qui conficientem causam accipit pro Socia seu concausa, eamque definit: Quæ cum alijs coniuncta simul efficit cum illis. Sed nullo Latinorum, puto, exemplo. Cicero Latinitatis princeps in Partit. oratorijs Conficientes Causas pro efficientibus nominat, cum inquit: Causarum genera sunt plura. Nam sunt aliæ, quæ ipsæ conficiunt, aliæ, quę vim aliquam ad conficiẽdum afferunt. Itaq; illæ superiores conficientes vocentur, hæ reliquæ ponantur in eo genere, vt sine his confici non possit (id est effici) Conficiens autem causa alia est Absoluta & perfecta per se: alia aliquid adiuuans & efficiendi Socia quædã. Hæc Cicero: Vnde perspicitur, conficientem ab eo nominari, quæ alias dicitur efficiens: Absolutam vero, quæ alias solitaria, eique adiuuantem & sociam opponi.

Conficit aliquid rem quampiam per Modum Formæ
- Extrinsecus Efficientis. Ita conficiens est extra rei essentiam.
- Informantis & constituentis intrinsecus. Ita conficiens est de rei essentia.

Sic facit
- Effectiue pictor parietem.
- Formaliter Albedo album.

CONFORMITAS.

Conformitas vel Conformatio accipitur pro congruentia cum alio. Græce dicitur συμμόρφωσις, vt piarum voluntatum cum diuina est συμμόρφωσις in fine & efficiente potissimum. In fine, cum quemadmodum Deus gloriæ suæ causarem vult, ideo cãdem etiam velit pius. In efficiente, cum id velit pius, quod Deus eum velle vult voluntate patefacta. Voluntatum tam impiarum, quam piarum συμμόρφωσις

cum

cum voluntate diuina, voluntatis voce accepta de actione, esse potest, si spectatur in obiecto, quia eandem rem potest velle Deus & homo.

Distinctiones.

Conformitas est inter mensuram & mensuratum: inter res & intellectum: inter res & conceptus: inter res & compositionem, ac diuisionem earundem.

CONFVSA,

συγκεχυμένα.

1. Confusa sunt ἄδηλα vel indistincta.
2. Per Confusa Aristoteles 1. Phys. in proœm. intelligit *Composita, Tota, indefinibilia, subiecta*, vt corpora naturalia, ea notiora nobis sunt principijs & elementis, è quibus constant. Sic Zabarella: Confusum hic videtur significare Totum aliquid, quod ex multis partibus constat, quæ cum simul iunctæ & confusæ quasi sint, Totum illud vocatur confusum. Syllogismus Aristotelis est:

A Notioribus nobis est procedendum ad cognoscendum principia nobis ignota & natura nota. Sed magis confusa sunt Notiora nobis. Ergo à magis confusis est procedendum ad cognitionem principiorum.

Axiom.

1. E confusis & nobis notioribus principia eorũ nobis innotescunt, si de subiectis causæ nobis ignotæ per effecta & accidentia nota demonstretur.
2. E naturalis corporis cognitione, quod materia & forma nobis notius est, in horum (principiorum) cognitionem peruenitur, si in ea diuidatur.

Potest Confusum cognosci à nobis tam Confuse, quam distincte. Si enim hominem cognoscimus per cognitionem partium essentialium, confusum cognoscimus distincte. Homo enim res confusa & composita est. Quod si hominem cognoscamus per solum nomen seu definitum sine cognitione partium essentialium, id est, definientium, rem confusam confuse cognoscimus.

E Zabarella.

Zabarella triplex facit Confusum, hoc est, Totum, quod ex multis partibus constat.

1. Compositum ex speciebus, quæ in toto (genere) potestate continentur. Vnde totum potentiale dicitur.
2. Ex partibus essentialibus, qua ratione species est totum, genus vero & differentia sunt eius partes: & dicitur Totum definibile.
3. Ex partibus secundum quantitatem, quæ vocari solent partes integrantes, vt cum dicimus hominem totum constare ex capite, brachijs pectore, ventre, cruribus, &c. Ac dicitur Totum Integratum.

Confusum etiam accipitur à Scholasticis nonnunquam pro Vago, & opponitur ei signatum & determinatum, in doctrina Fonsecę de suppositionibus. Pueri prius cognoscunt Confusa, vt Particularia vaga, post ea signata: Prius enim cognoscunt patrem vel matrem solum vt aliquem hominem, in quo non differt ab alijs hominibus, sed cũ ijs conuenit; postea vero vt hunc signatum, id est, patrem & matrem ab alijs hominibus discernunt. Ita quoque accepit Iohan. Grammaticus in 1. Phys.

Confusum
- Indistinctum, Totum ex partibus suis conflatum, vt Totum vniuersale, Totum essentiale.
- Inordinatum, Chaos præceptorum non digestum.

Confuse.

Confusum concipitur vel intelligitur cum concipitur vel intelligitur aliquid indistinctum vel ἄτακτον.

Confuse [a] dicitur aliquid concipi cum concipitur, sicut exprimitur per nomen: distincte vero cum concipitur sic ut exprimitur per definitionem. Scotus lib. 1. dist 3. Sic Zab. 1. Phys. ad tex. 5.

[a] *Id est indistincte.*

1. Nomen significat rem confuse, id est, vt totum confusum; definitio vero significat eandem vt distinctam in suas essentiales partes. 2. Totum definibile, quod per nomē significatur confuse, est nobis notius, quam partes, quæ in definitione exprimuntur.

Non est idem confuse & confusum. Confusum dicitur ex confusione, & compositione, quæ est in re. Confuse vero significat confusionem ex parte cognitionis nostræ. Potest enim res confusa cognosci à nobis tam distincte, quam confuse. Si enim hominem cognoscamus per cognitionem partium essentialium, tum rem confusam cognoscimus distincte. Homo enim est res composita & confusa. Quod si hominem cognoscamus per solum nomen sine cognitione partium essentialium (id est generis & differeniiæ) rem confusam cognoscimus confuse. Zab. 1. Phys. 1. Confusum accipit pro Composito suis accidentibus insignito, ideoque sensato.

CONGLVTINARE.

Conglutinare est per glutinum componere seu coniungere, manēte conglutinatorum natura. Itaque post conglutinationem potest fieri restitutio in integrum.

Glutinum est quod visciditate tenaci coniungit alterum alteri, aut etiam coercet.

Traducitur ad incorporea, vt vitia, concordiam, voluntates, amicitias.

CONGRVITAS,

congruere.

Congruum & congruens per Philosophiam fusum est. Tribuitur enim legibus Logicis, motibus Physicis & artificiosis, moribus, magnitudinibus Mathematicis, actionibus Hyperphysicis.

Congruere aliquando sicut & Commodius esse, & magis εὐπρεπὲς esse, opponitur ei, quod est Necesse esse (εἶναι ἀναγκαῖον) & includit aliquid contingentiæ, seu coniunctum est cum aliqua contingentia.

Petrus Abailhardus hæret.

Quæ necessitas, aut quæ ratio, aut quid opus fuit, cum sola iussione sua diuina miseratio liberare hominem à peccato posset, propter redemptionem nostram Filium Dei carne susceptā tot & tantas inedias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam crucis ignominiosam & asperrimam mortem sustinere, vt cum iniquis patibulum sustineret. *Annotatio sacrilega sed plenissime damnat nostrum sanguinem.*

Responsio *D. Bernhardi* in epist. cxc. ad Innocentium Papam ad singula quæst. membra.

Necessitas nostra fuit, & necessitas dura sedentium in tenebris & vmbra mortis. Opus æque nostrum & Dei ipsius, & sanctorum Angelorum. Nostrum; Vt auferret iugum captiuitatis nostræ: suum, (Dei) vt adimpleretur propositum voluntatis eius. Angelorum, vt numerus impleretur eorum. Porro ratio huius facti fuit dignatio facientis. Quis negat omnipotenti ad manum fuisse alios & alios modos nostrę redemptionis, iustificationis, liberationis? Verum hoc non præiudicat huius, quem è multis elegit, efficaciæ, & fortasse is præstat, per quem in terra obliuionis, grauedinis lapsus nostri, tot & tantis grauaminibus reparatoris fortius & viuacius admoneremur. Alias autem nemo hominū nouit, *Necessitas decreti diuini.* *Negat hic necessitatē absolutam & omni modam.*

uit, nec noſcere plene poteſt quid boni ad gratiam, *quid congruentiæ* ad ſapientiam, *quid decoris* ad gloriam, *quid commodi* ad ſalutem penes ſe ipſam contineat huius venerandi myſterij altitudo quam Propheta conſiderans expauit, non penetrauit: & Præcurſor Domini indignum ſe iudicauit qui penetraret. Cæterum ſi non licet perſcrutari diuinæ Sacramentum voluntatis, licet tamen ſentire effectum operis, fructum vtilitatis percipere, & quod licet ſcire, non licet tacere.

Auguſtin. Sermon. 3. de Annuntiat. Domini.

Sic *voluit* Deus ruinam fragilis vaſis reformare, vt nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia iuſtus eſt: nec inſanabile, quia miſericors eſt. *Potuit aliter fieri*: quantum *ad Potentiam Medici*, (intellige poteſtatem abſolutã.) *Sed non potuit commodius* (id eſt congruentius) aut doctius (id eſt ſapientius) præparari, vt eſſet medicina ægroti & quantum ad iuſtitiam Dei. Laudat hæc loca Ludouicus Lucius Baſil. contra Gittichium.

CONIECTVRA.

Coniectamus ea, quorum rationes certas ignoramus. Bona coniectura Græce εὐστοχία eſt veræ concluſionis inuentio abſque medio (ſiue id ſit res, ſiue ratio nis, vt placet Zuingero.)

CONIVGATIO.

Coniugatio in Grammaticis eſt verbi flexio, quæ & dicitur declinatio, quæ multa tempora vni themati quaſi iugo ſubiugat.

Coniugatio Logica eſt συζυγία coniugatorum.

Coniugatio Naturalis varia eſt 1. vt cum materia & forma coniunguntur ad conſtitutionem compoſiti, vbi materia inſtar fœminæ eſt, forma ſe habet vt mas.

2. Cum coniunguntur qualitates elementorum ad conſtitutionem corporum proportionaliter ſeu ἀναλόγως, vel ipſa corpora cœleſtia. Sunt autem coniugationes quatuor, quas alij vocant combinationes, Græci συζυγίας.

3. Cum aues συνδυάζουσιν ad gignendum.

Coniugatio in Ethicis & Politicis quid ſit notum eſt, nempe certorum hominum coniunctio, vnio, Homonia, ſocietas. Quæ ſi non eſt legitima, à Græcis pulcre dicitur κοινωνία ἀκοινώνητος, vt Communio vxorum, de qua diſputat Plato in l. 5. de Rep.

CONIVNCTVM.

1. Quod cum aliquo ſimul eſt, agit vel fit.
2. Quod eſt cum aliquo ſiue præcedat, ſiue ſequatur etiam, vt quædam voluptates ſunt coniunctæ cum dolore, ſiue is præcedat, ſiue ſequatur. Vid. Tab. Eth. Zuinger. p. 313.
3. Idem eſt quod Commune. Cicero. Scelera, quæ tibi cum eo coniuncta atque communia ſunt.

Ἄλλως.

Coniunctum quod eſt alicui, aut ſimpliciter eſt ſimul cum eo ſeu connexum ei & ſociatum; vel pariter cum eo ineſt alij (ſic coniuncta ſæpe ſunt mentiri & furari vel meretricari:) aut eſt eius (cui coniunctum eſt) Eſſentia: aut ei ineſt vt forma aliqua ſubiecto, (Hæc enim naturaliter coordinata ſeu copulata ſunt) aut eſſentiæ proprietas aliqua; aut attingit id vel vt naturalis cauſa tranſmutans id, quod transmutatur, vt mouens id quod mouetur, (Mouens enim & motum dicuntur eſſe ſimul à Phyſicis) vel vt ars ſibi ſubiectam materiam; vel pars eſt alterius, vel effectus. Si eſt pars, aut indiuidua eſt à tota, vt Sol & ſtellæ à firmamento, aut ſeparabilis, vt aqua à ſuo elemento (toto.) Si effectus; aut ſeminaria ratione inteſtina pullulat, vt plantæ à terra, ipſi tamen ſuæ parenti

infixæ : aut ex ſuis principijs conflatur & conſtat, vt ex aquis & terta animalium corpora, aut cauſam habent externam, vt efficientem, quo exemplar refertur, & Finem: Aut denique idem eſt, quod cognatum aliqua ratione.

Explicatio.

Aut eſt ſimul cum eo.] Sic cauſa ſecundaria coniuncta eſt primariæ, cui obedit, finis ſecundarius annexus eſt principali.

Cognatum] Homo homini eſt coniunctus, id eſt, cognatus. Politica hæc eſt ſignificatio.

Coniuncta quæſtio eſt Logicis compoſita. Coniunctum thema compoſitum. Coniuncta Enuntiatio compoſita, cuius forma eſt coniunctio, id eſt compoſitio. Extremum coniunctum eſt compoſitum. Alias terminus coniunctus, vt Deus ſapiens, cui opponitur ſimplex; vt Deus.

Obſeruatio Logica.

Multa ſunt coniuncta, quorum neutrum alteri cauſa eſt, vel ſubiectum, & illa in Topicis arguunt, vi ſolius coniunctionis, vt Dulce & flauum in melle. Dulcedo enim non eſt cauſa flauedinis, nec flauedo cauſa dulcedinis.

Aliquid ſimul eſt Locale & Temporale, ſed Temporale non eſt effectum localis, nec locale effectum eſt temporalis, nec locale ſubiectum eſt temporalis, nec hoc illius.

Coniunctio, Coniugatio.

Coniunctio Copulatio quædam eſt. Hæc eſt Politica, Phyſica, Logica, Artificioſa.

De Politica Ciceronis in officijs hoc eſt:

Optime Societas hominum coniunctioque ſeruabitur, ſi vt quisque erit coniunctiſſimus, ita in eum plurimum benignitatis conferatur.

Huius coniunctionis ſeu ſocietatis gradus ſunt: Summus, Medii, Remotiſſimus; Principes, Minus principes. Alia etiam eſt naturalis (omnium hominum) alia Ciuilis (certorum hominum) Conſule Iuriſconſult. Graduum exempla ſunt. 1. Patria & Parentes. 2. Vxor, liberi, totaque domus. 3. bene conuenientes propinqui. 4. Amici bene meriti. 5. Ciues. 6. Qui ſunt eiuſdem nationis & gentis. 7. Omnes homines: Remotiſſima hæc ſocietas, cuius vinculum Ratio & oratio.

Politicæ affinis eſt coniunctio gregalium animalium, qualis eſt gruum, quæ diſcedentes autumno ſequentes ducem inter volandum ordine ac ſerie Græcum X vel Y exprimunt.

Contrariorum Coniugatio eſt eorum Conuinctio: de qua eſt Canon Platonicus: Contraria colligantur intermedio ſeu vinculo quodam. Sic Plat. in Tim. Fieri non poteſt vt duo cohæreant ſine tertio, ac proinde & tertium aliquod requirunt, & quaſi nodum vinculumque deſiderant, quod inter duo illa intermedium concinne & iungat atque conciliet; ſed vinculum id eſt aptiſſimum atque pulcerrimum, quod ex ſe atque de his, quæ adſtringit, quam maxime vnum efficit. Id optima ſequitur ἀναλογία.

Duo principia contraria ſe coniungere non poſſunt.

Canon.

Contraria componi inter ſe non poſſunt ſine alterius interitu, niſi intercedat aliquod vinculum, cuius beneficio commode deuinciantur.

Sic Iohan. Serran. ad Plat. Tim. Mundus 4. contrariis conſtat qualitatibus, quæ vt vna conſpirent atque conueniant, inter-

intermedio vinculo quodam debent deuinciri, proindeque illarum coniugationes fieri, vt inde oriatur ἀναλογία tanquam anima eius.

A Poetis Hymen dicitur boni amoris ξυναγωγός, id est, Coniugator & Conciliator.

Coniunctio Planetarum est Planetarum sub eodem Zodiaci gradu vel eodem, vel loco positus, (Græce σύνοδος) Coitus nota eius ☌.

Apud Ptolemæum cum coniunctiones Absolute dicuntur (id est sine adiectione nominis) intelliguntur de Lunæ & Solis coniunctionibus (κατ' ἐξοχὴν Synodoch.) Cum autem de aliis Planetis, additur illius stellæ nomen, vt Coniunctio Veneris, & Saturni; Coniunctio Iouis & Saturni in cancro, quam quidam Astrologi dixerunt fuisse causam vniuersalis inundationis.

Coniunctiones Luminarium sunt maximæ, mediæ, minimæ. Ptolem. Maximæ ei sunt Defectus Luminarium. Mediæ, quæ fiunt in sign. Tropic. Arietis, Cancri, Libræ, Capricorni. Minimæ, quæ singulis quoque mensibus fiunt. Iohan. Picus Mirand. in Astrol. l. 5. c. 5.

Simplicius & Boetius de Grammaticis coniunctionibus loquuntur, cum dicunt, Coniunctiones per se ipsas nihil significant, principaliter non significant, sed consignificant, vt Et, Sed. Itaque nec subiectum, neque prædicatum ἑρμηνείας faciunt. *Gramm. coniunctio.*

Physicæ Coniunctionis species est συνδύασις cũ duo copulantur, συνδυασμὸς, combinatio, congressus seu coitus Venereus, συνδυάζεσθαι est duos seu par coniungi seu copulari.

Coniunctio Logica est vinculum enuntiali compositi.

Coniungi.

Coniunguntur seu adunantur quæpiam
- Aggregatione
  - Ordine, vt Homines in exercitu. Hic totum forma est.
  - Confuse, vt cum iuscula confunduntur.
- Contactu, adhæsu, colligatione, vt parietes domus. Hic forma est compositio.
- Alteratione componentium, vt mel & aqua in mixtione. Hic forma est mixtio.
- Procreatione, vt Materia & Forma.

CONNEXVM.

Connexum significat

1. Coniunctum cum alio. Sic in Topicis connexa dicuntur, cum duo inter se cohærent seu coniuncta sunt. In Lacte dulcedo & albedo connexa sunt, id est, perpetuo coniuncta. Sanctorum Mors & dies eorum natalis connexa seu coniuncta esse dicuntur. Hinc existit Impropria Prædicatio: Sanctorum obitus sunt eorum natalitia. Sunt enim eorum natalitia non proprie seu formaliter, sed propter coniunctionem cum principio sempiternæ ipsorum vitæ. Sancti & pij cum denascuntur, nascuntur. Ita Impropria reuocatur seu reducitur ad propriam, Irregularis ad regularem. Hinc soluitur illud: Cum Mors sit πέρας seu extremum, quod est terminus finiens, quomodo dici potest principium. Resp. Dicitur tantum principium per accidens. Nunquam est sine intellectione Voluntas Scal. Hæc igitur connexa, seu coniuncta, seu cohærentia inter se dicuntur.

Erasm. Piorum Mors est traiectus ad immortalitatem.

2. Enuntiatum, cuius nota Coniunctio connexiua. Dicitur conditionale.

3. Consequens antecedentis in Syllog. Enthymematico, vt: Primæ societates, domus & vicus, sunt naturales: E. & ipsa ciuitas: Hic primæ societates, &c. est Assumptum: Ergo, &c. est connexum.

In Loc Dial. Melanchthon. Connexa accipiuntur specialiter pro loco & tempore. Connexa, inquit, sunt circumstantiæ, sine quibus res esse non possunt, vt sunt Locus, Tempus, quia nunquam diuelluntur à rebus. Connexiuæ, quas vocat Gellius libr. 10. Coniunctiones, vt Et, Quæ, Ac, sunt Copulatiuæ nostris Grammaticis.

Distinctio Connex. in prima significatione.

Cõnexa vt ordinata, ita quoq; distincta sunt { Formaliter. / Virtualiter, id est, virtute tantum.

Diuina attributa ordinata & distincta sunt à parte rei virtute solum, id est, ratione effectorum. Fonsec. 5. Metaph. Itaque in diuinis attributis datur Prioritas tantum virtute. Idem ibid. In sole duplex est vis: Vna calefactiua, altera exsiccatiua. Sed neque sunt hæ δυνάμεις ordinatæ, neque distinctæ formaliter à parte rei: Vna enim est tantum qualitas, Luxipsa. Sunt autem ordinatæ & distinctę virtualiter, quod ita se habeant in calefaciendo & exsiccando, ac si vis calefactiua esset prorsus alia ab exsiccatiua, eamque naturæ ordine antecederet.

Connexa quæpiam seu simul esse varie possunt, vt natura, loco, tempore, subiecto, cognatione, &c. Quædam etiam tempore, natura & cognatione simul, vt relatiue opposita.

Connexiones rerum.

1. Connexiones rerum nihil aliud sunt, quam

quam identitates quædam ſubiectorum cum prædicatis, antecedentium cũ conſequentibus. Intellige Identitates fundamẽtales, quæ nihil aliud ſunt, quam negationes quędam diuerſitatis ſubiectorũ à prædicatis: Ad differentiam Formaliũ identitatum, quæ ſunt relationes rationis, & ipſis connexionibus, in quibus fundantur poſteriores. Exempli cauſa, identitas hominis cum animali eſt negatio diuerſitatis ab illo ſecundum ſubiectum. Hæ negationes diuerſitatis ſunt priuatiuæ, vel pure negatiuæ: priuatiuæ ſine ſubiectis non exiſtunt, ait Fonſeca, pure negatiuæ exiſtunt, id eſt, per ſolam non exiſtentiam eorum, quæ negant, ait idem Fonſeca. id eſt, negationes purę dicuntur, quæ vt ſuo modo exiſtant, non indigent exiſtentia ſubiectorum. Definitio connexionis rerum intelligitur ex hoc, *qnod omnis vera prædicatio fundatur in identitate aliqua ſubiecti cum attributo.* Hinc verarum prædicationum *aliæ ſunt eſſentiales*, quia ſubiectum eſt idem ſecundum eſſentiam cum prædicato: *Aliæ ſunt Accidentales*, quia ſubiectum eſt cum Prædicato idem ſubiecto. Hæc Fonſeca.

Connexiones rerum ſunt neceſſariæ vel contingentes, ſunt per ſe, vel per accidens.

Neceſſarię ſunt connexiones rerum, quæ pertinent ad primum & ſecundũ modum dicẽdi per ſe, vt homo eſt animal, homo eſt diſciplinæ capax. Huc pertinet Connexus definitiuus, id eſt definiti & definitionis.

Contingentes connexiones ſunt variabiles, vt: Pamphilus ſi id facit, hodie poſtremum me videt. Itaq; interdum dicuntur vitioſæ, vt ex malis moribus ortæ ſunt bonæ leges. Hic vitioſa connexio eſt, quia mali mores non ſunt per ſe cauſa bonarum legum, ſed mens bonorum gubernatorum.

Qui bene bibit, bene dormit.
Qui bene dormit non peccat.
Qui non peccat, erit beatus.
Ergo qui bene bibit, erit beatus.

Hic prima & ſecũda connexiones habẽt vitioſas. Nam Ebrij non mox dormiunt, nec ſemper dormiunt. Nec dormire cauſa eſt ſemper prohibens delicta, &c. Melanch. in doctrin. Sorit.

At neceſſaria & non vitioſa eſt connexio generum & ſpecierum continui ordinis: ſicut & cauſarum per ſe ac propriarum, & propriorum effectorum.

Non neceſſaria autem eſt ad connexionum veritatem exiſtẽtia, vel cõſtantia ſubiectorum, vt multi grauiſſimi authores ſtatuunt; & ex exiſtentia connexionum huiuſmodi non neceſſario colligitur exiſtentia rerum, quas illæ cõnectunt. Septem & tria ſunt decem, nec vnquam non fuerunt decem, etiam cum nulla decem exiſterent. Aug. 2. de libero arbitrio. c. 8.

Connexiones ſunt ſimplices & categoricæ; vel compoſitæ & hypotheticæ. Illæ ſunt in ſimplicibus & categoricis enuntiatis: Hæ in compoſitis & hypotheticis ſeu conditionalibus.

2. Connexio membrorum ſeu omnium partium in ratiocinatione non diſcrepans à præceptis ſeu regulis ratiocinandi eſt Melanchthoni bona conſequentia. Contra connexio diſcrepans à norma, ideoque vitioſa dicitur mala conſequentia. Vide Fallaciam conſequentis.

3. Connexio à Scholaſticis nonnunquam accipitur pro vnione, vt cum quærunt an connexio Naturæ humanæ ſit cõtingens, necne? id eſt, an ſit neceſſaria.

4. Connexio quædam eſt ordo anteceſſionis & ſucceſſionis. Talis eſt cõnexio & dependentia inter diem & noctem: hæc illi ſuccedit; neutraq; eſt alterius cauſa vel effectus, aut alterius ſubiectum, vel adiunctum. Dies fit ex nocte, id eſt, dies ſuccedit nocti: tranſitus à die eſt ad noctem.

CONNOTANS, CONNOTATIVVM.

Connotans est vna cum alio notans, vt cum dicitur aliquid connotare subiectum.

Opponitur formaliter primoque significanti, vt cõnotatum opponitur formaliter & primo significato.

Connotans igitur est significans secundario, Connotatũ significatum secundario. Sic dico hoc significat seu notat solam naturam, connotat autem modum.

Interdum Connotatiuum complectitur vtrumq;, & principale, & minus principale significatiuum. Amo significat formaliter amorem: Quod importat tempus, pertinet ad Connotatum.

Quidam actus sunt Positiui, quibus annexa est deformitas & malitia, vt furtum, fornicatio, adulterium, simulatque hæc sunt nominata, conuoluta sunt malitia, nimirum quia nomina illa connotant deformitatem seu ἀ⁀κ-ξίαν, seu rectitudinis priuationem, quę formale, quo aliquis fit peccator, seu forma quasi peccati dicitur. Aristot. 3. Ethic.

Nomina] Ipsi Bono Naturæ (quod Entitas Positiua est Scholasticis) essentialiter deformitas & malitia non est annexa.

Vocis Significatum { Formale, immediatum & primum. / Connotatum.

Denotare Coll. Conimbr. vsurpat ita, vt opponat ei, quod est formaliter significare, vt cum dicit: Signum est nomen connotatiuum formaliter indicans vim significandi & denotans rem significantem.

An Calor & Calere; Lucere & Lux; Albere & Albedo prorsus idem sint? Resp. Negate. Nam Lux, albedo, calor simplices formas per modum permanentiæ significant sine connotatione subiecti. Sed lucere, calere, albere significant formas per modum fluentis seu motus; seu formas notant, vt placet Armando, subiecta connotando. Itaque Armandus de Bello visu lucere, albere, &c. dicit esse concreta verbalia. Sed lucere, calere, albere motus non sunt, sed albefactio & calefactio, &c. Lucere enim est lucem habere, in actu lucis esse: Albere est habere actum albedinis, actu habere albedinem, esse in actu albedinis: Hæc scilicet omnia paria sunt.

Concr. verbal.] Intell. Lucens est habens, Lux est id quod habetur.

CONNOTATVM.

Occam. sæpe sumit Connotatum pro relato, & Absolutum pro non relato.

Connotatum est significatum principale termini connotatiui, vt ars fabrilis Fabri. Tales (termini connotatiui) enim sunt adiectiua determinantia sua substantiua, vt bonus, malus determinãt Fabrum. Ex sententia durandi & Pal. Dicitur potius est bonus simpliciter, id est, moraliter seu bonitate morũ, & Petrus est bonus secundũ quid, nempe bonus artifex seu faber. Posteriore locutione bonus est terminus cõnotatiuus, quia adiectiuũ determinat suum substantiuũ, ac dicit suã bonitatẽ adiacere principali significato (arti fabrili) seu determinabilis (fabri.) Id enim est significatum principale termini connotatiui, (fabri) vnde cum dicitur Bonus faber, denotatur bonitas artis fabrilis. Per Bonum Dominum intelligitur bonitas ἐξ⁀σίας, seu potestatis dominandi. Vid. Gabr. Biel. in quæst. Vtrum peccet, qui sciens accipit Baptismum à malo ministro.

CON-

CONSCIENTIA.

Conſcientia
- Vis Conſcientiæ Mentis.
- Notitia mentis, cum iudicio, approbante factum cum ſuauitate, vel improbante cum triſtitia.
- Habitus concluſionum Practicarum, συνλήψεις.
- Syllogiſmus Practicus, cuius Maior eſt Lex Dei vniuerſalis: Aſſumptio & concluſ. ſunt ſpeciales, applicationes Maioris. Actus Concluſionum Practicarum.

Nemo non conuincitur vi conſcientiæ ἐσιώδους omnes homines natos eſſe & conditos ad cultum Dei & iuſtitiam, ad ſummum bonum.

Speuſipp. de Platon. defin. Conſcientia eſt cogitatio triſtis abſque ratiocinatione. Hic accipitur ſpecialius.

Generalius eſt Notitia arcana de factis præteritis ab homine concepta, recte factorum bona, male factorum mala: Illam Lætitia, hanc dolor ſequitur.

Conſcientia eſt ſenſus iudicij diuini de factis ſuis, quorũ notitiæ tanquã teſtis adiunctus eſt: Vnde συνείδησις dicitur.

Conſcientia bona eſt cordis noſtri teſtimonium coram Deo de ſua (nempe cordis) integritate. Ioh. Piſcat. loc. 14. de Libertat. Chriſtian. p. 111.

Partes Conſcientiæ ſunt Teſtatio facti; Excuſatio vel accuſatio bene vel ſecus facti: Impulſio ad agendum, vel ab agendo reuocatio (Impulſio illa proprie non eſt violenta torſio.) Conſcientia igitur partim ad mẽtem, partim ad voluntatem pertinet. Liceat hoc παρεργως adiicere.

Scientia conſtat
- Principijs ſeu elementis. Propoſitionibus tanquam fundamentis.
- Concluſionibus.
- Conſectarijs.

Sunt & qui vocent CONSECTANEA.

Conſectaria ſunt non tantum verorum, ſed & falſorum. Nam ex abſurdo vno dogmate interdum coloniæ mirificarum & abſurdarum opinionum deducuntur: vt dicitur: Dato vno inconuenient plura ſuccedunt.

Concluſio vel Theorema & conſectariũ eius faciũt Enthymema, vnde ſyllogiſmus integer fieri poteſt. Exẽpli cauſa. Definitio Diametri eſt recta figuræ inſcripta per centrum. Ex hac definitione exiſtũt tria cõſectaria. Definitio eſt Enthymematis antecedens; Conſectarium eſt conſequens. Diameter eſt recta, &c. Ergo Diametri ſunt infinitæ, &c. Ergo centrum figuræ, &c.

„ *Vel ſolii ſtrepitũ ſibi non bene conſcius horret.*

Cum ſumitur Conſcientia pro Concluſionum practicarũ actu, diſtinguitur à συνληψει (ſic dicta, quod principia in mente ſeruet) vt aſſumptio à Propoſitione. Propoſitioni enim, quam dat Syntereſis, conſcientia ſubijcit aſſumptionem, vt Propoſitio ſit Theſis, aſſumptio Hypotheſis. *συνληψις eſt cõſeruo.*

CONSECTARIA.

ἐπαναπολουθήματα.

Conſectaria ſunt Propoſitiones, quæ ex elementis vt definitionibus, diuiſionibus, lemmatibus (ſumptis declarationis indigentibus) concluſionibus conſequuntur. Hinc dicuntur elementorum, definitionum, &c. conſectaria & appendices. Scaliger vocat conſequentia, alij Corollaria. Scalig. Euclidearum propoſitionum paucæ quædam ſunt pro principijs, aliæ pro concluſionibus, plurimæ pro cõſequentibus, quæ vocant Corollaria; nonnullæ conuerſæ. exerc. 319. Hæc eſt reductio Euclidearum propoſitionum ad pauciores. *Reductio.*

Hinc Syllogiſplene.

1. *Rectæ per centrum ſunt infinitæ.*
Diametri ſunt rectæ per centrum.
Ergo Diametri ſunt infinitæ.

2. *Medium figuræ punctum eſt in diametro.*
Centrum eſt medium figuræ punctum.
Ergo centrum eſt in Diametro.

3. *Commune punctum diametrorum eſt in earum concurſu.*
Centrum eſt commune punctum Diametrorum.
Ergo centrum eſt in concurſu diametrorum.

Conſectarium ſæpe vocatur ab eruditis ἐπακολούθημα, *&* ἐπακολουθικὸν. Valde autem, quod in Tranſcurſu moneo, vtilis eſt ratio diſſerendi, ſi primo afferatur Poſtulatum vel Hypotheſis tanquã diſputationis fundamentum. Deinde propoſitio ſeu Theſis ſeu Aphoriſmus: Tertio Concluſio & ἐπακολούθημα, vt:

Sit Hypotheſis.

Palpabilitas & viſibilitas ſunt ἰδιότητες ſubſtantiæ corporeæ ſolidæ, non infirmitatis, ſed perfectionis, non accidentariæ, ſed naturales & ἰδιώδεις.

Aphoriſmus ſeu πρόταϛις.

Corpus humanum per ſe & in ſe eſt palpabile & viſibile.

Symperaſma.

Corpus ergo Chriſti ſemper tale, ſiue humiliationis, ſiue exaltationis ſtatum ſpectes.

ἐπακολούθημα.

Falſum itaque: Sola externa apparitione diſceſſit à nobis Chriſtus ad diem iudicij vſque non videndus. Seruetus de myſteriis Eccleſiæ.

CONSEQVENS.

In Log. primo ſignficat partem poſteriorem enuntiati.

2. Concluſionem argumentationis, vel quod infertur ex antecedente.

3. Scalig. in ex. conſequentia accipit pro Corollariis, quæ è concluſionibus deducuntur, vbi ait, in Matheſi 1. eſſe Propoſitiones. 2. Concluſiones. 3. Conſequentia, quæ & conſectaria dicuntur, & Græcis ἐπακολουθήματα.

Conſequens interdum eſt Philoſophis idem quod conueniens ſeu congruës. L. 2. Tit. 7. de Donation. Inſt. Iur. Nos conſequentia nomina rebus eſſe ſtudentes conſtituimus, &c. id eſt congruentia. Ratio λέξεως huius eſt: quia nomina ſunt rebus poſteriora.

Conſequentia.

Conſequentia in Logica eſt, cum ex eo quod ſumptum eſt, conſequitur aliquid.

Conſequentia ſeu Conſecutio ſeu ἀκολούθησις à Peripateticis & Scholaſticis diſtinguitur à Syllogiſmo.

Conſequentia è contradictoriis (a *Conſequentia procedens ex oppoſito ſubiecti ad oppoſitum prædicati.*)

- *E conuerſo* eſt, cum accipimus oppoſitum eius, quod eſt in poſita poſitione prædicatum, & de eo prædicamus oppoſitum ſubiecti: Sic dicta, quia ordinem commutamus, ex ſubiecto prædicatum efficientes, & ex prædicato ſubiectum. Species hæc eſt reciprocæ conſequentiæ: Honeſtum eſt delectabile: Ergo non delectabile non eſt honeſtum. Iuniores vocant cõuerſionem per a contrapoſitionem, Græc. ἀναϛροφὴ καὶ ἀντίθεσιν.
- *Ab oppoſito* (ſcilicet prædicato ad oppoſitum ſubiecti) cum ex oppoſito conſequentis infertur oppoſitum antecedentis, vt: Bonum eſt eligibile: Ergo non bonum non eſt eligibile. Sed ſæpe fallit. Illaigitur illatio fit ordine commutato. Hæc eodem. Vid. 5. Topic. loc. 24.

Conſe-

Consequentia ex Aduersis
- *Ad idem*, ὅτι τἀ αὐτά: Hæc fit ordine eodem, vt: Virtus est eligenda: Ergo vitium est aspernandum.
- *E conuerso*: Hæc fit ordine commutato, vt: Felix est virtute præditus: Ergo vitiosus est miser. Qui bonum habet habitum, sanus est: Ergo æger est in malo habitu. Vid. loc. 25. Top. 5.

Id est, Ad alterum aduersum consequitur aduersum alterum, vel eodem ordine, vel commutato.

In Priuantibus & Relatiuis nunquam fit consecutio ordine commutato, sed tantum ordine eodem: vt: Princeps regit: Ergo subditi reguntur.

Consecutio ἀκολούθησις
- Directa: Si ad triplum sequitur multiplex; ad subtriplum sequitur submultiplex esse.
- Indirecta, ἀνάπαλιν, quæ fit indirecte seu conuerse: Electi sunt vocati: Ergo qui non sunt vocati, non sunt electi, sed reprobi.

Directa, in qua ad oppositum antecedentis sequitur oppositum consequentis.

Indirecta, in qua ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis.

Direct.] vt Boni sunt felices: Ergo mali sunt miseri: ὅτι τἀ αὐτά, id est, directe opposita hæc sunt.

Indirect.] Omnis εὐεξία, (id est bonus habitus corporis) est sanitas. Ergo omnis morbus est κακεξία. Omnis pius est religiosus: Ergo omnis superstitiosus est impius.

Canon:

Contraria sunt contrariorum consequentia.

Explicatio specialis.

In Aduersis Consecutio est Directa fere. Dico fere, Quia in paucis Indirecta est.

Directa, vt: Si Electi saluantur: Reprobi damnantur. Si ad beatitudinem sequitur Voluptas animi: tum ad miseriam sequitur dolor animi. Hic vides contraria consequentia sequi ad contraria antecedentia.

Indirecta: Omnis bonus corporis habitus, id est, ἐυεξία, est sanitas. Ergo (ἀνάπαλιν) omnis morbus est malus habitus corporis, id est, κακεξία.

In Priuantibus & Relatis omnes Consecutiones sunt Directæ: In priuant. vt, Visus est potentia: Ergo cæcitas est impotentia. In Relat. vt, si Scientia est quædam hypolepsis, sequitur ὅτι τὸ esse aliquid ὑπολητπτὸν: Si visio est sensio, visibile erit sensile aliquod.

In Cõtradicentib. Indirecta perpetuo est Consecutio (qua ex opposito consequentis concluditur oppositum antecedentis.)

Si Homo animal est; Ergo si animal non sit, Homo non est. Si animali non existente homo non sit: sequitur vt si homo sit, animal quoque sit. Hic enim (id est, in oppositione Contradicentium) proceditur vel à negatione Consequentis ad negationem antecedentis: vel ab affirmatione antecedentis ad affirmationem Consequentis.

Quærat aliquis, Cur ἀκολούθησις in Relatis perpetuo sit Directa? Respon. Quia genera relata prædicantur in his de Speciebus, quæ & ipsæ sunt relate oppositæ. Si triplum est multiplex: Subtriplum est submultiplex. Nam vt antecedens refertur ad an-

tecedens relate ; ita consequens ad consequens.

Cur in Priuantibus perpetuo Directa est Consecutio ? Quia Habitus & Priuatio non sunt cuiusdam species , cum nullo genere contineantur vno , sed ratione tantum subiecti sui intelligantur esse, vt, si Felicitas est vita quædam, Miseria mors quædam erit , Spiritus scilicet intelligentia præditi.

Cur non sequitur: Videns est viuens : Ergo cæcus est mortuus. Vel: Videns est viuus : Ergo mortuus est cæcus ?

Resp. Quia priuatio non est nisi in eo solo & vno subiecto, quod potest capax esse habitus.

At mortuum nemo dixerit esse cæcum. Vnum enim vtriusque , Habitus & Priuationis, visus & cæcitatis est subiectum Animal oculis præditum. Vid. Schegk. in 2. Top. p. 268.

Consecutio Grammatica, Consequens Grammaticum & Oratorium.

Consecutio in Grammatica est Orationis, vt ita dicam , congruitas, quam Cicero partium conuenientiam vocat, vt scilicet non perturbetur oratio generibus, numeris, temporibus, personis, casibus.

Orator nisi considerauerit vt coniuncta verba sint consequentia , facile prolabetur in vitium , quod vocatur Solœcismus, vt si non considerat vt verba singula sint Latina, labitur in Barbarismum . Benedictus de Benedictis.

Consequentia & Inconsequentia Rhetorica.

In Allegoriis vitanda est inconsequentia.

In Allegoria tenendum est illud, vt quo ex genere rerum cœperis, eodem desinas. Secus inconsequentia fœdissima fuerit , ait Quintilianus.

Consequens Mathematicum & Astronomicum.

Consequentes termini & Consequens rationis, & consequentes rationes dicuntur respectu antecedentium terminorum, antecedentis rationis, & antecedentium rationum .

Consequentia sunt Porismata, quæ Hypotheses, Definitiones, Conclusiones sequuntur.

In Consequentia motus in Astronomia est, qui fit secundum signorum seriem: In Præcedentia contra. Ille Directionis est : Hic Retrogradationis.

Consequi & Comitari non sunt idem.

Hoc enim significat coniunctionem & connexionem, & in eo habet locum ἅμα Tempore. Illud respicit præcedens, & in eo non est simul tempore, sed prius & posterius.

Generationem vnius rei comitatur interitus alterius rei, id est, generatio vnius rei coniunctam habet alterius rei generationem : vt interitus Generationem tempore non præcedat , sed simul cum ea sit. Sic enim quidam interpretati sunt dictum Aristotelis, Generatio vnius est corruptio alterius, & viciſſim. Vid. Zabar. l. de Generat. & Interit. c. 5.

CONSECVTIVE.

Consecutiue ex aduerso respondet interdum Antecedenter, interdum effectiue vel causaliter. Sic enim loquuntur Scholastici , Generatio vnius est corruptio alterius non quidem effectiue, sed consecutiue: Id est cum materia via naturæ sine formis esse non possit, necesse est vt corruptionem vnius

nius generatio alterius insequatur. Vocarunt hanc circulationem, id est, circularem seu vicissitudinariam generationem & corruptionem, qua mundus perpetuari videtur Peripateticis.

CONSENSVS

In Polit.

1. Consensus est aliquorum in vnum sensus: Alias Consensio, vt: Voluntatis seu mentis: & sermonis sit consensio & quasi concentus, id est, conuenientia.
2. Tráducitur ad Naturalia. Nam naturæ consensio est naturæ cónuenientia. Cic. Dicunt etiam *συμπάθειαν*: vt cum dicunt Medici, Epilepsiam interdum pati cerebrum per *συμπάθειαν* seu consensum cum aliis partibus, nempe cum, verbi gratia, ab orificio ventriculi ascendit vel vapor cerebro infestus prorsus, vel qualitas tantum molesta, quæ dum substantiam cerebri infestat, hæc motu pugnante & *παρὰ φύσιν* concitatur.

In Logica Consentaneorum argumentorum forma est consensus, qui ex affirmatione intelligitur.

In Grammatica Substantiui & Adiectiui consensus est Concordantia seu conuenientia. Hic est consensus vocis Syntacticus.

In Pathologia consensio opponitur Essentiæ. Alius enim est morbus per Essentiam primarius, qui alterius causa est: Alius per consensum Secundarius, quem causat primarius.

Consensus hic fit per
- Defectũ alicuius efficaciæ seu Spiritus, quo in altero membro actiones fiunt.
- Transmissionem rei extraneæ.
- Viciniam partis primo affectæ.
- Communitatem partis alicuius cum primo affectæ.
- *συμπάθειαν*, Barb. Condolentiam.

CONSENTANEVM.

Consentanea idem sunt, quod Consentientia vel concordantia. Hęc sibi sunt consentanea, id est, inter se concordãt, congtuunt. *εἰσὶ σύμφωνα αὐτοῖς*, Plat.

In Logicis Consentaneum argumentum est, quod cum re seu themate consentit, siue illud arguat probabiliter, siue necessario, siue absolute, siue quodam modo; vt Formatum cum Forma, Materiatum cum materia, propria affectio cum subiecto.

In Physicis Consentanea (id est conuenientia) formis rerum, quibus insunt, temperamenta dicuntur, qualia sunt, cum res recte habent, Dissentanea cum male.

Deinde in Logicis & Philosophia Cõsentanea accipiuntur speciatim pressimq; pro verisimilibus & probabilibus, quę Græcis sunt *τὰ εἰκότα* (ab *ἔοικε*, id est, videtur) & *ἔνδοξα*, & *τὰ δοκοῦντα*, & veritati analoga. Plato in Timæo *λόγον εἰκότα* dicit, intelligens rationem probabilem: & *εἰκότως* vsurpat pro verisimiliter & consentaneo modo. Huic consentaneo opponitur *τεκμήριον* necessarium, signum necessarium minimeque fallens. Sunt ergo paria, consentaneis probari, *δι' εἰκότων*, & *δι' ἐνδόξων* probari: Interdum etiam Logica seu Dialectica ratione confirmari. *Melanch. in Dial.* *Arist. in Phys & lib. de anima.*

Tertio consentaneũ dicitur pro eo, quod est πρέπον, vt vnicuique tribuere quod consentaneum est, id est, quod decet. Hæc significatio Ethica est.

Ioh. Serran. in Platon. version.

Accipitur & Consentaneum pro Naturali ideoq; optabili, vt fœtui post certum illud tempus, quo in vtero materno detineri solet, naturale & consentaneum est in lucem produci, ab illoque tenebricoso naturæ ergastulo foras emicare.

Non est consentaneum atque expetibile (desiderabile) animam separatam existere à corpore, id est, est contra naturam animæ nostræ, vt ait Thomas Aq. Animæ à corpore separatio non est ei naturalis siue consentanea. Coll. Contractat. de anim. disp. 2. art. 2.

Affectiones oppositæ, præsertim priuatiue, eidem rei connaturales & consentaneæ esse nequeunt.

CONSERVATIO.

Suarez. Tò Productio connotat ordinem seu σχέσιν ad terminum A Quo, qui sit priuatio seu negatio simpliciter existẽtiæ termini ad Quem, quia produci significat adduci de non esse simpliciter ad Esse.

Suarez. *Conseruatio est influxus eiusdem esse, quod antea erat.*

Idem. Conseruatio eadem actio est cum productione quatenus permanet & durat, influẽdo idem esse, quod in primo instanti produxit, vt constat è Thom. 1. part. quæst. 104. artic. 1. ad 4.

Sed tamen fieri potest vt res conseruetur per distinctam actionem, à productione, cessante priori actione potest per nouam actionem id conseruari, quod per alteram actionem fuerat productum, vt si lumen productum ab vna lucerna conseruaretur ab altera.

Conseruari est dependere ab alio in esse, Gabr. lib. 3. distinct. 1. q. 1. vt lumen à lucerna.

Causa conseruans aut est Directe & per se conseruans, vt Gubernator nauis præsens: vel indirecte & per accidens, vt quod remouet vel impedit actionem corrumpentis. Si enim non impedit cum potest, est indirecte causa interitus nauis.

CONSILIVM.

Consilium vox πολύσημος est in Polit.

1. Significat συμβυλὴν, id est, rationem quandam rei agendæ vel non agendæ ab aliquo excogitatam & alteri datam, nondum decisam tamen, neque fixam.

Vsurpatur etiam à Medicis & Theol. Dicitur enim Consilium Medicorum, Consilium Theologorum.

2. Significat συνέδριον consessum, vt cum dicitur à Cic. Sapiens Consilium senatus est orbis terrarum consilium.

3. Προαίρεσιν seu rationem rei agendæ vel non agendæ, explicatam, fixam, definitam, constitutam. Est autem Proæresis pluribus πρακτοῖς, (id est, rebus, quę sub actionem cadunt) propositis vnius, quam agamus & sequamur, cum diu multumque deliberauerimus, electio. Aristoteles eam dicit esse illorum quæ ad finem pertinent. Eth. 3.

Tertiæ significationis exempla. Sallust. de bello Iugurth. Vicit in auido ingenio prauum consilium. Cic. in Verr. Ego meum consilium tum iudicibus, tum populo probaui. 1. epist. ad Attic. Scribam alias ad te de meis consiliis capessendæ Reipub. plura. *Propositum* est aliud, quam προαίρεσις. Propositum enim vel Finis est, vel de fine dicitur.

4. Significat Suasionem. Dionys. Lambin.

Consilium capere seu suscipere non est, vt multi putant, *Consultare*, sed est αἱρεῖσθαι, id est, ex duobus vel pluribus consiliis vnum quod sequaris sumere.

sumere. Differunt igitur consilium capere & consultare, vt posterius & prius. Liuius l.34. Tũ vero desperatio Gorgobam quoque coegit id consilij, quod in altera morte vindicauerat, capere. Terent. in Heaut. Hoc consilium, quod cepi, rectum esse, & tutum scito. Cæsar l.7. postero die consilium ceperunt ex oppido profugere. Eodẽ Vercingestorix priusquã munitiones à Romanis perficiantur consilium capit, à se equitatum dimittere. Lib. 5. *Interficiendi Tasgetii consilium* fuisse capturos. Cic. Verr. 4. *Capit consilium* de amicorum sententia, *non adesse* ad iudicium. Ad Atticum 7. Subito *consilium* cepi, vt antequam luceret, *exirem*. Offic. 3. Cum autem *hoc consilium* principes *cepissent*, cognationem superbi, nomenq; Tarquiniorum & memoriam regni *esse tollendam*. Cæsaris Legati consultant, vtrum præstet magna Gallorum multitudine aduentante castra defendere, neque iniussu Cæsaris ex hybernis discedere: an priusquam hostes veniant saluti fuga consulere? Illi igitur disputatione ad multam noctem producta consentiunt tandem & pronuntiari iubent, prima luce ituros: Hoc est consiliũ capere. Vide 5. lib. Cæsaris.

Ex his intelligitur consilium capere esse consultantes vnum aliquid, quod agamus sumere, seu vnum consiliũ cæteris anteferre, non autem consultare seu βουλεύεσθαι.

Consilium non est Scientia, (vt dicunt Stoici) sed est excogitatio aliquid agendi vel non agendi.

Consilium est deliberatio de re agendi vel non agendi. Ioh. Checus Cantabrig. c. 4. de cons. bell. è Græco lib. de apparatu bellico.

Consilium μελωνυμικῶς est decretum seu sententia de re aliqua pro consultatione concluſa.

- Consilium accipitur
  - Late pro
    - Mentis humanæ operatione, qua quæritur & inuestigatur rei determinatæ
      - Explicatio.
      - Probatio.
    - Ipsa determinatione rei iam inuenta, vt, Do tibi hoc consilij.
  - Ita acceptum conuenit
    - Arti coniecturali, vt consilium Nauticum, Medicum.
    - Prudentiæ.
  - Stricte & magis proprie pro Ratiocinatione animæ de iis, quæ agenda sunt. l. 2. Ethic. c. 3. & l. 6. c. 9.
  - Ita conuenit Prudentię seu disciplinis Practicis, ac Practicum consilium dicitur.

Damascen. Consilium est appetitus Inquisitiuus de rebus vtilibus.

Thom. Aquin. Est inquisitio eorum, quæ pertinent ad finem πρακτῶν, id est, rerum agendarum à nobis non inuentarum nec determinatarum.

Aliis: Pars regiminis prior, qua ad Reip. salutem pertinentia cognoscuntur & determinantur. Seu, ad salutem Reipubl. attinentium cognitio ac determinatio: Intellige alteram partem esse cognitorum ac determinatorum administrationem & exsecutionem.

Bessarion: Consilium est inquisitio eorum, quæ sunt in nostra potestate, contingentesq; & dubiæ.

Consilium
- Mere Naturale.
- Prudentiæ præceptis gubernatum, βυλὴ καὶ ἐξοχήν. Huic opponitur consilium Temerarium, quod potius est Ἀβυλία, quam βυλή.

Consilium
- Simplex, quo inquiritur & determinatur quid sit agendum, & quo modo.
- Coniunctum seu Syllogisticum, quo inquiritur vel determinatur
  - An sit Agendum, An hoc potius sit agendum, quam illud.
  - Quo ordine aliquid sit agendum, quo processu aliquod negotiū sit tractandum.

Consilium practicum est prudentiæ
- Primæ
  - Generalioris, Ethicum.
  - Specialioris
    - Oeconomicum.
    - Politicum.
- Ortæ, id est, Iurisprudentiæ, Iuridicum.

Consilium Deo tribuitur per ἀνθρωποπάθειαν. Itaque Bessarion Cardinalis in Trapezunt. duplex facit consilium: Vnum Humanum, cui res dubiæ subiiciuntur: Alterum Diuinum, cuius certum subiectum est.

Υπόμνημα.

In perpetuis, quia necessaria sunt, proprie Consilium non est.

Consilio secundo aliquis vti dicitur, vt vti nauigatione secunda, cum primam tenere nequeas.

Consilians Causa Scholasticis est causa consulens. Hæc potest principali agenti dare finem & formam agendi.

CONSVLTATIO.

Platonicis Consultatio est consideratio futurorum, quonam pacto conferant.

Peripateticis est inquisitio hominis mediorum (vt sunt instrumenta & vsus eorum) ad finem propositum consequendum idoneorum actionis gratia.

Sic Aristot. Consultatio non est de fine (extremo) sed de his, id est, tenduntad finem, & hæc sunt, quæ in actionibus vtilia sunt. In Rhetor.

Et: Nullum animal consultat præter hominem.

Consultatio est de iis, quæ vt plurimum fiunt, incerta tamen sunt quomodo eueniant, non de fortuitis. Consilium non est de iis, quæ aliter se habere non possunt. Consultamus de iis, quæ in nostra sunt potestate; vnusquisque de iis, quæ per se ipsum vel suos agi possunt.

Consultatio bona est vel mala. Illa rectitudo quædam est, non sine ratione & prudentia.

Consultor bonus est, qui quod optimum homini est ἐκ τῶν πρακτῶν, id est, ex rebus agendis coniectura (quæ iudicium quoddam rei latentis est per signa quædam Speusippo) *assequi* potest. Arist. 6. Ethic. Nicom. c. 7.

Alias Scholast. Consiliator bonus. Consultatio enim non est scientia, contra Stoicos nonnullos.

Consul-

Consultationis obiectum est Actio, Intellige generaliter, vt Actio amplectatur etiam Effectionem. Nam non tantum Politicus consultat, sed etiam Medicus (de remediis adhibendis, de sectione venæ:) Versari tamen dicitur consultatio in πραξίᾳ (ἠθικῇ) vt in Principali, non vt in adæquato.

Gubernator classis, Dux exercitus etiam consultatione vtitur. Plato in Alcibiad. primo.

Hæc faciunt ad solutionem quæstionis: An Consultatio habeat locum in artibus nonnullis? Vbi Responsio est Affirmata. Imperitus enim artifex ob suam imperitiam consultatione in sua arte eget. Consultationem non fieri de fine intelligendum est κατά τι, nempe de vltimo fine vt summo bono, hoc enim omnes ita volunt, vt nemo sanus possit id nolle. Nam de fine non-vltimo consultamus sæpe. Sed inquit Piccolomineus, tamen non vt finis est, sed vt mediũ ad alium finem. *Finis enim non-vltimus relatus ad vltimum obtinet rationem Medii.*

Consultare de mediis est consultare propter finem, seu finis gratia, hoc est ad adeptionem Finis.

Consultatio, quæ & Deliberatio dicitur, si accipiatur latius, etiam in scientiis reperitur. Idq; duobus modis. 1. Quia sæpe eadem conclusio potest inferri per varia media: Possumus igitur consultare quodnam eorum sit efficacius. 2. Quia cum scientia coniunctæ sint variæ opiniones, quæ nobis iniiciunt scrupulũ, cũ sint rationes in promptu ex omni parte, possumus dispicere per comparationẽ quandam de eo, quęnã illarum sit optima. Sed hęc minus proprie dicta consultatio est.

Quidam consultationem confundunt cum Proæresi, id est, quibusdam idem sunt. Sed differunt vt antecedens & consequens, Piccol. & Pet. Mart. Consultatio enim est inuestigatio mutuaque comparatio mediorum, ac de illis ratiocinatio. Sed προαίρεσις seu Præelectio est amplexus rei iam decisæ ac consultatione cæteris prælatæ, quæ Græcis est προαιρετὸν, id est, præ cæteris optabile. Consultatio est Directrix: προαίρεσις est Exsecutrix. Consultatio est actus facultatis cognoscentis, proæresis appetentis. Melanchthon alicubi: Consultatio & Proæresis differunt vt pars & totum, vt cùm inquit in Ethic. προαίρεσις duo complectitur, Deliberationem & Libertatem Voluntatis in agendo.

CONSISTENTIA.

Physicorum vox est & Medicorum, opposita fluxui, Græcis est σύστασις, Scholastici interdum ponunt pro Existentia vel Subsistentia, vel duratione, vt ex vniformi motu cœlestium corporum & stabili consistentia (id est, existentia & duratione) mundi atque gubernatione inferiorum à superioribus, Philosophi concesserunt esse in Vniuerso vnum quendam summum Prouisorem, Dominatorẽ ac Principem. Dionys. C. in Epist. ad Rom. 1.

Non consistere idem est, quod non subsistere, seu causa sua cadere. Ioh. Cambensis in Paraphras. Psalm. 1. Cui opponitur causam approbare, in iudicio stare. Consistere est & interdum perseuerare.

Consistentiæ, quæ concretæ sunt in frigido, aquæ sunt, vt glacies, grando, pruina: quæ à calido, terræ, vt fictile, caseus, nitrum, sales: quæ ab ambobus, amborum. Aristotel. Meteorol. 4.

CONSONANTIA.

Consonantia in Musicis est diuersorum simul edendorum iucundus concentus.

Estq; Perfecta, vel Imperfecta.

Perfectæ ſunt, quæ cantus initia & clauſulas plurimum ornant,& in imo concordantiarum gradu reliquas voces dirigunt.

Imperfectæ ſunt,quæ cum duriuſcule cõſonent,ſuauitatem,quæ deeſt,à perfectis mutuantur, vel conſonandi aſperitatem in tactus eleuatione mitigant.

CONSTANTIA.

1. In Ethicis conſtantia tribuitur Habitui cuilibet,vt Iuſtitiæ,Scientiæ.
2. In Specie eſt recta & immota animi firmitudo , bonis externis aut fortuitis nec elati,nec depreſſi.Medium hęc inter Elationem&abiectionem tenet,idque recta Ratione duce & directrice. Vel eſt in propoſito ſuſceptoq; conſilio permanſio:Vel perſeuerantia in dictis conuentiſq;,ſeu conſtans veritas.
3. Stoicis Conſtantia eſt perpetua ratio vitæ,ęquabilitas in omni vita,idem ſemper vultus, eademq; frons, vt loquitur Cicero , abſque perturbatione animi.Modo igitur ad iuſtitiam, modo ad prudentiam , modo ad fotitudinẽ pertinet.

Sæpe opponitur ei Pertinacia (proprie.n. conſtantia in bonis rebus eſt) vt virtuti vitium in exceſſu; leuitas & mobilitas in defectu.

Abuſiue & improprie accipitur pro Peruicatia. Proprie enim Peruicatia in vitio ponitur,ſicut Pertinacia: Quæ obſtinati animi robur eſt,cui origo ſuperbia,&nimium ſui pretium,ideoq; opinione: Cui verum Iudicium ac ſenſus opponitur.Atq; hæc ſunt ἠθικά.

Conſtantia Orationis in Oratoria eſt, cũ oratio æqualiter ingreditur. Cic.de orat.

In Aſtronomia motibus ſeu conuerſionibus cœleſtibus tribuitur.Stellarum dicitur conſtans conuerſio & Lunæ motus ſeu curſus conſtantiſſimus, id eſt, certiſſimus & perpetuus.

Chymici conſtantiam ſumunt pro Conſiſtentia, vt Magiſterium fixorum eſt, cum corpora volatilia & ſpirituoſa figuntur ad conſtantiam, id eſt, conſiſtentiam. Aliud autem eſt Conſiſtentia, aliud Eſſentia. Nam Magiſterium Conſiſtentiæ vocant, cum ſeruata eſſentia Conſiſtentia melior facta eſt.

CONSTIPATIO.

Conſtipatio ſeu ſtipatio eſt ſpecies obſtructionis, cum vox obſtructio accipitur Generaliter.Eſtq; Anguſtia meatuum , cum pori redduntur anguſtiores inter ſe contractis & compreſſis foraminibus.

Obſtructio { Conſtipatio. / Obſtructio peculiariter ſic dicta, ſeu Infartio, id eſt, plenitudo pori ab aliquo infarciente vel replente eius cauitatem.

CONSTITVO.

Conſtituere in doctrina Principiorum & Cauſarum eſt intrinſecus vel extrinſecus.

Eſſentia ſeu materia & Forma ens conſtituitur intrinſecus, ac quidem forma principaliter. Quo fit, vt dici ſoleat, Forma dat rei eſſe(ſcilicet excellenter) Efficiens vero conſtituit rem extrinſecus.Inde hoc Pronuntiatum: Efficiens copulando Materiæ formam,&ita cõſtituendo extrinſecus eſſentiam, cauſat Effectum. Et: Nulla cauſa externa ens ingreditur ſecundum eſſentiæ cõſtitutionem internam.

Strictius tamen & καθ' ἐξοχὴν Conſtitutio cauſis internis tribuitur. Materia enim & Forma ſæpiſſime &ſignificantiſſime dicuntur principia conſtitutiua (ἀρχαὶ

(ἀρχαὶ συςατικαὶ) & causæ constituentes: Et differentia specifica (διαφοποὶ) συςατικὴ, id est, Constitutiua, ac συμπληρωτικὴ, id est, completiua.

In Politicis constituere definire est: Et ius Ciuile constituere & constitutum dicitur; vulgo positiuum.

In Oratoria constitutio est status causæ seu prima conflictio causarum ex depulsione intentionis profecta sic: Feci: non feci, autiure feci. Cicer. de inuent.

In Physicis vsurpatur pro corporis Habitudine temperationeque, vt corporis firma vel infirma constitutio.

CONTACTVS.

Contactus quid sit, ex distinctione cognoscitur. Vt quantitas duplex est: Vna molis: Altera virtutis: sic & contactus.

Contactus { Molis, dimensionis, cum aliquid per suam ipsius substantiam operatur in aliud. Proprius.
Virtutis, Operatio Potentiæ agentis in aliud. Metaphoricus.

Ex Alphons. Episcop Toletan. in quæstionibus de Anima.

Contactus { Mathematicus, vt superficiarius. Talis non est inter res naturales: nec ad talem sequitur actio aliqua.
Essentialis, vt formæ informantis materiam. Hæc enim forma necesse est, vt essentialiter aliqua tangat.
Naturalis, qui non est sine qualitatibus actiuis & passiuis, vt cum ignis tangit lignum.

Canones.

1. Inter Agens & Patiens dicitur esse contactus.
2. In actione Vniuoca naturali contactus Physicus requiritur: In Æquiuoca, virtutis. Æquiuoca actio est, qua alia forma in specie à forma generantis inducitur. Vniuoca contra.

Dictus Mathematicus, quia in eo duæ pluresve magnitudines se tangũt sine actione & passione naturali. Sic linea contingit superficiem, circulus circulum, sphæra sphæram.

Potest & sic dici: Contactus est proprius, vel Improprius: Proprius Corporalis: Improprius virtutis.

Contactus Corporalis in Scholis dicitur cum duorum corporum extremæ superficies simul sunt in vno loco, & per consequens, cum nihil inter has interiectum est. Hic alias nominatur contactus superficierum, quas oportet esse contiguas. Melanchthon vocat Mathematicum, ob hanc fortassis solam rationem, quod hic contactus proprius sit superficierum, quas Mathematicus alias considerat, alioquin Physicus cõtactus Mathematicus proprie seu absolute dici non potest. Nã Physicus est corporum naturalium: Mathematicus immaterialium. Mathematicus etiam contactus fit in puncto, vt cum globus globũ attingit, quod in Physico corporali contactu locum non habet, qui fit, vt certus effectus producatur, quod in puncto fieri nequit.

Contactus Virtualis dicitur, cum virtute simul est mouens cum corpore moto: seu cum non superficies duorum

corporum sunt contiguæ, sed virtus vnius corporis peruenit ad superficiẽ alterius, qui tamen proprie contactus dici nequit.

1. Quia corpora sunt loco dissita. 2. quia interiectum est inter hæc aliquid. 3. quia hæc virtus, quam ex interuallo fundunt hæc corpora, est qualitas expers corporis, quæ vero corpus non habent, in iis non potest esse contactus, cum non sit in iis superficies.

Exempla contactus Virtualis sunt Primo Corpóra cœlestia. Sidera enim cum corporibus nostris & globo Elementorum non sunt contigua, & tamen in Elementa, & alia corpora subiecta virtutem suam exercent 1. Manifesto lumine & Motu, qui lumen aduehit. 2. Occulta virtute, quæ vocatur vulgo Influentia. Lumen & radios manifeste virtutem suam exercere videmus in corporibus subiectis, quæ ad radios exponuntur: vt qui sine impedimento sub radiis Lunę dormiunt, iis somnus periculosus esse traditur, præsertim si corpora habeant humida, aut plethorica, aut cerebrum male affectum. Occulte vero in iis, quæ non sunt lumini siderum exposita, vt cum in intimis terræ visceribus metallorum generationem radiuuant: quo etiam referri possunt, quæ in hominũ naturis occulta sua efficacia specialiter producere creduntur ab Astrologis, vnde iudicia de naturalibus sumunt.

Hinc oritur distinctio, quod virtus corporum cœlestium alia auerti & arceri possit, alia non item. Sic virtus Solis vitalis arceri nõ potest: æstus eius potest, vt fit in cellis subterraneis, quibus calefactio & radius solaris à vasis vinariis arcetur, etiamsi virtus vitalis & occulta Solis in vino efficacia arceri nequeat. Sic dormientes, qui teguntur contra radios Lunæ parietib. vel fenestris possũt à se arcere periculũ, etiamsi virtus illa, qua luna vel æstus marinos, vel humores in corporibus ciet, arceri non potest. Nam per nubes & aerem purum, & tam nubilo, quam sereno cœlo hanc suam vim exercet, sicut neq; terræ densitas & opacitas occultæ virtuti siderum in generatione Metallorum officere aut resistere potest.

Pórro sidera in quibusdam corporibus per se sunt efficacia, seu *immediate*, vt cum Luna ciet fluxus & refluxus maris: *In quibusdam vero mediate*, vel per aerem interiectum, vel per aliud corpus, quod afficitur; vt cum aer calefit, qui calefactus postea calefacit corpora, cum Eclipses aerem veneno, vt putant, inficiunt, qui postea inficit corpora.

Secundo contactus hic virtualis est in omnibus corporibus, in quibus est Sympathia & Antipathia, vt cum Magnes ex interuallo trahit ferrum. Ad quod Genus etiam referri possunt contagia: Vua vbi liquorem conspecta ducit ab vua.

Ad extremum ignis exercet suam virtutem vtroque modo, & contactu corporali, & virtute seu virtuali. Cum aqua calefit, corporalem contactũ nominare non possum, cum aqua non sit contigua igni, sed lebeti, & lebes igni sit contiguus. Præterea aqua ab igni contactu corporali calefieri non potest, ita vt salua maneat aquæ substantia. Calefit igitur lebes contactu corporali: Aqua vero virtuali. Sic quidam sensus sunt efficaces contactu corporali, vt gustus, tactus: quidam virtuali, vt visus, auditus.

Visus.

Quæritur, an ignis percipi possit tactu?

Qui-

Quidam affirmant (vt Phil. Melancht. in Physic.) quidam negant.

Resp. Distingue inter Contactum corporalem & virtualem. Qui vult ignē percipi tactu, non intelligit corporalē contactum, qui subiectum destruit seu consumit, sed virtualem, vt cum corpus remotum ab igni calefit per aerem. Vult igitur significare aerem calefieri ab igni per contactum σωματικὸν, sed corpus tertium, quod per aerē calefactum incalescit, ex cōtactu ignis virtuali incalescere.

ὑπόμνημα.

Inter Agens & Patiens si medium intercedat, hoc tale esse oportet, vt virtutē agentis impedire, intercipere aut anteuertere nequeat. Aliud Medium inter Agens & Patiens est conferens, aliud Impediens. *Distinctio medii.*

Ex Zabarell. in 8. Physic.

Contactus { Proprius seu verus Corporum tantum. Anima igitur non est contigua corpori; quia non quanta, sed simul est cum corpore. Large acceptus, etiam Incorporeorum.

Explicatio.

Si cōtactus largiter sumatur pro eo, quod est simul esse, dici potest anima esse contigua corpori & forma materiæ, cui inhæret.

Contangere pro contingere Zabarellæ est, quod obseruabis, at non imitaberis. Latini enim dicunt contingere metam, non contangere.

CONTAGIVM.

Contagium & Contagio à verbo Tago, vnde & tagax pro furunculo, μίσα sunt Agellio, etsi nunc fere in malam partem accipiuntur, vt virus, venenum, vt cum dicuntur contagia morborum, vitiorum. Virgil. *Nec mala*; id est, noxia, *vicini pecoris contagia ladent.*

Cicero interdum accipit, pro societate, qua aliquid attrahitur, vt cum dicit: Animus seuocatus à societate & contagione corporis: Et: quibus esset minima cum corpore contagio. Tusculan. 1. Et: Ad quos conscientiæ contagio pertinebat, hoc est, qui eius conscij erant.

In Doctrina de morbis corporis accipitur proprie & improprie.

Proprie pro affectione certorum morborum, qua se possunt ab vno corpore ad aliud propagare. Ita igitur contagio est Qualitas.

Improprie 1. pro seminario contagionis, quod in aere sparsum volitat, vel vestibus, aliisque rebus adhærescit. Ita est substantia euolans è morbido corpore.

2. Pro ipsa morbi κοινωνίᾳ, id est, communicatione seu transitione, seu diffusione ab vno corpore ad aliud. Ita est sub genere Motus.

3. Pro morbo contagioso, id est, qui ex contactu seu contagio contrahitur. Hæc significatio maxime impropria est. Vide Goclenij iunioris libel. 1. de peste. Th. Erast. item, & L. Septalium in Problem. Arist.

Contagio ex { Contiguitate. Vua que contacta liuorem ducit ab vua.
Interuallo. Cicero. Quæ potest contagio ex infinito pene interuallo pertinere ad Lunam, vel potius ad terram. Idem: Nemo inuentus est, qui non contagionem aspectus illius fugeret.

CONTINERI.

Contineturaliquid, seu continere dicitur aliquid aliud
- Simpliciter, formaliter, id est, ita vt quod continet, sit subiectum.
- Quodammodo vel virtualiter (Ratione effectuum) sicut causa suum effectum, vel per significationem.

Is magis proprius.

Aliquid continere aliud virtualiter dupliciter intelligi potest, ait Caietan. Vno modo sicut causa virtute sua continet effectum.

Hic Improprius fere.

Altero, sicut Effectus continet virtutem causæ hanc participando. Sic effectus quilibet continet DEVM. Sed ab aliis continere virtualiter non tribuitur Effectui, sed causæ tantum. Inque Caietanus subiungit hanc distinctionem.

Alij sic: Modus Continendi
- Essentialiter: Hoc etiam Scotus dicit Vnitiue.
- Virtualiter, vel participatiue. (vt effectus in se causam continet.)
- Ratione prædicationis.

Axiomata.

Prædicata maxime vniuersalia ambitu suæ prædicationis continent omnia particularia.

Causæ maxime Vniuersales ambitu suæ virtutis continent omnia effecta.

Caietani effatum.

Nullus conceptus potest produci in Intellectu nostro, qui non contineatur essentialiter vel virtualiter in obiecto relucente in phantasmate.

Quærunt Scholastici: An Sacramenta contineant gratiam formaliter, an virtualiter? An in sermone disciplinæ audibili contineatur intentio animi? Respondent, Inesse quodammodo, id est, causaliter. Cur non formaliter? Quia intentio animi est cognitio seu sententia inhærens potentiæ γνωστικῇ, (cognoscenti) quam perficit. At sermo est res extranea. Ergo subiectum nequit esse intentionis.

An Formę & Qualitates Inferiorum contineantur à superioribus? Resp. Formæ inferiorum corporum in virtute cœlestium corporum continentur. Pic. in l. 3. aduersus Astrologos. Si substantia cœli vt prima corporis omne corpus perfectione & virtute continet, necessario eius propria qualitas omnem corpoream qualitatem virtute & perfectione continebit. Idem.

Contineturaliquid in vel sub aliquo
- Realiter, vt Corpus Christi in Cœlo, sede Diuina Maiestatis. Tul.
- Repræsentatiue, vt signatum in signo, vt Corpus Domini in Sacramento.

Tul.

Huc pertinet quod contineri sub aliquo dicitur esse, habere locum sub aliquo: Vt Corpus Christi incipit habere nouum locum sub hostia, nec tamen cœlum deserit, de Bielis sententia.

Contineri à parte aliqua spatij est aut referri relatione contenti ad continens: aut quodammodo seu extrinsecus affici & quasi informari hac aut illa spatij capedine.

Conti-

Continere aliquid per { Vnitionem & dominatum. / Receptionem.

Quæritur, vtrum Anima corpus contineat, An contra? Resp. Anima continet corpus vniendo & imperando: facit enim corpus sibi obediēs: At corpus continet animam, scilicet recipiendo.

Continentia Vnitiua non est eorum, quæ omnino sunt idem, nec est eorum, quæ manent distincta ea distinctione, qua fuerunt distincta ante vnionem: Sed est eorum, quæ sunt vnum realiter, seu idem identitate reali, distincta tamen formaliter.

Huiusmodi contenta sunt in duplici differentia.

Quædam sunt de natura continentis, vt quæ hoc superiora sunt. Sic de huius albedinis essentia sunt albedo, color, qualitas sensibilis. Quædam sunt quasi passiones continentis, nec aliæ res sunt ab hoc. Sic Ens cōtinet quædam πάθη, quæ non sunt res aliæ ab ipso, id est, Ens continet vnitiue rationes, Vnius, Veri, Boni, ita vt distinguatur tamen à se inuicem formaliter Vnum, Verum, Bonum, & ab his eodem modo. Sic Scoto Anima continet Potentias, Intellectum & Voluntatem, Vnitiue, etsi formaliter seu formalitate reali & quidditatiue sint distinctæ. Vid. Dionys. de Diuin. nom. 5. cap. & Scot. l. 2. d. 15.

Potentiæ, quæ sunt principia operationum, continentur vnitiue in essentia. Augustt. Mens meminit sui, quia meminit eius, quod idem est cum ipsa, non tamen formaliter.

Contineri sub aliquo { Natura & Essentia. Sic continetur Soctates sub Homine. / Prædicatione tantum. Sic Diuinæ Personæ continentur sub Deo. Non enim habent Naturas & Essentias particulares sub essentia diuina contentas.

In bona Consequentia non potest esse antecedens verum, & consequens falsum: quia sicut ex possibili non sequitur impossibile, ita nec ex vero falsum. Ratio: Quia consequens virtute continetur in antecedente. Impossibile autem est, vt possibile virtute contineat impossibile, cum possibile respiciat actum, & non possit respicere impossibilem actum, quia ad impossibile non est potentia: & eadem ratione illud non esset verum, cum de ratione veri sit, vt nihil falsum contineat. Suarez in Metaph. indic. locupl.

Distinct. Zabarell. 1. Phys.

Continere & Contineri dicuntur proprie vel improprie. Proprie de illis, quæ sunt coordinata, & quorum vnum de altero prædicatur, vt Genus de Specie, Species de Indiuiduo. Genus enim proprie Speciem continèt, & Species Indiuiduum, vt amplius continet arctius.

Improprie etiam de iis, quæ coordinata non sunt, & quorum alterum de altero non prædicatur: vnde possunt conuenire rebus contentis sub diuersis Categoriis, cum volumus significare vnam rem ad plura extendi seu pluribus conuenire, quam alteram. Sic dicimus Color continet animam, quia in pluribus est color, quam anima. Cum enim ita loquimur, non consi-

deramus colorem & animam absolute seu secundum se, sed respicimus ea, in quibus sunt, nempe vtriusque concretum, coloratum & animatum. Id enim cui conuenit, color continet sub se illud, cui conuenit anima, & prædicatur de eo. Nam omne animatum est coloratum, at non omne coloratum est animatū. Ita impar & par continent calidum & frigidū, quamuis non sint in eadē coordinatione, sed in diuersis Syzygiis seu Prædicamentis. Respicimus enim res, quibus hæc conueniūt. Impar & par conueniunt enti & corruptibili & incorruptibili, calidum & frigidum tantum corruptibili seu alterabili.

Zabarel.

Quid principia magis

Principia Vniuersaliora (quæ plurium principia sunt) in causando continent alia principia minus vniuersalia (quæ pauciorum principia sunt) quia effectus illorum continent effectum istorum: vt vniuersale in prædicando continet minus vniuersale (animal hominem.)

& vniuer

Omnis res, quæ cognoscitur per aliam, in ea continetur *vel Formaliter*, id est quoad conceptum aliquem vtrique communem, *vel virtute & eminenter, vel participatiue.* Tertio modo Deus continetur in Creaturis. Ergo DEVS cognoscitur per Creaturas. Primo modo continetur Angelus in substantia corporea, nempe quod attinet ad conceptum Substantiæ vt Generis summi. Ergo cognoscitur etiam per corpoream substantiam. Secundo continentur vitales operationes in anima, vt in principio seu eo, à quo oriri possunt. Ergo illæ per animam cognoscuntur.

CONTINGENS,

ἐνδεχόμενον.

1. Propria Significatio. — Πεφυκὸς vel πεφυκότως, habile propter materiam vel formam, seu ὡρισμένον φύσει, id est, determinatū natura seu naturali potentia. Est q; vel
- κατὰ φύσιν, secundū naturā, plerūq; ἐπὶ τὸ πολὺ, vt: cōtingit fœtū in caput nasci. — Hoc est vtile Demonstrationi. Ioh. G. Et reducū tur huc quæ fiunt κατὰ τέχνην secúdum artem.
- Παρὰ φύσιν, prę ter naturā. Raro seu infrequēter σπανίως κατὰ τύχην, vt: cōtingit fœtū in caput nō nasci, aut bicipitē nasci. — Hoc nulli vsui est Demonstrationi. Ioh. G.

Contingens, quod potest fieri & potest non fieri. Itaq; non necessariū est

Ἀόριστον φύσει, indefinitum natura; non determinatum causis naturalib. incertum: Non astrictum aliqua causæ necessitate. — Nec hoc ad Demonstrationē quicquam.

Pro re nata, ex æquo, ὁπότερ' ἔτυχεν, indifferens ad vtrūq; oppositorum: Quod non magis hac, quam non hac euenit causa, vt: Contingens est, vt Philosophus sit gratiosus vel non apud principes.

Con

Contingentia Entis
- Incomplexi
  - Interior, ab agente libero.
  - Exterior ab impedimentis externis profecta.
- Complexi, id est propositionis.

Contingentia
- ὁμοῦ πτὰ, quæ cadunt sub Scientiam, πεφυκότα[a], quæ vt plurimum causis iisdem eueniunt.
- Aliena à scientia, Indefinita, quæ pro re nata eueniunt, quorum causæ sunt per accidens, vel fortuitæ. Vid. Schegk. l. 1. prior. Analyt. p. 184.

[a] *Sic dicta quia in iis principium est Natura propter quã contrario potest permutari.*

Contingentia
- Præsentia, Præterita } Simpliciter & Definite vera.
- Futura, μέλλοντα, quæ incerta sunt, vera aut falsa indefinite, quorum euentus potest impediri.

Hæc si plerumque fiunt, eorum Scientia est Secundaria, vt: Petrus morietur morte violenta.

Futura ἐς ὁμῶς ad Necessaria reuoco. Improprie enim dicuntur Contingentia.

Cànon:

Τῶν ἰσομοίρων Definita Veritas est, τῶν μελλόντων contra non est. τῶν ἰσομοίρων, vt cras Cœlum mouebitur: τῶν μελλόντων, vt cras pluet. Nam quæ nullam habent Detetminationem in sua causa, ea non possunt enuntiari fore aut non fore, per propositionem definite veram, aut definite falsam.

Futura contingentia nullam habent determinationem in sua causa. Ergo non possunt, &c.

At illa, quæ habent causam determinatam, possunt affirmari fore, quia iam habent aliquod Esse in causa. Cœlum sua natura, vt Causa est determinatum, vt cras moueatur. Ergo vere affirmo, crastino die fore motum cœli. Antequam habet res esse in se, non potest dici fore, nisi ratione alicuius Esse, quod habet in sua causa.

Quæ fiunt semper iisdem causis, etsi tardius fiant, non sunt dicendi effectus contingentes & fortuiti, sed necessarii, vt Eclipses.

Atque hoc est Contingens oppositum Necessario, id est, includens Negationem Necessarii.

Secunda significatio quodam modo Impropria est: Cum quicquid ex necessitate est, dicitur id ipsum contingere etiam esse. Ita contingens necessarium est, quod Consequens est necessarii, id est, ad Necessarium consequitur. Schegk. in prior. anal. c. 3. *2. Significatio.*

In Logicis argumentum est Contingens, vel Propositio.

Argumentum Contingens Scholasticis est, quod cõtingit verum esse seu probare. Aristoteles vocat ἐνδεχόμενον πιθανὸν, quod cõtingit esse idoneum ad faciendam fidem. Vtendum enim nobis hic φράσει. 1. Rhet. c. 2. ἕως δ' ἡ

ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἑκάστου τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν, Id est, sit autem oratoria facultas in quaq; re videndi, quod contingit esse idoneum ad faciendam fidem.

Propositio contingens est, quæ contingenter vera est & mutabiliter. Itaq; dubiæ veritatis, vt Fortes creantur fortibus.

Modi, quo Contingens aliquid dicitur, tres sunt: Vnus, quo dicitur quid euenire plerunque seu vt plurimum: Alter, quo pro re nata: (ἐπότερ' ἔτυχεν) Tertius, quo raro, vt fortuita. Primi Modi contingentia per se causas habent, & sunt ἐπιστητά, cum sint eorum rationes vniuersales, vt necessariorum, quibus sunt vicina. Secundi & Tertii modi contingentia non habent causas necessarias, sed accidentarias. Itaq; non sunt ἐπιστητά. Horum (secundi & tertii modi) causæ dicuntur indefinitæ, quia effecta possunt efficere, vel non efficere, ita vt incerta sint. Ac Aliæ sunt liberæ; aliæ fortuitæ & casuales.

Ex his decidi potest quæstio: An Astrologia sit Scientia? Si plerumque saltem essent vera, quæ prædicunt Astrologi, dicerem Astrologiam Scientiam. Si ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, id est, plerumque sunt falsa: aut si sunt ὡς ὁπότερ' ἔτυχεν, id est, pro re nata falsa, quę prędicunt, Scientia non est. Quod plerunque Sole versante in Leone sint magni calores, eius Scientia est. (etsi Veritas hic non sit ἀκριβεστάτη, vt in rebus abiunctis à materia) Sed quod hic vel ille dies sit futurus serenus aut pluuius, id non cadit sub Scientiam, cum sit è numero contingentium ὁπότερος τυχόντων, id est, indefinitorum.

Dicitur τὸ ὁπότερ' ἔτυχεν, & τὸ ὁπότερον ἔτυχεν, & τὸ ὁποτέρως ἔτυχεν, quod aque fieri ac non fieri potest.

Hic quæritur, An omnia raro seu infrequenter contingentia sint fortuita vel casualia?

Resp. Negate. Nam Eclipses raro fiunt, nec tamen sunt fortuitæ, fiunt enim à naturalibus per se causis. Τὸ Raro igitur in Tertio modo contingentium non ad tempus, sed ad Causas, quibus fiunt, referendum, vt monet Schegk. in lib. Peri hermen.

2. An Præsentia & Præterita possint esse contingentia? R. Sunt contingentia, quia non sunt absolute necessaria. Sunt etiam necessaria, quia omne quod est, quando est, necesse est ipsum esse. Et quod factum est, non potest fieri infectum: Ita contingens effectum dicendum fuerit, quod antequam fiat, fieri potest & non fieri esse, & non esse, quia à causa simpliciter necessaria non est. Altæ harum sententiarum stirpes sunt in multorum animis.

CONTINVVM, συνεχὲς, CONTINENS, *Contiguum, Contingentia, Continuitas.*

Continui, & eorum, quæ huic cognata sunt, explicatio, & Philosophiæ, inprimisque Physicæ ac Matheseως & Theologiæ Iurisprudentiæque studioso vtilis est. Philosophica igitur consideratio princeps esto.

Con-

Continuum
- Proprie & ἁπλῶς
  - Naturale, τῇ συμφύσει, id est per concretionem.
  - Artificiale τῇ κολλῇ, id est, glutine.
- a Improprie, populariter πῶς συναφείᾳ seu cõtiguitate
  - Corporali (cum superficies corporum se contingunt)
    - Simplici.
    - Cum inclusione.
  - Virtuali, cum virtus vnius corporis peruenit ad superficiem alterius.

Continuitas est q. affectio immediate vnitatem consequens. Scal. ex. 5. s. 7.

Hinc necessario concluditur contra Polytopistas: Quod continuum est, non potest esse in pluribus Vbi. Vnum Corpus est continuum. Ergo vnum corpus idemque non potest esse in pluribus Vbi. Continuum est, quorum vltima sunt simul. Arist. Ac est in iis tantum, quorum natura talis est, vt si se coniungant, vnum fieri possint.

Itaque Continuum fieri ex contactu, recte dici videtur.

Continuantur non solum corpora, sed & accidentia, vt vnum fiant, cum in vno puncto extrema coniunguntur. Id est, continuum vnit corpora & Magnitudines. *Non enim possunt esse duo corpora in vno loco, nisi coalescant & vnum fiant*, id est, desinant esse duo. Ita Symphysis (concretio) facit συνεχὲς (continuum) fieri, cum termini, quibus se duo corpora contingunt, id est, superficies cõtiguæ horum, vnum fiunt, vt ramus insitus trunco arboris fit συνεχὲς per Symphysin, & vnum corpus cum trũco, qui ante hanc concretionem tantum fuit contiguus vel dissitus.

Itaque continuum tollit dualitatem, συνεχὲς αἱρεῖ δύαδα.

Contingua sunt, ὧν τὰ ἄκρα ἅμα, non ἓν, quorum extrema, id est, vltimæ superficies non sunt vnum, sed simul tantũ, id est, vno in loco. Itaque hic manent duo corpora, vt cum tabulæ imponitur tabula, fiunt contiguæ superficies illæ, quibus iunguntur, sed vt superficies duæ manent, sic etiam duo corpora. Possunt enim vere corporum superficies iungi sic, vt nihil sit medium, quia natura non fecit dimensionum penetrationem, & vacuum ab vniuerso excluditur.

Porro quod contiguum est, tantum vna parte superficiei est contiguum. Aristotelis τὸ πᾶν (seu hic mundi globus, seu rerum vniuersitas) est συνεχές. Sed hic vocabulo continui vtitur populariter & ἀκυροτέρως pro Contiguo, cum Sphæræ cœlestes illi diuersæ sint, & motus etiam diuersos habeant; corpora etiam Elementorum sint peculiaria. Diuersa autem corpora contactu iunguntur, quandiu numero diuersa manent, non continuatione, quę vnitionis est efficiens. Itaque Philosophus non simpliciter, sed a πῶς συνεχὲς τὸ πᾶι (quod Plinius Omne naturæ vocat) esse scribit. Aristotelem mihi videtur imitatus esse ICtus. Nam l. 31. ff. de seru. rust. præd. continua prædia dicuntur, quæ sunt contigua & vicina, id est, quæ se inuicem contingunt.

a ita dictũ improprie tẽperatur.

Contiguis opponuntur separata seu seiuncta & dissita.

Corollaria.

Corpus igitur corpori contiguum est: At continuum seu continens esse nequit. Cum totæ superficies sese contingunt, inclusio ea est, & continet vnum alterum, neque est contactus simplex.

Continuitas naturæ eſt, vel artis. Continuũ quod fit naturaliter per σύμφυσιν, id eſt, concretionem, eſt continuum magis proprie dictum.

In cæteris, quæ non per concretionem vniuntur, vt fiant continua, ſed per artem, cohærentia potius eſſe videtur, quam quæ proprie continuitas appellatur. Artis autem ope, quæ externa eſt, continua ſunt ſeu cohærent, quæ compage aut glutinatione iunguntur & aptantur vt cohæreant. Atque hoc modo continuari vnirique poſſunt, quæ non ſunt natura talia, vt vnum fieri poſſint, neq; habent δύναμιν φυτικὴν mutuam: vt os cum ligno iunctum glutinatione fit numero vnum corpus ſeu συνεχὲς per artem, ſed manent ſpecie diuerſa corpora. In contiguitate manent duæ ſuperficies, neq; fiunt vnum aut concreſcunt, ſuperficierum quaſi interſtitio confluente, neque concreſcere omnino poſſunt, ſed in concretione duæ ſuperficies coeunt in vnum.

Vſus.

Ex his conciliantur Ariſtoteles & Scaliger, qui exer. 9. Mundi (inquit) partes non *continuitate*, *ſed coaptatione* vnum ſunt. Sed paulo poſt aliam etiam diſtinctionem ſeu temperationem affert, nempe hanc: Inferiora hæc cum Superioribus (elementaria cum cœleſtibus) continuata ſunt non propter formæ *vnitatem*, non propter quantitatis *vnionem*, ſed propter ſuperiorum efficientiam, & inferiorum receptionem.

Itaque Continuatorum alia ſunt continuata ἁπλῶς, alia κατά τι.

Contingentia Barbarum interdum accipitur pro contactu.

In Matheſi Angulus Contingentiæ eſt Angulus Contactus, cui opponitur angulus ſectionis: vt angulus contingentiæ, ait Geometra, infinitis angulis contingentiæ maior eſt.

- Contactu, ſine medio, non per medium.
- Quædam agunt ſeu efficaciam ſuam exercent
  - Virtute ex interuallo,
    1. Stellæ, vi luminis & radii manifeſta; vel abſtruſa ſeu occulta.
    2. Senſus & ſenſilia.
    3. Corpora, in quibus eſt συμπάθεια & ἀντιπάθεια.
    4. Quædam contagiones.
  - Vtroque, Ignis.

Explicatio per exempla.

Terra fouet & educit ſemina, aqua humectat τῇ συναφείᾳ. Magnes trahit ferrum ex interuallo, ſuccinum allicit paleas, cum frictione calotem concipit; virtute ſeu (vt loquuntur) virtuali contactu. In certo genere lippitudinis afficiuntur oculi eorum, qui lippum intuentur, & in febribus peſtilentibus & phthiſi ii, qui in iiſdē habitant conclauibus. Ignis calefacit & virtute ex interuallo, (ſine contactu proprie dicto) & contactu ſeu συναφείᾳ. Nam ignis in lebete & lebetem & per hunc aquam calefacit. Sunt enim contigua, ignis lebeti, & lebes aquæ, & ſuperficies, qua ſe contingunt, ſimul ſunt, id eſt vno

est vno in loco; sed non etiam ignis & aqua se cõtingunt seu simul sunt superficieb. suis, neq; corporali contactu ignis aquam calefacere potest, vt corpus seu substantia ignis maneat: Etsi aliqui sic loquuntur, vt aquam in lebete igni dicant tangi per intermedium, improprie saltem, si non absurde. Si enim contactus est corporum, nihil est medium: vt contactus per medium appellatio contrarium habeat in adiecto, sicut Dialecticus nominat. Neque forte distinctionem talem facere licet:

Contactum corporalem alium fieri sine medio; alium cum medio: cum, qui sine medio non fit, corporalis esse desinat, & virtualis sit atq; appelletur. Aeris ab igne calefacto est ex contactu corporali, sed corpus tertiũ, quod ex aere per ignem calefacto incalescit, calefit ex contactu ignis virtuali.

Sensuum organa percipiunt res obiectas ex interuallo, vt exerceant actionem suam sensus inter se, & quæ his percipiuntur, viriute (non contactu seu συναφείᾳ, sed contactu virtuali.) Itaque

Τὸ κινοῦν (mouens) & τὸ κινούμενον (motum) oportet esse ἅμα (simul,) vt vel

- Superficies se contingant.
- Vnius virtus ad superficiem alterius, atque ita in corpus alterius perueniat manifeste vel occulte.

Contactus Mathematicus accipitur dupliciter, pprie, & improprie. Proprie, vt sit ἄὕλων, materiæ & corporis sit expertium & fiat ẽt in puncto, sicut globus, attingit globum. Improprie, vt sit idẽ quod corporalis, qui non est virtualis seu virtutis, seu qualitaris efficacis. Sic accipit Melanch. in Phys. l. 2. quia corpora contingunt se per superficies, & duorum corporum extremæ superficies simul sunt in vno loco (qui etiam Mathematicis rebus tribuitur, nõ tantum Physicis.)

Ab his longo interuallo discernenda est Spiritualis coniunctio & quasi incorporatio & *Insitio*, qua vi Spiritus S. Christo agglutinamur, per quam ei insiti quasi succi vni participes sumus, & inter nos, qui mẽbra Christi vt capitis sumus, vnius corporis mystici membra reddimur. Hic non fit Personarum mixtio.

Continens ponitur pro Continuus, vt febris continens, id est, quæ est sine remissione, apud Medicos: Continens oratio apud Cicer. 1. Tusc. pro continuata: Continens Terra apud Geographos, quæ nullo mari aut fluuio circumluitur. Ex continenti, & ex Interuallo, item in continenti & post interuallum opponuntur. l. 31. §. cum igitur. ff. de vi. l. 1. §. quæ onerandæ. ff. Quar. rer. act.

Quædam mediæ naturæ esse videntur, vt neq; simpliciter contigua, neq; simpliciter continua sint. Talem de sententia Roald. Columb. l. 1. de ossib. compositionem ossa postularunt, vt neq; omnino disiuncta ac dissoluta, neque prorsus continua essent modo venarum, vt male Aristoteles putauit 3. de natur. animal. cap. 7. contigua igitur ossa coniunctaque esse oportuit, vt super aliquo quiescente moueri possent, tametsi ossium vnio, quæ ob motum præcipue facta est, ob transpirationem etiam transitumq; corporum facta fuerit, vt futuræ in caluaria, ac demum ob partium diuersitatem, vbi dura mollibus committuntur. Idem paulo inferius. Si diligentius structuram ossium considéremus, alia profecto videbimus ita coalescere, vt connata prorsus videantur (hæc est σύμφυσις) alia coniuncta & colligata rectius appellari.

- Ossa humani corporis inuicem
  - Componuntur per
    - ἄρθρον seu articulum, hoc est, ossium compositionem cum motu
      - Διάρθρωσιν seu dearticulationem ad motum manifestum destinatam, vt femoris cum coxendice.
      - *Synarthrosin*, seu coarticulationem cum motu obscuro, vt tarsi ossa inter se.
    - Symphysin, id est, ossium inter se coniunctionẽ sine motu
      - *Suturam*, (ῥαφὴν) quæ in capite est instar serrę,
        - Coronalem.
        - Lamdoidem.
        - Sagittalem.
      - γόμφωσιν, qua instar claui os ossi infigitur. exempl. grat. dentes in maxillis.
      - *Harmoniam*, id est, ossium structuram per lineam simplicem, vt sunt commissuræ maxillæ superioris.
  - Committuntur
    - Σωχονδρώσει
    - Συναρθρώσει
    - Συνδεσμώσει
    - Συννεύρωσει

    id est, ossium cõiunctione facta per
    - Cartilaginem in osse pubis.
    - Appositionem carnis inter dentes & maxillas.
    - Ligamentum in articulis.
    - Neruum.

Continuum etiam ab Aristotele ponitur pro perseuerante. Phys. 8. t. 47. Continua mutatio, id est, perpetua.

Continuans primo est perpetuans, non interrumpens, non intermittens, vt continuans studia, opus, potationem. Secundo est à quo fit partium coniunctio, seu quod coniungit partes alias disiunctas. Ita in Physicis dicitur, in mistis corporibus esse, præter aqueum humidum simile nutrienti, humidum continuans simile oleo. Continuans ita corporis partes coniungit, vt si absque eo essent, & ita penitus essent siccæ, omnes essent disiunctæ: De hoc est axioma Zabar. Nullum corpus ita durum & exsiccatum est, vt non habeat aliquid humidi, (quod coniungat partes inter se.) Hoc Alb. Magno vocatur Humidum continuatiuũ. de an. l. 20. t. 1. c. 9. vbi sic ait distinguẽs: Humidum continuatiuum est corporis vt recipit quantitatem & figuram. Humidum Mollificatiuum est corporis, vt est receptiuum formarum sensibilium, quę sine hoc non recipiuntur. Humidum nutritiuum est animati, vt est animatũ; quia est ad nutrimentum, augmentũ & instaurationem deperditi, quæ sunt primæ operationes animati corporis: & omnia hæc tria humida continuantur ad vnum, quod est Cor.

Conti-

Continuatio igitur hic nihil aliud est, quam partium coniunctio.

Continuitas vera est & absoluta, vel Impropria. Vera per partium coniunctionem & compactionem. Vnde continuum verum, συμφυὲς, consitum & compactum dicitur. Impropria per solum contactum fit.

De vera Continuitate axioma est Zabarellæ : Continuitas coporum consistit in continuatione partium secundum quantitatem: harum enim coniunctio in communi termino est ratio continuitatis, non autem continuatio formæ cum materia, quæ partes essentiales sunt. l. 8. Physic. text. 30.

Continuitas συνέχεια
- Spiritualis, spiritalis, Impartibilis. Arist. l. 2. de Anim. Hæc conuenit Naturæ spirituali, vt animæ nostræ: animæ continuitas est impartibilis.
- Corporalis: Hæc conuenit corpori nostro.

Spiritalis nostra natura continuitate spiritali & impartibili ibi est, vbi est totum corpus, & singulæ eius partes.

Corporalis eodē loco est tota: Partes vero illius nou secundum totum suum, sed secundum θέσιν ipsarum, vt Modus est corporum.

Continuitati opponitur Discontinuitas, hoc est, disiunctio continui, quæ dolorem facit. Exempli causa: Forte acetum, id est, valde acre mordicationem facit (vnde acetum mordax dicitur) tanquam internam, vt sit dolorifica. Hic fit solutio continuitatis.

CONTRA NATVRAM.

Primo quod contra Naturam est, accipitur pro eo quod est, vel oppugnat & lædit, vel destruit & expugnat naturam: quod inimicum & contrarium est naturæ: quod distrahit rem à naturali constitutione & ad interitum ducit, quod est naturæ seu φύσεως ἐναντιὸν ἢ φθαρτικὸν. Ac pro eo Aristoteles sæpe vsurpat, παρὰ φύσιν, præter naturam.

Opponitur ei interdum & secundum naturam, & supra Naturam: Interdum secundum Naturam tantum.

Estq; ἀντὶ φύσεως seu Antiphysicum ex parte, vel omnino absoluteque.

Zabar. l. de motu ignis in orb. c. 5. Contra naturam dicitur, quod est inimicū naturæ, proindeque est cum repugnantia patientis. Arist. l. 2. de Cœl. Quod est præter naturam, est posterius naturali, & est quidam exitus & remotio à statu naturali, id est, contra naturam. Nihil præter naturam est perpetuum, id est, contrarium naturali, vt Violentum.

Contra naturam esse dicitur quod oppugnat & lædit naturam
- Extreme
- Mediocriter

} vt Violentum.

Locus aeris est igni præter seu contra naturam Mediocriter.

Vitium est contra naturam Virtutis, id est, aduersum virtuti. Vacuum est contra naturam, id est, refugit vel horret natura vacuum, inane repugnat Naturæ.

Penetratio Dimensionum corporis est contra naturā, id est, natura abhorret à penetratione, pugnat cū Naturę ordine vsitato. Contra naturam corporis est κατ' οὐσίαν esse in multis locis, id est, repugnat naturæ corporis.

Nulla natura est contra naturam Dei, id est, Deí naturæ contraria, qua natura, sed vitium: quia quod malum est,

contrarium est bono: quis autem negetDeum esse summe bonum? Vitium igitur contrariũm est Deo tanquam malum Bono. Aug. Tom. 8. & 5. 12. l. de ciuit. Dei. c. 3.

Resuscitatio mortuorum non est contra naturam, sed supra naturam, seu supra facultatem ac conditionem naturæ. Non est contra Naturam, vt resurgat corpus. August. Tom. 4. l. vn. 21. sentẽtiarum sententia 6.

Miraculum voco, quicquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. Aug. Tom. 6. lib. vno de vtilit. credendi ad Honorat.

Non est contra naturam corporis grauis ex graui fieri leue, id est, non oppugnat naturam corporis seu naturam corporis non tollit seu mutat.

Non est contra naturam corporis aliena virtute aut propria sustentari & moueri super aquas, id est, non repugnat naturæ corporis, non adimit naturam corpori.

Contra naturã corporis Christi est, id est, est ἐκστατικὸν φύσεως seu destruit naturam corporis Christi, hoc etiam in vnione cum λόγῳ & in Gloria sua retinere localitatem suam, & tamen id simul multis locis esse Substantialiter præsens.

Multiplicatio panum & conuersio aquæ in vinum miraculosa Christi, non est contta Naturam, sed supra facultatem seu vim naturæ, non facit naturam deteriorem, sed perficit.

Secundo Augustino illud est contta Naturam, quod Deus facere non potest, & quod rationalis Creatura agit vitiose: quia est contra Bonum, cuiusmodi natura per se est. Distinguitq; inter contra Naturam esse vel facere, Ratione Dei, & Ratione nostræ notitiæ seu nostri captus: & inter legem seu rationem inferioris & summæ naturæ. Lib. 26. cont. Faust. Manich. contra (seu παρὰ) naturam esse dicitur humano more, quod est contra vsum naturæ mortalibus notum. Ad Rom. 11. Si tu ex naturali excisus es oleastro & contra naturam (in Græco est παρὰ φύσιν) insertus es in bonam oliuam, ait Apost. dicens Id esse contra Naturam, quod est contra consuetudinem naturæ, qua notitia humana comprehendit, vt oleaster insitus in olea non oleastri baccas, sed oliuæ pinguedinem ferat: Deus autem creator & conditor omnium naturarũ nihil contra naturam facit. Id enim erit cuiq; naturale, quod ille fecerit (proprie) à quo omnis modus, numerus, ordo naturæ. Sed nec ipse homo contra naturam quicquam facit, nisi cum peccat, qui tamen supplicio redigitur ad naturam. (Id est, ad naturæ ordinem.) Ad naturalem quippe iustitiæ ordinem pertinet, vt aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant. Verumlibet horum sit, naturalis ordo seruatur, si non ab anima, certe à Deo. Et paulo post: contra Naturam non incongrue dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod nouimus in natura. Hanc enim etiam appellamus naturam cognitum nobis cursum solitum naturæ, contra quem Deus cum aliquid facit, magnalia & mirabilia nominantur. Contra illam vero summam naturæ legem à notitia remotam, siue impiorum, siue adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra se ipsum non facit. Sententia 283, ex August. (Tom. 4.) sic habet: Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra Naturam facit. Nobis videntur contra naturam insolita (nobis, inquam,) quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo, cum hoc est natura, quod fecerit.

Iureconsl. etiam Monstrosum (insigniter) vocat Naturam, cum dicit non esse Filium, qui contra formam humani Generis nascatur, leg. non sunt Liber. ff. de stat. hom.

Aliud

Aliud est agere Contra Voluntatem, aliud præter Voluntatem: vt Effrenati impetus & refractarię voluntates nō agunt *præter voluntatem* DEI, etiam cum maxime feruntur *contra eam*, sed *intra* προνοίας seu prouidentiæ determinationem, septa & cancellos, quāuis minime animaduersos omnino subsistunt, *extra* eos non egrediuntur.

CONTRADICTIO, ἀντίφασις.

In Philosophia & Logica Aristotelis vox Ἀντίφασις, seu contradictio dupliciter accipitur. 1. Generaliter, vt contradictio nihil aliud sit, quam pugna, seu oppositio, seu repugnantia enuntiatorum, quorum alia affirmata, alia negata. Ita vsurpant Angelus Politianus, Zachar. Vrsinus, Iacobus Bucherau Parisinus, Ioach. Perionius, Iohan. Piscat. Politiani verba in argumento in lib. de Interpret. Nulla omnino est affirmatio, cui non aliqua aduersetur negatio, quod totum contradictio dicitur. Vrsini in quæst. Organ. Quid est oppositio seu Contradictio? Duæ oppositæ, affirmatiua & negatiua, habentes eadem extrema sine ambiguitate intellecta: vt, Omnis Homo est peccator: Nullus Homo est peccator. Reliquorum testimonia videsis in problem. meorum Logic. parte 2. probl. 22.

2. Altera Vocis Contradict. significatio est specialis. Significat enim sæpe oppositionem vniuersalis affirmatiuæ & particularis negatiuæ: item Vniuersalis Negatiuæ, & Particularis affirmatiuæ: item duarum singularium, quarum vna affirmatiua, altera negatiua, vt: Nulla creatura est æterna: Quædam creatura est æterna. Cœlum beatorum est sursum: Cœlum Beatorum non est sursum. Hæc significatio, qua vsus est D. Dauid Pareus, & Melanchth. & Keckerman. in Logic. est in Organ. l. 1. c. 2. de Demonstrat. Ἀντίφασις δ' ἐστὶν ἀντίθεσις, ἧς οὐκ ἔστι μεταξὺ καθ' αὑτήν, contradictio est oppositio, vt qua nihil quod vere medium sit reperiri potest. & c. 5. de Interp. μία κατάφασις μιᾷ ἀποφάσει ἀντίκειται ἀντιφατικῶς, id est, vna affirmatio vni negationi opponitur contradictorie. Generalis vero illa est in Organ. 4. de Interpret. ἀντίφασις est κατάφασις καὶ ἀπόφασις αἱ ἀντικείμεναι, id est, contradictio est affirmatio & negatio oppositæ seu contrariæ, vt vertit Perionius.

Huius significatus vsum Scholæ Rameæ celebrauerunt: quanquam Ramus etiam vsus fuit specialiter, cum inquit, Tanta est contradictionis firmitas, vt ne DEO quidem concessum sit vtramque partem veram simul efficere. Hic specialem & propriam contradictionem, quæ constat ex altera parte generali, ex altera particulari: vel cuius pars vtraque proprium enuntiatum est, intelligit.

Vsus.

P. Ramus in Logic. l. 2. ait: Contradictio non semper diuidit verum & falsum. Vtraque enim falsa est: Omnis in vrbe locus Baiis prælucet amœnis, &: Nullus in vrbe locus, &c. Omne animal est rationale, & nullum animal est rationale.

At alij Logici contradicunt. Contradictio semper diuidit verum à falso: vt sol est stella, sol non est stella.

Quidam ita argumentatus est: Duorum Vniuersalium ἀντίθεσις seu oppositio non semper diuidit verum à falso: aliquando efficit vtramque partem falsam.

Duorum Vniuersalium ἀντίθεσις seu oppositio est contradictio Logica. Ergo quædam contradictio Logica non semper diuidit verum à falso.

Alius contra: Enuntiata, quæ per se medio carent, simul vera vel falsa esse non possunt, sed alterum eorum verum, alterum falsum sit necesse est. Omnia Enuntiata contradicentia per se medio carent. Ergo nulla contradicentia Enuntiata simul vera vel falsa esse possunt, sed vt alterum eorum verum, alterum falsum sit, necesse est. Et: quæ sunt ἐναντίως ἀντικείμενα, non sunt ἀντιφατικῶς ἀντικείμενα seu ἀντιφατικά. Duo Enuntiata vniuersalia opposita sunt ἐναντίως ἀντικείμενα, id est, contraria Aristoteli. Ergo non sunt ἀποφατικῶς ἀντικείμενα, id est, contradicentia seu contradictorie opposita.

Ab vtra parte hic standum? Resp. Facilis hic est conciliatio. Cum enim vocis *Contradictio* vsus sit duplex: priores eam acceperunt in significatu generali; posteriores in speciali, & κατ' ἐξοχήν. De re nihil est dissidii inter illos.

Præterea Contradictio nonnunquam γενικωτάτως, id est, generalissime accipitur, vt etiam in verbo sit singulari. Itaque faciunt *Contradictionem* aliam in verbo, quæ dicitur *Simplicium*, vt bonum non-bonum: aliam in Enuntiatione seu in *orationis complexo*. Vid. 1. edition. Dial. Ram. vbi inquit: Verba sæpe sola quasi affirmantur & negantur, vt attificiosum, minime artificiosum. Quæ contradictio dici potest Topica seu localis, & Aristoteli est ὡς κατάφασις & ἀπόφασις, tanquam affirmatio & negatio.

Quid contradictio in Enuntiatis generalibus P. Ramo?

Vt magis appareat huius explicationis vtilitas, videamus disputationem Piscat. & Scribon. Ramus tradit Contradictionem in Enuntiatis generalibus (hoc est, qua quod vniuersaliter fuit affirmatum, id ipsum vniuersaliter negatur; aut contra.) non semper diuidere verum & falsum: quippe quod vtraque pars falsa esse possit. Scribonius hoc reprehendit, & restringit Contradictionem vniuersalis seu Generalis Enuntiati ad particulare, quod vsus differendi aliam rationem contradicendi in Enuntiatis generalibus non admittat.

Ioh. Piscator ei contradicit, cum ei Contradictio cum Ramo communis & generalis Enuntiatorum affectio sit eiusdem rei de eadem affirmatio pariter & negatio, & afferri possint satis illustria exempla Contradictionis, qua vniuersali Enuntiato contradicitur vniuersaliter. Insignite bona hæc sunt. Iudæi docebant vniuersaliter. Omnis Caro, quæ iustificatur, iustificatur ex Legis operibus. Paulus his contradicit. Nulla caro iustificabitur ex operibus legis. Pelagiani vniuersaliter negabant; Infantes habere peccatum originis. Iis vniuersaliter contradicens Augustinus ait, omnes infantes (carnaliter concepti & nati) peccato originis infecti sunt.

CONTRADICENTIA TOPICA.

1. Contradicentia, Græce ἀποφατικά, sic dicta ex altera parte, sunt opposita quibus velut affirmatur & negatur idem vbique, vt: Deus non-Deus: viuere, non viuere; Necessario non necessario. Dico Velut. Quia non est hic vere porprieque affirmatio & negatio, quæ est oratio affirmatiua & negatiua, sed quasi.

Sunt igitur Contradicentia Oppositia vt Affirmatio & Negatio. Et affirmatio negatioque alia est λόγου, id est, orationis, quæ ad doctrinam Enuntiati pertinet, estque solius Enuntiati affectio: alia est πράγματος, id est, rei seu simplicium notionum, quæ ad inuentionem attinet, eiusque vnius est.

2. Affirmationis hic symbolum dicitur No-

Nomen vel verbum finitum, ὁρισὸν: Negationis vero nomen vel verbum infinitum, ἀόριστον.

3. Finitum igitur est, quod sine præposita negatione profertur, & definitum ac certum quid significat, vt: Homo loquitur.

4. Infinitum, quod cum negatione profertur, & aliquid indefinitum significat, vt: Non homo, non loquitur.

5. Contradictio est directa seu explicita, vel obliqua seu implicita.

6 Directa, vbi affirmatur & negatur idem aperte, vt Esse, non esse.

Obliqua, vbi affirmatur & negatur idem implicite, vt: Non esse & miserum esse, Si enim quid miserũ est: hoc certe est, cum non Entis non possit esse passio vlla. Hęc vocatur contradictio in Apposito vel Adiecto, vt σιδηρόξυλον. Per appositum enim seu Adiectum fit alterius euersio.

Vsus.

Ex omnibus argumentis nullum fortius & vehementius est, quo magis si non accurate doceri atque institui, certe teneri constringiq; possunt. Aduersarii, quam si ad affirmationis & negationem cogantur, vel in ἄτοπον deducantur, vt: Mortui sunt, aut non sunt. Si non sunt, esse qui possunt, qui nõ sunt? Si mortui non sunt, esse miseri qui possunt, qui non sunt?

A Scholasticis Contradictio dicitur Totaliter Remouens, & nihil post se relinquens. Atque hoc sensu dicitur Contradictio fortissima esse: & nihil ea tamen infirmius est. Fortissima est respectu reliquarum oppositionum, vt Relatiuæ, Aduersæ, &c. caret enim subiecti, quod vocant, medio, cum sit inter Ens & Non ens. Sed nihil ea est infirmius, quia nihil infirmius per se est mendacio seu falso: Contradictio autem est mendacium seu falsum quid. Vide Chrysost. in Iohan. Homil. 28. Itaque DEI potentia non est ad ἀντίφασιν. Inquis fortasse, posset si vellet ἀντιφατικὰ. Resp. Imo non potest velle: cuius ratio ex Theologiæ adytis sese ostendit nobis: de qua alibi.

CONTRADISTINCTVM.

Contradistincta sunt, quæ ex eodem genere secundum eandem diuisionem mutuo separantur.

Contradistinctæ species dicuntur, quæ ab oppositis differentiis constituuntur, εἴδη ἀντιδιηρημένα, vt homo & equus.

Dicuntur etiam partes contradistinctæ & propria contradistincta, Gressibile & Volatile. Differentiæ contradistinctæ, vt Sensitiuum & Intellectiuæ, (animalis.)

CONTRAPVNCTVS.

Contrapunctus est compositio Musica, seu harmonica melodia, seu ratio flectendi cantabilis sonos proportionali dimensione & certa temporis mensura. Sic dictus, quasi contra positis vocibus concors concentus arte probatus.

Est Simplex, Floridus, vel Coloratus.

Simplex est, cum singulæ notæ in quacunque cantilinæ parte eiusdem sunt quantitatis, vt, cum choralis, quē vulgo vocant, contra choralē, breuis contra breuem simpliciter ponitur.

Floridus est, cum ad notulas plani cantus diuersarum figurarum diuersæ quantitatis canuntur: Dicitur alio nomine fractus à fracto sonitu.

Coloratus est cum cantilena ex diuersis figuris & notarum quantitatibus constituitur.

CONTRARIA.

Vox contrarij primum vsurpatur generaliter pro iis omnibus, quorum alterũ

fit ex altero, aut illi post effectionem alicuius rei succedit. Ita contrariorum quædam sunt positiue opposita, vt sunt calor & frigus, forma hominis & forma embryonis: quædam priuatiue, vt calor & priuatio caloris, forma hominis & priuatio humanæ formæ.

Sic Contraria sunt
- Per se
  - Primo: Se Totis contraria: seu *Ratione sui Totius.*
  - Secundario: *Ratione suæ partis contraria*, non se Totis.
- Per accidens: quæ neque ratione sui, neque ratione suarum partium contraria sunt.

Explicatio.

Contraria per se sunt, quorum vtrumq; vel ratione sui totius, vel ratione partis suæ contrarium est alteri.

Contraria per accidens, quorum vtrumque vel alterũ per aliquid sibi adiunctum est contrarium.

Exempla.

Ratione sui totius per se contraria, vt calor & frigus: forma hominis & priuatio formæ hominis: Ratione suæ partis, & ita δευτέρως contraria, calidum & frigidum, ipse homo, & non homo priuatiue sumptus. Sumimus enim hæc, inquit Fonseca, quatenus sunt composita ex subiecto & forma vel formæ priuatione.

Contrar. per accid. vt ignis & aqua ratione caloris & frigoris, forma hominis & embryonis, ipse homo & embryo, ratione priuationis alterius.

Propensio corporis ad bonum sensibile per sensum & appetitum, & propensio Spiritus ad bonum intelligibile per intelligentiam & voluntatem per se & disparatæ sunt: ex accidenti autem & euentu factę sunt contrarię per peccatum. Dauid Paræus.

Eorum, quæ contraria sunt se totis, potest alterum totum expellere, ex eodem subiecto.

Eorum, quæ non sunt contraria se totis, non potest alterum totum alterum è subiecto vllo expellere, quia ipsa subiectũ includunt, nec in subiecto sunt.

Contraria sunt vel Insita vel Extranea.

Axioma.

Vbi vnum Contrariorum esse potest, ibi etiam alterum. Restringendum hoc ad ἐντὸς seu extranea, non intelligendum etiam de συμφύτοις.

CONVERSIO, μεταβολὴ.

Doctrina Conuersionum latissime patet, hoc est, diffusa est pene per omnes disciplinas. Itaq; distinctiones cum definitionibus ac descriptionibus, vbi illæ haberi non possunt, studiose sunt considerandæ.

1. Conuersio est Actiua vel Passiua: illa ab agente est, hæc in patiente.
2. Vtraque *vel Naturalis est*, quæ habet causas naturales, siue sit κατὰ φύσιν, siue παρὰ φύσιν, *vel non naturalis*, nempe Transnaturalis seu miraculosa, seu ὑπὲρ φύσιν, vel spiritualis.
3. Conuersio Passiua est vnius in aliud transitio, μετάβασις creatæ naturæ πάθος.
4. Partes eius Formales sunt Desitio vnius & successio alterius.

5. Suc-

5. Succedere est ad desitionem alicuius vel esse incipere, vel in esse suo conseruari.

6. Conuersio igitur est desitio alicuius entitatis positiuæ mutabilis, quam insequitur inceptio vel conseruatio alicuius rei alias non producendæ aut conseruandæ,

7. Itaque 1. Conuerti hoc in illud, non ex hoc fieri illud: conuersa aqua in vinum, aqua non fit vinum, sed aqua esse definit, & vinum succedit. Aqua hic tantum esse desinit actu, non etiam potentia. Reduci enim ad essentiam priorem sub pristina forma potest vi diuina. Ita τὸ εἶναι non interit, sed οὐσία seu natura vertitur in aliam.

8. 2. Simpliciter necessarium, vt DEVS conuerti nequit.

9. 3. Conuerti non est annihilari, seu in nihilum recidere, seu omni modo destrui, quia hic nulla est successio, neque substantiæ, neque accidentis. Disceptator sit syllogismus: Annihilatio est omnimoda seu puta pura rei seu essentiæ destructio. Conuersio neque naturalis, neque miraculosa est omnimoda rei destructio, ex vno enim positiuo fit aliud. Ergo nulla conuersio est annihilatio. Argumentum declaro: Cum formæ mutantur superstite materia, nõ fit omnimoda essentię destructio, vt cum aqua simplex miraculosa conuersione abit in compositum perfectum eadẽ quantitate & mensura, id est, cum aqua motu subito vel momentaneo transit in vinum vel sanguinem, vel fit vel fieri potest saltem (sicut sanguis redibit ad priorem formam aquarum, nimirum Ægyptiacarum) potentia diuina reditus vtriusque & vini & sanguinis. ad priorem formam, & ita aquis adempta forma, diuinitus restituta est, quod argumento est, quod etsi mutatur vnum in alterum, & alterum actu interit, non redigatur tamen in nihilum, sed in altero semper maneat potentia diuinæ potestatis ἐνεργητικῆς respectu, etsi non semper de potentia in actum priorem reducatur, & ita potentia sit tantum Obedientalis.

10. Conuersio est vel simpliciter, vel secundum quid, fit secundum totum, vel secundum partem.

Conuersio, vt denominatur à termino ad quem, est substantialis, vel Accidentalis.

11. Substantialis est cum terminus ad quem est substantia, id est, cum ad desitionem alicuius, vel incipit esse substantia, quæ prius non fuit, vel pristina conseruatur.

12. Conuersio Substantialis proprie μεταβολὴ, quæ fit secundum partes eius quod conuertitur, & eius in quod conuertitur, fit in generatione substãtiali seu contingit in iis, quæ habent communem materiam. Cum generatur ignis ex aere, aer conuertitur in ignem non secundum se totum. Aer enim non desinit secundum materiã, hæc eadem numero manet in aere & igni, conuersio tantum fit secundum formas.

13. Conuersio Substantialis, quæ fit secundum totum est, cum id quod conuertitur secundum se, & quodlibet sui esse desinit, & terminus ad quem secundum, & quodlibet sui recipit esse nouum, vel conseruatur in esse ante ante habito, vt cum conuertitur panis in Corpus Christi, quod aliena specie occultatũ sumitur, & ita inuisibiliter, ex sententia Gab. Bielis, & aliorum D. Scholasticorum. Hic enim panis secundum se totum desinit, nihil panis manet, nec materia, nec forma, sed tantum accidentia. Hæc μεταβολὴ seu transmutatio dicitur transsubstantiatio, μετουσίωσις, (quam describit

Petr.de Aliaco, immediata ſucceſſione ſubſtantiæ ad aliquid poſitiuum deſinens eſſe ſecundum ſe & quodlibet ſui ſub iiſdem accidentibus, vel loco eius quod deſinit eſſe.) Hæc non eſt annihilatio: quia annihilatio eſt deſitio rei ſecundum ſe totam, cui nihil poſitiuũ ſuccedit. At in tranſſubſtantiatione ſuccedit corpus Chriſti. Si tamen Annihilatio dicatur deſitio rei ſecundum ſe totam, ita vt nihil quod fuit de eius eſſentia maneat, ita panis in hac conuerſione annihilabitur. Ac ſi etiam forma ſubſtantialis corrupta annihilatur, ſed non compoſitum, quia in corruptione compoſiti manet aliquid vt dixi, nempe ſymbolum, ſic loquitur Scaliger, materiæ communis corrupto & generato. Gabr.Biel.l.4.diſt.11.q.1. Huc refert Bodinns Nebucadnezaris conuerſionem in beſtiam, & Nerorum in lupos.

14. Accidentalis, cum terminus ad quem mutationis eſt accidens, id eſt, cum ad deſitionem alicuius incipit, aut conſeruatur aliquod accidens: In calefactione aquæ ad deſitionem frigiditatis aquæ incipit eſſe calor in aqua, & ita conuertitur frigiditas in calorem. Similiter frigida in aquam calidã conuertitur. Sed frigiditas conuertitur ſimpliciter in calorem, quia ſimpliciter frigiditas deſinit, & ſuccedit calor. Sed frigidum conuertitur in calidũ ſecundum quid, quia frigidum non deſinit ſimpliciter, id eſt, res quæ eſt frigida (aqua) non deſinit ſimpliciter, nec aqua calida hic incipit ſimpliciter, ſed tantum ſecundum denominationem accidentalem, cum deſinat eſſe frigida, & incipiat eſſe calida. Hæc alteratio eſt, qua qualitates mutantur illæſa ſubſtantia.

Quid alteratio.

15. Huc pertinet Regeneratio Ioh.3. (ea enim non eſt eſſentiæ, ſed accidentis mutatio) πνευματικὴ, ſeu conuerſio Hominis ad DEVM complectens terminum à quo & ad quem. Partes enim eius ſunt Mortificatio veteris hominis & Viuificatio noui. Et, ex ſententia Theodoreti mutatio Panis μυſτικὴ, id eſt, Sacramentalis in corpus Chriſti, qua manente natura ſeu eſſentia abſoluta Panis incipit nouam eſſentiam σχετικὴν ſeu reſpectiuam. Et Metamorphoſis ſeu transfiguratio Corporis Chriſti in Morte. Huc etiam refero Mutationem Nebuchadnezaris in beſtiam. Daniel. 4. Huic analoga eſt Conuerſio Affectuoſa amantis in amatum. De qua Dionyſius: Amor eſt virtus transformatiua & conuerſiua amantis in amatum: & Hugo, Amor vnum te facere vult cum amato. Dilectio ingerit ſe, vt, ſi fieri poſſit, hoc ipſum ſit, quod ipſe, quem amat, & fit vnio quodam modo per vim amoris, vt expelli incipiat & exire à ſe, & incipiat eſſe quod amat. Metaphorica & Hyperbolica hæc eſt transformatio. Vide Scot. 4.d.49.

Nihil moueat te, quod τὸ παρὰ φύσιν etiam attribui Naturali. Nulla reipſa διάστασις hic eſt. Nam in coctionibus, verbi cauſa, cum calor acrior eſt vel vrgentior iuſto, alteratio naturalis etiam dici poteſt, quia habet cauſas naturales, nec eſt ὑπὲρ φύσιν, ſed eſt interim non naturalis, qua præter naturam fit.

Τὸ παρὰ φύσιν naturale eſt, qua habet cauſas Phyſicas, quæ naturam non excedunt, non ſunt ὑπὲρ φύσιν. Non eſt naturale, qua alienum eſt à natura, eive aduerſum, nec eſt ſecundum naturam. Vide Peucerum p. 518. Itaque Conuerſio poteſt etiam diuidi in Naturalem, & non naturalem. Non naturalis in παραφυσικὴν & ὑπερφυσικὴν, quod notetur ad ſecundam Theſin.

Conuer-

Conuersio etiam sumitur in Physica sæpe speciatim, vt opponatur Alterationi seu ἀλλοιώσει, vt cum dicitur: Omnis mutatio, quę accidit humoribus, est vel Alteratio, vel Conuersio. Illa Speciatim mtitat accidentalem, id est, qualitates illæsa substantia: Hæc essentialem, id est, Substantiam & qualitates simul mutat.

Conuersionibus Physicis analogæ sunt Politicæ & Medicæ: Illæ Imperiorum, Hæ morborum. Subitæ Conuersiones morborum aut ægros oppressos perimunt, aut solutos morbos profligant. Peucer. in lib. de Diuin. de Astrologia.

Imperiorum mutationes spectantur tum in interitu, seu euersione: tum in labefactatione aut eneruatione eorum. Eius mutationis exponunt causas erudite Peucer. lib. de Generib. Diuinat. p. 38. & Scriptores Politici. Quærunt hi etiam, an eorum sint præscriptæ ac definitæ periodi.

Chymicorum μεταλλαγὰι seu μεταμορφώσεις, sintne Accidentales an substantiales, ζήτημα (seu quæstio anceps) est, id est, quæritur valde ἀμφιλόγως, an possint beneficio artis & ignis diuersas inter se species transmutare, ex ære aurum transmutatione conficere, vel perfectione, vt alii malunt loqui: eo quod putent aurum solum in genere metallorum perfectionē specici propriam obtinuisse.

Est & Conuersio Rhetorica, ἐπιστροφὴ; Dramatica καταστροφὴ (id est, extrema pars fabulæ) Lyrica στρέψις, Grammatica ἀναστροφὴ, Relatorum & propositionum στρέψις, id est, στροφη (fraus) Sophistica: ludus ingeniorum nostratium & Gallorum μεταγραμματισμὸς seu ἀναγραμματισμὸς (hoc est litterarum inuersio) cum aliquis transnominatur, vt loquitur Suetonius, hoc est, nomen eius inuertitur.

Quidam etiã Oratores Græci ἀνεστροφὴν vocant, cum aduersarii Propositionem in nosttam partem conuertimus.

In Astronomica doctrina Conuersio Solis est τοπικὴ, quæ Græcis τροπή.

Conuersionum conditiones.

Conuersio est mutatio, qua aliquid in aliud conuertitur. Eitque Naturalis, vel Supernaturalis, vt Elementi in Elementum, elementorum in mistum, misti in aliud mistum.

Eius sunt 3. conditiones.

Prima, In Conuersione Physica, Naturalis Substantiæ in Substantiam aliam, accidentia sensilia eorum, quæ conuertuntur in alia, aut ἀεὶ, aut ὡς ἐπὶ πᾶν, id est, aut semper aut prope semper corrumpuntur, vel ad gradus refractos reducuntur, vel omnia, vel aliqua.

Secunda, ea, quæ conuertuntur in alia, desinunt esse quod erant, & contra ea, in quæ alia conuertuntur, incipiunt esse, quod non erant, vt cum aqua conuertitur in aerem, aqua quæ conuertitur, desinit esse aqua, aer vero, in quem conuertitur, incipit esse aer.

Tertia, Substantia, quæ conuertitur in aliam, nunquam desinit esse tota, & Substantia, in quam alia conuertitur, nunquam incipit esse tota, seu secundum se totam, manet enim semper eadem materia, quæ est ἀγένητος & ἄφθαρτος per creatam virtutem.

Supernaturalis nullam harum conditionum habet. Talem Patres Scholastici statuunt conuersionem in Cœna S. 1. enim manent in ea accidentia sensilia panis & vini. 2. quia in ea (conuersione) corpus & sanguis Christi non incipiunt esse quod non erant. 3. quia tota substantia panis & vini esse desinit, & quoad formam & quoad materiam, totaque Substantia corporis & sanguinis Christi ibi esse incipit forma & materia. Est itaque hæc con-

uersio non formalis, qua diuersæ formæ sibi in eodem subiecto succedunt, sed Totalis & Substantialis omnino. Quare Transsubstantiationem vocãt, (id est, transitionem ὅλ ικὴ Substantiæ in Substantiam) Casp. Casalius Lusit. in l. de Cœna.

Disparatur Conuersio ab Annihilatione & Creatione. In hac enim Substantia incipit esse tota, in illa desinit esse tota.

Conuerti vnum in aliud non est vnum fieri aliud; sed est vni succedere aliud. Formale Conuersionis est Desitio vnius, & Successio alterius. Itaque conuerti aerem in ignem (seu (a) forma aeris in formam ignis, vt quidam loquuntur) est nihil aliud, quam formam aeris corrumpi, & produci in eadem materia formam ignis.

(a) Improprie prædicatio est, Conuersio est successio entitatis positiuæ ad entitatem positiuam desinentem. Propria vero est, Conuersio est mutatio in qua desinenti entitati positiuæ succedit entitas positiua.

Conuersio tam actiua, quam passiua.

Conuersio
- Naturalis, quæ fit successiue.
- Supernaturalis, quæ fit subito & immediate, id est, sine alteratione præuia. Differt à naturali in modo, vt cum Deus mutat fœminam in statuam salis.

Conuersio transitus vnius rei in aliã
- Substantialis, vt Transsubstantiatio, id est, conuersio seu transitus Substantiæ in Totius substantiam.
- Accidentalis, cum ex calido fit frigidum.

Opponitur simplici productioni, vt creationi; & Annihilationi, id est, desitioni totius Entis secundum se (vt omnino non sit) Totali & omnimodæ desitioni, Transitui in nihilum.

Conuersio substantialis
- Formalis, quæ fit per successionem diuersarum formarum in eodem subiecto, id est, manente materia communi vtrique formæ.
- Materialis si sub eadem forma vna materia alteri succedit, si vnum compositum mutetur seu conuertatur in aliud ex parte subiecti seu materiæ manente eadem forma. Hæc proprie non est Transsubstantiatio.

Neutra proprie est inter res simplices, sed inter composita (ex subiecto & forma) ad quę per se primo terminatur actio vel corruptio.

Conuersionis conditiones.

1. Inter duas res est positiuas, quarum altera habet rationem termini à quo, altera ad quem.

2. Vnus terminus, ex quo fit conuersio, aliquo modo desinit esse, & alter, ad quem fit conuersio, aliquo modo fit seu incipit esse.

Conuersio per Contrapositionem.

Conuersio per Contrapositionem seu ἀντίθεσιν est Consecutio à destructione consequentis ad destructionem antece-

antecedentis. Vbi natura est, ibi est ordo : Ergo vbi non est ordo, ibi non est natura.

CONVERTENS.

Peculiare, hoc est, quod à Scholasticis accipitur Conuertens per Conuersionem recipiens, seu ἀντιστροφὼ patiens, seu Conuertendum, vt Hæc est Conuertens, (animo conuersa) Nullus Philosophus est eloquens : Conuersa est, Nemo eloquens est Philosophus.

Canon:

A conuertente ad conuersam valet consequentia. Sic Resoluens pro resoluendum vel resolutionem patiens, nõ resolutum: vt, Hoc non est causa, Ergo non causat : Valet consequentia à resoluente ad resolutum : συμπλήθεια hic est, id est, veritatis Propositionum conspiratio.

CONVERSOR,

σύνειμι, conuersari, συζῆν.

Conuersari Ciceroni est versari. Conuersatio est consuetudo & vsus apud Quintil. Conuersari cum optimis, versari cum optimis, Lucian. ἐν ὁμαλῷ σύνεσι τοῖς θεοῖς, cum Diis immortalibus conuersatur, vt vertit Erasmus: συζῆν quod ἐν παρόδῳ, est Latin. vitæ societate coniungi. Lambin. 8. Ethic. Cicero, conuiuere non dicit. Apud Quintilianum semel me legere memini pro simul viuere, seu conuictores vel conuiuas esse.

COPIA.

1. In Dialectica Copia seu abundantia Propositionum ἐυπορία προτάσεων est multitudo mediorum ad eiusdem conclusionis illationem. De hac in Doctrina de inuentione medii. Ibi enim docetur quomodo eadem conclusio inferatur & probetur ex mul-

tis mediis; id est, rationibus & præmissis.

2. Copia in Oratoria 1. est facultas eiusdem sententiæ vel rei variandæ multipliciter, alia atque alia rationis forma, aliis atq; aliis argumentis. 2. est ipsa Locupletatio. Estque Verborum, vel Rerum. Copia Verborum est artificiosa facultas habitusve aliis verbis, alia atq; alia rationis forma. Verborum Locupletatio seu Copia fit sine figura, vel cũ figura. Sine figura vel per Synonymiam verborum aut orationis; vel per Enallagen dictionis aut accidentis eius. Cũ figura aut cum Metaplasmo, qui est Orthographię vel Prosodię, vel cum Tropo, vel cum Schemate. Copia Rerum est artificiosa facultas cuiuslibet naturæ, argumenti vel rei explicandæ, & augendæ variandæque.

Vicina est huic Copiæ Propositionum multiplicatio seu Densitas, quæ est digestio & diductio status & causæ in sua capita & membra, id est, in suas principales & minus principales propositiones & harum probationes certas aut credibiles. Digestione intellige ordinem iustum, ne fiat propositionum confusio, & vere sit propositionum Turba. Hæc Erasmo l. 2. de Rerum copia est decima ratio dilatandi. Et fere eadem est cum Logica ἐυποεία προτάσεων, teste Velcurione. Erasmo, inquit Velcurio, propositionum, multiplicatio est copiosa & expedita inuentio atque bene digesta dispositaq; densitas præmissarum Cõclusionum, antecedentium & consequentium in forma Enthymematis, exempli, inductionis: quamuis interdum etiam propositio iusta sine formis argumentorum explicatur. Dispositionem hanc præscribit vel natura causæ, vel prudentia Scriptoris, vel ratio artis.

CORNV.

Cornu in Doctrina Physisia (sicut &

Cor-

Cornutum) dicitur vel proprie, vel per Translationem. Id cum ex aliis, tum vero ex hoc Aristotelis colligitur de hist.anim.2.c.1. Cornuta quæ sunt, omnia quadrupeda sunt, nisi quid per translationem dicatur. Et ex hoc Alb. Magn. Cornua, quæ reuera cornua sunt, dantur à natura animalibus in arma. Sunt igitur cornua vere vel quasi, ac data sunt animantibus certis à natura in auxilium seu arma; quãquam cornua ceruorum magis videantur esse naturæ purgamenta, quam arma, cum ea eiiciant.

Cornua proprie dicta oriuntur ex superfluitate alimenti terrestris, & habent nonnunquam ramos. Alber. Mag. scribit se vidisse cornu cerui, quod habuerit 22. ramos.

Improprie dicta cornua sunt eminentiæ carnibus similia. Ita aspis cornuta dicitur, serpens ordinis primi satis longus, in cuius capite duæ eminentiæ, tanquam duo cornua.

In Geographia cornua fluminum sunt flexus & brachia quasi.

In Polemica cornua exercitus sunt duo, dextrum & sinistrum.

In Logica Disputationis quasi armatura insignitur nomine cornuum, vt hæc disputationis nostræ cornua, hoc est, argumenta stabilissima. Sic dicimus: Sed nunc mihi mouenda sunt Disputationis cornua.

In Astrologia nobilitata sunt Cornua Lunæ. Et quidam poeta dixit. *Hoc constat, constat nihil infra cornua Lunæ.* Sic Astronomi: Luna à coniunctione crescens continue post occasum Solis lucet, & vertit cornua versus ortum à Sole, ac videtur vesperi, sequiturque Solem. Luna post Oppositionem decrescens continue lucet vsque ad exortum Solis computatis partibus ab exortu illius, ac vertit cornua à Sole occasum versus, videturque mane, ac antecedit Solem. Hæc axiomata sunt perpetuo vera.

Quid autem sunt Cornua Lunæ? Resp. Sunt partes corporis Lunaris, quæ illuminatæ à Sole, videntur. Hinc Luna dicitur Corniculata, cum tenuissimum eius lumen in cornua quasi curuatum apparet instar falcis (vnde & falcata dicitur;) id quod singulis mensibus accidit, primum nascenti ☽, die secundo, tertio, quartove, post ☌. Rursus vero senescenti, paulo ante nouilunium, cum subitura Solis radios se ex nostro aspectu iterum subducit.

Cornua matricis dicuntur 1. αἱ ὅπῃ τὸ ἄνω καὶ πλάγια ἐκφύσεις, id est, quod sursum & ad latera versus ad matricem excrescit, qua definitione membranæ videntur significari, ex quibus musculi deducuntur, quibus vterus sursum mouetur, quæ est causa suffocationis matricis, qua fiunt ὑστερικαὶ: Ita cornua sunt extra vterum, non pars huius. 2. Sed Vesalius etsi fatetur se hæc aliquando pro cornibus habuisse, tamen docet idem vera esse cornua vteri in supremo vtero ad dextrum & sinistrum latus extuberantias extremas, quæ obtusi anguli flexum referant: & hæc etiam Lunę cornibus non incommodissime assimilari possunt. Hæc sunt nimirum non extra vterum, sed dextra & sinistra pars seu angulus fundi huius.

COROLLARIVM,

Porisma.

Corollarium generaliter acceptum idem est quod auctarium, Zugabe. Specialiter accipitur dupliciter. 1. Est omne id, quod ex propositione aliqua (vt conclusione) consequitur. 2. Dicitur, cum ex iis, quæ demonstrata sunt, aliud quoddam pronuntiatum, siue theorema sit, siue problema, simul

apparet

apparet quod propositum non erat, tanquam lucrum quoddam accedens demonstrationi secundum Scientiam factæ. Breuiter, quod protinus è facta demonstratione tanquam lucrum aliquod accipitur. Itaque Græcis est πόρισμα, Barbaris & Græcæ linguę indoctis Corellarium & Correlarium, cum sit à Corolla. Eiusmodi sunt ad 4. prop. 2. & 1. p. 3. Euclid.

CORPVS.

Corpus accipitur dupliciter; Vno modo vt est in Categoria Substantiæ; Altero, vt est ex genere quantitatum. Corpus, quod est Substantia, est Subiectum triplicis dimensionis, longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Estq; nihil aliud, quam vel Substantia corporea, ac tunc Genus est: vel Materialis pars substantiæ corporatæ, vt cum opponitur animæ, vel significat carnem oppositam sanguini.

Corpus, quod est quantitas, est tres dimensiones. Itaq; non potest intelligi & definiri sine his. Sed Substantia corporea potest intelligi simplici apprehensione absq; tribus dimensionibus. Atque hęc corporis ęquiuocatio est sumpta è disputationibus Peripateticorũ.

Corpus
- Sensibile
  - Physicum.
  - Artificiosum.
- Intelligibile, Mathematicum, quod quidam dicunt corporeitatem. Cui quidam addunt Metaphysicum.

Vid. Perer. l. 2. de Phil. Natur. c. 3. p. 71. De corpore nostro *Animali* & *Spirituali*, vt & de *Mystico corpore*, quod est *Ecclesia*, agit Theologia Christiana. Sensibile.] De hoc intelligatur Definitio hæc: Essentia tribus dimensionibus, longitudine nimirum, latitudine & profunditate comprehensa. Itaque Finita.

Corpus & est Substãtia & Accidens, non quidem κατὰ τὸ πρᾶγμα, sed κατὰ τ' οὔνομα· Ἀντίφρασις, seu, pro vario significatu. Eatenus σις. igitur corpus dici potest esse Ens trium dimensionum.

Nunc progredimur ad rationem loquendi Platonicorum.

Et nostri, & alii, inquit Michael Psell. de Dæmonibus, solent corpora quidem crassiora corporea nominare; Corpora vero tenuiora, & quæ aspectum tactumque effugiunt incorporea frequenter cognominare. Et hoc sensu dæmones sunt incorporei. Hactenus Psellus: Cui dæmonum corpora sunt simplicia, ductu flexuque facilia & ad omnẽ figuram naturaliter seu suapte natura apta, modo in breuiorem molem contracta, modo rursus in longiora extensa.

In Politicis Corpus interdum pro persona accipitur: vt, Error in corpore est, si fundus alius pro alio, si hæres alius pro alio scribatur, qui ertor personæ est.

Pomponius in ff. de vsuc. l. rerum mixtura, tria corpora fecit. 1. Quod vno spiritu continetur, vt homo, lapis, lignum, vnum per se. 2. Quod nexu quodam constat, quo partes mutuo se tangũt, vt domus, nauis, armarium. 3. Quod habet partes distantes, quæ tamen vno vocabulo & communione ordinis iunguntur, vt populus, grex, legio. Hoc tertio genere comprehenditur Ecclesia, quę Societas eorum est, qui loco inter sese distant.

Vsus explicationis significatorum Corporum.

1. Quæritur cum dicitur: Hoc est corpus meum, intelligaturne de corpore quod Genus est, an de Corpore quod pars est?

Respondetur ex Pico in Apologia. Genus non prædicatur possessiue de suo inferiori sicut pars de toto: cum enim dicam, Humanitas mea, & manus mea; non tamen dico, Homo meus, de me ipso. Intelligitur igitur in Verbis Cœnæ, Corpus Christi, quod est pars, hoc est, Caro Christi, cui opponitur sanguis, non quod est Genus.

Pic. in apol. corpus compositũ quid ex materia & forma, vt per animam homo, non solum esse corporeum, sed sensum & rationem, sumitur vt totum.

2. Quæritur, An sint eadem corpora Sanctorum, viua & mortua?

Resp. Thom. Bricot. in expl. 1. l. de generat. & corrupt. Si accipiatur corpus pro altera parte, nempe pro materia organis prædita: vel etiam pro Quantitate corporatę Substantię, eadem sunt corpora Sanctorum prius viua, & postea mortua, licet mortua habeant aliam formam, substantialem, quã viua, h.e. habeant formã, quæ dicitur vita. Sed si corpus accipiatur pro specie Substãtiæ perfectæ ex duabus partibus seu principiis essentialibus, quorum vna materia, altera forma, tunc non sunt eadem corpora.

3. Cur materia eorum, quæ non sunt animalia, non dicatur corpus, vt materia animalium?

Resp. Thom. Bricot. in expl. l. 1. de Generat. & corrupt. Ex eo dicuntur animalia componi ex corpore, non alię Substantiæ, quia animalia habent materiam organis instructam, & diuersimode figuratam in diuersis partibus, cum forma animalis animæ diuersis organis ad exercitium diuersarum actionum indigeat. Formæ autem aliarum Substantiarum non requirunt eiusmodi materiam, ideo earum materia non dicitur corpus.

Corpus interdum accipitur improprie & quidem analogice pro eo, quod est quasi corpus, vel quasi res per se subsistens. Sic quidam exponunt illud Pauli ad Rom. 7. Quis me eripiet ex isto corpore mortis, id est, ex hac morte, quæ velut corpus quoddam seu res per se subsistens in me suas vires exserit, meque misere diuexat. Ioh. Pisc. Sic & corporari.

Corpus { Homogeneum eiusdem rationis.
Heterogeneum.

Huius distinctionis magna est vtilitas in Physicis & Anatomicis inprimis, imo & in Theologia. Corpora nostra sunt heterogenea & talia manebunt etiam in altera vita: (sicut in Christi transfiguratione mansit eius facies distincta à pedibus & cæteris membris.) Etsi nõ defuerint, qui censuerunt ea fore homogenea ita vt totum tuum & meum corpus sit visurum, totum auditurum, totum ingressurum. Tribuitur hic erroꝛ Adamant. Origeni. Veritas est, Habiturum esse corpus glorioſum, oculos, aures, pedes, à se inuicem distinctos, itaque oculis visurum, auribus auditurum, pedibus ingressurum. Falsum itaque est, quod quidam scripsit è recẽtioribus Theologis, corpus glorioſum totum videt, totum audit, totum ambulat, totum agit. B.R.p.

CORPOREITAS.

Corporeitas significat vel solam quantitatem seu magnitudinem, qua corpus significat Substantiam quantitate prędita vel quidditatem seu Essentiam corporis. Zabar. c. 20. de Natur. l.

Idem quod Soliditas. Alhart. l. 2. Opt. p. 46. hoc est Extensio secundum trinam dimen-

dimenſionē. Hæc in quibuſdam corporibus comprehenditur à viſu per ſe, in quibuſdam auxilio virtutis iudicatiuæ. Alhart. 31. in 2. & Vitell. l. 4. p. 63. Dicitur & corpulentia.

CORPORATVRA.

Pro Corporea, hoc eſt, trium dimenſionum figura. Scal. 2. l. de plant. Sane triquetra corporatura æquilatera eſt omnium firmiſſima. Nam pondus ad perpendiculum, à cuius cuſpide introrſum ad baſin ducta pendens linea rectum efficit angulum vtrumque, id quod cum pyramide habet cōmune.

CORPORALE.

Corporale nonnunquam dicitur, quod percipi ſine corpore nequit, quod in corpore ſentitur. Ita odor & ſimiles Qualitates dicuntur corporales. Sic accipere ſe ait Auguſt. lib. vno de Magiſtro. Et eod. lib. Fateor ſonum, odorem, ſaporem, grauitatem, colorem & alia, quæ ad cæteros ſenſus pertinent, quanquam ſentiri ſine corporibus nequeant, & propterea ſint corporalia, non tamen digito poſſe monſtrari.

CORPVLENTVM.

Tenui Subſtantiæ opponitur interdum corpuleuta. Odor cum qualitas ſit, corpulentus eſſe nequit. Subiectum autem odoris eſt quædam exhalatio, quæ Subſtantia tenuiſſima eſt. Itaque odor non poteſt dici corpulentus ratione ſubiecti. Lud. Septal. in comm. in Problem. Ariſt.

Græci dicunt σωματῶδες, σωματοδέστερον, vt Melancholicus humor eſt Chymus σωματοδέστερος, quam reliqui frigidior & ſiccior. Itaque calorem conceptum diutiſſime retinet.

CORPORARI.

Apud Opticos & Pictores Metaphoricam etiam habet ſignificationem, vt dicitur homo Monogrammus à ſimilitudine, pictura nimirum, quæ priuſquam coloribus corporetur, fingitur lineis. Opponitur igitur ei, quod eſt tantum delineari.

CORRELATIVVM.

Vſus eius eſt Proprius & Improprius.

Proprius, cum ſignificat id, quod eſt reſpondens (ex altera parte) relatiuo, ſiue ſit tale ἁπλῶς, ſiue κατά τι (quodammodo.)

Improprius vſus eſt, cum tribuitur antitheſis, vt cum quidam verſus Correlatiuos vocant etiam, vbi antitheſεως extrema opponuntur extremis theſεως.

Henric. Bebelius Poeta Laureat. Tub. Acad. olim profeſſ.

Correlatiuum habet correlationes vel ex repugnantiis, vt:

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur. vel ex conuenientiis; vt

Anguis, aper, iuuenis, pereunt vi, vulnere, morſu,
Hic fremit, ille gemit, ſibilat hic moriens.

CORRVPTIO, GENERATIO, CONVERSIO, TRANSMVTATIO.

Multiplicem hæc nomina habent poteſtatem.

Primum Corruptio vel Generatio eſt vel ſecundum Totum, vel ſecundum partem, hoc ſenſu. vt illa ſit Totalis (totius Subſtantię) hęc vero Partialis. (partis Subſtantiæ.)

Deinde eſt vel ſimpliciter, vel ſecundum partē, hoc ſenſu, vt illa ſit ſecundum Subſtantiam, hæc vero ſecundum Accidentia. (hæc enim ſunt veluti aliqua pars totius) qualis eſt Alteratio ſeu Variatio, vt Barbarorum Deterioratio & Melioratio. Vtrumque ſenſum inuenies in Diſput. Zabarellæ.

Ad priorem ſenſum congruit M. Flaccii Illyrici diſtinctio, qua vtitur aduerſus Victorinum Strigelium in Diſput. Vinarienſi de peccato originis & Libero Arbitrio. *Duplex eſt corruptio Eſſentiæ: Alia quidem, quæ eſt totalis* ſeu vltimus interitus indiuidui alicuius, vt cum animal aut aliud corpus Phyſicum prorſus in Elementa reſolutum eſt, deleta penitus priori forma. *Alia vero corruptio eſt*, cum optima tantum Subſtantia, quæ plerunque valde ſolet eſſe ignea aut aeria, euanuit aut interiit. Vt in vino bono videmus alias totalẽ illam corruptionem, cum vel prorſus exſiccatum eſt, vel prorſus computruit, vt nihil ſit niſi lutulentus & ſordidus quidam liquor vix vllum vini veſtigium retinens; Alias cum aceſcit, aut nimis vetus eſt, tantum optima illa Subſtantia exhalauit & interiit. Idem in omnibus rebus ad interitum tendentibus eſt cernere. Alia enim eſt corruptio corporis humani, cum prorſus computruit, aut à vermibus conſumptum eſt, vel mutatum in aquam terramque: Alia, quam omnibus horis fere experimur, deperitio ſeu conſumptio partis Subſtantiæ ſeu materiæ corporis noſtri humidi nimirum fluentis, quæ cibo denuo inſtauranda ac reſtituẽda eſt, tametſi deterior ſemper reponatur: Vnde tandem morbos & mortem conſequi neceſſe eſt. In hac igitur poſteriore non plane abolitum eſt Subiectum, ſed adhuc ſuperſtes eſt. Ad hanc refert hanc, cum ex vero flore ac vigore iuuentutis factus homo eſt decrepitus capularis ſenex, cum emortuum eſt corpus adhuc viuentis Saræ: cum temperamentum phlegmaticum tranſmutatum eſt in melancholicum.

Conſentit Zab.

Totalis corr.

Partial. corr.

Melius ὁδὸς ad totalem corruptionem.

Hanc tribuit, ſed falſo, Homini lapſo. Vult enim hominem poſt lapſum non manſiſſe integrum quoad eſſentiam, qualis prius fuit, ipſum corpus & corporales ignobiliores potentias eſſe eſſentialiter corruptas, manere quidem aliquid de anima, ſed pretioſiſſimam & optimam eius eſſentiam in parte rationali eſſe amiſſam, ſeu in peſſimam eſſe mutatam, ſed non plane abolitum eſſe ſubiectum hominis; manere tantum quaſi ſemicadauer miſerum, & vmbram hominis in ignobilioribus ſuis potentiis.

Ad poſteriorem ſenſum congruit hæc Ariſtotelicorum, vt P. Georgii Reiſch.

Duplex eſt Generatio, Alia ſimpliciter, (ἁπλῶς) Alia ſecundum quid (κατά τι.) Generatio ſimpliciter eſt Generatio Subſtantiæ.

Per hanc nimirum vel ſimpliciter eſſe aliquid incipit, vel Forma Subſtantialis acquiritur, à qua res ſimpliciter & ſine aliquo addito denominatur.

Simpliciter enim dicitur, quod ſine addito aliquo dicitur, vt cum ex aere generatur ignis. Corruptio autem Simpliciter eſt mutatio, per quam eiuſmodi eſſe ſeu forma Subſtantialis deperditur, vt cum ignis in aerem mutatur ſeu tranſit.

Generatio ſecundum quid eſt generatio accidentis; quod ſubiecto quod generatur dat eſſe, non quidem ſimpliciter, ſed tale, & ipſum cum addito denominat, vt calor via Alterationis introductus in aquam dat aquæ non eſſe aqueum, ſed calidum; nec dicitur aqua generata ſimpliciter, ſed calefacta. Accidens autem, quod hac Generatione producitur, Eſſe ſimpliciter accipit, quia quod non erat, generatur: Habet enim eſſe diſtinctum ab eſſe ſubiecti ſui. Sed via naturæ extra ipſum nec generatur, nec conſiſtit: ideo non Eſſe, ſed ineſſe dicitur.

Diſting. ter ſubiecti & accidis.

Generatio ſimpliciter dicta rurſum duplex eſt.

Quædam enim eſt, per quam in materiam primam forma Subſtantialis ſtatim

statim introducitur. Corruptio simpliciter contra. Illam Aristoteles definit mutationem huius totius in hoc totũ, nullo sensibili manẽte eodem, vt subiecto: vt cum ex aere fit ignis, totus aer in totum ignem transmutatur. Manet equidem eadem materia prima; quæ prius erat sub forma aeris, nunc est sub forma ignis. Sed hæc (materia) non est sensibilis. Quædam vero Generatio simpliciter est, qua forma substantialis nõ statim in materiam primam inducitur, sed in compositum Substantiale ex materia prima & forma, Substantiali communione, id est, Vnione seu nexu, vt cum anima corpori Physico & organico vnitur. Similiter corruptio huius non statim ad materiam primam vsq; protenditur. Discipulus hic obiicit: Si per Generationem non statim forma substantialis in compositum inducitur, eadem res duo esse Substantialia & duas formas habebit. Ad hanc obiectionem respondet Magister distinctione formarum Substantialium, quarum alia generica, alia specifica: quam vide in Litt. F, vbi de FORMIS Substantial.

Vsus.

Cum corpus sanum mutatur in ægrotum inprimisque leprosum, quæritur an sit quædam Generatio? Resp. Est. Sed estne Generatio simpliciter absoluteq; dicta? An κατάτι, id est, Alteratio? Prius contendit Fl. Illyricus in disput. de peccato orig. posterius defendit Victorinus Strigelius, statuens esse Generationem partialem, cui Physici assentiuntur, & multi Theologi Physiologiæ doctiores.

CORRVPTIO,

Interitus, φθορά.

1. Corruptio in Genere est Essentiæ (siue essentia Substantiæ sit, siue accidentis) interitus.
2. Corruptio Physicis est destructio substantiæ virtute secundæ causæ facta. Itaq; est Physica, & opponitur Annihilationi, quæ est destructio Hyperphysica, quia fit virtute Dei. Fit autem corruptio per desitionem vnionis seu coniunctionis cum materia, vel separationem formæ à materia.
3. Corruptio accipitur improprie pro mutatione accidentis alicuius, & vocatur κατάτι corruptio. Sic & Philosophi & Theologi sæpe accipiunt pro Depraua**tione**, vitiatione, quæ alteratio est. **Vitus** Amerbach. l. 2. Phys. pag. 142. liberum **arbitrium** in Homine originali peccato corruptum, hoc est, depraua**tum** est, non extinctum etiam, quod ad fidei negotium attinet. Suaretz duplicem rei desitionem seu corruptionem facit sic. Primo potest res aliqua corrumpi seu desinere esse, quia non esse vnius rei consequitur ἐκ τοῦ εἶναι alterius. Secundo, quia res absolute priuatur suo esse quasi immediate & absq; consecutione ex alio Esse. Priori modo corrumpitur lignum, cum ex eo generatur ignis, quia esse ligni non potest simul esse in eodem cum esse ignis. Posteriori modo corrumpitur lumen in aere per absentiam Solis. Nullum enim esse introducitur in aere repugnans cum esse lucidi, sed simpliciter perit illa forma, recedente causa conseruante, nimirum Sole.

Corrumpitur seu destruitur aliquid
- Immediate, id est, absque alterius termini seu rei productione.
- Consequenter, tantum ad aliud Esse.

Corruptio
- ἁπλῶς, substãtialis, i. quę fit substantialiter
  - Totalis (Totiº.)
  - Partialis (partis.)
- Κατά τι, Accidentalis, quæ fit accidentaliter, & in accidentibus.

2.
- Naturalis
- Artificialis

qua corpus
- Naturale
- Artificiale

corrumpitur.

Explicatio.

Naturalis & Artificialis.] A subiecto. Nam si spectetur causa, corruptio est Naturalis vel Violenta: & huic Artificialis subiici potest.

Corruptio Naturalis est, quæ fit secundũ leges seu decreta naturæ Vniuersalis, quæ statuit Omne genitum esse aliquando interiturum: Hæc alias dicitur FATALIS, id est, fato definita, eodem sensu. Nam Fatum Aristoteli nihil aliud est, quam Lex à Natura Vniuersali constituta de modo, quo quælibet res generetur & intereat, Zab. l. 2. de misti generat. & inter. c. 4. (Vniuersalis Natura ἀνδιαιρέτως particulari seu propriæ.) Tres autem sunt modi vniuersales, quibus natura statuit res interire ac corrumpi. Primus est simplicium corporum, Secundus mistorum inanimatorum; Tertius mistorum animatorum.

Fatalis corruptio
- Simplicium.
- Mistorum
  - Inanimorum, Putrefactio.
  - Animatorum, Mors Naturalis.

Simplicium Corruptio fit tum per mutuam actionem & passionem inter se formalem: tum per actionem corporum cœlestium virtualem.

Inanimata mista intereunt per putredinem, Id est, dissolutionem in Elementa.

Animatorum interitus fatalis fit per humidi naturalis resolutionem ac consumptionem factam à proprio naturali calore, qui scilicet absumpto à se humido tandem extinguitur.

Violenta est, quæ fit præter Naturæ Vniuersalis Legem, vt combustio & Mors, quæ infertur vi seu necessitate coactionis.

Combustio, cum ex ignis actione violenta elementa vertuntur in ignem.

Combustio interim ea ratione Naturalis dicitur, qua est rei corruptibilis, ac fit à causa Physice agente.

Mors violenta est, quæ fit ante statutum naturæ tempus, præter naturam, externa nimirum vi, vt morbis, gladio, combustione, submersione.

Hæc

Hæc vis ſæpe Præoccupat, vt loquitur Zab. id eſt, anteuertit miſti interitum naturalem: id eſt, ea, quæ non attingunt ad naturalem ſuæ Durationis terminum (qui eis eſt à natura vniuerſali conſtitutus) non corrumpuntur putredine.

Vid. Ariſtot. lib. 1. de ortu & interitu.

Non igitur omnia miſta intereunt (actu) per putredinem: ſed omnia poſſunt putreſcere, ſunt putreſcibilia, ait Zabar.

Inter Corruptum Eſſentialiter & corruptum Accidentaliter diſtinctio valde neceſſaria eſt, quæ non obſeruata parit magnos & pudendos errores non ſolum in Philoſophia, ſed etiã in Theologia, quod docuerunt certamina ſuperioris ſeculi. Illyricus contra Tapper. Louanienſem diſputat, Hominem Lepra eſſe Eſſentialiter corruptum ſeu Lepram hominis temperamentum & eſſentiam omnino corrumpere & immutare, ita vt licet idem homo ſuper-eſſe videatur, non tamen eadem ſit ſubſtantia, ſed plane diuerſa. Craſſiſſimus hic error eſt. Nam idem numero & ἐτέρα eſt Titius iam non leproſus, & poſt annum leproſus, licet non ſit idẽ accidente.

Diſputat contra eundem, & Strigelium, Angelos eſſe corruptos eſſentialiter, & Angelos malos eſſe tranſmutatos ſeu mutatos plane in aliam ſpeciem à Bonis, ita vt iam Bonus & Malus ipſa ſpecie differant. Mutationem corporis huius terreni ac animalis in Reſurrectione in Spirituale & Cœleſte fore Eſſentialem: poſt lapſum non plane manere hominem, vt fuit, etiam ſecundum eſſentiam ipſum etiam corpus & organicas potentias eſſentialiter eſſe corruptas & perditas: Tranſmutationem hominis per peccatum originis ſecundum optimam & primariam eius eſſentiam, non tantum ſecundum accidentia factam eſſe: præſtantiſſimam animæ aut hominis partem peccato amiſſam ſublatamq; denuo condi.

Corrumpere.

Corrumpere interdum eſt ſubſtantiam *deſtruere*, vt cum Zanchius dicit: Corruptio omnis fit per ſeparationem formę à materia (vbi ſeparatio laxe & ex parte improprie accipitur) de Operib. Dei. l. 2. c. 8.

Interdum eſt *Deprauare* & opponitur Eſſentiæ peréptioni, vt cum Iac. Schegk. in Comm. doctiſſ. Peri Hermen. Ariſt. ait: Peccatum originis corrupit voluntatem noſtram, non eſſentiam eius peremit. Serua quidem eſt Voluntas noſtra, ſed per accidens, quia accidens ἐνέργειαν potentiæ non perimit, vt quibuſdam inepte videtur; non igitur etiam tollit ἐνέργειαν ſeu actum, id eſt, propriam voluntatis actionem, Ipſum *Generaliter Velle*, & ipſum *Nolle*; quod cum conuertimur ad Deum, modificatur. *In Conuerſione Voluntas noſtra non eſt otioſa.*

Corrumpi.

Corrumpitur aliquid *vel Interitu Subiecti*, vt corrupto igni corrumpitur calor; *vel conflictu contrarii*, vt Lucente Sole fugantur tenebræ: *vel principatu*, Sic maior flamma minorem, ſic intenſior voluptas remiſſiorem extinguit. Ioh. Caſ. in Sp. Mor. q. q. c. 5.

CRASIS.

CRAMA.

Craſis mixtura eſt, eaque vel Artificioſa, qualis frequentatur in officinis pharmacopœorum; vel Naturalis, quæ ad Phyſicam Scientiam pertinet. Ea ſcilicet docet omnes res mixtas ex quatuor Elementorum congreſſu ac compoſitione exiſtere. Atq; ex eo congreſſu, ſi debet ~~aliquod~~ indiuiduum conſtitui & naſci, & neceſſe eſt vt ſub-

certa proportione etiã & conuenient a Elementa, & eorum qualitates primæ inſerantur & vniantur. Eam igitur commixtionem & harmoniam, quaſi quatuor qualitatum (calidi, frigidi, humidi, ſicci) congenitam in re qualibet, Philoſophi craſin vocant ſeu Temperamentum & Temperaturam.

Ac iidem ſæpe diſtinguunt etiam *craſin in temperatam*, quam Græci vocant εὐκρασίαν, *& non temperatam*, quam vocãt δυσκρασίαν & intemperiem.

Temperata craſis dicitur, in qua contrariarum qualitatum eſt μεσότης ſeu συμμετρία, id eſt, mediocritas bona & moderata, conueniens cuiuſque animantis naturæ, ſecundum quam optime habere & commode valere poteſt: id quod intelligitur & iudicatur ex bonitate functionum. Et hæc vſitate vocatur Temperatura ad Iuſtitiam, eo quod ſeruet æqualitatẽ vtilem & conuenientem: qualis ſeruatur in Iuſtitia Ethica. Altera enim, quæ Temperatura ſeu æqualitas ad pondus dicitur, in qua par Elementorum ſit moles, & par omnium qualitatum gradus in ſtatu hominis poſt lapſum imaginaria eſt, credo, & nuſquam reperitur.

Contra Intemperies ſeu Diſtemperata Craſis eſt cum exceſſu aliquo. Atq; hęc habet ſpecies octo: *Quatuor ſimplices*, vbi excedit vna tantum qualitas: nempe aut calidam (vbi ſolus calor excedit) aut humidam, aut frigidam, aut ſiccam: Et quatuor compoſitas, vbi excedunt duæ qualitates ſimul, nempe aut calidam & humidam, aut calidam & ſiccam, aut frigidam & humidam, quas compoſitas craſes vſitatum nunc eſt denominare à qualitatibus ſimilibus humorum, ita vt calida & humida natura dicatur ſanguinea, propterea quod ſanguis etiam calidus & humidus eſt. Ac idem de cæteris intelligendum. In illa ſignificatione Temperamentum accipitur à Galenicis, cum dicunt, Temperamẽta, hoc eſt, variam humorum mixturam etiam varietatem efficere in inclinationibus animorum, moribus, & actionibus vitæ: quod commode intelligatur, vt de cauſa quam vocant, partiali & remota: morum enim proxima cauſa eſt aſſuefactio. Ariſtot. Ethic. 2. Adiuuans eſt inclinatio ſeu aptitudo ſeu capacitas naturalis: ad hanc poteſt non parum momenti & virium afferre humorum ac temperamentorum ratio ac diuerſitas.

Syncraſis commixtio eſt, qualis eſt in vino diluto.

Craſis differt à proprie dicta generatione. 1. In hac enim corruptio locum habet: in illa non, vt Aqua, ex qua fit vinum, in vua formam amittit ſuam, & fit vinum: Hæc generatio eſt. Quæ vero vino admiſcetur aqua, eius forma non corrumpitur in ſimplici miſtione illa. Quod autem forma æquę, non autem ſola vini forma ſit in craſi, patet Chymicorũ experimento, quorum opera vinum ab aqua ſeparatur.

2. Per craſin eſt vnum aggregatione liquidorum, ſicut aceruus cumulo ſiccorum: ſed in liquidis nihil intercedit, at in ſiccis aer (intercedit) ſed per generationem eſt vnum per ſe, non per accidens.

Ita differunt Crama & Generatum.

1. Crama, vt aqua dilutum vinum eſt vnum per accidens, non eſt vnum forma, ſed continuatione ſola, cuius corporis partes tot ſunt ſimul, quot erant in ſuis totis prius quam miſcerentur, vnaquæque ſcilicet ſub priſtina forma ſua, vt aquæ pars aqua ſit, vini vinum. Crama igitur eſt tot entia, quot ſunt intus & extra partes. Seu, Crama eſt ens non vere vnum, ſed aliquo modo, per ſolam nimirum continuationem, & aliquo modo entia, quia multas cõtinet

tinet formas. Scalig. exerc. 101. sed generatum est vnũ formaliter, non multa entia, & in corpore generati, vt muris, nihil est entis eius quod erat, præter materiam primam.

2. Crama resolui potest in suas partes. Generati corpus non potest sine corruptione. Sic Scalig. Muris forma vna est, non ex formis composita, neq; in formas solutilis. At crama habet formam è formis non corruptis compositam, & in eas, quæ resolui possit.

Sed Crama interdum etiam accipitur per Synecdoch. pro vino diluto aqua. Hoc est quod Scaliger ait, Crama veteres nihil aliud, quam vinum cum aqua, peculiari voce attributa, vt è Dioscoride, Plutarcho & aliis alibi à nobis proditum est. Per Synecdochen dico, quia Emplastrum, ἔμπλαστρον etiam hoc habet nominis: quia formatum ex diuersis rebus vnguentum.

Crasis in Grammatica dicitur, cum duæ syllabæ commiscentur in vnam, vt κἀγὼ pro καὶ ἐγὼ crasis Attica est: τεῖχος τείχους. Sed Synæresis proprie est vocabulum seruatarum in diphthongum contractio, nullo sublato elemento, vt τείχεϊ, contracte τείχει.

CREATIO.

Creare extra doctrinã Physicam est producere vel gignere, quod etiam dicitur procreare, vt in Logicis causa procreans. Et in Ethicis actiones dicuntur creare habitum. Et Poeta: Fortes, inquit, creantur fortibus. Sic & Græci verbum πλάζω pro fabrico vel instituo vsurpant. πλάσσειν τέχνην est in Epist. Phalarid. quod Cicero dicit artem instituere.

In Politicis creare est ordinare, eligere, constituere. Dicuntur creari magistratus, consules, dux gerendo bello.

In Theologia vsum huius verbi sic habe. Creare est commune ab vno: Est enim vel proprie dicta, vel analogice. Itaq; modis gradibusve potius, quam speciebus distinguitur.

Primo est vel immediata, qua fit quippiã ex nihilo, vt terra: vel mediata, qua fit quippiam, ἐκ τοῦ ὑπάρχοντος, vt Adam ex terra, Eua ex costa viri. Huic analoga est creatio fidei in cordibus nostris, quæ fit medio seu interuentu prædicati & auditi verbi.

Secundo Creatio est vel prima, quæ ποίησις & γένεσις ὑπερφυσικὴ: vel secunda, quæ παλιγγενεσία dicitur. Παλιγγενεσία, id est, regeneratio est vel corporalis, vel spiritualis. Illa est restitutio corporum per nouam creationẽ, de qua Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, id est, in regeneratione, cum sederit Filius Hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos. Hæc est renouatio Spiritus nostri. Quo pertinet hoc Psalmi: Deus crea in me cor nouum, &c. Authoritate Augustini etiam hæc fulciuntur, qui primã creationem Faciendi, secundã Reparandi verbo expressit. De verb. Apost. Sermon. 34. Nemo de resurrectione desperet, in qua Christianorum tota spes consistit: Plus enim est facere, quod nunquam fuit, quam Reparare quod fuit. Et l. 2. c. 6. de ciuit. Dei. Duæ sunt Regenerationes, vna secundum Fidem, quæ fit per Baptismum: Altera secundum carnem, quæ futura est in incorruptione & immortalitate per iudiciũ magnum & nouissimum.

Tertio creatio est substantiæ vel Accidẽtis. Illa est Hyperphysica genesis vel productio Entis per se subsistentis, vt corporis humani: Hæc entis in alio inhærentis, vt qualitatis, quæ Hyperphysica est alteratio & quidem commutatio in melius Augustino, Græce βελτίωσις, vt cum anima renouatur & corpus dotibus glorificationis induitur.

An opus Resuscitationis mortuorum sit opus creationis ? Hic Doctores nostri Theologi, quorum præconio quasi quodam rore suauiter rigatur Ecclesia nostra, quærunt, an reproductio & instauratio corporum nostrorum sit dicenda creatio ? Respon. Esse veram creationem, & quidem eam ἀνάκλισιν, seu ἀναποίησιν, hoc est, recreationem seu refectionem, vt verbis vtar Bernhardi. Ac addo πίσεις.

1. Vt Genesis est Creatio prima, cum dicitur Liber Geneseos Mosis. Ita παλιγγενεσία est creatio secunda seu noua. Matth. 19.

Παλιγγενεσία autem ibi præcipue est restitutio seu reparatio corporum nostrorum, est secunda, id est, noua creatio, quæ Græcis est ἀνάκλισις, qua voce vtitur Nazianzenus.

2. E Græcis Patribus Basilius, è Latinis Augustinus Creationem hic agnoscunt. Basil. in Epist. seu Apologia ad Cæsarienses: Tres creationis modos nouimus in scriptura: Vnum, quo quid fit ex nihilo. Secundum, quo quid in meliorem statum restituitur. Tertiũ, quo mortui diuinitus recepta vita resuscitantur. τρεῖς κτίσεις εὑρήκαμεν ὀνομαζομένας ἐν τῇ γραφῇ. μίαν μὲν καὶ πρώτην τὴν ἀπὸ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγήν· δευτέραν δὲ τὴν ἀπὸ τοῦ χείρονος εἰς τὸ κρεῖττον ἀλλοίωσιν· τρίτην δὲ τὴν ἀνάστασιν τῶν νεκρῶν.

Prior creationis modus simpliciter est immediatus, reliqui duo mediati, & ad posteriorem pertinet resuscitatio carneæ nostræ massæ in extremo die. August. cap. 88. Encheirid. ad Laurent. Non perit Deo terrena materies, de qua mortaliũ creatur caro: sed in quemlibet puluerem cineremue soluatur, in quoslibet halitus auras que diffugiat, in quamcunq; aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunq; animalium, etiam hominum cibũ cedat, carnemq; imitetur, illi animæ humanæ *puncto temporis* redit, quæ illam primitus vt homo fieret, cresceret, viueret, animauit.

Id. in Exposit. Psalm. 29. Omnia, quæ discerpuntur, & in fauillas quasdam putrescunt, *integra* DEO *sunt*. In illa enim elementa mundi eunt, vnde primo venerunt. Quando facti sumus, non illa videmus: sed tamen DEVS vnde scit *producet illa*, quia & antequam essemus vnde sciebat, *non produxit*. Productio hæc alia esse nequit, quam creatiua.

Idem agnoscit esse creationẽ, cum c. 89. Encheir. ad Laurent. ait restitutionem carnis futuram esse *Mirabili & ineffabili celeritate à* DEO.

Idem l. de Ciu. Dei 22. c. 21. Restituetur ergo & quicquid de corporibus viuis vel post mortẽ de cadaueribus periit, & simul cum eo, quod in sepulcris remansit, in spiritalis corporis nouitatem ex animali corporis vetustate mutatum resurget incorruptione atq; immortalitate vestitum. Sed etli vel aliquo casu graui vel inimicorum immanitate totum penitus conteratur in pulucrem atque in auras, vel in aquas dispersum, quantum fieri potest, nusquam esse finatur: tamen omnino nullo modo subtrahi poterit *omnipotentia creatoris*, sed capillus in eo capitis non peribit.

CRESCERE.

Crescere accipitur magis proprie & improprie. Magis proprie est prouehi à minori quantitate ad maiorem, quod fit primo per Extensionem: Secundo per Intensionem. Vel, Generaliter est maiora incrementa capere, siue hoc fiat Physice, siue Hyperphysice, siue Ethice. Specialiter est augeri quaqua

versum

versum (in omnes dimensiones) Translate est magis magisq; sese exerere τῇ ἐνεργείᾳ.

Itaq; crescere est { Extensione vel Intensione. / Distensione per effectus, seu exertione.

Pro Crescere etiam increscere dicitur. Scalig. exerc. 40. Quod crescit præter ordinariam naturam, facile decrescit ad naturam suam. Nulla enim violentia diuturna est. Hic intellige crescere in significatione prima: sicut & cum dicitur: *crescere est auctum extendi*, vel fieri maius per extensionem (qua aliqua fit additio)

Proprie crescere non est sese exerere, sed incrementa quantitatis vel graduum capere. Exerere vero est se per signa & affectus ostendere seu manifestare. Itaq; id quod exerit sese, necesse est, vt iam antea insit & lateat. Si igitur proprie hoc exponendum est, Iesus crescebat sapientia: non est sententia: Sapientia humanæ mentis in Iesu sese exseruit; sed: in Iesu reuera, non simulate aucta est & maior facta sapientia. Omniscientia mentis diuinæ sese exerebat per magnam, admirabilẽ & inusitatis progressibus crescentem sapientiam intellectus humani in Christo: vi intelligas non tantum foris apparentes patefactiones, sed etiam Vere profeciſſe Christum, seu interius latentem sapientiam & χάριτας ac dona Spiritus sancti in Christo creuisse.

In Grammaticis crescere est numero syllabarum augeri, vt seges segetis.

CRITERIVM, κριτήριον.

Κριτήριος adiect. est Iudicatorius.

Κριτήριον significat locum iudicandi, vt διαιτητήριον.

Secundo Normam seu Regulam seu instrumentum iudicij seu iudicandi, quod vel ad actionem adhibetur, vel ad solam cognitionem. Ad actionem, cum per id discernimus, quid agendum, quid fugiendum sit. Quod in homine ad cognitionem refertur, vel in solo sensu consistit, vel in imaginatione, quæ sensum sequitur, vel in vtroque. Hocque aut nobis cum aliis animantibus est commune, aut per ipsam rationem proprium efficitur. Criterium Rationale, quod ad rerum cognitionem adhibetur, trifariam dici potest: A quo, Per quod, Secundum quod.

Criterium à Quo Homo est: per Quod est sensus aut intellectus: Secundum Quod est applicatio phantasiæ, secundum quam aggreditur Homo diiudicare adiutus vno ex iam dictis per cogitationis discursum. *Homo est absolute qui iudicat.*

Iudicium est actus iudicantis: (vel eius qui iudicare potest) *circa id quod iudicatur.* (vel iudicari potest) *omnis enim muneris functio consistit in quadam accommodatione agentis ad ipsum obiectum circa, quod functio exercetur*: qui Canon est Carpentarii repertus ex naturæ genio Aristotele.

Mazonius distinguit inter Criterium in Habitu & in Actu.

Intellectus Practicus syntereſi paratum est Criterion in Habitu Boni & Mali. Eundem lege informatum naturali, esse boni & mali criterium in actu. Criterium in actu est mensura, per quam agenda sunt metienda. Criterium veri & falsi est Ratio iuncta cum sensu, ex sententia Thomæ, Caietani & Mazonij.

Criteria interpretationis seu ἑρμηνείας Propositionum obscurarum sunt normæ, secundum quas interpretatio recte est diiudicanda, & à praua discernenda, vt sunt Perspicuitas (σαφήνεια) & congruentia seu harmonia illius cum mente Authoris.

Doctrinæ, ad quam pertinet, Principiis, & analogia formulaque.
Dicentis primaria intentione & scopo.
Ἑξθεσις seu ἑρμηνεία Obscuræ propositionis facienda est Ex
Σωνεχείᾳ seu οἰκονομίᾳ serieq; contextus.
Συγκείσει, collatione locorum Similium seu cognatorum.
Ὁμοδοξίᾳ & ὁμονοίᾳ, seu consideratione consentientium Interpretationum, ab aliis probatis & χαειεσάτοις authoribus traditarum.
Magis Perspicuis, seu per Clariora.

CRITICVS.

Criticus dies est dies iudicans, in quo morbi iudicium fit seu crisis.

Crisis est subita morbi mutatio: sicut in foro atrox pugna est inter actorem & reum, tandemq; alter vincit, alter vincitur: sic in crisi siue die critico acerrime natura cum morbo, vel morbus cum natura conflictatur, vt subinde quasi sententia ægrotanti de morte vel vita sit exspectanda.

Critica est pars Dialecticæ de Iudicio, quasi Iudiciaria.

CRYPSIS, OCCVLTATIO.

Crypsis Grammatica est quędam Ellipsis, vt cum vtimur prima & secunda persona dissimulatis pronominibus, scribo, scil. ego: scribis scil. tu.

Crypsis Ethica est Veritatis occultatio vel dissimulatio.

Crypsis Logica est, cum aliquid in compositione vel dispositione occultatur.

Est autem Crypsis hæc in defectu, cum aliqua pars deest: in Redundantia, cũ quid præter essentiales partes accessit: In Transpositione cum partium ordo inuertitur. In syllogismo ex defectu dicitur Enthymema. Ex Redundantia Syllogismus Prosyllogismis inuolutus seu complicatus. Ex Transpositione seu Traiectione syllogismus inuersus.

Crypsis Methodica est recessus Methodi seu ordinis à norma artis certo aliquo fine consilioq; institutus à docente vel dicẽte, pertinet ad Methodum minus artificialem seu prudentiæ.

CVLPA.

Ethici & Politici, quia distinguunt inter Malum Pœnæ & Malum Culpæ, Inter id quod fit culpa, & quod fit casu fortuito, Vox *Culpa* explicanda est.

Culpa accipitur 1. Latissime. 2. Late. 3. Stricte.

Latissime pro peccato, crimine & noxa.

Late, vt comprehendat omnem fraudem, versutiam seu malitiam, imperitiam, imprudentiam, negligentiam. Sic Iureconsl.

Stricte seu in specie, vt significet Culpam imprudentię, De qua Ouidius:

Cur imprudenti cognita culpa mihi est? Sic etiam Iureconsl. Definit eam Delrio Imprudentiam, qua Homines circa res negligunt id, quod fieri oportet, vel faciunt quod fieri non debet (seu nefas est.) Sed proprie loquendo culpa non est negligentia, vel imprudentia, sed potius huius consequens seu effectum. Itaque μετωνυμικῶς ita appellatur.

Estq; Omissionis, vel Commissionis, id est, Culpa consistit non solum in committendo, sed etiam in omittendo.

Specialissime sine adiectione (κατ' ἐξοχὴν) culpa dicitur Leuis culpa, qua quis non eam, quam secundum communem hominum naturam prudentes ac diligentes patresfamilias suis rebus solent, adhibet diligentiam. in leg. 72. D. pro soc. §. final.

Culpa

- Culpa
  - in Genere est
    - Malitiæ seu malitiosa, Delictum malitiosum & Dolus, id est, machinatio ad alium decipiendum adhibita.
    - Imprudentiæ; Delictum Ignorantiæ.
  - In Specie est Culpa (id est, prætermissio debitæ diligentiæ)
    - Lata seu latior.
    - Leuis.
    - Leuissima.

Hi culpæ gradus fiunt ex comparatione diligentiæ & negligentiæ.

Lata culpa est summa & dissoluta negligentia atque ignorantio, cum quis non intelligit, quod intelligunt omnes sani iudicii homines. Hæc interdum Dolus appellatur, non quod formaliter & proprie dolus sit, sed quod ad dolum accedat seu sit dolus comparate vel præsumptiue, quia tam crassa est & supina istius culpæ negligentia, vt nemo sanæ mentis adeo oscitanter in rebus gerendis versari præsumatur, nisi malitiose id faciat.

Leuis ante descripta est.

Leuissima est prætermissio exactissimæ diligentiæ, quam diligentissimus quisque Paterfamilias rebus suis adhiberet.

Etsi autem in Proprtiarum rerum administratione Culpa non præstetur, sed in alienarum: tamen dicitur etiam in Propriis culpa committi, si quis in nimium rei suæ abusum abeat, vel illicitum aliquid & contra bonos mores tenter; vnde etiam repagulis quibusdam extra ordinem coercetur, vt asseritur in Disput. Daniel. Rumpleri ex l. contract. 23. D. de R. I. desumpta: quam moderabatur Cl. Vir Ioh. Goddæus in Acad. Marpurg. M. Iun. Anno 1612.

Culpæ opponitur Casus fortuitus, qui præuideri nequit, aut cui præuiso resisti non potest: quamobrem & vis maior, θεῖα βία, & damnum fatale vocatur, l. 13. p. vlt. D. de pignor. act. l. 25. vis maior. 6. D. locat. l. cum duobus 52. §. damna. 3. D. pro soc.

Itaque à nemine præstatur, Scholastici, quos Melanch. in Ethic. sequitur, Malum culpæ vocant defectum, actionem, habitum pugnantem cum lege Dei: quod Malum, inquit Melanch. vocamus vitium & peccatum. Itaque latissimam seu generalissimam significationem vsurpant, atque discriminant à Malo pœnæ, quod est destructio naturæ, sequens culpam, vt sunt Mors, morbi, bellum.

Eadem significatio apparet in hoc versiculo;

Non Deus est author culpæ, sed criminis vltor.

Vide sis 1. Ethic. Melanch. & Enarrat. 5. Ethicor. Aristot. cap. 8. de tribus gradibus delictorum, de dolo, culpa, & casu fortuito.

CVLTVS.

- 1. Cultus
  - Sui ipsius
    - Corporis
      - Muliebris
      - Virilis

      } Καλλώπισμα, comæ studiosus dicitur καλλωπιστής.
    - Animi.
  - Alius
    - Politicus; eorum qui Dei loco sunt, Potentes, Dynastæ. θέσμα.
    - Religiosus; Vnius Dei, λατρεία θεῷ μόνῳ πρέπουσα, seu θεοσεβής.

Hic Cultus Ethicus est.

2. Cultus Physicus (cum arte coniunctus) est ἐργασία τῆς γῆς, i.e. cult⁹ terræ, qui & κατεργασία terræ dicitur; in qua ars quod suum est confert.
3. Cultus Rhetoricus seu oratorius est tũ in Elocutione seu Verbis & sententiis, tum in Actione, id est, voce & gestu corporis.
4. Cultus Musicus requiratur ex Melopœia, mirificus & multifarius.

Distinguitur & Cultus in Verum & Adulterinum.

Ex his patet Cultum esse ex iis nominibus, quæ Ad vnum dicuntur, id est, *quæ primum de vno quopiam prædicantur; deinde ipsius causa de aliis multis.*

Quid Nomina Ad vnum?

CVM.

Cum accipitur dupliciter. 1. adiunctiue, associatiue, connexe, comitatiue. 2. Copulatiue. Exemplum prioris est Ferrũ cum igni, id est, ferrum ignitum. ap. Damascen. l. de orthodox. Fid c. 53. Chriristus De⁹ perfect⁹ & Homo perfectus, quẽ adoramus cũ Patre & Spiritu sancto, vna adoratione, cum incontaminabili carne eius; Hic sensus est interprete Scoto, Adoraram⁹ Verbũ cum carne, id est, habens carnem sibi vnitam, vt non sit propositio Copulatiua. Rex cum purpura adoratur, id est, Rex purpuratus, indutus purpura. Exemplum posterioris est; Romulus cum Remo condiderunt Vrbem, id est, Romulus & Remus. Cum dicitur, Venit ad me cum telo, non est sententia copulatiua: sensus enim non est; Venit ad me, & telum venit ad me, Cicero. Et tu cum gladio cruento comprehensus es: Hæc sententia simplex est seu categorica, determinata quasi comitatu. Nõ enim dicitur hoc quod est: Tu comprehensus es, & gladius comprehensus est. Fortunas suas cum capite in alienam familiam transferre, Iureconſ.

Vsus.

In Physicis & Theologia hæc annotatio vsum habet magnum. Corpora constant ex materia cum forma, id est, & forma. Materia cum forma existit, id est, coniuncta formæ seu informata, non ἄμορφος. Videtur color cum lumine: Hic sententia est; videtur color habens lumen; non autem, color & lumen. Tangere ignem cum ligno tũ meo, id est, immixtum ligno, non autem ignem & lignum.

Aliud est fides cum caritate iustificat, id est, fides & caritas. Aliud Fides cum caritate, id est, fides ornata seu affecta caritate iustificat. Aliud est λόγον cũ & in carne adoro, i.e. Verbũ carnẽ factũ:

Aliud

Aliud λόγον cum carne, id est, Christi simul vtramque naturam adoro: etsi vtrunque verum est. Illic cum carne est obiecti adorationis determinatio: Hic vero pars: Est enim caro Christi obiectum partiale Adorationis, θεάνθρωπος seu Deus-Homo, seu Homo-Deus, Mediator Dei & Hominum, proprium & totale seu adæquatum. Sic Athanasius, Deus ἐναν θρωπήσας (id est, qui naturam Humanam assumsit) adoratur (προσκυνεῖται) Sic Acta Concilii Ephes. primi aduersus Paulum Samosatenum, Confitemur Dominum nostrum Christum totum adorantem, etiam cum Diuinitate, sed non secundum Diuinitatem adorantem. Hic CVM accipitur Associatiue, vt loquitur Scotus, seu Vnitiue tantum, non copulatiue etiam. Falsum enim est Dominum nostrum & Deitatem ipsius adorare Patrem. Ita dicitur Totus Christus Increatus etiam cum corpore, id est, concorporatus seu incorporatus, sed non secundum corpus. In Act. eiusdem Synodi.

Corpus cum anima resurget, id est, corpus & anima resurgent, falsum: Anima enim rationalis cum nõ ceciderit, resurgere nequit. Corpus cũ anima resurget, id est, corpus animatum ac viuum, non cadauer resurget, verum.

In Iure etiam Cum copulam Et significat. l. 142. ff. de verb. sign. Si quis Titio cum Seio se legare dixerit, vtrique legasse intelligitur, sicut vtrunque legatur, cum fundus cum domo legatur. Leg. 112. §. ita legat. Digest. de leg. lib. 1. Vid. Lex. Ioh. Caluin.

Sic venter cum fœtu; Germani die Kuh mit dem Kalb.

CVMVLATIO.

Cumulare est augere vel perficere.

Cumulatio Rationum seu mediorum in Logic. est cum ad vnam Conclusionẽ inferendam vna sumuntur multæ rationes seu argumenta, Argumẽtorum q. conglobatio.

In Rhetor. Cumulatio luminum & ornamentorum orationis est troporum & figurarum in vnum locum, congeries; seu, Cumulatio ornamentorum Elocutionis est plurium troporum & schematum concursus, quo plenior ornatus orationis efficitur.

In Iurisp. Cumulatio est ius persequendi multis actionibus in vno atque eodem iudicio editis minuendarum litium gratia permissa. l. Si idem cum eodem. in prin. ff. de iurisdict. l. 1. C. de annal. except. Seu cumulatio actionis est vnius ad aliã coaceruatio. Giphan. & Bartolus in leg. 3. C. de edendo. Vt cumulus æris alieni est coadunatio plurium summarum. Ita cumulus actionum est editio plurium actionum.

CYCLVS *Lunaris.*

Cyclus Lunaris seu Decemnouenalis (in Calendario) est spatium temporis cõplectens 19. annos, quos vocant Aureos Numeros, quod aureis literis à veteribus inscripti sint Calendariis. vid. *Aureus Numerus.* Natus est autem Christus primo anno Cycli Decemnouenalis.

Cyclus Solaris.

Cyclus Solaris est Circulus 28. annorum. Natus est autem Christus anno nono Cycli Solaris.

LITE-

LITERA

D.

DARE.

VERBVM Logicũ est pro Concedere; est & Mathematicum pro ponere, cum dicunt Geometræ, datum, vt sit data linea a——b recta.

Philosophis interdum est idem, quod Creare (per Synecdochen generis) vt cum dicunt, Formarum datrices esse Intelligentias, Angelos esse datores Formarum, id est, Creatores, quod falsum est: Solus enim Deus creat, nisi forte dicere placeat esse formarum aliquarum causas per ministerium.

DEVS Dator Luminum, id est, creator Luminum Theologis.

Dare pro Efficere accipio cum dicitur à Scal. cœleste corpus dat formas; habet enim potestatem efficiendi; Cœlestes potestates dant formas & quæ formas consequuntur. An autem verum sit nec ne, Omnes Formas è nihilo procreari seu originem suam sortiri, & ita procreatas in rerum singularum corpora immigrare, quod placet Bodino, Ramo, Timplero, Tempello, de eo hic non discepto.

Dare cum effectu & accipere sunt correlata. Scal. ex. 307. f. 27. Materia & Forma sunt causæ internæ mutua coordinatione inter se vltro citroque dantes atq; accipientes suo vtraq; modo aliquam perfectionem. Forma enim id agit, vt materia sit hoc aliquid & existat: Materia causat Formæ existentiam.

Pro Demus adhibetur etiam Esto; vt Esto, aliquam cognitionem rerum esse Oratori necessariam, & quidem ad eius perfectionem attinere: debet tamen esse certa, non interminata, vt est omnium rerum notitia, non abstrusa, non recondita, sed communis & ad communem sensum accommodata. Sed hoc potius in Verbo Esto monendum erat.

D E.

DE sumitur in Logica
- Proprie pro sola affirmatione apud Arist. 1. post. Anal. text. 13. Tunc opponitur τῷ A B significante negationem, hoc est separationem prædicati à Subiecto, vt Homo non est Angelus.
- Late, ita vt etiam negationem complectatur. Ita accipit Aristot. in descriptione propositionis, cum dicit, Vnum de vno.

Explicat.

Late, Ita vt ĕt negatio.] Quia etiam in negatione aliquid de aliquo prædicamus negate. Hoc autẽ reuera est aliquid ab aliquo remouere. Itaq; hæc licet accipere ἐκ παραλλήλου.

Par-

Particula DE interdum habet significationem Intentionis, interdum Imminutionis, id est, Græce interdum est μόριον αὐξητικὸν, interdum μειωτικὸν seu ἐλαττωτικὸν. Hanc obseruationem suppeditauit mihi Alexand. ab Ales ICtus Megalopol. genial. dier. c. 24. in explicat. Verbi Deprecari. Primum enim deprecari est vehementi studio & annixe precari vt fiat, & tunc præpositio DE auget: exemplum huius significationis suppeditat nobis Suetonius: Senatum literis deprecatus est, id est, valde precatus est. & Cic. 1. Verrin. Deprecor ne irascatur. 2. Est precibus eniti & rogare, ne quid fiat seu eueniat tale, quod nolles euenire, & futurum detestaris, ac tunc præpositio DE minuendi potius vim habet: sic Ouid.

Sæpe precor mortem, mortem quoq; deprecor idem. Sic Cic. in Tuscul. quæst. Nullum genus supplicii deprecatus est, neque recusauit.

DE SE.

DE se Barbaris Philosophis est per naturam suam seu suapte natura. Esse formale de se non habet materia, nec per formam, sed per vim agentis. Alexand. de Ales 7. 1. Phil. text. 7. De se materia est indeterminata, id est, sua natura nō habet certam figuram.

De se constat, id est, per se constat. Locutione illa abstinebis.

DE FORMALI.

Barbarorum Scholasticorum est pro formaliter seu formali essentia, vt loquitur Scal. vt *Sacramentum de formali dicit* significationem, sed ita, vt connotet seu requirat, vt talis significatio in tali fundetur materia; sicut Scriptura eandem potest habere significationem, quam vox, & tamen dicit illam in tali materia.

Barbaram Phrasin sic muta. Significatio mystica & sacratissima est veluti vltima ratio formalis constitutiua Sacramenti; formaliter constituit rationem Sacramenti.

Peccatum de formali dicit deformitatē & obliquitatē repugnantē rectitudini in actu. Tu dices: Formaliter est Deformitas, &c. Sic pœna formaliter est carentia boni conuenientis voluntati vel naturæ intelligenti.

De formali Cœna Eucharistica dicit actionē. Tu dices Cœnę seu sacramēti causa formalis est tota actio. Cū .n. de actionibus loquimur, ipsa actio forma est, vt ait Melanch. in Eth. Ita actionis virtutis seu studiosæ est motus voluntatis & cordis obtemperans recto iudicio, vt ipsa moderatio iracundiæ in Dauide parcente Sauli, seu abstinente manum ab eo, est forma.

DE VIRTVTE SERMONIS; DE VI *seu proprietate verborum; Phrasis Scholasticorum veterum.*

Paria sunt, de virtute Sermonis, proprie secundum sermonis seu verborum vel termini proprietatem; ex rigore sermonis, κυρίως, secundum vim sermonis, vi sermonis, κατὰ τὸ ῥητὸν. Gabr. Biel. l. 1. dist. 32. q. 2. vbi Sermonis proprietati opponit Appropriationem. Ei (Sermon. Propr.) opponitur etiam Transsumptio seu modus loquendi improprius, vt proprie potentia & Sapientia communes sunt Patri & Filio, sed potentia Patri, & Sapientia Filio appropriatur. Caritas, Amor, Dilectio De Virtute sermonis, id est, loquendo proprie sunt termini essentiales, sed appropriate sumuntur quandoque à Doctoribus vel Sanctis Personaliter seu notionaliter. Deus sæpe capitur Personaliter, vt Deus genuit Christum, id est, Pater; Deus Filium in

mundum misit, id est, Pater. Hoc non est secundum sermonis proprietatem, sed secundum quandam appropriationem. Græc. καὶ ἐξοχὴν seu excellentiam seu ὑπεροχὴν, & peculiari ratione proprie. Huius eminentiæ seu prærogatiuæ causa præcipua est, quod Pater fons est & origo totius Diuinitatis, solus est ingenitus & simpliciter ἄναρχος, & tamen proprie, non Transsumptiue Filius etiam Deus est.

Barb. Sch. vocãt principium originatiuum.

Τὸ Vbicunque est Verbum Diuinum seu Λόγος non dicitur satis proprie. Hoc enim De Virtute sermonis infert præsentiam Λόγος in locis per partes. Ant. Sadael. de Verit. Human. Naturæ. p. 135.

DECEPTIO.

Deceptio Logica est, Sophistica, Politica & Optica.

Logica deceptio seu ἀπάτη est cum verisimilis tantum Syllogismus venditatur pro demonstratione, qui Apatetieus dicitur.

Sophistica est captio Sophistæ alicuius.

Politica est fraudatio, circumscriptio vel circumuentio pugnans cum fide & veritate.

Optica est error & hallucinatio aspectus.



De Optica fallacia, id est, visus deceptione, hæc certo experimento deprehenditur, cum Luna cũ quibusdam Stellis Firmamenti comparatur, & sub qua potissimum sit stella, è regione perpenditur. Sint, verbi causa, tres in eadem signi facie continenter positæ stellæ apparentes, id est, nostris oculis manifestæ, & in longitudinis quodam positæ ordine, ita vt quæ illarum est media, alteram quidem à dextris, alteram vero à sinistris habere videatur, Luna autem ad perpendiculum sit sub media stella, Tres insuper videntium ponantur oculi, qui longe inter se distantes illam Lunæ coniunctionem de superficie terræ suspiciant. Hic oculus quidem qui recta ad diametrum, super caput videlicet suum, è regione positam suspicit Lunam, eam sub media esse stella sane iudicat. Qui vero ex obliquo Lunam conspexerit

ſpexerit oculus, ad ſiniſtram quidem poſitus illa ſub ſtella intuebitur quæ ad dextrũ medię lucet ſtellæ: contra ad dextrã cõſtitutus oculꝰ contuitu cernit ſuo lunam ſub Stella ſane illa, quæ mediæ ſtellæ eſt ſiniſtra. Verba hæc fere ſunt Nicol. Leonic. in comm. in Ariſt. de ſenſu & ſenſili p. 32.

DECLINATIO.

Declinatio duo ſignificat in Grammaticis.

1. Suo ſignificatu actum inflectendi: Motum enim ſignificant eiuſmodi Verbalia, vt Ambulatio: 2. Significat caput quoddam, ad quod reducuntur eiusdem flexionis nomina, vt primam, ſecundam, & alias dicimus Declinationes, quanquam interdum etiam Declinatio pro Coniugatione ſumitur.

In Sphæra Declinatio eſt arcus circuli declinationis ſcilicet horizontis recti ſeu meridiani, interceptus inter Æquatorem & centrum ſtellæ, vel quodlibet datum punctum: Vel eſt diſtantia dati puncti ab æquinoctiali verſus alterutrum polum breuiſſima.

Galeno in l. 1. de Criſib. c. 3. Declinati morbi eſt omnis illa pars, quæ ἀκμὴν, id eſt, vigorem ſubſequitur vſque ad principium ſecundæ acceſſionis.

In Hiſtoricis Declinatio periculi, ictus pro vitatione ſæpe occurrunt.

DECREMENTVM.

Decrementum 1. Eſt Quantitatis Diminutio, cui augmentum opponitur.

2. Vigoris deceſſio, quæ παράκμης eſt poſt æqualem tenorem & ætatis ingrauescentis, quæ limen Senectæ dicitur. Homo ſenſim decreſcit ad interitum & ſolutionem.

Auerroes definit Decrementum mutationem corporis à menſura maiori ad minorem.

DEDVCTIO.

Deductio plurimis conuenit. Grammatica, Logica, Mathematica, Hiſtorica, Politica quædam eſt. Ac ſæpe vocatur Deriuatio. Deriuatio autem proprie eſt Riuorum à fonte Deductio. Itaque Deriuatio & Deductio differunt proprie loquendo, vt Genus & ſpecies.

In Grammaticis Scaligero Deductio eſt creatio noui verbi ex prioris Elementis. Sic ex Tego, Tegula, eſt tugurium: ex ſpecio ſpecula; ex pignus pignoror; ex Decus decor; ex Pœna punio; ex ſimus ſimia; ex vinum villum pro vinulum, ex ſtolo ſtultus. Vid. l. 1. de cauſ. L. L. c. 29. 30. 31. &c. Huc refer τὸ Fortitudo ex τῷ Fortis.

Deductio Logica eſt Concreti ab abſtractio, caſuum à themate. Sic fortis à fortitudine, Domini à Dominus. Logica etiam eſt rationis alicuius Deductio.

Oratoris eſt volũtatẽ impellere quo velis, vnde aũt velis deducere, deducere p. territos à timore, vt loquitur Cicero.

In Arithmetica deductio eſt Subtractio, ſeu Subductio, oppoſita Additioni. Cic. in offic. vt Boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo deducendoque videre quid reliqui ſumma fiat. Deducendo, id eſt, detrahendo.

Deductio Coloniarum (in agros) Politica eſt.

In Ethicis Deductio accipitur pro Deductione, quæ honoris cauſa fit. Sicut Deductor dicitur, qui honoris cauſa aliquem deducit. Synecdoche eſt hæc generis pro Specie præcipua. Sic dicitur Officium Deductionis, officium deductoris.

Genealogiæ denique Deductionem generis alicuius continent.

Distinctio.



Explicatiuncula.

A rebus] Sic riuus deductus est ex fonte.

Voc. à voc.] Sic hodiernus ab aduerbio Hodie.

Vocum ab aliis reb.] Nomen si Substantiam indicabit, aut Quantitatem, aut alia, inde sumet appellationem. Exemplo sunt Ensis, Corpus, Facies. Hæc Substantiam, Quantitatem, Qualitatem significant. Seruus, libertinus, hæc relatiua sunt.

Propositt.] Vt Consectarii è Conclusione, Conclusionis è præmissis, theorematis è theoremate, De his Doctrina Syllogismi & Ordinis.

DEFINITIO.

Definitio primo accipitur pro Actu definiendi, qui est Intellectus nostri.

2. Pro re Definitione inuenta.

Sic Gualand. l. 5. de ciuil. facultat. cap. 5. Definitionem & Demonstrationem vocamus non solum motum definientis & demonstrantis, sed etiam finem ac rem eo motu cognitam.

Definitionem, vt à Logicis vsurpatur, esse Commune ab Vno, ἀφ' ἑνὸς, ex eo coniici potest, quod Themist. in 2. Poster. cap. 11. Definitionem nominis statuit vix dignam esse Definitionis nomine, & Alex. cum Eustr. improprie definitionem appellari.

Definitio autem in Logica est expressio definibilis. Alex. Alens. 7. 1. Phil. Largitur enim Definitio distincte id, quod nomen confuse. Auerr. in quæst. Logic.

Ammonio Definitio est λόγος circumscriptus.

Definitio est actus animæ concludens seu terminans rem intra fines essentiæ suæ, ex Alex. Alens. 7. 1. Phil.

Definire est naturam rei terminare & finire per essentialia eius. Id. De Definitione proprie dicta hæc intelliguntur.

Definitio in Logica est Iohanni Grammatico πραγματώδης, Rei, quæ naturam rei explicat : vel ἑρμηνευτικὴ nominis, quæ interpretatur nomen.

Declarat πραγματώδης Definitio vel id quod est, vel esse eius quod est. Ac duobus modis consideratur, vel in se, & sic nec verum, nec falsum significat: vel vt est huius Definitio, & sic vel vera vel falsa est, & Enuntiatio. Thom. de Vio in poster.

Πραγματώδης est vel principium Demonstrationis, (indemonstrabile & immediatum) vel Conclusio demonstra-

strationis, vel Demonstratio sola positione differens, seu Definitio differens à Demonstratione sola θέσει seu flexu. Arist. poster. l. 1. c. 2.

Reales Definitiones reuera inueniuntur in compositis, quæ habent Essentiam perfectam, non in rebus simplicibus & relatiuis. Auerr.

Alexander & Eustrat. eas distinguunt in Proprias & Improprias. Propriæ illis sunt Categoricæ, quæ fiunt per affirmationem: Impropriæ Negatiuæ, quæ fiunt per negationem. Inueniuntur Definitiones in substantiis simpliciter: In Accidentibus secundum quid: si Auerroi in 7. 1. Phil. credimus.

Ad improprias referuntur Definitiones ab Enumeratione, vt vocat Boetius. Est autem Definitio ab Enumeratione, cum Totum loco generis sumitur, & partes loco speciei. Et opponit Boet. Definitionem à Toto, vt est substantialis.

Definitio ὀνοματικὴ, seu ὀνομαστὸς
- Nominis tantum, quasi vestibulum & ianua notionis rei.
- Rei rudior: seu nominis ita, vt etiam aliquid habeat naturæ rei. Opponitur ei accuratissima & absolutissima, vt in qua adhibentur omnes causæ κατ' αὐτὸ, seu immutabili necessitudine cohærentes cum definita re.

Vocatur interdum Notio. Cic. Tusc. nulla alia *huic verbo* (cum beatũ dicimus) *subiecta notio est, nisi secretis malis omnibus cumulata* bonorum a complexio. Id est, Beatus est, qui est liber malis, & omnibus affluit bonis, ita vt nil præterea appetat.

Definitio interdum idem est, quod Determinatio, vt hæc est Ecclesiæ Definitio, id est, determinatio. M. Sententiar. ita quoque vsurpauit. Definitio secundum Rationem (κατὰ λόγον) rei Boetio est, vt si dies est, sol est super terram.

Definitio, Veluti est, quæ alias dicitur Exemplaris, cum per exemplum quid res sit declaratur. Boet.

De Logica Definitione proprie & simpliciter dicta intelligantur Canones.

1. Definiuntur species, communia quæ in singularibus sunt. Non singularia, Non superiora genera. Species, quia habent supra se genera. Singularia, quia specificis differentiis carent. Suprema genera, quia eorum non est genus. Boet. & Albert. Magn. Thom. Aquin. dicit, Definitionem non esse singularium corruptibilium, quæ sunt in hisce inferioribus. Sed Auerroes loquitur indefinite, & inquit: Definire qui vult Solem & Lunam, & talia indiuidua singularia, peccat.
2. Definibile omne compositum est, & definientia ipsius Quidditatis termini sunt. Albert. Magn. de causa & proces. Vniuers.
3. Definitur proprie sola substantiæ species. Thom. Aquin. 7. Metaphys. lect. 4. l. 4.
4. Definitio non est non entium. Thomas de Vio.
5. Definitiones duas nihil habere potest. Auerr. in Analyt.

De Definitione generaliter & large dicta accipiatur hoc Alensis: Definitio dicit esse, & Propositio dicit esse. Definitio dicit esse Expositiue, quia exponit & declarat esse essentiæ rei. Propositio dicit esse copulatiue (per nexum) quia copulat prædicatum cum subiecto. In 5. Metaphys. text. 34.

a. Hic intelligitur Definitio proprie dicta.

Differunt Definitio Substantiæ & Definitio Accidentis. In Definit. *a* Substantiæ nihil ponitur, quod sit extra substantiam Definiti: In Definitione Accidentis ponitur aliquid, quod est extra essentiam Definiti, vt Subiectū. Thom. Aq. 1. de Anima.

Definitio nulla est ex additione, id est, quæ habet aliquid, quod est extra essentiam rei, quæ definitur; verum est de Definitione, vt inuenitur in Substātiis. Thom. Aq. 7. Metaph. lect. 4. t. 17.

Definitio à nonnullis etiam Philosophis accipitur pro Scholasticorum conclusionibus vel sententiis Definitiuis.

Iurisconsultis Definitiua sententia est sententia, quæ principalem causam definit atq; terminat, cui opponitur Interlocutiua, quæ inter principium & finem causæ super aliquo incidente vel emergente profertur. Quę aut simplex est, aut habens vim definitiuæ. Vid. Othon. Melandr. I.C. in comment. Camer. part. 1. p. 3. de supplicat.

Definitiones fiunt in numero
- Singulari, vt Cœlum est corpus, quod suapte natura voluitur circa terram.
- Plurali
  - Distributiue tantum, vt Cœli sunt corpora, quæ suapte natura, &c.
  - Non tantum Distributiue, sed etiam collectiue, vt coniuges sunt, qui inter se indissolubili societate coniuncti sunt generationis causa, &c.

DEFINITIVE.

Definitiue esse in loco seu alicubi quibusdam Scholasticis est per fines essentiæ esse hic, vt non sit alibi, at circumscribi loco seu esse in loco circumscriptiue est commensurari partibus loci. Albert. M.

Nec dicitur hoc Definitiue, id est, determinatiue, id est, assertiue seu asseueratiue, sed tantum historice, narratiue, vel πειρασικῶς (tentatiue, explicatiue.)

DEFORMATIO.

Deformatio 1. Proprie corporis est decoloratio. 2. Deinde transfertur ad animum; vt cum quis dicitur deformatus vitiis.

2. In Poetica Scaligero Deformatio idem est quod Διατύπωσις & ὑποτύπωσις (τύπος enim faciem & formulam quādam significat, & id quod Architecti modulum dicunt, ad cuius lineaturas & dimensiones totius operis ratio dirigitur. Scal. & Quintil. ita hac voce vtuntur. Est autem personæ vel rei descriptio. Vid. Erasm. in copia.

DEINCEPS, ἐφεξῆς.

Anguli Deinceps dicuntur, quas eadem linea protracta prope idem punctum efficit. Euclid. l. 1. X. Cum recta linea super rectam consistens lineam eos qui sunt deinceps angulos æquales inter se fecerit, rectus est vterq; æqualiū angulorum, & quæ insistit linea recta perpendicularis vocatur eius, cui insistit.



Si recta linea AB rectæ DC insistēs efficiat duos angulos prope punctū B (qui quidem ideo dicūtur esse deinceps, quod eos eadem linea CD protracta prope idem punctum B efficiat) inter se æquales, quod tum demum fiet, cum recta AB non magis in C, quam in D inclinabit, sed æqnabiliter recte CD insistet, vocabitur vterq; angulus B rectus & recta AB perpendicularis.

Sca-

Scaliger in Deriuatis facit duos ordines, vt quædam primo sint, quædam deinceps, vt à Iulus, Iulius & hinc Iulianus est. Quod Scaliger vocat deinceps, quidam è veteribus vocarunt decompositum, id est, vox à compositò deriuata. Figuræ, inquiunt, Decomposita est, quæ à composita deducitur. Hæc si est, inquit Scaliger, erit sane vltra speciem Deriuatiuam alia species, cui nomen non posuere. Vide l. 4. de caus. l. 1. c. 86. Hoc certum, quod decompositum in Grammaticis redundet.

DELIQVIVM.

Deliquium animi in Phys. est animi defectio. Alex. Aphrod. λειποθυμία.

In Astronom. Deliquiũ luminaris propr. est defectus Lunæ, ἔκλειψις. Impropr. defectus Solis, ἔκλειψις σελληνιακὴ, ἡλιακὴ, Quintil. Obscuratio.

Deliquiũ in Chymicis est *a* descensio frigida cum corpora coagulata frigido & humido loco (vt cella, puteo) super marmore, tabula vitrea, exposita in liquorem resoluuntur, & in subiectum vas defluunt. Sic resoluuntur pulueres calcinati & salia. Faciunt aliud vaporosum, aliud ἐμβατικὸν. De quibus vide Lex. Rol.

DEMONSTRATIO.

Primo accipitur proprie pro Syllogismo Demonstratiuo.

Secundo accipitur improprie pro medio Demonstrationis, vt cum inquit Arist. Si demonstratio transferenda est. 1. Anal. post. t. 59. Translatio Demonstrationis significat Translationem medij de vna scientia in aliam diuersam. Quia Demonstratio nominatur à medio κατ' ἐξοχὴν accipitur pro primaria Demonstratione, vt cum Scal. Demonstrationem ab effecto seu signo seu nota rei vocat probationem per conuersionem Demonstrationis. l. 6. de caus. l. 1. c. 140. & ibidem dicit primum modum probandi esse per Demonstrationem. Ita Demonstratio Grammatica est: Omnis sermo egens variatione habet dictiones flexibiles. Sermo Grammaticus est talis. Ergo Sermo Grammaticus habet dictiones flexibiles, id est, declinabiles & coniugabiles.

Laxe pro qualibet eaq; vel simpliciter vna, vel multis constante Syllogismis, qui in vnum non possunt coalescere, nisi concluſa omnium in vnam aggregentur definitionem. Schegk. 3. Demonstr. p. 49.

Syll. Apodeicticus
- Forma Collectionis, quæ tribus conficitur propositionibus necessariis.
- Ratiocinatio conflata ex multis concluſis per Apagogicos.

Mathematicis Demonstratio directa est cum ex principiis & ante demonstratis id, quod in quæstione erat, ostenditur. Indirecta vero cum ad principia, & prius demonstrata procedimus, falsaque facta hypothesi euertere conamur. Ac dicitur ἀπαγωγὴ ad Impossibile. Sumens enim id, quod pugnat cum quæsito, & illud sic esse ponens progreditur, donec in manifestum absurdũ incurrat, & per illud aduersarij hypothesin falsam tollens, confirmat id verum esse, quod ab initio in quæstione erat propositũ. Itaq; finis huius demonstrationis est Verum. Necessariæ, vt in Arithmetica Regulæ Falsi seu falsarũ hypotheseon finis est Verum, quod ex iis eliciendum.

Itaque Demonstrationes fiunt à principiis vel ad principia. Porphyr.

Demonstratio formata vel non formata.

Demonstratio etiam non tantum formaliter, sed & materialiter accipitur. Formaliter cum forma comprehena est ea, quæ in organo docetur. Materialiter, cum materia præsto est in Enuntiatis, vt: Variatur sermo, quia dictiones sunt declinabiles. Hic causa probatur per effectum. Tales Demonstrationes inuenies multas in exerc. Scal.

Ἀπόδειξις, Demonstratio ab Aristotelis Interpretibus Sectatorlbus interdum ponitur ita generaliter, vt etiam conueniat Ostensioni ἀποδεικτικῇ. *Duplex est Demonstratio, Sensus altera, & altera rationis* est: Hæc in Scientiis est; illa vero Scientias præcedit. Sensilis itaque Demonstratio & progressus à singularibus sensilibus ad confuse nota vniuersalia non est in Scientiis quęrendus. Quæ sensus demonstrat, illa sunt in Scientia ἀ: ἀπόδεικτα. Sensu cognita in Scientiis loco axiomatum sunt. N. Taurell. l. 1. q. 1. contr. Cæsalp.

Vidit enim Pater, &c: apud Ciceron. in Oration. pro Cn. Planc. ἀπόδειξις hæc παραδειγματικὴ dicitur à Michael. Toxit.

Demonstrare Circulo est idem per idem ostendere, quod non solum non est demonstrare, sed ne simpliciter quidē probare, cū omnis probatio debeat esse è notiorib. Fōs. 4. Met. c. 4. explanat. Aristoteli Demonstrare ἐλεγχτικῶς est probare ad reuincēdum hominem 4. 1. Phil. c. 4. Id improprie demonstrare est. Ita probari potest principium simpliciter, nempe Fieri nequit vt idem sit simul, & non sit.

Cap. 2. post. Anal. t. 16. Aristoteles late & improprie accipit nomen Demonstrationis pro quacunq; declaratione seu δηλώσει, ita vt etiam definitionem amplectatur, cum dicit: *Alterius autem altera demonstratio.* Ad quem locum ita commentatur Zab. Dum Aristoteles loquitur de Demonstratione & de Definitione, vtitur etiam communiter verbo monstrare, pro eo quod est declarare, explicare, quia probaliter argumentatur dubitandi tantum gratia. Sed quando seorsum de sola Definitione loquitur (dogmatice) eo verbo amplius non vtitur, nec dicit Definitionem monstrare quid est. Definitio namq; reuera notificandi vim non habet, sed solum significat quid est.

In eodem cap. paulo ante sic quoque Aristot. *Aliud est quid sit, aliud quo sit res ostendere,* ἕτερον τὸ τί ἐστι, καὶ τὸ ὅτι δεῖ δεῖξαι. Hic etiam ostendere seu δεῖξαι laxe vsurpatur. Relatum ad τὸ τί ἐστι est significare. Ad τὸ ὅτι ἐστι est proprie monstrare seu fidem facere. Admonitio: Sępe fit vt vnum Verbum relatum ad diuersa orationis membra duas habeat significationes. Sic Aristot. alicubi Simpliciter significat simul Solitarie & vniuerse, ὁδὶ παράγρ. 2. post. Analyt. c. 1. t. 5. Zab.

An Monstrare & Demonstrare sint ταὐτόν;

Philosophus ἀποδεικνύειν & δεικνύειν 2. poster. c. 6. coniungit, ita vt illud demonstrare, hoc vero ostendere significet. Ait enim Definitionem nihil neque demonstrare, neque monstrare, hoc est, ostendere; Sic Zabarella: Definitio non ostendit ipsum Quid est. Non enim recte reddidit ibi interpres δεικνύειν per Declarare, cum Definitio sit λόγος declarans Essentiam, δηλωτικὸς τῆς οὐσίας.

Differunt autem Monstrare & Demonstrare vt Genus & Species. Illud enim competit omni Syllogismo (omnis Syllogismus monstrat, id est, facit fidem:) Hoc vero Syllogismo Scientifico seu Apodeictico. Zabarella τὸ Mōstrare vocat Notificare per aliud, nempe

nempe per inductionem vel Syllogiſmum. Nullus, inquit, datur alius notificandi (id eſt, faciendi fidem) modus, præter duos, vnum demonſtrationis ſeu Syllogiſmi proprium, alterum vero Inductionis, quorum neuter definitioni attribui poteſt. ad c. 6.

Eſt & Monſtratio quædam ſeu oſtenſio, quæ ad ſenſum pertinet & intellectũ: vt ſi aliquod ſingulare monſtretur digito. Alia igitur Διανόιας ſeu diſcurſus eſt, alia ſenſuum.

Denominatio, παρωνυμία.

Denominatio ſignificat vel actum denominandi, vel nomen ab alio deductum, ac vſurpatur vel ſimpliciter, vel cum adiectione vocis concretiuæ eodem ſenſu. Simpliciter, vt cum dicimus Ciceronis denominatio eſt Orator, Vergilij Poeta. Cum adiectione; vt cum dicitur, abſtractum principaliter ſignificat id, quo aliqua denominatio concretiua rei conuenit, vt corporeitas dicitur id, quo aliquid dicitur corpus: Albedo dicitur id, quo aliqua res dicitur alba: cœcitas, quo aliquid dicitur cœcum: corruptibilitas, quo aliquid dicitur corruptibile.

Denominatio enim fit vel ſubſtantiue, hoc eſt, ſubſtantiuo nomine; vel adiectiue: ſicut denominata ſunt vel ſubſtantiua, vt animal, quorum denominantia ſeu abſtracta συνωνύμως idem cum ijs ſignificant, vt animalitas idem ſignificat cum animali: vel accidentalia: vt ſapiens, fortis.

- Res denominatur ſeu rei attribuitur denominatio à
  - Subſtantia
    - Tota, Ignis, Perſona, homo, animal, lapis.
    - Parte
      - Eſſentiali, rationalis, materialis, formalis.
      - Integrali, capitatus.
  - Accidente
    - Abſoluto
      - Interno
        - Quantitate, Longus.
        - Qualitate vel ἐνεργείᾳ mobilis, lucidus.
      - Externo, vt loco, tempore, effectione in alio, amictu, Localis, calefactiuus, tunicatus.
    - Relatiuo, vnitus.
  - Positiuo ſeu exiſtente
- Non exiſtente ſeu negatiuo,
  - Simpliciter, Non homo.
  - Definite, quod priuatiuum dicitur: cœcus, qui dicit viſus priuationẽ in ſubiecto apto nato.

Ignis, homo, animal.) Hęc denominationes ſunt à rei eſſentia, ignis, vt denominati denominans, ſeu abſtractum eſt igneitas; ſed ignis quoque denominans eſt igniti. Panis abſtr. è Pico Mirãdula. paneitas in Euchariſtia. Parte.) A parte totum ſortitur aliquam denominationem.

Parte eſſentiali) vt animatum, formatum ab anima & forma.

Qualitate, vt habitu & patibili qualitate. Ex Fide dicitur aliquis Fidelis; ex ſcientia ſciens; A ſtabilibus enim πάθεσι potiſſimũ denominamur, quia afficiũt nos. Relat. vnitus) Aliquid dicitur alteri vnitum ab vnione, ſicut aliquid denominatur album ab albedine. Imo propter vnionem albedinis cum ſubiecto ſubiectum dicitur album.

Ενεργείᾳ) id eſt actione interna; ſic ab in-

tellectione dicit intelligẽs. Effectione in alio) Id est actione externa, seu motu: sic à procreatione aliquis dicitur Procreatiu⁹, ab alteratione alteratiu⁹.

Mahumetes Turcorum Imperator ex magnitudine rerum gestarũ magnus cognomento dictus est.

Quod inest denominatiue, denominatur necessitate absoluta, vt Filiatio Christo ita inest: Ergo dico Christus est Filius. Scientia inest Petro; Petrus inde dicitur sciens.

Quædam insunt vel inesse dicuntur, sed non denominantur proprie, τὸ γελαστικὸν dicitur inesse formæ humanæ, sed hæc non dicitur γελαστική, sed homo. Filiatio non denominat humanitatem Christi, humanitas enim non est Filius, licet insit humanitati, si ponitur relatio seu respectus distinctus ab absolutis, Filiatio denominat suppositũ, sequens axioma videtur dissentire. Omne existens vel vnitum alicui cum eius informante sufficit ipsum denominare cui inest. Hinc homo aliquis dicitur diuinus. Limita inexistens vnitumue per informationẽ aliquã, alioquin ἀνθιλογία, non ὁμολογία fuerit.

Biel. lib 3. dist. 11. qu. vlt. à Scoto.

Denominatio opponitur nonnunquam connotationi, vt Filius, Pater, mater, filia denominant suppositũ, & connotant generationem actiuam vel passiuam cum discretione sexus.

Denominatio interdum improprie ponitur pro nominatione seu nominis impositione, seu appellatione: quædã denominationes ex tempore Deo conueniunt secundum accidens, id est prædicata quędam ex tempore dicuntur de Deo per accidens seu contingenter, vt Creator, Dominus, Perfugium; quæ attributa externa (non interna) sunt respicientia Creaturam, Magister sententiarum videri hic potest distinct. 30. primi libri; & Gabriel Biel. lib. 3. dist. 7. quæst. 11.

A principali fit denominatio, hoc potest habere duplicem sensum. 1. A principali vel proprie fit παρωνυμία; vt candidatus à candidus potius, quam à candor deducitur. 2. A principali rei nomen imponitur vel tribuitur, vt Geometriæ à terræ dimẽsione; Theologiæ à Deo; Foro boario (emem Viehmarck) à bobus. Qui titulo & Magistri & Doctoris ornatus est, is salutatur Doctor. Sed contingens hoc est, non Catholicum. Nam Grammatica dicta est à primis minimisque elementis artis literis; plerumq; tamen verum.

Distinctiones Denominationis.

Denominatio est Propria, vel Impropria. Propria, vt vere Formalis, vt cum ignis dicitur calidus. Huc pertinet illud Gabrielis Biel. vnio est illud, quo extrema, id est, Natura humana & Verbum formaliter & denominatiue dicuntur vnita. Sicut enim aliquid formaliter denominatur album ab albedine: ita aliquid dicitur alteri vnitum ab vnione. Impropria, vt quasi formalis, vel formalis pro causali, vt cum piper dicitur calidum (virtualiter) καὶ μεταφορικῶς. Denominatio est interna (sic denominat humanitas hominem, quia est eius essentia vel accidens internum; albedo album, quia est eius essentia) vel externa (sic color dicitur esse illuminat⁹, sed lumẽ nõ inhæret colori) Necessaria est vel contingens. E.g. Actus honestus (quem Barbari dicunt virtuosum) est duplex, quidam est talis intrinsecus, seu denominatione interna, seu ex se, seu essentialiter, seu formaliter, vt alij dicunt. Diuersi enim Auctores sæpe diuerso modo loquuntur, & terminis quandoq; vtuntur ad placitum, vt ait Gabriel Biel. lib. 3. dist. 23. q. 1. Quidam vero est talis intrinsecus, seu denominatione externa seu contingenter, vel vt alij loquuntur, materialiter. Ille manens idem numero non potest fieri vitiosus, vt omnis actus voluntatis elicitus prorsus conformiter

formiter rectæ rationi. Hic vero contra idem numero potest fieri in honestus, vt sunt actus imperati à voluntate. Ille primo honestus est; hic vero per alium actum ex se honestum, cui conformatur. Gabriel Biel. ibidem. 2. Ecclesia iusta est non tantũ iustitia externa seu aliena Christi imputata, sed etiam interna, propria, inchoata, in nobis effecta Deoque accepta gratiosaque.

Sanum dicitur solum animal Formaliter. Sanitas enim, quæ est forma significata nomine sani in vno animali inest. Vrina, potio, aer dicũntur sane externa denominatione: in ijs enim sanitas non inexistit.

Canon.

Cum Denominatio conuenit pluribus per vnam eandemq; rationem formalem, illis immediate conuenit, quibus inest ratio illa formalis: cæteris vero mediate propter coniunctionem vel habitudinem, seu ordinem ad id, cui inest talis ratio, vt beatum fieri immediate & proprie conuenit animæ; corpori mediante anima. Gab. 3. lib. distin. 7. quæst. 1.

Sic Verbum diuinum assumpsit animam intelligentem immediate, carnem mediante illa.

Impossibile est formam informare subiectum, & non communicare ei denominationem formalẽ; vt si anima informat oculum, necesse est vt oculo cõmunicet formale παρώνυμον, quod est animatum.

Non omnes Denominationes inferunt inhæsionem, id est, denominatiue inesse & inhæsiue sæpe numero differũt, vt Iesu Christi Filiatio denominat tãtum suppositum, (homo ille dicitur virginis Filius, non humana natura dicitur Filia virginis.) licet inhæreat humanitati, seu fundetur. Gabr. Biel. Sed generari & nasci denominant pro ductum per generationem aut natiuitatem siue sit suppositum, id est, hypostasis, siue sit natura, siue pars suppositi, vt Iesus Nazarenus generatus natus est, caro eius generata nata est. Primo nascitur infantis caput; Materia tamen proprie non generatur licet incipiat habere nouam formam. Caro Christi dicitur adorabilis, licet adorabilitas ei non inhæreat, non habeat in ea fundamentum.

Denominatio est κατὰ λέξιν, vt à sapientia dicitur subiectum sapiens: ab anima animatum: vel κατὰ πρᾶγμα, vt ab anima denominatur totum compositum homo: Itaque à forma inhærente vel adhærente subiectum sortitur denominationem secundum nomen vel secundum rem.

In Arithmetica ad eandem denominationem fractionum, Reductio est reductio diuersi nominis partium ad idem, seu commune nomen, seu ad cognomen, vt $\frac{3}{4}$ & $\frac{5}{6}$ ad $\frac{9}{12}$ & $\frac{10}{12}$.

Gabriel Biel secundum Denominationem (intellige externam & realiter seu reipsa ἀντιθέτως vsurpat lib. 3. dist. 1. quæst. 1. cum ait, Relatio illa non est mutua seu communis realiter, licet sit communis secundum Denominationem. Dicimus etiam nos: Hic est Doctor secundum Denominationem, id est, titulo tenus, nomine tenus, non reipsa, Græce κατὰ τὸ λέγεσθαι, non κατὰ τὸ εἶναι, vbi externa denominatio intelligitur, adhibito genere pro specie per synecdochen. Communem passionem diuinitatis & carnis, vnitas personæ in Christo fecit, inquit Fulgentius. Caro autem passa est proprie, id est, ex asse & in solidum passio est corporis & animæ, vt ait Athanasius.

Diuinitas vero denominatiue, non autem per essentiam, inhærentiam in diuina natura, vt in subiecto, id est, ὁ λόγος passionem carnis ipsius

per ſubſiſtentiam propriæ ad ſe referebat. Vnde ὁ λόγος dicitur paſſus eſſe imputatiue, & paſſiones carnis dicuntur eſſe τῷ λόγῳ diſpenſatiua appropriatione, Euſebius & Emiſſenus ac Cyrillus; Et tamen ὁ λόγος paſſus eſt in carne ſua realiter, id eſt, vere & non imaginarie. Itaque hæc prædicatio, Deus fudit ſanguinem ſuum pro Eccleſia, non tantum eſt verbalis, ſed etiam Realis, & ſuo modo neceſſaria. Quod partis proprium eſt, commune fit cum eo toti, ſéd id communicatur cum toto ſeu concreto. Realiter, non tantum per externam denominationem, vt homo eſt intelligens reipſa; Chriſtus filius Dei viuentis & Mariæ eſt reipſa mortuus poſito Chriſtum eſſe totum habens partem.

Res denominantur magis à cauſa proxima, quam à remota. Sic dicuntur effectus rerum contingentes potius propter cauſam proximam contingentem, quam neceſſarij propter cauſam primam & remotam.

Res denominantur ex eo quod in ſe ſunt, non ex eo quod ſunt in mente. Itaque lapis etſi immaterialiter in animo ſeu mente ſit, tamen non vocatur immaterialis.

Denominatio fit
- Sæpius à parte
  - Maxima.
  - Principe.
- Rarius à parte minus principali.

Cum plenitudine Gentium in Eccleſiam ingreſſa, plenitudo etiam Iudæorum fuerit ingreſſa, πᾶς, id eſt, ὅλος, omnis, id eſt, totus Iſrael ſeruabitur per Euangelij prædicationem: Non id (Totus) ad ſingulos extendendum, ſed reſtringendum eſt, id eſt, intelligendum de maxima parte, à qua conſueuit fieri denominatio. Ioh. Piſc. in Schol. in 11. c. ad Rom.

Ἄλλως.

Denominatio eſt Laxe vel Proprie dicta. Hinc prædicatio Denominatiua eſt vel Eſſentialis, vt formæ denominantis materiam, vt homo eſt animatus: vel Accidentalis, accidentis denominantis ſubiectum, vt homo eſt γελαστικὸς, lignum eſt album. Materia prædicatur de omnibus denominatiue, vt arca eſt lignea, non lignum, forma de Materia, vt materia eſt informata. Vid. 7. 1. Phil.

Loquor autem de denominatione vera rectaque, ſeu congrua, id eſt, congruente ad artem Logicam, non de vitioſa, non de ridicula, qualis eſt hæc; ſtultitia eſt ſtulta, Albedo eſt alba. *Nam Abſtractum à concreto denominari nequit.*

Quæſtio non eſt præter inſtitutum; Cur non poteſt abſtractum ἐπωνυμίαν accipere (denominari) à Concreto, verbi cauſa, cur Candor non dicitur Candidus, albedo alba, calor calidus?

Reſp. philoſophica eſt, *Quia nihil ſe ipſum participat: Neque eadem conditio eidem rei & à ſe & alterius participatione ineſſe poteſt:* Pic. Mirand. de Ente. Abſtractum autem à ſe tale eſt; Concretum alicuius beneficio tale eſt, ac dicit aliquid quaſi participatum, vt Luceus luce lucet.

Denominatiuum ſeu Paronymum non prædicatur de principio, vnde fit Denominatio, vt albedo non dicitur alba, ſed res quę albedine effecta eſt; Vinum non dicitur vinoſum (id eſt, vini plenum) ſed homo, vt vinum non dicitur ebrioſum, ſed homo. Obiect. At enim inquias, Medici diſtinguunt inter vinum

num ὀλιγοφόρον, austerum & vinosum, Resp. Hic vinosum idem est quod vini sapore abundat, & ita non vinum, sed vinosus seu vini generosus & bene coctus sapor est abstractum Vinosi. Itaque dicere licet Vinum vinosum generosum, forte, odoratum cor & vires recreat quidem, sed caput facilime vaporibus replet & tentat.

Denominatiue.

Sæpe opponitur τῷ Essentialiter, vt Christus vt homo est creatus; Denominatiue enim hic prędicatur creatum esse. Christus vt Deus est æternus, hic æternum esse per se & essentialiter prædicatur. Scot. l. 3. d. 13.

DEPENDENTIA,

Pendentia à.

- Absolute à Deo in Essendo & Causando.
- Essentialiter
  - Secundum quid, A principio vel causa creata. Ita dependet ab ea quod ab ea naturaliter fit & conseruatur, vt homo à sole, horologium ab artifice, accidens à substãtia
    - Quoad essentiam
    - Quoad existẽtiam
- Dependens ab aliquo
- Accidentaliter. — Huc referri potest dependentia correlatorum.

Distinguitur Dependentia Causalis à subiectiua & Relatiua. Subiectiua est formæ à subiecto quoad ὕπαρξιν. Dicitur & à Scholasticis suppositalis. Relatiua est relati à relato, & contra. Causali subijcitur Essentialis.

Et causalis est
- Causæ à causa, vt secundæ à prima.
- Causati à causa, conseruati à conseruante.
- Causati posterioris à causato priore.

2. Inter Causalem & subiectiuam media quasi est (per participationem) Personalis dependentia, quæ est Naturæ à supposito alieno dependentis, hoc est, non subsistentis in proprio supposito. Quare Scholastici suppositalem vocant per excellentiam & singulariter. Axiomatis hæc explicãtur. Omnis dependentia suppositalis in generabilib. & corruptibilibus terminatur materia prima mediate, id est, per compositum. Vna Persona diuina non potest sine alia terminare dependentiam Carnis Christi causalem, id est, tota Trinitas incarnat Verbum diuinum, seu vnit naturam humanam Verbo.

At potest sola sine alia determinare Personalem dependentiam, seu vniri naturæ humanæ, id est, potest incarnari seu assumere[a] verbum sola. Gabr. B. l. 3. d. 2. q. vn.

[a] *Hoc vocat suppositans.*

Dependentia
- Non mutua
  - Causalis.
  - Subiectiua.
- Mutua correlatorum.

3. In Organi explicatione huiusmodi distinctio necessaria est generalior prioribus.

- Ab se Tertio modo dicendi per se.
- Pendentia seu dependentia est
  - Contingentium, quæ tempore simul nõ sunt, vt
    - Accidentium communium.
    - Effectuum à causa separabilium.
  - Ab alio
    - Essentialium, quę tempore simul sunt
      - Effecti à causa adæquata
        - Externa (Quarti modi dicendi per se.)
        - Interna: (Primi Modi dicendi per se.)
      - Proprij accidẽtis à subiecto propria. (Secund. mod. dicendi per se.)
        1. Vt à causa effectrice quodam modo, à qua producitur. In subiecto enim est, seu, implicata reconditaque causa, quæ est vel *propria forma*, vel *aliud accidens* compositi proprium, hæc pendentia est occulta & virtute.
        2. Vt ab externa materia, in qua illud accidens recipitur. Hæc dependentia est expressa (ἐναργὴς) & actu.

Vid. Zabar. lib. 2. de propos. necess. cap. 13.

Cum essentia Diuina (cum attributis eius) in Persona Patris consideratur ἀνάρχως & ἀναιτίως, id est, absque principio originis & causæ; in Persona vero Filij & Spiritus sancti αἰτιατῶς, non ἀναιτίως, id est, non absque principio originis & quasi causæ, seu cum Deus sit commune quasi πρὸς ἕν (ad vnum principium seu fontem) & primo seu ἐξόχως tribuatur Patri, vt qui à seipso existat agatque, & in Trinitate reliquarum Personarum sit πηγὴ quasi seu ῥίζα, principium & origo, ideoque prima, vt Filius secunda Persona dicatur, quæritur non ab re, an dicendum *Personam Filij dependere à Persona Patris?*

Respon-

Respondeo, Filij ad Patrem & Patris ad Filium, primi ad secundum, & secundi ad primum dependentia est (mutua) vt relatorum ad correlata, Pater ita dependet à Filio & Filius à Patre, primus à secundo, & secundus à primo. Sed non dico Personam Filij Dei dependere à Deo patre (etsi ordinem Personarum in existendo confitear) sed ab eo vt principio existere & productum esse, ab hoc fonte quasi emanasse Spiritum Sanctum. Dependentiæ enim notio sonat quandam imperfectionem.

An δαιμαρχία Dei communicetur hominibus?

Præcipiendo & imperando, vt potestatem habēs propriam, non aliunde acceptam Christus fecit miracula. Hoc proprium Dei est: independenter scilicet & non aliena virtute agere: qui modus agendi creaturæ communicari non potest. Ioh. Pic. Mirand. qu. de Mirac. Christi 11.

An Intelligentia pendeat à voluntate?

Actus Intellectus dependet à voluntate quoad exercitium, non quoad specificationem: Id est, per solum imperium voluntaris nō potest intellectus determinari ad specificationem actus, actus qui est assentiri propositioni alicui, & actus qui est dissentire, sunt actus habētes rationes specificas oppositas. Ergo ad assensum vel non assensum non potest intellectus determinari per imperiū volūtatis. Ergo quod credat aliquis Propositionē aliquā esse verā vel nō credat, id nō est ex eo præcise, quia sic vult vel non vult credere, sed ex aliquo habente rationem actus primi intellectum ad actum talem credendi vel non credendi determinante; vt ex ratione Syllogistica, ex auctoritate, &c. Intellectus enim est potentia mere neutra & indifferens ad specificationem actus alicuius sui secundi.

Non potest aliquis credere ex libero arbitrio (id est mero imperio voluntatis seu rationis persuasione.) Picus: Nullus credit sic esse verum præcise, quia vult sic credere. q. 8.

Exempla Dependentium.

Actus visionis dependet ab obiecto.

Vis demonstrationis dependet à Medio, vt à causa. *Dependentia obiectiua.*

Entia rationis pendent ab operatione intellectus vt à causa.

Spatium inane etsi non est verum ens, tamen dici potest aliquid reale, id est, haud pendens ab operatione intellectus; & suo modo necessarium simpliciter in rerum natura. Fonsec.

Calor ab igne dependet vt à subiecto & vt à causa. Idem iudica de alijs quoque accidentibus, potest igitur aliquid ab alio pluribus modis pendete.

Aeris corporisque dispositio in qualitatibus primis à cœlo dependet. *Astrologi.*

Relatio dependet à subiecto, Fundamento & Termino, adeo debile quid est.

Res sublunares pendent à materia. De his Canon est: Omnibus commune est rebus nostratibus hisce, quæ pendent à materia (Ita enim Scalig. eleganter circumloquitur res, quæ sunt sub Luna) vt agendo patiantur. exerc 109. Id. exerc. 6. sect. 5. Pendent nostratia hæc è superioribus propter æquiuocam connexionem, propter vniuocam effectionum communionem. Sunt enim superiora quasi formæ conseruatrices inferiorum.

Deus à nullo pendet, id est, Necessitas non est eius imperatrix. Scal exer. 112. Quid magis à Pietate alienum est, quam Deo attribuere necessitatem? At enim, inquis, Deus est ens necessarium & necessario bonus & verax est. Resp. Quis neget? Cum enim dicitur à Scalig. & Augustin. non esse attribuendam Deo ἀνάγκην, intelligunt necessitatem Imperantem & cogentem (non Immutabilitatis.)

Pendere vel dependere Græcis, vt Aristoteli est ἀρλιάεθαι. Cum enim sine ἐμφύλῳ θερμῷ, id est, insiti caloris ex corde manantis beneficio neque Epar, neque Ventriculus suum munus exsequi possint, ideo Aristoteles vitalem & naturalem seu ζωϊκὸν & φυτικὸν calorem non separat, & ex corde tantum τοῦ αἰθητικῷ & λογικῷ (id est potentiæ sentientis & Logicæ) causam efficientem primam deducit, vt à corde ei sint omnia, à quo vt calorem naturalem & vitalem, sic etiam animam ἀρλιάεθαι, *hoc est dependere ac suspensam esse* scribit, quod Medicorum Scholæ impugnare solent.

Scaliger erudite etiam distinguit inter pendentiam per speciem & per potentiam: Hæc principalis est; illa minus principalis: vtraque tamen necessaria.

Quæritur, vtrum anima pendeat à corpore, an corpus ab Anima? Respons. Pendentia hic est mutua, sed Modus est differens. Corpus pendet ab anima, vt delatores à principe per potentiam. Sed Anima pendet à corpore, vt Princeps pendet à delatoribus per speciem (quia delatores species factorum deferunt ad principem) voluntas pendet à phantasmatibus. Itaque vtrumque Aristotelis enunciatum est: &, ἔποψλαι τοῖς σώμασιν αἱ διάνοιαι, &; τοῖς τῆς ψυχῆς παθήμασι τὸ σῶμα συμπάσχει.

Dependentia Intellectus dum est in mortali corpore, est à phantasia: Quia ordinarie intellectus non intelligit nisi operante Phantasia.

1. Dependentia est
   - Necessaria
     - Proprie & per se.
     - Ob connexionem aliquorum, vt intellectus cum potentia sensitiua.
   - Contingens & mutabilis: vt posterioris à priori.

2. Dependentia
   - Inhæsiua. Hac accidens inest seu inhæret in substantia vt in subiecto, quod sustentaculum & fulcrum accidentis est.
   - Obiectiua, sic Ens reale est, cuius esse non pendet ab operatione Intellectus.
   - Effectiua, Hæc est à substantia vt à causa mouente ac producente, vel essentiali: Producente, vt si quid dicitur pendere à cœlo; essentiali, vt si quid dicitur pendere à materia.

Hæc distinctio cõgruit cum superiore prima.

3. Dependentia igitur hæc
   - Interna. Essentialis, formalis.
   - Externa in
     - Effectione.
     - Conseruatione.

   Canon: A quo dependet rei existentia, ab eodem pendet etiam essentia rei. Existentia accidentis, vt caloris, pendet à substantia. Ergo, &c.

4. Dependens
   - Quoad esse. Sic pendet accidens à substantia: Spiritus noster immortalis intelligens substantia est independens à corpore.
   - Quoad operationem: Sic Intellectio animæ dum est in corpore pendet à phantasmatibus.

5. De-

5. Dependentia { Actualis, qua quid dependet τῇ ἐνεργείᾳ, id est, actu. Aptitudinalis, qua quid dependere aptum natum est: qua quid dependet φύσει.

Sic Sotus ait: per se esse modo negare aptitudinem ad inhærendum, & esse in alio affirmare aptitudinem talē: Modo per se esse negare actum inhærendi & esse in alio affirmare actum inhæsionis.

Definitiones.

1. Naturam aliquam assumi est ipsam actualiter dependere ab assumente.
2. Personalitas creata dicit negationem dependentiæ actualis saltem ad naturæ suppositum. Saltem dico, quia Scotus addit, Et Aptitudinalis.
3. Anima à corpore semper dependet quod ad naturalem aptitudinem attinet.

6. Dependentia rei ab aliquo secundum { Initium Essendi. Desitionem sui. Initium essendi & desitionem simul.

Potest enim aliquid ab alio dependere secundum mutuum suum τοῦ εἶναι, etsi non dependeat ab eo secundum sui desitionem. Alb. Mag. de natura & orig. animæ. tract. 2. c. 3.

Pendere ab alio in ratione essendi, aliud est quam pendere ab alio in ratione principiandi. Fons. Exempli causa: Materia principium pendet à forma principio in ratione essendi, sed non in ratione principiandi. Materia enim non habet suum modum causandi à modo causationis Formæ, proindeque nec principiandi, licet modo illo ad causandum & principiandum ei sit opus.

Aliud est pendere ab aliquo, & aliud supponere aliquid, nam principium omne potest dici supponi ab eo, cuius est principium, non omne tamen ab eo pendere. Res genita supponit priuationem suæ formæ præcedentem in materia, nec tamē ab eiusmodi priuatione pendet. Fonseca non dubitat hoc ad diuinum mysterium accommodare. Filius supponit Patrem, sed diuinæ hæ Personæ per se ipsæ sunt independentes, vt loquitur Fonsec.

Dependere in esse ab alio est conseruari. Gab. Biel. *Dependenter agere* est virtute aliunde accepta agere. Sic creata natura agit independenter propria.

DEPOSITIO.

1. *Depositio in Poetica*, quæ Græcis est ἀπόθεσις & κατάληψις Generaliter est desinentia versus, qua alius in perfectum pedē desinit, alius plus minusve quam pedis ratio, à quo nominatur, postulat, syllabarum habet. Huius formæ sunt 4. Acatalectica, Catalectica, Brachycatalectica, & Hypercatalectica, vnde versus denominantur. Acatalectici versus sunt, qui vltmum pedem, à quo metrum nominatur, habent integrum, vt si dactylicum fuerit metrum, Dactylum: si Iambicum Iambum. Catalectici sunt, quibus in fine syllaba vna deest ad perfectionem eius pedis, à quo metrum nomen habet. Tales sunt omnes Heroici. Nam cum Dactylus proprius eius generis pes sit, ipse versus in Trochæum vel spondæū desinit pedem dissyllabum, cum Dactylus sit Trissyllabus. Tales sunt apud Terentium Iambici septenarij. Brachycatalectici vocantur, qui toto simplici pede breuiores sunt, quam ipsa metri quantitas requirit. Talis pro exemplo à Seruio adducitur hic Diameter: *Venia optima Calliope*, ∪∪-∪∪-∪∪-

(menſuratione facta per dipodiam.) Hypercaralectici dicuntur, qui ſyllabam vnã aut etiam duas ſupra legitimum pedem metri in fine habent: vt,

Amant venena parricida,

υ– υ– I υ– υ– I–

2. *Depoſitio Perſonæ in Rhetorica* opponitur ſuſceptioni Perſonæ, quarum vtraque fit in ſchemate Proſopopœias, vbi decore & ſuſcipitur & ad extremum deponitur perſona, & ad eam deponendam interdum breuis reuocatio ponitur, vt, quid ego (iudices) ita grauem perſonam induxi? vt & vereat ne ſe idem Appius repente cõuertat, & Cœlium incipiat accuſare illa ſua grauitate cenſoria.

3. *Depoſitio in Politica* eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ ſeu cõtractus, quo nec vſus nec dominium, ſed tantũ cuſtodia rei alicuius fidei cõmittitur. Alias depoſitum; ſed hæc vox proprie ſignificat ipſam rem depoſitam. Hinc Depoſitio fidei pupillaris in fidem publicam eſt apud Ciceronem vertrawliche niderlage vnmündiger Kinder/oder armer Waiſen Gelts bey einem Rate. Et depoſitio imperij, officij, muneris, magiſtratus, prouinciæ apud Liuium & alios eſt abdicare illa, quæ reſignatio dicit ſolet, Ablegung/Auffgebung Vbergebung.

4. Ad extremum *depoſitio*, quæ hodie vocatur Scholaſtica, ritus eſt quo initiantur, qui primum in congregationes Scholaſticorũ Vniuerſitatũ adueniũt, quas Academias vocare ſolemus, è quibus tamen plurimæ ſunt, quæ doctrinam celebratã in Academia à Platone minime olent. Res ipſa profluxit ab Atheniẽſibus. Sed modus aliqua ex parte eſt recentior, qui è proxime ſuperiorum ſeculorum Academijs ad nos peruenit. Patet enim ex Gregorio Nazianzeno cognomento Theologo in oratione funebri, quã ſcripſit Baſilio Magno qui mos fuerit, quo illa ætate ante annos 1250. accepti fuerint Athenis Scholaſtici noui, qui primum ad Magiſtros & Doctores ſuos adducerentur. Inter alia Gregorius modo laudatus commemorat, quod tum cæterorum omnium ludibrijs atque exagitationibus inſtar ſordidatorum expoſiti fuerint. Ἐρεχθεῖαι, inquit, ὅτους παρὰ τοῦ βυλομένου παντὸς, id eſt, ſcoptice impetitur nouitius à quolibet. Et hoc directum fuiſſe interpretatur πρὸς τὸ συγκέλλειν τῶν νεοτύπων τὸ φρόνημα, id eſt, vt reprimeretur in nouitijs illis Spiritus & animi elatio, & vt ſtatim ab initio ad omnem conſuetudinem ac ſubiectionem tractabiliores redderẽtur, cum ab aliquibus quidem humaniter, ſed à nonnullis etiam durius, ab vniuerſis autem nequaquam honorifice acciperentur. Quæ ludibria poſtquam pertulerat nouus aduena, deinceps per forum ad publicum balneum cum pompa deductus fuit à Scholaſticis, & ante fores huius aliquantiſper ἀποπωλέρως, id eſt, indecenter detentus, tandem intromiſſus, ibiq; finis initiationi illi impoſitus eſt. Nam ex balneo egredientem vt puriorem ſeu mundatum inter ſuos habere cœperunt, & lociac ordinis æqualem honorem ei tribuerunt. Huic mori germanæ ſunt noſtræ, quæ dicuntur depoſitiones: ſi noſtrates ἐρεχθείαις καὶ φλυαρίαις inſtituuntur, vt ſimul deformata ſpecie eius, qui initiandus eſt, quaſi perſona quædam introducatur ruditatis & inhumanitatis, eaque cornuta, à qua liberant eruditio & doctrina, qua præcoluntur & excoluntur animi & mores, atque vt verſus habet Poetæ, *Pectora mellescunt aſperitasque fugit.* Præterea que noſtrorum temporum conſuetudo ab Attica recedit in hoc, quod non permittuntur illæ nugæ & ludificationes omnibus, ſed vnus aliquis vel duo publici adminiſtri (cornutorum monſtrorum domitores) has adminiſtrant. His adde, quod examinationes

Diſſuetudo.

feriæ

seriæ & admonitiones atque vota, quæ tum fiunt apud nos ad nouos Scholasticos, cum absoluuntur, vel iam absoluti sunt à reatu suo, ostendũt, quam sint nostra veteribus illis cultiora & festiuiora. Datur enim illis Sal sapientiæ, & vinum lætitiæ, quod manauit è Baptismo Romanæ Ecclesiæ: In eo enim Hierophanta dat Sal, dicens, accipe Sal sapientiæ ad discretionem in Spiritu sapientiæ boni & mali, ne per Diabolum conculceris: Dat etiam infanti oleum lætitiæ in pectore & dorso, dicens, Lætare Iohannes, vt sis in perpetua Dei misericordia, &c. Ita ergo solenniter studijs velut consecrantur Scholastici & absoluuntur à reatu Barbariæ (Beanisinum vulgo vocant) perfusione vini, quæ balneum Atticum & oleum Roman. repræsentãt. Vid. 7. tomũ scriptorũ publice propositorum à gubernatoribus studiorum in Acade. VViteberg. p. 22. Typum depositionis Scholasticæ descripsit lepido & graui nec non erudito satis carmine (vno dicam verbo, ἐπεξεργασίνῳ, elaborato) Frid. VVidebram. Poetarum Christianorum non postremus.

DERIVO.

Proprie deriuo est è riuo deduco. Deriuare aquam vicini l. 2. Cod. de leg. Aquil. Deriuare crimen translate est deflectere ab eo, ad quem pertinet ad eum ad quem non pertinet. Schard.

Deriuata in Logica vocantur quæ alias coniugata quasi more riuulcrum ab vno fonte deducta. Old. Deriuata in Grãmaticis sunt à primitiuis deducta. Hypomnema de deriuatione Grammatica & Logica.

Ad praxin Grammaticã vera rectaq; deriuatio pertinet. In qua cum videam sæpe errari: Est enim qui ‰ seruitus & seruitium à seruitum, seruire deducat: Est, qui ‰ miles à milito, custos à custodio deriuet, adimo à demo, cum tamen ab emo: Iccirco de ea vtiles commonefactiones cum meis obseruationibus proponam.

Prima commonefactio.

Polysyllaba deriuãtur ab oligosyllabis, vt, amentatus ab amentũ præfoco & suffoco à faucis, scabies à scabo, cordatus à cor, ceruical à ceruix, quiesco, vel quico à quies, mortuus à mors, audacia ab audax, sospito à sospes, ouile ab ouis, annona ab annus, ineptio ab ineptus, iraſcor ab ira, ferculum à fers, partior à pars partis, sortior à sors, sortis, rusticus à rus, iustitia à iusti, crucio à crux, crastinus à cras, oscito ab os, gestio à gest⁹, fulguro à fulgor, cõcionor à cõcio, odororab odor, libero à liber, vigilo à vigil, ab æstus æstuo, à fluctus fluctuo, à tumultus tumultuor, à sinus insinuo, vacuus à vacuo, semino à semẽ, optio ab opto, bullire à bulla, cæcutire à cæci, lasciuio à lasciui, supbio à supbi, singultio à singultus, seruio à serui, balbutio à balbus, sitio sitis, sepio à sepes, à maceries macerior, à spes spei; spero, à glis glisco, calleo, cauco, floreo, luceo. à callis, caui, floris, lucis. Sic censeo, à census, pudibundus à pudor, iumentum à iuuo, megistantes à μεγιστᾶν inusitato, quod est à μέγιστος.

Excipe.

Pręcox à pręcoquo, Suada (suasionis Dea) à suadeo, horror ab horreo, pauor, à paueo, tumor à tumeo, fulgor à fulgeo, quanquã potest etiam deduci à fulgo, is, ere, metus à metuo, inuidus ab inuideo, leno à lenio, latro à lateo, nequam à nequeo, fraces à fracco potius, aduena ab aduenio.

II.

Verbis nomina quædam priora sunt, nempe in quibus naturaliter substantia nominis antecedit actum verbi, vt vnda prius quam inundo, lux quam luceo, pax prius quam paco, limen quam elimino, fumus quam

fumo, humus quam humo. Hic actus, qui ſpectatur in verbis poſterior eſt, & verba à nominibus hiſce deſcendunt.

Exceptio.

Attamen pecten à pecto, vnguen abvngo, &c.

III. ὑπόμνημα.

Verbum primæ coniugationis in Bo eſt à genitiuo nominis, ſi verbi thema reſpõdet ſyllabis genitiui: Vt à miſeri, miſeror, aſpero ab aſper, aſperi, magiſtro pro moderor, à magiſter, magiſtri, fundo fundas à fundum (πυθμην) grego à gregis, à miles militis, milito, à ſemen, ſeminis, ſemino, à vagus, vagi, vagor, à nudi, nudo, à ſani ſano, à purus i, purgo, à vulgus, i, vulgo, à iugum iugo, ab eſca, ineſco, à baccha bacchor, à turba, turbo, à probo, probus, ab exul, exulo, à vindex vindicis, vindico, à laus laudis, laudo, à fraus fraudis, fraudo. Sic obliquo eſt ab obliquus, æquo ab æquus, laxo, à laxus.

IV.

A verbis 1. coniugationis in Am ſunt nomina cõſul, merges (quaſi flumen) rupes, cædes, parcus, tremor, clangor, plãgor, angor, flumen, tegmen, gradus, pandus, cocus, ludus, currus, viuus, teges, lues, ſtrues, fidus, bibulus, occidu⁹, tribus, perſpicuus, aſſecla (quaſi aſſecula) profugus, perfuga, ſcriba, mola, fundus: à conſulo, mergo, rupi, cædo, parco, tremo, clango, plango, coquo, ludo, curro, viuo, tego, hio, ſtruo, fido, bibo, occido, tribuo, pſpicio, à ſequor, profugio, perfugio, ſcribo, molo, fundo, is, ſere, quia fundit fructus. Et forte ſpecies à ſpecio, vt facies à facio, acies ab acuo, progenies ab antiquo progeno, id eſt, progigno.

V.

A verbis ſecundæ in Bo & vtriusq; in Am ſunt, Torpedo, lubido, libido, ſedes, ſepes, cõpago, cupido, intercapedo, ſcaturigo, origo, aduena, nẽpe à torpeo, lubet, libet, ſedeo, ſepio, cõpages, cupis intercapis, ſcaturis, oriris, aduenis. Sic ambigu⁹, ab ambigis, riguus à rigo.

Exceptio.

Verba, formido, palpo & occaligo, propago, indagor, epulor, verbero, lurcor, 1. cõiug. in Bo primitiua ſunt, quia numero non reſpondent ſyllabis genitiui nominum. Deriuãtur, igitur ab eis nomina: Formido, inis, palpo. onis, caligo, inis, propago, indago, inis, epulo, verbero onis.

VI.

Quædam primitiua ſunt fœcunda, id eſt multas voces ex ſe pariunt, vt ab aptus apto, 1. coniug. in Bo & ineptio 2. in Am, interuentu inepti: à durus, durities, duro & dureo: à ſanus ſano & inſanio, interueniente inſania: à lac, lacto & lacteo: ab albus, albo, albas & albeo, es, à ſeruus, ſeruo & ſeruio: à mũdus, mundities & mundo: à mutus, mutas, muteo & mutire, à meta metor 1. cõiug. in Bor & metior, ſecũdæ in Am.

VII.

Quædam deriuata de ſe alia pariunt, vt ab æger, ægreo, ab ægreo, ægreſco: à conjcio eſt conjecto, à conjecto conjectura, conjecturo, ab hoc conjecturalis: à creber, crebreo obſoletum, à crebreo per crebreſco, increbreſco, per crebui, increbui (2. abiecta vt nonnulis placet euphoniæ cauſa) à tonſor, tõſtrix, tõſtrina: à dux ducis, & à ducis, educo, à ſono, ſonor, à ſonor ſonorus: à ſuauis, ſuauium, à ſuauium ſuauior, à luxus, luxuria, à luxuria, luxurior: à dos, à dos doto, à do dato, as, are, vt à dato datatũ von einem zum andern eſſe frequentatiuũ dato priſcũ ſit, à mutus, muteſco, à muteo, muteſco, hinc obtus, muteo, à muteo, muteſco, hinc obmuteſco: à flatu flabrum, à flabro flabellum: ab vdus, vdo, ab vdo, ſudo pro ſubudo, à ſudo ſudor.

VIII.

Quædam Latina Græca ſunt origine, vt ſeps σὴψ à σήπω, id eſt, putrefacio.

IX. Vi-

IX.

Videndum, ne deriuatio sit falsa vanaq; vt ebrius quasi esobrius. Nam sobrius est à se & ebrius, vt socors à se & cor. Calepino sedimentum est à sedo, as, are, sed reuera est à sedes, sedis. Nego à non & ago, vel quasi necago. Falsum vtrumque: Emendo à mando vt commendo, ineptum & ridiculum: cum sit à nomine menda vel mendum. Mando quasi manui do Eutychi. Sed si deductio hæc vera esset, dicendum esset mandare.

Vacillo nonnullis est à vaco, alijs à vacillum, quod nullibi reperio & prorsus vanũ est. Donato est sine origine, quod probo; Reor à res, vanum. Cogito nõ est à con & agito, sed à cogis, vt agito ab agis: & cogo à con & ago.

Incentiuum pro stimulo seu irritamento veterum latinorum Theologorum, Plinii item 1. panegyr. & Erasmi in Encheiridio militis Christian. Nõ autem est hæc vox ab incendo, sed à supino incentum verbi incino: hinc tibia incẽtiua apud Varronem die da anbleset hinc respondens est succẽtiua wel her nach bleset. Carmina obscœna libidinum incentiua sunt & quasi Sirenes. Erasm. in Encheir. primum remedium contra incentiuum libidinis est omnium occasionum causa & diligens fuga, Germ. Anreitzung.

X.

Proxima & immediata origo vocis quærenda est seu exigenda. Ea enim vlteriori seu remotiori, vt mater auiæ præfertur. Sic dico iumẽtum esse à iutum, non à juuo, mobilis à motum, non à moueo, notatio à noto, non à nota, numen à nutu, non à nuo, fomentum à fotu, non à foueo, acumẽ ab acutum, non ab acuo, inuolucrum & inuolucre ab inuolutum, vt nomen à notum, momen à motum. Viuidus proxime deriuatur à viuus, non à viuo, sicut vuidus est ab vua, euanidus est ab euaneo. Albidus siue ab albeo siue ab albus deduxeris, parum inter est. Sic pallidus à pallor, vel palleo: At luridus, morbidus, & vapidus non possunt existere aliunde, quã à luror, morbus & vapor. Crebresco est à crebreo, non à creber Rubeso à rubeo non à ruber, siticulosus est à sitis, non à sitio. Valdius, (quod ponitur pro vehementer) siue à valde siue à valide deriues, mihi perinde est. Nutrix est à nutritor, pro nutritrix, quod in vsu non est.

Verũ obijci potest, vt pallesco à pallore, puteo à putore, feteo à fetore, candeo, à candore, calco à calore est. Sic rubesco, vnde fit erubesco non à rubeo, sed à rubore formantur. Respondet Manutius, argumentum componi è dissimilibus: Nam illa puteo à putore, feteo à fetore, candeo à candore similia sunt & recte dicuntur: At pallesco à pallore non eodem modo recte dicitur. Fit enim pallesco à palleo, palles, & palleo à pallore, itidemq; rubesco à rubeo, rubes, & rubeo à rubore. Hæc proxima origo est.

XI.

Nimium longe quæsita deriuatio improbabilis est ideoq; reijcienda. Vt lepus quasi leuipes. Nam si à Græco λεπὸς esset, lepodis, si à latino pes, lepedis esset genitiuus, ἡ hæres, vt scribunt, deriuant multi ab hæreo, quod bonis hæreat, sed scribẽdum est heres, quia est à voce herus, pro herede n. se gerere est pro domino se gerere, & veteribus heredes erant ijdem qui domini, vt testatur Iustinianus Imperator. Neq; vero quicquam obstat, quod herus habet primam breuem, cum etiam alia à primis breuibus deducta producantur.

XII.

Diuersa scriptura deriuationem variat. Qui Sylua scribunt deducũt à Græco ὕλη Spiritus enim asper à latinis nonnunquam in s mutatur, vt sus ab ὗς:

Qui ſcribũt ſilua, iis à ſileo eſt: ſic poeta, lucosq; ſilẽtes. Sed Scaliger ridiculã hanc deductionẽ putat, quod nuſquã minus quã in ſiluis ſilẽtiũ ei eſſe videatur, cũ minima aura maximi ſtrepitus excitentur 3. Poet. c. 100. Qui lacrimæ ſcribunt, volunt lacrimas dictas à lacerãdo quaſi lacerimas, q̃ oriantur ex animi laceratione, Qui vero lacrymę deducunt à græco δάκρυον, d. in l. mutato. His ego συμφωνίω & aſſentior, præſertim cum inueniam veteres dixiſſe dacrymas ſeruato D.D.a. nonnunquã mutari in L argumento eſt, quod græcum ὀδυσσεὺς latine efferunt Vlyſſes, & quod Latini pro ſedela vel ſedla dicunt ſella. Itaque iudico nimis longe petitam arceſſitamue eſſe deriuationem lacrim, à lacerando, proindeq; repudiandam.

De Bombarda quæ Gallica vox eſt conijcit Nicolaus Beraldus (in interpretatione Angeli Politiani ſylua, cuius ἐπιγραφὴ ruſticus) eam ductã eſſe à Bombo & ardeo: ſunt qui Boardã vocent à boatu, vt videre eſt in carmine Iohannis Mariæ Catanei, quo graphice deſcribitur.

Quid non audebunt mortalia pectora quando
Fulmina terribiles tonitrus imitantur, & ignes.
Namque reperta fero muralis machina bello
Seu Meroe ſolers fortis ſeu Rheticus omnes
Ingenii vires effudit, cum tonat, ignem
Fulmineum montis ſpeculatus vertice ab alto
Excuſſit trunco teretem, medioque cauatam
Magna parte ſui, totamque ex ære coactam
Sphæraque de ferro penitus caua viſcera complet,
Siue ſuper curru vehitur, ſeu celſa tuetur
Caſtra loco, infuſo nitrato puluere rimam
Pertennem ſonitus exurgit, mox impetu vaſto
Excutitur magno ſonitu, magnoque tremore
Ferrea maſſa volans, non dura repagula contra
Non ſolidæ turres, nec mœnia lata nec agger
Ferre valet, quocunque ruit, concuſſa ſcindit
Oppida, proſternitque ſolo tabulata, trabesque,
Cardinibusque fores firmis, pontesque reſoluit
Vno etiam totas deiecit vulnere pugnas,
Multiplici conſuta modo lorica, nec enſis,
Lancea, nec clypeus, nec thorax pro fuit æneus,
Omnia conuolsit, pedites, equitesque, ſirosque.
Membraque corporibus diuulſa per aera iactat,
Deſuetus bello eſt aries, baliſta molares
Effundens, tremebundo extincta Phalarica fumo,
Abſtulit hæc tormenta noua virtute bombarda,
Siue placet bombarda magis, quod dicta boatu,
Seu bombo procul exiſtens mortalia corda
Territat horrendo ſtrepitu, longoque fragore.
Non ſatis illud erat, quod vibrat ab æthere telum
Iupiter? excindi ſimili niſi lampade terras?
Tanquam nulla forent noſtræ compendia vitæ.

XIII.

Vera ſcriptura deriuati fontẽ ſæpe monſtrat. Vt, ſcribatur inſitias, & fons huius

ius vocis habebitur, infiteor id est diffiteor. Cogita hic de vocabulo conuicium, conuitium.

XIV.

Vnius vocis pro diuersa eius significatione duplex origo esse potest: Vt, inuolo est à volo, as, are, pro einfliegen/intro volare: & à vola manus vel pedis cauo pro volam inijcere, vt inuolare alicui in capillum. Inuolucre pro non volucre à volo as, inuolucre ab inuolutum.

XV.

Origo interdum est dubia & anceps, dubites, vtrum itero sit ab iterum, an ab iter, an rapa sit à rapio, an à Græco ῥάφυ. vel ῥάπυς, quæ vox napi quoddam genus significat rapis similimũ Sitibũdus est ne à sititum, an à nomine sitis, prius mihi probatur quia reliqua huius terminationis omnia sunt à verbis. Sepimentum est ne à sepitum, an à sepes, prius placet, itaque pi producendum. Dubium alicui esse possit, sitne mors à morior, an contra, cernuus à cernuo, as, potius quam à cerno. Grassor forte est à gressum, verbi gradior, frequentatiuum. Lanio a. esse à nomine lanius, non contra, mihi pro certo & probato est. Dubitant nonnulli, sitne anceps à capio, quod ab vtraq; parte caput habeat. Sed mihi dubium non est, esse ab Am & caput, quia genitiuus est ancipitis. Auceps & princeps sunt à capio, quia genitiui sunt aucupis, principis. Dubiũ, an nemo sit à ne & homo, & si de solis hominib. dicatur cum dicatur nemo hominum, hominem neminem, & nemo homo, nemo vir (pro nullus, οὐδεὶς homo) nec dicatur nemines: fragor aliis est à frango: mihi est à frageo antiquo, vnde & fragilis. Lumen ambiguum, ortumne sit à lumen, an à luo. Scaliger lumen dictum vult quasi lucimen, per Syncopen, alij arcessunt eius originẽ à supino lutum verbi luo, quod lumine omnia abluantur, id est purgentur à tenebris. Hic elige, vtri dicas, tu mihi sponsa places: Cuique enim sponsam suam, mihi meam. Nefarius potest deriuari à ne & farre, quod indignum sit pastu farris, vel quod sacra polluat pio farre solita celebrari, vel à fari, quod nefarium sit ita sceleratum & perditum, vt nefari, id est nominare quidem debeamus. Vnde etiam nefas & nefandus originem trahunt.

XVI.

Rebus ἀνωνύμοις (quæ nondum habent nomina) sæpe à verbis imponuntur nomina. Hic igitur nomina sunt à verbis deducta. Sic radula est à rado, ein Baß schabe oder reibe. Traha genus vehiculi sine rotis, ein Schlitte/ à traho: veheste in Wagefahrt à veho. Verba hic fuerunt priora (εὑρέσει, inuentione) nominibus. Huc refero etiam arx ab arceo, vadum à vado.

XVII.

Nomina à supinis descendunt, non contra, vt: Septum à septum supino, strages à stratum, intertrigo ab intertritum, detrimentum à detritum, armatura ab armatum, à clausula clausum, consuetudo à consuetum, claustrum à clausum, conflatile à conflatum, flabrum à flatu.

XVIII.

Substantiua nomina in TAS & TIA sunt ab adiectiuis: Sanctitas, iustitia, inscitia à sancti, iusti, inscити. At satias & satietas à satio.

XIX.

Nomina in Orium & Oria deriuantur à nominibus vel verbis, vt interro-

terrogatorium, monitorium, censorium (ab interrogator, monitor, censor) memoria à memor, deribitorium à deribitor, (quæ vox est à diribeo) territorium (à terra) tectorium, tentoriũ.

XX.

Nomina in monium monia deriuantur à nominibus vel verbis, vt, testimonium, patrimoniũ, matrimonium, sanctimonia, castimonia, ægrimonia, (à casti, ægri) parsimonia, alimonia, querimonia, à parsum, alis vel alitum, quereris. Vadimonium est à vadis nomine, acumen ab acri.

XXI.

In Mendũ quædam sunt primitiua, quædam deriuata à nomine, vel verbo. Lamentum est primitiuum vnde lamentor, ramentum est à ramus, pulmentum, à puls, sacramentum à sacratum, instrumentũ ab instruis quasi instrumentum, vel à supino instrutum vltima syllaba abiecta, & adiecta mẽtum, frumentum quasi fruimentum à fruitum, experimentum ab experitum, pro quo nunc expertum, rudigentum à ruditum, documentum, monumentum, nocumentum, alimentum, emolumentum, ab alis, emolis, noces, mones, doces.

XXII.

In culum cula sunt à verbis vel nominibus: piaculum, vehiculum, verriculum perpendiculum, à piacum, vehis, verris, perpendis, periculum fortasse est à peris vel perire. Relinquo hoc in dubio. Obstaculum ab obstatum. Ridiculum à rideo. Retinacula ab inusitato retinax, reticulum à rete, Neculla à nubes. At quædam sunt primitiua, vt maçula, baculus.

XXIII.

In idus, vt prouidus, inuidus, liuidus, timidus, timidus, madidus, humidus, candidus, aridus, pauidus, squalidus, validus, feruidus, frigidus lepidus, splendidus, fracidus, & similia nomina, sunt à verbis 2. in Bo prouideo, inuideo, liueo, tumeo, timeo, madeo, humeo, candeo, arco, paueo, squaleo, frigeo, fraceo, &c.

XXIV.

Rara sunt composita, quorum vna pars latina, altera à Græca voce deducitur, vt epitogium ab ἐπὶ & toga, prologus à præpositione pro & Græco λόγος teste Scaligero. Induo Græcis est ἐνδύω. Videtur igitur ortum esse ab in ἐνδύω. Festo inchoo latino & δύω Græco. Festo inchoo est ab ἐν in & χάος, Chaos (initium rerum.)

XXV.

Parium eadem est ratio. Itaq; de paribus hic idem iudicium, eadem sententia. Vt à nuncius est nuncio: ergo & à saucius est saucio contra Priscianum, lib. 4. Ab æquus & obliquus sunt æquo & obliquo: ergo etiam à probus & orbus sunt probo & orbo.

A ministeer est ministro, ergo à magister est magistro.

A velum est velo, ab otium otior, ergo etiam à regnum est regno, à stagnum stagno. Ab honor est honoro, ergo à labor laboro.

Hic cauendum, ne accipiamus imparia pro paribus. Non enim sequitur probo est à probus, ergo luceo est à lucus. Nuncio est à nuncius, ergo scio est à scius, quo vtitur Apuleius, vnde nescius & inscius.

XXVI.

Cum dialectica deriuatione grammatica non est confundenda, & vicissim Grámatica deriuatione iustitia est à iusti, humanitas ab humani; at dialectica denominatione iustus est à iustitia & huma-

& humanus ab humanitate. Iurisconsultis ius descendit à iustitia rem ipsam spectantibus: nõ autem Grammaticis, qui verborum rationem spectant.

DESCENSVS.

Descensio in Phys. motus est corporis à loco superiore ad inferiorem.

In Sphæra Descensus signorum est portio Æquatoris, quæ vna cum signis sub Horizontem demergitur; Ascensus contra ea Æquatoris pars, quæ vna cum ipsis signis oritur. Quæ si triginta gradibus maior exstiterit, rectus: si minor, obliquus ascensus descensusq; vocatur. Eodem sensu dicitur occasus signorum, cui oppon. ortus signorum. Ac recte oriri signum dicitur, cũ quo Æquatoris maior quam triginta graduum portio ascendit. Contra oriri signum oblique dicitur, cum quo minus quam triginta gradus Æquatoris ascendunt. Ea oriuntur recte, in quorum ascensione plus quam duæ horæ insumuntur: Oblique, quæ minoris temporis spatio supra horizontem ascendunt. Nam de Æquatore singulis horis 15. gradibus oriuntur supra Finitorem, vt 24. horis totus ascendat.

In Chymia Descensio accipitur dupliciter. 1. cum partes subtiliores descendunt, vt descensio frigida est cũ liquor dissolutus in frigido descendit. Estq; Deliquium vel Filtratio. Vide F.

2. Cum res (vt metallum) fit minor, id est, minoris dignitatis, quam fuit ante (vt cum Sol fit Mercurius.)

DESTILLARE, DISTILLARE.

Destillare est guttatim defluere. Distillare est paulatim stillare. Virgil. 3. Georg. *Lentum distillat ab inguine virus Hippomanes.* Sententia est, virus distillans seu distillatum ab inguine furiosarũ equarum, quæ conceperunt, dictum est vere ab insania equina Hippomanes. Eo nouercæ, quæ maleficæ sunt, vtuntur, vt vna cum herbis verbisq; incantatoriis mortales dementent. Vide Arist. l. 6. hist. animal. c. 18.

Tibul. l. 2. Eleg. 4. *Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.* Varro tamen, Plinius & Columella verum hic partum agnoscunt, & pullum natum, non tantum virus: & aiunt pullos hosce triennio tantum viuere. Silius tribuit eis longissimam ætatem septem annos. Albert. Mag. de mutatione tract. 2. c. 2. Semen per corporis spongiositatem distillatur, & ex testiculis attrahitur.

Chymicis destillatio est eleuatio partium humidarum subtiliorum, in qua frigidis alembici cameris illæ adhærentes condensantur in humorem, ac per eiusdem canalem guttatim in oppositum vas defluunt. Distillare est exprimere: Distillatum est expressum. Destillatio est electatio, qua essentia extrahitur forma liquoris, & coagulata defertur per stillicidium, translata à vase materiæ in excipulum deorsum locatum. E Lex. Roland.

Destillatio per ascensum est cum antequã extractum destillet, sublimatur specie aeria. Per descensum fit sine eleuatione, per inclinationem, est quæ fit per receptaculum seu vase continente materiam in latus inclinato topho deorsum vergente.

Huc pertinet destillatio per retortam, id est, per vas globosum, cuius collum paulatim à ventre procedit, ac sensim in oblongum canalem reflexum transit.

DESTINATIO.

Destinatio pro intentione apud Physicos & Politicos reperitur.

Fortuna est causa per accidens eorum,

quæ fiunt alicuius gratia in iis, quæ agunt ex proposito seu consulto, seu ex intellectus quadam destinatione, quam Græci προαίρεσιν vocant, & Aristoteles hanc vocem exponens ὄρεξιν διανοητικὴν.

Destinatio seu Intentio
- 1. Intellectus, / Naturę (inclinationis naturalis.
- 2. Primaria. / Secundaria.

Destinatio Intellectus ad finem & intentio Intellectus: Destinatio naturæ ad finem, & intentio naturæ sunt synonyma. Sed priora sunt elegantiora.

Error
- Destinatus aliquo modo, hoc est, habens causam per se antegredientem.
- Fortuitus. Imo effectus quoque in Destinatum & Fortuitum distinguitur.

Vsus.

Figulus instituit facere amphoram, & currente rota exit vrceus, inquit Horatius; vel quia cogitationes turbatæ sunt, vel aliquis adstans impulit manus: Hic error si referatur ad artē, fortuitus est: si ad cogitationum turbationem aut impulsionem illam, est aliquo modo destinatus.

Destinatio pro θέσει, seu positione, assignatione, seu constitutione & arbitrio opponitur τῇ φύσει.

Quæritur à Philosopho nomina θέσει, an φύσει constent? Iureconsul. Pomponius idem sic quæreret: Destinatione nostra an natura constent seu constituta sint? Nam L. quod in rerū p. 2. de leg. 1. ait, Nostra destinatione fundorū nomina & domus, non natura constitui.

DESTINATVM.

Destinatum aliter ab Oratoribus & Politicis: aliter à Logicis accipitur. Ab illis pro designato, constituto, vt Despondsam iam & destinatam laudem alicui præripere. Alter præsto fuit ad horam mortis destinatam, id est, decretam. Qui certis quibusdam destinatisq; sententiis quasi addicti & consecrati sunt: quæ omnia sunt apud Cicero-nem. Sic alii: Destinata malitia agere quippiam.

A Logicis vero Destinatum dicitur, quod ad Finem ordinatur vel spectat: Quod & dicitur Finitum, quia Fine determinatur, vel vi finis fit. Græcis Destinata sunt τὰ πρὸς τὸ τέλος, id est, ea quæ ad finem ferunt & deducunt.

De iis regula: τὰ πρὸς τὸ τέλος ὁμογενῆ, Arist. id est, ea, quæ ad finē spectant, cognata sunt naturæ finis, seu cognatione respondent naturæ finis: Id est: Si finis est optimus, etiam ea, quæ spectant ad finem, sunt optima. Vt finis is, quem sibi proponit DEVS, est optimus. Ita etiam ea, quibus adhibitis ad finem contendit Deus optimum, optima esse necesse est. Exempli causa, in Pharaonis negotio etiam antequam Pharao natus esset, consilium DEI fuit, ostendere in Pharaone potentiam suā, vt annuntiaretur nomen ipsius in tota terra. Omnis autē προαίρεσις est ipsius finis (Aristoteles) Et finis, nempe DEI gloria, est optimus. Itaq; τὰ πρὸς τὸ τέλος, id est, induratio, quam adhibet DEVS, vt perueniat ad finem illum, ratione DEI est optima. Contra si finis malus est, vt impiorum, mala etiam sunt

τὰ πρὸς

τὰ πρὸς τὸ τέλος. Pharaonis consilium est malum, quippe est προαίρεσις mali finis. Sic etiam Calliditas, quam Pharao adhibet in iis, quæ spectant ad finem, est mala, neque prudentia dici potest, cum prudentia sit bona & laudabilis, ac proinde τὰ πρὸς τὸ τέλος, id est, destinata, seu quæ adhibet Pharao vt ad optatum finem perueniat, sunt mala, quippe germana & cognata fini illi, quem Pharao per suam improbitatem seu κακίαν sibi proposuit.

Obiiciat hic forte aliquis : Malum non posse esse Finem..

Resp. concedo, si limites ita: *Malum non potest esse finis extremus.*

Fractio Panis In Cœna Sacra habet rationem Destinati, id est, Christus fractionem Panis destinauit ad mortem suã repræsentandam.

DETERMINATIO, προσδιορισμὸς, LIMITATIO.

Determinatio alia est διακριτικὴ, id est, Discriminans vel distinguens, vox adiecta parti Enuntiati διακρίσεως ἕνεκα, discretionis, hoc est, discriminis vel distinctionis causa. Roma non fuit sedes Imperii, nempe Orientalis. Hic est Christianus κατὰ τὸ λέγεσθαι, non κατὰ τὸ εἶναι. *Diminuens* μειωτικὴ vox adiecta alicui parti, vt ostendat accipiendam secundum quid seu diminute, vt Homo mortuus nihil sentit. Logica est ἀπὸ μέρους λόγων. Panis Eucharistiæ est corpus Domini Sacramentale, hoc est, est corpus Domini non Substantia seu essentia (Augustinus vocat ipsam rei veritatem) sed significante mysterio. Itaque hoc modo in Pane editur ore.

Determinatio Alienans seu Distrahens est Epitheton, quod prorsus euertit propriam vocis significationem, vt Hoc est Argentum falsum, Canis pictus nõ mordet.

Determinatio Emphatica, vox significans emphasin vel excellentiam, Ego sum pastor ille bonus, qui animam ponit pro ouibus suis. Hic est Flius ille meus dilectus, &c. *Quæ simul est* διακριτικὴ seu *Discriminans.*

Determinatio Restringens, vt cum ad descriptionem Philosophiæ, Rerum humanarum & diuinarum scientia, adiicitur; Quoad humanæ mentis angustiæ capiant.

Ad Determinationes pertinent *Cautelæ* Iurisconsultorum, cum monent aliquid dici vel verum esse, vel definitũ esse cum cautela hac vel illa, cum cautelis seu cautionibus his vel illis, quæ fere sunt exceptiuæ.

Restrictionis sæpe Crypsis est, quæ Doctori interpreti est addenda. Sic Aristot. in Phys. l. 3. Quot Entis species, tot species motus. Verum sic loquens Philosophus non significat omne Ens absolute, non.n. in omnibus generibus Entis est motus, sed sumit eum restrictum ad illud, in quo est motus, vt sententia sit, Tot sunt species (id est, quasi species) motus, quot sunt Entis, in quo est motus.

Determinationes Distrahentes, διασπαστικαὶ, διελκτικαί.

Determinationes distrahẽtes sunt adiecta, quæ terminum distrahunt à natiua seu sua significatione, *vel extendunt eam extra propriam significationem.* Itaque faciunt modos loquendi improprios. Tales sunt respectu Hominis mortuus, combustus, corruptus, generãdus, producẽdus: & respectu τοῦ Esse, in potentia, potentialiter; obiectiuum, obiectiue. E Gabr. Biel. hoc declaratur sic : Idem sũt esse & actu aliter esse. Et dicitur Esse quicquid habet aliquam realitatem extra suam causam & intellectum : vel magis proprie loquendo, Esse est Realitas extra suam causam & in-

Quid Determinatio Distrahens.

Esse quid?

tellectum. Dicitur extra ſuam cauſam, propter eſſe in potentia, ſeu eſſe potentiale : Extra intellectum dicitur propter Eſſe obiectiuũ, id eſt, quod obiicitur intellectui, non quod eſſe in potentia vel eſſe obiectiuum ſit eſſe ſimpliciter loquendo. Nã quod eſt in potentia tantũ, ſimpliciter non eſt, ſed poteſt eſſe; & quod eſt obiectiue tantum, ſimpliciter non eſt, ſed cognoſcitur. Vnde Antichriſtus eſt in potentia tantum, quia poteſt eſſe, & eſt obiectiue, quia poteſt cognoſci ſeu intelligi (eſt νοητόν τι) & tamen falſum eſt dicere, quod nunc ſit Antichriſtus. *Nihil enim eſt ante ſui productionem: & nihil eſt poſt ſui corruptionem*, cum generatio & productio ſit progreſſio rei de non eſſe ad eſſe, & corruptio ſeu interitus ſit progreſſio rei de eſſe ad non eſſe. Sed additum eſt propter modum loquendi quorundam improprium ſeu ἄκυρον, quo dicunt Effectum eſſe in ſuæ cauſæ potentia virtualiter, & obiectum intelligibile eſſe in intellectu obiectiue. l. 3. diſt. 6. q. 2.

Quid eſſe obiectiuũ?

Axioma.

Quid Ortus, quid Interitus?

Dicitur Virgo corrupta eſt puella, quæ Virginitatem exſuit, quippe conſtuprata. Cum ephœbum deuirginatum eſſe dicimus, volumus ſignificare eum ex ephœbis exceſſiſſe. Georg. Symler. in Ioh. Reuchlini Porthenſis L.L. Doctoris SERGII commentario. Hic igitur Corrupta & deuirginatus ſunt ὄροι diſtrahentes, cum deſtructionem ſignificent. Virgo vero & Ephœbus ſunt termini poſitiuum aliquid ſignificantes ſeu affirmatum. Huc pertinet hæc propoſitio impropria: Acetum vinum corruptum eſt, id eſt, acerum generatum quid eſt ex vino per huius corruptionem. Corruptũ alienat Terimnũ Vini. Chriſtus non eſt Panis ſimpliciter, ſed cum addito ſignificationem eleuante, nempe Panis vitę, qui de Cœlo deſcendit. Ioh. 6.

Comœdiã ſuam ita inſcripſit. Fuit autem Sergius Hareſiarcha, qui hareſin acephalorum inſtauranit.

DETERMINATIO
AD VNVM.

Eſt Limitatio ſeu reſtrictio vel addictio ad vnum vt ad particulare vel ſingulare. Indeterminatio ad vnum eſt negatio limitationis ad vnum ſingulare vel particulare. Al. Illimitatio.

Hæc conuenit vnitati præciſionis & aptitudini ad eſſendũ in multis, ideoq; *Rei vniuerſali.* Vid. Coll. Conimb. in præf. Porphyr. q. 3. art. 3. Vniuerſalia dicuntur Indeterminata ſeu Illimitata, quatenus indifferenter ſe habent ad quemuis locum & tempus, ſeu indifferentia ſunt ad multa loca, Id eſt, non ſunt definita per ſe certo loco & tempore, vt ſingularia.

Determinatio ſeu Specificatio, vt loquũtur Scholaſtici, in Politica doctrina eſt applicatio quædam & accommodatio, vt ius poſitiuum determinat & applicat leges naturales ad humana negotia.

Determinatio & Exercitium à Scholaſticis ſæpe antithetice adhibentur, vt actus exercitium & actus determinatio. Sic enim loquuntur. Intellectus, vt potentia rationalis, non naturalis, poteſt ſeu valet ad oppoſitum quod attinet ad exercitium actus, quia poteſt conſiderare vel non conſiderare, & vt generatim dicam, agere & non agere, quod non poteſt lapis, is enim non poteſt non deſcendere, ſeu ferri ſurſum, ceſſante impedimento. Poteſt etiam Intellectus ad oppoſitum quod attinet ad actus determinationem, quia poteſt conſiderare nigredinem vel albedinem, quæ ſunt oppoſita cõtraria ſeu aduerſa, ſed lapis non poteſt moueri ſurſum vel deorſum.

DETERMINARE.

Eſt attemperare, modificare ſpeciem rei. Frigus ita concurrit ad actiones vitæ, vt calorem modificet, id eſt, eius vim

ius vim attemperet. Illud dicitur Determinare aliud, quod est alterius forma vel quasi forma. Differentia determinat genus (At Genus non determinat speciem , sed continetur essentialiter in specie, vt Animal in homine) & accidens subiectum.

Determinare est limitare, modificare. Actus sunt Generales, καθόλε, vel Determinati: ac hi determinationes actuum (intellige generaliũ) dicuntur à Scholasticis & Schegkio, quæ fiunt ab aliqua causa , vt Actus seu propria actio voluntatis est Velle, Nolle. Sed hæc actio determinatur causa antecedente habitu vel obiecto , quæ inclinant aut mouent voluntatem vel ad Bonum, vel ad Malum.

Canon.

Indeterminatum enim agens, nisi determinetur ab aliquo, non est ἐνεργητικὸν (nullam habet vim ad agendum) non est actuosum : quemadmodum nec patiens ad patiendum.

Voluntas καθόλε causa est τ ἐνεργείας, seu actionis, sed Determinans est causa mouens κυρίως seu efficaciter impellens ad agendum bene vel male , quæ determinationes sunt.

Determinate veram esse Enuntiationem, nihil aliud est quam Propositionem, cum est vera, ita esse veram , vt impossibile sit (vel simpliciter , vel ex hypothesi) esse falsam: Contra Determinate esse falsam ita esse falsam, vt non possit esse vera.

Determinare est appropriare: Sic accipitur in hoc Canone Philosophico: cum aliquid determinat sibi vnum oppositum , alterum oppositorum non potest ipsi inesse nec per se , nec per accidens. Vt si ignis tantum calidus est, nec per se nec per accidens potest esse frigidus. Si saxum est graue , non est capax leuitatis. Vid. lib. 4. Dist. 49.

Determinare & definire interdum sunt decidere, decernere, vel concludere distincte. Sic dico, Hæc Historice, non Definitiue disputaui.

Determinare de natura rei , de principio alicuius rei , & determinare principium rei , naturam rei , sicut dicitur explicare rem & de re , Albert. Magn. in Dion.

Accipi Determinate opponitur τῷ Accipi Confuse.

Definitum , determinatum est , ὡρισμένον Græce.

Indeterminate seu indefinite à Marsil. Ficin. in l. de diuin. nomin. opponit τῷ Distincte. Habet Deus in se omnia simpliciter inquam atque vnite: Quoniam quæ in rebus formæ sunt multæ, in Deo Forma sunt vna , Sicut Lux, calor , siccitas , leuitas in igne quidem qualitates multæ sunt , sed in Cœlo vna sunt qualitas , lumen vnum. Dixi Indefinite, quoniam vita, sapientia, iustitia, cæteræque virtutes , quæ in anima atque mente inter se formaliter distinctæ sunt , speciebusque propriis definitæ , in Deo sunt vna virtus absoluta , prorsus ipse Deus immensus: Quemadmodum innumerabiles radii inter se discreti è Solis globo prosiliunt , in conum passim terminati , Sed in ipso Sole sunt Lux vnica Solis, nondum discreta conis , sed orbem sibi retinens naturalem.

DETRACTIO.

Detractio Physica est diminutio seu deminutio, qualis est in ἀπροφίᾳ.

Litteraria est Litteræ vel Syllabæ.

Ethica est auarorum, qui aliena commoda ad se rapiunt ; vel ambitiosorum & superborum ; itemque mendacium & reprehensorum.

Differt ab obtrectatione. Obtrectatio malis alienis addit, & ad vitium reprehendendi in excessu referri potest:

Detractio bonis alienis detrahit,& ad vitium in Defectu pertinet. Vtraque autem sub Calumnia tanquam sub Genere comprehendi potest. Calumnia autem Græcis est species conuitii, falsum nimirum conuitium. Omne enim conuitium est verum vel falsum. De 4. Generibus Conuitiorum vide in Littera G. Genus.

DETRECTATIO.

Detrectatio figura nonnullis est loquendi,cum ademptum curamus nobis aliquid incommodi aut inhonesti, aut inutile; vt,

Ne mihi tum libeat sub dio carpere somnos.

Vid.Scal.lib.3,Poet.c.61.vbi nota non dici Latine Aliquid inutilis.

DEVS.

Quicquid in Deo est,vel de Deo dicitur, aut est Essentia,aut est Notio, aut Persona. Essentia vna est communis personis, alias Natura dicitur. Hæc non potest cognosci positiue, nisi per effectum suorum operum, quamuis priuatiue & per negationem multiformiter in scripturis deriuetur & denominetur.

Notiones sunt quinque Paternitas, Innascibilitas, Innatio, Processio,communis spiratio. Notiones dicuntur, quia notificant personas, dicuntur & distinctiones, seu Characteres distinctiui,quia personas distinguunt.

Dicuntur & Relationes, quia per ipsas personæ ad se inuicem referuntur. Dicuntur etiam proprietates, quia personis proprie insunt. Ex quinque istis notionibus tres dicuntur Personales proprietates, eo quod Personas faciant, scilicet Paternitas, Filiatio, Processio. Innascibilitas, Paternitas, & communis spiratio sunt Patris, Filiatio, & communis spiratio sunt Filii, Processio est Spiritus Sancti.

Canon.

Nulla notio de alia prædicatur.

Nulla notio inest Diuinæ Essentiæ, sed tantum personæ, quia essentia nec distinguit, sed distinguitur, sed solæ Personæ à se inuicem distinguuntur.

Personæ tres sunt. Pater à nullo: Filius à Patre, Spiritus S. à Patre per Filium.

Omne igitur nomen dictum de Deo aut declarat Essentiam, aut notionem, aut Personam. Quæ significant Essentiam, dicuntur Essentialia: Quæ Personas Personalia: Quæ notiones, notionalia.

Nomen essentiale prædicatur in Quod. Personale prædicatur in Quem. Notionale prædicatur in Quam.

Nomen essentiale aut est substantiuum, aut adiectiuum. Si substantiuum aut est abstractum, aut concretum, aut medium. Abstracta absolute diuinam essentiam significant, vt diuinitas, essentia, bonitas. Hæc sumpta cum præpositionibus, verbis, Nominibus, participiis personalibus vel notionalibus faciunt propositiones falsas, in quibus ponuntur. Quare hæc est falsa: Essentia generat vel generatur. Essentia est de Essentia: Vel Essentia est apud Essentiam.

Omne nomen pure Essentiale prædicatur de qualibet Persona per se, & de omnibus simul singulariter (non numero plurali) vt Pater est Diuinitas, Filius est Deitas, & Spiritus S. est Deitas, & simul sunt vna Diuinitas, & non Deitates.

Nomina concreta sunt, quæ ad modum concretorum significant formas in supposito, vel significant quasi formam in subiecto, vt Deus creator, quæ generaliter significant diuinam essen-

essentiam, sed interdum etiam appropriantur Personæ.

Nomina media dicuntur, quæ habent materiam & formam ad significationem abstractorum, sed vsum ac officium concretorum, vt lumen, sapientia. Hæc enim licet abstractiua sint, aliquando supponunt pro personis, vt cum dicitur, lumen de lumine, sapientia de sapientia, principium de principio. Hæc nomina abstracta prædicantur de qualibet persona per se & de omnibus simul non pluraliter, sed singulariter.

Nominum adiectiuorum alia significant pure diuinam essentiam, hoc est ita, vt nihil connotent, vt Ens, bonus; alia connotant aliquid positiue, alia aliquid negatiue, vt æternus, immensus, immortalis, æternus enim principaliter significat diuinam essentiam & secundario connotat negationem principii & finis, itaque cum dicitur æternus, sensus seu sententia est, Deus est nec habet principium & finem. Immensus significat principaliter diuinam essentiam & connotat negationem mensuræ localis.

Hæc nomina prædicantur de omnibus personis simul & diuisim singulariter non pluraliter, vt Pater est æternus incircumscriptus, Filius æternus incircumscriptus: Spiritus sanctus æternus est incircumscriptus; & hi tres sunt vnus æternus, vnus incircumscriptus.

Adiectiuorum, quæ aliquid connotant positiue quædam connotant effectum in creaturam, quædam respectum. Eorum quæ connotant effectum, quædam connotant in ἕξει, id est, habitu, vt iustus, misericors; quædam in ἐνεργείᾳ, id est, actu, vt iustificans, miserator.

Quæ connotant effectum, in actu prædicantur de Deo ex tempore: Vnde Deus incepit esse miserator cum incepit misereri. Sed ea, quæ connotant in habitu, prædicantur de Deo ab æterno, vt Deus ab æterno fuit iustus, & misericors.

Nominum, quæ connotant respectum, quædam connotant respectum creatoris ad creaturas, vt Deus est refugium meum: quædam connotant respectum Personæ ad Personam, vt similis, æqualis. Similis enim principaliter significat diuinam essentiam. Secundario vero connotat distinctionem personalem.

Talia nomina licet essentiam significent, tamen ratione connotati prædicantur de personis simul sumptis pluraliter & non singulariter: vnde non dicitur, Pater & Filius sunt similis, vel pater & filius est similis, sed dicitur, sunt similes.

Adiectiuorum etiam nominum quædam sunt partitiua, vt aliquis, alius: quædam vero sunt numeralia, vt vnus, duo, tres. Hæc in neutro genere Substantiua significant diuinam essentiam, & prædicantur de personis omnibus singulariter & non pluraliter, Vt pater & Filius sunt vnum: In genere masculino & Fœminino sunt Personalia: Vnde hæc est vera: Pater & Filius sunt duo, si duo sit Generis masculini, sed si sit generis neutrius, falsa est.

Huiusmodi autem nomina adiectiue retenta sequuntur naturam Substantiuorum suorum, vnde si substantiua sunt Essentialia & ipsa adiectiua similiter.

Et si sint personalia, similiter & ipsa adiectiua. Vnde hæc est falsa: Pater & Filius sunt vnus, sed hæc est vera: sunt vnus Deus.

Nominum Personalium quidam prædicantur de vna Persona tantum, vt Pater, Filius, Spiritus sanctus. Quædã de dua-

duabus, vel ita, vt de vtraque, vt Principium. Nam Pater est principium Spiritus S. & Filius est principium Spiritus S. Vnde cum dicitur Pater & Filius sunt principium Spiritus sancti, principium supponit pro duabus Personis, sed significat vnam notionem, scilicet conspirationem, id est, communem spirationem : vel ita, vt de neutra per se ; vt Pater & Filius sunt duo; ita vt hic duo sit masculini generis, & non neutrius. Quædam prædicantur de tribus, ita vt de nulla per se, vt Trinitas. Trinitas enim appellata est teste Isidoro lib. 6. Etymol. Ex eo appellata est, quod fiat totum vnum ex tribus quasi fiat trium vnitas, Pater ergo & Filius & Spiritus S. sunt Trinitas & vnitas, Trinitas propter personarum distinctas proprietates: vnitas propter maiestatis communionem. Quædam denique nomina prædicantur de singulis Personis, ita vt non de omnibus, vel pluribus singulariter, sed tantum pluraliter, vt ὑπόστασις seu persona, Pater enim & Filius & Spiritus S. sunt tres ὑποστάσεις seu Personæ, & non vna.

Nominum notionalium quædam sunt abstractiua vt Paternitas, Natiuitas, Spirabilitas, Processibilitas. Quædam concretiua & adiectiua, vt innascibilis, generans, nascens, spirans, conspirans, procedens.

Alia abstractiua prædicantur de Essentia, vt Essentia est Paternitas. Essentia est innascibilitas, & vicissim Paternitas est Essentia. Innascibilitas est Essentia. Contretiua vero nunquam de Essentia prædicantur : Falsæ enim hæ sunt, Essentia generat, Essentia generatur, Essentia est generans, Essentia est generata.

Nominum notionalium quædam prædicantur de vna Persona tantum, vt Generans de Patre, Genitus vel nascens de Filio, procedens de Spiritu S. Quædam de vtraque, vt Spirans de Patre & Filio. Quædam de qualibet vt distinctus. Pater enim est distinctus ab aliis personis. Similiter Filius & Spiritus S.

Proprietates diuinæ, quæ conueniunt diuinæ Essentiæ, habes collectas apud Iohannem Damasc. lib. 3. c. 7.

Nomina quæ notificant Deum in suis operibus, sunt vel appropriata, vel transsumpta & translata.

Appropriata, vt EL seu ἰσχυρὸς, Zebaoth, id est, princeps exercitiuum. Adonai, id est, Dominus, Iehoua, &c.

Nomina transsumpta à creaturis sunt pastor, medicus & digitus Dei. vid. Bart. Anglicum de genuinis rerum cœlestium & terrestrium & inferarum proprietatibus lib. 1.

DEXTRVM.

Proprie dextrum est, à quo incipit motus localis seu viget.

Dextrum vnicuiq; est, vnde principium est eius, qui secundum locum fit motus. Arist. 2. de Cœl.

Dextera enim parte omnia animalia suapte natura sunt efficaciora. Aristot. de part. animal. c. 4.

Dextrum autem initium esse motus, indicium est, quod qui pondus ferunt in sinistris ferunt, cum absolutũ sit ipsum mouens. Ideoque qui subsultim vno mouentur pede, facilius id in sinistro faciunt: Mouere enim natum est dextrum, moueri autem sinistrum. Arist. de animal. incessu c. 4.

Dexter pes præponitur, sinister postponitur. Ratio petitur è potentia.

2. Dextrum & sinistrum in cœlo accipiuntur secundum esse partium Cœli per comparationem cœli ad plagæ mundi situm, & ita quod est dextrum secundum esse, non potest esse sinistrum secundum esse, sed per comparationem ad plagam & mundi situm.

tum. Albert. Magn. 2. de cœl. tract. 1. cap. 5.

Dextrum in Cœlo est pars Orientalis: Occidentalis sinistrum. Simplic. 2. de Cœl.

Dextrum & sinistrum in Cœlo propter stabilitatem polorum determinatum est non secundum hanc vel illam regionem, sed per comparationem ad polos cœli. Itaque dextra aut est κατὰ πρᾶγμα, aut κατὰ λόγον.

Nunquam in animali pars dextra est sinistra, quia in animali sunt distinctæ virtutes, ex quibus ratio sinistri & dextri resultat seu consurgit. At dextrum potest esse sinistrum, vt eadem columna nunc dextra, nunc sinistra dicitur prout animal ex diuerso situ ei comparatur.

Dextera pars in homine facilius sanatur quam sinistra propter ampliorem exercitationem, hæc reddit illam sanitati opportuniorem, teste Alexand. Aphr. 2. Problem.

DICO.

Dicere generali significatione quid sit, notum est, vt dicere mendacium. Speciatim aliquando est affirmare, aliquãdo respondere vel pronunciare, aliquando eleganter & facunde dicere: Atque hoc est Rhetorum seu Oratorum. Iis genus dicendi aut sua sponte fusum est, aut arte laboratum.

Sponte sua fusum est, in quo verborum ordo est naturalis, itaque naturale dici potest; vt Deus resistit superbis, fortis perspicitur ex periculis.

Arte laboratum, quod negligit simplicem verborum ordinem, & situm est in commutatione verborum cum singulorum, tum coniunctorum, itaque mutatum seu τετραμμένον, hoc est versum dicitur, vt fortem & constantem virum ostendunt ipsa pericula. Trahit sua quemque voluptas.

Hoc multiplex & varium est.

Verborum tum Simplicium, tum Coniunctorum communia sunt, dilucidum, probabile, illustre, suaue, breue, longum: Vnde oratio talis dicitur & ex his ei dignitas conficitur.

Oratio dilucida seu clara comparata est ad intelligentiam, itaq; requirit verba vsitata & propria, plena, recte ordinata.

Opponitur ei obscura, quæ fit cum adhibentur verba ἄκυρα, à consuetudine loquendi remota, ab vsu abhorrentia, allegorica, hyperbata, perturbatoria ac confusiora, id est, cum verba confusa permixtaq; longius traiiciuntur (quales traiectiones etiam boni poetæ vitant) crebræ ellipses, περιττολογίαι & μακρολογίαι, id est, sermones longiores quam oporteat, periodi nimis protractæ aut conrractæ, barbara, peregrina, vt perla pro vnione, Auiso pro admoneo: exoleta, vt Gallulo, pro pubeo, Gallulasco pro pubesco, quod pubescentes vocem grandiorem instar galli gallinacei edant: Cum denique partes sententiarum non recte interpunctionibus sunt distinctæ.

Probabilis oratio comparata est ad fidem faciendam, talis fit cum non est nimis compta, cum authoritas & pondus est in verbis, cum sententiæ graues & δοξασταὶ adhibentur: plerunque autem ῥητορικὴ δύναμις circa ἐνδεχόμενον πιθανὸν versatur, vt Aristoteles in Rhetoricis loquitur.

Illustris ad motum accommodata est, qua res ita exprimitur, vt prope videri videatur. Hæc requirit verba ab ipsa actione & imitatione non abhorrẽtia, grauitate delecta, translata, epitheta, duplicata, cognominata (Græci vocant συνώνυμα, id est, quæ habent eandem significationem) quæ in amplificatione sæpe conglobãtur, vt Cic. pro Plancio: Quid mea spectas? quid me promissa repetis? quid meã fidẽ imploras?

Suauis seu iucunda minusque molesta spectat ad delectationem, consistitq; in elegantia & compositione.

Elegantia est in verborum singulorum delectu & phraseωs.

Deligenda sunt nunc grandiora vel plena, nunc grauiora, modo leniora, modo nitidiora obseruato decoro & natura rerum. Verba enim similia vel æqualia sunto Rebus, de quibus agitur: Grandia grandibus: Humilia humilibus: Grandia humilibus magnifica abiectis non sunt miscenda. Herculis infanti non fas aptare coturnos.

Vitiosa igitur Ταπείνωσις, qua rei magnitudo vel dignitas imminuitur, vt si quis parricidam vocet hominem nequam.

Consonantiora seu grandiora sunt: pertimescere consceleratissimus quam timere sceleratissimus & cruciare.

Sonantiora sunt: polluerat stupris sanctissimas religionis. Senatus grauissima decreta per fregerat: Charitas & pietas grauiora sunt, quam amor & beneuolentia, nefarius grauius est q̃ improbus.

Leniora sunt: Tu & Tullia lux nostra; Vos animæ meæ corcula mea, vos mea suauissima & optatissima Terẽtia & Tulliola (ca.

Reiicienda igitur κακόφατα, barbara, rusti-

In compositione seruanda sunt tum constructio Grammatica seu consecutio Syntactica & compositio periodica, tum concinnitas atque exornatio rhethorica in numeris & figuris.

Consecutio Syntactica seruat præcepta conuenientiæ & rectionis, cauet solœcismos qui fiunt è genere, numero, casibus, temporibus, personis, detractione, abiectione.

Solœcophane seu σολοικοφανῆ σχήματα, vt loquitur Eustatius, non respuit, id est, quę faciem solœcismi habent, at solœcismi tamen non sunt, vt helleniſmi, enallage, συλλήψεις (solœcismus vitium est ab ignorantia profectũ solœcophones est, q̃ poeta aut orator sciẽs prudẽs contra grammaticorũ leges commisit.)

Compositio seu verborum continuatio periodica sequitur, hæc iucunda est, si fiat non longo anfractu, si facile oculis perlustrari possit, (Arist.) sed ad spiritũ vocis apto, nec destituatur numero seu rhythmo. Eius membra sunt nunc duo, nunc tria, nunc quatuor, rarius plura, interdũ & integra sententia vno membro claditur, vt: Nullum officiũ referẽda gratia magis necessarium est, Multi magistris discipuli magis boni, Amicus aqua & igni magis necessarius est, est res difficillima τὸ ἀμνησικακεῖν (id est, ἀμνησία) id est obliuisci seu immemorem esse iniuriarum.

In periodo seu verborũ comprehensione partibus constãte sunt incisa & mẽbra.

Incisa distinguuntur seu notãtur virgula, membra vel duobus punctis: vel vnico puncto & commate; periodi confectę nota est punctulum. Membrum & absoluta periodus si cum interrogatione proferuntur, notantur sic? si cum admiratione, sic! Quem percuncter? quã insistam viam?

Numerosa compositio cernitur in concursu literarum consonantium & vocalium & pedibus.

Eiusdem literæ ne sit nimia assiduitas, vt quidquam, quisquam, cuiquam, quod conuenit neget?.

Concursus consonantium sit mollis seu lenis, non asper, nõ deformis, hinc ipsa oratio dicitur aspera. Aspere concurrit, s vltima cum x proxima, vt: Exercitus Xerxis; durior etiam fit concursus, si vtraq; consonans se ipsam sequatur, vt: ars studiorum, rex Xerxes.

Asperæ sententiæ exemplum. Rex Persarum Xerxes pontum pedibus pertransiuit. Mõtes stratos classibus nauigauit.

Commutetur in suauem interiectis aliis verbis, sic: Xerxes ille ditissimus Persarum rex cũ in Græciam venire decreuisset, super Hellespontem fabricato ponte, pedibus ipsum mare pertransiuit;

uit;& Acho monte perforato per eum armatam classem facile traduxit.

Vocaliũ inter se cõcursus ne sit creber, inde.n.fit oratio hiãs & vasta, vitiosa a.cratio talis, i.e. q̃ habet diliũctos & hiantes cõcursus, vt: Ego amica animi affectione ac animi officio, &c. Viro optimo obtẽperaui olim. Huius generis est versus hic dictionũ viginti vnius pentameter. Sũ vt tu ego, id ô iã age, habe, actu hic, me ama, vt hem, & te ego amo hic. Vitanda igitur sunt hic κακόφατα.

Pedes numeri spectantur in initio & fine periodorum. Initium est liberius, finis est accuratior. Vide Rhetoricam Audom. Talæi. Figurata seu ἐσχηματισμένη & colorata compositio, spectatur præcipue in responso seu concinnitate contrariorum, pariũ, casuum, relatorum ad idem vẽrbũ, omninoque in Schematis repetitionis seu iterationis.

Concinnitas seu responsus contrariorum est, cum opponuntur contraria, vt mihi res est, non cum virtute, sed cum voluptate, non cum industria, sed cum desidia, hæc antithesis cum crebro fit, dicitur frequentatio vel congeries.

Concinnitas pariũ est, cum paria paribus respondẽt, vt pro P. Sestio. Qui autoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi consiliis audaciũ restiterunt, ii graues, ii principes, ii duces, ii auctores huius dignitatis, atque imperii semper habiti sunt. Dicitur isocolon seu cõpar, quia membra proferũtur pari numero syllabarũ, vt extrema hyeme apparuit, ineũte vere suscepit, inedia æstate confecit.

Responsus casuum est, cum casus in exitu sunt similes, dicitur homœopteton similter cadẽs. Vt in Pisonẽ. An oppidorũ turpis amissio? an sociorũ direptio? an agrorum depopulatio. Quoties itaque hæc in oratione adhibentur sua sponte numerosa fit oratio. Sed modus hic sit.

Cõcinnitatis relatorũ ad idẽ verbũ exemplũ esto: Vicit pudorẽ libido, timorem audacia, rationem amentia, Ad repetitiones pertinent duplicationes primo verbi vnius: vt: occidi, occidi: secundo verborũ duorũ, vt: forsan erit; erit forsan, cũ Veneta Respublica scriptis meis lucẽ afferat. Tertio, sententiarũ, vt: In horum ẽt conspectũ venire audes proditor patrię? proditor inq̃ patriæ venire audes in horũ conspectũ? Primũ exemplum ἐπιζεύξεως: Reliqua ἐπανόδου sunt. Breuis oratio cõparata est ad excludendum tædiũ, ita aũt necessarium est, vt nihil necessarium prætermittat.

Longa ad plenioreẽ causæ tractationẽ requirit lumina amplificationũ, vt descriptiones, contentiones, similitudines & dissimilitudines: Increméta (vbi à minoribus ad maiora proceditur) συνεσκροισμὸς περιφράσεις, id est, circũlocutiones, epitheta. Breuis est & nuda sententia. Cicero patriã liberauit. Amplificata & tanquam vestita est. Incredibilis ac pene diuina Ciceronis prudẽtia Rẽpublicam Romanã à perditissimorum ciuiũ nefariis conatibus & molitionib. eripuit. Breu. Bruti prudentia Tarquinium expulit. Long. Singularis Iunii Bruti prudentia superbissimũ ac crudelissimum Regem Tarquinium ab vrbe Romana dominatu regio priuatũ expulit Antitheses in exaggeratione regnant vt philosophia non magistra sed ministra & θεράπαινα, non dux, sed comes est Theolog. seu non duces, sed succenturiati personã sustinet. Philosophiæ subsidio, nõ præsidio defendit sinceram Religionem Theologus.

DICI, λέγεσθαι.

Dici, prædicari, λέγεσθαι ab Aristotele dicitur πρὸς μίαν τινα φύσιν, ad vnã quandam naturã seu ad vnũ, quæ alii vocãt analoga ex dependẽtia. πρώτως. n. conuenit prędicatis rectis, i.e. recto casu, seu vt Arist loquitur, iis, q̃ prædicãtur sine casu δευτέρως prædicatis obliquis. Sic Schegk. in 1. prior. Anal. Arist. cõm. p. 275. Ab Aristotele λέγεσθαι (de aliquo) dicũtur, quæ prædicãtur directe. Quare oblique non λέγεσθαι simpliciter

dicuntur, quæ prædicantur directe, Sed cum modo, id est, oblique λέγεσθαι.

Canon. In Analogis enim huius generis vnum est nobilius & præstantius, cui proprie seu eximie nomen aliquod conuenit, reliquis veto vt ignobilioribus secundario aut cum adiunctione aliqua, vt Demonstratio à causa immediata dicitur Demonstratio: Reliquæ Demonstratio à signo, ab effecto, &c. Sic prius & posterius vsurpantur simpliciter, respectu temporis; Si vsurpentur alio modo addito quodam determinantur, vt loco, vt natura.

DIES.

Dies aliter dicuntur Naturales, aliter instituti. Naturalium author est natura, institutorum institutio seu ordinatio diuina vel humana.

Dies instituti aut sunt Festi aut profesti.

Festi propter iunctas ferias dicuntur Feriati. In iis, quæ ad diuinum cultum pertinent, curantur, vt sunt Hebræorum Pascha, Pentecoste, Scenopœia, id est, festum tabernaculorum, & Encænia, id est, festi dies initiales, hoc est, dedicationis templi.

Feriæ aut sunt certæ, vel incertæ. Certæ dicuntur statiuæ seu statæ, ac sunt aut communes totius populi certorum temporum, vt Agonalia, Carmentalia, Lupercalia; aut propriæ magistratuũ, quæ dicuntnr conceptiuæ seu conceptæ, quia quotannis à magistratibus vel Sacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel incertos vt sunt Paganalia, Sementina, Compitalia. Incertæ sunt, quas Consules vel prætores pro arbitrio potestatis indicunt, ac hæ imperatiuæ seu imperatæ dicuntur.

Profesti dicuntur quasi procul à festo, in quibus ea, quę ad Rempub. pertinent, tractantur.

Porro ex actione Forensi dies alii sunt Fasti, alii Nefasti. Fasti, quibus in foro Iurisdictionem exercere & lege agere coram prætore licet, dicti à fando, iis scil. sententiam cum consilio iudicum Prætor ferre potest vltimo iudicii die, & fari tria verba, Do, Dico, Addico, Nefasti sunt, quibus prætori fari non licebat, neque etiam cum populo agere, licet Senatum habere liceret. Nefastis diebus non licebat in foro lege agere, id est, in foro sententiam dicere, nec cum populo agere, in comitio, hoc est, populum ad consilium seu comitia suffragiorũ causa vocare, quod comitiali die fiebat. Vid. Theat. Zuing. Volum. 13. lib. 2.

DIFFERENS.

Differens dupliciter accipitur. 1. Late; & ita idem est quod Diuersum. Ita dicuntur diuersa & differentia, quæ in nullo conueniunt, nec aliquo modo differunt in se ipsis. 2. Angustè: ita dicuntur aliqua differre, quæ in aliquo vno cõmunicant, siue illud vnum sit vnũ numero, vt Plato sedens differt à Platone non sedente, siue vnũ specie, vt Aristoteles & Plato, siue vnum genere, sicut Homo & Asinus differunt sub animali. Et ita accipiendo Differens, Omne Differens est diuersum; sed non omne diuersum est differens: quia Differens addit Diuerso aliquo modo differre. Vid. F. Armand. tract. 2. de postpræd. c. 207.

DIFFERENTIA.

Differentiæ sunt Essentiales, vel Accidentales, siue sint propriæ, vt par impar Numeri; siue communes. De illis accipienda est sequens tabella.

Diffe-

Differentia { Specie { Per se. / Quoad rem ipsam tantum, vt naturam. / Ex accidenti. } / Tota specie, quoad rem & modum simul. }

Canones.

Differentiæ formæ quoddam instar obtinent. l. 13. Demon. Schegh. Quia cum genere constituunt speciem.

Nonnunquam autem cõtingit ex diuersis generibus seu prædicamentis corrogari partes differentiæ. Sch. 13. Demon. vt cum definitur Natura Substantia, quæ est principium rei naturalis & causa motus, &c. principium, etsi separatim & absolute vsurpatũ est relatio, tamen vt cum aliis compositũ seu pars definitionis est pars differẽtiæ. Idẽ: Nonnunquã diuersorũ generum voculæ aliis additæ differentiam constituunt, nec compositæ omnino idẽ quod separatum significant. Ergo non est ἄλογον dicere, Formas nonnunquam componi.

Differentia (quæ cum Genere constituit speciem) vnius potest esse accidens alterius, vt diuiduum in duas partes inæquales est accidens continui quanti: Differentia vero est Numeri, constituens cum numero, vt genere speciem, quæ est impar numerus.

Proprie Differentiæ accidunt generibus, non speciebus, cum communitas generis differentia in quandam speciem contrahatur.

Differentium specie sunt differentes perfectiones, scilicet essentiales. Limitatio Alberti: Perfectio, quia est actus perficientis & perfecti, potest habere differentiam & ex parte agentis, & ex parte recipientis. Ex parte agentis, vt alia perfectio inducitur actione frigidi, alia calidi. Ex parte recipientis, vt ex igne inducitur perfectio in lignis viridibus secundum fumum, & in siccis secundum flammam. Itaque differentium agentium necesse est differentes esse perfectiones. Sed diuersorum patientium potest esse eadẽ perfectio, quod attinet ad actum agentis, quamuis recipiat diuersum modũ ex parte recipientium.

Explicatio.

Christi secundum humanitatem generatio differt quidem à generatione nostrorum Filiorum specie, id est, modo generationis (miraculosa enim est & ὑπὲρ φύσιν.) sed non tota specie, id est, non natura seu essentia & modo simul. Nam Christus secundum Humanam naturam est nobis ὁμοούσιος, seu habet fratres eiusdem naturæ, particeps factus carnis & sanguinis. Hebr. 2. 14.

Hinc soluitur quæstio: An Natiuitas & Conceptio Christi eodem modo differant à nostra? Resp. Christi cõceptio in vtero virginis plane miraculosa fuit. Itaque differt à nostra tota fere specie. Eius Natiuitas non diuersa à nostra specie, quia vere naturalis fuit, quatenus aliorum hominum more proprie natus & in lucem editus est. Fere dico, quia ex sanguine vel semine Virginis naturali formatus est Christus.

Actus voluntatis eliciti (vt velle hoc vel aliud) habentes diuersos fines (vt euitationem pœnæ & consecutionẽ gloriæ vel amorem Dei) & diuersa obiecta differunt specie per se, vt velle ire in templum propter sacrilegium, & post ea propter confessionem vel auditionem verbi, sunt duo actus secundum essentiam specie differentes.

Actuum specie distinctorum diuersi sunt habitus specie, seu nunquam potest idem esse habitus secundum speciem.

Distinctio enim habituum sequitur distinctionem actuum ex quibus procreantur, variata circumstantia, sicut actus elicitus secundum speciem variatur: Ita etiam habitus variantur specie. Exempli causa, Alius est habitus inclinans ad fugam & odium peccati formidine pœnæ seu propter æternam damnationem. Alius est secundum speciem inclinans ad fugam peccati virtutis amore, vel propter Dei amorem. Ita actus, ad quos inclinant, specie differunt.

Differentia inter se specie { Naturæ φυσικῇ. / Moris ἠθικῇ.

Sunt actus, qui inter se specie differunt non naturæ, sed moris. Actus voluntatis Imperatus, vt ire in templum vel Scholasterium manens idem in specie naturæ propter variationem circumstantiarum variatur secundum speciẽ moris. Quæ enim actio pia rectaque est ob finem audiendi concionem, ea fit vitiosa ob intentionem furandi aliquid: per accidẽs igitur & extrinsecus.

Distinctio aliquorum, quæ sumitur ἐκ τοῦ ἧττον καὶ τοῦ μᾶλλον ἢ ἐκ τοῦ πλεονάζοντος, id est, ex eo quod vel plus vel minus apparet atq; eminet.

Quæ gradibus (ἐντάσει vel ἀνέσει) differunt inter se, proprie specie non differunt. Quantumcunq; qualitas intendatur vel remittatur, semper manet in eadem specie, ideoque per intentionẽ (ἔπιτασιν) aut remissionẽ (ἄνεσιν) qualitas non mutat speciem. Eadem specie opinio vel fides est firma & languida, at gradibus diuersa. Non esse diuersa genera iustitiæ inchoatæ & iustitiæ absolutæ Aristot. infirmat l. 7. c. 1. de morib. ad Nicom. ex Claud. Alber. oratione apodict. 2. de beatitudine. Disparitas efficientium non facit distinctionem specificam. Disparitas ortus non facit distinctionem naturæ. Ambroſ. de Incarnat. Adam igitur & nos non differimus specie, etsi ille sit Homo creatus & nos homines geniti.

Quæ differunt modo, non differunt eatenus specie: non differunt vt aliud & aliud (ὡς ἄλλο, καὶ ἄλλο,) vt alia & alia res, sed vt differt idem à se ipso, alia ratione se habens. Vna est & eadẽ trium Personarum Essentia ac Omnipotentia Numero, sed non eodem subsistendi & habendi modo. Itaque aliter in hypostasi Filij spectatur, seu modo sicut in Patre, modo sicut in Filio, modo sicut in Spiritu S. ὑπάρχει, propter diuersas προσωπικὰς rationes: consideratur, nempe in Patre ἀναιτίως, in Filio vero & Spiritu S. αἰτιατῶς. Itaq; sic loquendũ non est cũ nonnullis. Alia est omnipotentia gignẽs: Alia genita, alia procedens àb vtraq;, id est, alia Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti.

Notiones tres numero seu notionales gignere & gigni & procedere non inte-

Improprie.

runt tres numero omnipotentias. Vnam eandemq; numero rẽ duo simul habere possunt, vt communẽ alio atq; alio modo habendi, vt vnus à se, alter aliunde, quam à se.

Non necesse est specie differre quæ differunt πρόπῳ ὑποληψεως, modo existimationis propositionis eiusdẽ numero etiam potest esse diuersus modus hypolepseos meæ, nẽpe scientia vel opinio. Memini quidẽ Francofurti mirifici ingenij hominem ad me dicere: Animũ hominis immortalẽ esse, primum in animo meo fuit πιστὸν, aliquot annis post ἄπιστον, postea vero tantũ δοξαστὸν. Nunc est ψευδὲς. Differentia suppositi quæ non sunt idem seu vnum supposito. Indistincta supposito, vt carbo & ignis.

Differentia locutionum vel opinionum { In reipsa, Barb. in quod Nominis Termini. / In diuersa terminorum acceptione cum interim res sit certa.

Canon.

Opiniones quæ re sunt eædem, & acceptione termini differunt, non sunt aduersæ, vel diuersæ.

Vsus.

Vsus.

Sic argumentatur Victor. Strigel. contra Illyric. contendentem Originaria ruina ipsam naturam & οὐσίαν rationis penitus (in spiritualibus rebus) destructã esse. Non potest fieri corruptio substantiæ citra speciei abolitionem. Sed homo non est abolitus. Ergo Homo non est substantialiter corruptus. Respondet Illyricus ad minorem, Homo est abolitus, scilic. quod ad summum gradum attinet, nempe cultores DEI sunt aboliti, & per horrendam metamorphosin contraria inde species facta est, nempe cultores Satanæ. At tu respondebis contra Illyrico, Hanc responsionem non satisfacere obiectioni, quia Homo Cultor Dei, & Homo Cultor Satanæ non differunt specie.

Lepra idem inquit Illyricus Temperamentũ & essentiam hominis omnino corrumpit & immutat, vt licet idẽ homo superesse videatur, nõ tamen eadẽ sit substantia, sed plane diuersa. Resp. Non quidem est eadem accidente, at est eadem numero & specie.

Differentiæ
- Formales, Differentiæ specierum, id est, quæ species constituunt, neque variantur, vt spirare, sentire, moueri, intelligere: Sicut par & impar in numero.
- Materiales, quæ in principiis speciei positæ non consistunt in iis, sed partim in alterutram, vt membra generationis, partim in alteram præcise partem demittunt se, nec quærunt alteram, vt cornua ceruorum, leonum iubæ.

Cornua non debentur ceruinæ speciei, vt cerui species est, sed speciei in mare tantum: sicut mammæ, matrix in fœmina tantum: Omnino veto membra seminaque genitalia altera in alterutro.

Formales differentiæ inter se dissident ita, vt nunquam concurrat vna cum altera. Sic Scalig. ad Cardan. cum vtrique (lætitiæ & audaciæ) hanc ab illa distinguẽs communem faceres formã spem, quibus dissepsisti differentiis? Vbi inuenisti tu sub eodem genere formales differentias, Mediocritatem & iucunditatem? Nonne est iucunditas parua cum parum iuuamur, magna cũ multum: mediocris cum mediocriter? &c. Vbi nota elegantem phrasin, Duo formalibus differentiis dissepire, dissepta esse.

Differentia in Arithmetica est, quo numerus differt à numero. Ideoque est inæqualium, è quibus maior excessu à minore, minor contra eodem defectu à maiore differt: Vbi differentię numeratio est additio vel subductio. Additio numerum addit numero, vnde existit Totus. Subductione numerus subtrahitur è numero, vnde qui manet Reliquus dicitur.

DIGAMMA.

Digamma est geminum Gamma. De hoc sententia Scaliger. est de c. l. l. l. c. 7. hæc: A Græcis V. Æolicum elementum appellatum est, & Vau; habuitq; figuram hanc Ϝ à Claudio inuentam, inuersa ⅂, atque duplicata. Calepinus auctus habet de eo hæc. Digamma, & Æolicum Digamma dictum est F litera, quod duplicis ⅂ figuram referre videatur, Cic. ad Attic. Fundum suum Formianum vocat digamma, quod nomen eius ab F litera initium sumeret. Sed Nizolius locum corruptum putat, & legit pro Digamma Digramma, quod ei codex est, in quem consueuerit Atticus & fructus agrorum & impensas referre.

Bodinus. l.1.de Republ. Ex Æolico digamma fit SERVOS : vt DaFom, OFom, ÆFom , veteres dixerunt pro Dauum, Ouum, Æuum.

DIGERO,

ἀναδίδωμι.

Digerere est distribuere generali significatione, Logica etiam.

In Physicis Digerere aliud est quam concoquere, Digestio aliud quam coctio. Digestio est ἀνάδοσις, Coctio est πέψις.

Venæ, Intestina seruiũt potius digestioni quã coctioni, vel alterationi in ventriculo. In vẽtriculo proprie fit alteratio, in intestinis digestio, ideo tunicæ intestinorum minus sunt carnosæ, quam ventriculi. Digestio , ἀνάδοσις est στίων, quæ fit per membra. Alexand. Aphrodis. Est cibi concocti distractio seu diffusio à natiuo calore in totum corpus. Differunt igitur Concoctio & Digestio vt prius & posterius , etsi causa aliqua efficiente conueniant.

Dormiture latus dextrũ preme , mane sinistrũ,
Ingestum ratio digerit ista cibum.

Tu dices, concoquit. Sed hæc differentia ab iis, qui non student esse ἀκυρολογῆιτες, non semper obseruatur.

DIGITVS.

1. Digitus in Physicis & proprie est pars manus vel pedis.
2. In Arithmeticis per Metaph. est omnis denario minor numerus, vt 1. 2. 3. sic dictus, quod tanquam per se apprehendat, Græce μονάδικος. Cui opponitur tum articulus numerus in 10. æquales partes diuiduus, vt 10. 30. & reliqui omnes dextimo circulo notato, sic forte dicti, quod velut digitos moueant, per quos apprehendant, Græce δεκαδικοί: Tum compositus numerus constitutus ex digito & articulo, vt 12. ex 2. digito & 10. articulo, & omnis numerus inter duos articulos proximos. Hinc iocus: Arithmeticus habet homine digitos pauciores, plures vero articulos.
3. In Astronomia Digiti Ecliptici sunt vnciæ seu duodecimæ partes corporis luminis defectum patientis. Ptolom. l. 6. c. 7.

Vulgo in Calendariis & Ephemeridibus appellant puncta, forte quia hæ partes punctis distinguuntur. In tot autem æquales portiones Astronomi diuidunt diametrum corporis tam Solis, quam Lunæ: quia apparens vtriusque luminis diameter tres circiter palmos, quorũ singuli quatuor digitis constãt, æquare videtur eo fine , vt de futuræ Eclipsis quantitate pronuntiare, possint, quanta luminis pars damnum sit acceptura. Porro Luna aliquando pluribus quam 12. digitis deficit, nõ quod Lunæ corpus plures quam 12. recipiat, sed quod illa interdum, vt cum in nodis vel prope eos fuerit, vmbræ circulũ adeo profunde ingrediatur, vt si 14. 15. 18. vel 20. & talium digitorum foret, qualium est 12. nulla tam particula illustris sit permansura, quod in Eclipsibus solis fieri nequit , sed in totalibus & cum mora lunaribus.

Eclipses enim *aliæ sunt Totales, aliæ Partiales. Totales* seu perfectæ seu consummatæ, cum lumen 12. digitorum corporis Lunę obfuscatur vel Solis abscõditur. *Partiales* , in quibus pauciores digiti quam 12. obscurantur vel impediuntur, id est, cum de corpore Lunæ pars quædam obtenebratur seu vmbra terræ inuoluitur , vel etiam portio solum luminis Solis ab aspectu nostro repellitur.

Deliquia Lunæ perfecta fiunt, *vel sine mora*, cum totum quidem corpus eius vmbræ terrenæ immergitur, sed ex ea nulla temporis mora interiecta eluctatur : *vel cum mora* , cum non solum vniuersum corpus Lunæ vmbra inuoluitur , sed diu etiam in ea commoratur , priusquam lumine iterum repleri inci-

ri incipiat, vnde ea plures quam 12. digitos continet.

Hinc noster ἀριθμὸς:

Pluribus ac bis sex digitis quandoq; laboro,
Cui bis sex digiti sunt modo: dic quis ego?

DIGNITAS.

Dignitas vox Politica est & Astrologica. In Politicis significat amplitudinem, authoritatem, existimationem.

Estque vel personæ, vel rei, vel facti, Græce ἀξία. Sic dicimus: Qui vere bonus est, omnes fortunę casus decenter, & ex personæ suæ dignitate fert: quod Aristot. 1. Eth. est τὰς τύχας εὐσχημόνως φέρειν.

In Astrologia Dignitates Planetarũ sunt certa cœli loca, in quibus & viriũ plus sortiri & euidentius vires suas depromere, actu exercere existimantur, propter aliquam cum loco conuenientiã. His opponuntur debilitates, loca, vnde obscurius & remissius Planetæ suas vires exercent.

Dignitates hæ simul & Debilitates sunt duplices: Essentiales & Accidentales. Essentiales dicuntur, quæ perpetuo Planetarũ corpora comitantur, ac numerãtur quinque: Domus (Intell. Planetã in domo appria inuentũ fortiorẽ & potentiorẽ cẽseri, quã alioquin extra domũ positum) Exaltatio, Triplicitas, Terminus, & Facies seu Decuria. Debilitates essentiales tres sunt: Peregrinitas, Detrimentũ & cãsus. Peregrini dicuntur Planetæ, cum nullam prorsus habent dignitatem essentialẽ, vt Luna in toto Ariete.

In detrimento dicitur esse Planeta, cum est in signo opposito signo Domus ipsius. In casu esse dicitur, cũ est in signo opposito signo exaltationis.

Accidentales dignitates vel debilitates dicuntur, quæ Planetis, vel ad Solem, vel inter se collatis accidunt: Planetis ratione Solis accidit Orientalitas, Occidẽtalitas, combustio, oppressio, Existentia sub radiis: Libertas à combustione, auctio luminis, diminutio luminis. Planetis collatis inter se accidunt Coniunctio (alias coitus, congressus, synodus, vnio Planetarum) & Aspectus mutuus.

DIMENSIO, DIMENSVS, TRINVS.

Primum accipitur pro actu dimetiendi, vt cum dicitur dimensio agri.

2. Pro quantitate continua vel regula siue ratione dimetiendi. Sic accipiunt Geometræ & Geographi, vt globus est protensus trib. dimẽsionibus, hoc est, in longitudinẽ, latitudinem & profunditatẽ. Picus Mir. *Trinũ Dimensum* vocat. Verba eius sunt hæc fere (nõnulla enim â me, vt expositore sunt adiecta, vt facilius & plenius intelligerentur.) Materia prima (principium corporis naturalis) est rudis formarumque expers, idonea quidem omnibus formis suscipiendis, sua tamen natura omnibus priuata, trino dimensu in longitudinẽ, latitudinem & altitudinẽ protensa Auerroi, ne res corporeæ de incorporeo subiecto fieri dicantur, de cuius, sed affectę & præparatæ ab efficiente congruis qualitatibus, gremio sinuve forma proximus agentis finis educitur seu eruitur, & ita quod est potentia, à transmutante causa fit actu, sicut mollis cera figuræ expers manus tractatu tandem figurã aliquã accipit. Quod ad Trinum Dimensum attinet, multi sunt, inquit Fonseca, qui putãt idem esse trinam dimensionem atq; longitudinẽ, latitudinẽ & profunditatẽ, & cum linea dicatur esse vnius dimensionis, superficies vero duarũ, corpus autem trium, existimant superficiem includere formaliter longitudinem & latitudinem, corpus vero hæc duo & profunditatem, præsertim cum à magnis etiam authoribus aliquando definiatur linea longitudo sine latitu-

dine & profunditate: superficies longitudo & latitudo sine profunditate; corpus longitudo, latitudo & profunditas. Sed nō ita res habet; neq; graues vnquā auctores, si quando has definitiones vsurpant, proprie & formaliter loquūtur: *Dimensio enim aliud nihil est, quam ratio mensurandi, aut diuidendi magnitudinem*: seu potius, extensio eius ab vna loci positione ad oppositam. Vnde cū sint sex loci positiones, ante, retro, sinistra, dextra, supra, infra, tres erunt dimensiones se inuicē secantes ad angulos rectos, quarum vna tantum reperitur in longitudine, quam vocamus lineam, duæ tantum in latitudine, quam dicimus superficiem; omnes vero tres in profunditate, quam appellamus corpus. Potius igitur rationes formales lineæ superficiei & corporis per proprium genus & proprias differentias numero dimensionum significatas explicandæ sunt sic. Linea est magnitudo vnius dimensionis: Superficies duarum: corpus trium, quomodo hæc ab Aristotele definiuntur in 1. Philos. & lib. de Cœl. alioqui cum linea dicitur longitudo esse sine latitudine & profunditate, idem per idem definitur: cum vero superficies dicitur longitudo & latitudo sine profunditate, & corpus longitudo, latitudo & profunditas, non solum definitur idē per idem, sed etiam affirmatur vna species opposita de altera. Superficies & longitudo sunt oppositæ species, & similiter corpus & laritudo. Quare cum corpus dicitur longum, latum & profundū, seu quātitas continua longa, lata & profunda, aut vulgari & non philosophica, (hoc est, minus exquisita) ratione id accipiendum est, aut sic intelligendum, vt longum, latum & profundum vsurpentur pro eo, quod est Trifariam dimensum seu habent trinam dimensionem. Hoc iudicium Fonsecæ est in Comm. in 5. 1. Phil. c. 13. Dimensiones aut sunt inæquales, aut æquales.

Quid Dimensio?

Dimensio inter locum superum & inferum quæ venus { Sursum tendit (vt in columna) Altitudo. Deorsum tendit (vt in puteo) Profunditas. In trāsuersum procedit (vt in vtroq;) crassities seu corpulentia. } dicitur

Si dimensiones sint æquales, arbitraria erit earum appellatio. Vnam etenim & eandem licebit vocare longitudinem, aut latitudinem, aut profunditatem, vt in globo & in corpore omni ex parte quadrato.

Poetæ hanc distinctionem non obseruant. Dicunt enim Alta fossa pro profunda, Cœlum profundum pro alto, & In altum Vela dabant læti. Flumen altum, Euphrates altus, Fundamenta alta. Enniana hæc sunt & Virgiliana, Valerii, Flacci & Prudentii. Sed & reciprocus horum vsus reperitur apud Oratores & historicos. Nam & Cæsar dixit altissimum fluuium, & Cicero al-

tas stirpes, & de virtute defixam esse altissimis radicibus. Eadē ratione Virgilius dixit Fastigium iam de re summa: iam de ima. Profundum igitur & altum re idem sunt: Discrimen inter ea rationis est, quod profundū ima respiciat, altum summa. Vid. Ioh. Ludouic. de Lacerda Toletan. in notis in 4. Georg. circa fin.

Quod de æqualibus dimensionibus pronuntiari comprobat Ambrosius Episcopus in Epist. ad Ephes. c. 3, & pia comparatione accommodat ad Deū, Sicut in Sphæra tanta longitudo est, quanta latitudo, & tāta altitudo quārū & profundum: Ita & in Deo omnia

æqualia

æqualia sunt immensitate infinitatis. Sphæra .n. definito modo includitur, Deus aũt nõ solum implet omnia, sed & excedit. Vid. vocem Hermes.

DIMINVTIO.

Diminutio est affectus consequens diuisionem. Omne enim diuisum ita minuitur, vt eadem quantitas minor dicatur, quoniam partes separentur. Diminutio igitur est motus, quo detrahitur quantitati. Barbari vocant Magnitudinis minoramentum seu minorationem.

Accipitur vox Laxe & Presse. Laxe vt attribuatur etiam non viuis, vt cum minor fit quantitas pecuniæ. Presse, vt cum Arist. 1. de generat. & corrupt. docet, Diminutionem fieri, cum viuentis natura seu forma augmentabilitatis non potest transmutare omnes partes cibi in suam substantiam, & esse motum viuentis corporis, quo totum & omnes partes secundum omnes simul dimensiones contrahunt ad minorem quantitatem, forma eadem manente. Vt enim accretionis, sic etiam Imminutionis natura pendet à quantitate, tanquam à termino, ad quẽ tendit & in quo desinit (non ad substantiam, sed ad quantitatem est) Potest sic quoque hic motus describi, re ferè redeunte eodem: Diminutio seu Imminutio physica, est motus animati à maiore quantitate ad minorem ex materiæ subtractione. Cui opponitur Accretio.

In Grammaticis Diminutio seu potius Deminutio est species Deriuatiuorũ. Et vocabulum Diminutiuum, seu potius, vt nonnullis placet, deminutiuum est, quod significat minus quam primitiuum, vt Regulus. Vide Scaliger. de caus. Lat. l. lib. 4. c. 95. vbi acute omnem etiam imitationẽ indicare dicit deminutionem disputans de vi vocis Parasitaster, Philosophaster & similium.

Diminutio in Oratoria dicitur alias extenuatio & eleuatio contraria amplificationi, Græce μείωσις, cum extenuamus & abiicimus rẽ venustatis & modestię gratia, vel propter significationẽ contemptus rei extenuatæ.

Estq; verbi aut orationis vel rerum. Ad diminutionem verbi pertinent diminutiua vocabula, contemptum aut vilitatem significantia, aut probrum ingerentia. Sic Virg. Semiuirum comitatum dixit. Catullus percacatas chartas. Et hæc diminutio interdum sapit hyperbolen, vt vix ossibus hæret Breuior Pygmæo. Minus habet, quam nihil. Hyperbole hic est extenuatio incredibilis. Diminutio igitur non semper fit vocibus Diminutiuis. Diminutio orationis vitium est, cum de re magna est iusto tenuior, & simplicior oratio, quã res eaferat, vt si quis materiam grandem & splendidam sermone quotidiano gregario & iacente seruiliue proferat.

Diminutio rerum est personæ vel rei iusta sentẽtia & oratione facta extenuatio. Eius variæ formæ sunt.

Prima est per Decrementum, quo maioribus ante extenuatis minora deinde facilius extenuantur. Sic Hannibal. in 1. de bello Pun. concione sua extenuat difficultatem alpium, quæ tamen erat longe maxima, vt alios quoq; labores itineris præ illa paruos esse ostenderet & persuaderet.

Secunda est Comparatio disparium, vt si optimũ aliquid malo compares, nobile ignobili, pulcrum sordido, ingens paruo, honestum turpi, vtile pernitioso. Sic enim rei meliori ac maiori inuritur nota tam vili abiectaque collatione, vt si dicas monetam esse tam bonam, quam si plumbea esset: Si extenues Logicam.

Tertia, cum contemptum afferimus rei ex aliquo signo vel circumstantia minori leuiore, vt si dicam: Tanti te facio, vt ne obolo quidem redimerem vitam bonaque tua. Adeo fortis miles est Thraso, vt crepitum foliorum & vmbram suam metuat.

Quarta est συναθροισμὸς seu coaceruatio & congeries, cum multa coaceruantur vilitatem significantia; vt conuitia, probra, contumelias, sicut Menedemus inquit apud Tecentium, In me quiduis horum conuenit, caudex, stipes, &c. Tales confertæ congestiones multæ inueniuntur in scriptis ματαιολόγων.

Dissimulatoria verecundaq; Diminutio locum maxime habet in Exordiis, in litteris officiosis, in gratiarum actionibus.

In Probrosa Diminutione acerbitas nimia & libido conuitiandi, immodicaque amarulentia, qua nihil est apud honestos viros odiosius ac detestabilius, cauenda.

Efficacior & gratiosior est diminutio & offensio falsa, ironica, veteratoria dissimulatrixq; extenuatio & irrisio, quã aperta nimis atq; irata illa insectatio & tragicorum conuitiorum euomitio.

Diminutioni λέξεως & πράγματος (rei) cognata est Humilitas seu ταπείνωσις illa vitiosa, cum inepte vocabulum sordidum, vel iacens seruilisq; sententia tribuitur rei honestæ & graui, vt si quis principi humilem sordidumue titulum ttibuat, appellans eum, vetbi gratia, pastorem suarum ouium.

DIRECTVM.

1. Directe attribui est prædicari συνωνύμως seu vniuoce, vulgo p̃dicari in abstracto, vt Hoc quod vides est albedo. Opponitur ei, Attribui oblique, id est, κατηγορεῖσθαι παρωνύμως (denominate) vulgo in concreto, vt Hoc est albũ. Homo non directe albedo dicitur, sed præditus albedine: Sic arca non dicitur lignum, sed lignea. Directissime prædicantur pertinentia ad ἕξιν. Distinctio hæc est ex coniugatione. Vtitur hac Ioh. Piscat. in exercitat. Log.

2. Directe prædicari est prædicari in casu recto. Oblique in casu obliquo. Propositio est vel recta vel casu quodam deflexa. Hæc distinctio est è casibus Grammaticis seu constructione. Vtitur hac Iac. Schegk. in l. prior. Analyt. Arist. p. 274. Quæ, inquit, prædicantur aut subiiciuntur, aut simpliciter & directe prædicari solent, vel subiici; aut obliquæ. Quæ directe, ea aut συνωνύμως, aut παρωνύμως prædicantur aut subiiciuntur.

In Poetica Directa metra opponuntur Cancrinis Sothadeis.

DIRECTE.

Directe Scoto idem est quod per se: Indirecte per accidens, vt cum ait: Causa externa mortis duplex est, vel ex dispositione cõtraria cõtinẽtis, vel ex violentia illata ab aliquo extraneo. Rursus prior modus duplex est, Vno continens directe corrumpit contentum, vt ignis corpus quod continet: Altero non directe corrumpit, sed prohibet illud, quod necessarium est ad vitam, cuiusmodi est aqua prohibens inspirationem & respirationem, & similiter terra. l. 2. d. 19.

Sic Dionysio A Rickel Carthusiano in Enarrat. Epist. Pauli ad Rom. Directa indurationis causa nihil aliud est, quã effectiua per se, cui opponit causam per accidens, non remouentem prohibens. Verba eius sunt. Deus non est Directa & effectiua causa indurationis, sicut est directa & effectiua causa Iustificationis: Conuenit autem Deo ĩduratio per accidens, scil. quia non remouet prohibens. Hoc declarat

Dionys.

Dionysillo simili: Sicut nauta per suam absentiam est causa submersionis nauigantium, & Sol per suam elongationem est causa congelationis non impertiendo frigiditatem, sed non influendo calorem: Sic Deus indurat non adhibendo gratiam cordis duritiem mollificantem.

Vt mors est ex arbore: sic ex arbore vita est,
Quod mihi dic, arbos vtraque nomen habet?

Explicatio. Sicut ex arbore scientiæ boni & mali peccatum & mors: sic contra ex arbore crucis iustitia & vita profluxit, dum in ligno vita, hoc est, Deus ipse mori pro nobis voluit. Hæ arbores illæ sunt Effectorum causæ indirectæ: Vita autem Deus ipse incarnatus effecti alterius causa directa est.

DIRIGO.

Dirigere seu deducere Astrologis est arcum Æquatoris inter significatorem & promissorem interceptum, inq; tempus, vt annos, menses ad dies conuertendum, artificiose inquirere, vt hinc quando accidens à natura Significatoris monstratum determinetur per promissorem, suumq; consequatur effectum, innotescat. Significator aũt est locus Cœli vel planeta, qui ad aliũ cœli locum vel planetam, aut eius radium dirigitur: promissor vero est Planetæ vel corpus, vel radius, aut stella fixa, aliusue figuræ cœlestis locus notabilis, ad quem cum significator peruenerit, significatio effectum suum editura creditur.

Dirigere nihil aliud est, quam mouere Sphæram, donec locus secundus traducitur ad situm primum. Id autem tunc accidit Ptolemæo, cum locus secundus producitur ad circulum, in quo iacuit locus primus, aut contra locus primus transfertur ad circulum, in quo ponebatur secundus. Circulum dico coincidentem Meridiano & Horizonti in vtraque eorum communi sectione, quem circulum positionis vocat Regiomontanus. Circulum, inquit, positionis appello eum, qui per duas communes sectiones Meridiani & Horizontis aut per centrum stellæ, aut punctum cœli signatum incedit, qui etiam Horizon stellæ vocari potest.

Locus primus plerumque solet vocari Significator, quod repræsentet alicuius rei habitudinem in Cœlo. *Quid significator natura. iuslibet.*

Locus secundus recte appellatur Promissor quid futurum aliquod symptoma seu accidens siue bonum, siue malum portendit.

Significator igitur tenet vicem Subiecti patientis recepturi aliquid à promissore in certo tempore, cuius quidem tẽporis quantitatem *Directio* metiri solet, quemadmodum iudicibus placet.

1. Directio autem est motus primi mobilis, quo significatur traducitor ad situm promissoris, vel contra.

2. Vt plurimum tamen solet accipi Directio pro arcu Æquatoris, qui vna ascendit vel vna descendit interuallo, quod est inter Significatorem & promissorem respectu circuli positionis, in quo alter eorum iacet: vnde & *dirigere* tunc dicimur, quando huiusmodi arcum docte numeramus.

Duplex autem Directio est: vna Directa: altera cõuersa. Directa, in qua locus secundus, id est, promissor intelligitur transferri ad situm primi, id est, significatoris. Dicitur etiam Directio secundum successionem signorum.

Conuersa, seu contra successionem seu consequentiam signorum, in qua locus primus intelligitur transferri ad locum secundum. Hac secunda Directione vtuntur iudices pro parte fortunæ, &c. & pro planetis retrogradis.

DISCERNERE
verum à falso.

Διακρίνειν seu discernere verũ à falso Peripateticis non est compositionis, vt quidam putant, sed διανοίας. Est vero nihil aliud, quam veram sententiam certis argumentis demonstrare, quo in genere regnat ἀπόδειξις, & falsam refellere, qui est Elenchus.

Diuidere verum à falso.

Phrasis hæc Logica est, perfecte seu ἀναντιρρήτως, oppositæ seu contradictoriæ propositiones semper diuidunt verum à falso, id est, vna omnino vera semper, altera est prorsus falsa, nec possunt simul stare. Itaque non possunt compingi, conciliari, contemperari, ad συμφωνίαν reduci.

DISCIPLINA.

Disciplina est Scientia acquisita in discente.

Is discit tanquam { Per instrumentum, per auditum. / Per notas, per voces.

Discere est ignotum per indicia quædam animo percipere.

Discimus { Per sensus sine medio humano. Hæc scientia dicitur αὐτοψία. Rerum enim notiones à rebus in mentem primum per sensus profectæ sunt. / Per medium humanum, cum rerum notiones à notionibus, quæ sunt in docentis intellectu prodeunt in sensus. { Auditum per locutionem. / Visum per Scripturam } Vnde postea insinuantur in intellectum.

In Ethicis, vbi agitur de causis actionum virtutis, Disciplina est doctrinæ cogitatio & gubernatio locomotiuæ seu externorum membrorum, ne ruant in scelera contra conscientiam, & est mediocris diligentia vitandi illecebras & occasiones. In epitom. Philosophiæ Moral. Melanch.

Sadolet. Disciplinæ est ex alienæ virtutis præscripto viuere: Virtutis vero, suæ.

E *Platon.*

1. Disciplina Platoni de Legibus Dialog. 2. est institutio seu conformatio affectuum præsertim voluptatis & doloris.

Dicta παιδεία à pueris, qui primum ea sunt formandi.

2. Sexto de Legibus Disciplinæ nomine Lex significat Exercitationem & doctrinarum rationem & ordinem.
3. Disciplina in Ethic. Phil. Melanch. est rectio locomotricis facultatis, & externorum membrorum. Hæc etiam aliquando cadit in bruta, quæ assuefieri & domari possunt.
4. Petro Mart. est facultas, quæ hominum actiones & electiones accommodat ad rationem, idque doctrina, correctionibus, monitionibus & pœnis efficit cum opus fuerit. in Comm. in 1. Ethic. Arist.

Disciplina interdum accipitur pro arte vel

vel scientia. Interdum specialiter pro Arithmetica & Geometria, &c. quæ Græcis μάθησις. Aliquando pro facultatis locomotricis & membrorum rectione & assuefactione.

Vsus.

Hinc potest conciliari, quod dicitur à Philosophis proprium hominis esse capacem disciplinæ esse, & ab Arist. quædam animalia bruta (vt sunt Elephas, canis & similia animalia perfecta) esse disciplinæ capacia, seu doceri posse. 1. Metaph. 1.

DISCONVENIENTIA, pro dissensione.

Barbarorum vox est, sed Philosophis trita pro repugnantia, opposita conuenientiæ. Dicunt enim morbum esse naturæ quandam disconuenientiam seu habituatam (hoc est factam & aliquãdiu permanentem) quandam dispositionem, quæ naturæ disconuenit seu ἀσύμμετρος est; Id est, non conuenit, (Dicunt enim disproportionata est) seu dissentanea est.

Disconuenientia autem est vel *Positiua*, vel *Priuatiua*:

Positiua consideratur per modum Contrarietatis alicuius formæ, quæ non conuenit cum re, cui est aduersa. Talis disconuenientia est morbus, teste L. Mercato l. 3. de Morbis. Non igitur morbus est simplex priuatio.

Disconuenientia priuatiua, præsertim quæ per se mala est, dicit priuationem formæ conuenientis in causa aut instrumento ob defectum alicuius perfectionis, quæ cum absint, priuatio & malum transfertur in actionem aut in effectum.

DISCORS CONCORDIA.

Physicis discors concordia est rerum seu qualitatum, quæ cum inter se diuersæ seu pugnantes sint, commixtæ tamen vnum quoddam corpus conficiunt, dum vna alterius vires temperat & coercet, ἀξύμφωνος ξυμφωνία. Ouid. l. 1. Metamorph.

Quippe vbi temperiem sumpsere humorque calorq́;
Concipiunt & ab his oriuntur cuncta duobus;
Cumq́; sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & discors concordia fœtibus aptæ est.

In historia Lucanus Discordem concordiam vocat amicitiam simulatam seu fictam, cum eum videmur amare, quẽ tamen tacito odio prosequimur:

Temporis exigui mansit concordia discors,
(scilicet inter Cæsarẽ & Pompeium.)
Paxq́; fuit non sponte Ducum.——

Elementa inter se plane contraria ratione qualitatum, vt quidem eis tertio quodam ξυναγωγῷ opus sit vinculo, quod est discors concordia, & concors discordia συμμετρίας, quam Deus in ipsis rebus inseuit. Ioh. Serran. ex Tim. Platon. thes. 54. *Mundus tũ cordi discordia constat.*

DISCRETIO.

Discretio est discriminatio seu distinctio quædam vnius ab alio. Estque Negatiua vel Positiua. Negatiua removet. Eius nota est: Hoc non est illud. Positiua affirmat. Eius nota: Hoc distinguitur ab illo.

Discretum tempus Scholasticis est, quod discretos & distinctos actus, sed simplices seu indiuisibiles mensurat. Armand. tract. 2. de prædicam. Quantitatis c. 61.

Discreta Quantitas est cuius partes ita inter se habent, vt ad vnum communem terminum non sint copulatæ, vt Numerus. Thom. Aquin. in Logic.

DISCVRSVS.

Discursus est mentis facultas, qua consequens & inconsequens, ordinem & confusionem iudicat.

2. Est ipse actus discurrendi: Seu, Discursus est deductio vnius propositionis ex alia, vt consequentis ex antecedente, posterioris à priori.

Discursus continet
- Materiam, res, vt apprehensæ & enuntiatæ
  - E quibus aliquid infertur
  - & Quæ inferuntur
    - Propositiones, Antecedens, Inferens.
    - Illatum, Illatio, consequens.
- Formam, iudicium animæ inferens vnum ex alio.

Discursus
- Illatiuus, Syllogisticus
  - Materialis, cum illatio fit ob euidentem materiæ connexionem.
  - Formalis, cum illatio fit propter dispositionem terminorum factam formaliter.
- Ordinatiuus.

Sæpius tamen ab Aristotelicis Discursus seu διάνοια ponitur tantum pro λογισμῷ.

Ad hunc requiritur dispositio quoad
- Connexionem Extremorum cum medio; *Figura.*
- Qualitatem & Quantitatem propositionum; *Modus*; Ac sæpe Figura & Modus dicitur forma Syllogismi.

Græcis Discursus est διάνοια, quam Talæus vertit rationis seu animi percursionem & peragrationem, sed hanc logodædalian nihili facit Philosophus.

Dianoias tamen vox generalior esse videtur quam Discursus. Interdum enim accipitur pro ipsa cogitatione, (quæ vel phantasiæ, id est, imaginatricis facultatis vel mentis est agitatio) interdum pro cogitationis discursu, cui opponitur simplex mentis intelligentia; quæ sine discursu.

Ramei νόησιν & διάνοιαν opponunt in Doctrina Logica.

Quod cognoscitur intellectu, νοητὸν nominatur: Quod ratiocinatione vel dispositione, διανοητὸν. Iudicium νοητικὸν Intelligentiæ est seu νοήσεως, quod Rami vocant Axiomaticum. Διανοητικὸν vero Ratiocinationis & ordinis, quod in Dialecticis describitur.

Νόησις seu intelligentia seu νοῦς est mentis facultas (quæ est in animo, vt visus in oculo) qua communes notiones & principia collecta exploratáque sensu experientia intelligimus & iudicamus, verumque à falso, & necessarium, vnde Scientia, à contingenti, vnde opinio concipitur, distinguimus. Al. Notitia principiorum, & Rameis Notitia Sententiarum per se manifestarum

festarum vndecunque ortæ sint.

Sed νόησις quoque interdum pro ipso habitu vel actu accipitur, seu cognitione actuali aut habituali, non pro ingenita cognoscendi facultate.

Vtraque significatio ex hac antithetica propositione seu thesi & antithesi perspicitur.

A natura habemus principiorum συμφύτους δυνάμεις, id est, congenitas facultates cognoscendi, quia intellectus est id in animo, quod ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, id est, aspectus in oculo, qui colores non circumfert insitos. Habitus autem & γνῶσις cognitio, & informatio seu comprehensa notio principiorum per sensum, inductionem, memoriam, ratiocinationem & experientiam comparatur. Principia nihil aliud sunt, quam primæ & vniuersales rerum notiones. *Quidpri incipia?*

In 18.cap 2.poster.Analyt. Διανοίας Verbum Generale & Commune est ad opinionem, ratiocinationem, intellectum & scientiam. *Secus 26.c. 1. poster.*

Vires Animæ
- Διάνοια, Mens recte iudicans.
- Ὄρεξις θυμία, vis concupiscens, naturæ idonea asciscens.
- θυμὸς animus seu animi ardor exsequens ea, quæ ratio præscribit

} Consentientes inter se virum perfectum efficiunt.

In 5.Metaphys.Arist.c.1.vbi explicat Terminum Principii, vocabulo διανοίας intelligit intellectum practicum.

DISCVSSIO.

Discussio accipitur.

1. Pro dispulsione vel dissolutione, vt discutere periculum, caliginem.

Discutere captiones.Cic.

Discutere matrimonium, id est, dissoluere seu distrahere, apud Iur. Paul. l.2.de donat.inter vir.& vx.

2. Pro diligenti rimatione vel tractatione & dubiorum expensione. Sic accepit Francisc.Patrit.& in Politicis Clem. Timpler. cum inquit, Iurisdictionis Ciuilis partes sunt legitima causarum cognitio,& cognitarum decisio. Cognitio illa perficitur Auditione & Discussione accurata & æqua. Discuti litem est in ff.& C.

3. In Politicis etiam Discussio interdum est bonorum debitoris ad peram vsque facta diligens inquisitio & detectio. Iacob.de Anna,& Benedictus de Barcis. Eodem sensu dicta Excussio: cuius plenior Definitio hæc est: Bonorum atque rerum principalis debitoris ad vngulam vsque ad saccum & peram per iudicem facta inqnisitio & detectio.

Interdum est idem quod Ratiocinium. Brisson.

Discussor est qui rebus venalibus pretia statuit, vel qui est Cognitor & Discertator rationum fiscalium ab aliis tractatarum, λογοθέτης.

DISGREGARE *Visum.*

Disgregare visum est Dissipare spiritus visorios, qui ad pupillam à cerebro confluunt. Id præstat potissimum Lux interuentu coloris, cuius parens est. Idemque suo modo candor, qui ad lucem prope accedit. Colleg. Conimbric.in 2.de anima. Itaque definitur l. 10. Met.c.10. Color disgregans visum.

Dispensatio, œconomia.

1. Vox est Oeconomica, dispenso enim Græcis est οἰκονομέω & œconomus dicitur dispensator.
2. Est Vox Ethica & Oeconomica à qua denominatur iustitia consistens in δίανομῇ, id est, distributione. Dispenso enim Græcis δίανέμω est. Et Oeconomica definitur à Frid. Beurhus. & aliis Rameis ars bene dispensandi: vt Ethica bene viuendi, & Politica, bene gubernandi.
3. Politica & legalis est. Iuris enim seu legis relaxatio quædam dispensatio dicitur Gabriel Biel. Dispensatio est indulgens concessio Senecæ lib. 1. de beneficiis. Libertas dispensata est ex indulgentia concessa, Erbteute Freyheit. Cum peterem gradum primum Philosophicum Erphordiæ, memini mihi præfandum esse spectabilis D. Decane, peto vt T. Sp. cum Dominis examinatoribus velit super defectibus meis dispensare. Hic Philologi discant pro eo, quod semidoctum vulgus dicere solet, mecum dispensa, dicendum esse, indulgenter hoc mihi concede, vel cum Liuio: habe me hic indulgenter: vel cum Scaligero: Hanc mihi fac gratiam.

Dispensatio
- Diuina.
- Humana
  - Canonica.
  - Ciuilis.

Sunt etiam βραβευταὶ dispensatores, die die præmia außtheylen.

4. Est Medica. Est enim eorum qui in pharmacis occupantur, Διάθεσις καὶ διαχείρησις. Hinc Valerii Cordi Dispensatorium.
5. Est Oratoria & Logica pro recta dispositione, sic vsurpat Scaliger in exercit. 307. sect. 9. Et maxima subtilitatis pars in libris sapientum, est Oeconomia. Ei opponitur confusio.

Vltima. est Theologica. Accipitur autem à Theologis modo latius, modo strictius, quod ostendunt exempla. Ecclesiastæ. Parochi & Hierophanæ sunt διανομεῖς, seu dispensatores. Deus, cum agitur de prouidentia, dicitur omnia libere dispensare. Oeconomiæ creationis rerum artifex dicitur prouidentia, & prouidentia strictius sumpta ad solam rerum creatarum referri Oeconomiam dicitur à Francisco Iunio disputatione de prouidentia. Miracula dicuntur fieri οἰκονομικῶς seu dispensatione, vt quæ extra ordinem Deus faciat. In disputationibus de persona Christi frequens est Patrib. phrasis appropriationibus dispẽsatione è veteribus Patribus Græcis, & adhibetur distinctio inter λόγον Theologias & Oeconomias, id est, Filiũ Dei absolute in diuina ἔνδον δόσει spectatum, vt Iehouam; & Filium Dei incarnatum ceu in duabus naturis reipsa existentem seu Angelum & legatum Iehouæ ordinatum ad officium Mediatoris.

Dispen-

- Dispensatio Dei
  - Ordinata (τεταγμένη)
    - Κοινοτέρα, Extra Ecclesiam etiam, Regnorum Gubernatio vel conuersio.
    - Εἰδικωτέρα, ἱερατικὴ, In Ecclesia Ministerii sacri διάταξις.
  - ἔκτακτος seu ἔξω τάξεως, extra ordinem seu extraordinaria & miraculosa, quæ fit
    - In ipso Deo
      - Apparitiones, quibus Deus ostendit se hominibus.
      - Incarnatio Filii.
    - In Creaturis, Cœlestibus & Elementaribus, Hominibus profanis & sanctis, viuis & mortuis, vt sunt Sanctorum Liberationes, & conuersio Pauli miraculosa, viuificatio cadaueris ad contactum ossium Helissæi.

Chrysostomus in acta hom. 33. mira dispensatione facta est contradictio (id est, pugna inter Christianos) vt post contradictionem firmius sit dogma.

Vsus.

Scripsi ego corpus glorificatum esse in se visibile & palpabile, & si non videatur palpeturve præsens, id fieri per dispensationem. Hic obiicitur mihi ab aduersario nullum posse proferri locum, vbi patres profitentur, non videri corpus Christi glorificatum per dispensationem, vsurpasse eos tantum hanc vocem de manifestatione Dei in carne seu ἀνανθρωπήσει Filii Dei. Hic aduersarium errare ostendo.

Quicquid fit extraordinarie seu miraculose, id dicunt Theologi Græci fieri per οἰκονομίαν, Latine per dispensationem, id est, per extraordinariam actionem.

Quod corpus glorificatum non videtur & tangitur obiectum sanis sensoriis, fit extraordinarie seu ὑπὲρ φύσιν, per se vnum, seu καθ' ἑαυτὸ & visibile & palpabile, cum visibilitas & impalpabilitas non numerentur inter dotes seu prærogatiuas glorioſi corporis.

Ergo Theologi hoc dicunt fieri per οἰκονομίαν seu dispensationem. A Genere ad speciem: Qui ponit Genus vniuerse, ponit etiam quamlibet speciem.

Maiorem ostendo. Oeconomia apud Græcos Patres (vt apud Latinos Dispensatio) est vox seu Notio communis, vt non tantum significet vel denominet iis vnionem personalem, incarnationem & assumptionem humanitatis (vt cum dicitur à Cyrillo, propriam sibi fecit carnem Verbum Deus per œconomiã, & ab aliis ἕνωσις hypostatica ἢ καθ' οἰκονομίαν sic proprie dicta Ecclesiæ est indissolubilis, & à Damasceno lib. 13. c. 16. Caro deificata

esse dicitur secundum dispensationem vnionis) sed extra etiam & præter hanc complectitur alia omnia quæ fiunt extra ordinem vsitatum & naturalem, vel etiam institutum à Deo in Ecclesia, eiusque sancto ministerio, quo de genere sunt miracula.

Hæc igitur etiam œconomiæ diuinæ Patres Græci tribuunt, & οἰκονομικῶς fieri dicunt, ac distinguunt ita, vt dicant, Opera Dei quædam effici κατ' εὐδοκίαν, vt ordinata & vsitata: Quædam κατ' οἰκονομίαν seu ὁμιλίαν, vt extraordinaria & inusitata. Quo fit vt œconomiæ subiiciant, cum ferrum natat, cum Ionas non suffocatur in ventre piscis, cum ignis non vrit pueros in camino Babylonico. Necesse igitur est ex pari ratione: vt dicant Oeconomiam esse, cum Christus fit ἄφαντος ἀπὸ τῆς μαθητῆς, id est, quasi euanescit ex oculis discipulorum, quos detinebat, ne se agnoscerent, cum idem elabitur è medio & ex manibus prehensantium.

Sic Augustinus Dei φανερώσεις, id est, apparitiones (quæ in θαυμάτων censu numeroque habentur) quibus se ostendit hominibus, vocat Dispensationes. Vnum tantum produco locum ex cap. 11. de Trinitat. quem laudauit ante me Gabriel Bielius in M. sententiar. Illa omnia, quæ Patribus visa sunt, cum Deus illis per dispensationem suam temporibus congruam præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Etsi nos latet quomodo ea ministris angelis fecerit: per Angelos tamen esse facta non ex nostro sensu didicimus, &c.

Atque hæc de vi vocis Oeconomias & Dispensationis pro me satis.

Deus omnia regit & dispensat liberrime secundum
- εὐδοκίαν ἐνεργητικὴν, secundum voluntatis & arbitrii sui vim efficacem, per ordinatam causarum seriem.
- Oeconomiam (dispensationem seu dispositionem) ἐνεργητικὴν.
- Συγχώρησιν, permissionem & determinationem, qua decernit, quantum ac qnousque sit impiis indulturus.

Hic Oeconomia seu dispensatio est præter ordinem & cursum causarum alicuius operis à Deo molitio.

Διχοτόμως Deus omnia gubernat vel ἐνεργητικῶς, id est, effectus productione, vel συγχωρητικῶς, id est, permissione ac determinatione, hoc est, definitione ac constitutione metarum (vt mala culpæ.) ἐνεργητικῶς, vel secundum εὐδοκίαν, id est, beneplacitum voluntatis suæ, vel secundum οἰκονομίαν, id est, dispensationem. οἰκονομία est seu Oeconomia, cum Deus Angelus siue ad naturæ opera, siue ad Gratiæ mysteria, vel etiam ad singularia quædam iudicia extra ordinem supraque naturam exsequenda mittit.

Ac Boni Angeli diuinæ erga Ecclesiam beneficentiæ administri & dispensatores dicuntur.

Operationes seu actiones, per quas personæ diuinæ nobis distinguuntur, dicuntur œconomicæ. Per œconomicas intelligantur, quæ nec meræ personales nec meræ essentiales sunt, sed medii generis, quæ quidem in terminum communem, i.e. creaturam deferûtur, & in

& in quibus principium actus est virtus diuina communiter se ad omnes personas habens: sed tameu principalis per quem foras prodeunt, est Persona: Ita Patrem Creatorem, Christum Seruatorem, Spiritum sanctificatorem dicimus. Communis est omnium Personarum in creandis rebus operatio, & tamen DEVS pater personaliter creator dicitur, respectu singularis termini, à quo principium est creationis & rerum omnium, Lucas Trelcatius. Communitas operis non tollit singularem Oeconomiam seu dispositionẽ Personarum inter se, ad singularem Oeconomiæ diuinæ terminum in vnaquaque licet communi operatione.

Sed Basilius M. vocem œconomias diuinæ quoq; accipit pro actione Dei externa voluntaria, non proprie miraculosa, & opponit casui, vt in Oratione, quod Deus non sit auctor peccati, εἰ δ' ἐναγὲς ὅτι οἰκονομία τινὶ προσδίδωσιν ἡμᾶς ταῖς θλίψεσι, κατὰ τὴν ἀναλογίαν, τῆς ἐνυπαρχούσης ἑκάστῳ πίστεως τὸ μέτρον ἐπάγων βασανιστείων, Quibus verbis subiecta hæc vis est: Statuentes diuina quadam dispensatione crucẽ nobis imponi, (id est, nos non castigari casu, sed benigna Dei voluntate) & pro modo cuiusque fidei tentationes quoque immitti, id est in imponenda cruce seruare æqualitatem Geometricam, instar iusti & æqui dispensatoris, qui scit, quid quæq; ferat psona, quidque recusct. Vide Matth. Dresser. in annotat. in hanc orationem.

DISSONANTIA.

Dissonantia proprie in Musicis est confragosa sonorum collisio. Itaq; concentus per se insuauis. Itaq; vult vel Vitari, vel emolliri.

Emollitio dissonãtiarum fit vel in tactus depressione, vel eleuatione: vel in notarum celeritate: vel in notarũ mutatione. In depressione tactus fit descẽdendo, cum nota maior per minorẽ antecedentẽ ita secatur, vt maior pars altera ad priorem tactum complendũ, altera ad posteriorem incoandum pertineat. Vocant Syncopationem. In Eleuatione tactus fit in notis minimis gradatim descendentibus. In celeritate notarum fit, quando plures notæ vno tactu concinendæ gradatim celerius præteruolant. Ex semiminimis potissimum secunda & tertia eiusdem tactus teguntur. In sonorum mutatione, quando ♭ pro ♮ vel ♯, vel contra ponitur, vt sibi respondeant, vel geminum Mi Mi, vel Fa Fa, Vide vocem consonantiæ & rationem dissonantiæ melius intelliges.

Improprie dicta dissonantia in Logicis est propositionum oppositio, seu ἀντίθεσις.

In Rhetorica dissonantia Orationis est cum Oratio violat legem rhythmi, vel non conuenit cum re in pronuntiatione.

DISSVLTO.

Dissulto Pici durius est pro Resultare, emergere, existere, prodire, pro quibus etiam adhibetur Metaphorice ebullire, emanare. Picus in Heptaplo, ex potentiæ actusq; natura substantia tertia, quod compositum dicimus, dissultat, id est, resultat seu proficiscitur.

DISTANTIA,

διάστασις.

Distantia proprie accipitur pro intercapedine spatij; vt cum dico longe distare cœlum à terra.

Deinde pro differentia vel dissimilitudine, vt cum dico Asinum longius distare à Deo, id est minus ad Deum appropinquare gradu perfectionis. Qui volunt Aristotelem nõ statuisse DEVM

esse vbique, locum eius 2. de cœl. c. 12. & de gener. c. 10. corpora, quæ longe à Deo abscesserunt, turbulento motu agi & esse obnoxia corruptioni, interpretantur de distantia spatii. At qui cōtra sentiunt Aristotelem sensisse Deum toti mundo singulisque eius partibus præsentem esse, dictum locum accipiunt de Naturæ dissimilitudine.

Distare à se inuicem res dicuntur distantia
- Materiali; vt mas & fœmina; vel Dimensiua.
- Formali, vt opposita contraria, quæ sub eodem genere posita maxime distant à se, vt calor & frigus.

Distantia est Finita vel Infinita. Contradictoria distant in infinitum, distantia non dimensiua, sed formali.

Distantia Infinita est infinita simpliciter, vel secundum quid. Illa est ex parte vtriusq; extremi, hęc vero ex parte vnius extremi.

Ex parte Dei Deus distat infinite à creaturis; sed creaturæ ita se habent, vt vna sit propior Deo seu Diuinæ perfectioni, quam altera. Ita igitur ex parte creaturæ ad ipsum Deum distantia finitur. Barbari Scholastici etiam fecerunt quadruplicem Substantiam. 1. Naturalem. 2. Suppositalem. 3. Situalem. 4. Virtualem. Ergo & quadruplex fuerit contra coniunctio.

Distantia Naturalis seu in natura est, quæ est inter dissimiles naturas. Hac distantia Deus distat à creaturis: Quia Deus superat omnia per suæ naturæ excellentiam & eminentiam.

Distantia suppositalis est suppositorum, qua inter duo suppositа, vt Petrum & Paulum, interueniunt alia, vt Iohannes & Iacobus.

Pii distant à supernis τόπῳ non προαιρέσει, & sunt in supernis (ἄνω) non quoad locū, sed quoad studium. Basilius. M.

Distantia Situalis, qua aliqua (vt agens & patiens) diuerse sita sunt: vt ignis calefaciens & aqua calefacta. Sic situs ratione distant corpus Domini & Panis Cœnæ. Dicitur & Distantia loci & distantia localis.

Distantia Virtualis, qua agens distat à Patiente: quia inter hæc intercedunt aliæ virtutes, quemodo dicitur, Solē agere in inferiora interuentu luminis.

Coniunctio igitur Naturalis est, cum duę Naturæ conueniunt in eadem specie: vt sunt omnia indiuidua eiusdem speciei; vt Iohannes & Petrus.

Coniunctio Suppositalis est, cum inter suppositum & effectum productum ab eo nullum aliud suppositum interuenit, vt inter Christum seu Θεάνθρωπον & Viuificationem Lazari.

Coniunctio Situalis, cum duo corpora eodem modo sita sunt.

Coniunctio Virtualis, cum agens secundum virtutem sine alia media seu interueniente virtute operatur in patiens.

Addo ego distantiis illis distantiam gratiosam, qua res dicuntur distare per dissimilitudinem Gratiæ diuinæ siue à Deo, siue ab aliis rebus.

Coniunctionibus addo coniunctionem Spiritualem & Mysticam; de qua concionatur Euangelium.

Scoto multum distantia sunt, quę habent multas Differentias, quibus dissident, l. 4. d. 49.

In Astrologia Distantia ab Elongatione distinguitur aliquando. Dico aliquando, Quia Elongatio & Distantia à Meridiano plerunque sumuntur promiscue.

Regiomontanus & conuenientiā & discrimen aliquod monstrat in Doctrina Directionum. In hoc, inquit, conueniunt, quod vtraq; est arcus æquatoris con-

concluſus inter meridianum regionis ad circulum per polos mundi & centrum ſtellæ tranſeuntem. Sed in iſto diſcrepant. Elongatio ſemper à ſtella Meridianum verſus ſecundum ſignorum conſequentiam accipitur. Diſtantia autem nonnunquam contra ſignorum ſequelam in Æquatore perpenditur. Diſtantia denique ſemper aut tota eſt ſupra horizontem, aut tota infra eum: Elongationis vero pars altera ſupra Horizontē nonnunquā exiſtit, altera autem pars ſub horizonte.

DISTINCTIO.

Diſtinctio interdum accipitur latè, vt oppoſitionem includat. Oppoſita enim etiam inter ſe diſtincta dicimus. Sic diſtingui in genere eſt hoc non eſſe illud, ſiue hoc & illud, in aliquo conueniant, ſiue non.

2. Stricte & oppoſitioni ἀντιδιῃρημένως, (id eſt, cōtradiuiſe) ac opponitur identitati excludendo repugnantiam. Ita definitur Diſtinctio diuerſitas rerum ſine pugna. Barthol. Keckerm. in Logic. l. 1. c. 5. qui his ſubiungit εἰδικώτερον ſequentes quatuor acceptiones.

1. Diſtinctio ſumitur pro vocis ambiguæ euolutione & diuerſarum ſignificationū enumeratione, cuius formula: Hæc vox aliter atq; aliter accipitur, interdum hoc, interdū illo modo: Modo hoc, modo illud ſignificat. Terminus hic eſt διττὸν. Hoc πολλαχῶς λέγεται. 2. Pro diuiſione rei, cuius formula: Hæc res diſtinguitur in hanc & illam, vt cū genus in ſpecies diuiditur, cum totum tribuitur in partes aliquot.

3. Pro limitatione prædicati vel ſubiecti, cuius formula: Diſtinguo inter rē qua talis, & qua non talis: Item, ſecundum hanc vel illam partem vel rationem.

4. Pro indicatione diuerſitatis inter rē & rem alias non pugnantes inter ſe, cuius formula eſt Hæc res ab illa differt ita, diſtinguitur ita. Diſtinguitur hoc ab illo, vt perfectum ab imperfecto, vt affectum à perfecto. Pro diſtinguitur etiā dicitur diſcernitur, vt hac ratione potius diſcreta ſunt, quam re. Hęc inter ſe diſcreta ſunt, vt incoatum & abſolutū.

Diſtinctio
- Communiter ſumpta, Diuerſitas aliquorum, ſiue in aliquo conueniant, ſiue non.
- Peculiaris. Differentia ſeu diuerſitas aliquorum, quorum vnum ita non eſt aliud, vt tamen in aliquo conueniant.

Diſtinctiones.

Diſtinctorum quædam recipiunt oppoſitionem ſeu repugnantiam, vt aduerſa: quædam non, vt ſubordinata (ſubſtantia & animal, homo & animal.)

Diſtinctio
- Realis, vt diſparatarum ſpecierum & contrariorum.
- Formalis
  - Ex natura rei.
  - Per operationem intellectus rationis.

Diſtinctio
- Ex natura rei, quæ eſt citra operationem intellectus
  - Realis, qua vnum differt ab alio, vt res à re ſecundum formalem rationem ſeu definitionem.
  - Formalis.
- Rationis quæ fit per operationem intellectus.

Quę relatiue opponuntur, realiter distinguuntur. Filius & Pater relatiue opponuntur. Ergo Filius & Pater sunt idem cum essentia, sed non sunt de essentia.

Ex natura rei { actu seu formaliter. / Virtute seu eminenter.

In Deo est naturalis distinctio attributorum, vt sapientia & iustitia distinguũtur ex natura rei actu in homine, in Deo virtute, (formaliter vult Scotus) Anima rationalis sensitiua, vegetatiua in homine vno distinguuntur virtute ex natura rei, In equo sensitiua & in Homine rationalis actu ex natura rei. In anima rationali hi 3. gradus, esse intellectiuum, esse sensitiuum, & esse vegetatiuum distinguuntur virtute, eminenter ex natura rei; non actu.

Essentia & treś Personæ non distinguuntur formalitet ex natura rei: Non est inter essentiam diuinam & Personas actualis, sed virtualis distinctio ob infinitam sui perfectionem. Relatio Paternitatis & Essentia in Patre distinguuntur virtualiter.

Distinctio alia est inter species ἀντιδιηρημένας, alia inter τὸ ἀτελὲς καὶ τὸ τέλειον, id est, imperfectum (quod etiam τὸ ἐκ μέρους dicitur) & perfectum, vt cognitionem ex toto & cognitionem ex parte. Quædam igitur distincta & differentia recipiunt veram oppositionem (vt calor & frigus.)

DISTRIBVI, Complete, Distributiue.

Est accipi vniuersaliter. Animal est lupus. Equus est animal. Ergo equus est lupus. Animal nec in maiore nec in minore complete distribuitur, non ponitur pro omni animali, sed pro diuersis. Itaque nulla est consequentia. Vocant fallaciam ex varia suppositione Medii. Cum dicitur, Hæc essentia diuina est Filius, terminus essentia non distribuitur complete. Falsum enim esset omne quod est essentia diuina, est Filius.

Differunt Distributiue & Collectiue.

Definitiones interdum traduntur non tantum Distributiue, sed etiam collectiue, vt coniuges sunt, quia inter se generationis causa indissolubili societate coniuncti sunt. Hic enim cernitur collectione simul cum Distributione, quatenus nomen coniugum sumitur, pro quibuslibet duobus matrimonio copulatis. At coniux, abiecta particula vocis coniuges seu syllaba es, significante collectionem definitur is, qui alicui cõiunctus est indissolubili societate generationis causa. Exemplum etiam dant collega & socia causa. Distributiue igitur & collectiue interdum concurrunt, vt non excludant se mutuo.

Πᾶς, id est, omnis interdum accipitur Collectiue, vt omnis homo mendax: Interdum Distributiue pro Quiuis, vt dicit Deus: Ex Spiritu meo effundam in Omnem carnem, id est, in quamuis carnem, vt hac vocula notentur varia genera, non autem singula indiuidua. Sed alii Collectiue illud vocant Distributiue, & Distributiue Indefinite. Vide particulam Omnia.

Sic Melanch. Distributiua, inquit, vocant Vniuersaliter posita, vt spargi in omnia inferiora possint nullo excluso.

Matt. 3. Sic decet nos implere omnem iustitiam, intelligitur distributiue, id est, te tuam, me meam, id est, te decet parere tuæ vocationi, me meæ, non hoc vult, Meus Baptismus est omnis iustitia.

Cum Apostolus dicit, Credebant quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Vox Quotquot potest Distributiue

tiue accipi,nõ pro ſingulis ſimpliciter, ſed de omnibus citra diſcrimen,cuiuſcunq; fuerint conditionis aut nationis,nimirum vt non ſolũ Iudæi, ſed & Gentes crederent, & ad vitam æternã ordinarentur. Etenim de his Apoſtolus ibidem proprie agit. Geli.Suecan. Friſ.l.de prædeſtinat.

Diſtributiua acceptio eſt cum terminus diſtributiue ſumitur.

Eſtq; ſimpliciter vel ſecundum quid diſtributiua.

Simpliciter ſeu complete, cum terminus ſumitur pro ſingulis generum,id eſt,omnibus indiuiduis ſub ipſo comprehenſis.

Fonſeca. Suppoſitio diſtributiua pro ſingulis generum eſt, quæ explicatur deſcenſu copulatiuo enumerante omnia indiuidua,pro quibus nomẽ accipitur.

Diſtributiua acceptio ſecundum quid,cũ terminus ſumitur pro generibus ſingulorum:id eſt,pro ſingulis ſpeciebus & ordinibus, non autem pro omnib. indiuiduis. Omnia in Rep.communia ſunto,id eſt,omnium rerũ aliquę,quæ ſcil. ſunt communicabiles.

Fonſec. Diſtriſtutiua pro generibus ſingulorum eſt, quæ explicatur deſcenſu copulatiuo enumerando omnes ſpecies,pro quibus nomen accipitur.

Diſtributiuæ opponitur Collectiua acceptio,qua terminus Collectiue ſine Diſtributione (id eſt, vt prædicatum in inferiora diſtribui non poſſit) ſumitur. Fonſeca vocat ſuppoſitionem copulatam, haud ſcio,an quod multa numero ſeparata copulantur, id eſt, ſimul colliguntur,vt omnes ſenſus exteriores ſunt quinque. Vide Vocem Omnis.

DIVERSA.

Diuerſa in triplici ſunt Differentia.

1. Sunt Diuerſa, quorum vnumquodq; eſt vera res,eorumq; diuerſitas eſt realis. Ita diuerſa ſunt quantitas & ſubſtantia,Lapis & Aſinus.
2. Quorum nullũ eſt vera res, eorumq; diuerſitas non eſt realis, vt genus & ſpecies, duo rationis entia.
3. Sunt diuerſa,quæ inter hæc habẽt medium,quæ nimirum ſic ſunt diuerſa,vt vnumquodque quidem eorum ſit res vera ſeu dicat aliquid reale,ſed differant ratione,vt homo & animal. Sic ſapientia & iuſtitia in Deo res vera eſt, ſed hæc ab illa differt ratione tantum. Armand.de Bello viſu.



Si Differens large sumatur, à Diuerso nihil differt.

DIVERSITAS.

Diuersitas generaliter voce accepta est inconuenientia vnius entis cum alio orta ex tertij alicuius pluralitate. Hæc est Distinctio, vel Oppositio. Distinctio est rerum diuersitas sine pugna. Memineris autem hic Distinctionem specialiter & stricte accipi.

Distinctio est Realis, vel Rationis. Realis, quæ citra mentis cogitationem reuera est in iis, quæ distinguuntur. Est duorum re à se inuicem discretorum, vt sunt Deus & Homo, materia & forma, anima & scientia in ea. Aristotelici huc referunt Disparata. (Disparata vocant Diuersa, quæ Ramei annumerant oppositis.) Rationis, quæ fit τῇ διανοίᾳ, seu mentis conceptu (secundum nostrum modum concipiendi.) Hæc Thomæ Aquinati vel est pura, vel Eminens. Pura est, cum solus intellectus distinctionem sibi format, nempe cum nec in re, nec in virtutibus rei ineſt distinctio.

Eminens est, cum in rebus aliquid est fundamenti. Hæc est vel virtualis, vel Formalis, vel Modalis. Virtualis fit ratione virtutis & effectuum. Formalis Distinctio proprie est subordinatorum, Generis & Speciei, speciei & indiuiduorum. Modalis est vel modorum entium, vel entium per suos modos, vel modorum ab entibus.

Oppositio est Diuersitas cum pugna sine repugnantia inter res diuersas. Hæc est cum dependentia, vel sine: & fit tantum ratione remotionis. Illa est relatiua. Remotio est Totalis aut Partialis: vel remouet oppositum & relinquit subiectum: Hæc est Priuatiua: vel remouet oppositum, & relinquit subiectum & genus: Hæc est contraria.

DIVERSIVOCA.

Diuersiuoca sunt, quorum neq; est eadem Definitio, nec idem nomẽ. Boet. in Topic. Cicer. quando diuersa nomina diuersis attribuuntur, ait Alb. M. in prædicam.

Diuersiuoca sunt diuersa nomina vnius & eiusdem rei secundum substantiam, eo quod instituens nomina illa instituerit diuersis rei proprietatibus affectus. Alb. M. de Prædicam.

Diuersiuoca sunt, quæ neque nominis, neque rationis participationem vllam habent. Porphyr.

Diuersiuoca sunt res, quæ circa vnum & idem subiectum considerantur, nomen tamẽ habent diuersum, vt ascensus & descensus. Ammon. in Prædic.

DIVIDVVM.

Diuiduum, alias diuisibile. 1. Est quod in suas potest diuidi partes, vt quantitas continua vel discreta, & alia quoq; ad similitudinem quantitatis. Sic tempus & motus vocantur Diuidua.

2. Est quod est discontinuum, & cuius partes sunt discontinuæ, seu à se inuicem seiunctæ, ac aliquo medio distantes, vt corpus laceratum, ac discerptũ. Sic neq; motus vnus, neq; tempus sunt diuidua, sed continua.

Ita Indiuiduum (seu Indiuisibile est 1. quod reuera nequit in minorem quãtitatem, aut aliquas partes secari, vt in quantitate continua punctum, in tempore momentum, in numero vnitas, & sic motus non est indiuiduus, quia in suas partes continuas principium, medium & finem diuiditur, vt loquitur Velcur. 1. Phys.

2. Indiuiduum vocatur, quod in plura media diuidi nequit ad diuersos fines tendentia. Sic continuum est indiuiduum. Sic forma, sic motus, sic quies, sic tempus, sic corpus, sunt indiuidua & continua. Nam si diuiderentur, non

rur, non cohærerent amplius, neq; vnum, sed plura fierent.

Natura Indiuidua dicitur natura singularis seu ἄτομον, vt Cicero. Item singulare, quod Scaligero est Vniuersale Vltimis propriis conditionibus circumscriptum.

DIVIDERE.

Diuidere 1. est generaliter distribuere vel distinguere: Vt cum dicitur diuisio per affirmationem & negationem est immediata, qualis est Pico Diuisio Entis in substantiam & accidens: Substantia accepta pro eo, quod per se est, , quia inter hæc non est medium. Anton. Citadin. Philosoph. Medicus. Et prius diuiditur in quatuor significata, non vt Genus in species, sed diuisione multipliciter dicta, hoc est, analogice, ac si diceretur analogi in analogata. Alb. Mag. in Prædic.

2. Magis proprie est Genus in Species tribuere.

3. Scholasticis nonnunquam est idem, quod abstrahere. Caietan. Cardinal. S. Sixt. in c. 8. de Ente & Essent. Thom. Aq. Intellectus natus est ea quæ sunt sunt adunata in re diuidere.

4. Est Resoluere 1. Phys. c. 1. Diuidere confusa, id est, Resoluere confusa seu composita in suas partes Essentiales componentes, causatum in causam vel causas, & ita vti demonstratione à posteriori, quæ est Resolutio à nostro intellectu facta. 1. Phys.

5. In Doctrina περὶ ἑρμηνείας, est Negare seu remouere.

DIVISIBILITAS.
PARTIBILITAS.

Diuisibilitas est aptitudo ad diuisionem. Diuisibile est aptum natum diuidi, Barbar. dicit potentiam ad diuidi.

Diuisibile bifariam sumitur. 1. Pro potentia, cui opponitur actus diuisionis, 2. Pro principio, vnde fluit, vel apta nata est fluere hæc potentia, sed aptitudo ad diuisionem. Hoc Barbari dicunt principium aptitudinale. Sic rationale potest sumi pro potentia ad ratiocinandum, & pro principio, vnde manat hæc potentia. Vide Aquarium 5. Metaph. dilucid. 11.

Diuisibilitatem alij volunt esse quantitatis proprium πάθος, alij quidditatem seu essentiam, seu rationem formalem quantitatis, vt Aquarius.

Partibile seu diuisibile in partes { Rationis eiusdem. / Rationis alterius.

Numerus est diuisibilis per se in partes eiusdem rationis, vt in Vnitates. Numerus est diuisibilis per accidens in partes alterius rationis, vt quinarius in binarium & ternarium.

Continuum diuiduum in partes est eiusdem rationis, id est, quarum quælibet est continua.

Diuisio fit secundum { Partes quantitatis: Hæc diuisio inuenitur in terminis augmentationis & motus localis. / Gradus perfectionis: Hæc inuenitur in qualitate.

Termini igitur motus non acquiruntur vel deperduntur toti simul, sed successiue per partem post partem.

Leges DIVISIONIS, seu Distributionis.

Quæ diuidunt aliquid commune, non sunt vna in omnibus, de quibus

Intell. de diuisione Generis in species.

commune illud dicitur, sed in hoc vnum, in illo alterum, vt rationale & irrationale diuidunt animal. Itaq; non sunt simul in omnib. animalibus, sed rationale in homine, irrationale in bestia.

Diuidentia non debent excedere diuisum.

Nõ igitur debent esse in omnibus rebus, sed in certo rerum genere.

Quicquid est in genere, communicat genus eadem ratione cum speciebus.

Diuidentia debent se habere eadem ratione ad diuisum.

Distributio rei infinitæ est prætermittenda. Rei infinitę, id est, cuius tot species dari non possunt, quia plures inueniri possint.

In sensu Diuiso & Composito.

Potest à Deo fieri, vt præteritum contingens simpliciter, & in sensu Diuiso non fuerit, id est, verbi gratia, vt nunquam Adam fuerit. Nam Adamum simpliciter non fuisse, absolute possibile est, cũ fuerit cõtingenter. Eũ autem non fuisse, posito quod fuerit, implicat Contradictionem.

Atque hac ratione possunt conciliari duę sententiæ, quæ videntur contrariæ. Vna, Non posse fieri, vt præteritum non fuerit; Altera, Posse fieri, vt præteritum non fuerit.

Prima loquitur de Præterito in sensu Cõposito: secunda de Præterito in sensu Diuiso.

Omnia interdum in sensu Composito seu Collectiue accipitur, interdum in sensu Diuiso seu Diuisiue, vt significet idem quod Vnumquodque.

Bonum est, quod omnia appetunt, ait Philosophus. Huius Propositionis sensus est dubius. Sententia esse potest hæc: Quicquid ab alio expetitur, illud est bonum: Acceptio hæc est diuisiua. Potest & hæc esse sententia, Nihil est bonum, nisi quod ab omnibus rebus appetitur, seu illud, quod omnia appetunt, est bonum. (Deus) Hæc acceptio est Collectiua. Vide Gregor. de Valent. in Thom. de bonitat. Dei. p. 145.

DIVINVM,
θεῖον.

Diuinum est 1. Quod Deo participat, vt quæ non sunt obnoxia interitui. Zabar. Forma secundum se considerata est diuinum aliquid, quia omnes rerum perfectiones à Deo quodam modo prodeunt, & quicquid habet actũ, participat diuina perfectione. Ita ψυχὴ etiam, non tantum mens Aristoteli diuina dicitur & Scaligero.

2. Quod maxime est appetibile, vt summum bonum.



Theologi Corpus Christi humanum (cognatum nostris) vocant diuinum ex perfectionibus, quæ ei accesserunt per gratiam Vnionis.

Diuini-

Diuinitus.

Diuinitus significat { Modum, diuinitus loqui, id est, diuine. / Causam; Diuinitus accidit, id est, à Deo, diuino numine. / Vtrunque, Cicer. pro domo sua: Diuinitus inuenta & instituta.

Ad hunc locum ita commentatus est Michael Toxites.

Diuinitus vocabulum est ambiguum. Significat enim primo id, quod à Deo offertur. Deinde id, quod est mirabile. Quanquam autem tradunt scriptores ambigua vitanda esse: tamen Oratores illis vtuntur tum, cum vtramque significationem adferunt propter vim maiotem. Ita hoc in loco vsurpauit Orator.

Nota contra eos, qui aduersus me negare ausi sunt, Vnum & idem Vetbum in vna sententia non posse simul habere duplicem potestatem seu significationem, quos alibi multis egregiis exemplis refutaui.

DOCILITAS.

Velox ad scientias capessendas aptitudo.

DOGMATISTÆ,

Dogmatici.

Dogmatici & Dogmatistæ modo opponuntur Ephecticis seu Scepticis, modo Empiricis.

Primo enim Philosophi Dogmatici dicuntur, qui de rebus disserunt quasi comprehendi & intelligi certo possint ab homine.

Ephectici (ἐφεκτικοὶ) qui de rebus disserunt, quasi incomprehensibilibus, qui ἀκαταλημψίαν rerum introduxerunt. Differunt igitur modo philosophandi ab illis.

Deinde Medici Dogmatici dicti fuerunt, qui cũ experientia distinctam (qua indagantur abditę causæ) rationem coniungebant ad inueniendum præsidia ipsis rebus congruentia. Hi etiam dicebantur Rationales: quia vniuersalium præcepta methodo rationali tradebant.

Ἐμπειρικοὶ vero, qui vtebantur sola experientia particulari, quales quidam sunt ἐγχειρητικοὶ hodie, olim talis erat Thessalus.

Nititur autem Medicus verus duobus cruribus (dextro vno, sinistro altero) Ratione & Experiẽtia. Galenus etiam Dogmaticis opponit Methodicos (vt hi tertiam Medicorum sectam constituant) qui vtebantur ratione confusa nimiumque communi, vt ad intima propriaque rei non peruenirent, ac parum tribuerent experimentis, reducebant tamen omnes particulares affectus ad generales duos, Astrictum & Laxum, vniuersasque curationes ad astrictionem eorum, quæ laxa essent, & ad relaxationem eorum, quæ astricta.

Nauus empiricus, inquit ille, mihi est melior, quam otiosus & iners Dogmaticus.

Interdum Dogmatici alii sunt à Dogmatistis. Significat enim Dogmaticus nõ tantum eum, qui dogmata (seu sentẽtias) cudit, qui præscribit decreta aliis, vt eorum auctor & defensor: Sed etiã eum, qui ad præcipiendũ est idoneus, & dogmata arte rationeq; tractat, siue id faciat perfecte, siue imperfecte.

DOLOR.

Dolor vox est æquiuoca.

1. Dolor proprie dictus à Tristitia distinguitur. Dico diserte proprie dictus: Quia August. 14. de ciu. Dei. c. 15. facit alium

dolorem carnis, álium animi. Dolor carnis, inquit, tantum est offensio animæ ex carne, & quædá ab eius passione dissensio. Animi dolor, qui Tristitia nũcupatur, est eius dissensio ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidũt.

Dolor ergo proprie dictus inest animæ ex carne secundum partem sensitiuam. Definit eam Damasc. Motum appetitiuæ virtutis sensibilis in imaginatione boni & mali. Ad quam Definitionem dicit Scotus, sensibilis poni pro perceptibilis, quod sensibilis non perceptibilis non dicatur proprie passio animalis; & Imaginationem, hoc est, sensationem in sensu communi esse quasi approximationem agentis ad patiens, & cum hac coniunctam esse Impressionem passionis, quę sit dolor.

Tristitia proprie dicta inest animæ per se & primo secundũ voluntatem seu appetitum rationálem.

Radix Doloris duplex est, Prima Immutatio φθαρτικὴ, id est, Corruptiua vel Afflictiua seu Offensiua affectionis conuenientis naturæ. Contra Radix Delectationis est Immutatio Saluatiua affectionis naturæ conuenientis. Proxima radix est huius immutationis Apprehensio. Hæc differt à perceptione. Apprehensionis enim sensitiuę obiectum est sensile, vt color, sensus: Perceptio vero huic annexa habet pro obiecto Noxium, cuius intentio habet rationem mouentis ad πάθος; Illa est causa sine qua non; Hęc vero propter quam.

Fuit autem in Christo verus Dolor in parte sensitiua, quia obiectum approximatum tactui & appetitui sensitiuo non conueniebat illi sensui, qui perfecte percipere poterat, quia Christi corpus fuit temperatissimæ constitutionis. Hæc è Scoto.

2. Scaligero Dolor est sensio (id est, impressio in sensum delatæ speciei) rei incommodæ cum læsione, vel perceptio speciei naturæ aduersariæ. Contra Voluptas est rei conuenientis perceptio seu speciei naturæ conueniẽtis.

Dolor est impactio speciei naturam lædentis & ipsa læsio; Vel Dolor est tristis sensus rei incommodæ, vt fames indigentiæ; Voluptas contra est sensus iucundus rei commodæ.

Dolor est symptoma proprie & per se Tactus: Reliquorum etiam sensuum per Accidens, Vel propter κοινωνίαν, id est, quatenus tactus sunt participes, vel propter Obiecta eorum, quæ si naturæ mediocritatem excedant, causam aliquam proximam doloris procreant.

Quod Dolor non sit in contactu solo videtur etiam affirmare Scal. Idque ante eum sensit quoque Galenus l. 2. de caus. Symptomatum, vbi dicit Dolores fieri ex eo, quod sensus à sua constitutione, id est, statu naturali dimouentur, ac hoc ostendit ἐπαγωγὴ. Tactus dimouetur à suo statu, si nimii calores aut nimia frigora incidant: vel si ea incurrat, quæ contendunt, arrodunt, rumpunt, &c. Hinc illi dolores oriuntur. Gustus his iisdem dolet qua cum tactu communicat: vt vero gustus est, saporibus nimis acidis, acerbis, acribus & amaris dolet. Nam his naturalis eius constitutio turbatur, & soluitur continuum. Olfactus turbatur ex dissolutione vaporum nimis acrium. Nam illis continuum soluitur. Et Auditus deiicitur à suo statu voce aspera, graui, maxima & celerrima, nec non quouis sttepitu violento. Visus denique cum incurrit in splendidissima lumina & colores. Nam ista vim eius disgregant & dispergunt. Istis omnibus sensus dolent, quod per illa discedunt ab æquabili & quieto statu suo. Vicissim delectantur & voluptatem capiunt, quando ad suum proprium naturalemque statum reducuntur. Quod visus experitur quando se conuertit ad fuscum colorem, quo vis

cius

eius congregatur, in vnumque magis cogitur, vel cum intuetur blandos colores, vt viridem, aureum & cæruleum seu cœlestem. Auditus leni & tarda voce. Olfactus cum vapores hi resoluuntur, qui suauitate quadam roborant & confirmant organa olfaciendi. Gustui sunt voluptati pingues & dulces sapores; Oblectatur etiamsi nonnihil ægrotemus, subacidis & aliquantisper acerbis. Tactum iuuant qualitates temperatæ, lenes, tepidæ. Sic delectantur sensus & voluptatem capiunt, cum reducuntur ad naturalem propriamque constitutionem. Sed sciendum illos etiam voluptatem capere, licet offensi prius non fuerint, aut remoti à naturali statu. Nam si offerat se blandus color, aut iucunda vox, delectatur visus & auditus, licet prius à sua constitutione dimotus non fuerit.

Doloris Definitio quorundam Medicorum Solutio continui impropria est, sicut hæc quoque Auicennæ. 8. 1. Phil. Delectationis coniunctio virtutis cognitiuæ & appetitiuæ cum conuenienti, impropria est & causaliter intelligenda, vt prior illa (Doloris) connexiue. Nam in omni Dolore soluitur continuum, etsi non omnis dolor sit ex solutione continui vt causa, sed quidam etiam ex subita intemperie. Ioh. Pincier. Med. Magis propria est hæc: Operatio corpus contra naturam afficiens. Itaque dolor ad id, quod est contra naturam declinandum impellit. Loquor enim hic de Dolore proprie dicto, qui corporis est, non animi.

Doloris duæ sunt causæ; Alteratio præter naturam, naturam destruens, violenta, & solutio continui. Primum igitur quod ad alterationem attinet, (quæ fit in qualitate) dolorem excitant qualitates vel primæ; vel secundæ. Actiuæ Calor & Frigus maxime & efficaciſſime, Passiuæ Humiditas & siccitas. Nascitur dolor ex harum Positione vel Priuatione. In siti parit dolorem qualitas positiua siccitas, non absentia humidi. Ex humiditate dolor nascitur, cum immodica sui copia partem aliquam occupauit, vt vrina vesicam, nimius potus ventriculum, serum inascite crura. Siccitas dolorifica est si copiosi flatus partem aliquam impleant παρὰ φύσιν, vt in colica passione intestinum colum.

Continui solutio, hoc est, partium diuulsio generat dolorem vulnerando, erodendo, tendendo, premendo, conuellendo.

Estque manifesta ac sensilis; vel occulta ac intelligibilis seu ratione perceptibilis. Manifesta fit exulcerando erodendoque, vulnerando & rumpendo. Occulta fit, cum pars aliqua distenditur aut comprimitur, vel etiam supra modum calefit aut refrigeratur citra tamen exulcerationem.

Calor nimius soluit continuum segregando; frigus, constringendo & repellendo. Manifeste soluit continuum calor exuberans & frigus tale: vt cum ex aquæ feruidæ affusione pustulæ in corporis superficie excitantur, vel cutis ex frigore scabrescit. Siccitas manifeste soluit illud in linguæ rimis, occulte ex nimia repletione, vt in colica passione. Humiditas occulte distendendo immodica sui copia, quamdiu sensus nihil ruptum iudicat. Manifeste vero, si vasa rumpantur. Vid. l. Ænigmat. D. Pincieri.

DOMINVS.

Dominus in Ethicis & Politicis est generaliter, qui habet ius vel in personam, vel in rem: Specialiter, qui habet imperium in seruos (qui ita alieno Dominio subiiciuntur) in quo Reipublicæ summa authoritas consistit, qui habet iurisdictionem.

Tri-

Tribuitur etiam Voluntati, vt cum dicitur esse Domina suarum actionum, vel inferiorum potentiarum.

In Astrologia Dignitatis & ἐξουσίας simul nomen est, Dominus enim signi esse dicitur, qui validior est in virtutibus essentialibus. Sic Cornel. Schylander Medicus in Medicina Astrolog. Non omnis Planeta qualemcunque dignitatem in gradu & signo orientis habēs Dominus eius signi est nuncupandus, sed ille, qui fortior extiterit ibi in virtutibus essentialibus: Quemadmodum Sol vndeuigesimo gradu Arietis tempore diurno ascendens, ratione domus suæ quinque dignitates habet, & minoris est efficaciæ. Contra si nocte vigesimus quintus gradus eiusdem signi supra horizontem emergat, huius Mars ratione domus suæ & termini Dominus dicitur. Sol enim, quia ascensio nocturna & tertia facies Arietis, in partibus illis solam exaltationem habet: sin nocte secuuda facies supra hemisphærium attollatur, ambo æquales sunt in facultate essentiali: Vterque enim quinque dignitates possidet: Mars ratione Domus, Sol exaltationis & termini. Non tamen ambo Domini sunt censendi, sed horum loca bene consideranda sunt. Hic obserua aliud esse Planetæ altitudinem, aliud exaltationem. Altitudo enim locum & situm respicit; exaltatio vero virtutem, ἐνέργειαν & ἐξουσίαν. Vid. etiam vocab. *Altitudo*.

Dominus interdum etiam titulotenus est, non re: Sic honoris ergo aliquis dicitur Dominus. Re Dominus non est δυλοκρατέμβρος, id est, seruis seruiens.

DVBITATIO.

Dubitatio est, cum hæremus ob contrariarum rationum æqualitatem, quia sunt paria rationum momenta; seu, vt dicam signatius, suspensio seu cohibitio assensionis propter æquilibrium contrariarū rationum (propter ἰσότητα τῶν ἐναντίων λογισμῶν,) Arist. 1. Top. & 6.

Dubitatio est prohibitio progressionis ad intelligendum, cum motu disquisitionis. Hęret igitur circa id, quod occurrit, nec transmittit, sed ita hæret, vt circumuersetur quæratque aliquando veritatem, aliquando causas intellectionis. Duplex igitur Disquisitionis Obiectum: *Suspensus* est, ibi & quasi μετέωρος animus in re proposita; *Propensus* in quæstione. Ar. in 6. Eudem. aliquatenus definiuit dubitationem, seu ad eius definitionem allusit, cum inquit: γίνεται ἀπορία, Δέδεται (ligatur, vincitur) γὰρ ἡ διάνοια.

Dubitatio igitur est retentio ratiocinationis ex obice. Iccirco in 3. 1. Phil. ait Arist. Qui dubitat, vincto similis est. Vid. Scal. exer. 312.

Ab ἀπορία est εὐπορία.

Dubitatio est hominis πάθος ex æqualitate contrariarum rationum (Æqualitas hæc videtur esse nunc pręcisa, nunc ἐν πλάτει) Alex. Aphrod. 5. Top.

Dubitatio large sumendo est motus rationis interminatus super vtramque contradictionis partem: Minus large est motus rationis interminatus super partes contradictionis sine ratiocinatione. consensu inclinante. Alb. Mag. 3. 1. Phil. tract. 1. c. 1.

Dubitatio est quasi ligamentum, & responsio quasi solutio. Auerr. 2. de cœl. Dubitationis solutio nihil aliud est, quam inuentio. Aristot. 7. Ethic. Nic. cap. 2.

Dubium est possibile, cuius contrarium possibile est. Et Dubiorum alia frequentia sunt, alia peræque frequentia, alia raro. Chalc. in Timæ. Plat.

2. Dubitatio Metonymice est id, de quo dubitatur seu quæstio dubia, Græce διάπορημα.

3. In Rhetorica Dubitatio seu Addubitatio

bitatio(ἀπορία) est figura sententiæ,cũ dubitare & nescire nos aliquid significamus. Exemplo est in exordio apud Cicer.de perfecto Oratore.Et hoc miror,quomodo tibi in suspicionem venerim.Cognatũ huic est παράδοξον seu inopinatum,vt,Nunquam credidi fore,iudices,vt reo Scauro,ne quid in eius iudicio gratia valeret.

Dubitatio non est idem cum Admiratione, etsi interdum coniuncta sint, & hęc illi vicina. Nam admiratio est interdum causa ignota, id est, existit è causa nobis ignota,& tunc est coniuncta cum dubitatione. Interdum est cognita perspectaque causa, nempe cum admiramur coniunctionem causæ cum effecto, tuncque est sine dubitatione, & est iudicium subtilis cuiuspiam intellectionis.Scal.exer.312.

DVPLEX, *Multiplex Aliud.*

Duplex,Multiplex aliud, { Re,Substantia. / χέσει seu consideratione,vt statu,conditione,qualitate,Modo; vt hæc vox habet multiplicem potestatem.

D. Hieron.

Alia est Caro, quæ visura est Salutare Dei,(nempe immortalis,Theologiæ) alia quæ regnum Dei non possidebit, nempe mortalis.Hic eadẽ re caro propter alium seu duplicem statum,mortalem & immortalem, dicitur alia seu duplex.Id.in 1.ad Ephes.

Dupliciter sanguis & caro Christi intelligitur, *vel spiritualis illa, & diuina*, de qua dixit dixit ipse, Caro mea est vere cibus; *vel caro quæ crucifixa est*. Hic vnius re carnis χέσις seu consideratio facta est. Dicitur Caro Christi duplex statu, non re. Vnum re Substantiave potest fieri duplex,statu,modo,qualitate, vt corpus meum & animale & spirituale. *Canon.*

DVRATIO.

Duratio non distinguitur re ab existentia, sed tantum ratione formali, quæ est Rei in suo Esse seu in existentia sua persistentia.(permansio.)

Duratio { Infinita & æterna,proprie, Dei. / Finita rerum { Spiritualium seu incorruptibilium & diuinarum, quibus conuenit participata æternitas seu æuum. / Corporearum & Corruptibilium.

Seu Duratio est vel Permanentium, vt Mentium,Hominum,vel Successiuorum Entium, vt motus.

Duratio Successiua est eius rei quæ existit cum successione quadam,vt motus;actio Cœnæ Sacræ.

Duratio Permanẽs & tota simul eius rei est, quæ sine vlla successione & termino ex se ipsa existit.

Durationis vt formæ internæ effectus formalis est in Esse permanere.

Dicitur Æternitas Duratio Dei infinita: Itaq; non habens prius,nec posterius.

Duratio, id est, Continuatio existentiæ, non est noua generatio.

Poetæ Durationem pro induratione accipiunt,quæ est Species motus,nempe alteratio sensilis, qua ex molli fit durum,cui opponitur Emollitio, alteratio sensilis,qua ex duro fit molle: De causis harum alterationum vide sis Physicos.

- Duratio est
  - Æternitas (αἰὼν)
    - Maximè propria. Æternitas κατ' ἐξοχὴν seu absolute.
    - Participata, Æuum.
  - Tempus, quod Tertullianus vocat arbitrum & metatorem initii & finis.

- Duratio
  - Independens, Æternitas.
  - Dependens
    - Æuum.
    - Tempus
      - Continuum, de quo Physici.
      - Discretum, de quo Scholastici Theologi.

Instans igitur Temporis seu temporarium non est Duratio.

Definitio cum moderatione.

Nihil momentaneum proprie durare dicitur, scilicet Transiens. Continuo tempore mensurantur motus. Discreto tempore mentium mensurantur operationes sibi inuicem succedentes, quæ fiunt sine motu. Cur non continuo? Quia eiusmodi operationes seu actiones ἢ ἐνέργειαι non continuantur inter sese, vt faciant aliquam per se extensionem, sed succedunt sibi inuicem absque continuatione, teste Fonseca 5. 1. Philosoph.

- Duratio
  - Independens.
  - Permanens
    - Per potentiam in alio, id est, quæ naturaliter deficere non potest, sed vi primi principii; Æuum.
    - Dependens, Defectibilis
      - Ex se naturaliter. Instans seu momentum permanens. (a) Thomæ Aquin. Hoc tempus discretum constare ait Fons. 1. Phil. p. 471.
  - Successium, Tempus.

LITERA F.

FACERE.

FAcere primum Generaliter, deinde specialiter accipitur. Generaliter, vt etiam creatori conueniat.

Specialiter, vt Entibus creatis. Ita facere aliquid sumitur ad modum formæ, vel ad modum efficientis: Adde, quod sæpe etiam accipitur pro fingere, interdum pro ponere, vt facita esse, quod Barbaris est, pone, vt eueniat, pone hoc euenire. Latini etiam dicunt, esto, sit ita. Scotus Facere interpretatur alicubi per ostendere. Sic intelligit verba Boetii, 1. de Trinitate, Differentiam in numero, seu numeralem; accidentium varietas facit, id est, nobis ostendit, seu facit nobis innotescere; lib. 4. dist. 49.

Ad modum formæ) Forma humana adueniens materiæ facit hominem ad modum formæ, quia facit de homine potentia hominem actu. Homo vero generans alterum hominem dicitur facere hominem, tanquam agens, seu efficiens, Zabarella lib. de mente agente pag. 914. cap. 3.

Sunt magni nominis & eruditissimi viri qui proprie facere idem significare statuant, quod Græcis significat ποιέω. Dicitur autem proprie ποιεῖν is, qui aliquid, cum prius non extaret, effecit, vt existeret, id vero, quod effectum fuerit, ποιεῖσθαι. Plato in sophista, vbi & differre dicũtur ποιεῖν (facere) πράττειν (agere) & ἐργάζεσθαι (operari.)

Cicero Facere nonnunquã accipit pro inducere: vt Plato facit Socratem disputantem, id est, inducit Plato, facit Socratem laudari à Socrate.

Facere, libare, operari δρᾶν, ποιεῖν agno, thure, vino, est sacrificare, opfern.

Veritati facere seu sacrificare, sic Græc. θεῷ ῥέζειν facere Deo. Pindarus. ὑπὲρ τοῦ δήμου ποιεῖσθαι facere, i.e. sacrificare pro populo. Varro de re rustica: Dii facientes adiuuant, id est, operantes sacris, vt explicat Ant. Muretus. Videtur aũt locutio esse elliptica, hoc est in ea deesse Rem Sacram seu diuinam aut quid simile. Sic.n. Liuius lib. 23. Omnibus diuis rem diuinam thure ac vino fecisse. Ammianus lib. 22. Cum Ioui faceret rẽ diuinam. Plautinum quoq; est Rei diuinæ operam dare in Curcul. Ioui fieri (Ellipsi accusatiui Sacrum, qui ẽt sæpe additur, id est, sacrificari. Liuius: Aliis prodigiis procreandis prope tota ciuitas operata fuit. Facere vitula est in Virg. Bucolicis. Sed rem ipsam qua fit Sacrũ Plautus in Aulul. posuit in accusatiuo: Mulsi congialem plenã tibi faciam fideliam. Plautum igitur imitaretur qui diceret Facere vitulam. Cereri non libabatur vino est apud Macrobiũ lib. 13. c. 11. Sic quosdã è Romanensibus hoc Christi, Hoc facite in mei ἀνάμνησιν interpretari, Hoc sacrificate, vel in vulgº notũ est. Facere alicui benigne ẽ εὖ ποιεῖν, pertinet ad beneficia, vt Bene agere εὖ πράττειν, ad actiones: qp ẽt est εὖ ζῆν, & καλὰρετὴν ζῆν, est virtute viuere.

Facere discipulos vel discipulas Græcis est μαθητεύειν, qua voce vtitur Matth. Apost. & Euang. c. 18. Euntes μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. Hic mõnuerũt quidam eruditi verbum μαθη-

τέυσατε proprie idē ſignificare quod diſcipulos facere, ſed ſine accuſatiuo poſitū idē eſſe quod diſcipulum eſſe, vt ἐμαθήτευσε τῷ ἰησοῦ diſcipulus fuit Ieſu: Math. 27. ſed hæc ἐν παρόδῳ.

Facere iniuriam eſt inferre, ἀδικεῖν, cui opponitur Accipere, iniuria affici ἀδικεῖσθαι. Iniuſtitiā & crudelitatem facere alicui, barbaræ ſunt φράσεις: locutus ſic eſt Petrus Aliacenſis cognominatus Cameracenſis (quia fuit Epiſcopus Cameraci in Belgio) Etiamſi Deus æternaliter puniret creaturam aliquam vel affligeret ſine eius peccato, vel pure annihilaret, nullam iniuſtitiam vel crudelitatem ei faceret. Neq; verba neq; ſententiam approbo.

FACILITAS.

Facilitas primum accipitur ita, vt opponitur difficultati agendi vel recipiendi. Ita ſumitur in diſputationibus de potentia & habitu. (facile hoc eſt, id eſt, non difficulter cōparari poteſt.) Oritur difficultas ex proportione obiecti ad potentiā Alex. de Ales 2. Metaph.

Difficultas oritur ex diſproportione obiecti ad potentiam.

In Ethica accipitur proprie pro humanitate, & comitate, cum coniuncta eſt, cum ratione. Improprie, pro leuitate, cum ratione caret. Videtur eſſe quibuſdam, vt Michaeli Toxitæ, μέσον, cum interdum in bonam, interdum in malam partem accipiatur.

Facilitatis pars eſt ἐυαγωγία, qua nos aliis obſequentes exhibemus, qui imprudenter interrogant, vel intempeſtiue accedunt nos. Tales dicuntur ἐυαγωγοὶ. Nicol. Agric. in explicat. Orat. Cicer. pro Lege Manilia.

Pro Faciliter malo dicere facile, nullo negotio: Sic eleganter: Nihil negotij dicitur pro Facile. Cic. lib. 12. epiſtolar. epiſt. 2. Si liceret in ſenatu libere loqui, nihil eſſet negotii libertatē recuperare, id eſt, facile eſſet wer es leicht/hette es keine mühe.

FACTVM.

Factum ſeu opus accipitur 1. Generaliter, 2. Specialiter.

Generaliter facta ſeu opera aut ſunt dum fiunt, aut poſtquam facta ſunt. Habēt vero cauſam per ſe duplicem, Naturā & Artem, (per ſe dico,) quia Fortuna eſt cauſa per accidens. Natura eſt prima vel ſecūda. Naturæ ſecundæ opus, quod eſt, dum fluit: Generatio, corruptio, motus, augmentatio, diminutio, alteratio, diſpoſitio eſt. Alterius generis ſunt, id quod generatum aut corruptum, aut motum, aut auctū, aut diminutum, aut alteratum, aut diſpoſitum eſt: exempli cauſa, Homo genitus, Homo corruptus, ex quo cadauer factum eſt lapis, arbor, aqua, arena; quæ tamen libentius, frequentius & vulgatius rerum nomine appellantur. Naturæ primæ, id eſt, Dei opera ſunt extraordinaria. Artis opera ſunt, verbi gratia, tum ædificatio, nauigatio tum ædes, nauis. Fortunæ, tum inuentio theſauri, tum inuentus theſaurus,

Specialiter factū & opᵊ accepta excludūt factionē, & operationē, & diſtinguūtur à Rebus & perſonis: vt cum dico, ἐφαρμοσις, adaptatio ſeu accommodatio collationis ſeu cōparationis eſt opera ipſa, qua coniungimus apodoſin (retributionem) προτάσει (propoſitioni) Antapodoſis vero eſt corpus ipſum orationis additum corpori priori; pro qua tamen alii ἐφάρμοσιν, ſeu adaptationem dicere maluerunt.

De Factis Naturalib. Intelligatur Regula: Factum omne à mouente fit vniuoce: Albert. Magn. in 2. Metaphyſ. tractat. 1. cap. 11. Cæterum propoſitio hæc vera vt ſit, requirit duas vel tres determinationes ſeu adiectiones. 1. vt mouens nō ſit inſtrumentum, ſed princeps cauſa, & per ſe, nō per accidens. 2. vt cauſa nō ſit ſeparata, ſed cōiuncta. Themiſtius Auerroes, Al. Itaq; Thomas de corruptione & generatione. Factum, inquit, tri-

trib. de cauſis nõ aſſimilatur agenti in forma. (vulg. non eſt VNIVOCVM.) Primo, quia factũ nõ primo & per ſe reſpõdet agenti, ſed per accidens & poſterius. Secundo, quia agens agit inſtrumentaliter. Tertio, quia materia patientis non eſt proportionata ad recipiendam formam agentis, propter eius excellentiã, ſed recipit aliquid minus.

In Ethicis (Ariſtot. vide 5. Eth. cap. 10. & Lambini Schol.) factum iniuſtè Græcis eſt ἀδίκημα. Iniuria verò eſt ἄδικον (quod iniuſtum eſt) quanquam iniuſtè factum nonnunquam etiam iniuria dicitur. Factum iuſtè eſt iuſtum officium τὸ δικαίωμα.

FACIES.

Facies anatomicis proprie eſt ea pars in homine, quæ caluæ ſubiecta eſt: valde improprie & niſi fallor ἀφιλοσόφως bruto tribuitur.

Traducitur à Phyſ. ad Ethic. & Polit. vt formam & tanquam faciem honeſti vides. Cicer. Fateantur & Meandri perſona expreſſam eſſe faciem ciuitatis. Idem.

Transfertur etiam ad ſermonem. Nam Quintilianus dixit ſermonis ſimplicem faciem, (non fucatam:) Græcis eſt πρόσωπον & προσώπη. Et ad artificioſa, vt facies ædificii: apud Iureconſultos pro forma.

Facies & Vultus Lunæ eſt eius figura varia veteribus & Philologis noſtris: Facies eſt totæ corporis habitudo: Quaſi dicas, Factura corporis. Plautus in Poen. Earum nutrix, qua ſit facie, mihi expedi, ſtatura non magna, corpore aquilo ipſa eſt. Pacuuius in Nyt. Ætate integra, feroci ingenio, facie procera virum. Sall. in hiſtor. Sardinia in Africo mari facie veſtigij humani in occidentem, quam in orientem latior. Virgil. 4. Georg. vt binæ Regum facies, ita corpora gentis. Approbat Ludou. de Lacerta Toletanus.

FACVLTAS.

Facultas proprie eſt qualitas, qua idoneũ quid dicitur, vt afficiatur.

Facultas autem & potentia non ſunt ἰσοδύναμα. Facultas enim actiua vis eſt, ſeu virtus, ſeu poteſtas. Potentia vero eſt vel actiua vel paſſiua. Illa eſt habilitas ad agendum: Hæc eſt habilitas ad patiendum. Adeſt pro hac aſſertione Mercatus, qui lib. 1. part. 5. de anima & eius potent, claſſ. 2. quæſt. 132. Facultas, inquit, ſolum ad actionẽ ſeu effectionem habet reſpectum, ac deſignat cauſam efficientem: eſtque principium immediatum effectiuum actionis, quod è Galeno colligitur 1. de facult. natur. c. 4. & libro quod animi mores, &c. cap. 6. At potentia extendit ſe ad paſſionem, materialitatẽ, apparatum ſeu diſpoſitionem recipiendi, quod ab efficiente efficitur. Eſt enim ꝙ habet ſe ex parte materiæ, quæ magis proprie eſt mera potentia: ſicut facultas ex parte formæ, quia ab ipſa & facultatibus omnis actus prodit. *Facultas à potentia differt.*

Theodorus tamen Zuingerus in Phyſiologia Medica, cap. 43. Facultates παθητικὰς paſſiuas, ſeu patiendi ponit. Verba eius ſunt: Actiuæ facultates euidentia ſua in eam venerunt dignitatẽ, vt ſolo fere vulgo pro facultatibus habeantur. At paſſiuæ interim minime negligendæ ſunt, cum propter has ipſas corpus humanum medico ſubiici videatur, neq; à cauſis, neq; à Medico quicquam pati poſſit, niſi potentiam habeat patiendi.

Facultates (δυνάμεις,) dicuntur ab Ariſtot. artes: vt Oratoria, Logica, Medica: quia in potentia ſunt ad oppoſita: vt, Dialecticus poteſt probare veta, & refellere falſa. Orator poteſt ſuadere & diſſuadere: nonnunquam perſuadet, & quandoque id non efficit. Medicus & ſanare poteſt, & ſanitatem corrumpere.

Theod. Zuing. ad locum Ethicor. Arist. cap.1. Facultas seu potestas eadem cõtrariorum esse videtur, habitus autem contrariorum non est. Facultates intelligo Instrumenta scientiarum Grãmaticam, Rhetoricam & Logicam: Adde etiam si placet Poeticã. Quid multa? Ars dicitur δύναμις seu facultas, quia versatur circa aliquid, quod in nostra potestate est positum, vt fiat vel non fiat.

Facultas differendi & dicendi cum gratia oratoribus, est facundia proprie dicta, seu eloquentia. Ab hac aliena est Canina facundia, quæ forensium rabularum est.

Facultates in Mechanica dicũtur, vectis, Trochlea, Cuneus, Cochlea, &c. quod iis magna pondera & onera moueri tolliq; possint.

In Iurisprudentia Facultas est libera potestas rerum gerendarum, vel potestas facilis, vel cum facilitate coniuncta. leg. Si quis posthumus. ff. de lib. & posthum.

Facultatem dare est quod vulgo dicitur, Licentiam dare.

In Theologia quæritur, An Liberũ ARBITRIVM sit facultas, hoc est δύναμις actiua hominis applicandi se ad gratiã.

In Poetica & Oratoria celebratur facultas αὐτοσχεδιαστικὴ, eiq; opponitur ἐξεργαστικὴ ἢ ἀκριβὴς.

Facultas αὐτοσχεδιαστικὴ, id est, extemporanea faciendi aliquid, arguit ingeniũ εὐφυῆ, At ἐξεργαστικὴ, id est, diligenter & accurate elaborandi, σάσιμον.

Plato in Eutyphrone, περὶ παιδείας; Pædia est δύναμις θεραπευτικὴ ψύχης, id est, facultas seu vis medicatrix, seu curatrix animæ. Boetius & Daniel Bar. Facultatis eiusdem est, nosse similitudines & differentias, verum & verisimile perpendere.

Arist lib.1. Topic.cap.2. Et cæteris huiusmodi facultatibus, id est, artibus. Artes autem Philosophus dicit facultates μεταληπτικῶς, quia omnis ars potentem efficit artificem ad operandum, siue sint coniecturales, siue non coniecturales. Sic dicitur Dialectica vel Oratoria facultas, Dialectica virtus pro arte, quæ & Methodus dicitur Aristoteleis. Vide nouã explanationem Topic. Aristot. quam ediderunt Professores Logicæ Doctrinæ in Academ. Venet. pag.6.

Ποιητικὴ, Platoni in Sophista, est facultas effectrix, seu effectiua. Πιθανουργικὴ est facultas persuadendi, quæ in rebus forensibus, & concionibus & colloquiis factitandis versatur. Ea adhibet πίστωσιν, id est, probationem, & βεβαίωσιν, id est, probationis confirmationẽ, quæ dicitur approbatio.

Facultas differt à parte. Facultas animæ per totum subiectum permeat, pars est est in portione substantiæ. Ioh. Gram.

FALSITAS.

Falsitas accipitur stricte vel laxe.

Stricte, vt cum Schegkius ait, Falsum non nisi in συνθέσει, id est, compositione, hoc est, propositione esse potest, & alij: Falsitas non est in terminis seu simplicibus νοήμασι.

Laxe vero, & transcendenter, cum dicitur esse incongruentia entis cum Archetypo. Atq; hæc est vel rei, vel signi incomplexa (simplicũ) vel Complexa (Orationis) necessaria, vel contingens, seu Falsitas simpliciter, vel pro re nata.

Ex hac vocis explicatione responderi potest ad illud Arist. in Metaphys. 2. Non est verum vel falsum, ἐν τοῖς πράγμασιν (in rebus) sed ἐν τῇ διανοίᾳ, & ad hoc Schegkius: Verum & Falsum non diuidunt vniuersum Ens, sed duntaxat διανοητὸν, affirmationis & negationis causa oppositum.

Alberto Magno Falsitas est inæqualitas rerum & mentis.

Falsitas in opinionibus est, cum imaginatio rem capit non ex subiecto, aut res non

res non ita subiicitur intellectui, vt est Boet. in lib. de Interpret.

Falsitas esse potest, vbi non est mendaciũ. Nam potest imago non respondere exemplari, tametsi id contra mentis sententiam non proferatur. Iohann. Francisc. Picus Mirandul. in exam. Genethl.

FALSVM.

Falsum
- Simpliciter: vt quod secum pugnat: quod secum dissidet ipsum.
- Ex opinione: vt, cum bonum censetur Malum, vel non bonum. OPINABILE.

Falsum
- Extreme, cum ipsum negatur esse ipsum: vt, homo non est homo. Schegk. in Org. 534.
- Gradu inferiore, qua affirmatur ipsum esse suum contrarium: vt, bonum est malum.

Falsum (discrepãs à rei idea.)
- Absolute seu omnino, quod nulli ideæ respondet, quod contradictionem includit, quod sibi ipsi non cohæret, vt hominem esse ceruum: Chymeram esse: vt me sedere, dum sto.
- Cum restrictione, quod ita falsum est, vt verum esse possit: vt ego sum Regulus.

Hæc distinctio sumpta est ex Ioanne Pico Mirandulano ad Antonium Fauentinum, de Ente & Vno.

Falsum vocamus, quod non est; id quod esse videtur: vt, falsus nummus: falsum aurum. Quanquã autem falsum aurũ non solum non sit aurum, sed & aliud sit quam aurum: ei tamen, quatenus falsum est, accidit esse aliud quippiam, præter aurum, sed ideo falsum est, quia non est aurum, quod tamen esse videtur. (Itaq; apparens aurum aliquando dicitur, aurũ igitur falsum est, quia ideæ auri non quadrat. Sed quia Ideæ æris vel argenti non quadrat: ideo non omnino falsum, sed falsum duntaxat aurum est: sic vt neque omnino est nõ Ens, quia licet nõ sit hoc, quod est, aurum tamen aliud quidpiam est, æs puta vel argentum. Quod autem nulli ideæ respondet, id omnino & absolute falsum est, vt etiam non omnino est non ens, quod Chymeram vocamus, Et paulo post: Aurum falsum ideo falsum est, quia non est aurum. Quantũ vero ad falsi rationem attinet, accidit ei, videri aut esse aliquid præter aurũ.

Quid videri alicui.

Videri alicui ambiguum est, interdum etiam significat aspectionem oculorum interdum opinationem mentis.

Gabriel Biel 4. lib. dist. 15. quæst. 9. Res falsa aliqua dicitur denominatione externa, vt falsum aurũ, quod est permixtum viliore metallo. Falsum vinum, quod est aqua permixtum, quæ talia apprehenduntur, quam sunt; apprehenduntur enim, vt pura, cum sint permixta. Hæc falsitas contingere potest quadrupliciter: *in mente, in verbo, in scripto, in re & operatione.* Falsitas in mente, seu intellectu, cum mens rẽ apprehendendo, errat, quia aliter apprehendit rem quam se habet, seu cum intellectus rem aliter vel apprehendit, vel iudicat, quam est in se ipsa. In voce aut scripto, cum res aliter significatur, quam se habet. In re, vt in substantia rei: in mensura, in pondere, in numero. In operatione: vt, Pharisaica simulatione, dum aliquid simulatur, quod tamen non inuenitur in operatione aut effecto.

Falsum est { In RE : causatiue. / In conceptu : subiectiue. / In Propositione, significatiue.

Alex. Alens. in 5. 1. Phil. context. 34.

Falsum in mente ad Ens relatum est non Ens. Albert. Magn. in 6. 1. Phil. tract. 1. cap. 1.

Falso supposito, falsum sequi necesse est. Alex. Aphrod. 1. prior. cap. 9.

Falsum { Possibile, quod potest recipere: verum: hoc dicitur etiam contingens. / Impossibile, quod non potest: Auerroes 9. 1. Phil. text. 8.

Pico Mirandulano Falsum in vniuersum est, quod vero aduersatur. Falsum particulare id est, quod ideę rei, cui respondere dicitur, non conuenit.

Falsa captiuncula est, syllogismus captiosus. Alex. Aphrodis. in Elench.

Falsa est tota propositio, cuius contraria tota est vera. Aristot. prior. analyt. lib. 2. cap. 2.

Falsum crimen accipitur dupliciter. *Primum pro crimine quod speciatim est & dicitur falsum*, vt falsum sit substantiuũ: quod & Antiptosi eleganti mutatur in Concretum. Dicunt enim Iurisconsulti crimen falsi.

Secundo pro crimine, quo aliquis falso notatur, vt falsum sit adiectiuum. Sic Cicero: Falsum crimen, quasi venenatum aliquod telum iacere, id est fictum.

FAMES.

1. Fames naturalis maxime proprie est desiderium restitutionis alimenti deperditi à suctionis sensu exortum. Iordan. M. Aristotel. 2. de anima, & Simplicius in 2. de anima.
2. Cum corpus substantiæ fluori perpetuo expositum sit, exinanitæ partes solidæ ab exilibus primum tum amplioribus venis alimoni am expoſcũt, quæ parte illis concessa fœnore eandẽ à iecore tanquam communi corporis promptuario reposcunt: Hoc mesaraicis venis ieiuno intestino insertis, portę vero venis ventriculo insitis chylũ, si fuerit, attrahit, ne annona sufficiente destituatur: Si vero abfuerit, suctione numerosarum venarum corrugatur ventriculus, præsertim iuxta orificium superius, quod ratione neruorũ sentiens molestam corrugationem instigat animal ad quærendos cibos, expedientes restitutioni rei absumptæ. Et hæc corrugatio vel potius hic corrugationis sensus fames naturalis dicitur Thom. Iordan. Med. de pest. Phænom. tract. 2.

Sic Fernẽlius lib. 6. de functionib. & humoribus. Fames & appetẽtia animalis totius est ventriculi præsertumq; oris eius, tum temporis potissimũ excitata, cum supra modum exinanita ventriculi capacitare eius latera collapsa in sese concidũt, conuelluntur grauiter, vicina sibi præcordia, & cum interiores recessus, & quasi rugæ proprio humore exhausto maruerunt. Langius Famem dicit sensum suctionis viscerũ alimẽti à ventriculo in orificio eius. Loquitur magis causaliter, quam formaliter.

Platoni Dial. 9. de Rep. Fames & sitis sunt corporis habitus euacuationes.

Famos

- Fames dicta
  - Proprie
    - Physica
      - Naturalis
      - Animalis
    - Præternaturalis
      - Grandis βούλιμος.
      - Canina κυνικὴ.
  - Translate
    - Politica: Auri sacra fames.
    - Spiritualis: Cibus Spiritualis
      - Verbi Dei.
      - Carnis Christi.

Explicatio Ferneliana.

Famem dico inquit Fernelius animalem appetentiam: Naturalem quippe vna duntaxat sanguinis substantia per vẽtriculi corpus & molem effusa satiare potest, dum in eius naturam conuertitur, cæterum animalem nõ modo sanguis, sed & quicquid qualitatis cuiusdam suauitate præditum in ventrem demittitur, compescit.

Prætermaturalis fames est insaturabile edacis stomachi alimenti desideriũ: Descriptio est I. Langij.

Bulimus seu grandis esuritio accidit, teste Suida, existente niue, & in ea laborantibus pecoribus hominibusq; siue ob calorẽ cute frigore condensata, intus omnem coarctatum, nutrimentũ corporis affatim depascentem: siue quod acris à niue & subtilis exhalatio penetret, ac dissecet corpus, & corrumpat calidũ rursus foras redditũ (ἔξω αὖθις ἀναδιδόμενον) Vide Galen. lib. 2. aph. 21.

Canina esuritio fit ab humore frigido & acido, quẽ osculum ventriculi à splene intus absorpsit, qui adstrictione alimẽta in vẽtriculi fundũ protrudit famẽq; sedari cõtumacem, acerbitate humorum, indesinenter accersit: Dissoluere eam vini meri potationem, (quæ Græcis est ἀκρατοποσία.) autor est Hippoc. Pro Medic. Famescere Ciceroniani dicunt esurire.

FAMILIARITAS.

Familiaritas 1. in Ethicis virtus moralis est ὁμιλητικὴ Facilitas (apud Græcos ἀνώνυμος) Et opponitur in defectu morositas vel peruicacia. In excessu nimirũ placendi studium, Blanditiæ, adulatio (vide Tab. Ethic. Zuingeri) qualis est ἀρεταλόγων, qui non dicuntur ab ἀρετῇ, id est, virtute, sed ab ἀρετὸς, id est, gratus, placens. Adrian. Turneb. *Aratalogi vulgo Placentini.*

Familiaritas accipitur sæpe pro coniunctione, necessitudine, conuenientia, cognatione, beneuolentia, amicitia, συμπαθεία: & opponitur τῇ ἀντιπαθείᾳ, dissidio, dissimilitudini, vt cum Thomas Iordanus ait: Lemnij sigilli esse familiaritatem cum corde, Familiaritatem & dissidium è naturalibus non esse excludenda, quorumdã morborum familiaritatem & dissidium esse inter se, id est, conuenientiam & discrepantiam.

Familiaris est familiaritate coniunctus, domesticus, ad familiam pertinens. Opponitur ei alienus.

Endemi seu vernaculi morbi familiares suos inuadunt, vt Scorbutus Septentrionales. Familiariter mihi hic auctor notus est eleganter dicitur.

Familiaris disciplina seu doctrina est doctrina œconomica, seu de familia eiusq; ratione explicans. Lambin. vocẽ hanc esse à familia, id est, domo, notum est. Hic phrasis notetur: Familiam ducere pro excellere, vel sectatores habere, in aliquo summum esse.

Cicero & alii huius hærentes vestigiis ita loquuntur: *Hæc sententia* non paruam familiam ducit, id est, multos habet approbatores.

Ille familiam ducit, pro eo, quod est, spectatores habet, excellit 4. de finib. & 5. Philippica sumptum ab œconomicis, vbi Dominus spectatior est, si habet familiam non aspernandam.

Accedit etiam, quod familiam ducit eius in iure ciuili singularis memoria, summa scientia. Cic. epist. 7. ep. 5. id est, quod his amplius est, vt loquitur alibi Cicero, seu, q̃ in eo summū est, quod rei caput est, quod reliquorum caput est. Manutius intelligit, reliqua decora Trebatii esse vt familiam: memoriã vero & scientiam esse velut Duces. Duces aũt præstantiores sunt & maioris authoritatis, quam qui eum sequuntur, seu ei adhærent.

FASCINATIO.

Fascinatio species perditionis est seu corruptionis, qua se. per fascinum & pernitiosam qualitatem noxa infertur.

Eius genus duplex est: Ex amore alterum, cum is, qui amat, eliquat & perdit amantẽ intuitu, siue lumen sit, siue fluor, quod ex oculo emanat: Alterum in uidia & odio.

Fascinatio autem sic fit. Hic aer nobis circumfusus per oculos, nares, halitus alioſq; meatus ad profunda penetrans, & ex qualitatibus exterioribus eo secũ inferens, qualis influxerit, talem etiam his, qui excipitur, halitum ingerit. Itaque vbi aliquis liuore percitus res pulcras intuetur, circumstantem aerem malefica qualitate replet, ac proprium Spiritum acerbitatis plenum in proximum quenque contorquet. Spiritus autem, vtpote subtilis ad Spiritum vsque & medullas ipsas peruadit, ac plerisque morbus fit inuidia, & proprium accipit nomen fascnationis. Heliodorus lib. 3. Histor. Æthiop. Fascini porro vis maior est in tenera atq; imbecilla, quia quæ talia natura sunt, facilius affici possunt, vt sunt infantes & pueri, cum horum infirmitate & humiditate facile corpus *a* conuertatur in deterius. Vid. Alex. Aphrod. problem. Vide etiam Agellium lib. 9. c. 4. *a* rat

Ab Instrumentali causa fascinationis oculus dicitur fascinans, *βάσκανος* & *βασκαντικὸς* & *φθοροποιὸς*, corruptionis efficiens.

Est & fascinatio quædam ex nimiis (vltra placitum & meritum) laudibus: Beruffung. Catull. Nec mala fascinare lingua.

Plinius lib. 7. cap. 2. In Africa familias quasdam effascinantium esse tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. In transcursu, seu *ἐν παρόδῳ*, hic repeto illud *φιλολόγων*: Qui alium laudabant, addebant *ἀβασκάντως*, (id est, sine fascino,) vel præfamini, vel præfascine, quo testabantur se laudare alios non fascinando, seu cum liuore, sed candide & sincere. Sic Langius: Inoleuit consuetudo, vt quippiam laudaturi bene ominantes, ne verba nostra obsint, præfemur: vt Deus id conseruet.

Titinius in Setina adducit quendam dicentem; Paula mea, amabo. Hic subdit alius: pol tuo ad laudem addito præfiscini, ne puella fascinetur. Hoc est, absit verbo inuidia. Ignoscat mihi Nemesis. Vide Lud. de la cerda in 7. Ecl. Virg.

Vide de fascin. Franciscum Picum Mirandulanũ de prænotion. lib. 7. cap. 6. Vbi ait, Fascinationẽ ex irascibili potentia non sequi in materiã duram, quæ non cedit ad recipiendas corporeorum spirituũ impressiones. Albertus Mag. describit Fascinationem sic: Est cum anima vnius per visum, vel aliam approximationem imaginationis impedit operationẽ alteri, In 4. 1. ph. tract. 3.

De causa Fascinationis Marsilius Ficinus in Platonis conuiuium hæc habet. Fascina-

scinatio in pueris ab aspectu senis & mulieris menstrua patientis fit: quia virulentus aculeus ex oculis illorum exiens, cum à corde percutientis mittatur, hominis perculsi præcordia, quasi regionem propriam repetit, cor vulnerat, & in eius duriori dorso hebescit, & redit in sanguinem. Peregrinus hic sanguis è saucii hominis natura quodammodo alienus, sanguinem eius proprium inficit, & sanguis infectus ægrotat, &c. Hæc disputare hic nõ est.

Porro cum inuidi felici aliorum successu contristari marcescunt seu tabescentes corrumpuntur. Inuidiæ hoc fascinum quoddã est, Inuidia hæc, audita vel visa aliorũ prospera fortuna, per aures & oculos, fenestras vitiorũ, in corda prorepit: ex cuius maleuolẽtia Spiritus noxii in corde turgẽt & per aspectus toruos emicãt ac vt ignis è silice prosiliũt.

Effascinare est idem quod fascinare, vt effascinate intuitu, lingua, voce.

Transfertur ad animũ, ϛ νώμην Iudicium, voluntatẽ. Paulus ad Galatas: Qui vos ἐβάσκηνε, fascinauit? id est, qua quasi incantatione corruptum est iudicium, & deprauata voluntas vestra? quis vos inuidit? secundum veterem poetam. Βασκάνειν superstitiosæ vocis aut diri aspectus efficaciam notat; ait Ioach. Camerarius in notationibus figurarum orationis, in Apostolicis scriptis.

FASTIGIVM.

Fastigium 1. Proprie est tecti vel ædificii summitas. Dicitur interdum ẽt *Coronis & Colophon*. Columen aliud est.

2. Per metaph, accipitur pro fine, vt Imponemus huic operi incoato, informato, affecto fastigium: vel pro summo aliarum ẽt rerum aut excellentia, vt Fastigiũ inter Iurisconsultos tenere, Phrasi Pliniana, id est, excellere. (Interdum pro eo ẽt apex dicitur. Sic ad fastigium honoris euehi dicitur. Similem Phrasin habes in Lexic. Iur. Ioh. Caluini

Quære, si placet, in eo Fastigium attollere, den Stande erhöhen.

Fastigium galeæ est summũ galeæ, supra quod cristæ (der Federbusch) sunt. Alias Conus.

In Mathesi in doctrina de vmbris & eclipsibus Fastigium Pyramidis est eius extremitas (in quam desinit.) Hinc figura fastigiata dicitur, à verbo fastigiari, pro quo reperitur etiam fastigari. Exemplum è Silio Italico in Alberti Molnar Lexico & aliis habes.

Fastigium de re ima etiam dici reciproca Metaphora non est notum in vulgus. Virg. in Georg. 2. *Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia quæris.* Loquitur de scrobibus vitium & arborum. Hi debent in vitibus esse exigui, in arborib. profundiores.

FATVM, εἱμαρμένη.

Fatum à fando dictum est, iussum, dictũ, decretum quoddam. 1. Aristoteli Fatũ nihil aliud est, quam Natura vel Lex. (seu decretum) à natura vniuersali cõstituta de modo, quo quælibet res generetur & intereat. Genesius Sepulueda lib. 1. de fato. Zabarell. lib. 2. de misti generatione, cap. 4. Fato equus generat equum, i.e. secundum consuetũ cursum naturæ fit ex equo equus. Alexand. Aphrodisæus. 2. Nonnullis Stoicis, vt & Theologis, Fatum est Decretum diuinum: Dei prouidentia: sanctio & velut vox Diuinæ mentis: causa prima ordinatim agens per secundas, vt per naturam & voluntatẽ: vide August. l. 5. de ciuitate Dei c. 9. & Iustũ Lipsium in polit. de constant. Sic Fato dicuntur imperia constitui & mutari. Fato dicitur deleri Pharaonis exercitus. Pœnæ dicuntur fato immitti & esse fatales, id est, à Deo ordinatæ & definitæ 3. Aliis Stoicis est connexio causæ primæ cum secundis naturalibus & voluntariis, talis, vt nec prima causa aliter ciere posse existimetur, quã vt secundæ feruntur, nec voluntas

aliter agere posse existimetur, quam vt impellitur à præcedentibus naturalibus causis, inclinationibus, & visis, id est, imaginatione obiectorum. Hoc fatum prorsus reiicitur, quia tollit contingentiam & ἀυτεζούσιον: 4. Multis Astrologis: vt Melanchthoni Fatum est series causarum naturalium, id est, copulatio stellarum cum temperamentis & inclinationibus, non inferens tamen simplicem necessitatem, aut tollens libertatem voluntatis: etsi aliquam omnino propensionem afferat; Ac vocant Fatum Physicum. Summa rei est.



Regulare] vt regulare est imbecilles & nõ durabiles naturas esse, quæ eduntur: in coniunctione Solis & Lunæ, præsertim cum Luna accedit ad solem. Ortus Pleiadum & Styadum regulariter affert pluuias; Leo & canicula regulariter augent æstum & siccitatem, Septimus dies Medicis est criticus, id est, Iudicatorius. Fit in eo insignis mutatio in corpore ægrotante vel ad salutem, vel ad mortem, vt sunt sudores, sanguinis eruptiones, alui deiectio, pustulæ exorientes: Seu septimo die regulariter insignes in morbis fiunt mutationes, ac motus humorum, seu vt malum fiat leuius, seu vt fiat grauius. Fato Physico fit, vt cum in vna vrbe multæ sunt puellæ, incendatur aliquis vnius alicuius, quæ interdum etiam nõ est venusta, vel næuos habet, amore, cæteris neglectis.

Natura fit plerunq; vt congruant temperamenta, inclinationes, actiones & euentus.

Vsus.

Quæritur de quo Fato intelligendum: Homo serpentem gignit præter fatum. Resp. de fato Physico Aristotelico: Monstra enim Aristoteli fiunt præter naturam seu ordinem naturaliũ causarũ. Quæritur, an Ægysthus fato abduxerit à patrucle viuo coniugẽ: an Paris fato rapuerit Helenã. Resp. scelera neque diuino, neq; Physico, seu Astrologico fato fiũt: fiunt ὑπὲρ μόρον, inquit, Homer⁹ (recti⁹ παρὰ μόρον) præter fatũ, Odyss. 1. de Ægysthio. Neq; enim à natura, neq; à Deo ordinata sunt, neque necessaria sunt & immutabilia prorsus, sed illorum pœnæ sunt, &c. voluntariæ, quia accersunt sibi exitium suis factis malis, & necessariæ ac fatales, quia diuino ordine comitatur eos. Ἀδράστεια seu NEMESIS, id est, vindicta diuina: non sunt fortuitæ: sub fato tamen sunt peccata: fato quodammodo seu ordinationi Dei subsunt: sine Dei prouidentia non sunt: hæc illa ad bonum aliquod reuocat seu redigit. Aliud est fato fieri, aliud fato contineri: sicut aliud est lege fieri & lege contineri. Nõ omnia lege fiunt, quæ lege continentur. Sic non omnia fato fiunt, quæ fato continentur.

Quæritur de quo fato accipiẽdum, quod ait quid Pindarus, Græc. Lyricus P. Fatum nec ignis nec ferreus murus arcere potest? Resp. De Diuino, vt, quia erat decretum Dei ἀμεταβλητον, Carthaginenses non poterant impedire, quominus imperio potiretur vrbs Romana.

Quæ-

Quæritur de quo Fato hoc Ciceronis accipiendum: prædicere, quo fato natus sit, id est, quid cuique sit euenturum. Resp. De fato Astrologico seu Genethliacorum. Quæritur de quo fato accipiendum hoc Icastæ in Oedipo L. Ann. Senecæ: Fato ista culpa est: nemo sit Fato nocens? Respond. De Fato Stoico.

Sed nonnullorum quinta Fati significatio est, nempe eorum, qui Fatum ponunt in virtute corporum cœlestium in hæc inferiora influente, & in Astrorum positu, & quorum in natiuitatib. ratio habetur, vario concursu atq; aspectu, vel etiam oppositione, non tantum corpora nostra afficiente, sed animorum etiam motibus necessitatem afferente. Itaque notetur sequens distinctio.

Fatum
- Verum
  - Diuinum: Dei prouidentia & præscientia: Theologicũ fatum.
  - Physicum.
- Eimentitum
  - Stoicorum nonnullorum
  - Astrologorũ nonnullorũ
  - vocatur & Chaldaicum

  } animorum motibus necessitatem afferens.

Poetæ etiam quidam Stoicos nonnullos sequuti Fatum appellarunt Concilii totius Deorum quasi decretum, cui ne ipsi quidem singuli Dii obsistere possint. Sic enim apud illos Thetis nõ potest impedire fata Achillis, neq; Iuno Æneæ. Videatur etiã hic Plato lib. 7. de legib.

Cicero etiam fatum accipit pro fortuna, conditione, casu, infortunio. Et fata pro vaticiniis: vt fata Sybillina.

Fatale sæpe opponitur naturæ si, vt Cicero secunda Philippica videtur Fatum & naturam opponere, cum inquit, multa possunt contingere præter naturam, præterq; Fatum.

Naturale est, quod pendet ab ordinatis vniuersæ communisq; naturæ principiis. Fatale quod præter vel supra communes naturæ causas diuina voluntate contingit.

Aristoteli Fatale est, quod fit secundum naturam teste Bessarione Cardinali c. 9. lib. 2. contra Trapezũtium: vt quod moritur homo ab internis & sine aliena vi causis.

Eidem tempora anni sunt fatalia 1. Meteororum, Eidem præter fatum est vel fit, quod fit præter naturam: vt quod homo interit, vel gladio, vel igni.

Fatale deniq; sæpe opponitur volũtario. Fatalis dispositionis immobilitatem, quã Stoicus constituit, canit Chorus in Oedipo L. An. Senecæ dimetris his anapæsticis:

Fatis agimur: cedite fatis. — *Fatum ineuitabile.*
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi,
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus venit ex alto.
Seruatq; sua decreta colus
Lachesis: dum reuoluta manu
Omnia certo tramite vadunt
Primusq; dies dedit extremum. — *Fatum Deo potentius.*
Non illa Deo vertisse licet, — *Fatum inexorabile.*
Quæ nexa suis currunt causis.
Is cuiq; ratus prece non vlla
Mobilis ordo: multis ipsum
Timuisse nocet: multi ad a Factum — *a Hic Seneca accipit Fatum pro casu.*
Venere suum, dum fata timent.

Homerus Iliad. θ fingit Iouem Deorum supremum reliquos Deos & Deas de catena sua autea suspensos habere, vt eos per se habere possit, non tamen ab iis detrahatur, ipse pro eorum arbitrio è cœlo in terram, quod sit supra Deos & Homines. Eodem modo Iehoua, vt prima causa gubernat omnes causas secundas catena quadam quasi connexas & inter se aptas, non tamen contra

ipſe, prima cauſa, gubernatur à Secundis. Illo enim figmento poeta non patrocinatur fato Stoico, ſed proponit imaginem Monarchæ, à cuius nutu & arbitrio omnes inferiores pendent.

Quæritur nunc porro, quid formaliter Fatum ſignificet. Reſpond. videtur ſignificare formaliter relationem quandam: quod Scaliger ex ſententia aliorũ definiat lib. 3. Poetices, cap. 11. ſeriem quandam & connexionem cauſarum, quibus tum res, tum actiones initiũ & exitum (qui euenitus à veterib. nominatur) ſortiuntur: ſeries autem ſeu ordo, ſeu diſpoſitio relationem importat. Sed opponit Suazez, Fatum non poſſe eſſe relationem, quia ſola relatio nihil ad efficiendum valeat, itaq; eſſe applicationem diſpoſitarum cauſarũ, vt talis effectus ſequi poſſit, & hanc applicationem non eſſe relationem, licet relationis ſit fundamentũ, vel per modum relationis à nobis declaretur. Ita applicatio hæc habuerit rationem ACTIONIS. Non abſurde mihi videtur dici, Fatum pertinere ad prædicamentum actionis, ita; vt huic actioni adhæreat aliqua relatio, ſeu reſpectus aliquis.

Fatum aliquid efficit: quæritur ergo an ſit vna cauſa efficiens? Reſp. Fatum non eſt vna aliqua cauſa, ſed comprehendit cauſas efficientes & materiales ordinatas, vt quarum ſit collectio. Magis tamen reducitur ad efficientem cauſam, quia hęc eſt, quę per ſe inducit effectum, ſuppoſita maretia tali, & aliis conditionibus ad agendum requiſitis. Vide Suarez: & Ioannis Veltkirchii, ſeu Velcurionis phyſicam. Veruntamẽ Melanchthon in Dialecticis Fatum, inquit, ſignificat cauſam, id eſt, aut ordinationem diuinam, aut vim luminis ſtellarum, id vocat Ptolomæus Fatum phyſicum: Cum dicimus Fato adepti ſunt Romani Monarchiam, hic fatum ſignificat cauſam. Et fundamẽtum eſt Deus ordinans hanc rem, & mouens Romanos. Terminus eſt ipſe euentus. Sed Melanchthon principem cauſam mouentem nominans non excludit ſubordinatas motas ſecundas, ſed cõiunctas has illi intelligit; Dicit enim mouens Romanos: itaque non eſt reuera hic nobis aduerſus.

Fatatum, Barbarorum vox eſt (ex Græco expreſſum) pro eo dices, Fataliter definitum, ſeu conſtitutum, fatale: conſilio Dei prouiſum, prouidentia diuina conſtitutum. Non, vt letari pro leto ſeu morte affici dicitur, vt in hoc verſ. M.L.XI. Letantur lepores, lætantur laude lepores) Sic quoq; fatari. Scholaſtici quoque dicunt Fato determinatum.

Alia Fati diſtinctio.

Fatum { Abſolutum: vt quod dicitur mentis prouidentia ex indiſſolubili cauſarum Cohærentia conſtituta.
Conditionale, ex ſuppoſitione ex hypotheſi neceſſaria, quod non ex ſua natura ita conſtitutum eſt, ſed ex alio quodam vt verè ſuppoſitum.

Eodem modo Prædictio DIVINA eſt duplex. Vna ex abſoluta & efficaci Dei Voluntate profecta. Hæc omnino impletur & Effectum ſuum conſequitur. Theolog. Scholaſtici vocant prophetiam prædeſtinationis. ALTERA eſt Cõditionalis, quæ pertinet ad Dei promiſſiones & comminationes intelligendas vtique cum Adiunctione ſeu Conditione quadã: Quæ ſi aduertit, prædicta euenient: Sin aberit, nõ euenient. Hoc prædictionis genus vocatur à Schol. prophet. Comminationis κατ' συνεπόχην, quia etiam ad promiſſiones præmiorum pertinet, vt dictum eſt.

FERE

FERE. *ferme.*

FERE particula est modestiæ & cautionis philosophicæ. Vtimur ea in distributionibus & in enunciatis, non vsquequaque accuratis. Sic fortasse etiam κεφάλαιον, ἴσως, ἄν, ἔοικεν, & similes voces vsurpat Aristoteles: quia magno cum periculo propositio vniuersalis enunciatur. Minima.n. quaque obiectione destrui potest, & facile patitur ἔνστασιν. Aristot. lib. 1. Eth. cap. 4. Atque de nomine illius consensio κεφάλαιον (id est, ferme) est, inter pleroſque (philosophos,) vel, vt alius quidam vertit, inter omnes, etsi in Græco sit ἐπὶ τῶν πλείστων. Sic & alii Græci κεφάλαιον pro magna ex parte dicunt. Vide Eustatium, Cic. Ferme semper, Fere nunquam est rarissime seu vix vnquam.

FICTVM.

Omnia falsa sunt ficta, sed non omnia ficta sunt falsa. Comœdiæ Terentii fictę sunt, non autem falsæ. Nam sæpe ea fiunt, quæ ita finguntur. Differunt igitur Fictum & Falsum. Ita Genus & species interdum sunt synonyma, vt cum dicitur per exegesin, fictam falsamque.

Fictus dicitur cantus, cum propter textũ ad Emphasin signandam delabimur extoni alicuius debito positu ad peregrinas voces, in clauibus, vt: cum Fa aut Mi canimus in iis locis, in quibus vel natura sua non insunt, vel, in quibus ratione toni illius haberi non possunt.

Fictio interdum accipitur pro actione plantæ, sic sæpe accipiunt Latini physici. Sic & effictio. Est & vox Ethica; vt, cum quæritur in doctrina de veritate, an omnis fictio mendacii rationem habeat? vbi Respondetur negate.

Fictum idem est, quod simulatum, vel commentitium, & opponitur vero: ita dicuntur ficta non esse in prædicamẽtis, sed tantum vera Entia. Ita fictæ formæ non sunt veræ & reales formæ. De his Albertus Magn. in expositione cœlestis hierarchiæ: licet quandoque appareant Angeli in assumptis corporibus: possunt tamen quandoque apparere fictis formis in phantasia: talis fictio, an sit deceptio, quęritur? Negatur, quia est ordinata ad instructionem veritatis. Sic Dominus finxit se longius ire ἄνευ ἀπάτης, sine deceptione.

Fictiosus barbarum est, pro quo tu dices multum habens ingenii ad fingendũ.

FIDES *Bona.*

Bona fides interdum opponitur calliditati, fraudi, dolo. Sic dicimus cum ICtis, bonam fidẽ præstare. Negotium bona fide contractum, Rem bona fide venditam. In omni negotio contrahendo bona fides est necessaria Cod. de act. id est, ab omni contractu dolus malus abesse debet. Interdum idem est, quod χρηστότης, ἐπιείκεια, id est, æquitas, seu æquum & bonum, eique opponitur strictum, vt: Hoc alterum alteri ex bona fide præstare oportet. Iudicia bonæ fidei appellata sunt, in quibus iudex liberam potestatem seu facultatem iudicãdi habet quod sibi æquum visum fuerit. Bona fide aliquid facere est εὐσυνωμόνως, ἐπιεικῶς, exęquo & bono facere. Quint. in 10. Neq; enim bona fide sese in multa intendere potest animus, id est, candide, auffrichtig & εὐσυνωμόνως. Fide accepta à Legatis apud Liuium: vulgo saluo conductu, sicher Geleyd. Sallustius fidem publicam vocat.

FIENS. *factum.*

Fiens est, quod nondum peruenit ad terminum; quod adhuc est in fieri. Factum contra, quod est in esse perfecto: vt, morbus fiens est, qui est inchoatus, seu qui nondum peruenit ad statum,

qui habet ſuũ eſſe ἐν πρ ὶ γίνεσθαι, in fieri & produci, ſicut motus qui dependet à cauſa, quod ad ortum & conſeruationem attinet. Factus morbus eſt 1. Diſpoſitio præter naturam, à qua primo læduntur actiones. 2. Vel qui peruenit ad perfectionem ſuam, & eſt fixus, vt cum cauſa antecedens vniuerſa abit inconiunctam, Ludouicus Mercatus lib. 5. de Febrium Hectica-rum eſſentia & curatione : ſic eidem intemperamentum aliud fiens dicitur, nempe cum ita à cauſa oritur, vt ablata cauſa confeſtim ceſſet : Aliud factum, quod partem ipſam informet more naturalis temperamenti: Aliud medium inter fiens & Factum, quod adhuc eſt in motu (cuius eſſentia in ſucceſſione conſiſtere vulgo dicitur) necdum ad terminum perductum, licet aliquid habeat ſimul quod factum ſit: id eſt, medium habet partem fientem, factam, & inſuper futuram. Sic calor alius eſt fiens, alius factus: ille naturalem intemperiem partis, cui ineſt, nondum deſtruxit, ſed adhuc deſtruit: Hic vero deſtruxit, ſeu peremit.

FIERI.

Fieri proprie dicitur, cum acquiritur forma aliqua inhærens ei, quod muratur. Zab. lib. de Natur. conſtitut.

Quæ autem fiunt, fiunt ſecundũ vel ſubſtantiam, vel Quantitatem, vel Qualitatem. Hæ ſunt res abſolutæ, quæ poſſunt nominari formæ.

Quæ informantur fiunt informatione materiæ.

Quæ augentur, acceſſione: quæ minuuntur, detractione: quæ cõponuntur, cõpoſitione, quæ conuertuntur, fiunt commutatione.

In Dialogis Luciani eſt τὸ σῶμα κόνις γεγόμενον, corpus puluis factum eſt, id eſt, in puluerem verſum eſt, interprete Eraſmo. Hic alia acquiſita eſt eſſentia. Vide Ariſtotelem lib. cap. 5. Phyſ.

Scamnum fit ex ligno, ſtatua ex ære, per informationem. Partim Naturales hi modi, partim Artificioſi. Supernaturale eſt, fieri per vnionem hypoſtaticam, ſeu per aſſumptionem in perſonam: vt cum dicitur: Verbum caro factum eſt.

Ex Scaligero & Alberto M.

Fieri ex aliquo per
- a Corruptionem; vt in putrefactione.
- b Perfectionem; Mutatione ordinis prioris ad poſterius.

a Sic fit ex limo putrefacto Rana.

b Sic fit Iuuenis ex adoleſcente, vir ex Iuuene: Scaligero & P. Seuerino ex ſemine animal. Hic poſterius eſt perfectio prioris.

Ex Acciaiolo in lib. 2. Ethicor. c. 1. Fieri aliquid bifariam conſiderari poteſt: Aut vt totum & omnino, aut aliqua ex parte. Ex operationibus fiunt virtutes, ſed non tantum ab illis. Vnde operationes illæ non ſunt cauſa totalis & integra, ſed recta ratio, imperans appetitui, & ad mediocritatem redigens, cum operationibus totalis eſt cauſa productionis virtutum.

Ex operationibus autem fieri, eſt ab operationibus proficiſci.

E Scholasticis.

Fieri aliquid dicitur
- Terminatiue: per se.
- Consecutiue: per accidens. Barbari dicunt concomitatiue.

Consecutiue] id est, vt aliquid consequẽs seu comitans terminum motus : vt, Accidentia.

Terminatiue] id est, fit aliquid, vt terminus mutationis, seu motus, vt compositum.

Ex Alexandro Aphrodis. in 1. Metaph. & Alberto Magno de Anima.

Fit aliquid
- Proprie
  - ex imperfecto perfectum.
  - ex partibus totum.
- Improprie
  - E contrariis contraria, vt aliquid post aliud: ex ἀμύσῳ μυσικὸν, id est, post ἄμυσον.
  - Ex efficiente.
  - Ex signo.

Primum & tertium modum ponit Alexander Alens. in 2. Metaph. his verbis. Fit aliquid aliter ex potentia materiæ: aliter ex contrario seu priuatione.

Fieri aliquid ex potentia materiæ, est fieri per se.

E contrario seu priuatione fieri, est contrarium per priuationem corrumpi.

Zabarella. Id quod loco mouetur, non solemus dicere generari aut fieri, nisi maxime improprie. Locus enim est res externa, quæ non potest forma motæ rei vocari, à qua possit vocari Generatio vel τὸ fieri.

De vltimo modo sic Albertus Magnus de anima lib. 15. tract. 2. cap. 4. Ex signo aliquid fieri improprie dicitur, cum ob id cognoscimus aliquid fieri, quo cognito nos aliud facimus.

FIGO.

Figere damas, ceruos, aues, βάλλειν Græcis est: Figere tabulam, figere Leges & refigere Politicorum locutiones sunt. Fixæ leges sunt in Æs missæ & prouulgatæ. Refixæ sunt abrogatæ post fixionem.

Figere est Chymicis ad consistentiam redigere. Hinc oleum tale dicitur Fixum. Est è diluta & tenui συςάσει aquositate separata, vel digesta oleosam vel stabilem producere.

Flos (spirituosa rei substantia per sublimationem extracta) per se volaticus & fugitiuus potest figi.

FIGVRA.

Primo Figuræ Physicis sunt, quæ extrema quantitatis eiusdem subiiciuntur aliter, atque aliter oculis, quatenus extrema sunt. Additur conduplicatio, quatenus extrema sunt, quia colores aliter atq; aliter obiiciunt oculis quantitatem, & quanquam etiam tactu comprehenditur figura: tamen primarium obiectum est oculorum. Scal. lib. 4. de causis Latinæ Linguæ. c. 87.

2. In Mathesi figura est termini vel terminorum dispositio. Scal. ex. 61. Non est proba definitio hæc: Schema est, quod terminis clauditur. Non enim

figura est linea punctis terminata. Figura non est extremitas corporis, vt veteres dixerunt, sed dispositio extremitatis. Nempe si illa esset definitio, non esset, nisi vna figura. Extremitas enim, quatenus extremitas non nisi vna est. Fit autem varia, propter varias dispositiones, quibus figuræ constituuntur. Scal. exer. 359. s. 4.

In Geometria, Ramo figura est lineatum vndique terminatum.

Euclidi est, quod aliquo vel aliquibus terminis comprehenditur, (vulgo, Figura, aiunt, est quæ: vitiose; Quæ muta in Quod.) Descriptio est: quæ aliquo modo etiam videatur conuenire Figurato, vt dicatur, Figuratum esse, quod clauditur termino vel terminis; de quo infra disputabitur.

Figura propria vel aliena.

Hinc figurari id est figuram recipere, idq; vel propriam vel alienam. Vide Zabarel. lib. 1. de element. qualitatib. c. 4.

Ita accipiunt etiam Logici, in 4. specie qualitatis. Eis enim figura est nihil aliud, quam quidam partium quant. inter se concentus, & harmonia, vt cum Zabarella loquar è lib. 2. de materia cap. 9.

DECRETVM
Philosophicum.

FIGVRA non potest à figurato separari, si separetur, figuratum amittit rationem figurati.

Scholastici otiosi quæsiuerunt, An Deus possit figurã à figurato separare. Cum Deus mutat Naturam, hæc amittit rationem naturæ.

In Grammaticis figura translate dicitur à figuris physicis. Sicut enim corpora coalescunt coniunctione certarum partium: ita notarum notionumve coniunctione voces componuntur, ita, vt alterius modi fiat alia vox ex magno & animo, Magnanimus: quare Magnũ simplicis figuræ dixerunt, item Animum: at vtrumque iunctum compositæ. Compositio hic est vel rerum positiuarum, vt cum dico, Magnanimus. Animus enim & magnitudo sunt duæ res. Hanc Scal. lib. 4. de causis Latinæ Linguę cap. 87. vocat compositionem verã. Vel est priuationis & positionis, vt cũ dico, Indoctus. Hanc vocat Scal. non veram, ratione ὑπάρξεως physicæ, quia priuatio & positio in re non sunt; sed intellectus non potest ea apprehendere, nisi aliquo modo componat. Nam vtraque compositio vera est Grammatice. Idem Scaliger deducit figurę vocem a Fingo, quod est veram rem imitatione exprimo. Sed hoc fere ἔξω τοῦ πράγματος.

In Grammaticis etiã Metaplasmi seu Tropi & Enallagæ, & anomaliæ quædam syntacticæ, seu orationis dicuntur sæpe figuræ: vnde à nonnullis syntaxis in simplicem seu rectam, seu regularem, & figuratam diuiditur.

In Logicis Figura vox etiam metaphorica est, cum dicitur Syllogismi simplicis tres esse figuras. Hæc figura scilicet est syllogismi conformatio, secundum certum medii termini situm, certosq; qualitatis & quantitatis modos. Definitore Alexandro Aphrodisæo est σχηματισμὸς δύο προτάσεων κατὰ τὴν μέσου ὅρου. Scaligero Figuræ sunt dispositiones medii termini. Fortunato Crellio Figura est legitima trium terminorum, maioris, minoris & medii dispositio, quo medius semel cum minore coniungitur, atque ita duas propositiones constituit, ex quibus necessario tertia ab illis duabus diuersa concluditur.

In Poetica à Scaligero laxa notione describitur Figura, varietas in re aut oratione à communi vsu deflexa, vel notionum, quæ in mente sunt, inoffensa, proba, tolerabilis delineatio alia ab vsu communi. Suntque aliæ figuræ verborum, aliæ rerum. Ex his quædam aliis tantum Argumenta & argumentationes sunt, non figurę. Sciendũ a. est

Scali-

Scaligerum hic in quibuſdam eſſe ſuũ & vocẽ figuræ ſumere laxius. Vide lib. 3. poetices.

In libro de vniuerſa elocutionis Rhetoricæ ratione Ioannes Sturmius, ẽt vocẽ figuræ valde ample accipit. Nã figuras dicit & χήματα λέξεως (verborũ) & χήματα τῆς διανοίας (exornationes ſeu ornaméta ſententiarũ,) & Schemata argumẽtoſa, directa ad probandũ, & amplificandũ, vt ſunt ſimilitudo & exemplũ: & χήματα actionis, cuiuſmodi eſt, ꝙ pertinet ad motũ corporis, vt quod fit protenſa manu, & à Græcis vocatur δεικτικὸν, quia fit per nomina demonſtratiua. Vide lib. 2. c. 14. pag. 352. vt: exemplũ eſt in Ciceronis Verrina 4. videtis illum ſub criſpo capillo nigrum, qui eo vultu nos intuetur, vt ſibi ipſi peracutus eſſe videatur, qui tabulas tenet, qui ſcribit, qui proximus eſt: Is eſt Caius Clodius.

Ramus & Talæus in Rhetoricis agnoſcũt tantũ figuras dictionis & ſententiæ, & figuras, quę aliis ſunt, Amplificationis, ad Logicã remittunt: illaſque accurate diſcernunt à tropis, ſeu verbis τετραμμένοις, ꝙ modificatio conſiſtat in verborum poteſtate, id eſt, ſignificatione.

Dionyſi⁹ Halicarnaſſe⁹ Figuras ſeu Schemata nominat tria orationis Iudicialis genera, vnũ rectum (εὐπρόσωπον, quaſi liberalẽ habens faciem) cũ dicimus id ꝙ ſentim⁹. Alterũ obliquũ; vbi dicim⁹ aliter, quã ſentimus: tertiũ contrarium; quo contra dicimus quam ſentiamus. Vocantur nonnunquam Colores.

Figuræ nomine in oratoria & poetica appellãtur ẽt Characteres, ideæ formæ dicẽdi ſeu φράσεως. I. Vber, magniloqua, magnifica, altiloqua, magna, plena, grãdis, generoſa. II. Infima, Gracilis, Tenuis. III. Media, quam Scaliger eleganter vocat Æquabilem.

Aliquando vox Figuræ improprie & analogice accipitur non inelegãter, nẽpe cum mutis & ſaltantib. tribuitur. Huc pertinet illud Scaligeri: etiã figurate exprimũt muti intellectiones ſuas ſine vllis verbis. Quid ipſę ſaltationes, quas ſine verbis vllis ſaltãt Hiſpani? adeo. n. figuris ſcatent, vt poetam, vel hiſtoricũ loqui putes. lib. 3. poetices cap. 31. *Saltationes Hiſpanorũ figuratæ.*

Nonnunquã tam à recentoribus, quam à veterib. Figura accipitur pro tropo, vel impropria locutione, & figuratum pro tropico ſeu modificato.

Magiſter Thomas Bricot in comm. lib. 1. de Generatione & corruptione: Homo nõ eſt per ſe primo extenſus, cum neq; quælibet pars eius eſſentialis ſit extẽſa, ſed ſolũ materia, & ſic homo dicitur extẽſus ſecundum figuratiuã locutionẽ, puta, ſynecdochicã, ita vt illa, homo eſt extẽſus, valeat iſtã, pars hominis eſt extẽſa, vel homo habet partẽ extensã, ratione cuius denominatur extẽſus. Hactenꝰ Bricot. Sed ego in hac, Homo eſt extẽſus, nullũ prorſus tropũ agnoſco: ſed dico eſſe enunciationẽ Logicã indeterminatã, quæ cum reſtrictione ad partẽ intelligenda, ideoq; ſimilis tantũ ſit ſentẽtiæ, ſeu orationi ſynecdochicę: de qua Rhetores. Eodem recidit, quod alii dicunt (Schegkiani) eſſe Synecdochen Logicã, quæ in prædicatione eſt, non in voce. Ita intelligatur hoc Viti Amerbachii in l. de Philoſophia Naturali. Sæpe tribuitur per ſynecdochẽ toti, ꝙ in parte fit. (Tribui dicit, vt intelligas, eſſe hanc Synecdochẽ non Rhetoricã, ſed Logicã: ſeu Attributionẽ, ſeu p̃dicationẽ Dialecticã.) In his omnibus locutionib⁹: Homo eſt alb⁹: Lapis eſt cę rule⁹. Virgili⁹ eſt Poeta, vere eſt Synecdoche: (id eſt, ꝑꝑ partẽ tribuitur aliꝗd toti.) Nã ſicut in illis totũ dicitur coloratũ ꝗa pars aut inhærẽs, i. e. ſuperficies eſt alba. Ita Virgili⁹ eſt poeta ſecũdũ partẽ, hoc eſt animã, non ſecundũ totũ, ꝙ eſt corpus cũ anima. Hactenus Amerbach. p. 265. Horum imitatione Theologi veteres & recẽtiores nonnulli, & quidẽ magno numero, ac χαριέντες, ſcri-

bunt ac dicunt ; Filius Dei est passus, esse synecdochen, & locutionem synecdochicam. Hoc itaque dextre accipiendum est sine calumnia.

FIGVRA *Dictionis, seu similis figura appellationis, in doctrina de Fallaciis*, Aristot. Organ. est quædam species ὁμωνυμίας, quæ dicitur Græce ὁμοιοσχημοσύνη, & ὅμοιον σχῆμα λέξεως, *cum duo, quæ natura distincta sunt, vt quæ generibus dissident, simili nomine nuncupantur, seu similibus vocabulis exprimuntur*, vt, cum finis ille, quem sibi proponit Deus, & iste finis, quem sibi proponũt impii, aut illa, quæ Deus adhibet, vt ad finem perueniat, & ista, q̃ impii adhibent, vt ad finẽ perueniant, simili nomine nuncupantur, ὁμωνυμία & ὁμοιοσχημοσύνη. Verbi gratia: Induratio Pharaonis vna est, qua Deus Pharaonem indurat, altera qua Pharao se indurat: & quamuis vna induratio ab altera nimium quantum differat: tamen vtraque induratio simili specie nominis nuncupatur. Sed interim actio Dei ad finem Deo propositum tendens cum actione impii Pharaonis ad finem impio propositum tendens non confunditur: ὁμοιοσχημοσύνη autem interdum vti cogimur, quia non singulæ res habent singulas voces, seu plures sunt res quam vocabula. Sed in vsu eius natura à natura distinguẽda est. Vide Claud. Alberium in oratione Apodictica, de vera & legitima successione. pag. 302.

Actiones Dei & impiorum, ad finem spectantes simili specie & figura verborum designantur.

Fallacia Figurę dictionis species quædam est, quæ ex mala interpretatione (quæ Græcis est ψευδερμηνεία) phraseos. Verus igitur hic phraseos sensus in solutione est aperiendus, & ita captio detegenda.

FIGVRA *pro signo*, est è Relatorum genere, id est, ex eo genere rerum, quæ ad aliud referuntur, neque sine eo, ad quod referuntur, intelligi possunt. Ita accipitur in Canone. 1. *Figura habet similitudinem* cum re significata; vt fractio panis cum passione & morte Christi. 2. Et: *Tanta interdum est similitudo* rei significatæ & figuræ, vt figuræ ipsæ rerum significatarum nominibus appellentur. Figura Principis Mauritii, quæ spectatur in Auro, non diceretur eius figura, nisi eum aliquo modo saltem, si non ad viuum expressum, referret. Manna est figura seu typus, seu imago corporis Christi: vt manna de cœlo datum est, ita corpus Christi est de cœlo, id est, de Spiritu S. in ventre Virginis effictum est. Vt manna mirabiliter nutriebat Israelitas: Ita caro Christi data pro nobis in mortem, nobis verus est cibus in vitam æternam.

Analogia figura rei figuratæ.

3. Et, FIGVRA *reuocatur*, seu refertur ad essentiam eius rei, quæ ipsa significatur. Relatiua enim id ipsum, quod sunt, aliorum sunt.

Sic FIGVRA sicut & vmbra opponitur quodammodo VERITATI. Dico quodammodo: quia inter hæc etiam consensio quædam est, cum sint correlata.

Figura cœlestis Nariuitatis, Astrologo est constitutio 12. cœli domiciliorum, & stellarum in eis, tempore eo, quo quis in lucem editur. Vide Tractatum Astrologicum de Genethliacorum thematum Iudiciis Henrici Ranzouii Producis Cimbrici.

OBSERVATIONES.

1. Quidam è Sophistis Scholasticis valde improprie in disputationibus suis accipiunt Figuræ vocẽ pro accidente quodam figurę externo & violento, vt curuitate, quã flexione accipit, quos notat Vitus Amerbachius lib. 2. de philosophia naturali, his verbis: Virga cum agitatur non accipit aliquam figuram, si accipiatur proprie & Mathematice, sed flectitur & reflectitur in cauum & cõuexum, nec idem est rectũ aut flexum esse, quod est figura: id est, virga motu curuata non facit rem nouam.

2. Al-

2. Alteratio olim fuit de abſtracto & concreto, Figura & Figurato. Sic fuerunt raticionati. Figuratum eſt, quod clauditur termino, vel terminis. Figura eſt, quod clauditur termino vel terminis: Ergo Figura eſt Figuratum. Reſp. Ex puris affirmatis in ſecunda figura nihil ſequitur.

Quicquid terminis vel termino clauditur eſt figura. Figuratum clauditur termino, vel terminis: Ergo figuratum eſt figura. Vel:

Quod clauditur termino, vel terminis eſt figura. Quod clauditur terminis vel termino eſt figuratum. Ergo figuratum eſt figura. Reſpond. N.C. propter æquiuocationem, & confuſionẽ dicti ſecundũ quid, & ſimpliciter: quia quod clauditur terminis vel termino proprie ſeu per ſe eſt figura. Quod vero clauditur terminis vel termino per aliud eſt figuratum. Hoc eſt, quod ait Vitus Amerbach. Non corpus, quod habet figuram, proprie clauditur termino vel terminis, id eſt, lineis: ſed figura CVI INEST. Loco modo adducto. Sic hac ipſa diſtinctione vtrumq; verum eſt. Quantitas eſt terminata. & Quantum eſt terminatum: Vide Zabarel. in Phyſ. & Fonſec.

FIGVRATVM.

Figuratum in Phyſicis dicitur, 1. quod habet figuram. Ita omnia corpora dicuntur figurata, quæ termino vel terminis clauſa ſunt.

2. In Matheſi, quod ſignificat figuram, vel ſimile eſt figuræ, vt numeri quidã. Sic Multiplicatio numerorum figurata dicitur: quia eſt ſimilis conſtitutioni rectilineorum planorum. Vt autẽ numeris multiplicatione factis, figurarum nomina dantur (nam numerus ab aliquo factus per ſe Quadratus dicitur: Numerus factus ab aliquo per ſuum quadratum dicitur Cubus) Ita numeris, vnde facti ſeu procreati ſunt, id eſt, factoribus: nomen datur laterum, factoribus inquam numeris, baſi & altitudini. Ducta enim baſi in altitudinem vel contra, creatur ipſa figura. (Baſis & altitudo dicuntur latera figurati. Numeri, vnde fit figuratus, ſunt baſis & altitudo. Ergo numeri, vnde fit figuratus, dicuntur latera figurati:) Intellige Nomina figuratorum, quadrata, cubi, modificata eſſe in Arithmetica, neceſſitatis cauſa adhibita, vt ſermonis perſpicua eſſet breuitas. quam non patiebatur vſus propriarum vocum.

3. Figuratum dicitur, quod ſignificatur figura, vt Cæſar ipſius ſtatua. Ita correlatum eſt è genere σχεδιῶν.

4. In Rhetoricis Sturmius accipit Figuratum, ita vt opponat & conuerſis τετραμμένοις ſeu modificatis, & natiuis, id eſt, & propriis & impropriis verbis: vt oratio figurata ἐσχηματισμένη, hoc eſt, exornata figuris, colorata quaſi ſchematibus. Sic etiã Ram. & Talæus.

5. A Scholaſticis ſæpe Figuratum accipitur pro tropico, ſeu eo, quod tropo affectum eſt, pro analogico.

Sic T. Bricot. Synecdochica locutio eſt figurata in lib. 1. de generat. & corrupt. Tyrannus eſt Lupus: prædicatio eſt figurata, id eſt, analogica, metaphorica. Phil. Melanchth.

Scholaſticos ſecuti ſunt etiam recentiores Theologi. Iudas appellatus eſt Diabolus non propria, ſed figurata locutione. Vt enim pij vocantur Dij participatione: ſic impij, Diaboli. P. Mart. diſp. de Euchariſtia pag. 576. Sed idem eandem etiam vocat tropicam & analogicam.

FIGVRALITER & figurate, p tropice ſeu modificate & improprie. Sic accipit Vit. Amerbach. 4. lib. Phyſ. p. 376.

Theologi etiam pro ſpiritualiter, vt: Hoc intelligendum figurate ſeu figuraliter, id eſt, ſpiritualiter, & myſtice.

Figuralis & figuratus cantus opponitur, vt loquuntur, Chorali ſeu Gregoriano.

FILIVS.

Filius & pater ſunt communia nomina, quæ vni conueniunt prius: aliis poſterius. Primo conueniunt hominibus: homo producens alium hominē per viam naturæ dicitur pater, productus, dicitur filius. Hoc eſt quod Armandus ait: pater & filius nomina *tracta ſunt* ad producēs, & productum intra naturam intellectualem, APPROPRIATIONE *quadam*. Secundario brutis communicantibus ſimilem naturam ſecundum ſpeciem attribuūtur. Hinc cani Scaliger tribuit nomen patris & filii. Tertio maxime improprie plantis fœcundis.

In Iuriſp. filius extenditur nonnunquā ad nepotem, & in feudis filiorum appellatione veniunt vſq; in infinitum omnes deſcendentes. Hęc eſt ampliatio. Nam ex proprietate ſermonis nepos filii appellatione non continetur, ſed ex interpretatione. Filiorū etiam nomine filiæ aliquando continentur, l. 16. ff. de teſt tutel. l 122. de verb. ſign. ſed non è contrario. Porro in Polituis filiorum alij dicuntur Naturales & legitimi ſimul: vt qui naſcuntur per legitimum torum: Alij legitimi tantum, vt adoptiui, qui ſanguine & natura nō ſunt mei, ſed adoptione facti. Alij naturales tantum, vt nati ex concubina in domo, indubitato affectu vero coniuncta, quæ in matrimonium duci poteſt. Alij neque naturales neq; legitimi, vt qui ex damnato coitu nati ſunt. Hi tamen ſunt non naturales κατάτι, nempe quia congreſſus, vnde extiterunt, fuerūt præter naturalem rationis legem ac regulam.

Filius
- Vniuoce: Generatione Vniuoca. Natura: γνήσιος, quanquam etiam filij adoptione à Græcis γνήσιοι dicuntur.
- Æquiuoce
  - Generatione æquiuoca: Ita Mundus Platonicis eſt filius Diuini intellectus, eius quaſi partus & fœtus.
  - Lege, ποιήσει: CVRA. Aſcititius: Ita Seruator noſter fuit filius Ioſeph.

Diſtinctionis huius eſt vſus magnus etiā in Theologic. diſput. Seruator noſter eſt & Dei & Mariæ filius Vniuoce: & Seruator noſter filius etiam Dei eſt ſecundum humanam naturam æquiuoce, quia virtute Spiritus Sancti conceptus eſt.

Ποιήσει) dicitur filios ποιητὸς à Græcis, cui ſubiicitur filius καθ' ὑοθεσίαν (per adoptionem:) Filij (παῖδες ἰατρῶν) Medicorum per Helleniſmum ſunt Medici. Sic Filij Philoſophorum Philoſophi: vt filius hominis eſt homo in ſacris literis: Vide Lucianum & Budæum in Pandectis.

Filij filiorum ſunt poſteri, παῖδες παιδῶν Græc. Plato etiam in libr. de Republ. diſtinguit inter filium Germanum ſeu proprium, & ſuppoſititium ſeu ſubditititium, qui alias adulterinus dicitur.

FILEITAS.

υἱότης.

FILEITAS, quæ & improprie Filiatio dicitur, barbara vox eſt, qua ſignificatur Modus ſeu ratio, qua aliquis eſt filius: vel filii proprietas, cui opponitur paternitas.

FILTRATIO.

Filtratio eſt liquoris infuſi colatura, ſeu percolatio, ſeu ſubductio per filtrum.

Filtrum eſt colum Chymicum (vt manica, pannus laneus, villoſus, in ſacci formam conſutus, lineus, charta emporetica ſeu bibula, conuoluta vel complicata.) Fit filtratio potiſſimum in humidis, è quibus aquoſitas tenuis tranſit, reſiſtentibus ſpiſſis, vnctuoſis,

sis, oleosis. Reinigung durch ein Filtz/ auch wüllen Tuche. Operatio hic dicitur Destillatio per filtrum : in hoc relinquuntur feces.

Scaliger exer. 46. Separatur ab aqua vinũ per transmissionem eius panni, quod Filtrum vocant, vt nunc de Ederæ ligno nihil dicam.

FINIS.

Finis I. est terminans rem : ita limes finis agri est, punctum finis lineæ. Hinc finitor agrorum mensor dicitur. Et orbis Finitor, qui terminat visum nostrũ: Alias Horizon in Doct. Sphær.

II. Est interitus , vel finis consumens, seu consumptionis, id est, vltima pars rei pene absumptæ. Ita mors est animantis finis seu extremum. Ita finis candelæ est, cum fere nihil amplius de ea reliquum est.

III. Finis idem est, quod perfectio rei. Alex. de Ales.

IIII. Est finis intentionis, ad quem efficiens ordinatur, & qui mouet efficientem ad agendum. Zab. Finis cuiusque partis est operatio propria, & proprium munus. De hoc loquitur Albertus Magnus, cum ait : Finis est, cuius causa fit omne, quod fit : & Thomas cum ait : Finis non est principiũ, nisi vt est in intentione mouentis : & Simplicius : cum ait : Finis est causa formæ, vbi forma distincta est à fine: & Iohan. Grammaticus: Finis maxime naturalis est, quem sibi tanquam scopum proponit natura, vt aliud faciat, quale ipsum est: & Alexand. Alens. Finis ratio postulat , vt terminet actionem, & intentionem agentis.

V. Finis κατ' ἐξοχὴν, dicitur , in quem reliqui fines destinantur. Ita finis κατ' ἐξοχὴν, est finis actionis medici, si cum fine cognitionis conferatur.

Zuingerus inter Scopum & Finem distinguit in annotationibus Ethic. Aristotelis sic: Consilium seu voluntas agendi, seu προαίρεσις, propter finem aliquem est, qui finis proprie scopus dicitur, & in mente artificis, vt Medici, oratoris reperitur. Scopo enim proposito, ea quæ ad scopum hunc consequendum opportuna sunt, adhibere cogitat. Proinde bonus Medicus, bonus item orator , semper scopum suum assequitur. Ille quidem ea, quę ad sanitatem recuperandã facere possunt, afferendo, hic vero ea, quæ ad persuadendum valent, adhibendo. At finem non semper, cum hic extra mentem artificis positus sit. Idem facit alium finem πράξεως, alium cognitionis, ita tamen, vt ille cum hoc coincidat : Exempli causa : cum Medicus ægro Rhabarbarum propinat , non tam vt curet, quam vt Rhabarbari vires exploret: finis idem est & theoriæ & praxeos. At cum curandi tantum causa, finis praxeos est sanitas extra medicum in subiecto ægro, isque diuersus à fine theoriæ, qui erat veritas, qua perficiebatur intellectus, medici cognoscentis.

His adde ex Zabarella: Finem quandoque sumi, vt causam, quandoque vt effectum, propter cognationẽ quandam efficiens dum sumitur, vt causa est prior natura ipso fine, sumpto vt effectu, accipiendo prius natura secundũ ordinem generationis. At dum ipsum eundẽ effectũ non, vt effectum sumimus , sed vt causam finalem respectu illius eiusdem efficientis, est natura prior ipso efficiente , sumendo prius natura secundum ordinem intentionis. Idem Zabar. discrimen facit inter Finem & causam finalem , cui applaudit Fort. Crell. Finis dicitur respectu agentis primarij , seu principalis , quia mouet illud vt expetibilis & optabilis. At nõ est eius causa finalis. Agentium autem secundariorũ nõ est finis, quia non mouet illa, sed est causa finalis, cuius gratia facta vel mota sunt

ab agente primario. Hinc axiomata: Omne efficiens agit (aliquid efficit) propter finem. Non omnis effectus habet causam finalem. Ille enim qui alterius gratia efficitur habet causam finalem, sed non ille, qui propter se: vt contemplatio habet causam effectricē animam: at causam finalem nullam si ipsa per se expetitur, nisi forte dicas ipsam sui causam finalem esse, quia ad sui effectionem animam mouet. Sed hæc non est satis propria locutio: Exemplū. Sanitas medici quidem finis est quem propositum habet, sed nō est eius causa finalis, propter quod medicus sanitatis effectum non recte dicatur. Sanitas aūt medicamentorum efficient. secund. i.e. medicorū causa finalis recte dicitur, quia scilicet hæc propter illam parentur.

Aliis videtur finis appellari, quatenus in eo actio & appetitus efficientis terminatur, finis enim omnis est terminus seu termini rationē habet: Finalis vero causa, quatenus efficiens ad efficiēdum & parandum inde mouetur.

Aliis Finis est ipse vsus rei vt calcei munire pedē: Causa vero finalis cogitatio de fine seu vsu, quo mouetur & regitur agens in opere instituendo. Ph. Mel. in Dial. libr. 4.

Ad extremum Finis interdum supplet locum formæ, nempe in iis, quorum essentialis perfectio est in ἐνεργείᾳ.

In accurata disputatione Finis ab effecto discernatur necesse est, vt Finis peccati non est condemnatio, sed effectus. Finis autem, quem homines spectant, forte est prauarum cupiditatum expletio.

Finis à Iurisconsultis interdum pro modo ponitur, quod Duarenus notauit lib. 1. anniuers. disp. Modus .n. est determinatio quædam. Finem rei quærere interdum nihil aliud est, quam quid sit illud, ꝙ in controuersiam venit, quære D. Ioh. Gœdd. ad l. 223. de verb. sign.

Distinctiones.

Finis est alius primarius, alius secūdarius: Alius architectonic⁹, alius subordinatus. Finis ordine intentionis primarius est, qui postremus acquiritur. Idem secūdarius est ordine generationis, quia postremo loco generatur. Zabar. de Med. Dem. lib. 2.

Finium alii sunt perfecti, alii imperfecti, dist. Aristot. 1. Ethicorum & Zuing. 2. Finis est duplex, alius cuius, alius cui. Aristot. de anima.

Finis duplex, Alius scopus, vt Sanitas, quē Medicus intendit: Alius in quo, hoc est, cui aduenit, vt Sanus. Simplicius 2. Phys.

Finis cuius causa aliquid agitur dupliciter dicitur, vno modo directe (vt Medicus agit Sanitatis causa) Altero, sicut Quo, Is finis est subiectum corpus.

Scaligero Finis ᾧ (quo) est scopus, id est, opera, seu officium quo ad alium peruenitur. Itaq; Finis medius Finis δι' ὃ (per quē) est opus ipsum, quod primo mouet artificem ad operam, & est perfectio operæ: Itaque est finis vltimus, propter quem omnia sunt, quæ ante ipsum sunt.

Sic Medici Finis ᾧ seu scopus est medicari. Finis vero vltimus primum mouens Sanitas.

Scopus seu Finis Medius Aristot. in Politicis est Reipublicæ constitutio per præceptiones (sicut eius in Physica scopus, est, Naturæ cōsideratio:) Respublica est eiusdem Aristotelis finis. Postea alius est finis Reipublicæ, vt ciuilis beatitudo, seu beneviuere, quod ad illam vltimam sempiternitatis finitionem iter est. Platonis scopus in Dialogo, qui inscribitur Phœdo, Scopus est Naturæ animæ declaratio aduersus animæ carnifices. Finis est anima. Sed animæ alius est finis.

Sco-

Scopus Chymici est rerum suarum præsertim transmutabilium ἐργασία: Finis est corporum naturalium transmutatio.

Alexandro libr. 2. de anima cap. 4. Finis duplex: Quod, vt felicitas: Cui, vt nobis. Voluptas est primum hominis appetibile Quod: vitæ vero conseruatio cui: id est, voluptas tanquam primum appetibile diligitur amore concupiscentiæ, propter bonum vitæ, seu conseruationis, quod amatur amore amicitiæ.

Mazonius in comparatione philosophiæ Platonicæ & Aristot. voluptas est Finis qui; ἐνέργεια vero Finis cui. Et finis cui habet se ad finem qui, vt causa & effectum. At enim inquit, voluptas est ἐνεργείας perfectio, inquit Arist. Resp. est perfectio non quoad εἶναι, sed quoad εὖ εἶναι: est perfectio accidentalis seu ἐπιγινομένη nobis actionem reddens gratiorem & cariorem (superaddita accessio) non essentialis, informans potentiam.

Finis cuius, seu quo est ad quem directo pergitur.

Finis cui est, cui res comparatur.

Perpetuitas seu perennitas est finis, quo viuentium, id est, quem vnum quodq; viuens contendit assequi per generationem. Finis cui est viuens ipsum. *Distinctione 2. de anima c. 4.*

Scotus ait finem sumi multipliciter libr. 4. distinct. 49. Primum accipitur pro causa finali. 2. pro perfectione vltima ad quam res ordinatur. 3. Pro optimo. 4. Pro vltimo. 1. modo Deus est causa finalium omnium, omnia enim producit propter se ipsum, Deus autem non est beatitudo formaliter, licet eam det propter se. Idem Scotus; Deus est finis, quatenus terminat operationes creaturæ [a] beatitudinis capacis. Non omne vltimum, sed optimum est finis 2. phys. hic finis accipitur specialiter. *Deus omnium finis immediatus.*

[a] *Scotus barb. dicit beatificabilis.*

Finis vno modo est perficiens: ita beatitudo in intellectu vel voluntate alicuius est eius finis internus: ac hic finis est simpliciter finis. Altero modo finis dicitur vltimum, ex perfectione rei consequens: hic finis dici potest externus, Scotus lib. 4. dist. 48. Obiectum finis perficientis eidē dicitur finis externus.

Finis
- Essentiæ & virtutis: sic dicitur Angelus finitus hoc respectu.
- Definitio ὅρος Græce & ὁρισμός, sic in l. 223. de verb. sign.
- Dimensionis: sic dicitur locus finitus, secundum tres quantitatis dimensiones. Picus in Astrologia.

FINITAS.

Finitas seu finitudo est perfectio finiti, quatenus finitum est: Ac intendit tam potentiam passiuā limitationis, quam actum terminationis seu finitionis & dimensionis.

Clemens Simplicius statuit modos dicinouem.

1. Finitum est, quod aliquem habet extensionis suæ terminum, sic magnitudo finita est.
2. Quod perfectum (non affectum) est, & ad finem perductum: sic finita est γένεσις cœli & terræ.
3. Quod terminis alterius corporis ambientis circumscribitur: sic cœlum extremum finitum non est.
4. Quod ad aliquid certum est determinatum. Sic Rhetoribus quæstio finita est, quæ circumstantijs est definita.
5. Quod habet causam aliquam finalem.
6. Quod ab aliquo & aliquando est definitum.
7. Quod & initium & finem habet: vt, mundus.

8. Quod suæ substantiæ terminis continetur & terminatur, vt angelus Domini.
9. Finitum in quantitate perfectionis est, quod habet perfectionem limitatam: vt omnis creatura.

Vnde intelligis 1. Fines vel exteriores, vel interiores rei.

Fines seu limites
- Essentiæ, seu naturæ, molis, existentiæ.
- Quantitatis.
- Loci.
- Temporis.
- Virtutis, efficaciæ, vigoris.
- Actionis; vt actiones Dei externæ sunt finitæ.

Hinc oppositi infiniti etiam significationes intelliguntur.

FINITIVVM.

Scotus finem seu causam finalem vocat Finitiuum.

1. Aliquid finitiuum est simpliciter primum, id est, non ordinabile ad aliud, nec in virtute alterius, finire alia. 2. Primum finitiuum est incausabile, quia est [a] infinibile (alias nõ esset primum.) Itaque & ineffectibile, quia omne per se agens agit propter finem 2. phys. 3. Primum finitiuum est actu existens, & illa primitas necessario actui existenti conuenit.

[a] *Natura eminentissima est infinita.*

FINITVM.

In doctrina Mathematica finita esse dicuntur, 1. quæ suis sunt circumscripta limitibus. 2. qua ex certo & finito principio oriũtur, vt Geometria à puncto, quod in partes diuidi nequit, tãquam finito principio orditur: Arithmetica ab vnitate. Finiũ est hic potestate infinitũ, cuius scilicet quantitas nũquam terminatur, cum ei semper aliquid addi vel auferri possit, vt numerus additione vnitatis in infinitum vsque augetur. Magnitudinum diuisio in infinitum progreditur, cum tamen numeri dati sint finiti, & magnitudines diuisæ etiam sint finitæ. Cum Geometræ in suis delineationibus postulant lineam infinitam, non actu infinitam postulant, sed satis longam, seu quæ sensibus quidem est finita, sed nostro arbitrio potest protrahi & fieri longior.

Finitum est vel per se, vel per accidens: vt Dei potentia finita est per accidens, respectu scilicet impossibilium, cõtradictionem ue inuoluentium. Nam per se infinita est, hoc est, Dei potentia omnium rerum est, quæ esse fierique possunt.

Finitum quid est vel absolute, vel cognoscenti.

Quicquid enim scientia comprehenditur, cognoscẽtis respectu finitum est, id est, respectu eius se habet ac si esset finitum, eo, quod non excedit vim cognoscendi intelligentis, sed ibi est cognoscentis & cogniti adæquatio.

Augustinus.

Quicquid comprehenditur scientia, scientis cognitione finitur.

Finita quasi decẽpeda intellectus nostri non possumus metiri infinitam Dei maiestatem.

FISTVLA.

Fistula 1. est, per quod aqua fusa educitur.

2. Instrumentum musicum, vnde Fistulator dicitur.

3. In Anatomica doctrina est fistula spiritalis.

4. In pathologia, Fistula est vel arctus oblongusque & callosus sinus aliquatenus in dolens: vel est cauum profundum sinosumque vlcus callo obductum, & angusto foramine patens. Hinc dicuntur fistulosa & cauernosa vlcera: & fistulare, per fistulas agere, Löcher gewinnen. Vide Ludouic. Mercatum de vteri fistulis, libr. 2. capite 25.

Columellæ caseus fistulosus est, qui est plenus foraminum. Verificator vetus Argum vocat per metaphoram der viel Augen hat.

Fixum.

In Grammatica est substantiuum, quod etiam dicitur immobile.

In Astronomia, fixa signa dicuntur Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius, sic dicta, quod in his status temporis fiant fiumi & vehementiores, & quod corpora hominum iamdudum eam qualitatem in mobili signo (ariete, cancro, libra, capric.) experta ob ipsam morã Solis in signo fixo eandem quasi firmiorẽ sentiant. Sic enim sole in Leone existente, æstatem & calorem, magis sentimus, quam in Cancro. Aut, vt simili ratione sole in Tauro constituto veris naturam maxime omnium sentimus. Ita in Aquario sole constituto frigus hyemale magis experimur, quam in capricorno aut piscibus.

Cœlum etiam quietum dicitur fixum & fixum manens, quod nullo motu participat.

In Physicis quædam singularia sunt caduca seu fluxa, vt sublunaria: quædam fixa, id est stabilia & perpetua. Stabilis per se & constantis naturæ, vt Sol, Luna.

In Chymia fixum opponitur inconstanti & volatili, vtrumque æstimatur ad ignem, cuius vim quod sustinet fixum est, quod non volatile, siquidem ex eo fugit, & veluti Spiritus aut fauilla euolat. Vide Chymicos de magisterio fixorum & volatilium. Dicunt hi: Magisterium volatilium esse, cum è fixo fit volatile.

Fixatio seu fixio est rei ignem fugientis vt cum amplius non fugiat (sed permaneat in eo) per ignem assuefactio.

FLOS.

Hæc vox modo proprie, modo improprie accipitur: Proprie cum physici dicunt, FLOREM nasci de natura humoris subtilis aquei, bene tamen terrestri commisti. Flores esse fructuum indicia & seminum; Flores in temporibus & locis calidioribus esse odoratiores.

Improprie vero, quicquid præcipuum & optimum est in re, Flos rei dicitur. Sic Physicis flos vini dicitur, sicut & Medicis. Galenus enim in libr. 4. de simplicibus Medicamentis, vinum ait, habere 4. partes: 1. Fecem terream, quæ petit fundum. 2. Florem, qui primum quidem supernatat, sed deinde etiam in fundum tendit. 3. Partem aquosam, quæ toti vino est commixta. 4. τὸ ἄριστον ipsam vini substantiam, hoc est, vinosam portionem. Addit Galenus vino efferuescẽti aqueam partem, præcipue feruescere & florem supernatare, sed hunc ipsum quoq; desinente efferuescẽtia fundum petere, vbi fex subsidit. In Physica etiam dissertatione de ætatibus flos ætatis: & in oratoria flos orationis, flos eloquentiæ: & in politicis, flos & robur ciuium, Flos bonorum, Flos Iustitiæ; in Ethicis flos æui nostri Philosophorum nominantur, Plinius in panegyr.

Traiani, circumfusus vndique nunc senatus noster equestris ordinis flore. Aetate florere est, Iuuenem esse.

Quæritur cum de Iuuẽtute dicatur flos? RIL de la cerda, fortasse quia Lanugo, quæ in barba promicat, est instar floris.

- Flos
  - Proprie est vegetabilium.
  - Transit ad
    - Animalia
    - Mineralia, vt flos æris.

FLVORES.

Lapides ex fodinis similes gemmis, sed minus duros metallici vocant fluores, quia ignis calore, vt glacies solis, liquescunt & fluunt, seu defluunt, sunt radimenta gemmarum. Fluores candidi coloris videntur Crystalli.

FOECVNDVS.

Fœcunda dictio dicitur, quæ in se continet multas dictiones, easq; velut ex se parit, vt Generosa: in hac dictione est Gea, id est, terra. Nero, Gena. Valla enim lib. 4. cap. 52. hoc singulare ponit, cum vsitatius sit plurale genæ, Augenlieder; membranæ seu tunicæ qua oculi integuntur & conniuent. Hinc Ænigma pulcrum.

Fert, regnat, floret, flet GENEROSA *parit.*
Gea Nero Rosa Gena.

Hic & voces ex voce Generosa, vt partes

Chymicis Flos est bolus per sublimationem extractus, spirituosa rei substantia. Das Extract.

Bolus hic est coagulum specificum, essentia quædam liberata ab impuris & alienis, per coagulationem, quam antecedit solutio.

- Assistentes, secretæ seu separatæ reipsa à materia.
- Informantes
  - Reales
    - Naturales
      - Substãtiales, dantes esse
        - Separabiles à materia, vt anima rationalis.
        - Inseparabiles
          - Cœlestes
          - Sub luna res
            - Elementorum
            - Mixtorum
              - Inanimorum.
              - Animatorum.
      - Accidentales, dãtes tale esse.
    - Artificiosæ.
  - Mentales
    - Mathematicæ: abstractæ τῇ ἐπινοίᾳ (secundum rationem) à materia & motu sensili.
    - Logicę
      - Proprie, vt, forma animalis, anima sentiens. Dominus non est forma serui.
      - Analogice: vt proprietates seu facultates formales, vice formarum ignotarum.

FORMA.

Forma proprie dicitur, quod formet & poliat ruditatem & informitatem materiæ: dico proprie, quia etiam nõ formantibus tribuitur. Sit igitur prima Distinctio.

Logi-

Logicæ] Intellige, qua Forma non consideratur vt ens naturæ, sed vt Argumentum & notio organica.

1. Formę informãtes etiam interdum dicuntur habitus. Arist. lib. 1. de generatione, præsentibus habitibus cessat motus.

Distinct. è Platone.

2. Plato Duo genera habet Formarum; vnum expers materiæ & particeps intelligentiæ: quod vocat exemplar, Ideam, per se ens: Alterum cõiunctum cum materia, quod vocat imaginem.

3. *Dist.*

3. Forma
- Pars compositi altera. Talis est naturalis.
  De hac ὑπόμνημα hoc est: Nulla forma naturalis est quid completum in specie. Complementum enim speciei conuenit substantiæ compositæ. Forma igitur naturalis definitur per subiectum, vt per aliquid, quod est extra eius essentiam.
- Rei, ex materia & forma non constantis essentia. Talis est res mere formalis, vt species intelligibilis & sensilis.

Nulla subiecti causa medium demõstrationis esse potest, nisi propria eius forma. Hic Zabarella nomine formæ intelligit vtramq;. De medio demõstrationis li. 1. ca. 20.

Seu

Forma
- Immersa materiæ.
- Per se subsistens
  - Subsistentia completa, (vt angelus) quæ est τόδε τι, hoc est, aliquid completum in specie, habens propriam operationem sine corpore.
  - Subsistentia incompleta, vt anima nostra, forma dependens à corpore.

Improprie forma accipitur pro dimensione. Caietanus in 7. cap. Thomæ Aquinatis de ente in obiectione Auerrois cõparat formas corporales cum formis substantialibus. Inquit enim: Formæ corporales succedunt sibi inuicem in subiecto vt sibi inuicem succedunt formæ substantiales in eadem materia Per formas autem corporales intelligit dimensiones. pag. 31.

Interdum forma accipitur pro vniuersali 1. de cœlo text. 92. Qui dicit cœlum, dicit εἶδος, id est formam: qui dicit hoc cœlum, dicit formam in materia.

In Incantationibus verba certa sunt Forma, hoc est, complementum earum. Virgil. 8. Ecl. VENERIS, Dic, vincula necto. Ex his verbis Veneris vincula necto, veneficiũ habet formã seu cõplementũ, sic idẽ Vir. aqua vitta verbenis thure adductis dicit deesse adhuc carmina, vt sine quibus inania omnia sint, & eadem Ecl. 8. cum lauri accendũtur adduntur verba Daphnis me malus vrit. &c. Ratio inquit ad hæc loca. I. L. de Ialcerda perspicua, quia verba sunt tãquã forma materialis rebus ad peragenda veneficia.

FORMA.

Forma alicuius rei aut prorsus simplex est, aut habet partes, vel partibus quasi integratur. Simplex, vt forma arboris: habens partes, vt forma peccati originalis est ἀνομία, seu inordinata dispo-

sitio, cuius partes duæ sunt: Ordinaria ἀποστέρησις, seu carentia & priuatio iustitiæ illius, quæ debet inesse, siue auersio à bono: & ἕξις, id est, habitus contrarii, seu conuersio ad malum. Peccatum enim originale non solum iustitię originalis priuatiuum est, sed etiam dispositionis, & habitus cuiusdam ad fructus iustitiæ contrarios positiuum. Franciſc. Iunius disput. 19. de peccato originis ex Scholasticis.

Forma partibus quasi integrata est forma Ecclesiæ veræ: nempe 1. pura & syncera verbi prædicatio & legitima sacramentorum administratio. Luc. Trelcatius. disput. de Ecclesia. Contra eos talia exẽpla militant qui disputarunt, formas nunquam μερικῶς perfici.

Ex differentia Entium hæc est distinctio, qua vtitur Gabriel Biel, lib. 4 distinct. 9. quæst. 3.

Formæ sunt corum,
- Quæ fiunt, quæ requiruntur ad fieri rei.
- Quæ sunt (quæ habent esse permanens) quæ requiritur ad esse rei.

Ad fieri) Accedat ad Elementũ verbum, & fit Sacramentum. Eucharistiæ (quæ habet esse permanens) nulla verba assignari possunt pro forma, quia etsi fiant quædam verba requisita ad Fieri Eucharistiæ, id est, ad hoc vt species incipiant esse Eucharistia: tamen nulla verba requiruntur ad eius esse, quia sine verbis manet Eucharistia, verba autem quæ requiruntur ad eius fieri, sunt formæ consecrationis, non sacramenti Eucharistiæ, ait Gabriel Biel. Canon. Impossibile est formam informare subiectum & non communicare denominationem.

Forma est
- Simplex, per se subsistens. Hæc indiuiduatur per se ipsam.
- In supposito singulari existens. Hæc indiuiduatur per suppositum.

Non solum in Philosophia, sed etiam in Theologia forma interdum accipitur pro externa repræsentatione seu specie ac similitudine. Bartho. Westhemerus in collectaneis Theolo. Sacræ. S. Paul. Philippen. 2. Qui cum esset in forma Dei, non loquitur de substantia Dei, & serui, sed magis de exhibitione, ac externa in vita ac moribus diuinæ & seruilis naturæ seu substantiæ repræsentatione. Forma Dei est, cum quis se gerit vt Deus, Deum se exhibet, diuinitatem præ se ferens & demonstrans, id nemo apud se solum faciet. Exhibere enim se, ac gerere, & vitæ actibus aliquid præ se ferre, ergà alios fit, qui id videre & agnoscere possunt, quod ille præ se fert, vitæque ratione exhibet, atq; demonstrat. Vnde esse in forma Dei, interpretabimur, gerere se atque exhibere vt Deum, diuinitatem præ se ferre, hoc est, ita loqui atque agere, vt deceat, atque vt Deum repræsentet. Sic hic recte dicitur, in forma serui esse, aut serui formam gestare, qui se seruum vitæ ratione exhibet, talem-

talemque demonstrat. Sed aliis perplacet μορφὴν Dei intelligi Dei essentiam cum magnificentia θεοπρεπῆ, id est Deo dignam, & per formam serui, carnem nostram omnibus infirmitatibus obnoxiam. Vide Basil. Mag. Erasmum in Annotat. in nouum testamentum, & Zanchii libr. posthumum de incarnatione. Schegkius ex hoc loco facit vocem DEIFORMIS θεομορφὴς, qui est in forma, in similitudine, Dei.

Occurrunt & hæ distinctiones apud φιλοσοφοῦντας.

- Reales
  - Separatæ gubernant corpus, non informant, vt νόες mouere dicuntur orbes cœlestes. Alias Assistentes, κεχωρισμέναι separatæ, id est seiunctæ à materia. Hæ formæ dicuntur νοεραὶ δυνάμεις, potestates intelligentes, & νοεραὶ φύσεις, intellectuales naturæ, apud Dionys. Areopag. & Nazianzenum.
- Formæ
  - Coniunctæ
    - Informant tantum materiam, vt quæ sunt infra animum.
    - Et informant materiam & regunt ac mouent: vt anima animalis corpus.
  - Ratione seu φαντασίᾳ conceptæ abstractæque Mathematicæ ἀφῃρημέναι, mente abiunctæ à materia sensili; quæ sunt Quantitates.
- Forma quæ recipitur, est
  - Materialis: quæ recipitur in materia.
  - Spiritualis εἶδος ἄνευ ὕλης forma abiuncta à materia, non immixta materiæ.
    - Sensilis: quæ recipitur organo animato sensus
      - Species cognoscibilis
        - Externo.
        - Interno.
      - Phantasma: visum latin. quę recipitur in Phantasia.
    - Intelligibilis: quæ recipitur intellectu seu animo.

Materiales formas omnes recipere potest materia prima.

Elementa quatenus sunt materiæ secundæ sunt διανοητὰ formarum materialium mistorum. Intellectus noster receptiuus est omnium νοητῶν & omnium rerum γνωστικὸς, singulus sensus quarundum tantũ: vt visus ὁρατῶν.

Forma seu species cognoscibilis
- Vniuersalis, vt quæ νοητὴ est, idest, sub intellectum cadens.
- Singularis, vt quæ αἰσθητὴ, id est, sensibilis est.

Aristot. post. text. 100. ait Mathematicum versari circa formas, quæ species immateriales sunt.

Ita species sensiles etiam tertio de anima Formæ dicuntur, sunt enim sine materia.

Formarum materialium, seu materiæ commixtarum, seu à materia pendentium (Alias virtutum materialia secũdum esse) aliæ pendent à materia
- Secundum solam existentiam, quia sine materiali existere non possunt. Hæ sunt Mathematicæ: hæ secundum essentiam à nulla materia sensili pendent. Itaque sine materia definiuntur.
- Secundum & existentiam, & essentiam.
  - Non organicæ.
  - Organicæ (additæ organis)

  Hæ per materiam definiuntur.

Forma materialis (quæ informat materiam) diuiditur ad diuisionem subiecti & uuateriæ, ita vt in parte materiæ sit pars formæ.

Forma
- Non operans (seu otiosa) actus primus, seu perfectio prima.
- Operans, actuosa, actus primus cum secundo. Vide Arch. Mercen. in Dilucidat.

Forma
- Subsistens per modum substantis, sic genus seu natura generica est forma speciei, qua totum est forma suarum partium. Hæc prædicatur in quid.
- Adiacens seu accidentaria per modum adiacentis. Hæc prædicatur in Quale.

Ad accidentarias formas referuntur formæ artificiales.

Forma formarum Aristot. est forma recipiens omnium rerum formas. Sic vocat intellectum, qui potest recipere omnia obiecta intelligibilia; quo sensu ab Aristotele dicitur specierum locus.

Sic manus est instrumentorum instrumentum recipiens alia externa instrumenta. Alio sensu Finis causa causarum dicitur. Vide Zabar.

Distinctio Scoti.

Forma { Partis (intellige intransitiue) quæ est altera pars totius compositi.
Totius, quæ resultat ex vnione partis cum forma. Ex Scoto Dominicus de Flandria, lib. 2. de anima, tract. 1.

Forma interdum est idē, quod σκιαγραφία adumbratio, & rudis delineatio, viuis coloribus nondum adhibitis. Græce τύπος. Cicero in offic. Formam quidem ipsam & tanquam faciem honesti vides, quę si oculis cerneretur, mirabiles amores, vt ait, Plato, excitaret sui, id est, πολιτικὴν ideam.

Explicatio.

Formam quidem ipsam] mutilam sane (si vere iudices) orbatamque oculis & humi depressam, imo potius πλάσμα, καὶ μυδὸν ἀνέφαλον, tanquam faciem) præcipuam quidem totius corporis partem, quæ tamen ad sui perfectionem cætera membra requirit.

Hinc Phrasis: Formam rei adumbrare τύπῳ περιλαβεῖν. τύπος rudis forma est seu rudis imago. 1. Eth. Arist.

Petrus Georg. Reisch in Margarita.

Formarum substantialium quædam generica est, quam *corporeitatis* dicunt, dans esse substantiale corporeum genericum & incompletum, per quam res nullius speciei specialissimæ indiuiduum constituitur, vt corpus organicum, ante animæ aduentum substantia corporea est (& vt quibusdam placet, sensitiua & sic animal: sed nec homo, nec asinus, nec Leo, &c.

Alia est forma substantialis specifica, dans esse substantiale specificum completum, per quam res certæ speciei specialissimæ adscribitur, vt anima rationalis adueniens corpori organico, ipsum humanæ speciei subiicit.

Vnius ergo compositi plures sunt formæ substantiales, à quarum vltima tantum esse perfectum specificum & ab aliis distinctum accipit. Forma autem illa generica partiales formas partium, puta, sanguinis, ossis, carnis & similium complecti videtur, & in solo composito animato reperitur. Eam asserere, rationi consentaneum videtur, quia idem corpus animalis, quod erat viuo, etiam post animæ discessum video, magis autem ταυτότητα (identitatem) ex accidentibus iisdem, quæ viuo inerant, & porrò manent, deprehendo, vt cicatricem eandem, nec illa materiæ primæ immediate inhærere crediderim, (quam πίστιν alibi ego stabiliui.)

Hactenus Reischius, qui cum confer Zabarellam, qui de posteriore huius opinionis parte differuit plenius, ingeniosius, subtilius. Idem G. R. Formam distinguit vtiliter in substantialem & accidentalem.

Forma, inquit, cadaueris, quæ à recessu animæ in corpore reperitur, non essentialis, sed accidentalis est, sub qua corpus in vlteriorem incinerationem cōtinuo tendit. Hoc ego non capio, nisi de externa forma accipiam. Nam forma εἰδοποιὸς cadaueris, vt mixti in animali, ei est essentialis. Vide Zabarell. Scaliger aliquando formam præmunit voce quasi, quæ improprietatis est vel analogiæ, vt nihil ex animo in orationem exire potest, quod ipsius mētis prius non extiterit forma quasi quædam, tametsi accidentalis. 3. poetices. c. 118.

FORMALITAS.

Formalitas est ratio formalis, id per quod quidpiam formale est.

Zabarella Formalitatem opponit Realitati, Elementa in mistione amittere

ſuas formalitates, eſt ei nõ remanere ſecundum ſuum eſſe formale, ſeu amittere eſſe ſuum ſpecificum. Mutari formalitatem eſt fieri aliam ſpeciem. Elementa ſeruare ſuas realitates eſt ei non prorſus interiiſſe elementa. Numero ternario dempta vnitate manent aliæ vnitates realiter, ſed mutata eſt formalitas, & facta eſt alia ſpecies numeri, nempe duernio ſeu binio, Mutata enim formalitate, mutatur ſeu alia fit ſpecies, vide libr. de miſtione cap. 8. 9. & 10.

Different. Formal. & Realitat.

Cuiuſque corporis naturalis formalitas eſt indiuidua, nec poteſt intendi & remitti abſque interitu.

Realitas vero diuidua eſt in varios gradus. Ac licet realitas formarum elementarium ſit in gradus diuidua: in ſingulis tamen gradibus conſiſtunt nouæ formalitates, quæ ſingulæ vt dictum, ſunt indiuiſibiles, & acquirunt ſubito poſt antegreſſam alterationem in tempore factam. Non niſi ſubtilitatum magiſtri hæc capiunt, cuiuſmodi quoque hoc eſt, quod Zarabella putat, cum Ariſtoteles ait, vires elementorum manere in miſto, intelligere eum realitates, hoc eſt, gradus formarum elementarium, remanentes ac ſeruatas ſub alia formalitate. cap. 13. de miſtione libro.

FORMALE.

Formale modo eſt habẽs formam modo conſtituens ſeu præſtans rei eſſentiam, modo forma ipſa, modo pertinens ad formam, modo rite conſtitutum.

Iureconſultis Formale pretium eſt pretium formatum & præſcriptum à contrahentibus vel forma cenſuali definitum, in qua exactiſſima rerum inibatur æſtimatio. Vide Briſſ. Prat. & Iulium Scaligerum in Exercitat.

Diſtinctio hæc eſt Specialis.

Formale dictum { Proprie: cum materia conſtituens compoſitum. / ἀναλόγως πῶς, vt omnis ordo qui ſubſtantiæ vel accidentibus ineſt.

Materiale temporis eſt motus cœleſtis; Formale σχέσις ſeu ordo menſurationis, quem habet ad reliquos motus inferiores, Formale Syllegiſmi eſt ordo connexionis tantum enunciatorũ quæ ſunt eius materiale. Formale diſciplinarum eſt præceptorum diſpoſitio ſeu εὐταξία.

Virginitas deperdita quoad ſuum materiale non poteſt reparari. At quo ad ſuum formale poteſt reparari per pœnitentiã, inquiunt Schol. D. Materiale virginitatis eſt incorruptio ſignaculi virginalis vel irreſolutio ſeminis propter delectationem. Formale eſt habitus, quo proponit ſibi quipiam vel quæpiam ſeruare integritatem animi & corporis.

Formalis res eſt vel Forma: vel res habẽs formam. Formalis diſtinctio eſt diſtinctio ex natura rei, (id eſt quæ eſt citra operationem intellectus,) qua vnum differt ab alio ſecundum formalem rationem ſeu definitionem. Rationis diſtinctio quæ fit per operationem intellectus, poteſt dici Formalis κατάτι, id eſt, non ex natura rei, ſed per operationem intellectus, vtraque opponitur Reali, qua vnum differt ab alio, vt res à re.

Ratio formalis ſapientiæ Dei non eſt ratio formalis potentiæ Dei. Scotus.

Scotiſtę diſtinctionem faciunt attribuorum Dei Formalem: Alii virtualem & eminentem, id eſt, docent perfectiones Dei non actu ex natura rei, ſed virtute ſeu eminenter inter ſe diſtinctas eſſe. Sic lux ſolaris, quæ vna eſt eſt ſimplex qualitas, eminenter in ſe continet calorem, ſiccitatem, &c.

FOR-

FORMALITER.

Formaliter idé eſt ſeu ἰσοδυνάμει ſequentibus vt ἐνυπάρχον τὶ (vt aliquid quod reipſa ineſt) ſubiecto. Vt forma in modum formæ ἐντικῶς habitualiter κατ' ἐντελέχειαν καθ' ἕξιν inhæſiue, intrinſecus, radicaliter actu primo actualiter, reſpectu formæ. Realiter reipſa τῷ εἶναι ſimpliciter proprie per eſſentiam in ſe ipſo, eſſentialiter. Ei opponuntur quaſi figurate improprie (vt Metaphorice vel metaleptice) τῇ ἐνεργείᾳ, id eſt, actu ſecundo ſeu operatione cauſaliter effectiue virtualiter δυνάμει radicaliter eminenter, obiectiue identice, materialiter per accidens participatiue ſeorſum à materia σχετικῶς imputatione externe denominatiue tãtum. Exempla. Creaturam in Deo relucere nõ eſt creaturam aut ſpeciem eius eſſe formaliter *a* (id eſt per modum formæ) in Deo (vt in ſubiecto.) Hic enim modus ineſſendi repugnat Dei ſimplicitati ſummæ, ſed obiectiue ratione γνώσεως ſeu cognitionis, id eſt, cognoſci à Deo ſeu eſſe obiectum diuinæ cognitionis ſeu creaturã relucere in Deo ceu ſpeculo, vt in cauſa cognitionis eius productrice. Sic Gabriel Biel lib. 3. diſtin. 14. q̃ſt. vn. Deum repræſentare creaturam nihil aliud eſt q̃ Deum producere cognitionem eius in aliquo intellectu ipſum vidente. Sed Scholaſtici dicunt animã Chriſti in verbo diuino omnia cognoſcere ſeu ſcire q̃ vult.

2. Per calorem vt qualitatẽ phyſ. ſenſilem ignis calefacit formaliter, id eſt, actu, quia calor inhæret in igne formaliter, id eſt, vt forma quædam. At piper, vrtica, Sol virtualiter non per externo ſenſu perceptibilem qualitatem.

3. Qualitatibus eiuſdem ſpeciei ſubiecta dicuntur formaliter ſimilia.

4. Impropria κατηγορία ſeu prędicatio eſt cum enunciandũ cauſaliter enunciatur formaliter (id eſt eſſentialiter) vel idẽtice: Vt Fides vera eſt vita hominis Chriſtiani eiuſdemq; iuſtitia & ſalus. Hic effecta directe attribuuntur cauſæ improprie, ſeu irregulariter, id eſt, impropria attributione.

5. Infertur hoc ſeu concluditur formaliter, id eſt, vi formæ, non materialiter, id eſt vi materiæ.

6. Diſputare formaliter eſt diſputare Syllogiſtice, id eſt, ratione ſeu forma ſyllogiſtica, cui illigatur certa materia (q̃ Scholaſtici etiam dicunt diſputare illatiue, & materiam figurare & modificare,) vel abſtracte à materia: vt A eſt b. c. eſt A. ergo c. eſt b. Tractare formalitet eſt ordinate tractare.

7. Effectus amoris quandoq; dilectio appellatur: quia nomen cauſæ frequenter transfertur ad effectiuum: Sicut & Propheta dicit Dominum ſuam patientiam, ſpem, virtutẽ, quia Dominus in eo efficit patientiam, ſpem & virtutẽ. Quapropter locutiones eiuſmodi non debent intelligi ſimpliciter vt ſonãt, *a* ſeu formaliter, ſeu κατὰ τὸ ῥητὸν, ſed cauſaliter, id eſt, in ſenſu cauſali. Locutiones hæ ſolẽt vocari Metaleptice.

a Barbari dicunt ſicut iacent.

8. Deus eſt formaliter (id eſt eſſentialiter) bonus, creatura per participationem.

9. Compoſitum phyſicum (animal) formalitet continet eſſentiam (animalitatem.) Sic eſſentialis prædicatio, quę & directa dicitur, ſuperioris de inferiori nõnunquã formalis dicitur, quia genus quoq; forma eſt, ſed communis. *Zabarella.*

10. Sic intellectus dicitur formaliter rationalis, id eſt principaliter, in ſe ipſo, per eſſentiam, non participatiue. At vis animæ appetens eſt rationalis per participationem, quia obedit rationi vt patri filius.

11. In renouatione quæ fit per Chriſti Spiritum nouis qualitatibus afficimur formaliter, id eſt, nobis inhærentibus non σχετικῶς, (id eſt, externa habitudine licet realiter) eo modo quo aerem exorto ſole illuſtrari rurſuſque eiuſdem ſolis occaſu & *Theolog.*

absentia tenebricosum existere videmus, σχετικῶς dico, quia aer non illustratur ita vt in aere ipso fiat & creetur lux eademq; semel creata in eodem semper foueatur.

Metaphys. 12. Angeli sunt aliquid tantum formaliter, id est, sunt formæ societate materiæ non indigentes.

Biel. 13. Essentia diuina est persona identice non formaliter. Interdum discernitur Formaliter ab Accidentaliter, vt nonnulla cognoscuntur & definiuntur formaliter, id est, per formam, nõnulla accidentaliter, id est, per accidentia. Sic & qualitati rei formali & vere characteristicæ, seu essentiali, vt potentia ridẽdi opponitur quasi qualitas accidentalis, vt peccatum.

Interdum formaliter discernitur à τῷ Realiter seu τῷ εἶναι, vt Homo & animal differunt non realiter, vt res, & res, sed formaliter essentia Dei, non est formaliter persona. Essentia seu natura animalis non est formaliter animal.

Quandoq; formaliter distinguitur contra τὸ Antecedenter seu dispositiue vel principiorum vel inclinationis respectu: vt virtutes vere perfecteque morales (quales vix in hac naturæ infirmitate reperiuntur) inter se in nullo gradu formaliter sunt connexæ. Sed sunt connexæ vel principaliter seu προκαταρκτικῶς, id est, quod attinet ad quædam vniuersalia principia, virtutum actus antecedentia, iisque vt loquuntur Scholastici præsupposita, vt dictatum à recta ratione est faciendum, vel inclinatiue ἐγκλιτικῶς, id est, quod attinet ad inclinationem seu propensionem, hoc est ita, vt quis habeat aliquem actum in voluntate, per quem concurrente prudentia seu recta ratione inclinetur ad primum actum virtutis alicuius; vt si qua habens castitarem minis mortis vel verberibus ad coitum adigatur, in ea castitas inclinat ipsam eo, vt velit fortiter sustinere flagra, supplicium, ne perdat integritatem suam, quod velle est primus fortitudinis actus, sed talis virgo (prædita castitate vt vera virtute) non habet virtutem fortitudinis, id est, non est formaliter seu habitualiter fortis, Gab. Biel. lib. 3. dist. 36. quæst. vnic.

Vsus.

Verus & solidus intellectus huius & similium vocum vtilissimus, & maxime necessiarius, Theologicis controuersiis, quæ hodie vigent. Quæritur enim. An iustitia nostra, qua coram Deo iustificamur, sit tantum σχετικὴ. An iustitia nostra sit id, quo formaliter sumus iusti, & si hoc affirmetur, iustitiane hæc sit legalis tantum, an etiam Euangelica. An verum sit, Euangelicam iustitiam non esse formaliter in nobis, sicut sapientia est in anima aut albedo in pariete. Sed esse extra nos in Christo: fieri autem nostram, vt non sit simpliciter aliena, imputatione, & applicatione per fidem. Vtrum satisfactio seu Meritum Christi sit formaliter nostra iustitia, an meritorie (id est, vtrum sit causa formalis an vero causa impulsiua & meritoria nostræ iustitiæ seu iustificationis.) An deniq; vtroq; modo, id est an sit & forma & meritoria causa diuersa ratione ac consideratione. An ἀσύγκριτον sit dicere Hominem formaliter iustificari & iustum esse, per iustitiam extra se existentem seu alienam.

In disp. de person. Christi. Vtrum quæ propria sunt carnis, vt passio & mors, sint Filii Dei Formaliter, an imputate, quod filius illa ad se referat. Posterius sane ἄνευ περιπλοκῶν & sine omni hæsitatione affirmandum est iis, qui veritatem præ se ferunt, cum Cyrillo, Ambrosio, Eusebio, Emisseno, Athanasio.

Vsus.

Vsus.

In Astron. doctrina quæritur, Vtrum Luna sit pulcra, seu luceat formaliter, seu ἐντιμῶς, an tantum σχέσει seu habtudine reali ad solem irradiantem, an vtroque modo, id est, vtrum sit pulcra, seu luceat qualitate permanente, & vi quadam stabili in ipsa inhærente, seu lumine congenito proprioque, an mutuatitio seu ascito & alieno solis tantum, an simul vtroque problema hoc neutrum est. Interdum tamen formaliter & ἐνεργείᾳ pro eodem accipiuntur, vt perspicuũ est, vel ἐνεργείᾳ reipsa, id est, formaliter, vt Lucidum, vel δυνάμει, id est, facultate, vtriq; opacum opponitur, vt terra. Materia non existit ἐνεργείᾳ, id est, reipsa, sed δυνάμει, id est, facultate. Nomen enim energeia, est ambiguum, seu polysemum. Vide Peuceri aureum prorsus librum de diuinat. pag. 559.

Vsus.

Quæritur, an Ætherea sint διαφανῆ, seu pellucida formaliter. Respondetur affirmatè. Inest enim eis lux purissima, quæ ipsorum ἐντελέχεια, seu forma, seu perfectio est. Itaque sunt pellucida ἐνεργείᾳ, id est, reipsa, non δυνάμει, vt ex elementaribus, ignis, aer & aqua.

Quærit Anto. Citadinus. Si malũ est priuatio boni, quomodo potest esse boni negatio? Alia enim est oppositio priuationis & habitus, alia verò negationis & affirmationis. Respondet Picus concordiæ comes. Malum eatenus priuatio est, quatenus priuatio formaliter negatio est.

De eo quod formaliter rei conuenit, seu quod rei forma est, sæpè sententiarum diuortium est. Scotus vult peccatum mortiferum dicere formaliter priuationem, puta carentiam rectitudinis, quæ debet inesse actioni.

Occam. contra, actum elicitum vel omissum contra præceptum.

Quæritur, Vtrum Deus formaliter sit iratus & offensus, an modificatè seu tropicè, & per ἀνθρωποπάθειαν. Resp. Scholasticus Biel. lib. 4. dist. 14. quæst. 1. Licet Deus dicatur figuratè iratus seu offensus, tamen si accipias irasci pro velle vindicare, excluso aspectu seu πάθει comitante hoc velle, Deus est formaliter iratus seu offensus, quia formaliter est volens vindicare admissum cõtra legem suam. Equidem supposito hoc Thomæ, quod ira tristitiam supponat, & ratio formalis iræ consistat in appetitu vindictæ, affectum iræ in Deo propriè, & secundum propriam rationem formalem non esse affirmo. Appetitus autem vindictæ est appetitus doloris vicissim aduersario inferẽdi, vt definiuit Becanus. *Theolog.*

Quid offendi velirasci in Deo?

Quæritur, voluntasne an intellectus sit liber dicendus?

Resp. Voluntas est libera formaliter, hoc est, completè intellectus radicaliter, id est, est radix libertatis, nulla necessitate astrictæ. Itaque videtur liberum arbitrium esse communis facultas intellectus & voluntatis. Libertas tamen potissimum voluntati attribuitur, iudicium mentis sponte sequenti, quo fit etiam, vt liberum arbitrium à nonnullis definiatur voluntatis placitum, quo à mente diiudicata sponte eligere vel reiicere potest, vel vtrumque suspendere. Quæritur. Vtrum Morbus sit habitus, seu positiuum quid, an PRIVATIO? Resp. Morbus est qualitas positiua Materialiter: Est impotentia ad agendum formaliter.

Quæritur, vtrum morbus sit habitus, seu positiuum quid, an Priuatio? Resp. Morbus est qualitas positiua Materialiter: Est in potentia ad agendum Formaliter.

FORTASSIS.

Vox vel dubitationis, vel moderationis

seu modestiæ & castigationis: vt χρεῶν. Sic Scaliger exercit. 295. Mutili inqs Cardane, omnes improbi, Modestius princeps Aboali, fortasse, id est, vt ex Arabibus interpretatur Aliquando. Aristot. ἴσως ἂν ἔοικεν δηλοῖ, φαίνεται, ὡς τύπῳ, ὡς λόγῳ, ὡς ἐπὶ τῶν πολεῖον. Adiicienda tuę sententię vox aliqua, vnde temeritati illi, id est, temerariæ assertioni frenum iniicitur. Scal. ibidem.

Fortasse omnis natura materiam habet, in perpetuis substantiis naturalibus fortasse non est materia, aut non talis, qualis est in rebus caducis, inquit Aristoteles lib. 2. 1. phil. cap. 3. non quia dubitet de pronunciato, sed aut modestiæ causa, aut quia eo loco non agit ex instituto de re proposita. Fonseca. Nam aliis in locis apertè fatetur in cœlo esse naturam, & in omni re, quæ mouetur, necessariò intelligẽdam esse materiam. Vide prim. phil. lib. 2. cap. 2.

Cum dicitur fortasse anima humana est ex traduce; Fortasse propriè fit, vel educitur de potentia materiæ in re incerta, hæc particula adhibetur, & habet significationem dubitationis.

Cum dicitur, Fortasse visio fit recipiendo speciem; fortasse forma est αὐτοφυὴς, τὸ Fortasse adhibitum esse potest modestiæ causa, quando nimirum ex professo, seu instituto res non disputatur. Ita φαίνεται, apparet, interdum idem est, quod videtur: interdum idem, quod euidens est, & conspicitur, sicut quodam in loco, in politicorum libro 2. Aristotelis accipitur.

FORTIS.

Fortis quis est, vel verè, vel φαινομένως.

Fortis verè est, qui præditus est virtute seruante mediocritatem in iis, quæ metum aut fiduciam in periculis pietatis vel honestatis causa, vel adeundis, vel perferendis adferre possunt. φαινομένως (apparẽter) fortis est audax.

Fortis aliquando sumitur generaliter, aliquando specialiter & propriè. Generaliter pro eo qui suscipit, & pro nihilo putat quæcunq; pericula, ita vt in audacem (cuius nimia fiducia est in periculis subeundis) quoq; conueniat. Impropriè verò accipitur pro eo, qui veram habet fortitudinem; quæ tum est bellica, tum togata. *Impropriè fortis etiam idem est, quod intensus.* Sic optici sæpè accipiunt.

Distinctio optica.

Fortis lux { sine excessu, seu σύμμετρος. / cum excessu, seu iustam συμμετρίαν excedens ἀσύμμετρος.

Vsus.

Nona propositio perspectiuæ com. est: Lux fortis oriens super quædã visibilia. ea oculo abscõdit, quę ipso (oculo) loco lucis temperatę existenti apparerent. Decima est: Lux fortis multa visibilia ostẽdit, q̃ debilis occultat. Nona probatur. Quia luce forti oriente super corpus artificiosè & subtiliter sculptũ, sculpturæ non videntur, quia excessus splendoris visum occupat. Similiter multa sunt, q̃ in tenebris quidem posita videntur lucẽtia, sicut patet in squamis piscium, ligno veteri, cute quorundam animalium, & igne mediocri. Decima quoq; probatur, seu ostenditur. Quia quæ in luce mediocri non apparent ab intensiori & fortiori luce deteguntur, sed propositio hæc videtur precedenti esse contraria. Quomodo enim lux fortis aspectabilia quædã ostendit, & eadem abscondit, vt iustitia & pietas fortes sunt principis arces, (dici etiam potest, validæ sunt principis arces) Nulla Tyrannorum vis diuturna fuit.

Maximè impropriè & minus philosophicè for-

cè fortis dicitur, qui est ἀυτόχειρ, id est, qui violentam sibi manum infert. Reuera enim est imbecilli animo.

FORTITVDO.

Fortitudo est vera vel apparens.

Scaligero Fortitudo vera est animi constantia in aduersis { Contemnendo & durando, DVRATE. Obuiam eundo & expugnando. *Superanda omnis fortuna ferendo est.*

Aristoteli Fortitudo apparens est vel ciuilis, (qua leges à ciue exiguntur in propugnanda patriæ salute, propositis præmiis & pœnis) vel Militaris (quæ militem animat ob experimentum & spem prædæ in adeundis & sustinendis periculis) vel iracaundia (quam excitat ira & odium ad vindictam sine certo cõsilio) vel Fiduciarum, (quam externa præsidia in periculis præuisis, propter spem certam animo conceptam excitant, seu quæ animosam se ostentat propter certam victoriæ spem) vel Inscia (quæ ex ignorantia periculi orta, eo vsque progreditur, donec se imparem aduersis viribus in pedes se cõiicit.) Impropriè etiam fortitudo pro corporis robore & viribus ponitur. Aristot. dicit 1. Eth. Nicomachic. cap. 3. Ἀνδρεῖαν, id est, fortitudinem multis fuisse exitio. Hîc quęrunt interpretes, vtrum sumpserit fortitudinem pro virtute, an pro robore corporis, quod græcis est ἰσχὺς? Ego puto, vtrumque intelligi posse, quia & robur corporis, & virtus animi illa, quæ mediocritas est inter audaciam & timorem exitum nonnunquam affert homini, idque per accidens. Commodius tamen accipitur pro vera fortitudine, quæ aduersa periculaq; rectè nõ solum subit, sed etiam obit: quemadmodum id fiat, Ethica docet.

FORTVNA.

Fortuna vulgari modo dicitur felicitas quædam in rebus agendis, non ab hominis industria & acumine iudicioque dependens, sed à causa alia occulta, vna cum hominis actione concurrente, eaque bona, & ad bonum tendente. Aristot. 2. phys. aliter accipit Fortunam, quam in Ethicis ad Eudemum: In physicis, physicè & verè de fortuna loquitur in 7. moral. lib. cap. 18. Moraliter, id est, populariter. Hîc enim affirmat Fortunam esse causam quandam diuinam, à qua incitentur homines ad bona, & retrahantur à malis, & ab ea dari homini initium intelligendi, volendi, & prosperè agendi. Illic verò ait: Fortunam esse causam per accidens, & indeterminatam. Vide Pererium lib. 9. cap. 8. & 9. de Fortuna & casu.

Ita fortuna accepta nonnunquam distinguitur contra casum: casus enim non est determinata causa, sed causa per accidens in iis, quæ operantur ob finem, sed sine electione, seu proæresi, idque in ratò contingentibus. Fortuna est intellectus agens præter rationem & intentionem. Thom. Aquin. 5. Eth.

Fortuitum igitur in hoc vno differt à casu, quod fit in iis quę habent electionem. Nonnunquam Fortuna complectitur casum. Fortuna, inquit Daniel. Bar. in brutis animantibus esse potest, casus esse non potest, sed & casus interdum pro ipso euentu accipitur: vt cum dicitur à Schol. Nullus casus seu euentus est, quem ab æterno Deus non prouiderit.

Commune vtrique est, quod omnium, quæ casu vel fortuito accidunt, causa est incerta, quippe quæ possunt fieri à pluribus causis. Vide Arist. 2. phys. c. 5.

FOR-

FORTVITVM.

Fortuitus effectus { verè / nostra opinione.

1. Effectus fortuitus verè, est inuentio thesauri, cuius per accidens partim est homo fodiens terram, partim is, qui reposuit thesaurum in illo loco.
2. Quidam effectus in nobis sunt, quos putamus fortuitos, eo quod illorum causam ignoramus, cum tamen non sint effectus, qui per accidens à nobis eueniant, sed per se in nobis fiant ab aliqua causa superiore: vt, quod aliquis profecturus per hanc viam quasi rapitur desiderio & voluntate incedendi alia via, & ita effugit hostium insidias, id appellatur ab hominibus fortuna: & tamen habet ille effectus causam per se, quæ intendit illum, nempe Deum vel Angelum bonum. Ideoque dixit Augustinus, Academicos vulgo appellare fortunam, quæ occulto ordine regitur, & rationem seu causam secretam habet, de quo etiam attigit Philosophus lib. de bona fortuna cap. 7. Suarez.

Fortuita generatio, fortuita (quæ & tralatitia) origo opponitur vniuocæ, vt ei quæ est ex mutuo coitu.

Sic Scaliger: Aristotelis quædam animalia, tum ex aliis, tum fortuita origine, quædam ex mutuo tantum coitu nascuntur, vt homo. Ita fortuita hominis generatio fuerit, si siderum conuentu fieret aliquando forma, quæ in materia ita imponeretur, vt homo tandem enasceretur.

Fortuita sunt, quæ homini præter rationem & expectationem accidunt cum ratione tamen agenti.
Hæc sunt Ratione { Qualitatis / Quantitatis

Bona ἐυτυχήματα, ἀπ' ἐυτυχίας, quæ externorum bonorum est.

Mala δυσυχήματα, ἀπὸ δυσυχίας. Vide lib. 1. Eth. Aristotelis cap. 12. & 2. phys.

Magna: μεγάλα.

Parua: μικρὰ.

In Eth. Aristoteles ἐυτυχήματα diuisit in parua & magna, sed non est accurata hæc diuisio, quia etiam δυσυχήματα talia sunt, quod ostendit tabella.

FORVM.

Forum primò significat locum nundinationis & negotiationis. Hinc forum boarium, piscarium.

Hinc circumforanei, circuitores, agyrtæ, Landtstreicher/præstigiatores, circulatores: sic dicti, quia currũt ab vno foro in aliud. Græcè θριοδευται. Horum gemini fere sunt, vagantes seu vagabundi scholastici, die fahrende Schüler. Vtrique alii sunt à parabolanis. Hi enim erant Medici proiectæ audaciæ, παράβολοι, destinati cum vitæ suæ periculo nosocomiis, vel xenodochiis.

2. Forum significat, in quo iudicia publica exercentur, & conciones habentur, Quint.

Forum agere seu conuentum dicitur prouinciæ præses, cum ciuitates vocat, & de

de controuersiis earum cognoscit. Ita accipit Cicero; Indicere forum est tempus & locum agendorum negotiorū designare. Seru. ad verba Virg. Indicitque forum.

Forum per Metonymiam pro forensibus actionibus, oratorium est: vt meditari forum.

FRACTIO.

Fractio propriè & in rigore significat diuisionem, & discontinuationem partium præsertim magnarum. Aristot. 4. meteor. Formaliter significat separationem vnius partis ab alia. Ad eam necessarium est, vt corpus (vt cultellus) quo fit diuisio, expellat aliquam partem alterius corporis à suo loco.

Fractio seu fractura fit partis à parte separatione, sublatione mutuę cohæsionis partium.
- Verè, corporum quorundam
  - solidorum, vt crassorum, vt ossium, coxę, glebę.
  - Rarorum & subtilium, naturalium & artificialium.
- Quasi
  - Animi, sententiæ, ceruicum, vndæ, aeris.
  - Lineæ, radii.
  - Qualitatum & motionum.

Linea recta à se fracta discrepat.

Fractio verè
- Perfecta κλᾶσις, panis.
- Imperfecta aliqua σύγλειψις σκελοκοπία, zermalmung / zerknitschung / ossium latronum, quæ fiebat clauis & malleis, mit külen: ἐν κεφαλῇ κατάγματα sunt capitis fracta ossa, à κατάκνυμαι.

Refractio est remissio de actu. Scalig.

Fractio propriè dicta, & physica fit
- Discerpendo manibus, secando, scindendo.
- Diffindendo.
- Collidendo.
- Conterendo.

In Arithmetica Fractio, quæ aliâs pars & minutio, quid sit, notum est.

Fractio
- Propria seu verè Minor integro.
- Impropria seu quasi
  - Æqualis integro
  - Maior integro.

Frangibilia sunt, quæ diuiduntur in partes magnas, ob pororum distantiam. Auerroes Meteor. 4.

FRAGILE.

Fragile quid sit, non est ἄδηλον: vt 1. propriè fragile est vitrum, olla, vrceus, ouum: id quod in omniū oculis & conspectu est. 2. Fragile est cum fragore & crepitu sonans. Sic lauri dicuntur fragiles. Sic Adrianus Turnebus: Fragiles lauri apud Virgilium 8. Eclog. di-

cuntur, quia inter vrendum fragorem & crepitum edunt. Sic Lucretius : Et fragiles ſonitus chartarum commeditatur. Fragor proprie ſonus eſt rei fractæ. 3. per Metaphoram fragile eſt caducum, non firmum: vt Forma bonum fragile eſt: corpus hominis eſt fragile. Fragile conſilium, id eſt, non ſtabile. l. 1. de minorib.

Vſus.

Quid illud Tibulli ſibi vult, Laurus vbi bona ſigna dedit, gaudete coloni. Reſpon. Sententia eſt, Gaudete coloni, vbi *in mediis crepuit laurus aduſta focis.* In ſacris (magicis etiam) putabant, ſi laurus crepitantius ſeu ſonantius vreretur, bonum omen portendi: ſecus ſi tacita vreretur.

FRATERNVZO.

Barbarum, Fraternuzat hæc quæſtio cum illa, id eſt, hæc quæſtio eſt illi par, cognata, germana, gemina.

FRVSTRA, μάτην.

Propriè idem quod ſine cauſa, ab re, & inaniter, & refertur ad finem agendi, ſicut temerè εἰκῆ, id eſt, ſine ratione, ſolet referri ad modum agendi, Dicitur interdum Gratis.

Sic Ariſtoteles. Fruſtra eſt cum non fit, quod propter aliud eſt illius gratia. 2. phyſ. cap. 2.

Sic Thomas 2. 1. phil. Lection. 1. text. 1. Fruſtra eſt, quod non ſequitur finem.

Sic Alex. Aphrod. Fruſtra dicitur eſſe aut fieri, quod rationem finis non ducit. In 2. poſt. Analyt. Ambulatio à me fit ob ventris purgationem. Hæc autem cum non ſequitur, fruſtra me ambulaſſe dico. Vide Simplicium in 2. phyſ.

Qui fruſtra agit, id eſt, non potitur fine ſuo, infortunatus dicitur, Themiſt. in 2. phyſic.

F V G A.

Fuga fugientium eſt, vt cum dicitur in fugam ſe coniicere ſeu dare, ſeu conferre, & fugam dare, & in fugam vertere, & Fugere præter caſam prouerbialiter. Non fugiendum prẽter caſam, ita expreſſit Iohannes Glandorpius Monaſterienſis, olim Profeſſ. in Academ. Marpurg.

Dum fugis & tetro vis te ſubducere nimbo
Sic fuge, ne tutam præter agare caſam.

quod aiunt, **verlauff dich nicht zu weit.** Apud Terentium in Phormione verbi Ellipſis eſt. Ita fugias, ne præter caſam, ſcilicet ferare, Græci dicunt παραφέρεσθαι, id eſt, præterire, quod non eſt cõtemnendum, **ſich verlauffen**: Hoc eſt, ne calore Fugiendi etiam prætercurre ſeu præteri, vbi commodè queas quieſcere, **verlauff deine eigene Herberge nicht/ oder dein Glück.** Caſa enim cuique ſua tutiſſimum eſt, vel certè eſſe debet, receptaculum.

Eſt & fuga operarum & laborum, quæ arguit deſidiam. Impropriè fuga accipitur pro Effugio, quod propriè eſt locus vel via fugæ, vt patet Effugium.

Fuga ſophiſtica eſt παραφύγιον, ſeu Euaſio. Alias ſubterfugium. Vnde Sophiſtæ dicuntur Fugitiui.

In Muſica Fuga eſt, cum voci præcinenti voces poſt tactus alias plures, alias pauciores ſimili ſono ſuccinunt. Seu

Fuga eſt eiuſdem clauſulæ poſt certa interualla, ſiue in omnibus, ſiue in aliquibus vocib. repetitio. Ideò fugæ duplices conſtituuntur, Vniuerſales & Particulares. Vniuerſales dicũtur, cum in omnibus vocibus initia ſe ſequuntur interuallis paribus, & ſibi reſpondentibus, donec tandem ad communem aliquam clauſulam deueniant, Particularis, quando vna vox aliam præcedentem ſequitur in certa diſtantia notarum, ad certum interuallum, etſi non omnes reliqui in tali ordine ſequantur.

Fuga

Fuga in
- Vnisono
- Epidiatesseron, oben in der quart.
- Subdiatesseron, vnden in der quart.
- Epidiapente, oben in der quint.
- Subdiapente, vnden in der quint.
- Epidiapason, oben in der octaua.
- Subdiapason, vnden in der octaua,

FVLCRVM, SVSTENTACVLVM.

Fulcrum est, quo quid fulcitur & sustentatur.

Fulcrum per modum
- Causæ Materialis seu subiectiuæ, sic substantia fulcit & sustinet accidentia: materia formam.
- Causæ efficientis. Sic Deus fulcit res concursu actionis diuinæ.

Fultus seu sustentatio (actiua)
- Omnis imperfectionis expers
  - *Vniuersalis*, qua Deus sustentat res omnes.
  - *Singularis*, quæ fit per terminationem dependentiæ à persona. Ita sustentat Filius Dei assumptam carnem. Hæc est SVSTENTATIO & gestatio per subsistentiam diuinam, id est, caro & anima Christi subsistunt subsistentia diuina verbi diuini.
- Aliquam habens imperfectionem, sustentatio nimirum
  - *Subiecti*: qua subiectum recipiendo sustinet accidentia.
  - *Materiæ*: qua materia sustinet formam, & ab ipsa dependentes, quæ materiales dici solent.

Sustentatio (passiua) qua quid sustentatur.
- Perfectissima
  - Humanitatis Christi in λόγῳ. Hæc scilicet in verbo diuino propria caret subsistentia & subsistentia diuina ei communicata est.
  - Rerum naturæ.
- Aliquo modo
  - Accidentium seu formarum accidentariarum.
  - Formarum, seu formarum substantialium.

COROLLARIVM.

Itaquè sustentare seu sustentario actiua fit
- Absque receptione, vt vniuersalis illa & singularis.
- Cum receptione: vt subiecti illa & Materiæ.

Apud veteres vnuſquiſq; eo, ſuper quod iacebat, fultus dicebatur. Sic dicebant puluino, ſericis puluinis fultum eſſe aliquem. Fulturæ natiuæ metallicis ſunt Bergveſtinen.

FVLMEN.

Fulmen phyſicis eſt meteorum ignitum & ardens, expreſſum nubium cõflictu. Græcè κεραυνὸς. Virgilius. Flagrans telum.

Fulmen extinguit animal
- Solo afflatu, cum nulla ictus veſtigia apparent, vſtione, afflictatione.
- Ictu & traiectione. Bubulco in Taurinis fulmen aurem perforauit ſeu perfudit, tenuiſſima traiectione, ita vt maneret ſuperſtes: amens tamen & attonitus nunquam rectè aut ſapere, aut loqui poſtea valuit. Scal. exerc. 13. ſ. 1.

κεραυνὸς
- σκεπτὸς, καταίβατος, maximè violentum, vi magna in terram compactum, ſeu illiſum fulmen.
- ψολόεις, ictu perimens. Ariſtot. de Mundo.
- ἀρρὴς, afflans, infuſcans.

Benedicto Pererio Valentino.

Fulmen
- Flammeum, Subtile. — Terebrans, Perforans.
- Conglobatum, procelloſum, ob coactum ſpiritum. — Diſcutiens, Diſſipans, Rumpens.
- Igneum
  - Fuſcans. De colorando ſeu reddendo corpus: Pallidum. Cæruleum. Nigrum.
  - Vrens: Afflans. Comburens. Accendens.

Igneum] Etſi nullũ fulmẽ eſt ſine igne, vt ait Al. M. tamen hoc magis igneum eſt. In eodem ſubiecto diuerſa eſt vis fulminis. Aridiſſimum in arbore vrit: Soliditſſimum & duriſſimum in ea terebrat frangitque: Summos cortices diſſipat, interiores libros in parte interioris arboris rumpit & ſcindit: folia perfundit ac ſtringit.

Fulmen *valentiora* vehementius diſſipat, quia reſiſtũt *Cedẽtia* nonnunquã ſine noxa, ſeu læſione tranſit *cum duriſſimis quibusque*, vt lapide & ferro, luctatur adeoq; confligit, quia neceſſe eſt, vt per illa impetu quærat, & vi faciat viam, qua effugiat. Huc pertinet illud: Fit via vi. *Teneris & rarioribus* parcit, licet flammis accommodata opportunaque videantur, quia tranſitu patente minus ferit. Eapropter loculis integris pecunia, quæ in his erat, conflata reperitur, igne tenuiſſimo per occulta foramina tranſcurrente. Vide Plinium lib. 2. cap. 51. 54. 55.

Fulgur aliud eſt, à fulmine. Seneca in lib. 2. naturalium quęſt. Fulguratio ignem oſtendit. Fulminatio emittit. Illa, vt ita dicam, comminatio eſt, commotio ſine ictu. Hæc iaculatio cum ictu! Illa eſt fulmen, non in terras vſque perlatum. Hæc eſt fulgur, vſque in terram perductum.

Chymici

Chymici postquam absumpserunt & segregarunt τὰ ἀλλότρια, aliena ab argento, nubecula quædam sulphurea, in superficie vndique apparet, vnde postea elucet splendor: Hunc vocant Fulgur, Fulmen, & Florem.

Fulminatio igitur in chymia est gradatio metallica, cum ex coctione ad purum in cineritio, cuius perfectio, velut effulgente splendore indicatur. Species hæc est Repurgationis. Sed chymicos cum bona gratia, vt æquum est, dimittentes, transeamus ad Historicos.

In histor. & orat. per metaphoram hyperbolicam Fulmen superiorum dicitur, Fulmen imperii, id est, potens Tyrannus: Fulmina fortunæ: Fulmina verborum, id est vis, impetus, vehementia. Cicero, cum duo fulmina nostri imperii subito in Hispania, Cn. & P. Scipiones extincti cecidissent. Per metaphoram etiam fulmineus ensis dicitur. Acerrimi pugnatores belli fulmina dicuntur. Ioan. Fris. Tig. in 4. Georg. ad verba fulminat Euphratem.

FVNDAMENTVM.

1. Fundamentum { Proximum: primum: directe. / Remotum: secundum: per consecutionem.

2. Fundamentum { Solum. / cum alio coniunctum.

Ratio seu conceptio Chymeræ non habet fundamentum in re, neque proximum, neque remotum. Non illud, quia non est similitudo alicuius rei extra animam. Non hoc, quia non sequitur ex modo intelligendi rem aliquam naturæ. Itaque conceptio illa est falsa.

1. De ratione Fundamenti est esse primum sustentare, & esse aliis partibus ædificii connexum. Non enim esset Fundamentum, nisi & aliæ partes operis cohærerent. Thom. 2. 2. part. quæst. 4.

Scalig. exercitat. 300. sect. 1. Proportio (in rebus) est comparationis fundamentum, haud quidem solum, neque primũ, (sed secundum.) Quippe identitas & diuersitas, similitudo & dissimilitudo æqualitas & inæqualitas, absolutum & relatiuum, sunt fundamenta cõparationis, intellige prima. Hoc loco autem ne erres, comparationem accipit Scaliger pro actione intellectus comparantis seu conferentis quippiam inter se.

2. Per translationem fundamentum dicitur omne id, sine quo res non possunt consistere.

Fundamentum autem est à fundo, qui Græcis basis.

3. Scotus, quem Scaliger sequitur, accepit Fundamentum pro subiecto vel materia. Sic etiam antiqua translatio in secundo Metaphys. In fundamento naturæ nihil est distinctum: id est, materia prima nullam facit distinctionem. Quod non est secundum se distinctum, non est ratio distinctionis primæ. Materia igitur prima non potest esse ratio distinctionis in indiuiduo. Scotus in quæstione: An indiuiduatio fiat per materiam.

4. Scaliger subiectum propriæ affectionis vocat huius affectionis fundamentum, & ait, hoc cum illa aliquo modo vnum esse.

In doctrina Relatorum Scholasticis Fundamentum est Ratio referendi, seu id, vnde oritur relatio.

Explicatio.

In omni relatione sunt 1. Fundamentum, id est, ratio referendi.

2. Termini relationis: Res subiectæ relationem deferentes, vt, Ottho si Mauritii filius est: tria hæc apparebunt. Nam ratio qua Ottho ad Mauritium, vt filius, & Mauritius ad Otthonem, vt pater, est vis illa procreandi tum actiua, tum passiua. Terminus relationis filii est Ottho: patris est Mauritius. Vide Scalig. de causis Latinæ ling. lib. cap. 93.

Fundamentum à Scholasticis distinguitur in fund. vere & quasi. Dicunt enim ex Damasceno diuinam essentiam esse *quasi fundamentum*, *& quasi radicem*, attributorum Dei internorum, eaque ab illa quasi emanare. Vide Scotum lib. 1. dist. 8.

Primæ substantiæ, quæ vocantur individua, sunt fundamenta secundarum, quod hæ in illis conquiescant, inquit Michael Toxites in comm. in orat pro Plancio.

Fundare est fundamentum iacere, & differt à constituere. Illud initii est, hoc ordinis.

Fundare bene (per metaphoarm à substructionibus) est bene collocare. Constituere bene, est, disponere & ordinare bene.

FVNDARI.

Fundari aliquid super aliquid interdum accipitur proprie, interdum improprie & quodammodo, vel κατά τι.

Exemplis hoc potest declarari.

Deus fundauit terram super stabilitatem suam seu super bases suas, tanquam columnas, id est, super ipsius (terræ) vim & naturam grauissimo corpori conuenienitē, vt interpretatur Pierius cum suopte nutu & pondere medium & infimum locum mundi petat, inq; eo fixa hæreat semper immobilis. Et Iob ca. 26. Qui appendit, seu suspēdit terrā super nihilum, id est super nullum fundamentum, quo libretur, fulciatur ac sustentetur, Deus quare suspensam super nihilo tenet terram. In psalmo igitur 135. cum Dauid ait: Qui fundauit terram super aquas, intelligendus est ἐπιεικῶς & κατά τι: vt sententia sit: Qui statuit terram ita, vt depulsis in suos alueos maribus & fluentis supra extet ad commodam nostram habitationem. Quamobrem Psalmo 104. vbi dicitur: Fundauit terram super bases eius, ne dimoueretur, aquas bases terrę vocari ac velut statumina, q.b. latera eius circūquaq; fulciātur, aiunt Franciscus Iunius, & Immanuel Tremell. in Scholiis in Psalmū 24. Bases igitur hi aliter accipiunt quam Pererius.

Eodem redit hæc interpretatio: Qui fundauit, &c.

Qui terræ magnam partem supra aquas extulit, qui terram, animantibus habitabilem, elatiorem & supereminentem aquis effecit. Fundatam enim esse terram à Deo super aquis tanquam illis supernatantem, falsum esse, cui obscurum esse potest? 1. enim cum terra sit grauior & ponderosior aqua, qui sustentetur ab aqua. 2. sub qualibet aqua inuenitur terra quasi naturale quoddam aquæ solum & fundamentum. 3. partes terræ in aquam deiectæ non supernatant, sed mersæ non prius ferri deorsum desistunt, quàm ad terram, quæ in imo sub aquis est, deueniant.

Pro verbo fundandi Patres etiam & Philosophi vtuntur τῷ Inniti vt rei constanti & stabili. Sic Fernelius, Granum cui tanquam basi (seu fundamento) reli-

reliqua innituntur pondera ratum constansq; esse docet lib. 4. Meth. medendi cap. 6.

FVTVRITIO.

Sic barbari & optici propter defectum vocis latinæ minus castigate & religiose pro futura ὑπάρξει, vel futuro euentu. Futuritio Christi inquiunt, id est futura existentia. Hanc sciebat Christus antequam nasceretur ex virgine, cum esse causæ & potentiale ei tribui posset: Gregor. de Valent.

FVTVRVM.

FVTVRVM (Μέλλον) & quod erit (ἐσόμενον) Aristoteli τῷ καθ' ὕστερον μαντικῇ differunt.

Quod futurum est potest etiam omnino non fieri; sed quod erit, id non potest

Futurum { Necessarium ἐσόμενον. / Contingens.

Futurum esse contingenter duo dicit, nempe Futurum esse & posse non esse,

Futura contingentia { Absolute seu determinate. (Futura absoluta, id est determinata.) / Sub conditione (futura conditionata) vel secundum cursum causarum naturalium.

Præscientia & præuisio, quam habet Deus de futuris tam sub conditione quam absolute est certa & falli nequit. συνδυάζεται vt loquar cum Aristot. ἢ συνδιάζεται, hoc est, vna consistere ac cohærere possunt, effectum aliquem esse contingentem & tamen definite futurum, contingens enim dicitur propter indifferentiam causæ & virtutis eius ad operandum & non operãdum determinate vero futurus: quia causa, quæ potest agere & non agere, reipsa aget: actionis igitur tantum indifferentiam excludit.

tum causam suam tanquam effectus necessarius consequi. Ὅλως γὰρ, οὐ γίνεται πᾶν τὸ μελλῆσαν, οὐδ' ἐστὶ τὸ αὐτὸ, τὸ ἐσόμενον καὶ τὸ μέλλον. Effectus naturalis necessarios & quorum sunt causæ continentes seu immediatæ, Aristoteles vocat ἐσόμενα: sed contingentes & qui possunt impediri, nominat μέλλοντα.

Quorum indefinitæ prorsus causæ sunt & καθόλου cognitum nullum, dicuntur fortuita, vt Petrum aut Calliam in Sardinia moriturum. Horum nec coniectura (quæ medium locum inter perfectam scientiam & perfectam ignorantiam Galeno obtinet) nec scientia est aut præscientia, cum suapte natura sint incerta.

Futurus morbus dicitur, qui neque fiens, neque factus est. Vide L. Mercatum lib. 5. de hecticarum febrium essentia.

M. Becanus capit. 10. de scientia Dei.

Non implicat, futurum aliquod contingens esse absolute. Quia hic absolute idem est quod determinate.

Canones.

1. Futura, quæ ex prædictione Dei absolute euentura sunt, absolute etiam eueniunt, vt resurrectio hominum in extremo iudicio.
2. Quæ sub conditione, ea tunc eueniunt cum ponitur conditio, non eueniunt cum hæc remouetur. Ita prædixit Deus subuersum iri Niniuen nisi resipuerint. Resipuerunt autem. Igitur non est euersa Niniue, Ionæ 3.

3. Quæ

3. Quæ ſecundum cursum ſecundarum ſeu phyſicarum cauſarum, ea eueniunt ſecundum eundem curſum, niſi diuinitus impediantur. Sic prædixit Deus Ezechiam Regem moriturum, qui quidem ſecundum curſum naturalem erat moriturus, niſi à Deo fuiſſet præſeruatus, 4. Regum 20.

GEMINI.

Gemini, primum ſunt eodem partu editi.

2. Cognati, vel ſimiles, qui & Græcis ἄδελφοι. Sic Cicero geminum in ſcelere par dicit de Doalbella & Antonio. Phil. 2. & Verr. 5. Conſorti quidem in futtis & lucris gemino & ſimillimo nequitiæ.

Item pro Quint. Simillima & maximè gemina ſocietas: & in Piſ. Illud vero geminum conſilii Catilinæ & Lentuli. Hippocrates ſecundum Græcæ linguæ proprietatem in hac ſignificatione ἄδελφα, ſcribit, eſſe lac & menſtrua: γάλα ἐπιμηνίων ἀδελφα, id eſt, ſimilia, vel cognata. Sed cur lac menſtruis ἄδελφον eſt, id eſt cognatum, ſimile? (non enim recte verterunt, fraternum) Reſp.

Quia ex eadem fit materia. Quod enim non attrahit natura mulieris ad fœtus alimoniam, id in mamillas regurgitat, & ibi fit lac. Itaque in venis matricis ſi fit obſtructio, lac etiam in virginibus fieri poteſt. Et hac de cauſa ei, quæ neque grauida ſit, neque pepererit, ſi lac habet, menſtrua deficere pronunciat Hippoc. aph. 39. ſect. 5. Quare non eſt argumentum omnino neceſſarium: lac habet, ergo eſt prægnans, ergo peperit.

3. Gemini ſunt teſticuli, (qui & maris & forminæ ſunt duo. Fœminæ teſtes lateribus vuluæ adiacent ad fundum, magnitudine multo inferiores, atque imperfectiores, quàm maſculi, vide Realdum Columbum lib. 11. de viſ. cerib. & Ludouic. Vaſſæum in tabulis in Anatomen corporis humani.) Græcis Didymi, qui attrahunt naturali ſeu innata vi ſua, tanquam alimentum propriũ ἐκπόλυμμα ſeu reliquias vtilis alimenti per vaſa ſeminaria (ſicut etiam atram bilem, lien, & flauam fellis veſicula,) & attractam in ſemen conuertunt, quo & ipſi aluntur, & reliquum colligunt, & conſeruant, quod ad procreationem emittatur.

4. Sunt ſignum cœleſte, Caſtor & Pollux, de quo videatur Heginus.

Geminatum interdum idem eſt, quod iteratum, vt Geminati verſus, ſeu iterati dicuntur in poetica, cum reperitur, quod ante fuit poſitum. Exempli cauſa:

Abſtineas auidas, mors, precor, atra, manus.
Abſtineas mors atra, precor.

Elegans hoc in pathetico & lugubri carmine vel deprecatorio.

GENERATIO.

Fuse: Pro Generatione & substantiali & accidentali, seu progressione à non esse, seu à termino negatiuo ad affirmatiuum, siue is sit substantia siue accidens, vt à non homine ad hominem, à non calido ad calidum. Aristot. lib. 11. Metaph. cap. 10. & de generatione & corruptione cap. 3.

Generatio accipitur

- Stricte: Pro productione viuentium. Aristot. lib. de vita, & morte cap. 1. Hæc accipitur
  - Ample à quocunque, vt:
    - Equi ab alio equo generante. Hęc VNIVOCA dicitur.
    - Muris, qui fit ex putri materia à sole. Hæc dicitur ÆQVIVOCA.
  - Presse tantum, ab alio viuente, vt equi ab equo, arboris ab arbore. Hæc est
    - Secundum naturam.
    - Pręter naturam, vt muli ex equa & asino.
- Medio modo pro omni solaque generatione substantiali.
  - Nuda, hoc est pro productione, seu introductione formæ per se (Aristotel. lib. 5. phys. cap. 1.) seu vnione formæ cum materia.
  - Vna cum præuia (id est, introductionem formæ præcedente) alteratione. Sic accipit generationem Aristoteles, cum eam dicit esse motum, lib. 3. phys. cap. 2.

Quid præuia Alteratio Scholasticis?

Generatio est
- Totalis: vt totius hominis, ὁλικὴ γένεσις.
- Partialis: Nutritio, quæ dicitur aggeneratio, quæ est continuatio ad partialem substantiam. μερικὴ γένεσις.

- Humana Generatio est
  - Ordinaria seu communis: Ex mare & fœmina.
  - Extraordinaria
    - Absque Mare & Fœmina. Productio Adami.
    - Absque fœmina, sed interueniente mare: Productio Euæ.
    - Absq; mare, sed concurrente fœmina, Generatio Christi ex virgine.
    - Ad primam extraordinariam refero παλιγγενεσίαν, id est, regenerationem, cum resurget caro nostra. Est scilicet hæc quædam creatio, ἀνάκτισις.

- Generatio
  - Actiua. Generantis.
  - Passiua. Generati.

Generatio, γένεσις in Mathesi & Logica, est compositio seu constitutio (σύνθεσις) alicuius, & opponitur Analysi, id est, resolutioni.

Productio generalius quid est, quàm generatio.

Nam 1. aues, quæ incubatu suo ex alienis ouis fœtus educunt, producunt fœtus, sed proprie non generant, nec sunt progenitrices & parentes: quia pullorum corporibus formandis ouo non præbent materiam, non generant ouum, nec eis seminariam vim imprimunt.

2. Et productio quædam etiam est per creatorem.

- Progressus Generationis
  - Rectus: Ita non mutua est Generatio: vt cum ex Sophroniſco Socrates generatur. Aristoteli est Generario εἰς εὐθὺ, in rectum, cum formæ, quæ in materiam inferuntur, semper inter se specie differunt, vt: cum ex aqua fit aer; ex aere ignis.
  - Circularis seu reciprocus (κυκλικὸς) cum quædam ex se mutuo oriuntur, vt cum ex vaporibus pluuia, & è pluuia vapores oriuntur. Hæc generatio in orbem dicitur: nempe cum fit regressus à forma ad formam eiusdem speciei: vt, cum ex Aqua fit Aer, ex Aere Ignis, ex Igni Terra, ex Terra Aqua, ex Aqua rursus Aer.

Cum superiori distinct. hæc congruunt.

Generatio { Hyperphysica, diuina, progressio seu potius emanatio alicuius viuentis, ab aliquo viuente coniuncto, secundum rationem Identitatis in οὐσίᾳ. Hæc in Deo inuenitur, quia in creaturis gignens & genitum differunt, secundum esse, non autem in diuinis.

Naturalis progressio { à non esse ad esse.

Viuentis alicuius ab aliquo viuente secundum rationem similitudinis in specie. Hęc est in animatis: Hæc enim vita participant vegetabili, & dicitur Natiuitas, Dominicus de Flandria 2. de anima.

Sequens sumpta est ex disputationibus Ethicis.

γένεσις accipitur Generatio { Proprie, seu pro operatione naturæ.

Improprie, 6. Eth. cap. 4. *pro opere*, cui forma plena introducitur, vel transmutando partes naturæ, vel addendo huic aliq̃d, vel detrahẽdo, *vel pro operatione, aut artis naturam imitantis*: vt, cũ dicitur γένεσις Syllogismi: aut voluntatis: vt cũ 3. Eth. ca. 3. Philosopho γένεσις est rerum ad consequendum suum finem pertinentium molitio, susceptio, effectio, administratio: seu est rei deliberatæ executio. Cui opponitur ἀνάλυσις (resolutio,) quæ est proposito fine instituta de rebus ad finem spectantibus deliberatio. Tempell. de vnica methodo p. 88. Aristotel. ibidem: id est primum in generatione, quod vltimum est in resolutione. Ethica analysis primo finem proponit, deinde cogitat, & perpendit ea, quæ ad finem referuntur. In genesi seu rerum susceptione ad opus primo res per analysin cogitatas obimus, deinde ea obeundo finem consequimur.

(Id in genesi primum est, quod in analysi est postremum. Id est, quod analyseως subsidio inuentu postremo est, id primo per genesin contexitur.)

Tempellus his notat aduerſarium, qui ex hoc loco duplicem methodum conſtituit. Verba Tempelli ſunt. Excitate igitur illam diuinam animi veſtri ſententiam, & de Methodo duplici vtrum philoſophetur Ethicus ille, diligenter expendite. Ego nomine analyſeos non Methodum à generalibus, ſed fine ſuppoſito, hominis politici *deliberationem*, nomine Geneſeως non aliquam à ſpecialiſſimis primo collocandis viam (id eſt ordinem,) ſed rei deliberatæ *executionem* comprehendi & notari contendo.

Ab hac Ethica γενέσει eſt alia γένεσις Geometrica, vt quæ eſt in ſyllogiſtica (id eſt in ſyllogiſmo occupata, ſiue ad ſyllogiſmum refertur) ſicut & analyſis; illi oppoſita. Geneſis enim Geometrica in concluſione à generalibus principiis deducenda conſumitur: Analyſis vero in artificio concluſæ quæſtionis retexendo, ad principia explicanda vel euoluenda.

Geometris { Geneſis, generalium principiorum lumine concluſorum demonſtrat.
Analyſis, inuerſo ordine factæ concluſionis demonſtrationem retexit.

Generatio, græce γενεὰ, interdum accipitur pro ætate matura & idonea generandæ proli, quæ fere ſolet eſſe 20. annorum, certe minor quatuordecim annis vix vnquam eſt, ſeu, vt ait Pererius, aut nunquam eſt, aut rariſſime. Sic Auguſtinus explicans Pſalmum 104. ſcribit, generationem eſſe ætatem, qua quis potens eſt generare alium: hanc autem minimum eſſe quindecim annorum.

Ætas hominis ordinaria.

Sæpe etiam ab hiſtoricis ſumitur pro ætate, quam poſſunt homines viuendo attingere, quæ definita eſt à Dauide Pſalmo 90. ſeptuaginta vel octoginta annis: in libro autem Eccleſiaſtici extenditur ad centum annos vſque.

Sic accepit Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 1. Romanarum antiquitatum, cum ſcripſit, Medorum imperium ſtetiſſe prope quatuor γενεὰς ſeu generationes, hoc eſt ad quadringentos annos.

Nonnulli videntur generationem accepiſſe pro ſeptem annis. Nam Medici dicunt puero incidi venam ante duas generationes, & apud Suidam dicitur Orpheus vixiſſe nouem vel vndecim generationes.

Apud Euſebium nomen generationis ponitur pro ſpatio viginti annorum. Scribit enim à rege Inacho vſque ad bellum Troianum tranſiiſſe viginti generationes, hoc eſt annos quadringentos: lib. 10. de præparat. Euangelica cap. vltimo.

Diodorus Siculus lib. 3. capit. 13. Generationem facit triginta annorum, ſiquidem triginta generationes ſexcentis annis definiuit Plutarchus in libro, qui inſcribitur, cur oracula defecerunt, & Cenſorinus in libro de die Natali Romanorum ad eundem modum de generatione loquitur: quomodo videtur intelligendum, quod Homerus dixit, Neſtorem vixiſſe tres ætates, videlicet nonaginta annos.

Pro ſeculo centenario, hoc eſt, centum annis videtur Pererio, Generatio-

rationis vox accepta esse lib. Genes. cap.15. Ita cum dixisset Deus Abrahamo, fore semen eius peregrinum quadringentis annis, mox subiecit: Quarta autem generatione reuertetur in terram hanc, sed Tremell. & Fr. Iun. hîc ordinariam hominis ætatem, quæ fermè annis septuaginta circumscripta est, malunt, eo quod in Ægypto commorati sint annos 210. quibus tres ætates contineantur, post verò anno demum 40. ætate quarta desertum emensi sint, pedemque posuerint in terræ promissæ possessionem. Vide Annotationes in 15. cap. Genes.

GENERATVRIO.

Cupio generare, vt parturio, cupio parere: Sic Scalig. Malè à philosophis pronunciatum, qui naturę propositum dicerent semper marem generaturire, quod ad opus perficiendum cum impediatur, quod esset reliquum, fœminam quasi hostiam succidaneam supponere. Maioris tamen operæ esse marem, quàm fœminam non negamus. In 2. de plantis.

GENITIVVS.

Genitiuus in physicis est, qui habet vim gignendi, formandi, vt spiritus Genitiuus (qui continet in se virtualiter omnium membrorum indiuidui, à quo decidit, proprietates & conditiones) Calor Genitiuus (cui formatiua facultas inest:) semen genitiuum, id est, genitale, vt philosophi etiam loquuntur. Semina sunt genitiua & genitalia, id est, δυνάμει in seminib. vis inest earum rerum, quæ ex his progignuntur. Testes etiam dicuntur principium genitiuum, vt partes semen præbentes, & robur ac virilitatem vniuerso corpori largientes.

In Grãmaticis Genitiuũ vnũ esse è casib. qui alias dicitur casus possessorius seu possessionis, notũ est. Appellatus autẽ est à parte notationis, quia Genitiuus interdum etiam notat subiectum totum, speciem, finem, cum dicit Paulus ad Romanos 4. cap. vers 11. σημεῖον περιτομῆς, signum conuersionis, genitiuus speciei est, id est, notans speciem. Sentẽtia enim est: Accepit circumcisionẽ, vt signum fœderis. Cum dicitur honoris tui causa, hic finis significatur.

GENITVRA est fœtus rudimentum. Genitum septimo die habet, quæ habere debet. Hippoc.

GENIVS.

Genius apud authores profanus est Græcorum δαίμων, & Latinorum spiritus familiaris, cuiusmodi vetustas παρέδρους, id est, assessores, seu consiliarios vocauit.

Putarunt autem Ethnici Genios hominibus simul atq; nati essent, adiũgi, eosq; præsentes esse eis toto vitæ curlu, & animas cum ex corporibus euolassent εἰς ἅιδου, id est, in orcum, seu inferna deferre, ibique pro ratione actæ vitæ in certas sedes, tranquillas, aut suppliciis destinatas collocare. Credebant ex his bonum esse vnum seu beneficum, alterum malum. Bona seu ἀγαθοποιούς quicquid prosperè veniisset, adscribebant, à malo tristitia, noxiaq; existere & infligi censebant. Bonum procurare quæ ex re nostra essent, ac defendere quem in fidem ac patrocinium suum accepisset, arcere pericula, & aduersari alteri, nempe malo, quantum posset, hortatoremq; esse, & impulsorem ad honesta & salutaria consilia, studia ac actiones. Vnde δαίμονα ἀλεξίκακον, καὶ λύσιλα τὰς ἀρὰς, id est, genium depulsorem & auerruncatorem dirarum vo-

cabant: Malum contra inuertere, elidere, & euertere res bonas, calamitates verò & ærumnas incutere, tum si impenderent maturare, omninoque ad scelera propellere, indeque in periculum adducere, vel in subitum præcipitare exitium. Vnde ἀλείτηριον ἀλάστορα καὶ κυρῶντα τὰς ἀρὰς δαίμονα, id est, noxium, & ratas facientem diras Geniũ nuncupabant. Huc spectant Græci versiculi:

Mystagogus seu initiator vitæ Dæmon.

Ἄπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γεγωμένῳ
Ἀπαντὸς ἐστι μυσταγωγὸς τοῦ βίου.
Suus cuiq; Genius est mortalium
Vitæ vniuersæ rector hic & arbiter.

Lares fuerunt duo Genii, quos opinio erat priuatarum rerum, triuiorum, & vrbis curam agere, vnde & præstites vocabantur.

Magorum aliqui suos Genios, id est, spiritus familiares circumferunt annulis, thecis & crystallis inclusos, vt iactitant, nonnullis verbis, & ritibus conceptis euocant, ita vt ascititiâ sese & conspicuâ imagine ostendant.

Deinde Genius accipitur pro gratia. Seneca. Nemo vir bonus est sine Genio diuino, id est, gratia diuina. Victurus genium debet habere liber, id est, gratiam & leporem.

Tertiò pro Natura. Nam Genius est ab antiquo Geno, quod est gigno. Dicitur Genius, quod nascatur nobiscum, vt in prima significatione dicitur, quod genitos nos suscipiat, & tueatur. Defraudare suum Genium, est naturæ denegare id quod appetit, cui opponitur, indulgere Genio. Sic dicimus, Genius meus ab hoc abhorret, id est, natura mea.

Terra, aqua, ignis, Sol, Luna dicti sunt Dii Geniales, quod rerum gignendarum vim habere crederentur, quamobrem iis suo natali die quisque sacrum faciebat, quod erat Latinis dare Natalitia.

Quartò, Regionis Genius Scaligero est cœli facies, cui illa terrarum pars subiecta. exerc. 266.

Genius Socratis, deductus est in controuersiam. Quæritur enim de Genio Socratis, quid quisue fuerit, qui solitus est ei agenda, vel non agenda significare, quemadmodum ipse in Theage apud Platonem, & alibi refert.

Quorundam sententia est, fuisse Dæmonem malum. Solet enim Diabolus interdum magnam sanctitatem & pietatem simulare, vt doctis dolis facetisq; fabricis glaucomam hominum oculis obiiciat, & quasi noctem animis eorũ effundat, ideoque cum lumine verbi diuini destitutus fuerit hic præstantissimus Philosophus, non ambigendum esse, quin eius sanctitas, quia à verbo Dei aberrat, Diaboli, qui se in Angelum lucis transformat, & adorari in, & à mundo expetit, lusus extiterit.

Erasmi Roterodami de Genio Socratis sententia est, eam esse insitam naturæ vim. Alii denique censent, fuisse bonũ Dæmonem, persuasi eius verbis, quæ in eius libris extant: quo etiam non parum facit, quod suggestiones spiritus illius non fuerunt malę: Quæ sententia est εὐλογος. Vide positiones Disputationis eruditæ Ioannis Andreæ F. Tausani Dani, in collegio Philosophorum Marpurgi publicè habitæ, Anno DeVs nobIsCVM.

Cœlestis Genius Scaligero significat Naturam. Nonne quotidiana fœtura cœlestis Genii, quæ natura est, potentiam declarant plantæ, nullis ortæ seminiis exer. 323. Sebastianus Castellio in Versione Bibliorum accipit *pro Angelo, quod aliis displicet.*

A Genio est Genialis, quæ vox 1. significat voluptarium. 2. per synecdoch. nuptialẽ, vt lectus genialis, dies genialis. Hyems genialis dicitur potius quàm æstas vel ver: eccur vero? Scilicet quia hyberno tempore rustici vt annuis laboribus defuncti genialiter agitant, sicut Maro primo Georg. canit.

Frige-

Frigoribus parto agricolæ plerunque fruuntur,
Mutuaque inter se læti conuiuia curant,
Inuitat genialis hyems, curasque resoluit,
Ceu pressa cum iam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

Et eleganter Angelus Politianus in Rustico:

Postquam acris successit hyems & pendula tectis
Diriguit glacies, larga strue tollitur altè
Collucetque focus, coeunt vicinia simplex,
Vna omnes iuuenesque probi materque seuera
Coniuge cum duro & pueris & virgine grandi
Conuigilantque hilares, & primæ tempora noctis
Decerpunt, molli curas abigente lyeo:
Mutuaque inter se ludunt: tum tibia folle
Lasciuum sonat inflato: tum carmina cantant,
Carmina certatim cantant, tum tenta recusso
Tympana supplodunt baculo & caua cymbala pulsant,
Et læti saltant & tendunt æribus æra,
Et graue conspirat cornu tuba flexilis vnco,
Conclamantque altum vnanimes, tollunt-que cachinnos.

Hæc omnia sunt genialia.

GENVS.

Genus aliud est Grammaticum, aliud politicum & historicum, aliud Logicum, & Metaphysicum.

Genus in Grammaticis est nota sexus. Estque certum vel incertum. Certum Masculinum, Fœmininum, Neutrum. Discrimen autem generum constituunt Grammatici per notam prono-minis. Sed tunc à posteriori accipiunt cognitionem. Neque enim Cæsar est generis masculini, quia ei præponitur hic, sed cognoscitur ita esse, quia ita præponitur: præponitur autem quia est. Hic ἀρχὴ est cognitionis à posteriori, diceret Schol.

Politicis & historiographis Genus est, vel *Collectio multorum hominum*, inter quos cognatio quædam intercedit, & qui ab vno aliquo originem trahunt, seu Tota familia, ac stirps: Quomodo Genus Heraclidarum & Romanorum dicimus, collectionem illorum omnium, qui originem ducunt ab Hercule, Romulo, significantes: *vel ipsa origo*: idque bifariam: *vel parentum*, ex quibus, *vel patriæ & loci*, ex & in quo quis oriundus est, ratione habita. Sic dicimus, Dominus Iesus genus habet à Dauide seu Iuda, id est, originem ab illo ducit. Sic Plato genere est Athenienſis, id est, originem ducit ex vrbe Athen. politicum hoc genus ratione multitudinis, quam continet, & principii, vnde illa est, Logico est ἀνάλογον.

Origo habetur ex parentibus vel patria.

Logicum enim genus est, quod multas species complectitur, & earum est principium.

Vicina significatio Politico & Logico est, cum Genus accipitur pro collectione indiuiduorum vnius speciei: quomodo dicimus Genus humanum, & libr. 5. Metaphys. cap. 28. Aristot. dicit: Genus dicitur generatio continua, (non interrupta) eorum, quorum species eadem.

Philosophicæ & Logicæ acceptiones hæ sunt.

Primò sumitur Genus pro confuso, indistincto, vago: vt in genere hoc cognoscitur, id est, confusè, indistinctè. 2. Pro subiecto cuiusque scientiæ, quod sæpè dicitur Genus subiectum, 1. post. cap. 7.

3. imò

3. imò etiam pro materia physica, & sic dicitur Genus physicum 1. de Generatione & corruptione, cap. 6. 4. Ab Aristotele accipitur pro γωικῷ prædicabili seu vniuersali omni, alteri communi, atq; adeò pro specie infima, quę proxima est indiuiduis: vt 2. Metaph. c. 2. Cùm dicit vltima genera: γένη ἔσχατα, Genera prima & vltima. Sic etiam vulgò dicuntur esse varia hominũ genera. 5. Sumitur pro toto partib. essential. quod est apud Cicero. 2. de inuentione: vel pro notione, quę repręsentat rem vniuersaliorem, sub qua minus vniuersalis continetur, seu cui species subiacent. Estq; ἀνάλογον materiæ.

Genus in Logica aut est proprium, aut impropriè dictum: aut verè, aut quasi. Propriè dictum est συνώνυμον, quod omnibus partibus subiectis, ex æquo conuenit. De hoc intelligitur hoc Arnobii, lib. 7. disput. aduersus gentes. Quod vnum genere est, nõ potest suis esse in partibus minus aut plus, qualitatis propriæ vniformitate seruata.

Impropriè dictum Genus est, quod speciebus suis communicatur æqualiter. Alii dicunt, sic: Genus est perfectum vel imperfectum. re eodem recidente. Perfectum seu τέλειον, quod à specieb. suis ęqualiter participatur. Itaq; totum id, quod est in hoc genere, communicatur ita, vt nihil de genere dici possit, quin idem de quauis dici specie sit necesse, & hoc genus habet naturam omninò distinctam ab omnib. suis speciebus. Alii vocant Genus vniuocum, seu synonymum. Imperfectũ est, quod specierum alteri magis, alteri minus communicatur. Huc pertinet genus Analogum, quod si non placet Genus vocare, voces sanè COMMVNE ANALOGVM. Itaque Genus imperfectum 1. vni speciei soli communicatur ἀμέσως καὶ πρώτως, id est, immediatè, propriè, per se: alteri verò ἐμμέσως, καὶ δευτέρως, id est, mediatè & secundariò, in χέσει seu ordine ad primariam speciẽ. 2. Nec obtinet naturam quandam omninò distinctam à suis specieb. Hoc genus etiam aliquando vocatur Genus quodammodo, & secundum quid, & καθ' ὁμοιότητα, non absolutè. PRIMARIAM speciem huius generis Scholastici vocant Significatum famosius, & PRINCIPALE ANALOGATVM (analogo generi subiectũ) vt: principali analogato (id est, primaria specie) delarato, facilior est cognitio generis analogi. Primaria species est, cui huius generis debetur ἐξοχή, id est, prærogatiua. Huc pertinet hæc quoque generis significatio, qua ponitur pro gradu, seu ordine vel modo: vt, quatuor sunt genera viuentium. Quædam enim vegetantur, quædam sentiunt; quædam loco mouentur; quædam intelligunt. Intelliguntur hic progressiones, diuersi gradus, siue ordines viuentinm, siue vera sint genera, siue non vera. Hæc significatio est etiam Iurisconsultorum.

VSVS DISTINCTIONVM ostenditur.

1. In Demonstratione mediũ & affectio sunt sumenda ex eodem genere, id est, ex eadem subiecta materia. Sic enim ὁμογένεια, id est, eiusdem generis & eiusdem naturæ esse dicuntur & essentialiter connexa, seu inter se essentialiter colligata.
2. Corruptibile & incorruptibile differantne genere, quæritur, nec ne? Respondent, differre genere subiecto. At idem esse genere prædicabili, genere sumpto ꝑ eo, quod refertur ad species.
3. Colores & sapores, quæritur, an diuersa sint genere? Resp. Sunt idẽ genere prędicabili, Qualitate. At sunt diuersa genere subiecto, quia eorũ subiecta, neq; in sese, neq; in aliquod tertium genus subiectum resolui possunt. Subiectum enim colorum est superficies: subiectum autem saporum est humor.

4. An

4. An proprie dictum sit à Paulo Apostolo, Actorum 17. ex Arati phænomenis Dei genus sumus? Respon. Fonseca improprie dictum esse, cuiusmodi etiam fuerit, si diceretur, Deum esse genus nostrum, cum Deus non sit nostræ speciei. Vide eum in c. 27. libr. 5. 1. philosoph. explicatione. Sententia autem est, cum dicitur, Dei genus sumus à Deo, vt prima causa & patre, conditi sumus ad eius imaginem. Progenies Dei sumus; habet vna versio: Ex Deo est nostra cognatio: habet alia versio: Ex vna cognatione seu origine sumus, habet interpres.

5. Istud generàliter verum, quod ait Scaliger lib. 5. de causis lat. linguæ. Omnis species totam generis naturam continet. Respon. est de genere perfecto & accurato intellectum. Διαθέσεις etiam verborum (vt cum dicitur διάθεσις actiu. διάθεσις pass.) dicuntur à veteribus Grammaticis genera vt actiuum, (significãs actionem) Passiuum, Neutrum, Deponẽs. Quidam maluerunt significationem appellare. Sed significatio omnium dictionum forma est: vt ait Scalig lib 5. de causis l. l. c. 110.

6. Quæritur an fieri & generari seu gigni sint perfecta genera? Respondeo Negate, primo enim significatu pertinẽt ad substantias. Generatio enim primo dicitur de substantia: secundo loco de accidentibus; dico enim, fit pater, fit albus.

7. Arist. dicit 3. & 4. 1. Phil. Ens & vnum esse maxime vniuersalia. & 3. Physic, tot esse motus species, quot Entis species sunt. At idem quoque scribit 4. 1. ph. cap. 2. text. 6. & Ethic. 1 cap. 6. Ens, vnum bonum non esse vniuersalia. Quomodo hæc conciliantur? Respondent interpretes, non laborare hæc intestina discordia inter se: Aristotelẽ enim priorib. locis vniuersale & genus tã late sumere vt Analoga, præsertim propria propositione (quæ veris vniuersalibus sunt similia) etiam cõplecta tur: vt sunt Ens principiũ, causa, elemẽtum, natura, motus & similia, quæ ad naturam veram vniuersalium propius accedunt. Posterioribus vero ita presse, vt sola vniuoca comprehendat, quę simpliciter absoluteque eiusdem ratio nis sunt; (non quodammodo, vt analoga.)

8. Naues, Resp. & similia Entia per accidens, in quibus aliquis per se ordo cernitur, sunt ne vera genera? Resp. Etsi nonnulli negent: ego tamen affirmo, ex eo, quod rationes eorum æque participẽtur ab ijs, de quibus dicuntur, vt ratio nauis ab hac & ab illa. Videsis cõmentatores in Ethic. & politica Arist. qui in his Rempublicam facit Genus multarũ specierum. Dicere quoq; sic posse videor nauis, Respu. Ecclesia nõ sunt genera exquisita, sed Logica vt loquitur in organ. Claud. Alb. suum cuique hic liberum sit iudicium.

Quomodo interpretanda hæc Iuliani Iurisc. l. seruus. pro Emp. Genere quodã venditio inter seruum & dominũ contracta est? Resp. Modo quodã. Cuiacius. Quomodo hæc Pauli, si is, qui primus cessit vel defunctus sit, vel alio genere partem suam alienauerit? Resp. Alio modo. Quomodo hoc Arnobij l. 3. disp. Quid ergo, inquiet aliquis, non audit Deus: non loquitur, non ante se res positas videt? nõ intuetur? Suo forsitan genere, nõ nostro. Resp. suo modo ac more, non nostro. Vide 2. parerg. Scip. Gẽtilis c. 15. Cur dicitur, quatuor sunt causarum genera? Quia causa nõ est vniuocũ genus, sed commune analogum, vt loquitur & sentit Zabarella, q nõ habet proprie dictas species, sed tantũ secundũ similitudinẽ (etsi Arist. l. 2. phys. tex. 3. dicat: causę igitur tales & tot sunt specie) idcirco solet dici: Quatuor sũt genera causarum, id est, nomẽ causæ distinguitur in 4. genera. Sic Prædicamenta, substantia & accidens non

sunt proprie species entis, sed sunt genera entis, id est, sunt genera in quæ diuiditur nomen entis. Ens diuiditur in genera, non quidem entis, sed rerum ipsis subiectarũ. Zab. 2. phys. ad tex. 31.

Quomodo diuersis conuitijs tribuatur vox Genus, cum diuiditur cõuitium?

Conuitiorum à Græcis constituuntur quatuor genera. Hic genera pro speciebus ponuntur. ψόγος, cum oratione longa & aperte crimina narrantur, lat. vituperium.

Διαβολὴ, calumnia, cum clam.

Λοιδωρία, cum breui & aperte exprobrãtur & obijciũtur; vt oblitus ne es, quia salsamẽta vẽdebas σκῶμμα, (dicteriũ) cum breui, sed tacita, seu obliqua, vt meminimus, quando brachio te emungebas. Macrob. li. 7. Saturnal. c. 3.

An TRIA sunt animæ genera? Platoni tria sunt γένη τῆς ψυχῆς, id est, species seu εἴδη. Et Arist. mentem seu νοῦν ψυχῆς γένος (id est, animæ genus, hoc est animæ speciem) ἕτερον (id est, diuersum à vegetante & sentiente) & χωριστὸν separabile, & θυράθεν ἐπεισιέναι (foris intrare) dicit.

Explicatio.

Plato docet non contemnendis argumẽtis, tres esse οὐσίας seu essentias distinctas: animam λογικὴν, seu λογιστικὴν rationalẽ, immortalem, & animas duas brutas, ἐπιθυμητικὴν concupiscentem & θυμοειδῆ, mortales & caducas.

Alij docent ἐπιθυμητικὴν irascibilem, & θυμοειδῆ esse vnius animæ, nempe Intelligentis, seu Spiritus separabilis à copore, diuersas δυνάμεις seu potẽtias. Galenus ἐπιθυμητικὴν & θυμοειδὲς sentit esse crasin (seu temperationem) epatis & cordis: & animam intelligentem, seu mentem esse crasin cerebri, quod posterius falsum est, & à doctrina Ecclesiæ alienum prorsus: ettsi interim hoc verissimum statuo, naturam illam expertem corporis mentem dico, cerebri temperamento & spiritu ad actiones suas dum est in corpore, vti, cum experientia doceat, si spiritus & κρᾶσις cerebri turbatur, rationem & intelligentiam impediri: & certissimus CANON sit: Organis affectis anima actiones suas organicas in corpore exercere nequit. Sed hæc in παραδρομῆς.

Tres in homine animæ.

Genere, vt Cicero loquitur in officijs & genere suo (vt alij) idem sunt, quod per se. Opponitur ei per accidens: vt alia peccata sunt genere suo (id est per se) peccata, alia per accidens. Bona opera genere, id est natura sua & per se non sunt noxia ad salutem.

GEODESIA.

Geodesia significat vel ipsam terræ dimensionem vel rationem dimetiendi, quæ γεωδαιτικὴ est.

Geographia terræ cognitæ descriptionem, quæ consistit in Chorographia, & Topographia.

Chorographia est regionis vel prouinciæ alicuius descriptio.

Topographia est peculiaris alicuius loci pictura. Topothesia poetica est: (est enim ficti loci descriptio.)

Geometria vero significat artẽ dimetiendi quiduis: alias μετρικὴ (sc. ἐπιστήμη.)

Ramus Geodesiam facit partem Geometriæ, vt sit illa huius quædã praxis. Sed veteres Geodesiam cum Musica & Optica ad Mathematicas scientias retulerunt eas, quæ circa res sensiles versentur, & si fateantur Geodesiam ex Geometria promanare.

Secant Geometriam in duas partes: in Geometriam proprie sic dictam, quæ continet planorum doctrinam, ac potest dici Epipedometria. Et Stereometriam, quæ tractat solida corpora.

Geodesiæ partes sunt tres. 1. Euthymetrica, quę docet solius longitudinis mensurationem. 2. Eubadometrica, quæ docet metiri longitudinem & latitudinem. 3. Stereometria, quæ latitudinem & profunditatẽ seu altitudinem.

GER-

GERMANVS.

Germana Theoremata vel media in doctrina demonstratiua dicuntur propria & homogenea, non externa & aliena.

Medici morbos cognatos inter se germanos nonnunquam dicunt.

In politicis Germanitas (à germine) est in specie fraterni sanguinis coniunctio, Bruderschafft / quasi ex eodem germine. In genere sanguinis communio, consanguinitas. Hinc potissimum existit Necessitudo. Hæc significatio magis propria est, prior illa est translata.

GERMANISMVS.

Germanismus est idiotismus Teutonic⁹, seu formula loquendi Germanorum.

Formæ loquendi Latinorum & Germanorum valde quam multæ eædem sunt; vt non potui diutius me tenere. (Ich hab mich nicht länger halten können) quin aliquod obseruantiæ signum ad te mitterem. Aldus Manut. de liga Romanorum ad imitat. Cic. Ad suum peruenire, zu dem seinen kommen. Cicer. in epist. famil. lib. 13. ep. 26. Commendationem obserua nimb die Commendation in acht / id est, fac quæ peto in commendatione. Cic. libr. 13. epist. fam. ep. 27. Proficisci cogito, id est, constitui. Ich gedenck da hinauß. Faciles aditus habere ad aliquem. Cic. in epist.

Habe bonum animum. Plautus. Res literaria nunc stat in summo, mit den künsten ists auffs höchste / oder sehr hoch kommen. Scæliger in oratione de verbo INEPTI.

In se recipere (id est, promittere cum periculo præstandi damnum) ἐφ' ἑαυτῷ δέχεσθαι, auff sich nehmen.

In oculis diligens seruus (sic Ciceroniani loquuntur) Germanis ein Augendiener. Græcis ὀφθαλμοδούλος: gnauus in Domini vel aliorũ præsentia, at ignauus, remotis arbitris.

GLANS

Balanus.

Glans 1. est Quercus nux, vel fagi, vel ilicis vel æsculi vel roboris. Hinc glans fagina Buchecker.

2. Glandis nomine omnes arborum fructus esculenti dicti sunt olim. Ioan. Lang.

3. In anatomica doctrina alia significatio est huius vocis. Ad penis scilicet extremitatem est glans mollis & carnosa in acutum vergens, quam tegit rugosa cutis, quæ dicitur præputiũ glandi alligatum vinculo, quod frenum dicitur.

De myrobalana seu glande vnguentaria vide medicos. Ioan. Langium in epist. med. lib. 1.

Glandulæ sunt caruncvlæ spongiosæ, friabiles, venarum fulcra. Hippoc. in princip. lib. 1.

Glans pituitaria spongiæ instar, pituitam ebibit, ac per os cribriforme paulatim in palatum instillat.

Glans plumbea est, globulus qui mittitur ex Bombarda.

Glandium est in apro, in qua sunt glandulæ. Plinius & Plaut.

GLORIA.

1. Gloria Alberto Magno est clara cum laude (virtutis causa) notitia in topic. Gloria est illustris & peruagata recte factorum & magnorum vel in suos ciues, vel in Rempublicam, vel in omne genus hominum meritorũ fama. Boetius de definit. Gloria est consentiens laus bonorum. Quintiliannus. Gloria est iudicium hominum bene de hominibus opinantium Augustinus. Hominum intellige prudentium, & qui nos bene cognorint. Petrus Martyr in 1. Ethi. Arist. Plus igitur significat quam honos, id quod patet ex distinctioue verb. honore afficere & glorificare, quæ paulo post sequetur.

2. Interdum tamen Honor & Gloria vſurpatur pro eodem. 3. Nonnunquam communius accipitur Gloria, vt etiam laudi non prouenienti à ſano iudicio attribuatur.

Itaque Gloria vel iuſte habetur, vel iniuſte. Si iuſte, tum officijs, tum exiſtimantium æquitate comparata eſt: ſi iniuſte, ex honorantium iniuſtitia comparata eſt. Plotinus En. 2. libr. 3. cap. 1.

Eſt debita ſeu merita, vel indebita. (Plat. ad Dionyſ. Gloriam debitam conſequi iuſtum eſt æquos viros,) ſicut honos eſt vel ſolidus & conſtans, vel adumbratus, infirmus, vitreus ſeu leuis, vt qui exiſtat tantum ex rumore popularí.

Scholaſtici D. diſtinguunt inter Gloriam huius vitæ & Gloriam alterius vitæ, vt inter vitam gratiæ & gloriæ. Gloria præſentis vitæ eſt, qua Deus afficit homines iuſtos. Gloria futuræ vitæ eſt, quæ in clara Dei viſione conſiſtit. Sic glorificatio eſt conſecutio vitæ æternæ, ſeu intuitiuæ Dei cognitionis ac viſionis.

Quid Gloria. Lumen. Scholaſtici etiam Doct. in Theologia lumen Gloriæ vocant lumen altioris ordinis quam ſit lumen fidei. Lumẽ glorię eis eſt donum ſeu auxilium ſupernaturale ad viſionem Dei beatificam.

Honorare eſt exhibere reuerentiam in teſtimonium.

Glorificare eſt laudes honorati longe lateq; quaſi ebuccinare. Scholaſtici non nunquam pro hoc vſurpant Magnificare. Laudare eſt honoratum alijs cõmendare.

Glorioſus μέσον eſt ſeu ſitum in confinio virtutis & vitij. Nam Ariſtoteles ait 4. Eth. c. 3. Glorioſe ſe ſe gerere inter eos qui in dignitate præclara fortuna vtãtur, nõ eſt à generoſo animo alienum, inter humiles vero inuidioſum: & idem Magnorum moralium libr. 1. c. 30. ait Glorioſus eſt, qui plura quã adſint ſibi arrogat aut ſcire ſe fingit quæ non nouerit, & ad Nic. Eth. cap. 13. lib. 4. Glorioſus ſeu arrogans res ſibi glorioſas videtur vendicare ſolere, quæ non inſunt, quæque ſunt ijs, quæ inſunt, maiores. Græce ἀλαζὼν oſtentator iactabundus & faſtuoſus (Faſtuoſus dicunt poetę, non autem oratores, quod ἐν παρεδρομῇ, id eſt in tranſcurſu notatur.)

GRADVS.

Rerum quarundam eſt gradualis intenſio vel remiſſio, vt actuũ & habituum.

Gradus rerum ſunt differentiæ accidentales, quibus res diſtinguũtur in prius & poſterius, in intenſum & remiſſum, perfectum & imperfectum.

Spectatur igitur in ijs ordo vel intenſio, & remiſſio magis & minus.

Graduum latitudo eſt, quæ numero definitur, vt 8. incluſiue.

Certus eorũ terminus videatur apud Fonſec. in phyſ. pag. 400. & 403.

Latitudo gradualis { Maior. / Minor.

Gradus { Imperfectus. / Perfectus.

Gradus { Inferior / Summus.

Vt qualitates aduerſæ ſimul ſunt in gradu imperfectio.

In Physicis & Medic. gradus constituuntur temperamentorum in plantis & hominibus: gradus putredinis in pestilentibus ceterisque putridis febribus non idem. Fernelius Graduum partes tres constituit, initium, medium & finem.

In Arithmeticis Gradus est locus, vnde notæ valor æstimatur, primus est simpli, sequentes multipli, vt secundus decupli, Tertius centupli.

Graduum comprehensio dicitur periodus.

Simpli) id est, in quo nota valet idem, quod per se.

Gradus in politicis est, modo cõditio superior, media vel inferior personæ; modo est determinata propinquitas personæ ad personam secundum consanguinitatem (quæ est vinculum personarum ab eadem persona, tanquam stipite, carnali propagatione descendentium) vt in linea recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, vna dempta. Tot enim sunt gradus, quot propagationes. Sed tot sunt ppagationes, quot sunt personæ, vna excepta. Oportet enim vnam ponere, quæ non sit propagata. Hic est tanquam Epoche. Et efficacior est gradus in linea recta descẽdẽte quã transuersali, quia plus coniungitur proles parenti, quã frater fratri.

GRAMMATICVS.

Grammatice agere accipitur dupliciter, vel proprie vel improprie. Proprie & Grammatice scribit, aut loquitur, qui ex arte id ipsum recte præstat. Improprie, qui non ex arte, sed vel casu vel alio suggerente grammatice loquitur.

Ergo qui Grammaticorum munere fungun:ur, Grammatici absolute nõ sunt dicendi, sed ii tantum qui ex habitu seu arte id præstant. Arist. 2. Eth. cap. 3. sic qui iuste agit non illico iustus est, id est, non illico ex perfecto iustitiæ habitu agit.

GRATIA.

Gratia primo significat animi grati memoriam. 2. beneuolentiam & beneficium: sic dict. quod gratis detur. Gratia tua id est beneficio tuo. Gratia vnionis, id est beneficio vnionis. Huic significationi vicinum est cum dicitur, oratio caret omni gratia, id est, ornatu & iucunditate seu venustate. 4. Ablariuus Gratia postpositus significat propter, vt tua gratia huc veni, non gratia tua, sic tua causa id est propter te, non causa tua. Vnionis hypostaticæ gratia, id est propter vnionem hypostaticam, non aũt gratia vnionis. Decipiendi gratia id est, causa, nõ autem gratia decipiendi. Metri gratia, nõ gratia metri. Sic donatio mortis causa. Quinto accipitur pro remissione. Vulgus canonicorũ vocat dispensationem: vt gratiam canonis, gratiã legis facere. **Dispensieren mit einem,** soluere aliquem lege. Gratiã facere edicti apud Suetonium in Domitiano. Gratiam facere decreti in l. 1. §. si quis vltro ff. de quæstion. Gratiam iurisiurãdi facere. **Den Eydt nachlassen/** soluere necessitate iurisiurandi, soluere religione iurisiurandi, eleganter l. 6. & 32. 41. ff. de iureiurando. Sic dicimus gratiam facere peccati, id est, veniam dare. In hac significatione etiam accipit Scaliger.

Gratia { Bona, vt bona cum gratia eum dimittamus. / Mala. Mala cum gratia, **mit Vngunst/mit Vnwillen.**

Obseruatio.

Philosophi & Logici loquuntur licenter, sicut & Medici & Iurisconsulti ac Theologi cum dicunt, Donatio causa mortis, Gratia, cuius, Gratia nostri, Causa nostri, causa peccatorum mortuus est Christus. Non sic Cicero.

Gratia finem significans genitiuum vel ablatiuum præponit.

MERE gratis dictum est, phrasis est Scholasticorum, pro qua tamen dices: Nihil, prorsus virium seu momenti ha-

bet est dictum sine ratione, sine causa & authoritate.

GRAVE.

Graue proprie dictum opponitur leui: Estq; quod deorsum fertur. Eius motus ad Medium dicitur. Estque aliud Graue magis, aliud minus, & Grauissimum est quod omnib. subsstat. Trãsfertur ad mores, vt cum dicitur ab Aristotelicis grauitas esse magnanimi propria, & ad sonos, ac odores, vt cum dicitur graueolens & tonus grauis. Interdum idem est quod molestum, austerum, difficile. Iratum grauis est res habuisse Deum (patrẽ.) Ad propriam significationẽ accedit Graue pro grauido, prẽgnante, quod vicinum ei fœtum. Sunt, qui asserant Graues oues esse Græcis ἔγκυον, oues prægnantes, id est, quæ gestant fœtum in vtero, quia ingraueſco apud Lucretiũ est in vtero gestare incipio; fœtas esse quæ iam pepererunt, quæ partu sunt leuatæ. Hinc veteres Bos fœtauit, Die Kuh hat gekalbet. Hæc sententia confirmatur exemplis poetarum Virg. 1. Æneid. Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem. & inde equo Durateo, Armatum peditẽ grauis attulit aluo. Eclog. 1. Non insueta graues tentabunt pabula fœtas; Nec mala vicum pecoris contagia lædant: etsi vulgata lectio fœtas graues cõiungit sic: Non insueta graues tentabunt pabula fœtas, vt sententia sit, Insueta pabulũ nõ tentabunt oues fœcundas, quę grauidæ sunt. Virg. 6. Æneid. Fecerat & viridi fœtum Mauortis in antro. Procubuisse Lupam geminos huic vbera natos. Lucan. lib. 6. loquens de equabus, quæ edito partu à fronte auellunt carunculam filiorum: Aut cum turgentia succo Frontis amaturę subducunt pignora fœtæ. Verũ hoc discrimẽ nõ est perpetuũ. Nã interdũ fœtę dicitur, de illis q̃ habẽt fœtũ in vtero i. accipitur pro grauidis seu prægnãtib. Nã Virg. 1. Ænei. dixit loca fœta

An graue seu grauidũ & fœtum differant significatione.

austris. & 2 Machina (equi Troiani) fœta armis, i. plena & grauis. Et quidã è Scholasticis D. vt Episc. Roffensis, dixerũt, Fides bonis operib fœta, pro fide, quę bona opera vel peperit, vel paritura est. Der mit guten Wercken gleichsam Ein Kind schwanger geht, quæ actuosa est. Vide I. Lud. de la cerda & Fl. Illyricũ in clauo scripturę. Grauitas 1. proprie est qualitas actus primus, propẽsio ad inferũ locũ. 2. improprie Grauitas & leuitas sumitur pro formis elemẽtorũ. 3. Grauitas accipitur pro grauitatione actu secũdo, h. e. pro excessu virtutis motricis supra resistẽtiã medii, vnde fit descẽsus & pressio subsstãtis corporis resistẽtis. Ita accipitur cũ dicitur, Graue in suo loco non est graue i. nõ grauitat hoc est nõ premit deorsũ. Quarto in Ethic. σεμνότης seu seueritatem significat ἠθικὴν seu moralẽ. (Hinc vir pietate grauis) vel austeritatem. μέσον. n. est. Quinto difficultatẽ & molestiã, vt grauitas huius cœli, loci, morbi sentẽtiarũ & verborũ grauitas. Cic. est eorũ pond⁹ grauidatũ est idẽ q̃ grauidũ factũ vel ꝓprie vel trãslate, à Cic. terra dicitur grauidata, seminib. omnia parere & ex se fũdere. Grauedo aliud est quam grauitas: est enim Coryza, quæ parum differt teste Cornelio Celso à destillatione capitis. Fernel. etiã quãdã grauedinẽ anhelosam dicit li. 2. de abditis rerũ causis pa. 214.

GRIPHVS.

Griphus græcũ est. 1. rete vel sagena. 2. Est sermo intricatus seu ęnigma vel insolubile, quę olim in conuiuiis proponebantur teste Agellio. Hinc γριφώδες. intricatum & logogriphus.

Gryphus vero est animal monstrosum. quadrupes, pennatum, omni ex parte Leo, alias & superiore corporis figura aquilis simile, equis infestum. Ideo Virg. dixit iungãtur iã Gryphes equis.

GYRATIVA.

Gyratiua linea dicitur à gyro, quæ vox signifi-

significat circulũ, vel ambitũ. Dicitur alias ἕλιξ ἑλικοειδὴς, Latine ſpira, & eſt linea, quæ incipit alio puncto & in aliud deſinit, ſiue in plano deſcribatur ſiue animo cõcipiatur, ſiue in aliquo corpore longo, vt ſunt columnæ, pali & arbores, quib. ita circũuoluũtur ſeu circũdãtur hederæ; quæ nomen inde ſumit etiam apud Græcos Vitus Amerb. li. 3. Philoſ. naturalis. De tali linea quæritur, an ſit infinita, quod ad partes proportionales attinet. Reſpõdẽdum autẽ eſſe videtur, Eſſe gyratiuã lineã infinitã potentia, ſeu ſecũdũ cõſiderationẽ Mathematicã, nõ actu ſeu ſecũdã exiſtẽtiã naturalẽ. Vide vocẽ REPLICATIO. Quorum enim attinet me hic plura addere, cũ tota res definito ſit veluti defatigatio humani ingenii, & in multis ꝙddã inexplicabile. Primitiuũ Gyrus eſt ꝑ ambitu ſeu orbe ſiue magnus ille ſit, ſiue exiguus. Per Metaphoram pulchram Gyrus etiã Rationes quaſi cãcellis & ſeptis tribuitur. Sic Ethici, Effrenatos homines in gyrũ doctrinæ, affectus in gyrũ rationis duci debere, dicũt & docent. Theophraſto Gyrus etiam ſerobs eſt.

LITERA H.

HABITVS.

Habitu *primum* ſumitur Categorice pro Qualitatis prima ſpecie, id eſt, pro qualitate, qua quis habilis eſt ad operationes, quas per naturam ſolam edere facile & conſtanter nequit. Alias Diſpoſitio, elaboratio.

Secundo latiſſime Topice pro omni forma accidẽtali, quæ quocũq; modo ſubiectũ facit habile, (Scholaſtici dicunt habilitat) & ita opponitur priuationi.

Tertio pro quauis potentia in genere, vnde aliquis aptus dicitur & idoneus; & quidem tria genera qualitatis, nempe primum, ſecundum, tertium; præſertimq; primum & tertium communi nomine habitus interdum notari auctor eſt Claudius Albert. Triuncur. in Orat. de Pace.

Quarto vſurpatur pro corporis conſtitutione. Hæc ſignificatio Medicis frequens eſt.

Quinto pro veſtitu ſeu habitudine corporis ad ambiens ipſum. Hic Habitus Auerroi eſt vel naturalis, vt cortex arboris; vel artificialis, vt indumentum. Hęc ſignificatio intelligatur hoc Alb. M. Habitus eſt corporum, & eorum, quæ circa corpus ſunt, adiacentia, ſecundum quam alia dicuntur habere, alia haberi. Sic accipit Ariſtot. 1. Categor. cap. 9. Atque hæc de Nominis communitate.

- Habitus in
  - Anima
    - Intellectu
      - Speculatiuus, ſcientia.
      - Operatiuus
        - Practicus, vt prudentia.
        - Poeticus ſeu Factiuus, vt Ar[illegible].
    - Voluntate, Phil. Mel. vel ſenſitiuo appetitu, Piccol. Virtus Moralis. Sed hæc etiam Practicus habitus dicitur.
  - Corpore, vt ſanitas, Morbus, Febris hectica, id eſt habitualis.

In anima Albert. Mag. vocat animalem. In Corpore Alb. Mag. vocat corporalem.

- Hypolepſes, id eſt, apprehẽſiones rerum in intellectu ſunt certæ vel incertæ. Itaq Habitus intellectus eſt
  - Certo apprehenſorum, ſeu quo certius quid cognoſcimus
    - Simplex
      - Νοητικὸ. Hoc cognoſcimus certius verum ἀμέσως. Accidit νῦς, id eſt, intellectus ſeu notitia principiorum ſcientiæ & demonſtrationis.
      - Διανοητικὸς Hoc cognoſcimus per medium
        - Necceſſarium.
          - Cõtingens ſeu probabile. Eo cognoſcimus
            - πρακτὰ agenda. Horum notitia Prudentia.
            - ποιητὰ efficienda. Horũ notitia Ars.
        - Compoſitus ex intellectu principiorũ & notitia concluſionum, *Sapientia.*
  - Incerto apprehenſorum ſeu cognitorum, *Opinio, coniectura, præſumptio.*

Explicatio.

Habitus ſimplex νοητικὸς eſt qui intelligit res ſimplici nudaq; apprehenſione, id eſt, ſine medio ſeu diſcurſu & demonſtratione. Principia enim ſunt ἀναπόδεικτα, etſi epagoge (id eſt inductione in particularibus) examinantur & oſtenduntur. Hic Habitus verſatur circa neceſſaria.

Διανοητικὸς eſt, qui res intelligit cum diſcurſu & ratiocinatione. Res inquam vel Neceſſarias, τὰ ἀναγκαῖα vel contingentes (τὰ ἐνδεχόμενα, quæ contingit a aliter etiam habere.) Cum neceſſarias, dicitur ſcientia (ἡ τῶν ἐπιστητῶν:) Cum contingentes, dicitur vel Ars, ἡ τῶν ποιητῶν, vel Prudentia, ἡ τῶν πρακτῶν.

a ἄλλως ἔχειν.

Intelligentia eſt habitus intellectus, quo principia cognoſcimus. Principia ſunt primæ propoſitiones neceſſariæ & immotæ, ſeu axiomata ἀναπόδεικτα, id eſt, quibus per ſe fidem habemus. Horum notitia eſt veriſſima & certiſſima, quia demonſtrationes ſuam veritatem & certitudinem habent à principiis; propter quod autem vnumquodque tale eſt, illud magis tale eſt. Etſi principia declarentur ſenſu, inductione, experientia, vt vniuerſalia ſingularibus.

Scientia eſt habitus intellectus apodicticus (qui comparatur per Demonſtrationem) quo percipimus neceſſarias concluſiones è neceſſariis propoſitionibus. Itaq; ſcire eſt aliquid definite demonſtratiueque intelligere, & cauſas noſſe proprias. Et Demonſtratio Inſtrumentum Scientificum dicitur. Comparatur autem ſcientia primum quidem προγινωσκομένοις, id eſt, anteceptis animo informationibus (vt enim diſcens comparet ſibi doctrinam neceſſe eſt eum afferre aliquam πρόγνωσιν, id eſt, incoatam cognitionem

eius

eius, quod vult discere, quo intelligat quid à docēte dicatur) Deinde & proxime syllogisino Apodictico.

Conditio sine qua non scientię sunt sensus & sensilia. Etsi enim ἀίδια τὰ non possint scientia cōprehendi, tamē scientia extruitur è sensu perceptis singularib. verissimusq; est Sorites, sublato seu deficiēte sensu, tollitur seu deficit cognitio sensiliū; His demptis deficit Inductio; Inductione deficiente tollitur vniuersale; sublato vniuersali tollitur Demōstratio; Dēpta Demonstratione cessat omnis Scientia. Ergo sublato sensu cessat seu nulla est scientia.

Scientia est ἀμετάπτωτος & rei & animi, qui non patitur sibi persuaderi aliud ratione.

Ars est Habitus cum recta ratione ποιητικὸς (Factiuus.)

Prudentia est habitus cum recta ratione πρακτικὸς (Actiuus.) Hæc semper cōiuncta est cum virtute Ethica.

Habitus cōpositus ex Intelligētia Principiorū & sciētia, dicitur sapientia. Hoc respectu Principiorum. Intelligentia respectu conclusionum ex illis factarum scientia dici potest.

Habitus incerto apprehensorum dicitur δόξα opinio (& interdum generis nomine ὑπόληψις) quæ modo est ἀρρωστία (quieta, infirma, imbecilla) modo ἰσχυρὰ (firma) Talis erat opinatio Heraclit. Omnia tātū opinione constare nullius rei esse scientiā. Nam huic opinioni tanta pertinacia adhærebat, vt nullis rationibus ab ea posset auelli.

Scholastici D. in Disput. de Angelico Intell. distinguunt inter habitum DIVINÆ VISIONIS specierum concretarum; & specierum à singularibus nostratibus acceptarum & impressarum.

Angelorū Intellectio est maior is mota, quam hominum.

Quod Angeli cognoscant potiore modo & maiore perspicacia, quam nos, certum est. Purior simpliciorq; eorū cognitio est, quam nostra. Quomodo aūt specialim cognoscāt, dubiū & ἀμφίδοξον est. Thomæ Aquinati. Angeli intelligunt & cognoscūt singularia nostratia per habitū specierū ipsis concreatarū. Alijs Angeli intelligunt habitu specierum à singularib. nostratibus acceptarū & impressarum. Sic Scaligero Angeli neque accipiunt à singularibus, id est, neq; cognoscunt hæc singularia per species hinc acceptas impressasque, nec cognoscūt à se, sed à speculo superiore, in quo sunt omnia, seu habitu diuinæ visionis, quæ eis est perpetua, in qua eis omnia sunt præsentia, quæ Deus vult ab illis cognosci.

HABITVATVS

Barbarum.

Habituata materia est materia affecta & præparata congruis qualitatibus (aliter, dispositа & bene dispositа, interdum etiam subacta) De talis materiæ sinu forma educi à multis Physicis dicitur. Dicitur & pro eo certo modo se habens. Anima humana non perficit corpus quocunque modo se habens, id est, quocunq; modo affectū seu dispositum. Si enim corpus hominis ita densum esset vt aurum, nō esset perfectibile ab anima, ait Scotus.

Habere.

Habere præter vulgatam significationē qua dicitur aliquis habere scientiam, significat continere, & quod amplius est, regere. 5. Met. & Plato in Cratyl. Forma cum habet materiā, tum continet vt sit vnum, & pręterea etiam regit. Substantia accidentia habet & cōtinet.

Iohann. Grammat. de Generat. animal. l. 1. c. 1. Forma & finis in naturalibus idem habet id est, forma rei est finis actionis efficientis.

Habentes sunt diuites & beati, Græcismus est, ἔχειν esse diuitem, ἔχοντες habentes, id est, diuites & beati, τὸ ἔχειν, Habentia, diuitiæ.

Cassius, Hemîna, Habentia animos eorum inflauerat, id est, diuitiæ.

Habuit mulierem modesta phrasis est latinorum veterum, qua innuitur aliquid impudicum. Tales & eiusdẽ sensus sũt hç: Fuit cũ muliere, cõsuenit cũ illa, i. cõcubuit, vitiauit, violauit. Græci etiã modesti sũt, cũ dicũt φοιτᾶν, συν εἶναι, συγγίνεσθαι, συν υσιάζειν.

HÆCCEITAS.

Barbari vt Perseitas à per se, sic & Hæcceitas, dicunt ab Hæc pro differentia indiuiduante. Sic Ipseitas Paul. Scalig. ab ipse. Ipseitas, vniuscuiusque rei maxime ipsa est, cum in ipsa ita sunt omnia, vt in ipsa omnia sint ipsa. Th. 165. è conclusionibus de mundo intellectuali. *Ipseitas igitur DEI maxime ipsa est, quia in ipsa omnia attributa essentialia sunt ita, vt in ipsa sint omnia.*

Zuinger. in schol. in l. 1. c. 1. Ethic. Aristo. Scotus Ecceitatem appellauit eam essentiam, quæ est indiuiduorum propria, cuius merito *Ecce ipsum* de omnibus dici potest. Manibus Tullii illæsis nomina fingere sibi fas esse putant Scholastici. Idem statuit inprimisq; sumit sibi in Medica arte Thomas Iordanus. Dicit enim: Alterans vis ossiconda (pro ossium conditrix) cartilagicrea (id est, procreatrix cartilaginis) neruifica, in Respons. ad Laurent. Ioubertum Med. Montisp. Zabarella interdum hic quoq; αὐθέκαστος, seu suus est.

HIRCVS.

Hircus proprie animal est, de quo Physic. Improprie habitus, qui in homine ab alis expirat, caper & hircus dicitur. Horatius Epod. 12. Aut grauis hirsutis cubet hircus in alis. Catull. in Rufum: Tibi fertur valle sub alarum trux habitare caper. Hircus etiã seu τράγος improprie pro libidine accipitur vel homine salace. Plautus Casin. Flagitium maximũ feci miser propter operã illius hirci improbi & edentuli: & in Mercat. Iam plenus ætatis animaque fœtida senex hircosus. Mantuanus 6. Ecloga in Bucolicis.

Multiplicatis.

Connubiis fraudata fides sine cornibus hirci
Facti & Zelotypo coniunx suspecta marito.
Nam quæ quisque facit, fieri sibi furta veretur.

Hic eleganter adulteri vocantur sine cornib. hirci. sine cornib. aũt periphrasis est adiectiui priuationem significantis.

Aliud sunt Hirqui, nempe ipsæ oculorũ angustiæ. Virg. Buco. Trãsuersa tuentibus hirquis. etsi alii legãt hic hircis.

HISTORIA.

Historia significat singulorũ notitiam, vel expositionem seu descriptionem τοῦ ὅτι rei, ᾧ est, vt ait Gaza; vt Historia animaliũ, id est, descriptio eorum simplex sine demonstratione. Historia partium corporis humani.

Zuingerus in Theat. Cognitio veri duobus κριτηρίοις tanquam cruribus firmata nixaq; sensuum præsidio, inter quos visus principatum obtinet, Historiam, id est, singulorum notitiam persequitur: Rationis adminiculo Theoriam seu vniuersalium naturam contemplatur. Hæc præceptorum, illa exemplorum nomen obtinet. Historia particularis cognitio est: Theoria vniuersalis; Illa αἰσθητικὴ: Hæc νοητικὴ.

Historia Ciceroni κατ' ἐξοχὴν est animalium confectio, syntagma seu corpus historicum, vt non vnã significet narrationẽ tantum: vel Antiquitatis ipsa commemoratio, vt Historia Gentis Turcicæ, historia consulatus Ciceronis. Historici sunt, qui rei vt est vel fuit, veritatem enarrant.

Quarto accipitur à Philosophis, vt Galeno, pro obseruatione, pro cognitione ab experientia propria seu hde exsensib. progressu tẽporis collecta. Cicero. Notatio naturæ & animaduersio peperit artem: Alias ἱστορία.

Histo-

Historica obseruatio est { αὐτοψίας, ἀκροάσεως, ἀναγνώσεως } à { Visu, Auditu, Lectione. }

Quod secũdam significationem, vt eo redeamus, attinet, duo sunt Genera historiæ; Vnum sacrum seu Ecclesiasticum: alterũ Ethnicũ seu profanum.

Historiæ sunt { Vniuersales, quæ complectuntur res Ecclesiæ & Monarchiarum — Ecclesiasticæ, quæ præcipue tractãt res Ecclesiasticas. / Politicæ, quæ imperiorum initia, constitutiones, gubernationes & mutationes exponunt. }

Particulares quæ particularia recitant diuersorum regnorum & rerumpublicarum.

HISTORICI.

Qui continua oratione res aliorum gestas persecuti sunt, per excellentiam vocantur Historici. Qui vero exempla velut emblemata & flosculos quosdam è medio sumpserunt, Rhapsodi Historici appellantur.

Historica Grammatica est ἐξηγητικὴ facultas, quæ enarrat seu explanat omnis generis autores. Quintil. & Politian. in Lamia. Opponitur ei Methodica, quæ ipsa ars est bene loquẽdi.

Historicum opponitur nonunquam disparate Scientiali, vt cum Zabarella ait, Tractationem historicam distinctam esse à Scientiali; Historicam fieri sine consideratione causarum; scientialem per causarum traditionẽ: Aristotelis libros Physicos alios esse historicos, in quibus solum quod ita sit declaratur, alios scientiales seu demonstratiuos, in quibus declaratur propter quid; alios historicos & exquisitos simul.

HOC ALIQVID.

Hoc aliquid significat Completum in esse & specie, quod soli substantiæ in rebus naturalibus conuenit. Thom. in 2. de anim. lect. 1. text. 2.

Forma facit seu constituit hoc aliquid (determinat ac distinguit) id est, per formam res existunt actu.

Apud Aristot. semper significat substantiam, & Tale qualitatem. Alexand. Aphrod. in 10. 1. Phil.

Hoc aliquid { Aristotelicum, Platonicum } Intelligitur de { Indiuiduo. / Vniuersali seu idea. Ammon. in prædic. }

Interdum Aristoteles vocat Formam Hoc aliquid, Quia est præcipua ratio, ob quam compositum est hoc aliquid: præcipua inquam; quia forma non potest constituere hoc aliquid sine adminiculo materiæ. Sed cum habeat rationem perficientis & actus (id est, cum forma det rei actum, hoc est, tum essentiam, tum existentiam) absolute & magis proprie natura dicitur, quã Materia. Zab. de constit. Indiuid. c. 5. & Arist. 2. contex. 1. de anim.

Armandus: Aliquando dicitur Hoc aliquid ἁπλῶς, vel κατά τι: Aπλῶς à duplici proprietate; vna, habere esse per se subsistens; altera, habere esse completum per motum totius in aliquo genere vel specie substantiæ: vt a Indiuiduum Aristotel. κατά τι ab vna tantum proprietate, quæ est habere esse per se subsistens. Ita anima à corpore separata dicitur. Hoc aliquid. Ita pes separatus à toto per sectionem à toto est hoc aliquid.

a Scholastici vocant substãtiam signatã, id est, demonstrabilem.

Accidentia igitur & Anima in corpore non dicuntur Hoc aliquid.

Hoc seu istiud fieri ex illo.

Hoc ex illo fieri tribus modis dicitur. 1. Cum ex imperfecto a fit perfectum, vt ex puero vir. 2. Cum vnum fit b post aliud, vt ex Isthymiis Olympia, è Die Mercurii dies Iouis. 3. cum corrupto c vno fit aliud, vt ex aqua aer. Aristot. 2. 1. Phil. c. 2.

a Hoc fieri perfectum.
b Hoc fieri post.
c Hoc fieri per corruptionem.

Scaliger hic est subtilis. Ex eo colligi quod sequitur.

Infanti puer, adolescente iuuenis, ex iuuene vir, diluculo dies.

Ex { Animali animal.

Ouo pullus.

Naualibus quisquiliis putrefactis mus, è limo putrefacto rana.

Ex ouo pullus fit, inquit Scaliger, per perfectionem. Fracto namque putamine corruptum sicut in putrefactione nihil intus inuenitur, sed perfectum, vulgo tamen, quia desinit ouum esse, corrumpi dicitur. E limo putrefacto fit rana per corruptionem.

HODIE.

Hodie modo ex hoc die, modo hac tempestate. Sic hodierni scriptores sunt recentes (qui sunt Barbaris moderni, à modo.) Hodieq; idem est, quod hodie quoq; vt: Qui hodieque mos retinetur. Sic habet antiqua inscriptio, quæ hodieque Patauii visitur in pariete, noch auff den heutigen Tag. Aldus Manut. pro eo etiam dicitur, Etiamnunc.

Latini nonnunquam aduerbio Hodie præponunt nomen dies. Cic. in Anton. per Idus Quintileis, qui dies hodie est. Sic dicimus, Hodierno die sine tautologia, vt Græci ἡ τήμερον ἡμέρα, id est, dies qui hodie est.

HONOR.

Honor accipitur Late & proprie. *Late* vt etiam sub se cõtineat laudẽ, gloriam, monumenta, encomia, famam, dilectionem, reuerentiam. In hac significatione accepit Plat. in Legib. l. 5. d. 3. Primo honoranda animi bona: Secundo corporis: tertio externa. *Proprie*, vt contra distinguitur à laude. Ac tunc significat *vel merita*, per quæ homo absolute vir honoratus dicitur: vel *externum signum* & testimonium meritorum, *vel opinionem seu iudicium* de virtute vel actione virtutis alicuius.

Etymon Honoris videtur esse Ἕνεκα, quod est persoluere, quod honor quasi pretium virtutis sit. Dico quasi, Quia virtus, vt caput liberum, (inter seruos) non recipit æstimationem. In primo Rhetoricorum Aristoteli est σημεῖον ἐνεργητικῆς δόξης, id est, opinionis benefaciendi signum; sed etiam ob alias virtutes homo sit honore dignus.

Quidam dixerunt esse testificationẽ virtutis. Sed non potest hæc esse definitio, cum sola etiam narratio testimonium afferre possit virtuti.

Honor

Honor igitur Scaligero est officium debitum virtuti, eius meritum repręsentans; vel, Honor est factũ aut dictum, quod defertur virtuti ex bonorum opinione. Est autem (eidem Scal.) prærogatiua opinionis primum, deinde officij, Vid. exer. 307. s. 3.

Piccol. Causaliter definiuit sic: Præmium virtutis tributum à congruente eius iudice viro probo, vt virtus eius refulgeat, cæterique eius exemplo ad virtutem inuitentur. Definitio hæc constat forma, fundamento & subiecto, duplici causa efficiente & causa finali gemina.

Vsus.

Quæritur Honor sitne in honorante, an in honorato?

Sunt qui existiment honorem esse formaliter in honorato, vt albedo est essentialiter in pariete. Resp. 1. Si honor signum seu indicium est, in eo quod significat, non in eo quod significatur, signum esse oportet. Si enim hedera suspensa vinum in domo vendi significat, hedera quidem in pariete est, vinum vero in apotheca seu cella vinaria. Sic si honor virtutis (externum) signum est, virtutem satis est esse in honorato. Nec magis honorato inest honor, quam qui de eo sermo habetur honorificus. 2. Si honor est de virtute vel dignitate aliena opinio, in honorante est. Opinio enim de nobis vel alijs in hoc ipso est. 3. Quid multa? In honorantis potestate est honorem deferre. Ita non est honorati honos.

Honorem tamen aliquo modo esse in honorato dici potest, nempe quo effectus est in sua causa.

Honor est in
- Honorante vt
  - Signum in significante.
  - Sermo in loquente.
  - Amor in amante.
- Honorato vt effectus in sua causa efficiente & impellente, cum ab honorati virtute & dignitate proficiscatur & honorati virtus, & dignitas honorantem ad eum honorandum inuitet.

Honor est honorati, id est, ab honorato velut à principio pendet, quod opinionem honoranti ingerit, à qua ad honorati virtutem significandam impellitur.

Obijcitur: Dicitur, Quilibet amat suum honorem, nemo suum honorem vult amittere. Ergo honor proprie est honorantis.

Non vero id sequitur. Nam proprius honos dicitur, quia est nostrum bonum & nobis vtile, etsi de nobis in alijs sit bona opinio.

Honor non est eius, qui eo afficitur, inhæsiue; at est eius ipsius obiectiue seu terminatiue.

Honor non est laudi essentialis. Multa laudo, quæ non honoro. Laus autem est boni in qualibet re significatio verbis expressa. Aristotelis definitio, oratio magnitudinem virtutis ostendens, videtur peccare angustia, vel laudi principaliter dictæ tantum conuenire. Laus enim est nomen (commune) Ab vno; sicut & Honor, vt qui conueniat primo Deo & Beatitati, vnde θεῖον ἀγαθὸν ἡ τιμὴ apud Ciceronem.

Antequam ab Honore abeam, de sententia hac Ciceronis aliquid dicam. Honos est præminum virtutis iudicio studioque ciuium delatus ad aliquem. Descriptio est, inquiunt. At inquam ego; Si descriptio est, vitiosa est. Nam neque in definitionem Definitum, neque in descriptionem descriptum ingreditur Logicis: quod autem hoc hic fiat, attento obscurum esse non potest, Delatus, scilicet honos. Dicen-

dum igitur Dclatum; scilicet præmiũ, vel Honos est præmium virtutis studio iudicioq; ciuium tributum alicui.

Honores interdum vsurpantur pro Magistratibus, vt Cicer. amplissimis honoribus perfunctus. Nicol. Agricol.

HVMIDITAS.

Humiditas proprie est qualitas. Ita in aqua qualitas est humiditas, vt frigiditas. Improprie est substantia, id est, humor. Sic Albert. Magn. de animal. lib. 3. Humiditates corporis aliæ sunt primæ, aliæ secundæ, id est, humores.

Humidum est, quod non suis, sed alienis terminis statuitur, seu quod suis terminis cohiberi non potest. Quæ posterior definitio non consistit, si cohiberi accipiatur pro contineri. Omne enim finitum, non tantum humidum, suis terminis continetur, auctore Scal. in exc.

Aristoteles quadruplex humidum statuit l. 2. de Generat. & Corr.

Primum Genus humidi facit, quod humiditatem in superficie & in profundo propriam seruat. Ita aqua est humida.

Alterum; quod alienam: Ita in spongia est humiditas, ac spongia dicitur humida, externa denominatione.

Tertium, quod in superficie tantum: hoc dicitur διερὸν, hoc est, Vuidum, ab Aristotele, ab Auerr. vero irroratum.

Quartum genus humidi est, quod in profundo continet ὑγρότητα, id est, humiditatem, quæ vera est humidi species. Aristoteles appellat ὑγρόν. Differunt igitur Vuidum & Humidum vt Genus & species, id est, vuidum est species humidi.

Baptist. Pius censet humidum esse, quod habet humiditatem extrinsecus. Vuidum vero; quod habet intrinsecus. Sed hoc non est ad palatum Aristotelis, ac carpit hoc Franc. Luisinus Vrinens. l. 2. παρέρσων.

Poetis sua licentia est, qui alterum pro altero adhibent. Lucr. l. 1. versus sunt:

Denique fluctifrago suspensa in littore vestes
Vuescunt, eædem candenti sole serescunt.

(id est, sereneſcunt.) Vuescunt, id est, madescunt, humidæ fiunt. Scaliger vsu potius quam ratione distingui ait humidum à liquido. Humidum tam est aeris, quam aquæ. Sed liquidũ Cardano solius aquæ inter omnia elementa proprium est. Poetæ tamen cœlum, id est, aerem liquidum vocant.

- Humidi caloris viuifici animalis
  - Radicale
    - Seminale, quod constituitur ex tribus humoribus
      - Seminis
        - Maris & Fœminæ
        - Sanguinis menstui.
      - } intesticulis.
    - Vitale in corde.
  - Nutrimentale assimilatum
    - Plene.
    - Non plene, quod ad membra tractum instauratiuum est & αὐξητικὸν radicalis humidi. Alb. M. de morte & vita tract. 2. c. 10.

Alb. M. humido radicali, ideſt, Radicitus infixo partibus, plenum Restaurum, vt loquitur, detrahit: pro quo Latini dicunt Instaurationem plenam seu reparationem perfectam. Sic enim ait de mort. & vit. Humidum Radicale nunquam accipit Restaurum per omnia simile, & maxime in senibus.

Humidum aerium etsi sit simplex in substantia, triplex est tamen in virtute.

Commi-

Commiſcetur enim aliquando vel cum humido aqueo, vel cum ſicco terreo, vel cum vtroque. Aliquando enim ſequitur motum & formam aeris trahens ſecum humidum, aqueum & ſiccum terreum: Et tunc eſt multum vaporoſum & ſubtile, & corporis partes rarefaciendo poroſas facit, vt in ligno leui: Interdum ſpiſſatur aerium in aquem fluens, cum quo eſt ſiccum terreum permiſtum. Aliquando facit pinguedinem in illo humido, & ſpumat. Aliquando fit craſſius non aqueo, ſed terreſtri craſſo & quaſi ſpiſſo, & miſcendo bene partes terreſtres, facit lignum ſolidum, vt hebenum. Albertum vide ſis Magn. in 4. Meteor. tract. 2. c. 17.

Humidum in mixtis eſt vel Euaporatiuum, vel Continuatiuum. Euaporatiuum, cuius partes attolluntur, vt poſſit effluere ſeu exire.

Continuans, quod ſubſtantiæ partes cõiungit. Hoc magis intimum eſt.

Hoc Albertus Magnus, humidum inquã continuans corpora miſtorũ (quod & Manans vocat) triplex facit. Nam, inquit, aliud eſt imbibitum mixtis elementis, quod præſtat continuationem: Aliud eſt fluens per ipſa, & præſtat mollificationem: Et tertium eſt, quod eis continue aſſimilatur; & hoc præſtat nutrimentum. Primum eſt in corporum ſubſtantia: Secundum diffunditur in partium ſpongioſitate & poris: Tertium diſcurrit per vias, quæ tranſeunt per corpora, & influit partibus, & vnitur eis.

Et vltimo ſubtracto reſtat ſecundum & primum: ſecundo ſubducto, reſtat per aliquantulum tempus tertium: Tertio remoto, non reſtat niſi cinis. De animal. libr. 20. tract. 1. cap. 9.

Exemplum Euaporantis humidi cernitur in vino vetere. In eo ſcilicet continue euaporat humidum aquoſum ex calore tum ambientis, tum proprio. Vnde indies magis magisque exſiccatur, donec fiat acetum ſeu aceſcat vinum, quod fit quando cum humido aquoſo exhalatur etiam calor vitalis. Vid. vocem ſpirans.

Per euaporationem humidi aquoſi res exſiccatur.

H V M O R.

Humor proprie ſubſtantia eſt, Humiditas qualitas tertiæ ſpeciei. Et primo, Humor capitur γενικῶς, vt & vini ſit & olei & aquæ, & tã natiuus, quam aſcititius. Scal. ex. 6. Spiritus innatus habet calorem, habet & humorẽ: calor humorem carpit atque depaſcitur.

Spiritus naturalis in humores diffuſi in omnes partes.

Secundo: Humor vſurpatur pro eo, qui fit in corpore ex alimentis, ſeu ille ſit primus ſeu ſit ſecundus, ſiue κατὰ φύσιν, ſiue παρὰ φύσιν factus, ſiue ſit εἰλικρινὴς (ſyncerus) ſiue impurus. Tertio. per Συνεχῆ καὶ ἐξοχήν, id eſt excellenti appellatione humorum nomine ſignificantur primi, qui ex hepate gignuntur, ſanguis, Pituita & Bilis duplex.

TABVLA.

- Ἔμφυτος, σύμφυτος, Elementaris origine.
  - Humor in corpore
    - Ex alimẽtis ortus
      - κατὰ φύσιν
        - Chylus, qui fit in ventriculo & à meseraicis in hepar per venam portæ ex intestinis aduehitur. Cicero succum interpretatur. Medici vocant cremorem.
        - Chymus, qui ex chylo fit: dictus forte afũdẽdo, quia in corpore fũditur. Hi sunt
          - Primi, qui in Epate gignuntur & perficiuntur
            - Sanguis
            - Phlegma,
            - Bilis flaua
            - Bilis atra.
          - Secũdarij, qui ex sanguine, qui in venis vehitur, gignũtur, quando partes solidæ sui alendi causa hunc inde attrahunt, vt in naturam suam eum conuertant. Itaque dicuntur solidorum humores secundarij.
            - Ros, Gluten seu Cambiũ
            - Humor innominatus.
      - παρὰ φύσιν, cum c mutatur
        - Per se d
        - Administratione alterius

Primo vt fiunt in Epate, & separantur, & quales sunt extra venas, atque ita quidem re & ἐνεργείᾳ actu diuersi sunt.

Secundo vt in venis sunt coniuncti, de quorum quadruplicina tura sanguis ille constituitur: Et tunc nõ sunt actu flaua vel atra bilis, aut aquea & mucosa referens pituitam, sed tantum his aliquid ἀνάλογον ac respondens, quod post vtriusque bilis separationem in Epate factam, in Massa sanguinis necessario remanet & sanguinis ruborem communem habet, sed qualitatibus differentem, vt alius sit lucidior, alius dilutior, alius densior & nigricans rubor, & aliæ partes alijs etiam crassiores & [b] tenuiores.

2. Primi quatũor Chymi considerantur dupliciter.

χέω & χύω fundo significant.

3. Ex primis Chymis qui extra venas sunt naturales,

Absolute, veriusque sanguis in venis purus, ac syncerus, (qui quartus Chymus est) & humores illi, qui cum hoc gignuntur, & qualitate his Chymus, qui extra eas sunt, respondent. Sed perittomaticus (excrementitius) qui in eo loco continetur, in quem natura eum separat, pituita in ventriculo & intestinis, bilis flaua in vesicula fellis, atra in liene: ὄρρος (serum) in vesica.

DECLARATIO quorundam.

a DIVERSI.) Sanguis enim qui in venis continetur à pituita, quæ in ventriculo & intestinis est & à flaua bile in vesicula fellis & atra bile in splene, & hi inter sese etiam re ipsa differunt. Ac bilis vtraque à Chymo in epate separatur. Pituita Chyli quoddam excrementum est, & ab eo de quo in epate pituitosus Chymus fit in ventriculo & intestinis separatur.

b TENVIORES.) Sanguinis enim eius, quem venæ continent, tenuissimæ & subtilissimæ partes flauæ bili respondent, frigidæ & siccæ atræ bili.

Crudior pars quæ est ἡμίπεπτος τροφὴ (semicoctus sanguis) pituitæ qualitates refert, inter quæ Sanguis est temperatæ qualitatis & substantiæ. Hæ bilis atræ & flauæ & pituitæ nominibus appellari possunt, cum in recte valenti corpore & sanguinis colorẽ omnes referant, & non sint actu & reipsa bilis alterutra aut pituita, sed Chymus bilioſus aut ater dilucidior & temperatus atque aerius.

Ita nimirum qui in venis Chymi sunt Chymi magis proprie dicti sunt, sed & qualitatibus inter se distinguuntur & ab illis perittomaticis seu excrementosis, qui extra has sunt, reipsa diuersi sunt, & forte specie ab his differunt.

Nam quod ex his vnus in alium conuerti potest & dici Chymus in venis eiusmodi fieri, quales sunt perittomatici illi, hoc etiam elementis accidit, vt nimirum ex vno fiat alterum, quæ specie tamen differre nemo negat. Bilis vero flaua in nullum alium humorem conuerti potest. Neque enim quod semel adustum est illam ὑπερβολὴν exuere & ad mediocritatem reduci potest.

c MVTATVR.) vt cum bilioſus Chymus in venis in bilem flauam vertitur, aut ater Chymus in Melancholiam, aut Pituitæ respondens in Pituitam Mucosam aut aqueam.

d Per se) vt humores κατὰ φύσιν gignuntur à calore naturali: sic humores παρὰ φύσιν, primum tam fiunt, quando calor naturalis vel remissior, vel intensior est, quam esse debet: deinde ex admistione corrumpuntur: Aut cum humor aliquis naturalis locum suum non seruat, eoque influens, quo non debet, cum naturali miscetur: Aut cum non naturalis humor in alios non naturales influit: & fiunt hæ corruptiones vel in venis vel extra venas.

Sanguis, qui παρὰ φύσιν esse dicitur, vel cum calore maiore, quam esse debet, vtitur, temperamentum suum prorsus exuit, & in alium Chymum transit, seu in Bilem rubram & Chylum atrum excoquitur, itaq; corruptus est: vel nonnihil à suo temperamento receſſit, sed in alium humorem nondum est mutatus (adhuc enim sanguis appellatur.)

Chymi in epate corrumpuntur duplicitter, Chyli vitio (vitia enim primæ coctionis non tolluntur in secunda) vel in δυσκρασίᾳ Epatis. Admixtione corrumpuntur humores præcipue tribus

de cauſis vel alimenti: vel Epatis vitio: vel partium earũ, in quas fit ſeparatio excrementorum in χυμώσει. Chymi ſecundi mutantur vel corrumpuntur à calore deficiente aut redundante in paruis venis, quas capillares dicunt, ac nimius calor ſanguinem vertit in bilem rubram & Chymum atrum: Et ſi magis intenditur partibus ſolidis alimentum vt ita dicam, præconſumit, vt in febri hectica. Deficiens autem calor gignit ibi eam, quæ medicis eſt λοίμη ſeu pernicies & alia mala. Sanguis vero extra venas delatus ſemper & putreſcit & concreſcit, ita vt pro eo, vt ceteri humores cum hoc concurrunt, diuerſi generis tumores fiant & Apoſtemata.

Phlegma παρὰ φύσιν eſt vel minus crudum vel aduſtum, &, quod ad ſyſtaſin huius attinet, quadruplex: Tenue ſeu aqueum, mucoſum, vitreum, gypſeum ſeu lapideum.

Quod vero ad ſaporem attinet, duplex; acidum & falſum. Nam naturale dulce eſt vel potius inſipidum. Bilis flaua præter naturam fit aduſtione, & primum cum rubra in venis in flauam aduritur.

Deinde flãua tam ea, quæ παρὰ φύσιν in venis, quam quæ κατὰ φύσιν in veſiculã fellis eſt, corrumpitur quinque modis. 1. fit λευκοειδὴς. 2. πρασοειδὴς, id eſt porri ſimilis ſeu porracea. 3. ἰωειδὴς (æruginoſa) 4. ἰοπτώδης, cœrulea. 5. atra bilis παρὰ φύσιν. Rubra autem παρὰ φύσιν eſt, quæ ex ſanguinis tenuioribus partibus aduritur. Ita hic Chymus ſeptem modis corrumpitur.

Atra bilis præter naturam eſt vel cruda nimis, vel aduſta.

Aduritur autem iſta & fit cinerea vel exbile rubra aduſta in cæruleam, vel ex ſanguinis partibus craſſioribus.

Conſentaneum eſt etiam ex falſa pituita atram bilem παρὰ φύσιν naſci poſſe aliquam, ita quinque generum eſt atra bilis non naturalis. Hi omnes παρὰ φύσιν χυμοὶ & per ſe tales fiunt & magis corrumpuntur συμμίξει, id eſt, admixtione horum inter ſe, vel cum bonis Chymis, putredini autem obnoxij ſunt vniuerſi.

EX ALBERTO MAGNO.

Humor corporis animalis eſt vel bonus vel malus. Bonus, qui per ſe ipſum ſolum vel cum aliquo coniunctus, in ſubſtantiam nutritur conuertitur ad corporis quantitatem augendam, aut deperditi [a] reſtitutionem faciendam, aut ad vtrunque.

[a] Barba vocant ſtaura vt Alb. cum dic. Humidũ radicale non acce. reſtitu. rum pe. mum ſ. li.

Humor malus contra, ex quo neque augeri corpus neque deperditum reſtitui poteſt.

Operatione enim Caloris naturalis ipſum terminantis, potius corrumpitur, quam vt reducatur ad ſimilitudinem corporis nutriti.

Humor bonus eſt primus vel ſecundus. Primus eſt, qui loco & tempore primo fit per calorem concoctiuum, id eſt, qui generatur in gibba parte Epatis à calore, qui à corde ad Epar eſt demandatus, vt ſunt ſanguis, Phlegma, bilis atra & flaua.

Secundus eſt, qui in particularia membra exudat à virtute ad membrorum ſubſtantiam nutriendam: ſeu eſt illud humidum, quod à principali cibi vel ſpermatis diſpoſitione conuerſum eſt, ſed nondum operatione alicuius membri actu pars membri effectum. Huius ſunt quatuor modi.

Primus eſt, qui tam ab extremitatibus venarum incipit reſudare, ita vt parum abſit, quin imbibatur membris

bris, sed membri virtus in id nondum agat.

Secundus, qui iam in extremitatibus venarum resudauit, ac membris est infusus, humectans ea, sed nondum assimilatus est perfecte à virtute membri.

Tertius est, qui iam cœpit inspissari & coagulari, sed nondum perfecte ad speciem membri deductus est.

Quartus potius est humidi radicalis quam nutrimentalis: Quod ex semine generationis membri infusum est ad ipsorum continuationem, in quo etiam humidum nutrimentale digeritur & assimilatur. Albertus Magnus d. an C. 3. tractatu secundo capite tertio.

Idem alibi hos ad tres modos reducit, Alia, inquit, humiditas est dispersa per membra, vt ros quidam membris imbibitus propter duas vtilitates, prima est, vt influat in membra cum patiuntur dissolutionem aliquam.

Secunda, vt humectet membra, quando ex aliquo modo forti deficcatio inducitur in membro.

Alia est humiditas propinqua coagulationi, & est cibus alteratus, ad membra secundum speciem temperaturæ membri, sed adhuc non peruenit ad complementum.

Tertia humiditas est intrans membra à principio excrementi, cuius principium est à materia seminis in Embryone, vt principium Embryonis fuit ex humoribus.

ZABARELLA de misti generatione & interitu libro tertio facit humidum mistorum aliud continuans, aliud aqueum.

Continuans est crassum instar olei (quod Chymici ex corpore aridissimo etiam educunt) ideo à quibusdam vocatur humidum oleaginosum & vnctuosum ex aerio & humido aqueo constans.

Hoc non facile resoluitur, quia est crassius & viscosum, & cum sicco efficacissime commixtum.

Dicitur continuans, quia coniungit partes. Aqueum seu aquosum humidum est, quod inest misto præter partium continuationem ac facile resoluitur (cum sit aqueum) Hæc sumpsit Zabarella ex Alberto Magno, qui humidum aquosum vocat quasi nutriens seu alimentale, quia in animali viuente dispersum est per substantiam Carnis ex alimentis genitum, quo substantia Carnis nutriatur quasi vocat, quia simile est humido alimentali in viuentibus, quod est vere nutriens.

Humidum vere nutriens in carnibus animalium iam viuentium: In aliis quasi nutriens est.

Vsus huius distinctionis.

In vino substantia vinosa habet humidum continuans, id est quo fit coniunctio partium, habet & humidum aquosum, quod ex alimento contractum est.

Dum enim vua viti erat coniuncta, ad eum confluebat humor aqueus quo nutriretur. Separata ergo vua à vite retinet adhuc humorem illum aqueum qui nondum in vini substantiam conuersus erat, neque amplius conuertitur, quia vinum non est amplius animatum: hoc autem humidum aqueum, quod in vino remanet est illud, quod in coctione vini consumitur, & quando vinum feruet, & quando igne coquitur, absumitur humidum illud aquosum, & remanet solum alterum humidum, quod ipsi vini substantiæ intimius est: & inde fit vt totum vinum dulcius reddatur, quia consumpto

humido aqueo, remanet sola vini substantia, & eius humidum vere naturale, quod cum per coctionem sit in substantiam couuersum, dulcedinem facit: quia omne concoctum, vt inquit Aristoteles, dulce est.

Albertus M. in 4. Meteor. tract. 1. ca. 1. etiam hac vsus est distinctione: Humiditas omnis vel est Spiritualis, quæ est aeria; vel corporalis, quæ est aquea, vel ex vtraque mixta, vt tamen vna prædominetur. Et l. 3. de animal. Humiditatum in corporibus animantium quædam pertinent ad permanentiam speciei: vt sperma (quod humidum genituræ vocat) lac. quædam ad salutem indiuidui: vt humidum in corde (quod vocat Humidum vitale.)

Medici etiam distinguunt inter Humida

- Insitus, aerius, pinguis, oleum referens à naturæ primordijs ex semine ortus, per organicas partes diffusus, vt sit fundamentum & pabulum calidi vitalis. Vulgo humidum primigenium & radicale.
- 2. Humor est corpus liquidum in corpore organico animalis contentum
  - Aduentiti⁹, qui post primam conformationem corporis accedit
    - Præternaturalis, cuius species tot quot naturalis.
    - Naturalis ex alimentis, secundum naturæ ordinem genitus
      - Chylus, humor albus, cremori ptisanę aut pulti similis ex alimentis ingestis in ventriculo virtute caloris vitalis genitus.
      - Ex Chylo ortus
        - Chymus, humor rube⁹ ex Chylo in epate virtute caloris vitalis geni tus.
        - Chylo per mist⁹
          - vtilis
            - Primarius
            - vniuersalis.
            - particularis
          - secundarius
          - inutilis seu excrementitius

Sangu
Bilis
Flam
Pitui
Melan
chol
Ro
G
ten
Semi
Men
strua
Lac
Ichor
Sud
Lac
ma
Mu
Spu
Vri

Subſtantifica, & excrementitia. Subſtantifica dicunt, quæ benigno & subſtantiam faciente humido abundant: Excrementitia, quibus plus inest excrementorum, quæ minus membra nutriunt. Thom. Iordan. de peſt. Phænom. Illa requiruntur in peſte, non hæc. Sunt autem alimenta humida vel actu vel poteſtate.

Humor Cryſtallinus est oculi humor aqueus perſpicuus, ſolidus & colores recipiens: Itaque organon videndi. Poſt hunc collocatus eſt humor vitreus, qui radiorum per Cryſtallinum tranſeuntium eongreſſum recipit. Vid. Zab. l. 2. de viſ. c. 8.

Humor 1. accipitur generaliter, vt etiam plantis & ſtirpibus conueniat. Ita eſt corpus fluidum.

HYBRIDÆ.

Hybridæ dicuntur proprie animalia ex cicuris & feri miſtura, Plinius l. 8. vel ex diuerſo aut impari genere nata.

Per translationem hybridæ dicũtur nati ex cicure & peregrina, ex patritio & plebeia, ex libero & ſerua, ex cœlibe & maritum habẽte vel vxorem, ex profana & initiato ſacris, ex ſorore vel fratria vel nuru vel amita vel priuigna, & ſimiles, quos gignunt adulteria & inceſtus. Quoniã & Hybridæ vocabula cõpoſita ex barbaro ſeu opico & latino, ex græco & latino, vt monoculus, prauidoxus, commaſtico: Talia ſunt vitanda.

LITERA L.

LABYRINTHVS.

Labyrinthus eſt carmen admirabile, tanquam quod Labyrintheis ambagibus intricatũ eſt, cuius exempla nobis ſuppeditat Rabanus de Sancta cruce. Labyrinthus autem eſt portentoſiſſimũ humani ingenii opus, quod in ſe cõtinet mille itinerũ ambages, occurſus & recurſus inexpliçabiles, crebris forib. inditis ad fallendum occurſus, redeũdumque in errores eoſdem. De hoc eſt illud Iohan. Stigelii.

Fama fidẽ fecit, Minoidos atria Cretę
Irremeabilibus plena fuiſſe dolis.
Sępe qs ambages intrans fraudeſq; viarũ,
Nequaquam fallax inde relegit iter.
Solus at Ægides comitantia fila ſequutus
Dicitur ambiguas iſſe rediſſe vias.

Ad horum imitationem hodie viſuntur quidam paradyſi ſeu horti principũ, quos Germani vocãt Irrgarten, qualem Caſſellis olim ingenioſe faciẽdum curauit laudatiſſimus princeps Wilhelmus Dædalus ingenio, fabræ celeberrimus artis, vt cũ Ouidio loquar. Accipitur etiam Labyrinthus pro perplexitate, inexplicabili fere ſophiſmate, ſeu nodo, ac inuoluto vel perplexo argumento, quod quocunq; diuertas, intricat te inſtar Labyrinthi, qui ducit in errorem variarum ambage viarum, vt item cum Naſone loquar. 8. Metam. De Labyrinthis vide ſi placet Polyd. lib. 3. cap. 10. de re. Inu. De locutione Hyperbolica, Labyrinthis negotiorum in diuerſa diſtrahi, phraſtologus.

LACRYMÆ.

Lacrymæ proprie ſunt hominum, de quibus & riſu extat quidam libellus meus.

Amaſis cũ eſſet ſpectator necis filiorum multas emiſit Lacrymas, ſed ſtetit vel ut attonitus (in extrema triſtitia, cum cerneret mendicare vnicum, vt ſcribit Ariſt. vel vt alii memoriæ prodiderunt, rapi ad ſupplicium ſenem quendam, qui cum familiariter vixiſſet, largo humectauit flumine vultum. Rhetoric. 2.

Improprie accipitur, pro humore lipporum. facete ſedeo, inquit Auguſtus, inter ſuſpiria & lacrymas, cum ſedens inter Virgilium, qui ſuſpirabundus vbiq; inuẽtus eſt, & obſeruatus, & Horatium, qui laborauit oculorum lippitudine rogaretur, quid ageret. Sabell. lib. 7. cap. 4.

Improprie etiam dicuntur lacrymę in arboribus. Vide Scalig in exercit. 177. vbi ei gummi omne lacryma dẽfata est.

Cerui lacryma descriptio.

Hur pertinet Cerui lacryma, quæ post centesimum cerui annum accrescit ad oculi canthum ipsis ossibus, atq; in os protuberans cõcrescit ea duritia, qua cornua superet. Qua parte prominet rotunda est, insigni nitore coloris fului, non sine vestigiis atriorum venularum, tanta læuitate, vt tactum pene effugiat. Ita enim se se subtrahit, vt propemodum mouere seipsam videatur. Aduersus venena remedium præstantissimum. Peste correptis datur cum vini momento. Scalig. exercit. 112.

Et lacrymæ sancti Iob, quibus quoddam semen oblongum saxeum intelligitur. Scal. exerc. 98. sect. 2.

Lacrymabile & flebile Scholastici vt & Mercatus Medicus interdũ accipiunt actiue pro eo, quod est præditum vi flendi seu lacrymandi. Sic loquitur Mercatus, esse flebile est passio in composito humano resultans ex vi vnionis animæ cum corpore, & quidem oriens ex anima, vt intellectiua. Ego vt sequare nolim tibi author esse.

LACTEATIO.

Cum facta est conceptio, duo semina viri & mulieris sex septemue diebus otiosa non sunt, sed sanguinem trahunt, & in sui naturam commutant & velut aluntur. Hoc opus Barbari vocant lacteationem li. 3. de steriliũ & prægnantium affectionibus Lud. Mercati Medici: Lactatio aliud est. Nam lacteo lac sugo est; lacto, lac præbeo natis.

LATILIS.

Vox hæc noua est: licet enim docẽdi causa, ait Vitus Amerbachius, noua fingere. Sic Feribilis pro eodem Latio est feribilis seu latilis actus, quatenus tale: Diminutio est diminutilis actus, quatenus tale. Vitus Amerbachius Augmẽtatio est actus augmẽtabilis quatenus tale: Alteratio act° alterabilis, qua tale, medicatio act° medicabilis quatenus tale. Generatio est actus generabilis, qua tale, corruptio actus corruptibilis, qua tale.

LATINE & Grammatice loqui.

Grammatice loqui est bene, quod latinis est latine loqui ex vsu (quod Scaligeri iudiciũ) ἁπλῶς & ἀκριβῶς. Exẽpla igitur grammaticis præceptis subiũcta probata & auctoritate bonorũ scriptorum suffulta sunto. Vsus enim nõ permittit vt quęlibet vox iungatur cuilibet voci vt promiscue præponatur aut postponatur. Colloquẽdi gratia vel causa dicitur Bestiæ hominũ gratia generatæ sunt, dicitur: Ac causa gratiaue colloquendi: & gratia hominum vel causa tua, non dicitur ab antiquis oratorib. Causa enim & Gratia ablatiui, pro Ob seu propter accepti, postponũtur genitiuo substantiui & ablatiuo adiectiui: vt Dolorũ effugiendorum gratia apud Ciceron. Sic ea re pro eam ob rem. At causa tua impeditus sum, pro negotio tuo impeditus sum, recte dicitur. Cepit me obliuio dicitur pro authoritate latinorũ; ac non obliuione captus sum. Pro suo posse quomodo nonnulli locuti sunt, latinũ non est, ita vt pro suis viribus. Feci sti mihi ægre (pro eo quod est, dolorẽ mihi inussisti.) latinũ nõ est, at omnium quæ feci sti gratiam tibi facio Liuianũ est ich vergebe etlicher massen/ex iure strictiore aliquid remitto. Nulli virtute bellica inferior, pro nullo, latine dicitur. Est enim Sallustianũ, & ex anomalia Grammatica, quæ Antiptosis dici solet: ex canone aũt diceretur: Nulli virtute bellica cedens.

Grammatica igitur oratio seu Grammaticus sermo sit secundum præscripta Regularum & exceptionũ Grammaticarum ὑποθέτως, hoc est si compositio vocum in ipsis exemplis probata spectataq; sit authoritate. (Conferr Quintil. lib. 1. ca. 6. & P. Rami scholas Grãm.) vt poto tergeste dicitur, si poto

est

est verbũ transitiuũ, vt poto te sit Græcorũ ποτίζω σε ich trencke dich. At veteres latini poto vsurpãt absolute pro bibo, ac vt dicunt aliquãdo Bibo vinum: sic quoq; poto vinũ. Vita vti pro frui apud recentiorum quẽdã inuenio, sed prorsus nullo exẽplo veterũ. Cõmodis aũt vti probũ est. In mentẽ venit mihi illius narrationis. Ciceronianũ est: In memoriã venit promissionis meæ (Gemm. Fris. in doctrina Regulæ falsi) non item.

Corollarium.

Gammaticæ igitur Regulæ non debent esse vsui aduersariæ. Is autem nominibus propriis pluralem etiam numerum tribuit: Quem quidem nos imitari quis prohibeat?

Sic Antonius Maioragus oratione 2. Recentiores iurisconsulti, vt Azones, Bartoli, Baldi sunt incorrupti. Idem Catones omnes atq; Aristides longo interuallo. Orat. 2. Sic minime mirandum, si nulli Platones, nulli Aristoteles, nulli Euclides hoc tempore reperiuntur.

LATITVDO.

Latitudo accipitur Geometrice, Physice, Ethice & Logice.

In Geometria & doctrina Sphærica seu Astronomica latitudo est magnitudo opposita Longitudini & profunditati.

In Physicis & Ethicis opponitur medio exacto & præciso. Mediũ in virtute accipiẽdũ est cum latitudine, i. ita vt etiã aliquatulũ à medio recedi intelligatur. Sanitas duobus modis accipitur; vno vt est in medio exquisito constituta. Eius nullæ sunt species, sed infima ipsa est & indiuidua. Altero habet latitudinẽ. Sub hac sanitate consideramus eius subiecta, simplices particulas organicas & earum vnitatem. Ita sanitas dicitur esse multiplex. Illa est sanitas in se, & simpliciter: Hæc vero certo quodam modo. Vna est sanitatis ratio, potestas ad corporis operationes obeundas: ac modi subiectorum, causarum & reliquorũ, quæ ipsã cõstituũt, varii.

In Logicis Latitudo Generis vel definitionis vel significati, dicitur, cui angustia speciei vel definitionis vel significati opponitur.

Causa cum latitudine est, &c. id est causa ampliore significato.

Tò cum latitudine opponitur etiam τῷ Rigorose & rigorosa loquendi ratione.

LAVS ἔπαινος.

1. Laus est oratio magnitudinem virtutis ostendens. Arist. 1. Rhetor. Hic ponitur Laus καθ' ἐξοχήν, per synecdo. dicitur, alioquin definitio peccat angustia. Nam non solum virtus laudatur: sed alia etiã bona, vt pulcritudo. Quælibet ars, inquit Gualandus, Pisan. pro modo & ratione boni, quod in ea est vel cuius ea est particeps, laudãtur & ornatur, idque aut absolute vel secundũ quid. Adde quod Laus non tantum ad hominem, sed etiam ad bruta, atq; ad eo etiam ad inanima pertinet. Laudamus enim equos, canes, plantas, aurũ & similia.

2. Igitur Laus, voce ἐνικῶς non εἰδικῶς accepta est *significatio expressa boni, quod est in re qualibet.* Hæc laudis definitio essentialis est. Differt igitur ab Honore; adhibetur seu exhibetur actibus quibusdam exterioribus seu signis, cum Laus bonitatis rerum pretium & æstimationem verbis indicit. Laus est ἁπλῶς vel κατά τι: hęc distinctio vtilis est ad soluẽdã obiectionẽ cõtra definitionẽ: Nonnunquam etiam mala laudantur, vt febris quartana, pestilentia. Scribit quidam se vidisse aliquando Venetiis editum libellum, qui contineat laudem venerearum libidinum carum, propter quas Sodoma & Gomorrha cœlesti igni conflagrarunt, sicut ipse vidi impressum nescio quorum opera librum, qui omnium flagitiosarum libidinium viuas εἰκόνας & imagines continet.

Qua laudationum materies.

Quam am plusezes & materies laudis.

- Laudantur seu laudibus ornantur
  - Ἔνδοξα Nobilia & clara per se; Hæc oratori conueniunt.
  - Ἄδοξα suapte natura ignobilia: itaque ab arte prędicationis cultū difficulter possunt accipere.
    - ἀγεννῆ, vilia, vt si laudes stercus, ructum, crepitum ventris.
    - Ἄπορα
      - Ἀσύγκατα & ἀπερίπλεκτα inexplicabilia & inextricabilia: quæ parum consistunt.
      - Ἄπορα in specie, quæ nulla subministrant argumēta propter inopiam, Alias sterilia, vt si laudes parricidium.
  - Ἀμφίδοξα quæ dubitationem & disceptationem capiunt, vt laudatio monarchiæ: Naaigationis.
  - παράδοξα pręter vulgi opinionem, vt si quis laudet mortem, aut paupertatem præferat tyrannidi.

His addi possunt ἔνδοξα, παράδοξα, quorum exempla pulcra extant.

Inexplicabilis] Exemp. septem iudices de homicidio cognoscant. Rata sententia esto, quæ à pluribus. Duo censent pecunia, duo exilio mulctandum: Tres morte afficiendum homicidam. Difficultas est, quia accusator dicet, tres Iudices simul hic esse: in aliis sententiis binos. Reus contra, quatuor à morte absoluere: Tres tantum mortis damnare. Resp. igitur ad Obi. Mala etiã laudari ratione quorundam bonorum, quæ inde aliquo modo proficisci videntur.

Præterea sunt, quæ & laudãtur per vsum, & vituperantur propter abusum. Ea, dicunt ἐπαμφοτερίζειν, vt sunt facultates: eæ enim nonnunquam prosunt nonnunquam nocẽt (Vide Eth. Nicomachiçorum c. 10.) Et balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra restituũt eadem balnea, vina, Venus

Nouissime laudãtur personæ, res, facta, per facta intellige tum actiones seu actionum fluxus, vt sunt cursus, fabricatio & scriptio, sed etiam fines ipsarum, id est, opera, vt sunt statua, pictura, ensis, currus.

LEONINVM.

Leonini versus dicuntur, quorum vel fines vel medium & finis consonant, sic dicta ab authore Leone. Dicuntur alias æquiuoci ab æquo, id est, simili vocum sono. vt:

Hunc Dominus ditat, qui sedulus otia vitat.
Vt vetus est verbum, sine costa viuere acerbum:
Mingere cũ bombis, est res saluberrima lumbis:

Vitiosus est versus, salubris enim mediã semper producit.

Quando male scribis, post stiuam rusticus ibis.
O Nimium crassum qui solus deuorat assum.
Vt mens se videat posita caligine fumi.
Quis vetat apposito lumen de lumine sumi?
Quod si perfecte nequeo res edere cunctas,
Vt desinit vires tamen est laudanda voluntas.

In Dirythmicis in medio & fine seruatur constantia.

Temporibus veris modicum prandere iuberis;
Sed calor æstatis dapibus nocet immoderatis.
Autumno caueas fructus, ne sint tibi luctus.
De mensa sume quantumuis tempore brumæ.

Epitaphium κακόλογον apud Paul. Scalig.

Hic iacet Egmundus telluris inutile pondus,
Dilexit rabiem, non habeat requiem.

Exẽplũ pulcrum parallelorũ, vide in ratione parall. vos quos includit Monosyll. ibidem O pie Grex, &c. Vide etiam vocem Ἀπόστροφον.

LEVE.

1. Leue in Physicis est planum, quod æquali in superficie & nulla in parte sub sultante iacet: Iacob. Faber Stapolensis in Scholiis de nominibus diuinis in Dionysium.
2. Leue est, quod ferri natum est à medio, quod sursum fertur natura. Aristot. 1. de cœlo & Phys. 4. c. 8.

Leue est simpliciter vel respectiue.

Leue simpliciter est Leuissimum, id est, quod omnibus supereminet, quæ sursum feruntur: Quo ἀδύνατον est inueniri Leuius, quod sursum fertur ad extremum. Arist. 1. & 4. de cœlo.

De Leui posteriori axiomata sunt. Leui extra locum suum existenti accidentale est non ascendere.

Leue in suo loco non leuitat: vt graue in suo loco non granitat: hoc est, neq; mouetur neq; mouet: mouentur enim & mouent solum tunc, cum sunt extra propria loca.

Leuia autem sunt non tantum elemẽta, sed ẽt mista, tam animata, quam inanimata. Zab. lib. 1. cap. 1. de motu grauium & leuium.

In Ethicis transfertur ad animum & mores: vt ad hominem garrulum & mendacem.

Leuius interdum accipitur pro eo, quod apparet in superficie, quod in summo fluctuat, quod alte non hæret, quod non agit radices profundas. Græce ἐπιπολαιότερον. Qua voce vtitur Aristot. 1. Eth. per translationem, cum inquit, videtur ἐπιπολαιότερον esse bono eo, quod quærimus, Græcum. Hic P. Martyr conuertit voce Leuius.

Leue prima longa est glabrum, nitidum, politum, vnde Leuare & leuigare verba, pro glabrare, radere, æquare, vt leuigare cutem, Leuigare verba. Leues lupę sunt glabrę, depiles, vulsæ, vt poeta loquitur, meretrices pumice scabra asperantur, leuantur & poliuntur.

LEX.

1. Lex secundum se spectata est regula quædam & mensura humanorum actuum, supposita obligatione ad eam seruandam. Sebast. Clemens thes. 28.

Lex omnis, obligat ad obedientiam vel ad pœnam, non exigit simul vtrumque.

Per Metaphoram accipitur pro præscripto seu præcepto cuiuslibet artis, & scientiæ.

2. Speciatim sumpta voce, Lex tantum recta est & iusta: ita accipit Thomas, cum ait, Lex non proportionata ad virtutem, non est Lex. 2. Polit. & Eustrat. cum inquit, Lex æqualitatem in ciuitate conseruat.

LEGES THEANDRICÆ.

Leges Theandricæ sunt, quæ de rationib. cognoscendi Deum per diuinorum nomina.

Hymni Thearchici sunt diuini, in quibus Deus laudatur ex nominibus suis.

LEGE AGERE.

Lege agere est ius experiri, in iudicio contendere, iure iudicioue experiri & experiri (sine casu.)

LEGITIMVM,
νόμιμον.

Legitimum 1. est legibus congruens, ex lege manans, iustum. 2. Regulare: Ei opponitur illegitimum, id est, à Lege discrepans vel spurium vel extraordinarium (à Cicerone) irregulare. Sic Medicis Lienteria (id est, Leuitas intestinorum) est vel legitima vel illegitima seu spuria. In Physicis Tempus legitimum est, motus legitimus, seu ordinarius est, vel contra. Sic Grammaticis constructio est legitima, vel contra. In Logicis propositio seu prædicatio

legitima seu canonica vel contra, syllogismi modi legitime seu directe cõcludentes. In Iurisprudentia legitima vxor est, quę rite ex præscripto legum in matrimonium conuenit: legitima ætas dicitur, quæ lege aliqua prę-stituta est, vt in maribus annorum 14. in fœminis 12. nuptiarum causa, peculiare est, quod alicubi legitima ætas in iure dicitur, quæ maior est annis 30. naturalis vero, quæ minor est 20. annis: Non quod natura maiorem 30. annis non agnoscat (omnis enim ætas naturalis est:) sed quod specialiter lex ætatis, quę annos 30. excedit, meminerit. Ideo dicitur hæc esse legitima. Vide Theoph. Instit. de libert. Liberorum legitima est certa hæreditatis paternæ pars, iure naturali liberis debita.

Legitimo verbum Nouatum est (veteres Iurisconsulti eo non sunt vsi) ab ad. legitimi, vt à limiti substant. est limito, & ab adiect. intimi, intimo as, are. Est autem legitimatio actus legis, quo liberi naturales efficiuntur legitimi. Itaque subiiciuntur patriæ potestati. Ei qui fit legitimus opponitur, qui nascitur legitimus. Sic Dominus Vulteius: Ex nuptiis natus, eo ipso momento, quo nascitur, ipso iure, sine vllo hominis facto legitimus nascitur, At per legimationem nemo nascitur, sed fit legitimus.

Legale dicitur, quod est à Legibus, vt de obiecto, vt legalis scientia, id est, scientia de elegibus seu legum. Sic in Oratoria status legalis dicitur, cum contentio est de lege vna vel pluribus, & proprie quidem, quod ad sensum attinet. Capita eius sunt definitio, contrariæ leges, scriptum & sententia, Ambiguum, Ratiocinatio, Translatio. Ph. M. in Rhet. lib. 1. Alij vocant statum legitimum.

Auerroes vocat interdum Theologos legales, quod leges Prophetarũ sequantur, non autem rationes Philosophorum. August. Niph. Suesslimus in expositione destructionum Auerrois.

LIBERTAS, LIBER.

Liber dicitur, qui alieno iuri subiectus nõ est, eius abstractum Libertas.

Libertas
- Propria, vt voluntatis. Respirare libere apud Ciceronem est, pro quo vulgus dicit, Recipere spiritum seu anhelitum ad voluntatem.
- Impropria pro indeterminatione & indifferentia, vel pro causali libertate, vel pro quodam modo participata.

Explicatio.

Pro indetermin.) Vt indeterminatio essentialis est ipsi materiæ, ad omnes formas libera. Zabar. 2. de natura cœli, cap. 5.

Pro causali) Vt artes & scientiæ possunt dici potentiæ seu facultates liberæ & rationales, lib. 9. Aristotelis sapientiæ cap. 3. non formaliter, vt voluntas à qua actus imperantur, sed quod pendeant & determinentur ab electione & liberos actus producant, seu quod nos possimus earum actus producere, quando volumus, & item cessemus per eas operari, quando volumus. Ita intelligitur Canon: potentia rationalis, id est, artes & scientiæ sunt ad oppositа.

Pro q. participata) vt cum dicitur ab Aristotele appetitus μετέχειν πῶς λόγου quia obedit rationi.

Libertas

Libertas { Proprie Intelligentium, vt hominum. Huius ſpecies eſt inſignis, Libertas ſuis legibus viuendi, quæ Græcis αὐτονομία.
Improprie Brutorum quorundam, ferarũ, auium. Huc pertinet Licentia.

Hominum) Hæc definitur poteſtas viuẽdi vt velis Cic. vel naturalis facultas eius, ꝙ cuiq; facere libet, niſi ſi quid vi aut iure prohibeatur l. 4. ff. de ſtatu hom. Brutorum) Libertas etiam auibus & feris, quæ cuſtodia humana non coercentur, tribuitur. Naturalem enim libertatem aues feræq; accipere intelliguntur, cũ in ſuam naturalem laxitatem peruenerunt vel oculos noſtros effugerũt, vel ita ſunt in conſpectu noſtro, vt difficilis ſit earum perſecutio, In iurisprudentia etiam nonnunquã ponitur ſpecialiter pro ingenuitate ſeu conditione eius, qui ſtatim, vt natus eſt, liber eſt.

LIBERVM arbitrium.

1. Liberũ arbitrium eſt voluntas, vt fertur ſine coactione in aliqua re. Georg. de Valẽt. ita volũtas poteſt aliquid velle, vel non velle.
2. A Stoicis aliter accipitur voluntatis libertas, cum dicunt, ſolos ſapientes eſſe liberos, malos autem & ſtultos eſſe ſeruos, nec miſeriorem eſſe ſeruitutem quam obnoxium vitiis viuere. Hæc voluntatis libertas eſt, qua tantum bonum velle dicitur & mancipata malo non eſt. Vere liber eſt, qui tantum poteſt bonum velle.

Per ſe & ratione eſſentiæ ſuæ potentia voluntatis libera eſt. *Peraccidens & alterius facultatis reſpectu determinata eſt ad vnam quandam energiam* (cum ſimul actu nõ poſſit operari oppoſita) ad bonum, vel ad malum, *vel eſt vincta, mancipata*, ſerua quaſi captiua.

Facultati) Naturæ deprauationis, habitus, conſuetudinis, Spiritus Dei, Satanæ. Scaliger exerc. 307. ſect. 27. Actionis bonitas partim ex intentione finis, partim ab habitu interno eſt. Paulus Apoſtolus: Deus operatur in nobis velle, τὸ velle bonum, ſeu bene velle, intellige.

Libertatis voluntatis in Deo alia ratio eſt, vt qui ſit & liber & nõ liber. *Volũtas diuina reſpectu eſſentiæ ſuæ* & intra Deum ad ipſum conſiderata non eſt libera, ſed neceſſaria: non poteſt enim non velle ſe ipſum eſſe. *Sed reſpectu eorum quæ ſunt extra ipſius Eſſentiam*, eſt liberrima, cum nulla neceſſitate ſint coniuncta cum Deo, quæ ſunt extra Ipſum. Vt omnia, quæ extra Deum ſunt, ſuapte natura potuerunt non eſſe. Ita potuit Deus ea non voluiſſe, vt eſſent: qua ratione etiam dicũtur omnia, quæ extra Deum ſunt contingentia (Voluntas enim diuina liberum principiũ eſt reſpectu eorum, quæ extra Deum ſunt.) Solus autem Deus eſt ſimpliciter Neceſſarium, ſui ipſius reſpectu.

ἄλλως.

Liberum arbitrium primum ponitur pro voluntate libera, & ita eſt ſubſtantia & proprietas ſeu potentia ſeu modus agendi ſimul, ſeu eſt ipſa ſubſtantia intellectus & voluntatis coniuncta cum proprietate, quæ non poteſt ſeparari à natura rationali. Itaque complexum eſt, quod non eſt in vno aliquo prædicamento.

Secundo ponitur pro liberæ voluntatis Indicio, de eo, quod velis, aut nolis. Ita habet locum in prædicamento Actionis.

Modus agendi voluntatis eſt modus agendi libere à coactione. Non enim poteſt voluntas cogi, neq; ad bonum neque ad malum. Ita intelligatur

hoc Victorini Strigelij aduersus coactionem Flaccij: *Voluntas est voluntas & retinet modum suum agendi, etiamsi vel impediatur intus & foris*, (intus à prauitate nobiscum nata, foris à Diabolo & eius organis) *vel incitetur.* Neque enim impeditio, neque incitatio est COACTIO.

Vsus.

Consideratio significationis harum vocum vtilissima est & maxime necessaria ad dissensionem διαφώνως grauissimi.

Quæstio. An LIBERVM Arbitrium sit tantum deprauatum lapsu primorum parentũ seu peccato originali; an verò prorsus sit & omni ex parte deletum, ac ab hominum natura ablatum? Resp. posito approbatoque hoc, quod Liberũ arbitrium est ipse intellectus, seu ipsa substantia intellectus cum voluntate, seruata cuiusque proprietate ac modo agendi, assumitur recte, nõ esse prorsus ablatum ab homine, licet sit adeo deprauatum, vt hæc depravatio nullius aut eloquentia satis exponi, aut quantumuis effusis lacrymis præ magnitudine deplorari possit. A lapsu enim οὐσία voluntatis, & vis eius δυνάμις modusque agendi libere à coactione remansit: etsi ei ἀδυναμία & ἀταξία, quæ ad secundam qualitatis speciẽ reducitur seu reuocatur, accesserit, seu peccatum originis.

Aliter agit voluntas quam bruta natura.

Hoc enim nõ est proprietas ἐδιοποιητική, id est, discernens speciem, sed accidentalis qualitas secundæ speciei, cui relatio annexa est, vt ita relatiuum quoq; seu Ad aliquid sit secundum dici, sicut loquuntur Scholastici. Sic modus agendi, Intellectus, id est cognoscendi intelligibile obiectum naturaliter & actu simplici, vel reflexo à lapsu mansit, ita vt capax sit diuinæ illuminationis, cuius capax non est truncus, & aliter Deus intellectum illuminet, quam Luna lucem à Sole accipit: aliter Deus verbum in mentes hominum spargat, quam sol radios spargit in dolium: Non est nouus aliusve intellectus homini lapso infusus, non extincta est in illo δυνάμις vis seu potestas cogitandi, sed hæc excitata, in actum seu ἐνέργειαν deducta & exercitata assidua magistrorum institutione, ministerio sensuum exteriorum in rebus humanis incipit lucere, à Spiritu vero ministerio verbi in spiritualibus ac diuinis rebus illustrari, etsi salutariter cogitandi hæc in illo (intellectu) non superest δύναμις.

Sublata enim vi δυνάμει seu potestate & modo agendi in intellectu, tollitur hominis natura, & fit confusio cum brutis naturis.

Vis cogitandi Deiformis non est

Exp Lanatius de his alibi. Hic placet illud Plautinum: Quod satis est, dempto satis est.

LIBERA SCIENTIA.

Vt hominem liberum dicimus, qui sui ipsius, & non alterius gratia est, id est, qui sui iuris est: Ita scientia est ἐλευθέρα libera, quæ αὐτῆς ἕνεκεν (sui gratia est) quæ non refertur ad opus, aut si mauis, ait Fonseca, ad aliam superiorem, vt prima Philosophia. Aliæ scientiæ non sunt omnino liberæ. 1. quia fines earum subiiciuntur fini primæ Philosophiæ, qui est cognitio summi boni, in qua felicitas consistit humana.

2. Quia principia cæteratum disciplinarum primæ Philosophiæ principiis firmantur.

LIBIDO.

Libido 1. significat voluntatem temeriã, cum ratione pugnantẽ, inconsultã,

vt

vt gerit rem non ratione, sed libidine. 2. Incontinentiam, quæ intemperantiæ species est, vt dedere se libidinibus. Hinc libidinari apud Suetonium Vnzucht treiben. & Libidinosus: vt ex actionibus libidinosis habitus intemperantiæ contrahitur.

Libidinose viuere de pueris non dicitur: In hanc ætatem non cadit libido in secūda significatione, sed ἐπιθυμία. Delectantur quidem rebus iucundis, sed libidinosi dici non solēt, vt adolescentes. Puerilibus enim rebus gaudēt, non turpibus & flagitiosis, ex quibus libidinosa vita nominatur. Cic. Libidinosa & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. Eff. id est, non idoneum amplius fœtui procreando, exhaustum, eneruatum.

LIBRA.

Libra ponderum est, & mensurarum, alia igitur est ponderalis, alia mensuralis.

Libræ scapus seu librile, quod & libræ iugum dicitur, est diameter. Spartum est centrum libræ, vnde brachia scapi paribus interuallis velut in peripheriam radii (duæ) expenduntur. Agina qua suspenditur est radius tertius, intra quem examen libramenti seu æquilibrii, iugo perpendiculare, facit iudicium. Atque tunc iugum est horizontis plano parallelum.

Libra est trutina vel statera.

Libram etiam signum cœleste esse, notum satis.

Libris paruis nonnulla pondera insensibilia sunt, quæ magnis sunt manifesta.

Libræ extremum ab eodem pondere citius mouetur, quo plus à sparto distat.

Libratio tribuitur etiam hominibus, Aristot. in quæst. Meth. vt sunt Libratores aquæ.

LIMITARE.

Limitare primum est limitibus distinguere, limitibus certis continere. Hæc verbi vis prima ac propria: hinc aget dicitur limitatus. 2. contrahere, vt si de tua prolixa beneficaque natura limitabit aliquid posterior annus. Cicero lib. 3. familiar. ep. ad Appium. 3. Limitare in doctrina distinctionis & Determinationis, Scholasticis est sententiam restringere, certis conditionibus adstringere; Exempli causa Homer.

——— μῦθος δ' ἀνδράσι μελήσει
πᾶσι, μάλιστα δ' ἐμοὶ, τοῦ γὰρ κράτος
ἐστ' ἐνὶ οἴκῳ.

Hic μάλιστα δ' &c. Maxime seu præcipue vere mihi Formula limitationis est, qua potiores partes gerendæ mihi reseruantur.

Limitatio igitur est moderatio seu determinatio restringens.

CANON de hac est.

Expositio Generis per speciem non est confundenda cum limitatione totius per partem, sed ab hac distinguenda. Paulus 1. Timoth. 2. v. 5. Vnus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Hic cum dicit Apostolus, Homo Christus nomen generale exponit per speciale. Cum dicitur, Homo Christus Iesus est omnipræsens, quidam ita interpretatur, tanquam illis verbis, quæ propositionis subiectum constituunt, non significaretur expositio generis per speciem, sed limitatio totius per partem, proindeque idem diceretur, ac si diceretur, Christus quatenus homo seu secundum humanam naturam est omnipræsens. Hic expositio generis per speciem, Homo ille, qui est Christus (hæc enim sententia est horum, Homo Christus) sophistice confunditur cum limitatione partiali seu restrictione ad partem.

Limitata potentia est certis limitibus circumscripta: opponitur vniuersali & absolutæ: Limitatissima, vniuersalissimæ, & mediæ.

Dei potentia est καθολικωτάτη, habet enim pro obiecto adæquato omne δυνατόν. Potentia ignis particularis est & limitatissima adæquata productioni ignis. Potentia Solis est quasi media, extenditur enim ad plura, quam ignis, & ad pauciora, quam Dei δύναμις.

Limitate eruditus Scholasticis est eruditus seu πεπαιδευμένος in hoc vel illo genere. Huic opponitur simpliciter & *a* perfecte eruditus, qui de omnibus habet aliquam notitiam & experientiam seu vsum. Vide Aristot. Eth. 3. c. lib. 1. De vna quauis re recte iudicabit, qui in vna quauis est bene eruditus. (καθ' ἕκαστα πεπαιδευμένος) Absolute vero & vniuersè, qui est in omni doctrinæ genere (περὶ πᾶν) bene eruditus.

a Barbari dicunt Inomni scibili.

LITERA.

Litera, proprie est prima nota vocis. Trãslate est scriptura.

Augustinus ait, se non legisse de Dauide secundum literam, quod se gestauerit. Ergo verum est de Christo illum gestasse se in manib. suis, non sacramentũ corporis sui. Respondeo, Augustinus literam hic appellat historiam, secundum quam non legimus Dauidem se gestasse manibus suis vllo modo, neq; simpliciter, quod fieri non poterat, neque in Sacramento.

LITERÆ.

Literæ 1. sunt tanquam sensibiles quædã notæ insensibilium cõceptuum. Græci vocant γράμματα quod scribantur, & χαρακτῆρες quod exsculpantur: per metaphoram etiam elementa. In duplici sunt differentia. Aut enim notæ sunt conceptuum, & quodammodo improprie literæ dicuntur, aut sunt notæ vocum, quæ conceptuũ simulacra sunt, hæscil. literæ proprie dicuntur cõceptuum notæ sunt literæ Ægyptiorum Hieroglyphicæ, Philosophis tantum Ægyptiis olim sacerdotibus cognitæ. Vocum notæ sunt, quibus variæ sonorum differentiæ tam simplices, quam compositæ exprimuntur.

2. Literæ vt & Græcum γράμματα sunt pædeia & doctrina scripta, vt literarum rudis: ita literatus dicitur benedoctus, vel Grammaticus. Vide Suetonium.

Literator est ludi literarii magister, vel mediocriter doctus, literis imbutus. Sacræ Literæ sunt Sacra doctrina, seu Sacra scripta.

Literatus est liberaliter eruditus. Literatura huius abstractum est pro varia eruditione.

LOCALIS.

Localitas Entis creati attributum est. Nam est qualitas, per quam Ens creatum, cum aptum est locari, tum actu in vno loco aliquo existit.

Ei opponitur illocabilitas, quæ conuenit Enti increato: id enim non indiget loco aliquo reali, in quo existat, cum sit αὐταρκέστατον, id est, sibi per omnia sufficiens. Timpl. in Metaph. Ipse igitur sibi loc⁹ est, Deus, vt ait Damascenus.

Interdum Locale seu localitas distinguitur à locabili seu locabilitate, vt actus à potentia, vel vt id, quod actu est, ab eo quod est potẽtia: vt locale sit, quod in loco actu est: Locabile vero quod est in loco potentia, id est, quod in loco esse potest, vt extremum quod nũc cœlum est, etsi non sit actu in loco Aristotelico, potest tamen esse in loco, si (ex hypothesi loquor) sit, vel detur cœlum vltra istud.

Locale interdum est idem, quod ad locum pertinens.

Loca-

Localis memoria est artificiosa, quæ locis vtitur certis.

LOCVS.

Locus est duplex Alberto Magno in expositione cœlestis hierarchiæ: 1. corporalis seu Physicus, qui est superficies corporis continentis, vel etiam ipsum corpus continens, vel spiritualis qui metaphorice dicitur locus, & ita Deus dicitur spiritualis locus Angelorum à virtute continente angelos: vnde ait Beda, Angelos, quocunque mittantur, intrà Deum currere. Etsi autem Angeli, quatenus Deum contemplantur, dicantur esse in loco spirituali: tamen etiam recte dicuntur esse in loco corporali; quatenus circum nos operantur. Huic Alberti sententiæ multi annuunt, qui ita argumentantur: Quod per se est in loco, eius fines cõmensurantur finibus loci, vt corpus. At spiritualis naturæ fines non commensurantur finibus loci. Ergo spiritualis natura per se non est in loco: Erit igitur in loco per accidens.

Scholastici distinguunt locum Beatorum & Damnatorum à loco mundano, qualis iis est Viatorum. Ioan. Trith. in Comment. in Prolog. Reg. B. Sicut est locus beatorum in amœnitate æterna; ita locus, qui dicitur infimus, est, VBI Impii cruciantur damnatione perpetua, siue sit super terram, siue sub terra: constat esse infernum, vbi est carentia omnis boni, & abundantia omnis mali, in quem qui semel descenderit, nequaquam inde ascendet vsque in æternum.

Locus Physicus vim habet attractricem, à qua quicque trahitur ad proprium locum. Attrahit autem locus, vt finis, non vt efficiens. Explicat hoc Zabarella lib. de motu leuium & grauium cap. 2. De hoc loco Axioma Simplicii est in 4. Phys.

Loca eiusdem duo simul esse primo & per se impossibile est.

Sursum, Deorsum, Ante, Post.

Loci differentiæ vt sursum & deorsum sunt { τῇ φύσει, itaque non mutantur. / τῇ θέσει, Positione, Respectu nostri, itaque variantur.

Sursum & deorsum loca naturalia sunt contraria, ac manent fixa, ac positione seu ordine ad nos sunt σχετικὰ seu relata: dicuntur enim sursum respectu capitis nostri, deorsum respectu pedum.

In triangulo Mathematico possumus notare angulum sursum, & angulum deorsum, angulum qui sit ad dextrum, & angulum, qui sit ad sinistrum positione & σχέσει, & τάξει ad nos.

ΤΌΠΟΣ, LOCVS.

Aristoteli locus est propositio vniuersalis manifesta & nota. Recentiores vocant Maximam, quia minorum propositionum copiam intra suum ambitum continet, seu quia sub ea multæ aliæ propositiones potentia comprehenduntur indefinita: vt, locus est, si alicui contrario aliquod inest contrarium, reliquo quoque contrario reliquum contrarium inerit. Hinc inferimus: si malum obest; ergo bonum prodest. Sic locus est; si id quod magis inesse videtur alicui; non inest tamen; neque id, quod minus videtur inesse, inerit ipsi. Ex hoc loco argumentabimur; si velimus probare diuitias non esse bonas; Sic: si sanitas, quæ minus videtur bona, quam diuitiæ, bona

tamen non est, Ergo neq; diuitiæ bonæ sunt. Hi loci seu propositiones interdum argumentationem ingrediuntur, interdum extra positæ vim ei tribuunt. Dicitur & locus Canon, principium & elementum vniuersale, in quo singularia indefinite (non hoc aut illud expresse) comprehenduntur. Alexander definit locum principium ἐπιχειρήματος, id est, dialectici Syllogismi, itaq; ex loco hic Syllogismus probabilitatem consequitur. Dicitur etiam præceptum. Locus Ciceroni est Termin⁹, vnde maximæ propositiones desumuntur; vt, ex Toto, ex partibus, ex genere. Termini enim, in quos maximæ conuenienti ratione resoluuntur, illas continere quodam modo vidẽtur. A Boetio Termini hi vocãtur Differentiæ, eo, quod maximę propositiones per eos diuidantur, sicut Genus per differentias.

Theophrasto Locus & præceptum differunt. Sicut enim Locus est principiũ Dialectici argumenti, ita præceptum ei est principium Loci. Præceptum enim est communius quiddam, simplicius & vniuersalius, quam Locus, & è præcepto locus inuenitur. Exempli gratia: Præceptum est, si dicatur: ita argumentari oportet à Contrariis, vel à coniugatis. Sed Locus est propositio, quæ à præcepto ortum habet: vt si vni contrario vnum inest contrarium, alteri quoque contrario inest alterum contrarium. Et sicut se habet vnum coniugatorum, ita se habent & reliqua.

LOCALITER.

1. Localiter in loco esse nihil aliud est, quam esse in loco sibi æquali. Ratio cur aliquid sit localiter in loco, est modus quantitatiuus. Qui an à corpore tolli possit, Scholastici disputant. Vide Scotum lib. 4. dist. 49.

2. Localiter seu Topice idem est, quod per capita vel per Locos est communes.

LOCATIO.

Locatio est *vbi*, seu respectus quidam loci ad locatum, vt locatum acquirit locationem.

In politicis locatio opponitur cõductioni: vt locatio domus, locatio operis est Verdingung des Wercks.

Non Loco pro Intempestiue.

Cum locus & tempus connexa fere sint, quadam καταχρήσει, sed elegante, locus pro tempore vsurpatur. Cic. in epist. 16. lib. 11. famil. Epistolæ offendũt non loco redditæ, id est, alieno tempore, seu intẽpestiue redditę, molestę sũt seind nicht angenehm (Nota hic infinitum non loco. Ita Enunciationem infinitam vsurpat ex. 25. Intestinum nobis malum est nõ mediocre: quod obseruandum obiter contra eos, qui enunciationes infinitas reiiciunt & ἀτέχνως faciunt) Interpretationem hanc esse veram, ostendit epistolæ initium: Permagni interest, quo tibi hæc tempore epistola reddita sit. Et quod paulo post sequitur: Vt tempus obseruaret epistolæ tibi reddendæ. Ita Aldus hoc, Desipere in loco sapientia est, interpretatur: Desipere in tempore seu commodo tempore. Hinc intelligatur, Locum interdum poni pro occasione, quæ est causa procreans peraccidens.

LOCI COMMVNES.

1. Rhetores in genere Locos Communes vocant locos λόγων, qui pariter ab autore & reo vsurpari solent, id est, ex quibus argumenta depromuntur, quæ vtraque pars ad causam suam accommodare potest: vt Locus signorum communis est, non peculiaris, aut

aut Reo, aut Actori tantum, sed ad accusationem & defensionē idoneus.

2. Est & apud Oratores alius vsus appellationis huius, cum Locum communem vocant generalem sententiam seu thesin, quanquam improprie, cui opponitur Hypothesis.

Nam thesin seu Locum communem vocant Quęstionem seu propositionem, quæ complexam circumstantiam non habet. Cicero consultationem vocat, alii quæstionem infinitam, quia de genere agit, cuius tractatio ampla est, & vaga & late patens. Hypothesis est quæstio complectens circumstantias, Personarum, Locorum, Temporum, quam Cicero controuersiam singularem, alii finitam quæstionem nominant, quia de specie atque adeo etiam de Indiuiduo agit.

Tractant de hoc vsu vocabuli Locorum communium Rhetores cum præceptum istud tradunt, quod maximam vim habet in omni disputatione, videlicet, vt Hypothesin transferamus ad thesin, seu locum communē. De quo Cicero in 1. de Oratore: Ornatissimæ & copiosissimæ sunt Orationes hæ, quæ latissime vagantur, & à priuata, & & singulari controuersia se ad vniuersi generis vim explicandam conuertit: Quod qua prudentia fieri debet, non est huius loci ostendere, cū ea res ad pręcepta Inuentionis, & amplificationis, quæ in Oratoriis libris traduntur, pertineat.

Ita Æqualia hæc sunt; Hypothesis referri debet ad suam thesin. Causa quælibet & casus, vt loquuntur Iureconsulti, factique species seu propositio singularis, vt loquuntur Dialectici, referri debet ad suum locum communem, ad caput generale: Indiuidua ad suam speciem, & deinde species ipsæ ad suum genus sunt exigendæ. Res igitur Substantiis alligatæ ab iis sunt auellendæ interdum.

3. Sed proprie Locus communis & Thesis non sunt prorsus idem. Locus communis enim proprie est Thema incomplexum, id est, pars thesεως, nempe propositionis, commune seu vniuersale subiectum & prædicatum, vt felicitas & virtus sunt duo loci communes; ex quibus tanquam partibus componitur, vt propositio ex subiecto communi & prædicato, hæc thesis, Felicitas est in virtute. Iam si de felicitate seorsum, & de virtute seorsum disseratur, id vocatur tractatio duorum locorum Communium, scilicet Felicitatis & Virtutis.

Nescia mens hominum Fati sortisque futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

In hac thesi copulata continentur sex loci communes: 1. Moderatio: 2. Mens humana, 3. Fatum, 4. Fortuna, 5. Modus. 6. Superbia.

4. Rursus alia significatio est Locorum communium, cum præcipua Cap. singularum artium sic nominantur, in quorum explicatione summa cuiusque artis seu doctrinæ continetur: vt alii sunt loci communes Theologici, alii Forenses seu Iuris ciuilis, alii Iuris Canonici, alii Medicinæ, alii Philosophiæ naturalis, alii Ethicæ. Denique alii aliarum artium Loci sunt, seu capita Primaria, quæ in vna qualibet arte versaturis cognitu sunt necessaria. Oportet enim vnumquemque suæ artis præcipuos Locos tenere, & quasi Σωματοποιίαν, id est, corpus integrum cuiusque artis distinctum suis quibusdam locis animo inclusam habere.

Singularū professionū peculiares sunt loci communes, tanquam primaria capita.

Ex his Forensis Locus communis incertus locus à Cicerone dicitur in l. Rhetor. eo quod ambigue soleat in vtramque partem tractari in foro & Iudicio, ciuilique causa, vt cum in foro dicunt pro testibus, & contra testes, pro tabulis, & contra tabulas, vt, apud Ci-

ceronem pro Flacco, pro fama & contra famam; vt pro Cœlio, item pro Iudice & contra Iudicem, pro patrono & contra patronum: qualia plurima incerta & in vtramque partem ambigua disputantur à Iureconsultis in exceptionib. dilatoriis & declinatoriis.

Velcurio communem locum Rhetoricum vocat, qui spectat ad studia humanitatis, nempe ad Professionem Oratoriam, Poeticam, Philosophiam moralem.

5. Porro Loci communes certa quadam ratione disponi solent.

Itaque Loci communes appellantur etiam Tituli seu classes, certa serie distributæ, quæ sunt velut indices generales, seu receptacula, in quibus nonnunquam priuata diligentia & quidem tumultuarie à singulis annotantur, quæ memoria digna quotidie se offerunt in lectione bonorum authorum, præsertim in studio Theologico, & Philosophico, & Historico, siue sententiæ sint, siue exempla, quibus doctrina fidei, virtutum & vitiorum, & rerum aliarũ, quæ his συζυγιῶν & cognata sunt, illustratur & suppeditatur materia ad futuram necessitatem scribendi ac dicendi de fidei capitibus, vitiis ac virtutibus & rebus similibus.

Equidem nonnulli reprehendere mihi videntur hanc diligentiam ita colligendi eiusmodi Locos communes, sed non simpliciter, neque in vniuersum, sed secundum quid, vt Dialectici loquuntur, reprehendunt hoc studium.

Hoc enim monent: non sufficere ad eruditionem comparandam collectionem & coaceruationem sententiarũm, sed vt sit solida eruditio, oportere singulorum capitum artis vniuscuiusque cognitionem præcedere: imo & in Philosophicis tractationem Methodicam singulorum Locorum communium adiungendam esse.

Damnant igitur inanem persuasionem eruditionis, qua multi se ostentant, iactationem farraginum talium, in quas dicta authorum sine iudicio cumularunt, quasi in his summa laus eruditionis sita sit, cum negligentes præterea sint in artibus integre addiscendis.

REPLERE LOCVM *suis angulis.*

In Geometria Replere locum quid sit docet Christophorus Clauius his verbis: inter omnes figuras æquilateras & æquangulas solum triangulum, quadratum & hexagonum locum replent, id est, aliquot triangula vel quadrata, vel hexagona ita in plano possunt inter se aptari, vt inter eorum angulos nihil sit vacui, sed planam superficiem constituunt. Nam sex anguli in triangulo æquilatero, & quatuor in quadrato, & tres in hexagono æquilatero & æquangulo æquales sunt quatuor rectis, quantum nimirum est spatium circa punctum quodlibet in plano. Proprietas hæc non conuenit aliis figuris planis æquilateris & æquangulis. Tria aut quatuor pentagona locũ replere nõ possunt, quod ostẽdit clare Clauius in lib. 4. Geomet. Eucl. p. 193.

LOCVTIO.

Locutio { Proprie, Exterior, vt cum λόγος est προφορικὸς.
Improprie Interior, interna sermocinatio.

Vterque λόγος est hominum.

Verbũ { Intus latens. Itaque mentale, conceptum, immanens, Qualitas mentis, in ea genita, similis est rei, cuius est expressiua. Esto igitur tanquam proles mẽtis, quæ est eius & subiectum & efficiens.
Transiens, foris signans, prolatum, externum, signum verbi intus latentis. Est igitur tanquam proles prolis.

Loquens

Loquens vnuſquiſque vel affirmat vel negat: qui affirmat, quædam ligat in vnum (id eſt) connectit, qui negat vnum ab altero ſeparat. Marſil. Ficin. in Phil. Plat. Hic loqui ponitur pro enunciare.

Auguſtinus lib. 15. de trinitate, cap. 9.

Si verbum non ſonat in corde, dicit vtique, quæ cogitat; Quicquid cogitatur, verbum mentis eſt.

Idem Auguſt. Formata cognitio eius rei, quam ſcimus verbum eſt, quod in corde dicimus, quod neque Græcum eſt, neque Latinum, nec Lingua alterius aliena. Auguſtin. in lib. 85. In nomine Verbi nō ſolum ſignificatur reſpectus ad patrem, ſed ad illa, quæ per Verbū facta ſunt, operatur potentia. Hic loquitur Auguſt. de verbo immanente hypoſtatico & æterno. Io. Trithem. in com. in proleg. R. B. Nonnulli in labiis habent veritatem, & in corde non habent; tanquam ſi aliquis doloſe oſtendat viam ſciens, in ea eſſe latrones, & dicat, ſi hac ieris, eris tutus à latronibus, & contingat, vt vere ibi non inueniantur latrones, verum ille locutus eſt, ſed non in corde ſuo. Aliud enim putabat, & NESCIENS verum dixit.

Locutio aut eſt propria, aut impropria.

Propria eſt vocis per linguam explanatio. Ariſt. de hiſtoria animalium, & Boetius articulatam vocant.

Ad Locutionem propriam 3. concurrunt.

1. Simplex conceptio. 2. Ordo ad prolationem eius, quod concepimus. 3. Ad inſtrumenta corporea, quibus formetur vox, vt deferatur ad audientis aures. Impropria conuenit Angelis qui creduntur non tantum intuitione, per præſentiam, ſed etiam quaſi nutibus & ſignis, (tanquam ſpeciebus intelligibilibus ad innoteſcendum alteri ordinatis) ſibi loqui ſine prolato ſermone. Vide Albertum Magnum in cœl. Hierarch.

Dico quaſi nutibus, quia non ſunt nutus corporei.

Locutio eſt vel vulgi, vel ſapientum, è Scal. ex. 6. ſect. 2.

Locutio eſt accurata vel craſſior. Illa ſæpe dicitur Philoſophica: hæc παχυτέρα. Exempli cauſa: Craſſius (παχυλῶς) aliqui dicunt: Vulnus eſt dilacerata pars in corpore, cum accurate loquendo fit dilaceratio partis, ſimilis rimæ in olla rimoſa. Sic vitium actionis in Caino eſt ipſa vitioſa & aberrās actio, dicitur παχυμερέστερον, cum proprie ſit vitiū & aberratio actionis; peccatum originis eſt praua hominis natura, dicitur pingui ſeu rudiore Minerua, pro, eſt prauitas vel vitioſitas naturę hominis. *De priuatione enim vel malo ſubiectum propria attributione nō prædicatur ſubiectū* συνωνύμως. Nō recte de deſtructione figuræ domus collapſæ prædicantur Rudera, cum collapſa domo deſtructio ſeu confuſio prioris figuræ ſit priuatio domus: Rudera vero ſint ſubiectum reliquum. Ita ſomniauit Illyricus, ruinam factam eſſe hominis eſſentiæ, corruptā eſſe ἀσυνωδῶς hominis optimam formam, ita vt remanſerint prioris ædificii rudera tantum ſeu ἐρείπια, ideoque dixit proprie dici peccatum originis eſſe ſubſtantiam hominis corruptam & mutatam, & mutationem hanc comparauit cum mutatione argenti in ſcorias; vuarum in labruſcas, vini in aquam. *Canon.*

Locutionis Auerroi lib. 1. Rhetorici tract. 2. cap. 2. duæ ſunt ſpecies: Communis ſermo & nutus. Propria igitur aliquando vox locutio eſt, interdum tropo modificata.

Thomæ Aquinati Locutionis elementa ſunt literę, non ſyllabæ, in primo Phyſ. lect. 1. text. 1.

Improprie & per ἀνθρωποπάθειαν quidem Angelis, vt incorporeis entibus,

locutio tribuitur. Eorum enim locutio non habet λόγον προφορικὸν. Hoc scilicet incorporeis spiritibus nihil est opus. Hi scilicet sine oratione (externa) cogitationes suas & voluntates suas, νοήματα & βουλεύματα sua communicant.

Locutio oratoris dicitur *Oratio* καὶ ἐξοχὴν.

Locutio
- Ex toto aufertur
  - ἀφωνία, cum vox ex toto amittitur.
  - ἀναυδία seu κώφωσις mutitas, cum salua voce sermo amittitur.
- Difficulter fit μογιλαλία, loquendi impedimentum.
- Deprauate fit, Balbuties,
  - Titubantia seu hæsitantia Linguę, cũ non potest statim oratio proferri. Itaq; repetitur prima vel alia aliqua syllaba cum labore. ψελλότης, blęsitas, cum aliqua syllaba omittitur, eo quod totum verbum exprimi nequeat, vel cum ob torturam orationis verba male torquentur & flectuntur.
  - Τραυλότης, cum R. mutatur in L. vel C. in T. Vide H. Mercurialem lib. 6. de morbis puerorum c. 6.

LOQVI.

Loqui est formare seu producere Verbum cogitati seu cogniti expressiuum. Ergo Dicere
- πρὸς ἑαυτὸν, ad se; Cum tibi ipsi quæ cogitas vel nosti manifesta facis, gignendo in mente notitiam, simillimam rei cognitæ.
- Ad alterum, πρὸς ἕτερον, cum alteri signo exteriori exprimis seu declaras manifestumq; facis, quod mente concepisti.

Loqui quod in solum venit, pro temere, vel fortuito loqui.

Loqui quod in solum, vt dicitur, venit, prouerbiale est pro eo, quod est loqui quicquid occurrit, quicquid casus fert. Cicero de Natura Deorum: Quodcunque in solum venit, vt dicitur effingis atque efficis, id est temere & arbitratu plane tuo. Varro Romanorum humaniſſimus, apud Nonium. Quoniam omnia non memini, quod in solum mihi venerit ponam, **was mir für kompt.**

LOQVACITAS.

Loquacitas est resoluta loquendi sine ratione intemperantia, Speusipp. in defin. Platon.

LOGICVM.

Logicum 1. est vere seu proprie, vt Homo est ποίημα θεῖον λογικὸν καὶ εἰκόνα ἡμέτερον ἐκ κλίσαντος ἄυτε: Sic Basilius describit hominem.

2. Quasi seu ἀναλόγως, vt cum bestiis à veteribus Philosophis, Aristot. & Anaxagora, & Democrito tribuitur λογισμὸς, vel non prorsus dicuntur ἄλογα.

Logicum vere dicitur, vel à Ratione, vel ab oratione, item actu primo, vel secundo.

Vſus.

Vtilis & neceſſaria eſt hæc explicatio. Quæritur enim de hoc, an νοῦς & λόγος ſit in brutis, & ſi ſit, quomodo? Vtrum ab oratione, an à ratione appelletur animal λογικὸν & ἄλογον, de quo exſtat Plutarchi diſputatio. Eſſe non prorſus ἄλογα animalia omnia, homine excepto, non tantum ex mirificis horum actionibus & operibus iudicatur, ſed etiã ex eo, quod cõmunicare inter ſe animi ſui cogitationes & voluntatẽ poſſe exiſtimentur, ſono vocis & geſtibus. Vbi autẽ eſt Διάνοια, ibi & λογικὸν eſſe oportet. Sed ſimile potius Rationis eſſe in his videtur aliquid, quam Ratio: aut ſi aliqua ratio eſt in beſtiis, ea ab hominis ratione ſeparanda eſt longiſſime. Hominis enim λογικὸν, eſt imaginis Diuinæ.

Sic ἄλογον (brutum) eſt proprie, vel analogice: actu primo non habendo λόγον, vel ſecundo non vtendo τῷ λόγῳ: ἁπλῶς vel κατὰ τὶ.

infinita ſunt, abſtrahit, hoc eſt, ſecretione ſubmouet ab eſſentia.

LONGITVDO.

Longitudo in Grammatica ſyllabæ eſt: In Geometria Lineæ, in Geographia loci eſt. Eſtque ſegmentum æquatoris inter meridianum alicuius loci, & meridianum extremarum inſularum Occidentalium interceptum, cui opponitur latitudo, ſegmentum eiuſdem meridiani circuli inter verticem loci & æquatorem interceptum. Nominis ratio eſt, quia in cœlo Planetæ longius ab occaſu verſus ortum progrediuntur, quam ad alterutrum mũdi latus digrediantur. In terra autem habitationes ſe magis & vlterius ab occaſu Ortum verſus extendunt, quam hinc inde ad terræ latera & polos. Longitudo cognitæ terræ eſt grad. 340. Latitudo terræ Septentrionalis 71. grad.

LONGAON.

Vſus.

Quęritur an ſit brutum aliquod loquens? Reſpond. MENTE capti, & qui naſcuntur Fatui locutionis vſum non amittunt. Hi igitur ſunt BRVTVM LOQVENS (κατὰ τὶ.)

LOGICVM etiam interdũ idem, quod à mente fabricatum, quaſi vel mente conceptum, vt Logicum Ens, id eſt, Rationis Ens: MENTALE Barbari vocant: vt oratio mentalis, id eſt, mente concepta, ὁ ἔσω λόγος, Mentalis ſeu Logica abſtractio, ſecretio, ſubmotio, eſt, cum quid concipimus mente abiunctum ab omnibus conditionibus reſtringentibus.

Abſtrahere mente (Barbari dicunt mentaliter) eſt vnum apprehendere ſine alio, cum quo eſt coniunctum. Sic mens accidentia, quæ materiæ cauſa

Barbara vox eſt, pro inteſtino recto, quod nonnullis intortum gyris in os ſacrum recta ad podicem deuoluitur: Cuius inferior pars à muſculis in orbem circumfuſis, Sphyncter, id eſt conſtrictor dicta, (qua prohibetur ne ante iuſſum rationis & voluntatis imperium excrementa prolabantur) in anum terminatur.

LVCTA.

Lucta Phyſica eſt 1. pugna elementorum vel qualitatum elementarium inter ſe: vt ignis cum aqua, quæ nihil aliud eſt, quam mutuus conatus vtriuſque ad corrumpendum alterum, & mutua reſiſtentia vtriuſq; alteri, Ignis poſt aliquam pugnam, quæ prouenit à reſiſtentia aquæ patientis, inducit a-

liquem gradum caloris, deinde perſeuerante pugna & ſuperante igne reſiſtentiam aquæ inducit alium gradum caloris, reiiciendo plus frigoris contrarii, donec totum frigus repulerit & totum calorem induxerit. Secundo eſt Pugna naturæ & morbi.

Lucta politica eſt genus certamin is Græci, quo alius alium in terram proſternere nititur. Græce πάλη.

Plato 7. de Leg. Duo Gymnaſticæ artis ſunt genera, Saltatio & Lucta.

Lucta Ethica eſt in CONTINENTIA, & Tolerantia. In continente enim & tolerante pugna eſt inter affectus & rationem rectam, ſed hæc præualet, (vt cõtra in Temperante & forti pugna ſenſuum & rationis ſedata eſt, at in incontinentia ſuccumbit ratio.) Continentia enim eſt proba affectio ſequens rectum rationem, qua homo abſtinet ſe voluptatibus, repugnante cupiditate, ſeu appetitu cupiendi. Tolerantia vero eſt affectio proba rationem rectam ſequens, qua homo perfert dolores, repugnante, iraſcendi appetitu.

In Theologia celebratur huius gemina lucta. Spiritualis militis Chriſtiani inter carnem & Spiritum, inter legem membrorum & legem mentis, de qua Paulus ad Rom. 7.

L V X.

Græcum φάος ſeu φῶς complectitur & lucem & lumen.

Lux accipitur interdum generaliter, vt complectatur etiam lumen, quod eſt participatio lucis effecta in diaphano; vt cum ait Antonius Rampegolus de Ianua in dictionario pauperum c. 63.

Lux eſt, quę illuminat omnia, ſine qua nec bene miniſtratur in domo, nec bene ambulatur in via, nec bene fit negotiatio in foro: & paulo poſt, Triplex eſt lux in mundo quæ mundum illuminat vniuerſum, quædam infundens & non infuſa, vt in ſole, quædam infundens, & infuſa, vt in luna quædam nõ infundens, ſed infuſa, vt in aere. Deinde accipitur Specialiter vt differens à lumine Barthol. Anglicus de proprietatibus mundi cap. 42. Lumen differt à luce ſicut ſpecies à genere. Omne enim lumẽ lux eſt, ſed non è conuerſo omnis lux eſt lumen. Nam lumen eſt defluxus quidam à luce in aere alioue diaphano corpore receptus & vndiq; circumfuſus, ſeu eſt irradiario defluens à ſubſtantia lucis, eſtq; triplex: directum, reflexum, fractum. Directum eſt, quod non repellitur, ſed tranſit libere, cum non inueniat obiectum aliquo modo inobediens. Reflexum eſt quod receptum à ſpeculo, & aliis politicis corporibus reiicitur. Fractum, quod prropter diuerſitatem medii non tenet rectum inceſſum, ſed ab eo deflectit, ſeu obliquat motum ſuum.

Lux vero eſt ipſa fundalis Subſtãtia cui lumen immittitur corporeũ. (Etſi Ariſt. corpus eſſe neget: Et Damaſcenus dicat propriam ὑπόστασιν, id eſt, ſubſtantiam non habere) Auguſtinus ſuper geneſin ad literam. Lux eſt Subſtantia corporea ſumme ſimplex in generatione corporum: ſumme multiplex in efficacia: Summe mobilis & abſolutæ penetrationis, & minimæ reſiſtentiæ, ſumme diſparia & contraria generans, ac concilians, ſumme conuertibilis, omnis naturalis motionis principium & origo, ſumme perfecta: ſumme iucunda, ſumme communicabilis. (cæterum, ſi lumen eſt corpus, difficile intellectu eſt, quomodo

lu-

lumen sit in aere, vel cum aliquo corpore diaphano, vt in crystallo, cũ duo corpora simul non possint esse in eodem loco: non est tamen inconueniens, lumen simul esse cum aliquo corpore, lumen esse substantiam corpoream. Videmus enim aquam & cinerem pariter iungi & misceri, Salua vtriusque corporeitate & localitate, vtriusque partes intra corporis superficiem continente, quantumcunque enim simul commisceantur cinis & aqua: permanet tamen aqua in sua corporeitate, per partium suarum cohærentiam ac continuitatem, & cinis item in sua, nec propter istam vnionem vel commixtionem simul sunt duo corpora in vno loco, sed aqua habet suum locum proprium, & cinis suum. Sic lumen potest esse in aere, vel in quocunque alio corpore, salua vtriusque corporeitate & suarum partium substantialium continuitate, vnde & Lux subintrans ad interiora aeris vel crystalli habet suum locum ipsius superficiem ambientem, & à substantia adiuncti sibi corporis distinguentem, quamuis non possit propter simplicitatem suæ substantiæ recte percipi, seu videri in re. Imo quod mirabilius, est multa lumina concurrentia sunt intermixta, & tamen vnita coniunguntur salua cuiuslibet substantiali forma, qua ab alio differt. Sicut docet Dionys. in libr. de diuinis nominibus, cuius hæc sunt verba: Lumina lampadum, cum sint in domo vna, tota inuicem totis communia, diligentem tamen habent à se inuicem discretionem: Vnita discretione & vnitate discreta. Videmus enim multis ad vnum lumen accensis lampadibus, iuxta omnium lumina vnam claritatem, & indiscrete relucentem, nec poterit quis, vt arbitror, alicuius eorum, ab aliis ex aere continente: cætera dum simul sunt ibi sequestrare, aut alterum sine altero cernere, totis inconfuse inuicem contemperatis; subducta autem vna proprium etiam lumen recedit nihil secum cæterorum luminum auferens, aut de suo aliquid eis relinquens. 3. accipiuntur lux & lumen Metaphorice, vt cum dicit Antonius Ramdegol. Ordinis Sancti Augustini. Triplex lux est spiritualis infundens, & non infusa: vt in Deo, quædam infundens & infusa, vt in Doctoribus: quædam non infundens, sed infusa, vt in simplicibus hominibus.

LVCIDVM.

Lucidum est, quod lucem vel lumen habet. Lumen proprie participatio est seu effectus lucis in diaphano.

Lucidorum triplex gradus est Thomæ Aquinati de sensu & sensili, libro 6. cap. 7.

Primus est, cum id, quod lucis *κεντρικὸν* est, ita est repletum luce, quasi perfecte in actum redactum, vt nullum corpus aliud. Hic conuenit Soli. *Summe lucidum.*

Secundus est eorum corporum, quæ per se non sunt lucida actu, sed luminis susceptiua per totum, quæ sunt perspicua seu diaphana.

Tertius est terræ, quæ non est nata in se recipere lumen; sed tantum in superficie seu *ὑπιπολαίως*. Nam *ὑπιπόλαια* Græcis sunt speciatim, quæ sunt in summa terræ, vel aquæ extremitate: generatim quæ extant, quę eminent.

Axioma M. Ficini in Epist.

Lucidum omne à summe lucido Sole efficitur & seruatur.

Lucida, quæ habent lumen spissatũ Albertus M. vocat calcata, vt ignis & stellæ sunt.

LVCIDIÆ.

Alberto Magno Lucidiæ sunt aues pennas habentes noctilucas, iis porrectis vias demonstrantes.

LVMINARE.

Luminare est corpus quod in se vt formã habet lucem, vt Sol, Luna, Stellæ. Estque magnum vel minus. Lux dicitur forma luminis in luminari. Lumen quod receptum est in alio corpore illuminato. Splendor est diuaricatio luminis super corpus politum & tersum, Albert. Magn. in 2. de anima tract. 3. cap. 2.

Idem: Luminare dicitur quod in profundo sui, recipit, & continet lumen secundum plenam sui capacitatem. In Ethic.

Luminosum est luminis plenum vel lumine præditum.
- Simplex
  - Cœleste
  - Igneum
- Compositum, Marsilius Ficinus.

Lumen, inquit Zabarella, accipi potest duobus modis, vel enim vt communiter amplectitur tam lucem, quam lumen, hoc est, vt est visibile, seu vt Quod seu vt quo vel solum, vt visibile, vt quo & ratio visibilitatis à colore distincta priori modo est lumen necessarium in visione & Medio & colori, quia color non potest mouere perspicuũ, nisi luceat vel luce propria, vel lumine accepto ab alio, vt quando lumen Solis in pariete receptum fit visibile & vt quod & vt quo, cum & ipsum per se visum moueat, & faciat, vt color moueat. Secundo autẽ modo acceptum lumẽ sole medio necessarium est. Tale namq; lumen, quod non sit visibile nisi vt quo, non datur nisi in solo perspicuo interminato.

LITERA M.

MAGIA.

MAGIÆ nomen amphibolon est. Accipitur primo generaliter : Deinde specialiter. Generaliter & in bonã & in malam partem. Specialiter in alterutram, magis tamen in malam.

Distinctiones & Explicationes.

1. Magia
   - Naturalis, licita. Naturalis Philosophorum consummatio seu perfectio.
   - Superstitiosa, præstigiosa & Diabolica, Infamis, immundorum spirituum incantationibus concinnata.
   - Hæc dicitur etiam à nonnullis Theurgia & γοήτεια.

Magia naturalis est secretior Philosophia & Diabolica, docens facere opera admirabilia interuenientibus virtutibus naturalibus per applicationem earum ad se inuicem & patientia naturalia. De hac accipe hoc Ioh. Pici in Apol. Mirabilia artis Magiæ non sunt nisi per vnionem & actuationem, (id est, formationem & perfectionem) eorum, quæ formaliter & separatim sunt in natura.

Sic qui apud Ægyptios fuerunt sacerdotes, apud Indos Gymnosophistæ, apud Græcos Philosophi vel sapientes, apud Gallos Druydes, apud Hebræos Prophetæ, ij apud Persas fuerunt Magi. Picus in Apol.

Itaque Magia sæpe per synecdochen accipitur. Est doctrina seu cognitio Practica, seu potius σοφία, scientia naturalis appropriate seu peculiari & appropriato nomine magia, id est, sapientia sæpe dicitur, vt Roma vrbs κατ' ἐξοχήν. Huic opposita est magia illa, quæ dicitur Necromantiæ, quę fit per pacta & fœdera cum Dæmonibus. De vtraque Magia, Picus in Apol. sic Magi illi, (qui venerunt ab Oriente in Iudæam, de quibus Euangelica historia) non erant Necromantici & cum Dæmonibus confœderati, qui hostem dæmonum imo Dominum; & de iis paulo post triumphaturum venerunt adoratum, sed erant sapientes viri, cœlestium rerum & terrenarum scientiam edocti, qui ipsissimam Patris Sapientiam in humano corpore factam visibilem coluerunt & venerati sunt. Vide Epist. ad Paulin. Hieron.

Iohan. Baptista Porta Neapolit. de Natural. lib. 1. c. 1. hæc habet: Magia naturalis abditis scatet mysteriis, ac delitescentium rerum contemplationem, qualitatem, proprietatem, ac totius naturæ cognitionem elargitur, docetque rerum adminiculo & earum mutua & opportuna applicatione opera efficere, quæ vulgus putat miracula, omnem admirationem humanumque captum excedentia. Opera naturalis Magiæ sunt naturę opera : Ars

autem illius minis̃tra est, ac naturæ sedulò famulatur. Vnde Plotinus Magnũ naturæ minis̃trum non artificem vocat. Visitur hæc Magia in Astrologicis, Opticis, Catoptricis Chymicis, Medicis rebus. Exempla pete è Porta l.4.

Breuis typus differentiarum Magiæ.

2. Imò generalior hæc sequens distinctio. Magia est Naturalis, vel Non-naturalis. Naturalis est naturæ secretis miranda operans vel producens, quorum causæ vulgo sunt incognitæ & abstrusæ. Estque vel Δραστικὴ (operatrix) vel Μαντικὴ (Diuinatrix) Coniunctæ hæ quoq; sunt interdum. Talis Magiæ docti fuerunt Abrahami ex concubinis posteri, Brachmanes dicti. Vid. Theatrum vitæ Zuinger. vol.3.lib.4.

Magiæ Naturalis exempla exhibuerunt rudi populo, qui primo succino paleas, magnete ferrum attraxere, teste Plinio l.3. Hist. Nat.

Non-Naturalis est supra naturam. Estque Reuelationis Dei, Bonarumve mentium; vel malarum seu Cacodæmonum: Illa Pia, hæc Impia: Illa Diuina, hæc Dæmoniaca: Illa fuit in Prophetis & Doctoribus Ecclesiasticis; hæc est in impiis Magis.

Hi sunt vel *Malefici*, *vel Benefici*, *Malefici* mala faciunt, vel sola ipsorum imaginatione, vel reipsa. *Sola imaginatione* nempe cum nihil mali reipsa faciunt: attamen à Dæmone ita vis φαντασικὴ illorum conturbatur & peruertitur, vt se mala quæuis patrare sibi persuadeant, adeoque in tormentis constanter id asseuerant, quod Experientia docuit in Lamiis & Strigibus seu sagis. *Reipsa* vero, cum variis malis homines afficiunt, vel *solis characteribus & carminibus*, permittente id DEO, sine pharmaco: Atque hæc species dicitur γοήτεια ἀπὸ τῶν γόων, id est, à funeralibus seu Exsequialibus carminibus, quibus ad sepulcra mortuorum vtuntur, vel in genere à tristi murmure & querulis vocibus: *Vel cum pharmacis.* Atque hæc species dicitur φαρμακεία, Latine Veneficium: Et quæ hac vtitur, dicitur Pharmaceutria. *Benefici* benigne conuersantur cum Spiritu παρέδρῳ seu familiari, & quibusdam τελεταῖς, id est, consecrationibus eũ susc̃ipiunt. Hanc speciem non erubescunt vocare θεουργίαν.

3. Specialiter accipitur Magia in malam partem, vt nunc à multis fit. Quo pertinet quod Theodor. Zuinger. air: Magię vocabulum, vt & Sophisticæ (sic & Mathematicorum) honorificum olim fuit, cum summam sapientiæ humanæ perfectionem significaret. Postea vero improborum hominum cupiditatibus plane odiosum esse cœpit, qui non contenti bonorum Angelorum commercio, malos voluptatum insuper suarum ministros esse voluerunt, & hac ratione pro illis Cacodæmones ductores & παρέδρους sortiti, relicto summo bono fonte Deo. His sacra sæpe facere non erubuerũt. Hodie etiam Veneficorum nomen detestabile est, cum olim φαρμακεῖς, μάντεις & Venefici appellarentur Medici Asclepiadæi. Vide Caspar. Peucer. de diuinat. Iohan. Weier. de præstig. dæmonum, & Cœlium l.9.c.23. antiquarum lectionum.

Ad non-Naturalem Magiam pertinet etiam Magia Metaphysica illa secretior, quæ agit de separatis substantiis. Non desunt, inquit Fonseca, qui putent verisimile esse libros quatuordecim, qui de Secretiore, parte diuinæ Sapientiæ secundum Ægyptios inscripti sunt, & ex Græco in Arabicum sermonem primo conuersi tempore Leonis X. in Bibliotheca Damascena inuenti referuntur, Aristoteli esse adscribendos. Sed hæc Cabalæ etiam pars quædam statui potest.

MA-

MAGIS & MINVS.

1. Magis & Minus comparationem significant inter ea, quæ sunt eiusdem speciei, vt inter duo alba. Itaque participatio eiusdem secundum magis & minus non variat speciem. Scholastici dicunt Diuersificat. Hic Canon Scholasticorum restringendus est. *Magis & minus, quod oritur ex vigore vel debilitate eiusdem naturæ, non diuersificant speciem*, vt hic homo est magis contemplatiuus, quam ille, & tamen vterq; homo est (sub genere Animalis.) *Sed cum oritur ex diuersis naturis, diuersificant speciem, vel genus*, vt intellectus est magis cognoscens, quam sensus, & differunt tamen essentialiter, cum non sint ex eadem causa.

Distinctio interdum fit alicuius secundū magis & minus, vel κατὰ μεῖζον καὶ ἧττον, vel κατὰ πλέον καὶ ἧττον, Cui opponitur κατὰ γένος. Distinctio Fidei in Firmā & Languidam non est κατὰ γένος, sed κατὰ πλέον καὶ ἧττον. Personalis Vnio Deitatis τῦ λόγυ cū Carne in Christo differt ab inhabitatione DEI in Sanctis non κατὰ πλέον, sed κατὰ γένος. Qui contra κατὰ πλέον volunt, illi dicunt discrimen Inhabitationis DEI in sanctis ab inhabitatione in carne assumpta in eo consistere, quod Sanctis distribuat dona sua dimensa, Carni autem Christi ὐ κατὰ μέτρον, id est, immensa.

Vsus.

Quidam docuerunt Animam iungi corpori, vt motor iungitur mobili: Animam esse ἐντελέχειαν, & formam hominis, vt nauta est forma nauis, nō dans ei τὸ εἶναι, id est, vt sit nauis, sed tantum actum nauigandi. Hoc si verum est, non minus falso dicetur, Homo intelligentia præditus, quam nauis dici potest homo, cum gubernatur ab homine. Adde quod istud commentum abolet differentiam specificam, qua Homo à bestiis distinguitur. Nam φαντασικὴ (Imaginatiua) cuius has partes esse volunt Auerrois sequaces, etiam in brutis reperitur, ideoque non est hominis propria. Sed obiiciunt οἱ ἀντισκιατιζόμενοι, Phantasiam hominis perfectiorem esse quam bruti. Respondeo: Vanum esse hoc κρησφύγετον, quia τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον speciem non variant, etsi cum non operetur anima rationalis, nisi operante phantasia, recte dicatur fieri intellectio, vbi fit imaginatio. D. Tilenus Disp. de homine.

Magis & Minus prædicantur de speciebus Analogis, vt substantia est magis Ens, Accidens minus, seu substantia Entis primaria species est, Accidens secundaria. Lipp. in Circul. 1. Phil. Essentia substantiæ dici potest substanteitas, qua substantia est id quod est, nempe pet & in se subsistentia. Materia ex qua est, qua substantia, magis est, Forma per quam est, qua substātia, minus est principium materiale est ἧττον φύσις, minus natura, Formale μᾶλλον φύσις. Genus significat seu denotat essentiam & quidditatem rei incomplete & minus: Differentia etiam incomplete, sed magis.

2. Magis & Minus ampla significatione idem possunt quod Intendi & Remitti. Zabar. l. de Mist. c. 7.

Magis & minus dupliciter accipiuntur: Vno modo secundum diuersum modum seu gradum participationis vnius & eiusdem formæ, vt album dicitur magis clarum, quam minus album. Secundo modo dicitur magis & minus secundum gradus diuersarum formarum, vt album dicitur magis clarum, quam viride aut rubrum.

Primo modo Magis & minus nõ faciunt diuerſam ſpeciem: Secundo vero modo faciunt, id eſt, Remiſſio conſtituit medium, quod ſpecie differt ab vtroq; extremo.

Recipere magis & minus Subiectũ dicitur, in quo forma paulatim fit intẽſior, vel remiſſior, maior vel minor. Qualitas recipit magis & minꝰ per ſe ratione exiſtentiæ in hoc vel illo ſubiecto ita atq; ita diſpoſito; Id eſt, qualia qualib. magis & minꝰ ſunt qualia, vt iuſtus eſt iuſto iuſtior. Proprietas hæc valet tantum in concreto, non in abſtracto. Actio & paſſio recipiunt contrarietatem & magis & minus per ſuas qualitates.

Differentia conſtituens nec eſt intenſibilis, nec remiſſibilis.

Nec Subſtantia, nec Quantitas, nec Qualitas recipit magis & minus; Quia eſſentia rei non recipit magis & minus, id eſt, eſt indiuidua, eſt conſtituta in ἀτόμῳ, (indiuiſibili) Limitatione opus eſt huic effato, Nec Subſtantia, Nec Quantitas, ſcilicet vna & eadem, ſeu q̃ eſt eiuſdẽ ordinis, vt Abrahamus ſe ipſo non fuit magis homo neq; iuuenis neq; ſenex, non fuit etiã magis homo quam Iſaacus Filius, homo de vno ſingulari non magis dicitur quã de alio, neque hoc tempore magis, quam illo. Interim prima Subſtantia, vt Abrahamus magis ſubſtantia eſt quam ſecunda, vt Homo. Linea vna non eſt magis linea altera; numerus vnus non eſt magis numerus altero. Interim linea videtur eſſe magis Quantitas quã oratio, vt quæ non ſit ipſa longitudo, vt linea, Eruditio vel iuſtitia, hæc non eſt magis eruditio aut iuſtitia quam illa, etſi maior eſſe poſſit. Sic morbus maior quidem fit & minor, ſed magis & minus non recipit, id eſt, non intẽditur aut remittitur cum variatione ſpeciẽi: Etſi ægrotus iam magis, iam minus ægrotet. Qualitas enim intendi & remitti põt abſq; mutatione ſeu variatione ſpeciei; Qualitatum gradus ſunt manente eadem ſpecie, Aer quandoq; eſt magis, quandoq; minus calidus, & tamen tam intenſior, quam remiſſior calor vocatur calor aerius, & eſt eiuſdem ſpeciei. Sed ita qualitas gradus recipit, vt ſit in latitudine quadam certis quibuſdam terminis concluſa.



MAGISTER.

Magiſter dicitur qui alicui præeſt, cui rei alicuius præcipua magiſue quam alii incumbit cura; vt Magiſter Salis, nauis, fabrum, Sympoſii, cenſus, pagorum, curiæ, ſocietatis, Scriniorum, officiorum, memoriæ, epiſtolarum, ceremoniarum, equitum, Græce Hipparchus, populi, qui alias Dictator conſiliorum, magiſter eſt conſiliorum moderator, qui Plinio Secundo eſt Conſiliator.

Ab hac voce eſt Magiſtro Verbum antiquatum (pro moderor.)

Alcia-

Alciatus igitur sentit Magistri nomine, vt Generico contineri Baccalaureos, Licentiatos (qui μελλοδιδάσκαλοι) Doctores. Sane Magistri legum appellantur in Proœmio Pandectarum, qui hodie Doctores nuncupantur.

In Specie ἐξαιρέτως seu κατ' ἐξοχὴν Synecdoch.

Magister est artium Humanitatis, qui creatur in Academiis, quem Barbari vocant Humanistam.

Transit hæc vox à Personis ad res, vt: Motus fuit pene omnis nostræ magister (als ein Lehrmeister) cognitionis in Physicis. Etymol. huius vocis à magis & ter quo in censu habes? In nullo.

Ab hac voce est Magisterium, Magisteria potestas, dignitas, Militare Magisterium in Doctrina Polit. & apud Chymicos Magisterium, quo res exaltatur & præstantiot fit; vt Magisterium qualitatis (occultæ vel manifestæ) Magisterium essentiæ, Magisterium coloris, odoris, saporis, soni, fixorum volatilium seu volaticorum.

MAGNIFICATIO
sine augmento.

Scaligero in lib. 2. de Plant. Magnificatio sine augmento est, *cum Quantitas* Substantialis manet eadem, *localis non eadem*. Ita igitur res maior fit κατάτι, id est, non quidem Physica, sed Mathematica mutatione. Exemplum potest capi à manu & spongia. Dilatatio hæc quædam est, non augmentum illud, non auctio illa, quæ signato nomine crementum dicitur. Ac locus ibi mutatur, sed non totus. Sic Scalig. lib. 1. de Plant. Non enim compressa (manu) spongia si dimissa dilatetur crescet. Maiorem quidem illa occupat locum diffuso ambitu exteriore, at id quod recipitur intro, neque pars eius est, puta aer, aut aqua, neque cum partes non sint eæ, queunt vniri. Vnum fortasse Mathematicum est; Vnum Naturale non est.

An aqua & spongia sint vnum?

Quantitas { Substantialis. / Localis.

Magnitudo
- Extensiua, secundum quam aliquid est extensum & mensurabile; Quantitas Molis dicitur
  - Simplex, quæ vna Dimensione cõstat
    - Longitudo, secundum quam aliquid est longum.
    - Latitudo, secundum quam aliquid est latum.
    - Profunditas seu altitudo.
  - Composita
    - Superficies magnitudo ex longitudine & latitudine.
    - Corpus ex longitudine, latitudine & profunditate. Dicitur Trina Dimensio & moles.
- Absoluta, qua aliquid dicitur magnum in se,
- Intensiua, secundum quam aliquid in se recipit gradus perfectionis. Dicitur Quantitas perfectionis; Gradualis, Virtualis.
- Comparata, qua aliquid dicitur magnum comparatione ad aliud
  - Magnitudo, paruitas.
  - Longitudo, Breuitas.
  - Latitudo vel amplitudo, Angustia.
  - Altitudo, Humilitas.

MALITIA, κακία.

1. Malitia in prima Philosophia est defectus Bonitatis, à quo Ens denominatur Malum.

Malitia
- Vera
  - Absoluta
    - *Naturalis.*
    - *Moralis seu Ethica,*
      - *Habitualis*, quæ est habitus vitiosus.
      - *Actualis*, consistens in actione.
    - *Artificialis.*
  - Respectiua (σχετική)
    - Turpitudo, τὸ αἰσχρὸν.
    - Inutilitas, τὸ ἀξύμφορον, incommodatio.
    - Iniucunditas, molestia, τὸ λυπηρόν.
- Apparens (φαινομένη) qua id videtur malum, quod reuera bonum est.

Abso-

Absoluta] qua res in se mala est. Respect.] qua ens alteri seu respectu ad aliud vere malum est.

Naturalis] Discrepantia rei à regula creationis vel naturę Generantis. Huc pertinet Monstrum.

Moralis] Discrepantia rei à lege.

Artificialis] Discrepantia à norma seu regula artis.

2. Specialiter in Ethicis Malitia significat Calliditatem, versutam & fallacē nocendi rationem. Cic. 2. de Nat. Deor. Actio de dolo malo est cuerriculum omnium malitiarum. Idem alibi. Malitiam figura corporis clamitare videtur, id est, calliditatem. Malitia in nonnullis puellis supplet ætatem, id est, dolus & impius affectus. Iurisconſ. Danæus. Hinc Malitiosus pro versuto, versipelli. Malitia igitur hic non est improbitas, sed certi vitii nomen. Cic. Tusc. q. 4. Deseri à consiliis malitiæ est non satis callidum esse ad cogitandum & fingendum. in orat. pro Cluent.

Malum est defectus boni eius, quod ex natura sua enti alicui conuenire debet. Iacob. Mazon. l. 1. comparat. Phil. Plat. & Arist.

Malum παρὰ τὰ πράγματα, vt loquitur Aristoteles, id est, separatum à rebus nullum est. Non vt est αὐτοαγαθὸν, ita quoque est αὐτοκακὸν, id est, non vt bonum est se ipso, sic quoque malum subsistit se ipso. Itaque Bonitas quidem naturalis potest diuidi in Essentialem, quæ inseparabilis est, & Accidentalem, quæ est separabilis, At non malitia.

Malum est τὸ δὲ ἐν τῷ ὄντι, Id est, Malum fundatur in bono, hoc est, in Ente Essentialiter Bono.

Malus Scholasticis est vel ex actu proprio, vel ex radice. Abbreuiator Scoti dist. 31. & 32. q. 2.

Malum est malum absolute, vel maiori ex parte, vel Malū est vel in se seu simpliciter, vel alteri. Illud à sola priuatione Malum dici potest, (Hoc sensu Scholastici statuunt Malum formaliter & præcise in sola priuatione consistere) Hoc vero nō constit in mera priuatione, sed etiam in forma Positiua, quæ non conuenit alicui subiecto. Sicut contra Bonum sub ratione conuenientis alteri nihil aliud dicit, quam perfectionem vnius rei conditione, qua ipsi debetur seu congruit talis perfectio. (Morbus non consistit in sola priuatione, sed in habituali qualitate lædente subiectum.) *Malitia positiua.*

Tres sunt mali differentiæ, iuxta triplex Bonum, quo priuat. Quoddam enim Bonum est vt forma seu habitus, quod omnino per suum oppositum tollitur, vt lumen per tenebras. Aliud est Bonum vt Subiectum, quod per malum nec tollitur, nec minuitur, vt Substantia aeris, quæ non minuitur per tenebras. Tertium est Bonum vt habilitas subiecti ad actum, quod per malum diminuitur, sed non omnino aufertur. Nam huiusmodi Diminutio solum intelligitur per ἄνεσιν, id est, remissionē in qualitatibus, quibus materia præparatur ad actum.

Ex quibus elicitur duplicem esse priuationem, ex qua malum oritur. Quædam enim est pura & simplex, quæ cōsistit quasi in corrupto Esse, vt Mors, quæ est vitæ priuatio, & Tenebræ, quæ Lucis. Hæc nō recipit magis & minus, quia nihil reliquum est de habitu opposito. Altera est, quæ non est simpliciter priuatio, quia aliquid retinet de bono opposito, & magis consistit in eo, quod est corrūpi, quam in eo, quod corruptum esse. Talis est morbus. Thom. Aq. 1. part. & L. Mercat. lib. 3. de morb. In Lexico enim Mesæpe alienæ mercis institorem esse vt necesse est, sic etiam profiteor.

MALIGNVS, MALIGNITAS.

In Ethicis Malignitas est 1. Inuidia. Valerius Maxim. Nulla tam modesta felicitas est, quæ malignitatis dentes vitare possit, id est, inuidiæ.

2. Est tenacitas, parcitas indecora, difficultas. Liuius Malignitas conferendi ex priuato. Sic Malignus est parum memor in referenda gratia, est parcus indecore; minus liberalis, & opponitur liberali & benigno ratione εὐδείας, Laudatores malignos dicimus, qui intra modum & frigide laudant, adeo vt præ inuidia ex mẽtis laudibus aliquid detrahere videantur. Hic vtraq; dictarũ modo significationum concurrere videtur. Talibus laudatoribus opponuntur Effusi in laudando ratione ὑπερβολῆς. Malignus ager dicitur, qui parum liberaliter refundit, & ita ingratum quodammodo se prębet cultori.

3. Est prauitas, vt malignitas animi κακοθυμία, prauus animus, maleuolentia. Sic malignus qui prauo animo est κακόθυμος, malitiosus. Sic Malignitas aeris, malignitas putredinis pestilentis, à Physicis dicitur pro noxia prauitate eorum. Malignitas κακοήθεια Galeno, in morbo dicit conditionũ, quæ cuiuis morbo addita ipsum reddit pernitiosum & cacoethicũ (mali moris) non tamen mutata morbi specie neq; nomine euariato. Accidens igitur quoddam est morbi. Non omnis morbi malignitas sua natura cõtagiosa est aut pestilens. Morbus malignus est morbus periculosus, & difficilis curatu, sed non desperatus, spem salutis non adimẽs: est qui omnibus recte factis, manet tamen qui cũ primis qualitatibus plurimũ mutatis occultũ, & ex tertiis qualitatibus aliquid habet: vt febres quædã: Generant eum humores prauæ cõditionis, vlcera tendonum, neruorũ & arteriarũ, vteri, ani: humores, qui diutius obsederunt partẽ, succi putrefacti, contagiosa rei alicuius conditio, calor innatus omni ex parte vitiatus. Vide Galen. 1. crisi. c. 16. & Mercatum de morb. lib. 3. part. 1. pag. 128.

Morbo maligno, qui Græcis κακοήθης νόσος, opponitur mitis, benignus, nõ contumax seu pertinax. Malignũ ẽt interdum pro virulento ponitur per Synecdochen. Virus enim malignum est Στομακαλία seu στομακάκη (malũ in ore consistẽs) Scorbutus alias, est morbus quo dentes excidũt, gargareon & fauces malignis, id est virulentis vlceribus tabescunt. In Iurisconsultorum doctrina Malignus interdum est, qui Iuris sui paulo est retentior seu tenacior seu seruantior. Connanus. Sicut benignus cõtra, qui de iure suo aliquid vel multum remittit, qui ἐυπαράλλακτος fere εὐπειθὴς est vel facilis: Malignantis naturæ aliquid esse Opicum, quod nõ imitaberis. Eodem censu mihi est Ecclesia, quæ dicitur, malignantium.

MANDVCARE.

Manducare à Physicis accipitur dupliciter. Interdum generaliter idem est, quod edere: siue hoc fiat mandendo, (quod Barbaris est masticando) simul & traiiciendo in Oesophagum, siue posteriore hac ratione tantum, vt buccam manducare, ein Bissen Brods essen. Interdum idem est quod mandere, hoc est, dentibus conficere, extenuare & mollire cibum, κάμνειν. Metaphorica significatio nota est, vt manducare Biblia, Manducare carnẽ Christi (quæ manducatio insensibilis est, vera tamen) Ioh. 6.

Quod ad primam significationem attinet, quæritur de Manducationis quiditate seu οὐσίᾳ.

Manducantes, verbi causa, Panẽ, immittunt cum ori, dentibus frangunt & atterunt, qua fractione & attritione fit vt par-

vt partes eius ante continuæ postea distent actuque disiunctæ sint, ac panis diuisus, demittunt per guttur in ventriculum, concoquunt, consumunt, in substantiam conuertunt corporis & digerunt. Sed ingrediunturne hæc omnia propriam Definitionem Manducationis? Respondet Gabr. Biel cum præceptore suo M. Eggelingo Braunswicensi, Vera manducatio cibi est eius sumptio in os, & traiectio in stomachum. De ratione autem huius Manducationis nec est (*a*) mansio, id est, fractio & diuisio cibi, quia multa quę comeduntur, integra glutiuntur, nec coctio nec conuersio in substantiam sum entis digestioque, quia nonnulla, quæ manducantur, stomachus reiicit per vomitum, itaque nec coquuntur, nec digeruntur, vt Christus vere comedit post Resurrectionem, sed nihil concoxit, nihil in Substantiam aliti corporis conuertit. Hæc vera sunt. Itaque ego pronuncio Rationem Manducationis proprie nõ consistere *In cibi per os in stomachum traiectione.*

Vsus.

Ex his Gab. Biel concludit contra Nicol. Pap. Vere quidem & realiter corpus Christi sumi in os, & transmitti ad stomachum: hoc enim non est manducari: sed in Sacramento seu signo tantum fieri fractionem & partitionem seu diuisionem, vt quæ non sunt de Manducationis seu comestionis ratione. Fractio, inquit, & partitio non fit in Substantia corporis Christi, quia incorruptibile est. Et: Discipuli nequaquam corpus Christi dentibus diuiserunt aut fregerunt, licet manducarint vere, sed ex iisdem, qui hic à Scholastico D. dissident, sic inferunt: Non est de veræ oralis manducationis ratione, quod editur, dentibus frangere, seu atterere, sed vere deglutire, per os & guttur traiicere in stomachũ (in mẽbra recipere.) Cum igitur corpus Christi per modum cibi organis oris & gutturis vere non traiiciatur in stomachũ, in interiora viscera nõ recipiatur, vere ore manducari dici non potest.

Quod in semetipso ore editur, sensualiter editur, seu id edi sensu percipitur. Corpus Domini non editur αἰσθητῶς. Ergo in semetipso non editur ore, sed in Sacramento, id est, externo signo. Augustinus enim τὸ semetipso τῷ Sacramento opponit.

Considerantur Manducationis
- Antecedentia
  - Labiis tangi, in os inseri.
  - Dentibus premi seu atteri.
- Actio seu forma ipsa. Deglutitio, **einschlingen**, receptio in viscera.
- Consequentia
  - Coctio.
  - Conuersio in nutrimentum.

Hæc via & series naturalis est.

Nota etiam vere Manducare accipi 1. Pro re ipsa. 2. Pro indubitanter. 3. Pro perfecte, pro efficaciter manducare, hoc est, refici cibo.

Quærit G. Biel, An Angelus manducet vere?

R. Non conuenit hoc ei, neque secundum naturam propriam, neque in

assumpto corpore. Manducare enim, præsertim absolute efficaciterque est actio corporis organici & animæ θρεπτικῆς (vegetatricis,) quam Angelus exercere nequit.

Manducatio completa est, quando cibus descendit in stomachum. At Angelus assumptione verum stomachum non habet. Anima enim informatus non est.

Vtilis est accuratæ definitionis Corporalis & Physicæ manducationis cognitio, ad cognitionem accuratæ definitionis spiritualis manducationis, de qua inter doctores aliqua δυσφωνία esse videtur: Aliis vnionem cum Christo, inque Christo mansionem statuentibus comestionis spiritualis carnis Christi consequens, adeoque inter comestionem & vnionem mansionemque tanquam inter causam & effectum distinguentibus: Aliis vero vnionem illam ac mansionem partem comestionis esse docentibus; Aliis denique esum hunc (πνευματικὸν) per vnionem mansionemque seu habitationem duntaxat definientibus. In summa quærentibus, quid sit Christi carnem edere, respondent alii, vt Hul. Zwinglius, & Piscator, Iohan. 6. credere aliquem carnem Christi pro se crucifixum iri, vel crucifixam esse: Sic sanguinem bibere, credere sanguinem Christi pro se effusum iri vel esse. Alii duntaxat vniri Christo inque hoc ipso manere, vt Augustinus, Ioh. Caluinus: Alii denique & credere in Christum crucifixum; & Christo vniri ac in eo manere, vt Zachar. Vrsinus: Imo nonnulli hic variant, vt Martin. Lutherus. Nam is edere spiritualiter exponit per credere in crucifixum & mortuum Christum, Tomo 5. Ienensi Germanico & tom. 2. Wittenberg. Germanico in epist. ad Alb. Marchionem Brandeburgicum, In Postill. Eccles. in Euang. fest. corpor. Christi, in epist. Dominica septuagesima. Sed idem explicat esse, Christo per fidem incorporari eiusque passionibus communicare Tomo 1. Ienens. Lat. in expositione Ps. 4. fol. 34. mentionem faciens 6. cap. Ioh. Quid hic dicemus? Analogum certe oportet esse esum spirituale esui corporali, qui esus est & intelligitur, vel formaliter, vel efficaciter, seu cum ἐνεργείᾳ, vt naturaliter seu corporaliter edere, formaliter est gula complecti cibũ, efficaciter vero est refici nutrimẽto: Ita spiritualiter edere formaliter est animo fideli complecti carnem Christi crucifixam: efficaciter vero edere est refici carne Christi, eique per spiritum vniri, ac in ea manere; Sic homo viuit formaliter τῷ ἔχειν. i. e. habẽdo, & efficaciter τῷ ἐνεργεῖν, i. e. operando, & facultates habituſque exercendo, vt τῷ αἰσθάνεσθαι sentiendo, se mouendo, appetendo, intelligendo, τῷ θεωρεῖν speculando, τῷ πράττειν agendo, τῷ ποιεῖν faciendo. Scholastici dicunt formaliter, actu primo: Efficaciter actu secundo: Formaliter est imperfecte quodammodo, efficaciter perfectius: Sicut perfecta virtus in Ethic. dicitur ea, quę habitum immobilem acquisiuit, & in actum prodit, ac operatur: Imperfecta, quæ est mutabilis & otiosa, Th. Zuing. in l. 1. Ethic. Arist. c. 11. Schol.

Manduco sæpe idem est, quod mando, hoc est, dentibus conficio, quod Barbaris est mastico à Græco μασάομαι vel μασάζομαι, Cicero dentibus manditur, extenuatur & mollitur cibus, Sueton. duas bucceas manducare zween Bissen Brodts.

Præmãdere est ante, vel pro aliquo mandere, qui non potest vorkäwen infanti præmansum in os inseritur.

MANVCODIATA.

In Ornithographia ex Indicis Apodibus est Manucodiata auis viridi colore Gansvogel. Eius descriptionem pro-

prolixam vide apud Scalig. in exercit. 228. sectio. 2. ne texere historiam videamur.

2. In Cosmographia seu Astronomia Manucodiata est sidus meridionale, non procul situm à polo arctico seu Septentrionali.

Breuis explicatio primæ significationis.

Sub Æquatore sunt Moluccæ insulæ aromatum prouentu vberrimo celebres. In his inuenitur Manucodiata seu auis Paradisi magnitudine exæquans picam. Hæc victitate aere creditur. Nos eam ex puro aere Spiritum ducere non dicimus, cum is propter suam tenuitatem ad alimoniam sit ineptus. Quocirca Cardanus rore eam ali arbitratur. Vid. Ænigm. D. Iohan. Pincieri.

MANVS.

Manus primum accipitur proprie, Deinde improprie. Nam Physicis manus significat Tum totum in tres partes distinctum Brachium seu humerum, cubitum & extremam manum: Tum partem hanc vltimam, quæ absolute manus dici consueuit, nempe quæ vbi cubitus desinit iniens ad extremum vsque digitorum protenditur. Ac duas rursus habet distinctas partes. Earum prima est καρπὸς Brachiale; Secunda παλάμη palma, cuius pars est μετακάρπιον postbrachiale. Carpus octo ossiculis duplici dispositis ordine & cartilaginum ac ligamentorum interuentu arctissime connexis coarticulatur cubito. Palma est reliquum omne à brachiali seu carpo ad finem vsque explicatæ manus. Postbrachiale seu μετακάρπιον est palmæ ea pars, quæ quinque ossibus brachiali coagmentata ad radicis digitorum vsque pertingit & cui prima digitorum internodia committuntur.

Translatè Logica χεὶρ, id est, manus Philosophiæ dicitur: & Manus pro experientia per manum, vt organon nonnunquam accipitur. Sic quidam interpretantur illud Anaxagoræ: Manus est causa Sapientiæ.

A MANV
pulcræ formulæ.

Mala, quæ ante oculos interque manus sunt, id est, imminentia.

Interim quod in manibus est, hoc ipsum agamus. P. Manut. de Legib. Rom. Für der Hand.

Breui manu hoc faciam, Græc. ἐν χειρὸς, id est, strictim.

Facere aliquid sub manu, Suetonii est, pro prompte & expedite, ὑπὸ χειρόν.

Sermo, qui habetur ad manum, vsurpandus est, id est, familiaris & vsitatus, consueto & vsitato dicendi genere vtendum est, ἀνὰ χεῖρα λόσις, qui in prõptu est sermo, sit Epistolicus, id est, Epistola dicitur consuetudinem fere quotidiani sermonis imitari. Nam si, quod inter longe remotos nequaquã vox & lingua præstare non potest, id bono literarum consequimur, vt iis de rebus, quæ vel nostra, vel amicorum interfint, communicemus: profecto nihil aliud quam imago quædam sermonis videtur epistola. Ald. Manut. Paul. F.

In manus sumere & in manũ sumere aliquid est aggredi. Cicer. Aliquid in manu, in manibus habere, ἐν χερσὶ & μὴ χεῖρας ἔχειν est tenere, tractare, versare aliquid, vt librum, fabulam, spem, nuptias.

Hæc congessi vt ad manum venerunt, ἐπὸ τὴν χεῖρα, id est, fortuito, vt vnumquodque se obtulit. Additur & forte: Hæc congessi vt forte ad manum venerunt.

Aliquem in manibus habere amoris est, Einen auff den Händen tragen / aliquem amplexari, Cicer. in Epistol.

ad Lent. in Verr. ad Attic. Græce δίχα χειρὸς ἔχειν.

In manu & tutela aliquem habere defensionis est, Beschützen.

Id oculis & manu teneo, Ich sehe vnnd greiffe es/ hanc vrbem Dei inuicta manu sartam tectam ab omni periculo conseruari.

Iniicere in aliquem manum, Plautinum est, ἐμβάλλειν χεῖρα.

Ei ius est in manibus, χειρόδικης est, id est, violentus, Er hat das Faustrecht.

Manibus æquis abscedere Taciti est, id est, sine vi, sine pulsatione.

Communes per manus traditum est, quod communi omnium sententia seu opinione receptum est.

In manum viri conuenire Ciceroni in Topic. est vxorem esse in mancipio viri.

De manu in manum tradere prouerbial. locut. apud Cic.

Tollere manus modo est suo suffragio (quod fiebat extensione) comprobare, modo precari, modo admirari, modo gaudere, vel gaudium sublatione manus testari. Cicer. 7. l. epist. Sustulimus manus.

Porrigere manum, διδόναι τὴν χεῖρα est cõsentire vel suffragari (χειροτονεῖν) vel data sublatave manu se victum fateri, vel auxiliari.

Exempla habes in Orat. pro Flacco, & in Aureliano Vopisci.

Dare manum puero est opitulari puero apud Quint. Porrigere alicui dextram apud Cic. vt symbolum fidei ac pattocinii seu tutelæ.

Pedibus manibusque in sententiam ire.

Dare manus veritati, nachgeben.

Tendere dextram, Græcia tendit dextram Italiæ, suumque ei præsidium pollicetur. Cic.

Tendere dextram etiam hortantis est. Imperator dexteram tendens milites hortabatur. Cic.

Tangere dextram. Virg. *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni*; Hic signum attribuitur signato.

Manibus | pugnare, id est, cominus, für die Faust/ non eminus, consertis manibus rem gerere.

Irruere in Philosophiam, *illotis manibus*, vt dicitur, id est, *male præparatos*.

Iniicere manum in alicuius bona vel in aliquem, In Verbott legen/ zuschlagen die Güter oder Person/ Arrestiren oder verbieten lassen. Barb. dicunt Arrestum pro iniectione manus cum impedimento vel vi coniuncta.

Terere manum labore est attenuare. Atteruisse manus legitur in Tib. Vitiose. Non enim dicitur atterui, sed etiam attriui. Tu leges: Attenuasse manus.

MASCVLINVM.

Masculinum accipitur Proprie & Translate.

Proprie Masculinum est, quod ex suo semine in alio suæ speciei generat individuum.

Maris enim ratio est, vt in alio suæ speciei ex proprio semine generet conceptum formando. Vid. Arist. de Generat. animal. 1. c. 2. & Albert. Magn. de anim. l. 5.

Abstractum eius est masculinitas, cuius varias causas exponit Alexander Alens. in 10. Metaph.

In Doctrina de Plantis & Thematum Genethliacorum Iudiciis accipitur improprie, cum stirpes quædam dicũtur masculinæ, quædam fœmininæ, cum dicuntur Planetarum alii masculini, alii fœminini, alii promiscui.

Masculinos Planetas vocant, qui plus caloris habent, quam humiditatis, vt ♄ ♃ ♂ ☉. Fœmininos, in quibus humiditas excedit seu dominatum tenet ♀ & ☽. Promiscui generis dicitur esse ☿. Is enim cum masculino masculinus est, cum fœminino fœminus.

In

In Plantas similitei proprie sexus non cadit. Calidior igitur vel efficacior natura in plantis vocatur masculus, imbecillior effectu fœmina. Plinio Masculæ vites dicuntur, l. 17. c. 32. quæ non subiguntur, vt palmites alios emittant, sed sinuntur in altum crescere, sese extendere.

Corollarium.

Masculinitas igitur non est, nisi in animali vel iis, quæ animalis naturam imitantur, quod Scaliger sic dicit generalius, Sexus non nisi in animali, aut in iis, quæ animalis naturam imitantur, vt arbores.

In Grammaticis Nomen masculinum marem vel quasi marem notat. Eius signum seu nota est pronomen Hic. Neque enim Cæsar est generis masculini, quia ei pręponitur Hic, sed cognoscitur ita esse, quia ita præponitur: Præponitur autē quia est. Cognitio igitur hæc est à posteriori. Scalig. de C. l. l. l. 4. c. 79. Nec pluribus libet hic Grammaticari.

M A T E R I A.

Materia proprie (intellige materiam ex qua) est causa interna, ex qua Ens producitur: Quod inde dicitur Materiatum.

Analogice Materia est Genus Logicum, id est, Genus respondet Materiæ ἀναλόγως.

Materia etiam in qua, id est, subiectum, & circa quam, id est, Obiectum ὁμωνύμως, & improprie dicuntur Materia.

Materiæ proprie dictæ cum maxime pati sit, materia & potentia passiua sæpe vsurpantur pro eodem vulgariter, quia materia per potentiam passiuam à posteriori innotuit: sicut forma per actum.

Sed Philosophice differunt vt Principiū & affectio. Lipp. & Zabar. Itaq; proprie dicitur, Materia habet potentiam passiuam: vt forma actum.

Scholastici diuidunt in Metaphysicam & Physicam, vt cum quærunt, an Accidens habeat materiam? Respond. 1. Habet materiam externam (intelligētes subiectum) non internam.

2. Non habet materiam ex qua Physicā, sed Metaphysicam. Est enim accidentis causa externa seu essentia quædam. Essentia autem ἧτον est materia. Essentia μᾶλλον est forma.

M A T E R I A Signata.

Materia Signata est materia sub certis Dimensionibus, Materia proprij indiuidui (dicit in recto materiam, in obliquo Quantitatem) materia capax huius quantitatis vni appropriata determinatave ab agente particulari. Proportio igitur potentiæ ad proprium actum.

Huic materiæ primo repugnat Communicabilitas, & conuenit communicabilitas seu communicari pluribus per modum, quo communicatur vniuersale particulari, superius inferiori. Caietan. in 2. Thom. de Ente. Hæc materia à Thoma constituitur interdū indiuiduationis principium, quo primo natura specifica redditur incommunicabilis. Opponitur ei non signata, quę ponitur à Thoma pars Essentiæ specificæ, & adhibetur in Definitione Vniuersalium. Et Materia quanta seu aggregata, ex materia & quantitate. Quidam tamen è Thomistis per Materiam Signatam aggregatam ex materia & quantitate intelligunt, teste Caietano.

M A T E R I A Propria.

Propria Materia est materia dispositа, id est, præparata & adepta potentiā particularem ad hanc formam, non ad aliā, aut alias. Alias Definita, vt propria hominis materia est semen humanum, non aliud, vt Caninum: Ædium materies ex qua non est quælibet, sed determinata ad apotelesma exstruendum.

Remotum pro disiuncto.

In Logicis ex materia remota constituta proportio dicitur, cum inter subiectum & prædicatum nulla affinitas, nulla cõnexio inuenitur, nec vnquam inueniri potest, vt homo est lapis, animal est color, lignum est febris. Hic disparata enuntiantur nullo inter se cognationis vinculo connnexa ; seu subiectum & prædicatum adeo inter se disiuncta & remota sunt, vt nunquam simul stare possint.

Ex Materia Necessaria composita dicitur propositio, quæ enuntiat ea, quæ nunquam aliter se habere possunt, vt cum in subiecti constitutione prædicatum, vel in prædicati constitutione subiectum inest. Huius igitur generis sunt per se primo & secundo modo: vt homo est animal.

Ex materia contingenti; in qua attributum subiecto tribuitur contingenter seu mutabiliter, & ex accidenti, vt Cretenses sunt mendaces.

MATERIALITER.

Materialiter vulgus dicit, quod Græcis est ὁρικῶς, vt 5. epist. l. 7. epistolar. Famil. Cic. quod citatur ex Epistola Cæsaris, ponitur ὁρικῶς.

Scaliger de caus. l. l. lib. 4. c. 930. vtitur hac compositione: Esse Pater, Contendebat hic aliquando domi meæ quidam legendum esse, Esse patrem, vt sphalma sit Typographicum. Sed repugnat quod paulo post eodem loci sequitur esse pars. Dico igitur esse pars & esse pater dicta esse materialiter. Adscribo locum. Apud Philosophos ita excogitatum est; Alia esse; Ad Aliquid; alia non esse, sed dici, vt hoc ipsum quod est, *Esse pater*, habet naturalem reciprocam coniunctionem cũ hoc *quod est esse Filius*; etiamsi nulla extet oratio, quæ hoc dicat: hoc autem quod est, *Esse caput*, non habet ex se ipso reciprocam coniunctionem cum corpore, sed ex eo, quod est, *Esse pars* ad totum. Itaque hoc dixere, Dici ad aliquid, non autem Esse. Hæc pertinent ad verbum Accipi.

In Physica Agere materialiter est in patiente materia aliud numero producere. Sic Calor agere dicitur materialiter, cum calefacit.

MATERIALITAS.

Scotus opponit Materialitatem Formalitati, vt per Materialitatem peccati intelligit Actum substratum, quem etiam dicit peccati Materiale, (in quo Formale peccati fundatur) per formalitatem corruptionem rectitudinis seu actus Difformitatem, vt ipse loquitur dist. 34. q. 2. Pro quo ego dico, Actus deformitatem.

MATERIALE,

Immateriale.

Materiale *Primum* accipitur à Philosophis pro eo, quod est, Constans ex materia, Materiam habens, petitum è materia; Alias materiatum. Id extra animam est. *Secundo* est, quod certo modo pendet à materia, vel quod de potentia materiæ extitit seu eductum est. *Tertio*, quod matetiæ analogum est vel vicinum. *Quarto*, quod ἐν ὕλῃ, seu est in materia ἔνυλον. *Quinto* est quod Materiam comitatur. Opponitur ei *Formale*.

Sexto, quod in iis, quæ Materiam sapiunt, occupatum est. *Septimo* impropriè satis pro Fundamento seu substrato.

Exempla.

1. Corpus in Categoria substantiæ est Ens materiale seu Materialis substantia, id est, materiata. Materiale agendo etiam patitur id est, quodcunque cum alio habet materiam primam communem agendo patitur. Scalig. interprete. ex. 344. s. 2.

2. In-

2. Intellectus dicitur esse Materialis, quia aliquo modo pendet à materia. Scalig. ex. 359. s. 14.

3. Intellectus materialis, qui & primus dicitur, non ob id materialis dicitur, quod subiectum quoddam sit vt materia sed vt materia hoc proprium habet, vt omnia suscipere possit: Ita & intellectus, qui nondum intelligit, intelligere tamen potest, materialis vocatur, qui actu nihil ex entibus existit, sed omnia fieri potest. Alex. Aphrod. in 2. de anim. c. 13. Est facultas (ex sententia eiusdem in 1. de anim. c. 20.) ad formas excipiendas tabellæ, cui nõdum inscriptum quicquam est, persimilis.

Scibile spiritale (quod in anima est) & Scientia idem sunt, non autem scibile materiale, quod extra animam est.

Est materialis, quia omnia patitur & aliunde perfectionem recipit. Simplic. 3. de an.

Materialis igitur est analogicè. Distinguitur autem à materia prima dupliciter, primo quia intellectus est in potentia ad omnes conceptus formarum vniuersalium materialium. At materia prima est in potentia ad omnes has formas sensibiles. Secundo quia intellectus materialis dignoscit, iudicat, distinguit phantasiæ formas, quas recipit. Sed materia prima nihil apprehendit, nihil cognoscit. Ratio est, quia materia formas diuersas singulares seu indiuiduas: Intellectus vero vniuersales recipit. Auer. 3. de an. contex. 4.

Exemplum Mens non est Materialis, Id est, non est è semine tradu&ta; vt animæ altrix & sensitrix, si intellectus esset materialis, id est, eductus de potentia & sinu materiæ, esset qualis, vt calidus, frigidus. *Omnis enim forma materialis* educta de potentia seu gremio materiæ) *qualitatibus corporeis afficitur, & temperamentum qualitatum sequitur*: At Intellectus non est qualis, nec frigidus, nec calidus est. Ergo non est eductus è potentia materiæ.

Exemplum 4. Si Intellectus esset materialis, id est, corpori mixtus seu commixtus, haberet organon, nec omnia intelligeret (Connexi probatio: quia ab excellenti intelligibili læderetur, nec perficeretur, vt contra sensus læditur ab excellenti sensili, non perficitur) At non consequens: Nec igitur antecedens. *Intellectus noster expers est passionis corrumpentis.*

Exempl. 5. Quantitas est accidens materiale substantiæ, id est, quod materiam comitatur: Qualitatis formale. Quicquid est Immateriale (ἄϋλον) id est materia vacat, materiam non habet, vt sunt νοητὰ (intelligibilia) non est diuisibile, sed partibus vacat. Alex. Aphr. in 11. 1. Phil. vel. 12. comm. 39.

Exempl. 6. Materiales Physici Scaligero sunt qui omnia ducunt à qualitatibus Elementorum cum Alexandro.

Exempl. 3. Materiale Gratiæ Viuificantis, Id est, subiectum δεκτικὸν est δύναμις Creaturæ Rationalis, Intelligentia & Voluntas, quæ mansit integra post lapsum, & in actum à DEO educitur, nec est lapidis aut arboris. Necesse enim est Gratiæ diuinæ substerni naturam idoneam, vt ὑποκείμενον eius.

Materiale peccati, id est, subiectum in quo, quod materiæ instar habet, sunt voluntas, ratio, affectus. Alii dicunt est ipse morbus. Formale est deformitas ipsa seu ἀταξία, obligatio ad pœnam seu reatus (quem quidam, vt Melanch. formale seu formam peccati dicunt) est effectum proprium adæquatum & ἀντίστροφον peccati. Hoc Effectum remittitur, Hic reatus tollitur cum recipitur persona, & peccatum non imputatur. Materiale peccati, id est, ipse morbus, ait Melanch. manen

Funda-

Exemp. 7. Fundamentum, ait Melanchth. vocatur materiale relationum, vt materiale seu fundamentum limitis est lapis, sæpe autem manent absoluta & materialia seu fundamẽta, extinctis relationibus: *Canon.* Vt Lapis potest relinqui in agro, etiamsi non amplius, vt antea fungatur limitis officio.

Cæterum ἀκριβολογοῦντες, inter Materiale seu subiectum Relationis & Fundamentum distinguunt, quia fundamẽtum proprie causa seu ratio est relationis, vt δύναμις & ἐνέργεια generandi paternitatis.

Definitiones Materiales sunt definitiones datæ per materiam seu sumptæ è materia, vt Formales datæ per formã seu sumptæ è forma. Definitio autem proprie est ex materiali & formali causa composita. Iohan. Grammat. 2. post. text. 8. *Exempl. 1.*

Obiectum vt à Scholasticis interdũ materia, sic & materiale improprie dicitur, vt obiectum seu Materia (circa quam) seu materiale peccati est, quod ἀτάκτως & deformiter apprehenditur mente vel sensu.

Obseruatio.

Potest aliquid habere & rationem Materialis & Efficientis: vt eadem Voluntas potest esse materia, id est, subiectum peccati & efficiens.

Potest:] Scilicet cum actio efficientis immanet, vertitur in se ipsam. Non potest cum efficientis actio transit in materiam externam.

Chymici distinguunt inter arcanum specificum & materiale, & intelligunt per materiale materiæ corporis vicinius.

Medicis alij morbi sunt materiales, alij immateriales. Materiales vt fiunt ab humoribus, ita ab iisdem fouentur & conseruantur, & tamdiu dicuntur materiales, quamdiu humores sibi habẽt adiunctos, qui si consortium humorũ à se abiiciunt, protenus immateriales efficiuntur. Exemplum Materialis Morbi est febris putrida. Fit enim humorum vitio. Itaque curari non potest, nisi humores prius correcti vel euacuati fuerint.

De materia plura non affero, ne fors audiam illud Ficini: *Omnia qui sequitur, nihil assequitur.*

MATHEMATICÆ Artes. MATHEMATA.

Mathemata accipiuntur tripliciter, primũ generaliter pro disciplinis, doctrinis, præceptionibus, vt ἀμελέτητος τῶν καλλίστων μαθημάτων apud Lucianum, optimarum & politioris humanitatis rudis, Prouerb. μαθήματα, μαθήματα, quæ nocent, docent. 2. Specialiter pro Geometria & Arithmetica, quia pueri ab hisce tanquam primis gradibus disciplinarũ auspicabantur. Apud Græcos enim & Latinos pueri simul cum materno lacte imbibebãt linguas proindeq; sexto etiam vel septimo anno Mathematis operam dare poterãt: Nos vero cũ prius linguas discere cogamur, Græcã simul & Latinã Grammaticã, loco Mathematum pueris præscribimus. 3. Non solũ pro Arithmetica & Geometr. sed etiã pro Astronomia, Optica, Musica, Mechanica, &c. accipitur, vt videre est in sequente tabula: è qua si obiicias collocata Mechanica in doctrinis Philosophicis, Philosophum fore Mechanicũ opificẽ; responderi potest, hoc non consequi: Philosophũ enim operas relinquere Mechanico opifici, nec, exempli causa, prensare & versare tenaci forcipe ferrum. Mechanicarũ vero rerũ seu operum, vt horologij & motus eius certi causas indagare, perspicere, contempla ri & eatenus Mechanicã ad eum attinere, Ideoq; Aristotelem problemata Mechanica scripsisse. Sũt igitur si tertia significatio spectetur Mathemata vel pura, vt Arith. & Geom. vel impura, seu mixta & φυσικώτερα, vt reliqua. Illa maxime abstractorum: Hæc concretorũ:

Ex-

Exempli causa: Geometria in quantitate continua per se abstractaq; versatur. Gæodesia vero, quæ seiungi soletà Geometria, ac à Ramo refertur ad Geometriam, res quantas metitur, quales sunt materialium rerum acerui, putei, agri: quod non assequitur rectis lineis intelligibilibus, vt Geometria, sed sensilibus.

Mathematum rationem habere dicimur tum cum præceptorum seu θεωρημάτων Mathematicorum causas animo & intelligentia comprehensas habemus. Lambin. in Scholiis in Ethic. 1. cap. 14.

Mathematicum sæpe ponitur pro soluto à materia, etsi non solum Mathematica, sed etiam transnaturalia sint à materia segregata ac libera: Physicoque & sensili opponitur.

Interdum sumitur pro imaginario, vt cœna Mathematica apud quendam è recentioribus Poetis.

Tabula artium, quæ communi nomine Mathematicæ dicuntur.



MAXIMÆ.

Maximæ ſunt communia Axiomata & Firmamenta, ſunt Generales Regulæ, ſummas earum rerum, quæ eodem ſe habent modo, complectentes. Sunt Breues comprehenſiones. Dicuntur & Definitiones. Aliis, vt Friderico Beurhuſio, Maximæ ſunt *artis documenta, præceptaq́ ipſa* vel *ſaltem eorum fructus & conſectaria* Præcepta, inquam ipſa, vt tum ipſæ Definitiones & diſtributiones, tum aliæ proprietatum regulæ, quibus exempla, cum opus eſt, tanquã ſuis proſyllogiſmis demonſtrantur. Sic communis Diſtributionis & Definitionis proprietas Maxima fuerit; In Definitione & diſtributione affectio reciprocationis eſt illic partiũ omniũ cũ toto, hic Definitionis cum definito. Idem Beurhuſius in Logicis Maximam vocat locum Communem (comparat. Logic. pag. 324.) Differentiam vero Maximæ locum. Locus Maxima ei eſt generalis Regula de vi argumentorũ. Locus Differentia Maximæ eſt ipſum argumenti nomen & locus, nempe cauſa, Effectus, & cætera, atq; ita cuiusque loci exemplum, hoc eſt, argumentum & terminus quilibet.

MEDICINA,

ἰατρεία, ἰατρικὴ.

1. Medicina aliquando accipitur pro ipſis Pharmacis medicantibus, pro remedio.
2. Interdum pro actione ſeu operatione Medica, vt cum dicitur, Medicina eſt *προσθαφαίρεσις*, ideſt, appoſitio eorum, quæ deſiderantur & ablatio eorum, quæ redundant.
3. Interdum pro facultate, vel ratione ſeu arte medendi, quæ Græcis eſt *ἰατρικὴ*, & *τεχνολογία νόσων*. Hinc Medicus Morborum artifex dicitur ab Ouidio. Sic *παραίνεσις* interdum eſt *συμβουλὴ* ſeu adhortatio ad virtutem: interdum eſt ratio, qua quis virtutem comparare poſſit, & via, qua ad virtutem ingrediendum ſit.
4. Medicinæ accipiuntur pro officina medicamẽtaria ſeu aromataria, quæ Græcis eſt *ἰατρεῖον*, Macrob. Apotheca Medici officina.

Medicinam, vt & Iuriſprudentiam facere eſt artem exercere.

Memorabile eſt hoc Platonicum 3. de Rep. ſeu Iuſto, *ἰατρεῖα* quanto ſimplicior, tanto melior & commodior. Medicus enim tantum debet eſſe *φύσεως ὑποδιάκονος* (naturæ miniſter.) Non addo plura, ne videar *ἐπιπολάζειν* conſectari.

MEDIOCRITAS.

Mediocritas eſt vel Symmetria (commenſuratio) quædam inter exceſſum & defectum, vel *μεσότης* quædam ex æquo ſtata ex extremis. ex. 248. Scal.

Eſtque Phyſica, vel Ethica. Phyſica eſt qua quid in mediam naturam tranſit. Sic in Miſtione eſt Mediocritas qualitatum Elementarium. Miſcibilia enim Ariſtoteli ſunt per mutuam inter ſe actionem & paſſionem ita alterata, vt refractis contrariarum qualitatum extremitatibus ſint omnes ad mediocritatem redactæ. Et miſtum eſt mediũ quoddam inter elementa tanquam extrema; & miſtum tanquam medium interimitur, verbi gratia, ab igni vt extremo. In Phyſicis Calor in mediocrẽ & in recedentem à mediocritate dicitur.

Ethica Mediocritas eſt quaſi *μεσικὴ εὐρυθμία*, qua vitium cauetur. De hac Platonicum hoc Medium in vitæ ratione rectiſſimum.

Mediocre in Aſtrologia vocant Medium inter bonum & malum, ſeu inter beneficum & maleficum, inter fortunatum & infortunatũ. Sic planetæ quidam dicuntur Mediocres, id eſt, mediũ. Vide Barbaram vocem *Infortuna*.

ME-

MEDITATIO pro exercitatione & tractatione ab insolentia vindicatur.

Meditari non tantum est, vt vulgus putat, attente cogitare & commentari, vt qui causam acturus est, secum ipse meditetur necesse est: Sed etiam interdum accipitur ab Oratoribus, Historicis, Politicis, Poetis, pro eo, quod est Exercere, vel exercitatione prædiscere, vt loquitur etiam Cicero. Sic Meditatio modo cogitatio, modo exercitatio & vsus (Græce μελέτη vel μελέτημα) est.

Cicer. de Cl.

Nullum patior esse diem, quin aut in foro dicam, aut mediter extra forum.

In Tuscul. Tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet.

Veget. c. 9. l. 1.

Primis meditationum auspiciis tyrones militarem edocendi sunt gradũ, Græci vocant progymnasmata: quasi proexercitamenta.

Ca. 19.

Nihil est quod non assidua meditatio facillimum reddat, id est, tractatio.

Et cap. 24. l. 2. Miles Sacramento lectus ab exercitiis armorũ, & præsertim cum antiqua sit prudensque sententia, omnes artes in meditatione consistere.

Et 17. Hæc assidua meditatione faciebant, scilicet vt sine tumultu prælij, sine mora ascenderẽt, qui tam studiose exercebantur in pace. Virg.

Syluestrem tenui Musam meditaris auena,
id est, exerces fistula carmina.

Val. Max. c. 3. l 1.

Armorum tractandorum meditatio à Pub. Rutilio consule militibus est tradita, id est, præexercitatio.

Arnob. l. 1. loquens de inuentis artib.

Cum processu temporum paulatim meditationes conflatæ.

Itaq; hic versus 1. Georg.

Et varias vsus meditando extunderet artes,
& ad animi cogitationem, & exercitationem referri potest.

Cæterum, quod ἐν προθήκῃ μάρει sit tibi, Meditatio, quæ cogitatio est, etiam quædam exercitatio est, nempe mentis seu animi.

MEDIVM.

Medij vox varie accipitur. Primum Medium est quiddam conflatum ex extremis.

2. Medium est, quod interiacet inter extrema, quæ ad illud habent respectũ, quæ coniungit vel disiungit (δεσμὸς ξυναγωγὸς extremorum) vt copula seu vinculum in Logica propositione: vel cuius interuentu aliquid agit, vel patitur, vel id per quod hoc illi inest, vt per animal homini tribuitur sentire, seu cuius interuentu aliquid alicui tribuitur. Id autem cuius medium est, cum eo aut coniunctum, aut ab eo disiunctum, est ei præsens, aut absens ab eo, vt pillulas inuolutas oblata deuoro, hic oblata sunt medium coniunctum & præsens. Traditione clauis transfero ad alium Domum: hic à medio est disiuncta domus. Sic Theologi dicunt ore accipi Corpus Domini, non per se, sed in Pane, vt medio visibiliter, & sensibiliter, & hoc alias dicunt edere corpus sacramentaliter, non insensibiliter. Opponitur enim medio τὸ per se.

Ex Iohanne Gandauensi in quæst. de cœlo & mundo.

Medium
- Magnitudinis, quod æqualiter distat ab extremo magnitudinis. Tale est medium Mundi, quia distat æqualiter ab omni parte περιφερείας Mundi.
- Rei seu Influentiæ, quod æqualiter influit in omnes partes per influxus æquidistantiam; Vt cœlum, quia locus eius est medium influentiæ, quia influit virtutem & operationem in omnia pro capacitate naturæ cuiuslibet rei κατὰ ἴδιον ἢ πλέον.

Vsus.

Estne vmbilicus Medium magnitudinis, an rei? Resp. Est Magnitudinis, quia tantum distat à pedibus, quantum à capite. At cor est Mediũ rei, quia in omnes partes influit, prout exigit cuiuslibet membri ratio & natura; non Magnitudinis, quia plus vergit sursum, quam deorsum, plus ad sinistram, quã dextram, & ita inæqualiter distat ab extremis.

Medium inter extrema interdum sortitur nomen vtriusq; extremi. Hanc Commonefactionem exemplo declaro: Reatus seu offensa Medium quid inter culpam & pœnam accipit nomen vtriusq; extremi. Reatus igitur & offensa & macula aliquando dicuntur peccatum. A peccatis solui est liberari à pœna vel reatu pœnæ. Ita quoq; intelligunt hoc: peccata tua Eleemosynis redime: Ibi enim non significatur actus commissionis vel omissionis. Vid. Thom. in 2. Mag. sentent. & Picum in Apolog. quæst. 2.

2. Itaq; ex reatu durante denominatur aliquis peccatoriam cessante actu peccati. Idem ibid.

Medium
- Mathematicum, quod nihil extremorum est.
- Morale, cuius neque partem capiunt extrema, neq; partibus extrema capiuntur.
- Naturale, mobilium
  - A quo, vt Leuis.
  - Ad quod, vt grauis.
  - Circa quod, vt cœli.
- Eiusdem generis cum extremis, Tepidum.
- Perfectionis, quod gradibus designatur, vt inter cœlum & plantam animal statuitur esse medium, vel inter animal & lapidem media datur planta.

Mathematicum] quale punctum æque distans ab ambitu circularis lineæ.

Morale] Finitimum est Mathematico.

Me-

- Medium
  - Congruentiæ, δέοντος, sine quo potest quidem, sed nõ decet quid fieri: vel ratione cuius congrue extrema producuntur ad vnionem, vt mulier fit per nobilitatem Sponsa Regis.
  - Colligentiæ, vt glutinum.
  - Ex Abnegatione vtriusque extremi, vt Virtus.
  - Quod continet Extrema virtualiter, vt Spiritus corpus & animam.
  - Participatione formali vtriusque extremi, vt tepidum.
  - Per quod aliquid producitur, vt Creatura.
  - Necessitatis, sine quo omnino quid fieri nequit.
- Medium
  - Internum, vt Pars rei.
  - Externum, vt Dispositio aliqua.
- Medium
  - *Quod*. Anima est medium receptionis in vitam æternam. Non enim acceptaretur corpus ad vitam, nisi anima esset accepta.
  - *Quo*: Lumen Gloriæ est medium Deum videndi & eo fruendi. l. 3. dist. 2. q. 1. Gabr.

Medium, quod est cui prius vnitur & per illud alteri, vt per animam beatur corpus.

Medium, Quo est dispositio præparans ad aliquid, etsi ipsi non conueniat, vt Lumen Gloriæ est medium videndi DEVM.

- Medium inter Contraria
  - *Negatiuum*, per abnegationem extremorum, vt nec Præceptor nec Discipulus, medium inter præceptorem & discipulum. Nec videns, nec cæcus.
  - *Positiuum*, quod est forma Positiua,
    - *Formale*, per participationem extremorum, vt Tepiditas inter calorem & frigus media.
    - *Virtuale*, vt colores medii inter album & nigrum.
    - *Per recessum*, ab vtroque extremo, vt Virtus inter duo vitia.

Explic.

Negatiuum.] Hoc nullo modo constat ex extremis.

Formale.] Hoc vere constat ex extremis: Formale est, quod formaliter continet extrema refracta. Dici potest

medium per formalem mistionem contrariorum in gradibus remissis.

Virtuale.] Hoc quandatenus constat ex extremis. Hoc virtualiter continet seu participat extremum. Dici potest medium per virtualem continentiam seu participationem extremorum.

Medium inter habitum perfectum & priuationem perfectam, vt luscus, priuatus quodammodo visu dicitur mediũ Diminutionis.

Vtrumq; quod est, neutrum est; vtrumq; quod est per mistionem neutrum est, scil. solide. Scal. ex. 317. Dicitur & Mixtum, vt Falsigraphum compositũ è Latino & Græco, pro ψευδογράφῳ. Sic prauidoxum apud Scal.

Medium Nomen, Media vox.

Quod in vtramq; partem sumitur, modo in bonam, modo in malam, vt pharmacum, venenum. Alias Nomen Anceps, & quod in confinio virtutis vitiique est situm.

Parasiti (παράσιτε) nomen hodie medium non est, sed apud veteres erat σεμνὸν καὶ ἱερόν. Accipiebatur enim, teste Athenæo, de iis, qui epulis adhibebãtur Sacris (non erant ii κόλακες.) Nunc infame nomẽ est de eo, qui cibi causa aliis adulatur.

Baro interdum est stupidus, stolidus & bardus, à βάρος, id est, grauitas, pondus. Interdum est nobilis vir aliis opibus antecellens, quasi vir valde grauis & strenuus. Grauitas scil. etiã media vox est. Ita in Græca lingua τὸ στάσιμον (stabilitas, perseuerantia) est vbi laudi, est etiam vbi vitio vertitur.

Mediare pro interuenire, Medians, Mediator Philosophorum & Theologorum voces sunt, sic n. loquuntur. Hoc mediante pro interuentu huius. In cœna Analogum inter homonymum & synonymum mediat, pro medium est. Christus est mediator D. & H. Nullus dissidentium potest esse mediator quatenus offensam retinet implacabiliter. Apuleius etiam lib. 9. voce Mediator vsus est, sed Spigelius in lex. Iur. ait, Mediator & Mediare, quib. vtitur vulgus causidicorum, barbara esse vocabula. Interuentor & sequester Iurisconsultorum sunt, vtuntur etiam voce Intercessoris, pro deprecatore, quia Græce dicitur μεσίτης, vt intercessor sit inter duos velut medius quidam & sequester. Cuiacius.

Barb. in Arithmedica Mediare est per duo diuidere. Intercedere plures habet significatus quã Mediare. Nã generaliter significat interuenire vel interponi. At specialiter est contradicere, impedire, inhibere, & intercessio est oppositio. Intercedere legi, quod erat tribunorũ, est opponere se legi. Sic dicimus huic sententiæ intercedit Philosophus pro contradicit, & intercedere pro aliquo est fidem suam interponere, sponderi, obligari, & intercessio est, fideiussio intercessor est fideiussor, expromissor. Hæ significationes sunt politicæ hominum χαριέντων. Sebastianus Castelio Mediator Dei & hominũ in Theologia repudiat pro eo dicens elegãter Sequester Dei & hominum cum Tertulliano, sed ego Theolog. vocem Mediatoris de genere expressam non ademerim.

Naturam in seminali Spiritu nihil aliud esse ferunt Academici, quam animam vegetatiuam ab anima mundi mediãte calore solis & stellarum rationibus seminalib. dotata & illustrata, secũdũ quas ex Spermate pro idea vniuscuiusque speciei sobolem effingit & formar.

Certerũ causa est inter quã & morbũ nulla alia mediat, id est, causa media est.

MEDIATVM.

Mediatum dicitur, quod habet medium; vel non est alii, quod respicit, coniunctum.

Sic

Sic Mediata Causa dicitur, quæ non tangit effectum, vt ignis efficit calorem in aqua ἐμμέσως, nempe per lebetem calefactum. Sic Sol illustrat locum, in quem proiicit radios, & eum, qui à loco illustrato sine medio lumen accipit, quod secundarium vocant, aut vmbram, & insuper alium per hunc. Immediata contra, quæ effectum tangit, vt Aqua frigida infusa in stomachum infrigidat eum tangendo. Hac posita sine impedimento sequitur effectus.

Prædicata Mediata sunt, quæ mediate prædicantur de alio. Mediate, id est, propter aliud, vt Deus ambulauit in terra. Immediata contra, vt Deus est omnipotens.

Prædicata, quæ immediate prædicantur de natura humana, non possunt etiã prædicari de Verbo, vt sunt Assumi & Personari. Falsa enim hæc sunt: Verbum est assumptum, Verbum est Personatum. Sed prædicata immediata, quæ enuntiantur de hypostasi diuina seu Verbo, prædicari etiam mediate de Nomine possunt & eius concretis Idiomatibus; At non de Natura Humana. Itaque dico: Genitus ex Maria Virgine Homo est Deus, est Creator. Huius locutionis fundamentum est; Quia Filius Dei & Filius Mariæ idem numero est: Verbum vere & humana natura re differunt.

MELANCHOLIA.

Melancholia in bonam & malam partem accipitur. In bonam, vt cum dicitur, In hoc est Melancholia generosa. In malam, cum dicitur Melancholia est balneum Diaboli; & accipitur pro vitiosa melancholia & morbo insaniæ, orto ex atra bile corrupta, sicut μελαγχολᾶν, Græcis significat insanire.

Melancholicus succus
- Elementaris seu Primigenius, quem natura seu Crasis hepatis & venarum ab initio corpori conciliat.
- ὁπήτητος (acquisitus) ex alimento melancholico
  - Integer & temperatus.
  - Corruptus, in quo non est temperatus mediocrisve qualitatum commensus: Vitiatus; male temperatus: Humor παρὰ φύσιν.

Vsus Distinctionis & explicatio Tabulæ φυσικωτέρα.

Distinctionis huius vsus est magnus. Nam interdum melancholici seu atribilarii dicuntur Deliri: interdum Ingenioſi. Aristoteles quidem Melancholicos iudicat esse ingeniosos, quod siue iocatus, siue serio exagitare videtur Cicero ita, vt tardiorem se esse malit, quam ingeniosum, ne sit melancholicus. Apparet igitur Ciceronem in disputatione Aristotelicum nomen Melancholici interpretatum esse de eo, in quo hic humor vitiatus est, aut male temperatus, & Melancholiam de ea, quæ aduri iam & ita corrumpi incipit. Quæ δυσκρημοσύνη est. Istud enim cum fit, & corpus & animus male afficitur, tantum abest, vt tum ingenii motus excitentur præstantes. Ergo dices, Ingeniũ Aristoteles tribuit humori melancholico, qui è nutrimento existit bono? Respondeo, minime vero. Nam Philosophus ingenium & vita effectiones præstantes, neque eiusmelancholiæ tribuit, quæ ex alimento

melancholico gignitur, neq; ei, quæ nimis parum aut multum caloris accipit; sed ei, quam natura seu Temperamentum epatis & venarum coneiliat seu gignit. Hęc in vtero, cum fœtus materno sanguine alitur, primum fit: nam tum in epate χύμωσις fieri incipit, & cum epar & venæ sint membra σπερματικὰ, crasin suam ex sanguine, habent: Sed materia tamen sanguinis quod primum alimentum est hominis, qui in vtero est, qualitatem multũ etiam ad Chymorum temperamentũ facere necesse est. Sicut in adultis corporibus victus & educatio ad temperamẽtum horum confirmandum aut mutandum plurimum possunt. Idcoque, ex Platonis sententia, in Ingeniis prauitatis parentes potius, quam nati, & nutritii magis, quam alumni autores sunt existimandi. Pro constitutione autem corporum ingenia etiam temperari solent, quod & Galenus testatur. Sic igitur Aristoteles ex temperamento, seu συςάσει, id est, constitutione corporis, ingeniorum præstantiam deducit, eamq; esse melancholicam (id est, declanare ad melancholium) hoc etiam argumento ostendit, quod illorum ingeniosorum hominum corpora morbis ferme melancholicis corripi soleãt. Efficitur autem hæc præstantia secundum rationes ipsius, si incalescat mediocriter ille humor à calore naturali moderato. Cum enim sit hic χυμὸς σωματοδέςερος (corpulentior) quam reliqui, & frigidior ac siccior, calorem conceptum diuitissime rerinet, & cum in hunc agit moderatus calor, habitus ex hoc perpetuos adducit. Neque enim coquendo hunc absumere aut adurere, neque in alium chymum conuertere potest: vnde Chymum & κρᾶσιν melancholiæ πνευματικὴν esse scribit Aristoteles. Ita igitur si calor temperatus est, & melancholia, quæ est κατὰ φύσιν, id est, Chymus ater copiosior, tum pro huius natura continui halitus in corpore sunt, quos calor velut proruit & eruit, quo perficiuntur omnia. Qui halitus menti etiam aptiores sunt, quam phlegmatici seu aquei illi, aut tenuiores halitus, qui de reliquis Chymis effumant. Nam hi aut dissipantur, aut resoluuntur celerius, vt tanto cum vigore, tamq; continente, vel nunquam potius intermittente menti adesse illi nequeant. Itaque etiam huc referri posse existimatur, quod ille dixit: ξηρὰ ψυχὴ σοφωτάτη, Sicca anima est sapientissima.

Cum igitur temperata crasis semper ad aliam crasin tendat, propterea quod natura nunquam otiosa est, atque ita in Chymos etiam semper agit, plurmium tribuit Aristoteles, quod ad ingenia attinet, ei constitutioni, in qua nigri Chymi plus fit, vel quæ declinat ad melancholiam. Ad talis autem melancholiæ constitutionem requiritur ἰσοσυγκρασία, quam astrorum etiam virtus temperat, & quod temperatum quidem sit, sed ad frigiditatem potius declinet, quam ad calorem.

MEMORIA.

Memoria tribus modis sumi potest.

1 Pro actu memorandi seu actione recogitandi.

2. Pro facultate retinendi ea, quæ percepta sunt.

3. Pro doctrina seu habitudo bene memorandi, & ita accepta est pars Eloquentiæ.

Memoria duplex est, Altera Naturalis, vis nimirum quædam animantibus

tibus certis à natura tributa, qua præteritorũ recordantur: Altera Acquisita seu Artificiosa. De illa meminit Cicero, cum dixit, Virtutes quasdam nobis ingenerari, vt est docilitas & memoria, per quam animus repetit, quæ fuêre; (id est, præterita) & Plato, cum Memoriam & εὐμάθειαν, seu ὀξυμάθειαν, id est, discendi celeritatem naturæ tribuit, quæ ferè omnia vno ingenii nomine designantur, & has virtutes qui habent ingeniosi. De altera verò, cùm de Simonide loquens dixit, Quem primum ferunt artem memoriæ prodidisse. 2. de Orat.

Memoria non est idem quod Reminiscentia. Nam Reminiscentia propriè loquendo est eorum, quorum obliti sumus, quorum non statim recordamur, cum ea cogitare volumus, vt sunt illa, quorum species non statim occurrunt. Est igitur Reminiscentia quasi rediuiua memoria, seu memoriæ collapsæ innouatio. Memoria verò est earum rerum, quas prius cognoscimus, & nos cognouisse animaduertimus, quarum species sunt in promptu, & sine mora vlla vim memorandi excitant. Seu est Rei ante cognitæ, vt cognita est, repetita cognitio.

Ad actum Memoriæ requiritur, seu necessarium est, vt aliquid rei iam præteritæ, aut etiam corruptæ, in eo qui recordatur, remaneat. Id autem quod remanet, sunt similitudines seu species rerum iam perceptarum: quarum sedes sunt spiritus in cerebro residentes, in quibus illæ figuræ sunt impressæ, sicut picturæ in picta tabula, ac, vt nõnullis placet, in cerebri etiã substantia.

Naturalis Memoriæ perfectio consistit 1. in facili apprehẽsione. 2. in Firma retentione. 3. in rerum repetitarum expedita redditione.

Qui igitur facilè apprehendunt, firmiter retinent, & expeditè promunt, bona sunt memoria præditi.

Artificiosa memoria est ars, qua res citò comprehenduntur, firmiter retinentur, facilè promuntur, seu est memorandi facultas arte & exercitatione acquisita.

MENDACIVM.

Mendacium id quod est non vt est, id quod non est, non vt non est, profert.

Mendacium est secundum Negationem, (κατ' ἀπόφασιν) vel secundum scientiam (καθ' ἕξιν seu διάθεσιν.)

Illud ex mera seu pura ignorantia eius quod est, proficiscitur, non ex malo habitu, non ex peruersione rationis, seu potius ex rationis defectu.

Hoc verò cum ratione coniunctum est bona maláue.

Illud absque fictione est, absque simulatione, aut dissimulatione; Hoc verò coniunctam habet fictionẽ, per quam id, quod habere se aliter aliquis scit, aliter enunciat siue simulet, nõ ens esse ens, aut ens esse non ens, siue dissimulet ens esse ens, non ens, esse non ens.

Illud non est Ethicum; Hoc verò est Ethicum, seu Practicum.

Illud etsi malum est, tamen venia dignũ Malum, quia non est conformitas intellectus & rei: Venia dignum, quia nõ ꝓuenit ex malo habitu. Hoc verò & malum, nec venia dignum, nisi propter finem verè bonum suscipiatur.

Mendacium secundum negationem species quædam imprudentiæ videtur.

Mentitur qui contra mentem dicit, qui sciens fallit. Adsunt pro hac definitione Ethices Magistri. *Mentiri quid?*

MENS.

Mens 1. Tribuitur & Deo & Angelis. Deinde Hominibus quoque inesse dicitur, animam hominis intelligentem, vel partem animæ purissimam & γνωστικὴν δύναμιν (quę in anima dominatur) qua homo intelligit, iudicat, iusta agit, virtutem exercet, in qua inest imago Dei, significans. Etiam aliquando pro sententia accipitur, vt hæc est

Mens philosophi. Tertiò sumitur καταχρηστικῶς Mens pro eo, quod est Menti ἀνάλογον, vt φρόνησις & λόγος, ab Aristotele & Democrito mens nominatur, etiam in brutis, cum neget idem διάνοιαν, λογισμὸν, νόησιν inesse vlli, sed phantasiam.

Anaxagoras etiam νοῦν ὑπάρχειν ἐν ἅπασι τοῖς ζώοις, id est, mentem inesse in omnibus animantibus tradidit, cui νοῦς est ψυχὴ, id est, anima, vel φαντασία etiam.

Mensurnus, vt à Noctu nocturnus: à die diurnus: sic à mense mensurnus. Scalig. ex. 268. Nec cuiuis animali mensurno cursu fluit sanguis. Cicero hac voce emolliuit vocem vulgatam Méstruus, duram sanè, iudice Scaligero.

MENSVRA, μέτρον.

Mensura est, quo quantum quidq; sit cognoscitur. Durationis mensura est Infinita, vel Finita. Infinita Æternitas, (Duratio DEI permanens, carens initio & fine.) Finita, æuum, & tempus, vel absolutè permanens duratio est, vel propriè immensurabilis, ἀμέτρητος, vt Æternitatis; vel mensurabilis (vt Temporis) quæ longa vel breuis.

Mensura { Id, ex cuius cognitione ducimur in cognitionem alterius, quod mensuratum dicitur 10. Metaph. c. 2. & 3.
Id, quod nos ducit in quantitatis rei cognitionem.

Sæpè pro Mensura dicimus regulam, vt, Intellectus diuinus est regula omnis Veritatis.

In Poetica μέτρον modo est ipse versus, modo Dimensio, vnde versus dicitur Monometer, habens vnam dimensionem, vt Anapæsticus, *Calidum iubar ost:* Dimeter, habens duas: *Veni Redemptor Gentium.* Trimeter, *Beatus il | le, qui procul | negotiis.* Tetrameter: *Verberibus cæ | sum te in pristi | nũ Daue de | dam vsque ad necem.* Pentameter (habens quinque) Hexameter. Metimur autem vel διποδίᾳ, id est, coniunctis duobus pedibus, vt metra Iambica, Trochaica, Anapæstica; vel μονοποδίᾳ, id est, simplici pede, vt reliqua.

Dipodia vel est ταυτοποδία, cum idem pes geminatur, vt Diiambus, Ditrochæus: vel συζυγία, cum duo contrarii coniũguntur, vt Choriambus, Antipæstus, Ionici. Sed discrimen hoc non semper obseruatur. Interdum enim etiam syzygia dipodia dicitur voce dipodias generaliter & propriè accepta sine tropo synecdoches.

MERCVRIVS.

Mercurius est argentum viuum, hydrargyrum. Mercurius est principium materiale vaporosum naturæ aqueæ; viua mobilis & spirituosa species, quæ in habitum potest attenuari, est Mercurius: sicca, terminans, & conseruans, & acuens est sal; vrens calida, & purissima, vim habens formatricem, est sulphur. Mercurius crudus dicitur, qui nõdum est separatus à sua matrice, in qua generatur.

MERITO, *beneficio alicuius, seu per aliquod.*

Philosophi, imprimis Zabarella, Zuingerus, & Schegkius, vtuntur hoc Ablatiuo pro PER, vt, Nihil est diuisibile, nisi vel Quantum, vel Merito Quanti, id est, per Quantum. Quãtum per se diuiduum est, cętera per quantum l. 2. de Rer. Mater. c. 9. Zab. Schegkius etiam vtitur eodem significatu Ablatiuo

GRATIA.

Modus quantitatiuus (ignoscite Metaphysico manes Ciceroniani) hoc est, præscriptio finiũ quantitatis, est solius quantitatis, & aliorum per illam. Scal. ex. 101. s. 15. Hic alii dicũt, Meritò illius, vel beneficio illius. Qua voce ipse paulò

paulò post etiã Scal. vtitur. Augmentũ non est nisi promotio præscriptionis ad vlterius vbi. Hoc autem neq; fit in Forma, neq; aduenit Formæ, sed materiæ quantæ, Beneficio ipsius quanti, passiuè; ipsius autem formæ actiuè.

Mendacium *formæ Merito* Veritati opponitur. Veritas enim id quod est, vt est, id quod nõ est, vt nõ est, dicto factoue enunciat. Mendacium verò id quod est, non vt est ; id quod non est, non vt non est, profert Theodor. Zuinger. Theatr. vitæ hum. vol II. l. I.

Vt inconsultè & inconsulto: sic meritissimè & meritissimo pro optimo iure latini dicunt.

Merito Scholastici Doctores opponunt Demeritum.

METHODVS.

Methodus accipitur communiter & propriè; modificate etiam. Per Methodum communiter intelligitur omnis docẽdi ratio atq; via, qualiscunq; illa sit, siue ordo totius artis, siue instrumentũ, quo partes artis explicantur (quæ methodus propriè dicitur) siue ὁδὸς atque ἀγωγὴ seu progressus. Ac cum quæuis διδασκαλία, Methodus habeat materiã quã docet, & modum per quem docet, qui formę similis est, nõ ineptè ab hac veluti forma rei, quatenus docetur, ars ipsa denominari consueuit, vt Methodus appelletur. Th. Zuing. in I. Ethic. Aristotelis scholiis.

Methodus accipitur pro
- 1. Processu Illatiuo; seu via Intellectuali à notis ad ignota
  - Demonstratiua seu primaria, à causa ad Effectum.
  - Analytica seu secundaria, At Effecto ad causam.
- 2. Methodicè tradita disciplina
  - Contemplante, id est, scientia, cuius finis est scire. Sic accipit Arist. in Proœm. phys. cont. 1. Cum cognitio & scientia in omnibus Methodis, &c.
  - Qualibet, vt Arte etiam.
- 3. Via illa illatiua & ordine Didascalico simul.
- 4. Ordine Didascalico. τῇ συνεχείᾳ, οἰκονομίᾳ, τάξει, continuatione, œconomia, ordine in præceptorum antecedentium & consequentium collocatione.
- 5. Ordine εὑρετικῷ, id est via Inuentionis scientiæ.

Vid. l. 1. phys. Zabar. p. A. 5.

Explicatio.

1. Processu] Sic Mathematici per Methodum intelligunt viam seu processum syllogisticum, vt cum dicunt esse Methodum quandam (indirectam) quæ fiat per Reductionem ad impossibile. Ea non demonstrat id, quod per se erat demonstrandum, sed coarguit eius oppositum, & per accidens verum inuenit. Similis regulæ Falsi.

2. Pro via & ordine.] Methodus est instrumentum Logicum ad rerum cognitionem assequẽdam comparatum. Estq; Ordo, vel Methodus propriè dicta. Ordo est instrumentum, quo res in disciplinis tractãdas ante vel post collocamus ob meliorem & facilioré cognitionem seu perceptionem Methodus speciatim accepta est instrumentum, quo illa probamus, quæ ordine dispositæ sunt, vt perfectam cognitionem rerum assequamur. Cęterum tam ordo, quam Methodus duplex est, Cõponens & Resoluens. Vide sequens Diagramma, ꝙ plenius est. Nam ordinẽ non tantũ tradendis, sed etiã inueniendis artib. accommodatũ ostendit.

3. Pro ordine, &c.] Seu Dispositione Doctrinæ apud Arist. 1. cap Poster. Analyt. 1. Top. c. 2. & 3. 1. Eth. c. 4.

- Methodus est
  - ἐυρέσεως inuentionis, inuestigationis, adeptionis scientiæ Inuentio fit
    - Ascendendo à contractioribus ad magis communia, à singularibus, quæ in sensus incurrunt, ad Generalia.
    - Ab effectis exemplis experientia seu ἐμπειρείᾳ. Inductione ad causas & vniuersalia, à Definitione Nominis ad Definitionem Rei, à Toto ad Partes.
      - Hinc γνῶσις seu notitia minus exquisita, confusa & indistincta dicitur. Estque hæc αἰσθητὴ (sensitiua) & ἐμπειρικὴ etiam dicitur ab experientia, & ἱστορικὴ ab obseruatione.
  - Tota ars disponitur, & partes eius omnes collocantur ordine.
    - Hinc γνῶσις dicitur Distincta, propria, perfecta, τάξεως ἐχομένη seu ἔνταξις. Atque hæc γνῶσις est Διανοητική.
  - Fit autem Dispositio DESCENDENDO à cõmunioribus & iis, quæ latius patẽt, ad minus communia, idque Definiendo, Partiendo, Diuidendo.
    - Estque
      - Synthetica, (componens ordo)
      - Analytica (Resoluens ordo)
    - qua progredimur
      - A Primis rei principiis ad secũda.
      - Fine seu vltimo, id est, notione Finis ad principia seu media.
  - Διδάξεως, Doctrinę cognitorũ, Qua
    - Pars artis explicatur, disputaturq; : seu dispositа quædã probantur
      - Syllogismo
        - Seu Demõstratione
          - Synthetica, διά τι, propter quid. Hinc γνῶσις dicitur μεθοδικὴ. Vid. Zab. de Methodis.
          - ἐυθεία Directa
            - Analytica
              - Ab effectu.
              - Epagogica, Inductiua, id est, Inductione.
      - Inductione

Εὐθεία] Addo hæc: Quia in Confutatione falsorum adhiberur etiam Demonstratio obliqua (ἀπόδειξις εἰς ἄτοπον.)

Declaratio

Declaratio Methodi seu viæ ex Ethica.

Quatenus Politica seu Ethica.

Habet γνῶσιν per præcepta διότι, ita docet, & ex causis effecta declarat, & à notioribus natura procedit ad notiora nobis secundum sensum.

πρᾶξιν efflagitat vt finem obseruationes, τὸ ὅτι colligit ex effectis, causas ostendit ab iis, quæ nobis nota sunt, nempe à singularibus actionibus initium sumit.

Declaratio Ordinis Analytici.

Imo, inquiat aliquis, omnis ordo exordiatur à principiis, teste Aristotele in 7. Metaph. & Eth. 6. & 7. Respon. Principium duplex est, Aliud Cognitionis, aliud Operationis. Ordo Analyticus progreditur à Principio Cognitionis, nempe fine seu definitione finis ad media seu principia operationis vel operis, quæ sunt finis cognitionis.

Dicitur Analyticus, quia finis in sua principia, quibus ad finem peruenitur, & à quibus ars operans incipit, eo resoluitur. De arte ædificandi præcepturo, primo omnium de Domo vt fine cogitandum, eaque prænoscenda est & quod sit, & quod fieri possit. Deinde ad instrumenta & principia, ad parietes, tecta, hinc ad lapides, lateres, ligna, cæmenta, quæ remotissima & prima illius artis Elementa sunt, transeundum: in quibus ars docens desinit, & operans incipit.

Ex Zuingero.

Methodus est Vniuersalis, vel Particularis. Vniuersalis, τάξις διδασκαλικὴ, quæ à causis vel externis vel internis ad effecta, à principiis ad principiata progreditur. Ab Externis, Ordo Resolutiuus. Ab internis, Ordo Compositiuus.

Particularis vel Dispositio, vel Declaratio est probatiove. Declaratio est vel Rudis & in Genere, ὑποτύπωσις, Delineatio seu adumbratio quædam: vel Exacta & in specie, ἀκριβὴς.

Particularis Methodus est Resolutiua, Diuisiua, Definitiua, Syllogistica.

Resolutiua aliquid inuestigat, ex causis deducit, Syllogismo declarat vel stabilit.

Diuisiua diuisione aliquid deducit, ostendit, stabilit, illustrat. Diuisione, inquam, vel nominis in significata, vel totius in partes, vel generis in species, vel subiecti in accidentia.

Definitiua vel definitionibus naturam alicuius inuestigat aut declarat, vel definitionem totius rei propositam dissoluit, vt ex partium διαλύσει res cognoscatur.

Syllogistica aliquid Syllogismo deducit, confirmat, declarat.

Omnium horum exempla Zuingerus in Tabulis ostendit ex Ethicis Aristot. p. 40.

Definitiuæ Exemplum.

Philosophia est habitus intellectus ἐπιστητῶν & φρικτῶν in homine instru-

&to è lumine naturali ortum, vel propter θεωρεῖν, vel proprer operationem. Definitio Causalis est. Singula eius membra ordine sic euoluuntur.

Habitus Genus est, quod dicit naturam adhuc naturam indeterminatam. Non enim est potentia, non affectio,&c.

Intellectus est Differentia quædam è subiecto petita, habitum contrahens. Differentia enim significat naturam determinatam.

Scibilium & Agibilium indicant Obiectum. Obiectum autem dicitur, quod obiicitur potentiæ & habitui, ideoque vbi sunt diuersi modi obiiciendi, ibi est diuersa ratio obiecti. Primæ vero rationes distinguentes obiecta Philosophiæ sunt Scibile & Agibile.

Homo bene affectus & instructus pædia quadam est subiectum determinatum, in quo est & exercetur Philosophia.

Lumen Naturale est causa efficiens, quo distinguitur Philosophia à Theologia, quæ oritur ex Lumine supernaturali seu Gratiæ, quod non est contra Lumen Naturæ.

Inspectio veri & operatio Boni sunt Fines, vnde Philosophia Theorica est vel practica.

Talis ergo est Natura Philosophiæ, cui coniungitur vt penitissima quædam proprietas, purissima voluptas, quæ mentes nostras incomparabili quadam dulcedine perfundit, quibus verbis nectareis primum librum Comparationis Platonis & Aristotelis Iacobus Mazonius concludit.

MEVM IPSIVS.

Meum ipsius oppositum est alieno, meum vnius oppositum est communi. Sic dicimus mea ipsius culpa hoc euenit, non aliena, & mea vnius culpa hoc euenit, non communi. Sed pro vnius quoque adhibetur proprium, quod ostendit locus Cicer. epist. lib. 4. ad Terent. epist. 3.

Ipsa calamitas communis est, (id est, miseria vtriusque nostrum est,) sed culpa mea propria est, id est, mea vnius culpa est.

MIRARI.

Re aliqua tanquam mira obstupefieri.

Mirationem facit raritas, aut ignoratio.

Admirabile non est, quod aut multis contingit, aut multum.

MIRACVLVM.

Miraculum primo magisque proprie accipitur pro actione miraculosa, seu opere excedente gradum & terminum eorum, quæ possunt fieri per agentia naturalia, vt conuersio Aquæ in vinum est miraculum Christi.

Deinde minus proprie pro re admiratione digna, vt in hoc Mercurii: Magnum, ô Æsculapi, miraculum est Homo, id est, Homo est dignum omni admiratione animal. Vel μετωνυμικῶς pro Obiecto aut Effecto miraculosæ Dei actionis, vt Hic vir est miraculum Dei misericordiæ, id est, obiectum, in quo Deus miraculose ostendit suam misericordiam. Hoc vinum est Dei miraculum, id est, miraculi diuini res facta Dei actione extraordinaria, seu effectum miraculosum. Impropria illa est prædicatio: Directa enim est pro obliqua: Enuntiatum est in Recto improprie, quod proprie enuntiatur in obliquo.

Ἄλλως.

Miraculum est Effectum Diuinæ omnipoten-

potentiæ excedens Leges Naturæ, siue fiat extraordinarie, siue ex aliqua ordinaria potestate supernaturali hominibus data.

Miraculum accipitur { Proprie pro immediato & extraordinario, inusitato, raroque Dei opere. / Improprie pro Abstrusa aliqua, & ineffabili re, nobis admirabili.

Miracula sunt opera Dei extraordinaria, quæ fiunt præter & extra vsitatum agendi modum & ordinem sine viribus secundarum causarum, aut contra earum vires, sed absque naturæ & ordinis destructione: Hæc est definitio proprie dictorum miraculorum à genere, efficiente propria & fine.

Scotus; quod miraculose fit, non fit de Lege communi. Opera diuina perpetua non sunt miraculosa. Scot.

Hæc fiunt in ipso Deo, vel in Creaturis ὑπὲρ φύσιν (τάξιν) vel ordinem ministerii, modo immediate, modo mediate.

τὰ ὑπὲρ φύσιν sunt, quæ inusitata quidem sunt, sed naturam & ordinem eius non destruunt, suntq; βελτιώσεις, σωτηρίας, vel ἐλαττώσεις, quæ aliquid de meliore statu deturbant.

τὰ παρὰ φύσιν sunt, quæ naturam subuertunt, eaque, quæ sunt secundum naturam corrumpunt. Hæc, sicut & ἐλαττώσεις, dicuntur ἐκστατικά.

Ad τὰ ὑπὲρ φύσιν refertur suspensio potentiæ Physicæ à sua actione & effecto. Hinc Scotus, Suspensio Potentiæ Naturalis ab effectu suo naturali est miraculosa.

Miraculosæ mutationes sunt positiuæ, vel priuatiuæ.

Positiuæ sunt vel τοῦ κατὰ φύσιν, (τάξιν) seu positiui in aliud vel substantiale, vel accidentale: vel τοῦ παρὰ φύσιν, seu priuatiui in positiuum.

Mutatio in Aliud Substantialis aut est Cõuersio, vt aquę in Vinũ in nuptiis Can. aut est multiplicatio per adauctam procreationem, at cum Christus pasceret aliquot millia hominum paucis panibus.

Accidentalis est μεταμόρφωσις, vel Meliorans, vel Deteriorans, vt loquuntur Scholast.

Priuatiui in positiuum seu τὸ κατὰ φύσιν, cum restituuntur naturæ destructa corruptione. Estque Substantialis vel Accidentalis. Substantialis, vt viuificatio cadaueris. Accidentalis, vt fœcundatio sterilium.

Priuatiuæ mutationes sunt Positiui seu τοῦ κατὰ φύσιν, in Priuatiuum seu τὸ παρὰ φύσιν vt hominis integri in monstrum vel debilem.

Miracula { Immediata. / Mediata.

In exuscitandis mortuis non solum modo verbo & imperio Christus vt Deus vtebatur. (Hoc Miraculum Immediatum) sed etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquã adhibebat, Cyrill. l. 4. in Iohan. c. 14. Falsum igitur, quod omnia Miracula per carnem fecerit.

MISE-

MISERATIO.

Vitium animi pusilli, minusque ad speciem alieni mali collabentis. Lipſ. l. 4. de Constant. Vel est actus Misericordiæ, id est, inclinationis ad alienam inopiam aut luctum subleuandum.

MISERICORDIA.

Alienæ miseriæ in corde nostro συμπάθεια, qua vtique, si possumus, subuenire compellimur.

Est tristitia in alienis malis. Damasc.

Est ægritudo animi ob alienarum miseriarum sensum. Inclinatio animi ad alienam inopiam aut luctum subleuandum. Lipſ. Est liberans & parcens.

MIXTIO.

Mixtio { Κατ' ἀκειβολογίαν dicta. / Proprie

dicta κράσις { Naturalis. / Artificiosa.

Mixtio { Inexquisita, καθολικωτέρα seu κοινοτέρα, Imperfecta. / Exquisita, εἰδικωτέρα, perfecta.

Ad inexquisitam & improprie dictam referuntur σύνθεσις & σύγχυσις, id est, compositio & confusio.

Συνθέσει subiicio συμπλοκὴν complicationem, & implicationem, παράθεσιν, καὶ προσθεσιν, συναθροισμὸν, coaceruationem seu accumulationem, quæ est vel diuersi generis, vel vnius generis rerum. Diuersi generis, vt cum fabæ cum tritico coaceruantur. Vnius generis, vt cum triticum tritico additur. Confusio etiam est in sensum effugientibus partibus, vt cum fabæ & triticum in farinam commiscentur comminuta. παράθεσις est cum pars ad partem apponitur vtraque superficie integra conseruata. Est & σύνθεσις in iis, quæ in vnam superficiem confluunt, vt cum simile simili, vt oleum oleo, aqua aquæ, vinum vino additur. Quæ cum reuera αὔξησις sit, vulgotamen mixtio appellari solet & ipsa.

Dicimus etiam verum falso, & accidentia in genere omnia misceri. Hic vulgaris sermonis vsus est.

Improprie etiam mixtio accipitur pro Generatione à nonnullis (vt corpus mixtum pro corpore generato.) Item pro vnione, vt misceri pro vniri.

Ἰδικωτέρα mixtio est μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσις, id est, eorum quæ misceri possunt, & de qualitatibus suis aliquid amiserunt, coniunctio talis, qua vnum fiat.

E Scaligero.

Mistio
- *Liquidorum*, non tamen omnium: Magis propria. Eorum quorum extrema cum aliorum extremis vnum fieri possunt. Eiusmodi sunt liquida.
- *Siccorum*, vt milii & fabarum, quorum ex conuentu atque coactione non fit vnum, nisi laxa significatione.
- *Metaphorica*, vt cum Sclauorum genus ex Italo atque Germano mistum esse dicam.

Διχοτόμως.

Mistio
- Propria
  - Liquidorum, Maximè propria, in qua fit vnum continuatione terminorum. Liquidorum enim ratio cum sit alieno finiri termino, facile eueniet, vt si duo liquida contingere sese incipiant, vnum tandem fiant, propterea quod suis terminis coarctari nequeunt.
  - Siccorum, Propria quadantenus. Vnumquodque enim sibi ipsi totum quoddam est & manet, neque cum alio continuatur ad vnum corpus efficiendum.
- Metaphorica.

Liquidorum maxime propria.] Hæc definitur à Scaligero motus corporum minimorum ad mutuum contactum vt fiat vnio, ideoque continuum corpus atque vnum fiat.

Modi, Gradus, Species, Mistionis Tres. Primus eorum, quæ ibi coiere, rursus dissolui possunt ac esse dissita. Cuiusmodi est crasis aquæ & vini. Sunt enim hæc χωευτά.

Secundus est in corporibus naturalibus iis, quæ mixta imperfecta nominari solent. Horum sunt duo gradus: Alter debilior, vt Meteororum, Nubis, pluuiæ, venti, grandinis, niuis, roris, pruinæ: Sunt enim exhalationes mistæ ex pluribus Elementis, quæ haud magna cum re, (id est, facile) dissolui possunt: cohærent tamen arctius quam primo illo mistionis modo seu gradu: Alter gradus est validior, id est, firmiori nexu compositus, velut in glebis & lapidibus: Horum enim partes à partibus non temere separantur. Mista tamen vocant potius, quàm alia nobiliore appellatione, quoniam videntur illis entia incoata.

Tertia mistio reliquorum est, quæ nonnulli arbitratu suo composita, priuatim nominarunt: qualia sunt corpora quæ vegetantur & sentiunt. Hæc Scal. ex. 101.

Mistio (μίξις) *in Musicis* est melopœiæ

pars, per quam aut phthongos aut vocis locos sibi inuicem arcte coagmentamus, aut etiam genera melodiæ & troporum constitutiones legitime temperamus.

MISCIBILIA, MISTA, μικτά.

- Communiter.
- Μικτὰ
  - Corpora Composita
    - Elementa
    - Elementata.
  - Proprie
    - παθητικὰ & ποιητικά.
    - ἀντιπάσχοντα & proportionalia quãtitate.
    - ὁμόυλα.
    - εὐδιαίρετα & εὐδίοεισα.
    - ὁμοειδῆ.

Hæ sunt conditiones proprie mixtorum.

Sic Mixta *Communiter* sunt παράθετα, confusa, accumulata, vel generata etiam, vel concreta: aliquando etiam vnita, vt cum dicitur anima esse mixta corpori, id est, coniuncta seu vnita corpori. Sic Accidentia quoque mixta esse dicuntur. Ita miscibilia dicuntur, quæ possunt confundi, concrescere, quæ sunt vnibilia.

Proprie vero sunt & Physice corpora Physica, ita inter se alterata & temperata, vt ex pluribus vnum fiat. Talia sc. μικτὰ corpora oportet esse. 1. παθητικὰ & ποιητικὰ, id est, contrarias qualitates habere. Nam inter hæc fit actio & passio tantum. 2. Αντιπάσχοντα igitur etiam esse oportet. 3. ὁμόυλα, id est, eiusmodi, quæ commune subiectum habeant; sicut vinum & aqua sunt ὁμόυλα, & in humido conuenientia, ita misceri ambo possunt. Αντιπάσχοντα autem esse oportet ideo, quia si vnum tantum agat, alterum tantum patiatur, mixtio fieri non potest, aut iusta saltem mistio, vt de aere & plumbo albo, seu stanno scribit Aristoteles, neque calcis & farinæ mixtio est, sed farina à calce consumitur.

Sic corpus ignis, & alimentum eius ligna, etsi habent qualitates contrarias, neque tamen ὁμόυλα sunt, neque ἀντιπάσχοντα, cum ignis tantum agat, lignum patiatur. In his igitur actio fit & passio, non mixtio, & ignis alitur, ligna intereunt, neque ars medi-

ca in

ca in corpus agens ei miſcetur, cum neque οὐσία ſit, neque ὁμόυλος ei. Quare omnia quæ agunt & ſunt ἀπαθῆ, non ſunt miſcibilia.

4. Inter hanc agendi & patiendi vim, mutuam in corporibus λόγον, ſeu rationem etiam quandam corporum eſſe oportet, vt habeant ποσὸν σύμμετρον (ſeu ſint quantitate ſymmetra) & ſint virtute etiam ſeu efficacia non prorſus, ſed pene paria. Nam ex virtute τὸ ποσὸν æſtimatur: niſi vero rationem habeat, non fit mixtio, ſed actio tantum & πάθος, nempe incrementum. Ideo quando ex genere miſcibilium multa paucis, & parua magnis adduntur, non fit mixtio, ſed αὔξησις, & cum gutta vini in vas aquæ infunditur, non fit mixtio, ſed vinum ab aqua corrumpitur, ac fit aqua, & ita aquam auget, quippe cum gutta illa in tantam copiam nihil agere poſſit, ſed afficiatur tantum.

5. Non miſcentur niſi εὐδιαίρετα (quæ facile poſſunt diuidi) ſeu εὐδιόεισα, qualia ſunt humida inprimis, & pene ſola. Nam humida maxime inter ſe vniuntur, quando inter ſe iuncta ſunt, neque ſuperficies ſuas conſeruant, & quæ in ſiccis fit mixtio, non videtur ſine humore fieri: Quæ tamen ex ſiccis conditiones cæteras habent τῶν μικτῶν, tunc videntur mixtionem admittere, quando humori coniuncta ſunt. Sic enim fiunt etiam aliquo modo εὐδιόεισα, & humore tantum accedente inprimis fit mixtio, & abſque humore nulla Aphrodiſæo, vt ad mixtionem hic ſit vel maxime, vel ſolus etiam idoneus. Nec tamen omnia humida ſunt μικτὰ, vt quæ γλυχρά ſunt, ſeu lenta. Talia enim molem tantum augent ſine mixtione, Ideo quod non ſunt εὐδιόεισα, neque oleum aquæ miſcetur, neque pix & oleum.

6. Ex his hôc etiam concluditur μικτὰ oportere eſſe ὁμοειδῆ ſeu mixtionem non fieri inter ὁμοειδῆ, ſed inter diuerſas ſpecies. Neque enim ſimile in ſimile agit. Itaque cum aquæ aqua additur, triticum tritico, incrementum fit priſtinæ ſubſtantiæ, & cumulus augeſcit, non fit mixtio; ſed triticum & fabæ, vinum & aqua mixtionem præſtant: Illa quidem communem, quæ σύνθεσις eſt, hæc vero eam, quæ proprie mixtio eſt in Phyſicis. Talia igitur μικτὰ quando primum iuncta ſunt per Paratheſin ſeu Compoſitionem, poſtea agendo & patiendo quaſi retaliatione quadam viciſſim inter ſe afficiuntur, tum fit ea, quæ in Phyſicis Alloœoſis vocatur. Introducitur enim qualitas noua, & ſeruatur δύναμις mixtorum, perit ἐνέργεια, neque amittunt τὸ τέλειον εἶδος, ſed tantum τὸ εἰλικρινὲς, id eſt, purum & ſincerum. Manet enim δύναμις, quæ fuit ante mixtionem, ſed κεκολασμένη, vt Græci dicunt, id eſt, læſa nonnihil & afflicta, & quod ex his conſtituitur, δυνάμει vtrumque eſt eorum, quæ commiſta ſunt ἐνεργείᾳ neutrum. Cum enim ferme ſint exæquatæ virtutes eorum, quæ iuſta ratione miſcentur, in qua ſola etiam fit mixtio, neutrum poteſt alterum in ſuam ſubſtantiam conuertere, neque vnum tranſit in naturam alterius, & mixta non ſunt alterutra natura mixti.

Hæc enim eſt generatio vnius, & alterum corrumperetur, ſeu interiret, neque fieret alterario: Sed miſcentur in craſi ſeu mixtione vera diuerſæ naturæ ſic, vt non alterutra ex his fiat natura, ſed aliquid μεταξὺ & κοινὸν, id eſt, medium & commune vtriſque vel pluribus, quæ miſcentur, afflictis tantum qua-

litatibus horum nonnihil per alterationem, non sublatis prorsus aut corruptis: Vt vinum aquæ mixtum non est neque vinum, neque aqua, si est vera & iusta ratione facta Mixtio, vt sit verum Crama, sed commune aliquid, cum vtrumque agat in alterum in tali mixtione, & moderate quidem vtrumque (ne dici possit in cratere meo Thetys est coniuncta Lyæo. Est Dea iuncta Deo, sed Dea maior eo) quæ causa est, vt neutrum ab altero prorsus oppressum naturam & qualitates suas, atque ita formam pristinam penitus exsuere cogatur, sed penè æqualiter detrahunt & frangunt inter se eas qualitates, quas extra mixtionem integras plenasque possident, vt non formam pristinam amittant, sed de viribus suis in agendo & patiendo desinant, nonnihil remittant, & in vnam aliquam mediam qualitatem deficiant & conspirent propter naturam communem colliquescentem. Non enim duæ formæ possunt in vna materia esse integræ, sed afflictæ, & sic quidem vt neutra ἐνέργειαν suam retineat, sed δύναμιν tantum, & hanc etiam non integerrimam, sed talem, qualis in agendo & perpetiendo remanere potest. Itaque corpora mixta ea mixtione, quæ proprie in Physicis mixtio appellatur, cum non prorsus amiserint pristinam naturam suam, tamen ad integritatem suam reduci in aliquibus possunt, sicut arte quadam vinum ab aqua separatur. Sed cum & ἐνέργεια amissa, & δύναμις horum afflicta sit, ad hanc reductionem in statum pristinum opus est quadam velut ge-

neratione, quam ἐπικρασίαν vocant, hoc est, leuem, imperfectam & superficiariam, vt ita dicam, id est, leuiore mutatione factam. Nam si prorsus re ipsa tum statim essent, quod fuerunt, non fuisset facta ἀλλοίωσις, quam mixtio requirit, & sic ne mixtio quidem, sed σύγχυσις, sicut ex Doctrina proposita intelligi potest.

Corollarium.

Mixtio igitur vera est inter Generationem & Corruptionem medium quiddam, cum in vera mixtione neque maneat prorsus pristinus status mixtorum, neque prorsus tollatur (non enim fit resolutio ad materiam vsque primam.)

Obiectio.

At Aristoteles vocat Mixta Composita ex Elementis Corpora.

Resp. Hoc facit non quod Mixtionem Generationem haberi velit sentiatve, cum hæc accurate distinguat, sed quod mixtio seu crasis generationem præcedat, & in iis, quæ perfecte mixta dicuntur, omnium quatuor Elementorum δυνάμεις concurrant κατὰ μίξιν, & de tali mixtione postea fiat γένεσις, neque maneat μίξις. Vulgaris autem doctrina, vt Melanchthonis in Physicis, mixtorum nomine, vt dixi, abutitur pro Generatis, & mixtione pro Generatione.

Ex vulgari igitur doctrina (quam multi sequuntur) facere possumus talem distinctionem.

Gene-

Generatio { Perfecta. / Imperfecta { Mixtio, crasis, medium quid inter Generationem & corruptionem. Itaque catachrestikῶς dicta Generatio. / Qualis fit in meteoris, ἐν ἁφῇ θέσει tantùm consistens & συμπλοκῇ, id est, in appositione & connexione.

MIXTA Perfectè & Imperfectè.

In Scholis vsus obtinuit, vt meteora appellentur Imperfectè mixta. Sed neque veteres Græci sic appellant, quod sciam, ait Erasmus Roterodam. & imperfecta mixtio est ea tantum, quam Aristoteles vocat διαψελλίζουσαν (balbutientem) qualis est æris & plumbi albi seu stanni, quæ quidem imperfectæ mixtiones appellantur, sed propriè non sunt, sed αὐξήσεις & μεταβολαὶ, & ἡμίσεις imperfectæ. Hoc igitur sensu meteora imperfectè mixta dicere possumus, quod non sunt ex quatuor Elementis, sed Elementa horum fermè parum mutata, & πάθη horum, vel si abutamur mixtionis voce de Generatione, sic etiam meteora erunt imperfecte mixta, id est, quæ generata sic sunt, vt neque corruptio præcesserit, neque alteratio magna, & ex Elementis duobus immediatè, & nullo fermè de semine fiant propter tenuitatem mixtionis, quæ est in vapore & exhalatione, ideò habent naturam & statum non durabilem, sed facilè in id, quod fuerunt, resoluuntur, atque hoc modo ea Generatio mixtioni sit, quam generationi, similior. Lapides autem & metalla, quæ in terra gignuntur, etiamsi quasi semina prima habent exhalationes & vapores, omnia tamen Elementa in his concurrunt, vt in perfectè mixtis habeantur, atque etiam, cum in sublimi generantur portentosè, perfectè mixta esse non desinant.

Explicatio Propriæ significationis.

In Meteoris neque fit 4. Elementorum, sed duorum tantum mixtio, vt aerię & aqueæ materiæ in vapore, & aeriæ, & igneæ in exhalatione, quæ sunt omniũ meteororum communis materia, & neque κρᾶσις quidem seu mixtio Phyca, sed ἁφὴ θέσις tantum, quam sequitur actio & passio, non mixtio, neque vapor & exhalatio miscentur, sed ascendunt connexa, συμπεπλεγμένα, vt Aristoteles scribit: συμπλοκὴ autem non est crasis, sed in vapore & exhalatione, ita tenuis est duarum naturarum mixtio, vt simplicia videri possint. Et sunt μετέωρα, quæ in sublimi ferunt πάθη potius Elementorum, quam ex elementis nouorum corporũ, γωνέωσις & (a) παχύνωσις & (b) μάνωσις pleraque efficiunt, quas non volunt esse ἀλλοιώσεις, sed motus secundum locum. Fit autem, verbi causa, in pluuia ex vapore, qui est δυνάμει aqua, per condensationem actu aqua, & per rarefactionem actu aer, qui antea erat δυνάμει. Idem de igne & aere fit in exhalatione, & manet substantia pristina leuiter tantum alterata, vt loquuntur, vel condensata etiam aut rarefacta, quæ non est mixtio, sed actio & passio ἐν ἁφῇ θέσεως, & μεταβολὴ potius vel γένεσις etiam, vt sic loquamur, imperfecta.

a *Condensatio.*
b *rarefactio.*

Mixta Minus operosa sunt, quorũ soluto ipso toto, partes exstant pristinæ sine vlla substantiæ mutatione, nihil enim corrumpitur, nisi situs earum. Scalig.

exerc.16.ſ.1. In his fieri poteſt circularis Generatio. Idem.

Idem Scal. Haud diu conſtantia corpora vocat, verba eius ſunt: Grando, pruina & ſimilia, haud diu conſtant, ſed mutatis extimis accidentibus fathiſcunt, quia habent extra ſe effectores ſuos, ſolem puta & gelu. Exer.307.ſ.21.

Mixta vox eſt eſt compoſita, verbi gratia, è Latina & Græca, vt Inclytus à Græco κλυτὸς, & Latino In. Idem autem eſt quod κλυτὸς, niſi quod In hîc augere, ſeu αὐξητικὴ particula eſſe videtur. (Sic Incanus pro Canus, Ineuectus apud Virg. pro altè euectus.) Archigubernus pro principe Gubernatore, qui græcis eſt ἀρχικυβερνήτης, vſus eſt Iabolenus. l.46. D. ad S.C. Trebell comp. è Græco & Latino: Latini enim non dicunt Archi, nec Græci dicunt γυβερνὸς, ſed κυβερνήτης.

Mixta vocabula (quibus opponuntur ἄκρατα pura) per Metaphoram dicuntur etiam Hybrides, qua voce propriè ſignificatur ſemiferi, vel porci ſemiferi, id eſt, ex verre ſilueſtri, & ſue domeſtica. Talia ſunt pultiphagus, & pultivorus, Epilogium, antelogium.

Mixtum τέχνημα eſt, verbi gratia, Hermathena, ſtatua ex Mercurio & Minerua conſtituta: Hermeraclę ſunt ſtatuæ ex Mercurii & Herculis formis compactæ. Hermerotę, ſtatuę ex Mercurii & Cupidinis ſeu Amoris formis comparatæ apud Cic.

MODVS.

In vniuerſo, vt ſit Perfectio, ſunt diuerſi gradus & modi rerum, ipſis à DEO tributi. Præterea ab artificibus & ſcientibus Modi Doctrinæ & actionis gratia varii excogitati ſunt.

Modus autem rei quædam determinatio eſt.

Modus in rebus eſt limitatio diuinæ potentiæ efficientis.

Nimis anguſta deſcriptio eſt: Circumſtantia quippiam circumſcribẽs. Sunt enim quidam Modi intimiores rei, quam circumſtantia aliqua.

Modus { Ratio formalis, qua quid eſt quod eſt.
Modus { Præſcriptio, inſequens rem conſtitutam.

Ratio { Formalis, vt ratio, qua quantitas eſt quantitas.
Ratio { Præſcriptiua, vt præſcriptio corporeitatis in categoria quantitatis, modus (*a*) commenſionis: terminabilitas: quæ nulli rei competit, niſi per quantitatem. Itaque Scal. proprium eſſe ait, proprio modo dictum.

a) *Vocant Barb. Quãtitationum, id eſt, dimẽſina quantitatis.*

Canones.

1. Omnis Rei Modus aliquis eſt, nulla ſine modo eſſe poteſt.

Pulcra Gradatio. Auguſt. quæſt. 6. de Malo. Omne quod eſt, ſine aliqua ſpecie non eſt ſenſili vel intelligibili. Vbi autem aliqua ſpecies, neceſſario eſt aliquis Modus, & Modus eſt aliquid Boni. Summum ergo malum nullum modum habet. Caret autem omni bono. Non eſt igitur.

Analyſis.

Principal. Syllogiſmus. Quicquid eſt, habet aliquem modum. Summum malum nullum habet modum. Ergo ſummum malum non eſt.

1. *Propoſitionis probatio.*

Vbi aliqua eſt ſpecies, ibi neceſſariò eſt aliquis modus.

Omne quod eſt, habet aliquem ſpeciem.

Ergo omne quod eſt, habet aliquem modum.

2. *Aſſumptionis probatio.*

Modus eſt aliquid Boni. Summum malum non eſt bonum. Ergo ſummum malum non habet modum.

2. *Cat.*

2. *Can.*

Vnius rei sæpè sunt plures modi, quorum vnus non euertit alterum. Sicut Essentia Respectiua absolutam non tollit, sed potius ante se exposcit atque requirit: Ita sacramentalis essendi modus non tollit essentialem veri corporis modum, sed potius necessariò ante exigit. Errant igitur, qui in Sacramento Cœnæ à corpore Christi separant proprietates, vt quantitatis (partium & Totius) & formæ dimensionem. *Non est ibi absolutus corporis modus, vbi nulla membrorum distinctio, nullus situs, nec totum qualibet sua parte maius.*

Eadem est Veritas Platonicæ & Paulinæ sententiæ, Deus est iustus. Sed Determinationis, vt Modi & Gradus Veritatis, Identitas non est.

Forma incorporea & immaterialis est in sese. Est Materialis & Corporea, non *Essentialiter*, *sed denominatiuè* tantum, qua est in corpore & materia. Lipp. in Isag. 1. phil.

3. *Can.*

Prorsus negato eo, cuius est modus. Existere absolutè loquendo, si nulli rei creatæ per se cõuenit: Ergo nec existere cũ determinatione, id est, in aliquo.

4. *Can. aureus.*

Modus rei esse nequit, nisi res ipsa maneat: Alioqui modus erit rei exterminandæ, non determinandæ.

Πόρισμα.

Προσθήκη igitur Modi explicabit, non implicabit; (implicatum animum expediet) euoluet, non inuoluet; expediet; non impediet; declarabit, non obscurabit; lucem, non tenebras offundet. *Modus qualis sit προσαγωγεὺς, id est, conciliator.*

Interdum Disputatorum Modi inuoluunt absolutam repugnantiam (id est, contradictionem.)

5. *Can.*

Modi interuentu res aliter atque aliter se habet. Modus non facit, vt quippiam sit aliud, sed vt sit aliter affectum (vt aliter se habeat) sicut, teste Scaligero, substantia accidentis aduentu, aut interuentu, aut inhærentia non fit aliud; sed alio modo se habens, ac remanet nihilominus eadem: sic Intellectus, & cum simplex est, & cum compositus est, vnus est. exer. 307. s. 27. Accidens enim non est causa Entitatis *simpliciter, sed Talis Entitatis. Ac tale non tollit rem, sed variat.* Singula hæc sunt, velut oracula.

Quæ Modis tantum differunt, non sunt essentiæ diuersæ, vt calor intensus, & calor remissus.

Quodlibet est vel Tale est, (verbi gratia potens est) aut operatur quippiam

- PER se
  - Per suam Essentiam. Scalig. dicit, SINE MEDIO 7. poeticæ, cap. 2. — Sic homo ratione præditus est, & ratiocinatur.
  - Per suam qualitatem aut MOTVM CVM MEDIO ait Scaliger, sic ignis est calidus, & calefacit.
- PER Accidens
  - *Propriè & naturaliter per aliud* participatione, seu commnnicatione (non natura sua) seu per alienam virtutem quam habet reipsa communicatam, *vt vel inhæreat*, sic aqua calida est vi ignis, *vel adhæreat*, sic vitrum repletum aqua est humidum.
  - *Impropriè & καταχρηστικῶς*, seu metaleptice, non formaliter, non in se realiter. Idq; propter cõiunctionem cum eo, quod per se & propriè tale est, vel agit. Sic serpẽs dicitur astutissimus propter coniunctionem cum diabolo, qui propriè est in se astutus.

Explicatio.

Explicatio.

Tale est] Sic se habet, ὅτως ἔχει, sic affectum est PER suam essentiam seu naturam.

Sic ὁ λόγος αὐθυπόστατος. Ratio patris est Deus omnipotēs viuificat deitate sua, seu seipso (καθ' ἑαυτὸν) per aliud seu participatione (δι' ἄλλου.)

Sic feruida est aqua, & vrit, ab igni calefacta summè. Ita singularibus donis ornata, & locupletata est Christi humanitas. At ita Manus vel humanitas Christi non est omnipotens. Sic serpens qui decepisse Euam dicitur, non fuit prudentissimus. Sic vitrea laterna, in qua lucerna est, non lucet. Non enim accipit potentiam lucendi laterna à lucé. Lumen in lucerna lucet, sed nō transfundit in laternam essentialem qualitatem.

Ferrum summè calidum est caliditate ignis.

Spongia humida est humiditate aquæ, quæ aquæ inhæret. *Inhæret vel adhæret.* Per Modum Inhæsionis vel Adhæsionis: hosque *vel penetrando*, vt in spongia, in qua est aqua: *vel non*: vt in vitro pleno aqua, quæ superficiei eius adiuncta est.

Impropriè, &c. propter coniunctionem cum eo quod non est ita cum alio.

Sic hominis caput dicitur prudens & sciens, quia ei accidit, vt habeat coniunctionem seu copulationem cum mente, cui per se inest prudentia ac scientia, & quæ in capite prudentiæ ac scientiæ opera præstat. Sic serpens dictus est prudentissimus: Ita manus Christi omnipotens dici potest per & propter diuinam naturam, cui hypostaticè vnita est, nempe quia est omnipotentis seu omnipotentiæ manus, & in ea maiestas diuina, & omnipotentia τῦ λόγυ habitat & relucet, & per eam λόγος omnipotentiam exerit. Sic laterna dicitur lucere, cum propriè lux, quæ in laterna est, per eam suum diffundat lumen in aerem circumfusum.

Augustinus cap. 29. lib. 2. de Genesi ad liter. Prudentissimus omnium bestiarum, hoc est astutissimus, ita dictus est serpens, propter astutiam Diaboli, qui in illo & illo agebat dolum quidam: dicitur lingua prudens vel astuta, quam prudens seu acutus mouet ad aliquid prudenter astuteque persuadendum. Non enim est hæc vis seu virtus membri corporalis, quod vocatur lingua, sed vtique mentis, quæ vtitur illa; ita omnipotens potest dici caro Christi, ἐν λόγοις ἐκκυκλίοις, & impropriè non in seipsa propter omnipotentiam τῦ λόγυ, qui in illa est & operatur. Si enim caro Christi propriè absoluteque est omnipotens & viuifica, vna eademque ad numerum omnipotentia & viuificatione, quæ τῦ λόγυ est, erit talis, vel per se, vel per accidens. Non per se, quia non per formam aut qualitatem suam. Non ex accidenti, & per aliud, quia non est ex accidenti, & per aliud propriè diuina essentia seu Deus. Ἀδύνατον scilicet est, propriè alicui conuenire essentialem alicuius proprietatem, non communicata simul essentia, cuius proprietas illa est (calor qui ipsiusmet ignis est, non potest communicari ferro sine igni) cum inseparabiliter connexa sint essentia & essentialis proprietas. Per accidens igitur impropriè & ἐπιπολαιότερον omnipotens & viuifica dicitur caro Christi, vna eademque numero τῦ λόγυ potentia ac operatione.

Sunt & contriti Scholasticis D. Modi his Terminis aduerbialibus insigniti: MATERIALITER, FORMALITER, Causaliter, Eminenter, Radicaliter, Completè, Incompletè, Essentialiter, Participatiuè, Realiter, Absolutè, Insinuatiuè, Connotatiuè.

Eminen-

Eminenter est altius & excellentius, quam Formaliter, id est, per Modum formæ, per modum Inexistentiæ vel Inhærentiæ. Prima causa est omnia non formaliter, Deus enim in nullius compositionem, vel essentialem, vel accidentalem veniri potest, vt forma, nec prædicatur de omnibus, sed eminenter. Proprietates Dei essentiales in humanam naturam Christi conferri non possunt, vt formaliter eius fiant, perque illas operetur, per suam enim quisque formam & qualitates operatur.

Virtus felicitas est politica, non formaliter, sed causaliter.

Vis volendi est libera formaliter: Intelligendi, radicaliter.

Physica priuatio formaliter significat quandam negationem, (nimirum remotionem habitus à subiecto huius capaci.) Itaque est non ens, Materialiter autem seu cõnotatiuè seu insinuatiuè (Scholasticorum hi termini) propensionem & ἐπιτηδειότητα ad formam seu habitum. Itaque ens quodammodo est. Interdum Formaliter Eminenter & participatiuè simul distinguuntur, vt substantia incorporea, vt talis est, nec continetur *Formaliter* in essentia substantiarum corporearum, cum de illis non prædicetur essentialiter: nec item *Eminenter*: quo pacto effectu continentur in suis causis efficientib. æquiuocis siue superioris ordinis, cum substantiæ corporatæ non sunt superiores & perfectiores incorporeis: nec denique *participatiuè*, participatione adæquata, quo pacto continetur causa in effecto adæquato (id est, effecto, qui totam causæ virtutem quasi exhaurit) quippe cum effecta substantiatum incorporearum non reperiantur adæquatè in rebus corporeis, multa enim agere possunt incorporeæ substantiæ extra res corporeas sensiles. Hinc efficitur substantiam incorporeã, vt incotporea est, à nobis nõ posse cognosci *Quiddit atiè seu essentialiter*. P. Fonsec. in 2. Metaph. Arist. c. 1. quæst. 2.

- Interni, *Considerandi* & apprehendendi.
- Externi
  - *Significandi* & accipiendi.
    - *Loquendi*
      - Nouè
      - Antiquè.
    - Enunciandi seu connectendi terminos, seu prædicandi
      - Propriè
      - Impropriè
  - Modi τρόποι
    - Pragmatici
      - *Essendi.*
        Possendi; liceat mihi nunc ita loqui propter canonem, quem quidam vsurpant: Modum Essendi & Possendi sequitur Modus operandi.
      - *Inessendi.*
        Sic se habendi, vel aliter; *Agendi seu operandi, Patiendi, Recipiendi.*
    - Intentionales, Notionales

Exempla.

Homo in Ethicis, & homo in Physicis differunt modo considerandi.

Cum dico, Homo est animal, Homo significat formaliter, id est, pro re, quam significat, siue vera sit, siue ficta.

Cum dico, Homo est nomen, Homo pro se significat, id est, materialiter.

Ex modo diuerso enim acceptionis vocis pro aliquo Scholastici faciunt suppositionem duplicem, Formalem & Materialem, Formalem dicunt acceptionem nominis pro re hoc significata: Materialem, vt nomen pro se significat, vt Cæsar est dissylabum.

Esse, & esse ens, differũt Modo Loquẽdi. Concretum & Abstractum differunt modo significandi: Hoc simplicem, Illud compositum significandi modum habet.

Canon.

Quæ differunt tantum ratione loquendi, res eadem sunt, vt Esse, & Esse ens: Conseruatio & continuatio ipsius Esse, (τὸ εἶναι.) Quidam locutores sunt superficiarii, ἐπιπολαιότεροι, quidam accurati, ἀκριβέστεροι, sapiens εὐθυρρήμων ἔστω.

ὑπόμνησις.

Sæpè conciliantur sententiæ ex eo, quod magis in modo loquendi, quam reipsa differunt. (Sæpè dico, Quia quæ intestina laborant discordia, conciliari nequeunt.) Itaque potest à nobis iudicari minus accurata dicendi ratio, licet res ipsa non damnetur. Vid. Scal. 2. de plant.

Sola, inquit Cic. 4. de Fin. Verborum Nouitate differunt Stoici ab Academicis & Peripateticis.

Vsus.

Petra significabat Christum. Ergo non erat Christus. Resp. 1. Imò si significabat seu adumbrabat, aliquo modo erat. Nam & significare Modus Essendi est. *Est enim significare Esse per significationem.* 2. Resp. Si significabat, non erat substantialiter. Sed *negato vno essendi vel ineſſendi Modo, non illicò negantur reliqui*, qui Canon diligenter est obseruandus.

Al. Canon.

Quod recipitur, non per modum recepti, sed per modum recipientis recipitur. Quod in aliquo recipitur, est in eo per modum recipientis, non dantis. Limitatione opus est huic Canoni: Nam si agens sit vniuocum, erit in eo & per dantis modum, & per recipientis, quod attinet ad ea, quæ ad esse speciei pertinent: licet possint esse secundum meliores conditiones in vno, quam in altero. Patet hoc in natura humana Patris & Filii; & lumine (similitudine lucis primæ) quod acceptum in aere habet aliquid, qua est huiusmodi, & habet etiam naturam lucis, qua est à corpore primo, per quã mouet colores omnes, & nõ solum in hac materia, in qua recipitur.

Canon. Generales de MODO considerandi.

1. *Eadem res potest subiici diuersis scientiis, sed Modus considerandi singulis scientiis est proprius.* Verbi gratia: Hominem contemplatur Physiologus, vt mouetur, (actu vel potentia) Geometra, quatenus eum debet metiri: Medicus, vt quem à morbis vindicet aut tueatur.

2. *Philosophia inferior scientia non dat Theologiæ sapientiæ omnium supremæ modum.* Itaque modus Generationis Diuinæ, eiusque considerationis non est petendus è physica. Secus si fiat, transitur vno ex genere scientię in alterum, quod fieri vetat τρόπος seu *Modus ἐπιστήμης καὶ παιδείας* (scientiæ & Institutionis.) *Modientis* dicuntur, quæcunque in Entibus sunt, & citra ea, vt non sint substantia, vel accidentia propriè & strictè dicta,

dicta, vt Essentia rei ; Existentia rei, Gradus in Qualitatibus, exempli causa, calore aut frigore. Scaligero *σχηματισμοὶ* sunt modi corporis.

Existentia est modus essentiæ. Causalitas materiæ est modus Materiæ, quæ res est. Formæ causalitas est modus Formæ quæ res est,

Modus rei
- Purus, qui simpliciter rei insitus est, vt Existentia. Nam & substantiam & accidens necesse.
- Importans ordinem ad aliud externum, vt ad subiectum, vt Inhærentia. Hæc enim tantum propria est accidenti, vt quod solum subiecto inhæreat.

Modi Rerum
- Puri
  - Essendi.
  - Se habendi
    - Absoluti.
    - Relatiui.
- Entitatiui.

Vel:

Modi Rerum
- Puri
  - Essendi in seipsis.
  - Habendi se ad alias res.
- Entitatiui.

Vel:

Modi se habendi
- Puri
  - Absoluti. Hi dicuntur Modi Essendi. Quibus res hoc vel illo modo se habent in seipsis.
  - Respectiui. Quibus res hoc vel illo modo se habet ad alias, vt actualis dependeutia.
- Entitatiui.

Puri sunt omnis Entitatis expertes, non addunt rebus Entitatem. Sunt idem re cum entibus, dicitur esse eadem natura cum Ente (non est vnum Entis accidens. Oporteret enim, vt à differentia flueret, qua ipsum Ens constitueretur. Ergo ens esset Genus, & haberet se Ente prius Ens.) Sic Bonitas transcendens eadem re est cum entitate.

Absoluti modi sunt, vt Esse actu in rerum natura, esse potentia, esse necessarium, esse contingens, id est, incorruptibile & corruptibile in creatura, esse completum, esse non completum, esse finitum, esse infinitum.

Relatiui, vt esse contrarium, diuersum, differens, vnitum, separatum, propinquum, remotum.

Entitatiui sunt, qui sunt formaliter illa ipsa Entia, quorum modi dicuntur, cuius generis sunt, quibus ens ad prima quatuor prædicamentorum genera contrahi solet, & inter se distingui. Existentia non est formaliter ens, sed purus quidam & sincerus Essendi modus, *εἰλικρινὴς τρόπος τοῦ εἶναι*.

Modus rei
- Internus, Immediatus & Naturalis, qui est in ipsa re, qui ex parte rei inest: Qui conuenit tei non per aliam realitatem seu entitatem, quales sunt modi, quibus distinguuntur inter se summa genera, vt per se subsistere & inhærere, & modus, quo intensio trina distinguitur ab albedine, cuius est intensio.
- Externus, Mediatus seu Aduentitius, qui conuenit rei per aliam entitatem, vt habitus & figura sunt modi substantiæ externi, quia conueniunt substantiæ per aliam entitatem ab entitate substantiæ, nempe per entitatem qualitatis. Externum modum quidam volunt, non esse verum accidens, quod relinquo nunc in medio.
  - Aduenies per solum intellectum.
  - Extrinsecus tantum denominans.

Modus
- Substantiæ.
- Accidentis.

Vnio Animæ cum corpore sumpta pro fundamento relationis, coniunctionis inter ipsa: quod est causalitas formæ & materiæ (id est, dare se materiæ ipsam perficiendo, vicissimque subiici materiam formæ, excipiendo & fouendo eam, ita vt ex hoc mutuo complexum totum emergat) est modus substantiæ. Neque igitur est substantia, neque accidens simpliciter.

Modalis Distinctio est, qua non tam Entia distinguuntur inter se, quam modi Entium; vel Entia per suos modos: vel deniq; Modi ab Entibus.

Estque Simplex, vel Comparatiua.

Simplex, qua Entium modi simpliciter distinguuntur; ita differunt Essentia & Existentia.

Comparatiua, qua eadem res secundum magis & minus distinguitur. Ita differunt tepor & calor; Bonum præstans, & Bonum minus præstans; velox cursus, & tardus cursus. Sic Petrus puer a Petro viro distinguitur Modaliter, id est, gradibus Quantitatis.

Canon:

Comparata secundum magis & minus, sunt eiusdem speciei: Magis enim & Minus nunquam variant speciem.

Modi habendi, τῷ ἔχειν, aliquid sunt
- Habere ab alio.
- Habere à seipso.

Hic distinguuntur possessores (habentes) habendi modo. Res interimque habetur, non est duplex seu alia & alia.

Modus
- Positiuus
  - Actualis.
  - Potentialis.
- Negatiuus purè vel non purè.

Vsus.

Distinctionis huius vsus est in explicatione naturæ Aptitudinis vniuersalium tam difficili, quam quæ maximè. Notum est illud: De Vniuersalibus & Modalibus nil gustabit asinus. Aptitudo igitur vniuersalium, qua dicuntur πεφυκέναι, id est, apta esse nata

nata plurib⁹ ineſſe, nec eſt Pura Negatio Repugnantiæ eſſendi in pluribus, nec potentia quædam naturalis ſeu qualitas ipſis rebus, quæ vniuerſales appellantur, addita, ſed modus quidam poſitiuus, & quidem Potentialis, per quem natura apta eſt ac idonea, vt in pluribus ſit, in quo nimirum illa repugnantiæ negatio quaſi fundatur & innititur.

Modus
- Essentiæ, qua quicque est.
- Existentiæ: quæ proprie coniuncta est cum rei singularitate.
- τῦ εἶναι: Pererio est modus rei, quo hæc dicitur esse.
  1. Extra nihilum.
  2. A suis causis producta.
  3. Actu esse. Aliis vltima rei actualitas.
- Actionis vel Passionis.
- Cognitionis.

Canon.

Modus existentiæ & Actionis seu Operationis sequitur modum Essentiæ, vt si aliquid est Substantia perfecta, eiusdem quoque existentia dicitur perfecta. Accidentium essentia est incompleta. Itaque existentia eorum quoq; talis est, quo fit vt dicantur inexistere & inhærere.

Modus τῦ εἶναι, id est, existendi in loco dicitur situs. Angelus est in loco sui ad certum locum applicatione, non situ & commensu, vt corpus, sed definitiue, vt extra istos fines alibi non sit.

Modus opponitur speciei, vt per accidens causa non est species causæ, sed Modus. (Dicitur etiam, non est Genus causæ. Sed tunc Genus pro specie accipitur.) Itaque Fortuna & Casus sunt efficientia ab aliis efficientibus per se nihil reipsa differentia, sed solum Modo. Vitus Amerbach. 2. Phys. p. 156. Idem. Diuisi causarum in per se & per accidens non continet Genera seu species causarum, sed modos quosdam. Idem Ramus quoque monuit.

Modus opponitur sæpe Generi, vt cum dicitur, *Non differunt toto genere, quæ solo modo, solo gradu, sola quantitate mensuræ differunt*: vt Potentia & Sapientia Humanitatis Christi habitualis non differt toto genere à sapientia & potentia Angelorum & Hominum.

Interdum disparatur ab ordine, vt Malum est corruptio vel modi, vel speciei, vel otdinis naturalis.

Interdum Modus pro more accipitur. Exempla sunt in Cicerone.

In Rhetorica Modus Orationis est Tropus. Vnde oratio Modificata.

Modus etiam Vox Musica est. Boet. l. 1. Music. Tarditate Modorum & grauitate cantus illorum furentem petulantiam resedisse. Sic numerum ad saltationis modum, ad cantilenas

pertinere ait L. de la cerda. & Cic. l. 1. œcon. quod fragmentum est in Columell. l. 12. c. 2. Vbi Chorus canentium non certis modis, neque numeris præeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum audientibus canere videtur. Vbi Modis & Dissonum sibi ex aduerso respondent: sic vt Numeris & Tumultuosum. E Musica petitum videtur, quod Cicero ait: Vox extra modum absona.

Mureto in Modum dicere (quo vtitur Catullus) est εὐρύθμως, id est, concinnè & numerosè dicere.

Modus partium in pulcritudine est nihil aliud quàm debita quantitas. Est autem pulcritudo totius species excitata ex partium modo, figura, situ, numero, colore.

Modus viuendi est secundum quem sumitur aliquis gradus viuentium. Dominic. de Flandria l. 2. de anim. Tractat. 1. Quatuor igitur sunt modi viuentium: vnus per intellectum: alius per sensum: alius per motum localem perfectum: alius denique per motum alimenti, augmenti, decrementi: Quia 4. sunt gradus viuentium. Vbicunque sensus, ibi est appetitus. Appetitiuum igitur non facit aliquam diuersitatem in gradibus viuentium, seu non constituit modum diuersum ab aliis.

Distinctio ex diuersis gradibus viuẽtium, non ex diuersis generibus operationum animæ.

Modus agendi, &c.

Modus agendi, agentis & actionis, imò & effecti determinatio est vel proprietas, id est, & agens & actio & effectum dicitur tale vel tale.

Modus agendi & patiendi pro diuersitate causarum varius est. Quædam causæ agunt contingenter, libere & voluntarie: quædam naturaliter, necessario & immutabiliter, aut violenter. Modus igitur agendi alius contingens, alius necessarius, alius liber, alius naturalis, aut violentus.

Voluntas hominis non agit coacte, est libera à coactione, non cogitur violenter, & ante & post lapsum. Itaque non imprimitur. Fides à Deo voluntati, sicut imago Sigilli imprimitur ceræ, vbi cera habet se pure passiue, & non potest excutere imaginem Sigilli. Non in δόσει Fidei Deus creat nouam substantiam voluntatis, aut nouum Modum agendi. Prosper ait, manet liberum arbitrium, sed mutatur qualitas: & qui dicit quod liberum arbitrium in homine nihil sit, non est Catholicus. Assensus igitur in Conuersione non exprimitur vi, non cogitur aut trahitur natura intelligens seu homo sicut truncus. Res & vires naturales agunt naturaliter ac necessario: & tamen non coacte, sed sponte. Terra nesciens quid agat, agit naturaliter sicut est condita, gignet fruges, ignorans quomodo eas producat. Intellectus suo modo agit, habet actum reflexum. Aliter Deus Intellectum illuminat, aliter lucem à Sole aer accipit: aliter spargit Sol radios in dolium, aliter Deus semen verbi in mentem hominis spargit.

Volũtas imperat Locomotiuæ δεσποτικῶς, id est, herili imperio seu coactione, cordi imperat πολιτικῶς, id est, persuadendo, quia cor non potest cogi vt subito deponat inflammationes irarum, sed potest flecti & paulatim demulceri persuadendo.

Sublata proprietate inseparabili, tollitur substantia & mutatur in aliam speciem.

Sublato modo agendi proprio & inseparabili (vt proprietate) in voluntate & intellectu, tollitur hominis natura.

Itaque

Itaque sic argumentor: Quicquid est proprium alicuius naturæ quarto modo, id non potest ei detrahi, nisi tota specie mutata aut deleta: vt si quis homini adimeret facultatem numerandi & ratiocinandi, is eadem opera destrueret Hominem. Sed libertas à Coactione est proprietas naturæ intelligentis. Ergo hac sublata tollitur ac deletur natura rationalis seu species humana: Itaque etiam voluntas, vt nihil sit hæc nisi inane nomen: nullumque relinquitur discrimen inter hominem & bestiam vel saxum. Hoc argumento vsus est in Disput. Vinarien. Victorin. Strig. aduersus M. Flaccium Illyricum, detrahentem homini post lapsum libertatem à coactione, quæ libertas Victorino proprietas est discernens naturam humanam à bruta.

In Peccando Hominis Modus agendi mixtus est, vt hominis peccare possit dici medium quiddam inter voluntarium & naturale ac necessarium. Bernhard. super Cantica Serm. 81. Nescio quo prauo & miro modo ipsa sibi voluntas in deterius mutata necessitatem facit, vt nec necessitas cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas, cum sit illecta, excludere possit necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria & fauorabilis quædam vis premendo blandiens, & blandiendo premens. Eandem necessitatem hic agnoscit Augustinus in lib. de perfecta iustitia.

Modus agendi in re qualibet sequitur modum Existendi.

Si ergo modus, quo existit & viuit anima extra corpus, diuersus est ab eo, quem habet in corpore: diuersum quoque agendi modum extra corpus habebit, id est, non intelliget conuersione ad Phantasmata, quæ in corpore mens intuetur, vt oculus colores.

Ex Modo Agendi Agens dicitur Finitum vel Infinitum. Finitum requirit aliquod subiectum, in quod agat, siue agens hoc sit certæ speciei terminis arctatum, vt vniuocum: siue nō, vt æquiuocum. At Infinitum Agens est, cui nihil, in q̃ agat, præsupponitur, & quod nunquam tam efficaciter agit, quin intensiue & efficacius agere possit. Itaque quidam non verentur dicere Creaturas potuisse fieri à Deo meliores, scil. bonitate accidentaria (non Essentiali.)

Pro Modo cognoscendi Scholastici etiam dicunt viam cognoscendi.

DE MODIS COGNOscendi Deum ex de diuinis nominibus Dionysii & comm. Thom. Aquin.

Nos cognoscimus Deum non per naturam ipsius, quasi ipsam essentiam eius videntes: Eius enim scientia est ignota creaturæ, & excedit non solum sensum, sed etiam omnem rationem humanam, & etiam omnem mentem angelicam, quantum ad naturalem virtutem rationis & mentis, vnde non potest aliter conuenire alicui nisi ex dono gratiæ. Non ergo cognoscimus Deum essentiam eius videntes, sed cognoscimus ipsam ex ordine totius vniuersi.

Ipsa enim vniuersitas creaturarum est nobis proposita à Deo, vt per eam cognoscamus Deum in quantum vniuersum ordinatum habet quasdam imagines & assimilationes imperfectas diui-

diuinorum, quæ comparantur ad ipſa ſicut principalia extra ordinem. Aſcendimus per intellectum ſecundum noſtram virtutem ad Deum, qui eſt ſuper omnia: Et hoc tribus modis. Primo quidem & principaliter in omnium ablatione, in quantum ſecundum nihil horum, quæ in creaturarum ordine conſpicimus Deum æſtimamus, aut Deo conueniens, ſecundario vero per exceſſum. Non enim creaturarum perfectiones, vt vitam, ſapientiam, & homini Deo auferimus propter aliquem defectum Dei, ſed propter hoc, quod omnem creaturæ perfectionem excedit. Propterea remouemus ab eo ſapientiam, quia omnem ſapientiam excedit. Tertio ſecundum cauſalitatem omnium: dum conſideramus, quod quidquid eſt in creaturis à Deo procedit ſicut à cauſa. Sic ergo noſtra cognitio contrario modo ſeſe habet cognitioni Dei. Nam Deus quidem creaturas per ſuam naturam cognoſcit, nos autem Deum per creaturas. Et paulo poſt: Deus eſt omnia in omnibus Cauſaliter, cum tamen nihil ſit eorum, quæ ſunt in rebus eſſentialiter, & ideo quidquid in rebus exiſtens cognoſcatur vel intellectu, vel ſenſu, vel quocumque prędicatorum modorum, in omnibus iſtis cognitis quodammodo cognoſcitur Deus, ſicut cauſa: cum tamen ex nullo cognoſcatur, ſicut eſt.

Cognitio prædicatorum Dei per viam
- Negationis. Sic cognoſcimus negatiua prædicata, vt Immutabile remouentes omnes imperfectiones creaturarum à creatore.
- Cauſalitatis. Sic cognoſcimus prædicata relatiua vt eſſe cauſam primam.
- Eminentiæ. Sic cognoſcimus prædicata abſoluta & poſitiua vt ſapientiam, bonitatem.

De Modis ineſſendi vel adeſſendi Dei.

Deus dicitur eſſe
- In rebus vniuerſis, id eſt, omnibus & ſingulis: Dando ipſis
  - ὕπαρξιν, exiſtentiam, eſſe ſuum, per eſſentiam.
  - Δύναμιν potentiam. Hoc eſt ad eſſe per potentiam.
  - ἐνέργειαν operationem per præſentiam.
- In Sanctis per Gratiam.
- In Chriſto per vnionem hypoſtaticam.

Optic. Diuiſio

Viſionis ex Modo.

Modi Ratione viſio eſt Directa, vel Non-directa. Dictinctio eſt è cõtradicentib⁹. Viſio Directa fit cum radii, antequam in viſibile incidunt, ſine flexione ſecundum perpetuam rectitudinem in ſuperficiem illius extenduntur.

Eſtq

Eſtque accuratiſſima.

Non-directa viſio fit in terminorum concurſu, vbi radiatura debilitatur. Itaque aliquid patitur radius. Idque vel reſiliẽdo, vel pertranſeundo. Itaq; radiatura non-directa eſt Catoptrica vel Meſoptica.

Catoptrica fit cum radij à denſi corporis ſuperficie eam partem verſus vnde veniunt reflectuntur.

Meſoptica fit cum in medio diuerſo radius rectus recta tranſit ſeu irrefractus penetrat, obliquus frangitur. Medium diuerſum eſt, quod differt raritate & denſitate. Conſule Alhazen. Opt. lib. 7.

Muſic. Modi Melodiæ.

Modus eſt ratio numeroſa melodiæ intra certos fines ad affectum inflectendum. Græce τρόπος & τόνος.

I. Modus ſpectatur in Monodia, vel Symphonia.

In Monodia, cum aliæ melodiæ non coniunguntur. In Symphonia ſeu concentu fit, cum plurium vocum acumine & grauitate differentium eſt congruens conſonantia.

II. Modus eſt Naturalis, Durus, vel Mollis.

Naturalis habet Vt in C. nec attingit B. Durus habet: Vt in G; & Mi in b fa b mi.

Mollis habet: Vt in Fa, & Fa in b fa b mi.

In duro & molli fere eſt mutatio. Ea fit aſcendendo per Re, deſcendendo per La.

III. Modus ſeu Tonus eſt perfectus vel Imperfectus. Imperfectus eſt quarta vel quinta. Perfectus eſt ſpecies διαπασῶν ex diateſſaron & diapente conflata, &c.

Grammatic. Modi verborum.

1. Modi Verborum quaſi facies vel flexus impropriè definiti ſunt ἐγκλίσεις id eſt, inclinationes animi. Sunt enim notæ inclinationum ſeu propenſionum. Vid. Scal. 3. l. de cauſ. l. l. c. 73. & 5. c. 114.

2. *Indicatiuus* Modus perfectiſſimus rectius & γενικώτερον diceretur Definitiuus, hoc eſt, Conſtitutiuus ſeu Poſitiuus, θετικὸς, ponens & ſtatuens rem. Græci ſane primam vocem huius modi; vt λέγω, dico; vocant Thema, quia prima eſt poſita.

3. Sed Modorum verbalium doctrinam P. Ramus, & qui eum ſectantur, non ſine rationibus probabilibus è Grammaticis tollunt.

Modus Syllab.

Accentus ſunt Modus ſeu menſuræ Syllabæ. Græcis ſunt τόνοι, translata ratione à fidibus, vt placet Scaligero, quarum intentione aut remiſſione acutior grauiorue redditur vox.

Modus Syntacticus.

Modus Syntaxeωs eſt Regularis, vel Anomalus.

Anomali exempla ſunt Sacramentum Cœnæ, pro, Sacramentum Cœna: Signum Circumciſionis, pro Signum Circumciſio: Templum corporis ſui, pro Templum corpus ſuum. Enallage caſus.

PRO MODO.

Pro modo cuiusque, pro captu cuiusque, quemadmodum natutæ cuiusq; conuenit, pro naturæ cuiusq; conditione, ſecundum capacitatem rei, Synonyma ſunt, vt prouidentia ſingula pro modo cuiusq; regit. prouidentia diuina ita regit mouetq; ſingula, ſua cuiq; diſpenſat, vt naturæ cuiusq; conuenit. Marſilius Ficinus in lib. de diuinis nominibus.

Opponitur ei ſupra modum vel cõditionem, vt Angeli tanquam intelligentiæ ſupra mundanam conditionem intelligunt, Dionyſius in lib. de diuinis nominibus.

Quidam è ſcholaſticis ſcripſerunt beatos in altera vita eſſentiã Dei non viſuros ὁλικῶς (ὁλικῶς dico, ne cogar dicere to-

taliter.) His obstrepit Rana quædam. Sic imminuuntur nobis æternæ vitæ gaudia. At vero, inquam ego, nihil minus. Volunt enim illi nihil aliud quam Deum à nobis visum & perceptum iri pro modo creaturæ: id est Deum sese nobis iam spiritualibus factis, & glorificatis puræ mentis intelligentia contemplandum inenarrabili cum lætitia præbiturũ esse, quatenus à re creata comprehendi potest. Quid hic desideras obstrepera.

Cautio.

Obiectum intellectus est res per speciem. At species modus est intelligendi.

Caue confundas modum cum obiecto. Species non est obiectum intellectus, sed intelligendi Modus. Non enim est sicut repręsentatio in speculo ad sensum, qui non discurrit. At intellectus recepta specie exsinuat seipsum, atque ipsam speciem cognoscit esse rei notionem, non autem rem. Scal. ex. 107.

MODIFICATVM.

Modificatum est modo affectum seu tẽperatũ. Modus varius est: Rhetoricus vnde oratio modificata: Logicus vnde propositio modificata, seu modalis. Ethic⁹ vnde actio modificata, res modificata, cui moderatio aliqua adiecta est. Musicus, vnde cãtus modificatus.

Modificata propositio opponitur absolutę, quia illa significatur modus, quo aliquid alicui ineſt vel nõ ineſt, vt modales sunt: Socrates contingenter est Grammaticus: Socratem esse Grammaticum est contingens, & sic in reliquis: At hæ sunt absolutæ: Enunciatio, Socrates est Grammaticus, est cõtingens: Hoc enunciatum, homo est animal, est necessariũ. Eccur non sunt modales, quæris? Respondeo quia in modali modus afficit copulã enunciationis. At cum dico hæc enunciatio, Socrates est Grammaticus, est contingẽs vel contingenter vera. Cõtingens prædicatur. Vide Fonseca l. 3. Dialect. c. 9. vbi hanc Enunciatio. Socrates est Grammaticus, est contingens, vocat enunciationem in actu signato. Illam vero, Socratẽ esse Grammaticum, est contingens, enunciationem in actu exercito, quod est obscurum.

MOMENTVM.

Momentum dicitur à celeritate motus, ita nimirum vt vix animaduerti possit. Sæpe accipitur pro pondere vel vi.

Aliud est esse simpliciter, aliud est esse bene. Illud Scholastici notant momento primo: hoc momento secundo. Marsil. Ficin. in l. de diuin. nominibus. In omni re post primum aliud quidem est essentia, aliud bonitas, aliud esse simpliciter: aliud autem bene esse: alioquin in ipso primo puroque essendi momento penitus conquiescerẽt, nec ad aliud aliquid niterentur intrinsecus vel extrinsecus acquirendum, sed in quolibet reuera est aliquid quasi adhuc informe imperfectumque ad formam absolutam natura contendens. Hoc secundum momentum essendi intelligitur. Dicit post primum; quia in solo Deo vnum reuera momentum est, id est, idem est esse simpliciter, atque bene esse.

Momenta
- Naturæ
  - Primum.
  - Secundum.
- Temporum.
- Causæ, id est rei.
- Rationum & Testimoniorum, aliqua, nulla, grauia, leuia, magna, parua.
- Officiorum. Ita Cic. pro Mur. vocat etiam minima officia. I. Camerar.
- Sortis.

Momentum oculi, ῥοπὴ ὀφθαλμοῦ Græcis & D. Paulo Apost.

Axiomata ὀντολογικὰ.

Ens in duobus ponitur momentis. 1. Per principia. 2. Per affectionem suam. Per principia igitur in primo, per affectionem in secundo momento.

Omne Ens, qua tale, post primum essendi momentum est in secundo.

Existentia est affectio Entis simplex, qua radicante Ens ingreditur secundum essendi momentum. Affectio enim perficit ens κατὰ τὴν ἐπισίαν, non καὶ' ὐσίαν, quoad secundum, non quoad primum essendi momentum.

Compositio est vel primi momenti ex materia & forma; vel secundi ex subiecto & adiuncto.

Vnius Numero seu individui vna quoque propria est numerica essentia & existentia, qua est quod est vtroque momento, & differt ab alijs. Itaque Petrus à Paulo differt essentialiter non tantum affectionibus. Iohan. Cramer. & Lipp.

Accidens (commune pluribus subiectis) posterius est in secundo momento essendi: proprium prius.

Differentia ὐσιώδης speciem cum primis constituit in primo essendi momento. At forma seu differentia accidentalis (quæ Barbare vocatur existentialis & affectionalis) id est, proprietas & accidens in secundo naturæ momento.

Nulla substantia, qua talis substantia, in secundo naturæ momento caret accidente.

Essentia Ens id esse dicitur, quod est scilicet intrinsecus, & quoad primum essendi momentum.

Compositio Entis est
- Primi momenti; è materia & forma.
- Secundi momenti: è subiecto & accidente.

Momentum in Physica distinguitur in Momentum *præcise*; quod est præsens indiuiduum & vere punctum temporis: & *laxius*, (τὸ ἐγγὺς πλάτει,) quod ei propinquum est; vt cum dicimus, nunc vel iam veniet, vel nunc venit (in præterito) si quis aut veniat aut venit hodie, hoc est, paulo post, vel paulo ante. Vitus Amerbach. l. 4. phys. p. 365. Vocatur nonnunquam Tempus insensibile propter exiguitatem, quod etiam notatur vocibus repente & subito.

MONAS.

Μονὰς est Transcendens vel Inferior. Trãscendẽs Deus rerum principiũ Pythagoricis, & vnitas Metaphysica.

Inferior vt Mathematica, Ethica, Logica.

Mathematica vt Arithmetica, radix numeri.

Monas Logica est simplex terminus; Dyas propositio, quæ ex duobus terminis tanquam duabus monadibus coalescit: Trias Syllogismus. Hinc Numer⁹ μοναδικὸς, qui cõstat ex monadibus. S. elementum consonantem vocarunt *quidam Grammatici* μοναδικὸν, quod neque sit liquidum neque semiuocale, sed singulare & suæ quasi potestatis.

MONOLEMMATA, μονολήμματα, συλλογισμοί.

Μονολήμματα Antipatri Sectatorum sunt

Enthymemata seu argumentationes deficientes (ἐνθυμεῖς.) Sic dicta, quia vno posito seu sumpto aliquid cõcludunt, seu vnam tantum habent præmissam.

Λήμματα sunt apud Aristotelem præmissa seu propositiones Syllogismorum. Ad verb. Sumpta. Μονολήμμαλος συλλογισμὸς est. ἀναπνεῖ:. ζῇς ἄρα. Respiras. Viuis igitur.

MONSTRVM.

Monstrum proprie est corpus naturale, quod habet erratum naturæ, vt cum deest iustus situs membrorum aut consueta naturæ partium proportio. Velcur. l. 1. Comment. Physic. vel est παρέκβασις seu ἁμάρτημα naturæ in corpore naturali. Est igitur præter naturam seu eius opera.

Per metaphoram ponitur pro opinione admodum mirifica & noua monstri simili, quæ & monstrosa sententia dicitur. Sic Scaliger. Ockam in commentario de Eucharistia scripsit, punctum esse lineam, lineam superficiei, superficiem corporis priuationem, vnũ hoc est ex monstris Nominalium. Exerc. 65. sect. 4. Sic monstrosum dicitur.

Ἀκύρως etiam vsurpatur à Cardano, cum ait, Mare esse monstrorum patrem. Et Homero rariora Meteora sunt τέρατα seu prodigia.

Sed redeamus ad significationem propriam.

Aristoieles Monstri vocem accipit Specialius & angustius, quam alij Philosophi. Varij huius vocis vsus cognitio valde necessaria est, vt ab eo in ipsius rei perceptionem facilius prouehi possimus.

I. Aristoteles 1. negat in corporibus cœlestibus fieri monstra, cum ei ibi omnia fiant κατ' ἀνάγκην simplicem. 2. Meteora etiam illa, quæ minus crebro accidant, & sunt inusitata, dicit fieri κατὰ φύσιν ἀπαλλοτέραν τοῦ πρώτου στοιχείου τῶν σωμάτων, id est, secundum naturam minus ordinatam primi elementi corporum.

3. Ea, quæ prorsus nullas causas habent in natura, ne inquirit quidem, cum sint supra humanum captum, & stultum sit Physicum inquirere ea, quorum causa in natura non est.

Relinquit igitur inter monstra tantum ea, quæ fiunt in animatis animantibus & stirpibus, & hæc dicit esse à natura per accidens, esse ex materia per se, cuius magna sit fluxibilitas, in qua materia sit στέρησις ruens subinde ad alias & alias formas, & in qua dominetur Forma & casus: in materia agere naturam vt assequatur suum finem, sed impediri à materiæ fluxibilitate, ideoque agere quantum possit.

Exempli causa: Natura hoc agit Aristoteli, vt ex semine homo nascatur; sed quia materiæ est magna inconstantia & ἀταξία seu confusio; item quia in materia dominatur casus & fortuna, vt cum imaginatio aliqua, cupiditas, formido, vel perterrefactio offertur grauidæ, ideo natura impeditur; ac virtus φυτικὴ & διαπλαστικὴ conturbatur, & tamen agit, quantum potest.

Producit igitur corpus viuũ, sed diuersum ab illa forma, quam intenderat, & habens illam formam, ad quam materia propter fluxibilitatem & casum ac fortunam ruebat.

II. Alij Phil. monstra non tantum vocant, quæ ex animantibus nascuntur noua, aliena ac dissimili specie, sed etiam ostenta, quæ sunt in aere, vt imagines & effigies exercitiuũ, fragores armorũ; non tãtum quæ naturalia sunt, id est, quæ habẽt causas secundas inferiores, sed etiã quæ habent causas cœlestes & spirituales, vt sunt depra-

uationes

uationes rerum à DEO creatarum, factæ mirifica Diaboli potentia, quam in naturam exercere potest, vt monstrosi aliqui fœtus ostendunt. Itaque faciunt Monstrorum duo genera; Vnum genus, quod est præter communem cursum naturæ, cuius causæ secundæ aliquo modo apparẽt tam cœlestes, quam materiales (de quibus proprie quærit Physicus) quia etsi natura hoc non agit, vt ea producat, habent tamen aliquid Physicum. Alterum Genus eorum, quæ fiunt contra naturam vniuersam, & sine vllis causis secundis, quæ humana ratio perspicere non potest.

habent à causa finali, quod aliquid monstrent, ostentent, porro intendant, vel quę porro sunt quasi intentent, quod prodant vel porro dicant. Aliud ab his est *Omen. Signum* est generalius.

Theologi cum Scriptura voce τέρας (quod monstrum significat & ostentum & portentum Philosophis) & de Operibus Deo propriis, singularibus, nouis, inusitatis & extraordinariis quę non sunt παρὰ φύσιν, sed ὑπὲρ φύσιν, nec sunt ab vllo naturę errore, à nullo defectu vel excessu causarum, sed ab omnipotentia diuina singulari, quæ dicuntur Miracula; & de Pręstigiis diabolicis operum diuinorum κακοζηλίᾳ perũersa imitatione æmulis, quouſque Deus permittit, seu fascino seu effecto vtuntur.

Ex his Philosophis sunt, qui synonyma pariaq; fere faciant cum Antiquis, vt Cicerone, Monstra, τέρατα, portenta, ostenta, prodigia, quæ omnia nomen

τέρατα sunt duum generum
- Quæ fiunt & nascuntur pręter communem & vsitatum cursum ordinemq; naturæ.
- Quæ omnino naturaliter fieri aut nasci non possunt, sed sunt contra naturam.

Sed & Philosophi & Theologi Miracula Dei propria à monstris Latinorum discernunt: non enim monstrum aut mõstrosam actionem, sed miraculum vocant mutationem Christi aquæ in vinum.

Monstra παρὰ φύσίν τινα sunt miracula ὑπὲρ φύσιν πᾶσαν. Quædam interim prodigia esse miracula non nego. Vocem enim Monstri facere malo angustiorem, quam prodigii.

Distinctiones.

1. Prodigia sunt vel ὅλως, ἁπλῶς, vel πῶς, per accidens.

2. Distinctio τεράτων è subiectis.

Corporibus cœlestibus; vt signum retroactæ vmbræ; Stella exorta Christo nato: & à sapientibus Arabum visa & notata Eclipsis patiente Christo conspecta; quæ & miraculosa denominatur.

Elementis { Igne. Aere. Aqua. Terra.

Τέρατα, prodigia, monstra, ostenta sunt in

Imperfecte vt Meteoris { Igneis, Aeriis, Aqueis } Cum naturæ captum excedunt.

Mixtis ex Elementis

Ἀνυπόστατα, vt φάσματα, id est, species inanes, quæ sunt { Corporũ Naturaliũ { Simplicium. Mixtorum { Animatorum. Inanimatorum. } } Arte factorum. Figuræ abnormes.

Perfecte mixtis. Hæc sunt

Animatis { Animalibus { Hominibus. Brutis. } Plantis.

ἐνυπόστατα, quæ natura aliquid sunt in

Inanimatis quę fiunt & elaborãtur, { Natura { Species abhorrẽtes ab ipsorum natura. Actiones & passiones recedentes à cõmuni captu naturæ, vt enormes seu insignes furores, θηριώδης, Heroica virtus. Sed hæc monstri nomẽ nõ admittit, Sed τέρατος vel prodigii quasi & miraculi quodammodo. Arte.

In cœlestibus corporibus prodigiũ nonnulli habere & portendere aliquid volunt Eclipses Solis & Lunæ, quod & raro fiant, & luminum constitutam diuinitus ordinatamq; actionem impediant. Ac quidam Theologi sunt in ea sententia, Eclipses nõ fuisse futuras, si natura mãsisset integra, quod omnis Eclipsis cũ impediat actionẽ luminũ cœlestium in inferiorib. noceat, & sit pœna addita generi humano. Sed mihi hoc cõmẽtum (sit dicto venia) non placet. Huc igitur ego refero, quæ à Deo sine causis secundis facta sunt in cor-

corporibus cœlestibus: vt cum sol cõstitit in pugna Iosuæ, cũ regreditur in morbo Ezechiæ; Et signa quædã quæ à Christo dicuntur antecessura vltimũ iudicium.

In Elementis prodigia sunt, cum actiones & virtutes suas Elementa nõ præstant, aut assumunt virtutes & actiones alienas, aut cum loca aliena obtinent.

Primo in igne prodigia sunt, cum, Deo ita perficiente ignis **non** consumit cõiectos in fornacem Babylonicam; cum caput Tarquinii aut Ascanii ignis non consumit; cũ ad certorũ locorũ conflagrationem, ad incendenda sacrificia cœlitus demittitur. Quidam his annumerant Ignes fatuos Irrwische/qui noctu in terra apparent, & viatores sæpe seducunt seu faciunt vt à via aberrent. Sed hi naturalia sunt meteora, & quidẽ humiliori loco aeris cõspiciuntur, quam vbi sedes ignis est. Itaq; eos mitto vt huc nõ pertinentes, nisi quid Diabolicæ seu Satanicę operę accedat.

In aere portẽta sunt. 1. Alienæ species apparentes, vt gladiorum, animalium, virgarum, quę partim quasi picturæ quædam in aere exprimuntur, partim reuera existunt & decidunt. Talis fuit Lapis, qui de cœlo decidisse olim scribitur in vrbem quandã, Græciæ fuisse puto, cuius nomen nunc nõ memini; quem tamẽ alii à monte auulsum viatorum, & in illam vrbem delatũ fuisse scribunt.

Huc referes pluuias lapidum, sanguinis, lactis, frumentorum, pisciũ, ranarum, nisi fortasse hasce ad mirifica meteora referre malis. Itẽ armorũ sonitus, qui in aere audiuntur; aut lugubres eiulatus, item tenebras præternaturales, quales fuerunt Ægyptiacæ, palpabiles nimirum.

In aqua sunt murmura sępe mirifica, & portentosa, inundationes, eluuiones nunc magnæ & magis monstrosę, quæ fiunt sine imbribus ex diuinis prodigiis: sunt in hoc genere Scaturigo aquæ è petra sterili, & maxilla asini, aquæ maris & fluminis cedentes trãsitũ Israelitis, & aqua gestãs incedẽtem Petrũ & Christũ: & aquæ versæ in sanguinẽ Ægyptiis. Hęc θαυμασιώδη sunt.

In Imperfecte mixtis sunt Meteora; inprimis rara, prodigia vel ἁπλῶς vel πῶς seu κατά τι, vt quæ vel specie inusitata & noua, vel loco, motu, qualitate, quãtitate, tẽpore, duratione cõmunia superant; pluuiæ scil. & venti, tẽpestates fluminum & tonitruum, irides, quando fiunt contra vsitatum naturę modum & regionũ seu locorũ & temporis captum, vt sic dicam, prodigia esse incipiunt. Nam quæ per se Physica sunt, ea captum naturæ secundum indicatas περιουσίας excedentia monstrosa fiunt, ettiamsi nihil aliud accedat: vt pluuię in Ægypto, & apud nos nostræ modũ excedentes: aut si nix in terris caderet in Solstitio: item venti nimii, de quib. vulgus etiã ominari solẽt, quod portẽdant seu significent aliquid mali, aut si in æstate aut hyeme acri vehementes existunt, cũ in vere & autumno inualescere & tumultuari illi soleant; Item Irides, qui cingunt solem, cum naturaliter hæc ei opponãtur, mirifica sunt. Cometæ autem cum per se sint prodigia vel ostenta potius, magis fiunt (de multorum sententia) si in motu, magnitudine, duratione, specie habẽt aliquid singulare & nouũ, vt ille, qui integro anno apparuisse legitur ante πάνυελωθρίαν seu excidium Hierosolymitanũ. Tales sunt & grandines referentes speciem artis operum. Ad φάσματα τῶν μετεώρων, quę non contra vniuersam naturam fiunt, & tamẽ habent nonnihil τέρατος, referuntur parelia & Paraselenæ. Nã etiamsi causæ & significationes horum Physicæ deprehendũtur: plerunq; tamẽ aliquid amplius, quã tẽpestatẽ futurã significãt, & accidunt, cum his neq; halones,

neque irides communes; parelia autem magis frequentia sunt, quam Paraselenæ, id est, duæ vel tres lunæ (κατ' ἔμφασιν.)

In Perfecte Mixtis ex Elementis corporibus prodigia primo sunt φάσματα, hoc est species inanes, quæ reuera id non sunt, quod repræsentant. Hæc sunt duplicia, Diuina & Diabolica. I. Cum Deus & boni Angeli, qui sunt spiritus corporum expertes, induunt speciem hominis aut animantis alicuius. Talia sunt, cum Spiritus sanctus apparet in forma columbæ, cum tres viri apparent Abrahamo (18. Genes.) inter quos Filium Dei fuisse volunt nonnulli Theologi, cum nato Christo apparent Angeli cum specie visibili, & canunt voce, quæ exaudiri potest: cum Angelus hominis specie luctatur cum Iacobo Isacide: Neque enim ex spiritibus vllus humanam naturam vere & solide induit seu ὄντως assumsit, præter Filium DEI. Sed & DEVS, & Angeli cũ se exhibuerunt hominibus oportuit hoc eos facere cũ ea specie, quæ in sensus incurreret, & à nobis percipi posset, q̃ semper est mirificum. II. Diabolorum ludibria infinita sunt, quibus & animatorum & inanimatorum, vel etiam abhorrentes quædam species actiones & virtutes multipliciter repræsentantur. Tales sunt homines ignei, qui apparuerunt obuersantes, antequam Cæsar interficeretur: Ignis, qui ante pugnam Pharsalicam super castra Cæsaris apparuit, & postea decidit in vallum Pompeii. Item Mali Genii, qualis apparuit Bruto postridie prælium inituro cum Augusto. Nihil enim in his rei est & veritatis. Itaque spectra hæc nominantur & εἴδωλα. Talia sunt mortuorum aut absentium corpora repræsentata. (εἴδη tantum hæc sunt à præstigiis Diabolicis profecta.) De talibus spectris Epicureorum sententia est, nullas esse tales species φασμάτων, quæ externis sensibus repræsententur, sed errorem offerri animo ab interna causa, quo concepto animus hanc speciẽ & effigiem sibi postea fingat, quę nusquam sit, neq; re ipsa sensibus offeratur, sed in perturbatione quadam & metu ab vnoquoq; informetur; vnde fiat vt alii spectra se cernere putent, alii eadem non cernant, in quibus animus ęger non est, nec errat. Itaq; Plutarchus introducit Cassium disputantem cum Bruto ex doctrina Epicurea, Spectra nihil esse, vt Brutum confirmaret, cui spectrum apparuerat. Sed & Sacræ & Profanę historiæ, & experientia nostrorum temporum conuincit esse talia phasmata, quæ non ab animi errantis & perturbati conformatione sen φαντασίᾳ seu γνώμῃ laborante existant, sed reuera offerantur hominibus, cum diabolus vel aerem condensatum ita informat, vel alias res, vt lapides, ligna, hominibus per aerem informatum obtrudit, vnde tangentes & percutientes spectra vel aerem tantum dissipant, vel resultante & diabolicis præstigiis refracto ictu se ipsos vulnerant. Huc pertinent quoque illa, Cum puella mortua rursus tanquam vita obambulat propter fascinum. Vid. Andr. Hyperii locos comm. Theolog. cum cadauera punitorum obambulare & comedere videntur, Interdum etiam ignes fatui noctu errantes, qui etsi sunt q. meteora, quia ex terra emicant, & vt plurimum in locis, vbi metalla sunt, conspiciuntur: tamen quando homines seducunt, vel cautissimos, phasmata diabolica esse videntur. Et hic quidem primus gradus est prodigiorum in perfecte mixtis, quę præterquam quod dicũtur phasmata (species apparentes quidem, sed non reuera existentes quod repræsentant) dicuntur etiam ἀνυπόστατα, id est, species inanes, veram hypostasin

ſin ſeu ſubſtantiam nõ habentes; itaq; nunquã perfecte ſolideq; aſpectabiles.

In perfecte mixtis ſeu concretis ſecundus Gradus eſt eorum, quæ reuera ſic ſunt & ἐνυπόςατα dicũtur (Sunt enim corpora.) Præter vel contra naturæ ordinẽ communem, vt Primo in animatis (animantibus & plantis) fœtus mõſtroſi, Figuræ eorum monſtroſę & abhorrentes à genere ſuo, infans biceps.

Præterea accidunt multa corporibus per ſe non monſtroſis mirifice, quæ & ipſa huc pertinent: vt ſunt παθήματα & actiones virtuteſq; alienæ à captu, id eſt, genere & natura cõmuni plantæ vel animantis. Talia ſunt corpus & ſtatura nimis magna, parua, diſtorta (quæ monſtroſa corpora appellamus) aut cum aſina aut bos loquitur, aut Triton claſſicum canit, ſi ſeruus ille Triton habetur, & non phaſma. Item cum puella viuit multis menſibus ſine cibo & potu. Huc refero furores mirificos, non vulgares in genere animantium vniuerſo, & ſcelera hominum ea, quæ non ſunt imbecillitatis humanæ delicta; ſed Diabolorum impellẽtium in hominibus mancipiorum inſtar obtemperantibus ipſis actiones, quæ eſt δηριότης Ariſtotelica, qualia ſunt Thyeſtea illa facinora, de quibus Tragicus.

Huc etiam pertinet beſtiarum quarundam præſtantia eximia, heroica in homine aliquo perfectio, & præſtantia in aliqua re vel facultate naturali, communem captum ſuperante, vt formæ Helenæ & Abſolonis, robur Samſonis, ſapientia Salomonis: vocant Naturæ hæc Miracula. Item pertinet huc deformitas in partibus corporis beſtię aut hominis, vt ſpecies Therſitica, quæ eſt hominis quidem, ſed mirifice deformis. Huius generis ſunt, vt dixi, actiones, opera & virtutes animantium aut ſtirpium, quæ habent animam φυτικὴν, alienæ à ſexu, conditione & ſtatu horum, aut tempore, ætate, loco alieno vſurpatę, vt cum muti, aut infantes loquuntur, cum Zoraſter vix dum in lucem editus ridet, aut in Pyrrhi ſacrificio boum capita reciſa linguas emittunt cum gemitu, & Cæſare ſacrificante in boue cor non appareret, aut mortui loquuntur, aut obuerſantur, aut galli canunt mox excluſi, cum in cunis Platonis, aut in aggere caſtrorum Bruti mellificant, vbi mellis factio non eſt prodigium, ſed quod fit in alieno loco, prodigii nomen acquirit.

Vltimo in inanimatis ſiue à natura productis, ſiue arte factis corporibus prodigium fit, ſi animantium paſſiones (παθήματα) vel actiones referunt. Qualia ſunt ſtatuæ loquentes & ſudantes, ſanguis manans è pane diſſecto, aut ſtirpe euulſa. Item cum alia eis accidunt mirifice *præter naturam vel vniuerſam, vel propriam, id eſt, eam, cum qua ſunt condita*, & cum ſine vlla cauſa aut vi externa mutantur, corruunt, euertuntur, vt Cæſaris ſtatua in Meſopotamia conuertens ſe in ortum ab occaſu, aut oſtia munita cum patefiũt vltro ſine hominis opera. Item cum natura artis aut animantium operibus ſimilia efficit vel producit, vt cum ex olea mel fluxit, aut effodiuntur à metallicis quaſi cælaturæ naturales; aut cruces nigellę in veſtibus hominum exſtiterunt; quaſi defluctes, vel ex aere ambiente formatæ ante annos plus centum. Sunt & mirifica, cum ars naturę opera repræſentat. Quo pertinẽt Artificum opera captum humanum ſuperantia quocunq; in genere. Atq; hæc fuit διαγράμματος explicatio, ex qua apparet ἐκ τῶν θεράτων multa eſſe θαύμαλα, id eſt, miracula.

In hiſt. Alex. M. ſcribitur ſudaſſe ſtatua Orphei.

Accidit hoc anno 1501.

Distinctio Prodigiorum è causis efficientibus.

- Prodigia
  - E causis Physicis cœlestibus & materialibus tota, quorũ causa est imbecillitas naturæ. — Hoc genus fit præter naturam communem & vsitatam.
  - Sine vllis causis Physicis, quæ sunt Tota A
    - Dei omnipotentia aut angelorum huius virtute & ministerio.
    - Diabolorum præstigiis.
    - } Hoc Genus simpliciter fit præter naturam vniuersam.
  - Cõcurrẽtib. causis Physicis & externis, nempe Deo & bonis Angelis. — Hoc genus mixtum est partim contra naturam vsitatam, partim contra vniuersam naturam.

Διχοτόμως.

a

- Fiunt prodigia
  - Ex debilitate naturæ propter maledictionem diuinam. Talia sunt monstrosi fœtus ac τῆς φυτικῆς potentiæ errata ac impedimenta pleraq;.
  - Vi externa, nempe à Deo, Bonis & malis Angelis,
    - Immediate sine causis naturalibus:
    - Mediate, assumẽtibus nimirum alias res & causas in natura. Talia sunt diabolica omnia, quæ non sunt præstigiæ.

a De hac debilitate seu defecta natura (vt loquitur Scalig. ex. 295. An mutili sint improbi) interpretor casum Aristotelis & αὐτόματον illud, ad quod non accedit vis aliqua externa. Nam fortuiti motus & mixtiones pœnæ videntur esse peccati in natura afflicta atq; debilitata, cum absq; hoc fortuna & casus aut non habuissent locum in natura, aut in προαιρετικοῖς tantum & voluntatis actionibus notari potuissent, neq; irrepsissent in naturæ opera ὁ προαίρετα: in *quibus temere aliquid fieri dicere non videtur esse consentaneum œconomiæ diuinæ.*

Fertur fœmina nata esse sine brachiis qua pedibus ad nendum & suendum loco manuum vsa est.

In Hominum Genere Ludouicus Mercatus notauit quinq; Monstrorũ genera.

Primum comprehendit eos homines, qui defectu aliquo insigniuntur. Ferũt enim quosdã vnico in media frõte oculo insignes esse, alios in humeris oculos habere, quippe quibus ceruix non sit. Reperiuntur & sciapodes, id est, qui se vmbra pedibus facta tegũt; Quigeminas in singulis oculis pupillas habẽt, ac aspectu interimunt eos, quos irati intuentur.

Secundum Genus Monstrorũ ex his est, quorũ corpora magnitudine aut paruitate à natiua hominum συμμετρία seu commoderatione deficiunt, vt gigantes vel pumiliones.

Tertium continet ea corpora, quibus aliquod membrum redundat, quod sane complectitur hermaphroditos, vel ea corpora, quę plures digitos manuũ vel pedum, vel plura brachia vel genua habent.

Quar-

Quartum ea complectitur monstra, quæ partim humano sint, partim bruti alicuius speciẽ referente corpore.

Quintum eorũ est corporum, quæ bruti alicuius animalis ex toto, vel plurium mixtim speciem ac figuram repræsentant.

Monstrosi versus sunt Errore vel Arte; Arte, vt cum Monstrum describitur. Exemplo sit hic Hexameter:

Monstrum inimicum, auidum, imo alitum,
Orco, Hecate, atque Erebo ortum.

De Monstro Ethico.

Translate etiam Monstrum quoddam in practica Philosophia dicitur. Nam & Cicero dicit, In hominis figura immanitatem gerere bestiæ; & Scalig. in l. de Poet. 3. Monasticum genus monstrosum esse iudicat. Verba eius sunt pag. 207. Ista nostra monstra, quæ Monasticum genus addiderunt Politico & œconomico, non intelligunt hominem esse animal sociale: Solitarium vero, quem Aristoteles μοναδικὸν vocat & μονήρη, aut Deum, aut bestiam. Idem Scalig. Mentem monstrosam vocat Mentem strumam (pro strumosam.) Monstrosum plus est quam Ineptum aut περιττὸν. Non quicquid est ineptũ & περιττὸν (excedens) illico monstrosum est.

MONOSYLLABOCATALEGTICVM & *Climacticum.*

Metra μονοσυλλαβοκατάληκτα sunt, quæ quæ monosyllaba voce vel tantum finiuntur, vel & incipiunt & finiuntur; & interdum sunt *simul climactica* & concatenata.

Exemplum primi. Ausonius:

Indicat in pueris septennia prima nouus dens,
Pubentes annos robustior anticipat vox,
Et durum nerui cum viscere consociant os, &c.

Exemplum Secundi, Auson.

Res hominum fragiles alit & regit & perimit sors,
Sors dubia, aternumq; labans, quæ blanda fouet spes,
Spes nulla fine fine æuo cui terminus est mors,
Mors tamen hic nulla est, verum est iocus & nihili res.

MORA.

Mora in genere est dilatio vel cessatio alicuius in specie. Mora est exspectati Boni dilatio.

Dicitur autem moram facere, cõmittere, purgare, id est, contractã ex mora culpam ita eluere, vt eius pœna vitetur.

MORBVS.

Morbus proprie est affectus corporis animalis præter naturam sensibiliter impediens lædensue actiones, & quidem immediate.

Seu Morbus est constitutio, seu diathesis. seu qualitas præter naturam corporis viuentis, à qua id redditur impotens ad agendum: vel est corporis aut partis impotentia ab materia proficiscens.

Definitio est perfecta (totam demonstrationem complectens) per formam, per materiam in qua, & causa inhærentiæ. Accidentium forma nihil aliud est, quam notissima accidentis significatio.

Aliis Morbus est priuatio sanitatis à cõstitutione præter naturam dependens.

Per Metaphoram. Animo morbus tribuitur. Stoici enim affectus crebros & inueteratos vocant animi morbos. Aliis etiam vitia virtutibus opposita animi morbi sunt.

Quidam etiam ἀφιλοσόφως substantias vitiosas morbos vocarunt, vt lapidem in vesica, humorem, vt Paracels. Confusio hæc est accidentis & substantiæ.

Nec morbi nomen recte tribuitur Symptomati, quod est accidens præter naturam, quod vel morbum sequitur tãquã vmbra corpus, vel causam morbi.

MOROSITAS.

Morositas est quædam animi displicentia, cum iugi & subrustica asperitate commouetur, quando non ita ad vnguem & ex animi sententia actum est, quod postulabatur.

MORS.

- Mors dicta
  - Proprie. Interitus caloris vitalis cum animæ
    - Interitu.
    - Receſſu à corpore.
  - Improprie ſeu per ſimilitudinem
    - 1. Interitus ſeu amiſſio caloris vitalis. Hæc quaſi Mors vino tribuitur cum fit acetum: tunc enim interit calor vitalis, remanente Elementari & humidum continuante.
    - 2. Corporis variatio & cõtinuus defluxus de co.

Sic Nicol. Leonicenus Thomæus in Cõmen. in lib. Ariſt. de ſpiratione, Latentiori etiã quodam mortis vocabulo omnes ſane corporis mutationes variationeſq;, non ſolum eas, quę annorum decurſu per confeſſos ætatis gradus, ſed eas etiam, quæ per quotidiana fiunt temporis momẽta, antiquorum pleriq; appellauere. Quapropter non immerito dicere ſolebat Socrates, ridicule admodum homines timere mortem, cum quotidie moriantur: & ſi recte perpendant, multos ſe functos fuiſſe mortibus meminiſſe poſſint. Ita mors eſt, cum ex infante fit puer, & ex puero adoleſcens, ex adoleſcente iuuenis, ex iuuene vir, ex adulto viro ſenex: hoc eſt, ex infante fieri puerum, antiquis nonnullis fuit mori (ἀκύρως.)

Impropria etiam ac Metaphorica Mors eſt *Academica* (id eſt, de qua Schola Academicorum diſſerit) Animorum, cum corporum labe illorumque affectionibus animorum nitida inquinatur & velut interit eſſentia, ſordeſcitq; deinceps, & quaſi mortua, dignationis excellentiæque priſtinæ obliuionis profunda caligine tenetur. Idem Leonicen. De propria morte idem ſic ex ſchola Academica: Corporis mors eſt priuatio vitæ, quę in corpore vt in ſubiecto eſſe cenſetur. Animalis mors eſt corporis & animæ diſiunctio.

- Mors
  - Naturalis (vitæ priuatio, quæ fit per ſeparationem animæ à corpore) à principio
    - Interno ex
      - Actione corruptiua.
      - Defectu.
    - Externo, vt vi.
  - Philoſophica (ſeuocatio animæ à corporis affectionibus) Alias PLATONICA.

Naturalis à Lapſu mortis cauſę ſunt duæ in genere: Vna Interna; Altera Externa. Prima eſt duplex; quia corruptio fit ab interno principio vel per actionem mutuam contrariorum inter ſe: vel propter actionem intenſam vnius in alterum; vel fit propter defectum alterius, qui contingit ex ſubtractione nutrimenti. Primo modo accidit corruptio naturalis in animatis propter actionẽ vnius partis organicæ in aliã partẽ, ipſam corrũpẽdo, vt corpus fiat inhabile ad animæ cõplexũ. Actio hæc eſt caloris in humidum radicale, quod cor-

corrumpitur ac consumitur ab illo. Ad hanc corruptionem & consumptionem sequitur etiã interitus caloris, & per consequens animalis, quod patet in igne & oleo: nam pars secundum speciẽ habet certam periodum, in qua potest conuertere in se partem nutrimenti, & in qua non: illud autem potest, quandiu potest agere sufficienter in nutrimentum. Ac quia omne agens Physicum agendo repatitur, ac agendo debilitatur, ita & repatiendo debilitatur tandem, ita vt non possit amplius resistere corrumpenti, eiusmodi pars secundum speciem incipit esse secundum materiam, & fluere in partem secundum materiam, desinendo esse secundum speciem, vt loquitur Scotus. Deperditio igitur, quæ fit paulatim, partium, quæ instaurari non possunt amplius, est causa corruptionis. Vid. Scot. l. 2. dist. 19.

Externa causa corruptiua duplex.

Externa duplex est, vel propter dispositionem contrariam continentis, vel propter violentiam illatam ab aliquo extraneo. Primus modus duplex est, vnus cum continens [a] proprie corrumpit contentum, vt ignis corpus, quod continet. Secundus, cum continens [b] prohibet illud, quod est necessarium ad vitam, cuiusmodi est aqua, quæ prohibet inspirationem, & respirationem, & hæc cito corrumpit. Est etiam quod continens corrumpit, sed non ita subito, vt aer regionis in temperatæ.

a *Hoc Scoto est directe corrumpere.*

b *Hoc. Scot. est indirecte corrumpere.*

Mors { Κατὰ φύσιν, Naturalis, vt senum. / Παρὰ φύσιν, violenta, vt adolescentum, quæ fit aduersante & repugnante natura.

Cic. de senectute. Vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.

Cic. Adolescentes mihi mori videntur, vt cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: Senes autem sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis extinguitur.

Sicut ignis perit dupliciter: vel sua sponte, quæ est μάρανσις seu tabescentia quædam, vt sic dicam; vel à contrariis, quæ σβέσις est seu extinctio: Ita calor etiam ille vitæ in senibus tabescit deficiente pabulo humoris, vt appellant, radicalis, qui est ὑγρὸν σύμφυτον & ἰκμὰς singularum partium, vt mutuo sese consumant, per accidens quidem, sed κατὰ φύσιν, vt Aristoteles iudicat: vel à contrariis internis, vel externis ipsi extinguitur, quæ est violentia. Sæpe etiam μάρανσις & σβέσις concurrunt.

Sed quia Mors in Naturam conditam inuecta est, & pœna est peccati, omnis mors etiam παρὰ φύσιν dici potest.

Theologis Triplex Hominis Mors est.

1. *Animæ per amissionem gratiæ. 2. Corporis* per amissionem animæ. Hæc fit quatuor modis: vel enim Homo vi externa opprimitur: vel fame ac siti deficit; vel morbo extinguitur; vel senio conta bescit. 3. *Totius hominis* per amissionem gloriæ, quæ erit nouissima (id est, vltima) & æterna. Bellarminus.

MORTICINVS.

Morticinvs (à morte) dicitur syllaba, quę proxime vltimam est, longa. Morticina caro in vlcere dicitur, quæ corrupta est & sanguinis expers. Morticina etiam caro dicitur animalium eorum, quæ non sunt vi mactata, sed per se mortua seu vita priuata. Præterea morbus morticinus dicitur, qui corpus ad mortem ducit: Græc. θανατοφόρος. Dicuntur denique claui pedum morticini die Liechdorner an den füssen/eo quod veluti morticina caro sint.

Athanasius de humanitate verbi, eiusque corporali aduentu (versore Petr. Nannio Alcmariano.)

Agere non est proprium mortui, sed potius sine actu prorsus exanimem iacere, quod peculiariter quadrat in dæmones & idola, vtpote in res morticinas.

Morticinum ante penultima breui (à mors & cano) pro Epitaphio seu carmine de morte alicuius, Nouatorum est, quos nolim te imitari.

Mortis commentatio.

Mortis Commentatio pro duplici morte duplex est: Quædam est commentatio mortis, quæ omnibus hominibus, præcipueque Christianis communis est. De ea *Iacobus* Sereniſſimus iuxta ac doctissimus Rex Scotiæ, &c. ad Filium: *Singulæ vitæ dies nihil aliud tibi sint quam mortis quædam commentatio: Vno quoque die viuendum ita, quasi in eodem moriendum.* Ex illo Horat. *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

Quotidie moriare memento.

Alia est Commentatio Mortis, de qua loquuntur Philosophi. Mors hic est separatio animæ non à corpore, sed à penso corporis, ait Scal. omnibus voluptatum illecebris tanquam Sirenũ cantibus aures nostræ sunt occludendæ; hoc est mori Philosophice. Vid. Scal. in l. Poet. 3. p. 226. Sic Cic. 1. Tusc. Tota Philosophorum vita commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus cum à voluptate; id est, à corpore, cum à re familiari, quæ est ministra & familia corporis, cum à Rep. cũ à negotio omni animum seuocamus, quid inquam, tum agimus, nisi animũ ad se ipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximeque à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animum nihil aliud est quam Emori discere.

Cum se ipso dicunt Barb.

Scipio Gentilis in Parerg. ad Pandect. c. 4. Cardanus non alia fere ratione dolores podagrę depellere solebat, quam si in studia Philosophiæ penetrans omnem sensum corporis amisisset. Hæc mors est Philosophica.

MORTIFICATIO,

νέκρωσις.

Mortificatio, νέκρωσις (vox Theologis vsitatissima) Platonicis Philosophis est prauarum affectionum & appetitionum, παθῶν καὶ ὁρμῶν quasi extinctio, qnam βίος θεωρητικὸς ἢ φιλοσοφικὸς expostulat in primis.

In Physica & Medica arte partis alicuius in corpore extinctio est, quam Barbarus vocat Cadauerationem, vt νεκρᾶσθαι cadauerari: vt Mortificatio vteri est extinctio fere caloris naturalis vteri, qua fit genitale aruum, vt cum Poeta loquar, ad fœturam inhabile, ac μήτρα effœta dicitur.

Hæc νέκρωσις est imperfecta, vel perfecta.

Imperfecta est, quæ adhuc fit. Gangræna, cum sensus adhuc aliquis inest, neque calor est prorsus extinctus, cuius signa color partis liuidus, & sensus doloris hebes. Hæc veluti via est & διάθεσις ad Sphacelum.

Perfecta seu consummata est, cum pars affecta penitus sensũm amisit emortuaque est. Color niger est eius signũ. Scaliger definiuit ablationem, vel extinctionem, vel corruptionem caloris natiui alicuius partis (vt brachij, cruris.) Antegreditur hanc inflammatio partis, quæ dicitur Phlegmone, id est, tumor sanguineus. Cum enim phlegmones materia neque per cutem digeri, neque in pus conuerti potest, iugulatio quasi calore partis degenerat primum in Gangrænam, postea in sphacelum seu σφακελισμὸν, qui nullam aliam curationem admittit, quam emortuæ partis amputationem.

Sphacelismus ab animante transfertur etiam ad plantam. Sed Planta etiam tota hanc affectionem patitur, non tantum pars.

Et in planta, vt arbore, Sphacelismus est arefactio (ἄνανσις.) At in crure animantis

mantis est computrefactio. Dicitur Sphaceliſmus etiam *Sideratio*, Græce ἀστροβολισμὸς, ab aſtro : Sed proprie conuenit plantis, & transfertur ad animantia. Dicitur autem Sideratio, quia quandoque arbores tanguntur & ita pereunt ſub Caniculæ ſidere.

Eſt & Mortificatio Chymica: de qua conſule Chymicos.

Platonicæ ſignificationi, quæ Metaphorica eſt, germaniſſima eſt Theologica, qua Mortificatio veteris hominis ſeu carnis eſt abnegatio & abolitio prauitatis naturæ, cui opponitur viuificatio noui hominis.

Vtraque in primis fit & exercetur in refrenatione ἐπιθυμίας concupiſcentia, & θυμῶ, motuum, impetuum & incendiorum ſeu flammarum cordis, quæ ſæpe mouent voluntatem ad turpia, cum quidem cor etiam afficiatur iucundis & delectetur ſuauibus motibus.

MORTVVM.

Proprie eſt vita priuatum : Improprie ſimile mortuo ; vt mortuum mare, quod ſine vento & motu eſt : Fides ſine operibus mortua. Sic viuum improprie eſt perenne, vt viua aqua ; id eſt, perennis.

Proprie morttuum eius eſt, quod habet animam. Per ſimilitudinem mortuum dicitur, quod amiſit calorem vitalem. Tunc enim viuentia dicuntur mori, cum vitali calore deſtituuntur. Sic Galenus acetum dicit eſſe vinum mortuum, improprie.

MOTVS.

- Motus eſt Actus
  - Imperfecti, exiſtentis in potentia, vt motus localis omnium animalium; motus augmenti & decrementi.
  - Perfecti, vt Actio
    - Senſus, Sentire.
    - Mentis
      - Intelligere.
      - Velle.

Ex vtroque motu, quo ſe ipſa mouent animalia, tanquam ex effecto, agnoſcuntur eſſe viuentia.

- Motus
  - Verus, vt in corporibus, Phyſicus.
    - Generaliter acceptus.
    - Specialiter pro motu Locali; qui eſt
      - Imperfectus, Dilatationis aut conſtrictionis.
      - Perfectus, is inuenitur in animalibus perfectis, & conſtituunt gradum ſeu modum viuendi diſtinctum ab alijs. Dominic. de Flandr. l. 2. de anima. tract. 1.
  - Analogicus ſeu Metaphoricus, vt cum dicimus quempiam mente motum. Scal. l. 8. de cauſ. l. 1. c. 153.

Localem motum intellige, cum Aristoteles motum in animall dicit confieri ἐξ ὤσεως & ἕλξεως, id est, animalia moueri impulsu & tractu, quæ sunt summæ differentiæ motus. Vid. l. 1. Poet. cap. 18.

Generali significatione etiam animæ motus tribuitur aliquando. Hinc non absurde quidam dicunt : Mouetur per se & sponte anima, cum volumus; per accidens, cum localiter mouetur corpus. Sicut enim videmus à cardine moueri aliquid per magnum spatium loci, & tamen ipsum cardinem non moueri loco : ita anima imperio voluntatis corpus suum localiter mouet, at ea tamen ipsa τοπικῶς non mouetur. Augustt. qu. 8. l. de diuersis qu. & Scotus ostendit animam separatam habere potentiam mouendi se ipsam ad aliud & aliud vbi.

Finis dicitur vulgo mouere Metaphoric.

Distinctionis propositæ vsus est nonnullis, quia quærunt Doctores: An obiectum appetibile moueat voluntatem seu appetitum, sicut Finis, an Effectiue vt causa quædam partialis.

Motus est Interior vel Exterior. Exterior, vt sensilis: Interior, vt insensilis, ad quem referunt Scholastici opus operantis, quod discernunt ab opere operato, vt ipsi loquuntur.

Motus ἐν τῷ γίνεσθαι μόνον τὸ εἶναι ἔχει, id est, Motus esse est in fieri, vt ita dicam. Pronuntiatum notum ijs, qui vel vnam deambulatiunculam cum Aristotele fecerunt; de Physico motu intelligatur.

Is est ex eo rerum genere, quæ tamdiu fiunt, quandiu sunt, & tamdiu sunt, quamdiu fiunt, vt Eclipsis, pulsus. Eclipsis enim est eo tempore tantum quo fit. At calor motu introductus est res facta in suo subiecto persistens.

Motus { Actiuus, actus mouentis, qua mouens. / Passiuus, actus moti, qua motum. } Timplerus.

An hæc motus distinctio in Actiuum & Passiuum sit Realis, an Rationis, hic nunc non disputo, id est, vtrum sit diuisio generis in species, an illa membra ratione tantum inter se differentiant, vt vnus sit & idem motus actus agentis & patientis, qui quidem respectu agentis dicatur actio, respectu patientis passio.

Vsus.

Vis calefaciendi est in mouente. Calefactio actiua est à mouente; Calefactio passiua & calor in patiente.

Motus Physicus {
- Simplex {
  - Substantialis { Generatio. / Corruptio. }
  - Accidentalis { Augmentatio. / Diminutio. / Alteratio. / Motus localis. }
- *Compositus*, qui è simplicibus duobus constat, quorum vno desinit res, mutãda ἁπλῶς vel κατά τι. Altero incipit esse res, in quam alia mutatur: eius species princeps mutatio naturalis {
  - Substantialis, μετουσία, conuersio vnius substantiæ in aliam, constans ex vnius corruptione, & alterius generatione.
  - Accidentalis, cum mutatur corpus secundum accidens χωριστόν, id est, separabile.

Motus

Motus { Aπροαίρετος. / προαιρετικὸς ἢ κατ' ὁρμὴν { Manifestior. / Obscurior.

Explicatio.

Physicus motus cerebri ἀπροαίρετος non potest quiescere, ne vllo quidem tempore: Ergo nec in somno. Sed motus προαιρετικὸς quiescit. ψυχικὴ virtus animalis, quæ suppeditat sensum & motum corpori, quiescit in somno, afficitur primo sensus communis, deinde Satellites huius sensus exteriores. Sed manent tamen aliquę reliquiæ, vt non vniuersa animantis natura quiescat, quia non fit in dormientibus totalis obstructio, vt in Apoplecticis.

Motus in animantibus Naturalis { Vniuersalis, ἐντελεχὴς, continuus. / Particularis, Interuallatus.

Ille nunquam cessabilis est: Vbicunque enim vita est, ibi motus sit necesse est: Hic habet interualla, non nunquam cessat, vt instauratio. Ex hac distinctione potest solui obiectio: Vita quæ est motus expers non est vita, imo si natura nostra haberet interualla motus, concideret, & corpus fieret cadauer. Ergo non recte dicitur facta esse motuum interualla in animantibus.

De motuum generibus aliter Galenus, aliter Aristoteles loquitur. Galenus enim spirationum, quæ motus sunt, diuersa genera sic explicat, vt faciat quandam violentam, quæ sit tamen κατὰ φύσιν, id est, naturalis, sicut in vocis contentione & aurium affectionibus. Sed Aristoteli βίαιον omne est παρὰ φύσιν, neque is motus ita distinguit vt nominet in his naturalem, qui diuersus sit à voluntario, cum voluntarius motus minime sit παρὰ φύσιν, sed tam Naturalis, quam ille est, qui peculiariter in Scholis Naturalis appellatur. (Naturale enim interdum Philosophis Voluntarium sub se comprehendit, nempe cum generaliter; interdum Voluntario opponitur, nempe cum specialiter sumitur.) Estque Aristoteli Motus alius ἑκούσιος (voluntarius) ἢ προαιρετικὸς: alius ἀκούσιος, (inuoluntarius) alus οὐχ ἑκούσιος (id est, mistus seu compositus ex voluntario & inuoluntario) vt vitet appellationes violenti & Naturalis, ne (ὡς ἐμοὶ δοκεῖ) in natura Violentum aliquid fiat, aut quod voluntarium est, non naturale esse existimetur.

Motus mixti exemplum est 1. Spiratio, quæ diaphragmatis est opus primum & prȩcipuum. In ea autem, quam βίαιον, id est, violentam nominat Galenus, etiam aliæ corporis partes allaborant. Iam Respirationis motum habere aliquid voluntarium hoc docet, quod & musculus & diaphragma differri & reprimi potest à volentibus. In dormientibus autẽ etsi afficitur motus προαιρετικὸς in cerebro, non tamen deficit prorsus; neque sic obstruuntur nerui, vt nihil virtutis huius in corpore tum esse aut vsurpari possit.

Musculus organon motus voluntarii.

Ad hoc accedit naturalis attractio & expulsio cordis, quæ est ἀκούσιος, quæ etsi sola non possint thoracem mouere, ad hoc tamen conferunt aliquid; & quantum conferant ea, attractio demonstrat, quæ fit in apoplecticis morientibus. Ita concurrunt in Respiratione tam vigilantium, quam dormi-

entium motus ἑκούσιος seu voluntarius, & ἀκούσιος seu inuoluntarius, quem motũ mixtum appellant, & qui Aristoteli οὐχ ἑκούσιος esse videtur, qui somnũ, euigilationem & respirationẽ inter οὐχ ἑκούσια recenset. 2. Ita musculi σφιγκτῆρες, in intestino recto & orificio vesicæ voluntarius motus est. Dum enim virtus integra est, cohiberi potest vtraque deiectio. Itaque quod natura ἀκουσίως, id est, motu naturali, & non προαιρετικῷ expellit, hoc motu voluntario illorum musculorum emittitur. Et hoc modo etiam in illis deiectionibus duo motus conueniunt, vt fiat mixtus seu οὐχ ἑκούσιον, nisi obruantur musculi illi copia, aut expulsionis vehementia, aut impediantur morbo, quæ sunt vere violenta & παρὰ φύσιν vtraque, non naturalia, neque οὐχ ἑκούσια seu motus mixti: Nam voluntariæ retentioni vis afferetur interna, & effringuntur quasi fores huius.

Dicam clarius, si possum. Excrementorum emissio voluntaria est, quod ad intestini recti & vesicæ sphincteres, musculos attinet.

His enim hæc vasa aperiũtur & claudũtur. Quia tamen hæc moles excrementorum copia & pondere suo renitentibus aperit, motum illum mixtum nominare posse videmur, nempe in quo & voluntaria musculi opera, & naturalis expulsio concurrant, qui secundum Aristotelem esset οὐχ ἑκούσιος. De quo tamen rursus quæri potest: an, quæ frustra renitente musculo fit apertio, non possit violenta dici, cum musculus per se non aliter, quam voluntarie moueatur; in isto autem casu vis ei nonn minus afferatur, quam si externa vi deduceretur. Sed cum Voluntarium hoc sit Aristoteli lib. 3. Ethic. quod à se est, & in se motus principium habet, & hic in deiectionibus motus ab expulsione naturali quasi exstimuletur, non potest simpliciter seu absolute liber seu voluntarius dici, qui alijs naturæ in corpore affectionibus & effectionibus ita subiectus est, vt ab ipsis perfici possit contra voluntatem animantis & musculi retentionem.

Obi.

Sol.

Sed ad spirationem redeo. Ad hanc per diaphragma opus etiam est motu musculorum in Epigastrio & collo, demissis musculis, vt Galenus dicit, præsertim ad ἐκπνοὴν; Et cum in somno sit pectus propter calorem retractum calidius, aliquando etiam copiosiore aere opus est, quam vsitata spiratio suppeditat, vt ex intercostabilibus musculis aliqui etiam tum sese occupent.

Ita igitur qui tam sit motus horum musculorum, qui spirationi inseruiunt, quæritur? Sed responsio ex ijsdem fundamentis petenda est. Non enim in somno ita obturantur nerui, vt nihil in his sensus aut motus esse possit, quippe qui afficiuntur tantum, non perduntur, & rigantur magis quam obturantur. Itaque sic cessat motus horum, vt tamen agere possint. Nam & versant se dormientes, & loquuntur, & non etiam nihil sentiunt, aliqui etiam obuersantur. Eos autem neruos, qui ad pectus pertinent, præ cæteris tum vigere oportet, etiam propterea, quod vitalis calor, de quo cæteris subducitur, hos circumdat copiosior.

Ita igitur motus προαιρετικῶ, id est, liberi aliquid habet, aliquid tamen musculi illi possunt, & hoc modo cientur aliqua ex parte motu voluntario. Sed concurrit etiam motus naturalis seu ἀκούσιος, quo natura cordis agit ad attrahendum aerem vtilem, & expulsionem inutilis aeris, vt fiat hoc modo motus mixtus seu οὐχ ἑκούσιος. Hic tamen cordis musculos non impelleret, si esset absque illis tanquam reliquijs

motus neruorum in dormientibus proæretici, id est, liberi. Et si à solo cordis motu in somno esset aut esse posset Spiratio musculorum thoracis & ipsius etiam diaphragmatis motus, tunc esset neque voluntarius, neque naturalis, neque mixtus, sed violentus, & παρὰ φύσιν simpliciter; & sequeretur hoc etiam, musculos non tantum seruire motui voluntario, cum à natura seu naturaliter etiam in inuitis mouerentur, sed cum exquisite loquendo diaphragma & musculus tantum thoracem moueant, & per se non attrahant aerem, quod cor & pulmones faciunt, inspirationis appellatione vtrumque intelligitur, & thoracis constrictio & dilatatio, & aeris attractio & expulsio, ex quibus hæc est ἀκούσιος & naturalis, illa est ἑκούσιος & voluntaria: Equorum concursu fit τὸ ὑχ ἑκούσιον, seu motus mixtus, etsi ab attractione illa musculi non impelluntur, vt diximus.

Et hoc modo dominatur in diurna & nocturna spiratione τὸ ἑκούσιον, id est, musculorum motus, cum tantisper à volentibus reprimi possit, dum cor suffocetur, vt Cato apud Plutarchum dixit, se animam continendo mori posse.

Neque cordis attractio contra voluntatem nostram hoc perficere posset, quod excrementorum ortus & expulsio. Ita igitur thorax mouetur in dormientibus tactus à diaphragmate & reliquis musculis, quorum ope & opera Spiratio carere potest, in quibus est motus Voluntarius. Tum aliquis & hunc voluntarium adiuuat nonnihil motus naturalis cordis, magis tamen in dormiente. Nam in vigilante cum motus proæreticus integer sit, & non vt in somno propter cerebrum affectum impeditus, thoraci minus est opus illo adminiculo.

Ossa autem thoracis & pectoris crates, vt cæteri musculi in hoc, quibus ad violentam spirationem opus est, hæc, inquam, mouentur omnia motu tali, quo Musculi, intestinum rectum & vesicam claudentes & aperientes, mouentur, cum vel oneri, vel copiæ, vel expulsionis vehementiæ succumbentes aut morbo debilitati in inuitis emittunt excrementa, id est, motu simpliciter violento, non minus quam si externa vi membrum trahitur. Tum enim ab interna causa affertur vis musculis, quod sequuntur motum, quem vicini musculi ἑκουσίως seu voluntarie & cordis attractione, in thorace ἀκουσίως, id est, naturaliter commouent.

3. Ita Aristoteli somnus etiam est ὑχ ἑκούσιος simpliciter, etiamsi aliquantisper repellere possumus: Tandem enim inuitos & renitentes corripit: Neque ἀκούσιος simpliciter, cum in naturali somno oporteat cõcedi quietẽ προαιρετικὴν corpori, qua & nonnunquam prouocatur: & ita concurrunt, προαιρετικὴ & ἀκούσιος seu naturalis quies, de quibus constituitur τὸ ὑχ ἑκούσιον, qui est motus, vt dixi, compositus ex voluntario & inuoluntario.

Superat tamen viribus in somno τὸ ἀκούσιον, id est, naturale, quæ quod tandem nihil potest τὸ ἑκούσιον, & coacta quies externorum, tamen fit non voluntaria: sicut in deiectionibus excrementorum, vesicæ & alui, naturale seu ἀκούσιον plus potest, quam τὸ ἑκούσιον in musculo, in spiratione autem plus potest τὸ ἑκούσιον, vt diximus.

Hic quæritur etiam de motu Ambulantium in somno, si in eo motus localis sistitur, quomodo verum est κεκμένως seu dormientes βαδίζειν & περιπατεῖν?

Galenus dicit illud non esse quiddam προαιρετικὸν, sed instar somnio-

rum, quia virtus προαιρετικὴ & κίνησις κατ' ὁρμὴν in ſummo quieſcant, nec reuera ſunt ſomnia illa; quia iſti, quod ante paucos dies Marpurgi factum eſſe meminimus, conſcendunt faſtigia tectorum, nihilque meminerunt; ſed ſomniorum eſt aliqua memoria.

De motu Matricis hæc adijcio, vt omnia melius intelligantur.

Ex membranis, quę vtero vaſa adducunt, quæ ad latera fundi huius adhærent, & carneis fibris intertextis, duo muſculi formantur, qui Peritonæo vterum ad latus connectunt. Ita latera tantum fundi huius (vteri) alligantur, & laxe quidem ſupremum fundi huius, & anterior & poſterior fundi regio ſunt liberæ, nullisque partibus, quas attingunt, annaſcuntur. Ceruix ad Peritonæum ſimiliter, ſed laxius alligatur. Illi igitur muſculi motu voluntario nonnihil matricem ſurſum mouent, ſed parum & obſcure, cum ilia contrahuntur. Alio motu voluntario moueri non poteſt matrix. Neque enim muſculi ad hanc pertinent vlli, aut in hac inſunt, ſed fibras tantum habet, quæ cauſæ ſunt motus eius, qui naturalis ſolet appellari, non autem voluntarij, cuius organa muſculi ſoli ſunt. Mnſculus igitur cum ad matrieem vtrinque vnus ſit, etiam hanc aliquo modo ἑκουσίως cieri oportet. Reliqui motus, qui matrici accidunt παρὰ φύσιν καὶ κατὰ φύσιν, ſunt à neruis & fibris.

MOVERI.

Moueri { Obiectiue tantum. / Prorſus Efficaciter ſeu ſufficienter.

Voluntas noſtra mouetur vtroque modo. *Obiectiue voluntatem moueri eſt allici à bono obiecto.* Hoc non eſt cogi. Barbari dicunt Neceſſitari. Sufficienter eſt ita moueri obiecto, vt voluntas velit.

1. Quicquid mouetur, mouetur vel per ſe, vel per partem, vel per accidens.
2. Moueri per ſe eſt totius vt corporis. Itaque hoc per ſe mobile dicitur.
3. Quod mouetur per ſe, mouetur I. vel à ſe ipſo, vel ab alio. II. vel ſecundum vel præter naturam. Animalia mouentur à ſe ipſis per ſe & ſecundum naturam. Graue deſcendens & leue aſcendens mouetur ab alio ſecundum naturam. Graue aſcendens & leue deſcendens mouentur ab alio præter naturam, id eſt, violenter.
4. Moueri ab alio accipitur duobus modis. Vno, vt ſignificet motorem loco & ſubiecto ſeparatum à moto. Altero, vt ſignificet diſtinctionem tantum realem inter motorem & rem motam, etiamſi loco diſiuncta non ſint: Ita ab alio aliquid moueri eſt in motione diſtingui reipſa.

Vſus.

5. Quæritur an Animalia moueantur à ſe ipſis? Reſp. Mouentur à ſe ipſis, & non mouentur à ſe ipſis, ſed ab alio. Mouentur à ſe ipſis, quia habent internum motorem, non diſiunctum loco à moto. *Animalia à ſe mouentur.*

Mouentur ab alio, quia motor in eis realiter diſtinctus eſt à moto, nempe animus à corpore. *Animalia mouentur ab alio.*

Quicquid mouetur, ab alio mouetur, ſcilicet ſecundo modo; quia diſtinguitur motor à moto. *Arist.*

6. Moueri per partem aliquid dicitur, cũ motum partis attribuimus toti, vt cum dico hominem moueri manu eius ſola mota.

7. Moueri

7. Moueri per accidens est rerum incorporearum, accidentium & formarum. Eatenus enim hæc mouentur, quatenus insunt in corpore, quod per se mouetur, è lib. 5. Phys.

8. Itaq; Moueri per partem est, quodam modo medium inter per se & pure per accidens.

Obiectio.

Ergo mutila erit Diuisio: Quicquid mouetur, mouetur per se, vel per accidẽs. l. 8. phys. text. 27. Resp. Non est: hic enim per accidens Philosophus largius accipit, vt etiã complectatur id, quod quinto Physicorũ dicitur per partem, iudice Zabarella.

MVLIER.

Mulier I. est vox generalis, εἰδικωτέρα tamen quam fœmina. Sic Tertull. in lib. de virginibus velandis: Naturale vocabulum est fœmina. Naturalis vocabuli generale Mulier, Generalis etiã speciale virgo, puella impotens, nupta, vidua, &c. Fœminam naturale vocabulum appellat, quod omnibus animantibus sit commune; Mulierem generale, quod hominum generi proprium sit.

II. Mulier accipitur pro corrupta seu defiorata, & fere opponitur virgini. Sic accepit Cicero, cum obiurgatus, quod virginem senex duxisset, cras, inquit, mulier erit; & Theocritus cũ apud eum dicitur à puella; Huc virgo adueni, mulierque domum ecce redibo, Παρθένος ἐνθαβέβηκα, γυνὴ δ' εἰς οἶκον ἀφέρψω: eiq; Satyriscus respondet: At mulier mater, puerum altrix, desita virgo, ἀλλὰ γυνὴ μήτηρ, τεκέων τροφὸς, οὐκέτι κώρα. Virgo signata hęc dicitur, si est plena seu grauida, seu cuius venter est consignatus, obsignatus, zugeschlossen. Eleganter Vlpianus leg. quæritur §. 3. de ædi. ed. vtranque significationem adhibuit seu coniunxit, Mulierem ita artam, vt mulier fieri nõ possit, sanam non videri constat.

III. Iurisconsult. interdum per κατάχρησιν vel Græcismum vtitur pro vxore, vt: Semproniæ mulieri meæ reddi iubeo ab hæredibus. Scæuola.

Mas-mulier & Mas-fœmina est ἀνδρόγυνος, in quo mistio sexus. De quo feci hunc versum ταυτόγραμμα, in L. Monachum quendam hermaphroditum.

Mas-mulier Monachus Mundi mirabile monstrum.

Hinc Muliercularius pro eo, qui alienas mulieres, id est, vxores affectatur. Cõstant. Imper.

De Muliere signata vide in SIGNO lectu non iniucunda.

MVLTIPLICITAS.

Multiplicitas est opposita vnitati & simplicitati; & tribuitur enti cum est multiplex. Multiplicitas enim est actus seu perfectio multiplicis, qua multiplex est. Estq; Realis, vel Rationis.

Realis, per quam Ens est Multiplex (seu multa) realiter siue essentia siue causa, siue effecto, siue subiecto, siue adiũcto, siue partibus, siue alio quodam modo.

Rationis multiplicitas est, per quam ens ratione multiplex est.

Vnitas autem est mẽsura Multiplicitatis, verum non essentialiter, id est, accidit ei hoc, non est eius essentia, sed inter relationes hoc est positum.

Interdum ponitur pro varietate, vt Entiũ multiplicitas est via ad perfectionem vniuersi, id est, varietas, vt loquitur Scaliger.

Ens diuerso respectu potest esse vnum & multiplex. Quod vnum est simpliciter, potest esse multiplex secundum quid, & vicissim.

Thom. Aquin.

Quod vno modo seu sub vna ratione:

est indiuisum, id est, vnum; alio modo potest esse diuisum, id est, multiplex seu Multa.

Iac. Schegk.

Vnum ὑσιῶδες est multa κατὰ συμβεβηκός.

MVMIA.

1. Mumia Philosophis est non tantum Caro humana balsamo condita (Barbari dicunt Balsamita) sed & alia quæque non mortua, sed occisa, ὑγιαστικὴ, id est, vim sanandi habens.
2. Serapio aliter accepit, quod patet ex Scaligeri his verbis ex. 104. sectione 9. Pissasphal tamen in multis in locis è montibus deuolutum fluitat in ostiis fluuiorum. Id Mumia est Serapionis.
3. Mumia Sepulcrorum apud Arabas, Syros & Ægyptios est ex Myrrha & Aloe, & illorum materia corporum, quę illis sunt condita: Longe preciosior & vtilior res illa. Nam ruptis & contusis mirifice prodesse compertum est.

Quæ vero ad nos defertur Mumia ex Ægypto, non ex Aloe & Myrrha condimentum est corporum, sed ex Asphalto.

4. Chymici etiam vtuntur voce Mumiæ pro balsamo seu seminali humore, cum dicunt Mumia Elementorum. Petrus Seuerinus in Idea Philosophica: Generatur seminalis animalium materia in balsamo animali, in vitali sulphure, in spiritu vitæ, in Mumia, in radicali & prima materia animalium. pag. 102.

MVNDVS.

1. Mundus est systema vniuersi, id est, cœlum materiale & terra.
2. Mundus accipitur pro mole quatuor elementorum spatium replentibus sublunare. Sic accipit Arist. cum dicit; Mundi omnem virtutem à superiori corpore gubernari. Lib. 3. aduersus Astrologos Picus: Corpora perfectiora experia vitæ, qualia sunt gemmæ & metalla, sicut ex materia inferiori coalescunt, ita radiosi caloris vi digeruntur & formantur.
3. Accipitur pro Cælo per synechdochen ἐξ ἕξεως ratione.
4. Pro vniuersitate hominum per Metonymiam continentis.

Tres Mundos figurat antiquitas: Supremum omniũ, vltramundanum, quem Theologi Angelicum, Philosophi autem intellectualem (quia à nostris oculis est remotissimus) vocant, quem à nemine satis pro dignitate decantatum Plato inquit in Phæd. Proximum huic Cœlestem: Postremum omnium sublunarẽ hunc, quem nos incolimus.

Hi tres mundi vnus sunt mundus, tum quod ab vno principio & ad vnum eundemq; finem omnes referãtur; tum quia iustis numeris tẽperati & harmonica quadam naturarum cognatione atq; ordinaria graduum serie colligãtur, tum quia quicquid in omnibus situr, tum quia quicquid in omnibus simul est mundis, id & in singulis continetur, neq; est aliquis vnus ex iis, in quo non sint omnia, quę sunt in singulis. Verum quę in mundo sunt inferiore, in superioribus sunt meliore nota: quæ itidem sunt in superioribus, in postremis etiam visuntur, sed degenere conditione & adulterata, vt sic dixerim, natura. Est apud nos calor qualitas Elementaris, & in Cœlestib. virtus excalefactoria, est in Angelicis Mentibus idea caloris. Dicã aliquid expressius: Est apud nos ignis, quod est Elementum. Sol ignis in cœlo est: Est in regione vltramundana ignis seraphicus intellectus. Sed vide quid differãt: Elementaris vrit: Cœlestis viuificat: Super cœlestis amat. Ioh. Pic. in Heptapl. ex sententia Platonicorum.

Est præter tres hosce & quartus, in quo & iam omnia inueniuntur, quæ sunt in

in reliquis. Hic ipſe Homo eſt, qui & propterea, vt Catholici dicunt Docto res, in Euangelio omnis creaturæ appellatione cenſetur, cum prædicandũ Euangelium omni creaturæ (non tamen brutis & Angelis) à Chriſto demandatur. Tritum in ſcholis verbum eſt; Hominem eſſe minorẽ Mundum, in quo mixtum ex Elementis corpus, & Cœleſtis ſpiritus, & plantarum anima vegetalis, & brutorum ſenſus & ratio & angelica mens, & Dei ſimilitudo

Mundus { Intelligibilis ſeu Exemplaris, vt exemplar. / Senſibilis, vt imago quædam illius.

Explicatio.

Auguſtin. cap. 3. l. Retractat. Piget me, inquit, dixiſſe duos eſſe Mundos, Senſilem & Intelligibilem: non quin hoc verum ſit, ſed quia hoc dixi tanquam ex me, cum tamen à Philoſophis dictũ ſit, & quia iſte modus loquendi nõ eſt conſuetus in Sacra Scriptura. Idẽ eodẽ loco. Plato quidẽ, inquit, in hoc nõ erravit, quod Mundũ dixit eſſe intelligibilem, ſi non vocabulum, quod Eccleſiaſticæ conſuetudinis in re illa non eſt vſitatum, ſed ipſam rem attendere velimus. Mundum quippe intelligibilem nũcupauit ipſam rationem ſempiternã atq; incommutabilem, qua fecit Deus Mundum. Quam qui eſſe negat, ſequitur vt dicat irrationabiliter Deũ feciſſe quod fecit, aut antequam faceret, neſciſſe quid faceret, ſi apud eũ ratio faciendi nõ erat. Si vero erat, ſicut erat, ipſam videtur Plato vocaſſe Intelligibilem Mundum.

Eadẽ eſt explicatio Philonis Iudęi, quam cõſpicitur. Atq; hæc ſtrictim ac curſim de 4. Mundis.

Mundus in Theologia interdum accipitur pro impia hominum turba, vt: Mundus me non cognouit. Interdum pro Electis. Ioh. 3. & Dat vitam *mundo*, id eſt, Electis, vbicunque gentiũ agant, & Chriſtus Mundi Saluator prædicatur, hoc eſt Eccleſię Catholicæ. Barth. Weſthemer. in Collectaneis Troporum Scripturæ.

Ex Alcinoi Platonici cap. 10.

Ipſa Dei ſapientia, qua creaturas fecit.

refert Euſeb. cap. 12. l. 11. de Euangelica præparatione. Si quis voluerit ſignificatiorib. vti verbis, inquit, nihil aliud dicet eſſe Mundũ, quã Dei iam creantis Verbũ. Et paulo poſt: *Vniuerſus* per ſe Mundus ſenſibilis ad exemplar diuinæ imaginis factus eſt. Primitiuum ſigillum, quod intellectualẽ Mundum appellamus, ipſum Exemplare. Primitiua Idea idearum omnium eſt Dei Verbum. Vid. Ioh. Carpent. in comm. in Alcin. Plat.

Paulus princeps de La Scala & Hun, Marchio Veronę &c. l. 14. Epiſtemonis Catholici Mundum facit ſextuplicẽ ſeu ſex generum potius: 1. Archetypum (Deum.) 2. Intellectualẽ (Intelligentias, ſubſtantias intelligibiles à mole craſſa corporis liberas.) 3. Cœleſtem (Cœlos.) 4. Elementalem (Elemẽta & ex his concreta.) 5. Minorem (Hominem.) 6. Infernalem (Diabolos.) Sed Ἀκυρολογία magna eſt, ne quid dicam acrius, Deum Mundum dicere.

Paulo Scal. Mundus

- Diuinus, increatus, omnium idea, ἀρχέτυπος κόσμος.
- Angelicus. Cœleſtis. Elementaris. Humanus. Infernus } Creatus: Ideatus, vt loquuntur.

Mundus paruus Chymicis est Materia prima, quod in hac sint omnia Mundi.

MVSICA.

- Vera
  - Propria, quæ instrumentis conficitur, ars seu ratio canendi.
    - Naturalibus (quibus vox humana suaui quadam harmonia regitur
      - Pulmonibus.
      - Guttur. Lingua. Palato.
      - Dentibus.
      - Labris.

      Dicitur à nonnullis *Harmonica*, quę vocem regit, numerum habet, & certam soni per tempora dimensionem.
    - Artificialibus, quæ modulatum & artificiosum concẽtum efficiunt.
      - Tactu
      - Pulsu.
      - Flatu.
  - Impropria
    - Metrica, alias Poetica: quæ certa pedum ratione conficitur & metris constat.
    - Humana, qua tum animæ partes inter se bene conueniunt & summæ rationi parent: tum ipsi corpori anima copulatur: tum denique Elementorum diuersæ qualitates in humano corpore connectuntur & bene sociantur. *Hæc partim Ethica, partim Naturalis est.*
- Ficta: Mundana illa, quę ex cœli conuersione Elementorum compage & temporum varietate colligitur. Pythagoræ seu potius Pseudo-Pythagoricis in omnibus Mundi partibus conuenientia & Proportio Musica est, quæ dum cœlestes globi mouentur, suauissimos sonos efficit. Sed hanc opinionem Aristoteles habet pro figmento.

Aliter è Maioragio.

- Musica
  - Propria, Harmonica, huic vicina atq; finitima Musica.
    - Rhythmica.
    - Metrica.
  - Metaphorica
    - Mundana, hæc vere Pythagorica est.
    - Humana, vt Ethica: Nihil enim rectum, nihil honestum & laudabile Platonicis est, nisi quod arti Musicæ congruens & consentaneum sit.

Musi-

Musices vocabulum significat.

1. Artem bene canendi, qua nouimus canentes regere in choris, vt loquitur Plato in Theag. Quæ primum habet suam Θεωρίαν, deinde Πρᾶξιν, tum Ποίησιν, vnde Theorica, Practica & Poetica dicitur. Practica, verb. gratia, canit cithara, testudine. Poetica componit συμφωνίας.
2. Eam harmoniam eumque concentum vitæ, qui est bene & honeste viuendi regula.
3. Rationem versuum sonore condendorum. Sic 2. significatione videtur accipere Plato in Phæd. cum ait: Philosophia est maxima & præstantissima Musica.
3. Cyclopædiam, orbem concentumque Doctrinarum.

Musica est θεωρητικὴ vel πρακτικὴ.

Musica Theoretica habet tres partes. 1. est Harmonica, quæ versatur circa harmonias & cantiones seu modulationes. Hæc ἰδίως Musica est. 2. Rhythmica, quæ circa Rhythmos, numeros & modulos certa ratione & proportione constantes est occupata. 3. Metrica, quæ metra & carmina tractat.

Practica habet duo membra: Vnum est τὸ χρηστικὸν μέρος, quod modo enumeratis partibus vtitur, easque ad vsum Musicum accommodat: Cuius partes sunt; μελοποιία, id est, facultas efficiendi harmonias & cantus, ῥυθμοποιία, δύναμις ποιητικὴ ῥυθμῶν, facultas efficiendi rhythmos; Ποίησις, facultas condendi carmina: Alterum est τὸ ἐξαγγελτικὸν μέρος, quo ea, quæ effecta sunt, enuntiamus aut proclamamus, quod quidem triplex est. Vnum organicum seu instrumentale, si quãdo id fiat per instrumenta Musica: Alterum ᾠδικὸν, quando id fit per odas seu cantiones & symphonias: Tertium ὑποκριτικὸν histrionum, si in actionibus Tragicis & Comicis adhibetur, vt inflammandis & mouendis animis spectatorum inseruiat.

Musicæ studiosi { Harmoniaci. / Canonici.

Canonici dicuntur, qui rationis persequuntur examen in cantu. Tales fuerunt fere Pythagorici. Harmoniaci, qui auribus tribuunt plus authoritatis, quam rationi. Tales fuerunt sectatores Aristoxenis.

Quidam sunt Medii, id est, partim Canonici, partim Harmonici, vt Ptolemęus: Hic mediam quandam rationem insecutus est. Tantum enim sensorio attribuit, quantum Aristoxenii, rursumque rationi, quantum Pythagorei. Etenim tum demum enasci iudicium putat sincerum veraxque, vbi sensus & ratio conspiratu nituntur consono. Cœl. l. 5. c. 11.

MVTATIO.

Mutatio est, cum quid incipit vel desinit esse, vel habere se aliquo modo posterius, quo se non habuit prius.

Mutari est rem aliter se habere quam ante, siue id fiat Transeundo in instanti ab vno statu in alterum, siue successiue. (Itaque Mutationes aut sunt momentaneæ vel subitaneæ, aut successiuæ.) At moueri est mutari successiue.

Mutationes aliæ sunt Grammaticæ, & Lexicæ, aliæ Logicæ, aliæ Oratoriæ & Poeticæ, aliæ Physicæ, Musicæ, Ethicæ.

Grammaticæ spectantur in adsignificationibus, metaplasmis & enallagis potissimum. Lexicæ in variatione significationis: Oratoriæ in Tropis & Figuris: Poeticæ in affectionibus metrorum: Musicæ in vocibus (clauium transpositio est) & tonis.

Mutatio in Musica est vocum in eadem claue vnisona variatio.

Mutatio Voluntatis duplex est: primo dicitur alicuius voluntas mutari, cum quod nondum voluerat, *velle incipit*. Secundo cum quod ante voluerat, *velle desinit*.

De Mutatione in Physicis & Metaphysicis.

Mutatio accipitur tribus modis. 1. Communissime: ita mutatio comprehendit Alietatem & Alteritatem, ἄλλο καὶ ἕτερον, & est genus *motus & conuersionis*; ac mutari est rem incipere vel desinere esse, aut habere aliter posterius quam prius. Idque vel *instantanee vel successiue*. Ita ad motum & conuersionem, vt & ad creationem, annihilationem & alterationem habet se, vt genus ad species. Motus enim dicit successionem: Conuersio desitionem conuersi, quæ non cohibet in se mutatio in specie: Alteratio vero, annihilatio quod important in specie, Mutatio importat in genere.

2. Sumitur stricte vel pro *receptione* formæ substantialis, vel accidentalis: vel pro *dimissione*, seu abiectione talis formæ, quæ ante fuit habita. Ita materia prima si fuisset creata sub forma, seu simul cum forma, in instanti suæ creationis fuisset mutata, quia in instanti recepisset formam, quam antea non habuisset.

3. Strictissime, & ita Mutari est Subiectum προϋπάρχον (præsuppositum) recipere formam, vel quasi formam, (id est, locum) quam prius non habuit, vel talem dependere in momento vel tempore. Sic 8. Phys. Quod his duobus vltimis mutatur, non desinit; quod primo, interdum desinit, quia quod conuertitur, esse desinit.

Mutatio quædam est naturalis, quædam hyperphysica. Physica est, quæ fit à principiis naturæ, & quidem ita vt maneat saltem materia communis. Ea enim est ingenerabilis, & incorruptibilis per creatam potentiam.

Talis est mutatio aquæ in aerem, quæ conuersio est elementi in elementum. In hac conuersione eadem materia, quæ fuit sub forma aquæ, manet sub forma ignis. Ei subiicitur igitur conuersio illa, quam Formalem dicunt Scholastici, quia nullum Agens Naturale seu creatum potest agere, nisi ad immutationem Formæ. Ideoque omnis conuersio, quæ fit ad Naturæ Leges, est Formalis (in qua tamen forma mutatur, non tota Substantia) Hyperphysica est, quæ fit actione diuina Speciali præter naturæ ordinem seu rerum seriem. Talem quidam statuunt mutationem Substantiæ Panis in Substantiam corporis Domini vi consecrationis, quæ ita fuerit conuersionis Hyperphysicæ etiam species, vt & Transsubstantiationis. Transsubstantiatio enim est conuersio totius Substantiæ in Substantiam non habentem communem materiam cum priore. Scholastici igitur nonnulli, vt Biel & Casalius Episcopus, faciunt Transmutationem aliam Formalem, aliam Substantialem simpliciter. Formalem vocant, quæ fit naturaliter, abiectione solius formæ. Substantialem simpliciter, quæ fit diuine, secundum totam Substantiam: eamque vocant Transsubstantiationem, hoc est, transitionem totalem Substantiæ in Substantiam. Totalis hæc dici potest, quia est totius Naturæ Entis. Formalem, inquit Mag. Sentent. Conuersionem hic non agnosco, quia species rerum, quæ ante fuerunt, remanent, & sapor & pondus.

Muta-

Mutatio { Physica: Hæc est Formalis, quæ fit tantum secundum Formam { Substantialis, quæ fit secundum formam Substantialem. / Accidentalis, quæ fit secundum accidens. } } / Hyperphysica, quæ etiam fieri potest secundum totum, secundum formam Substantialem, secundum formam accidentalem, secundum materiam.

Formalis.]
Respicit enim omnis naturalis transmutatio Agens naturale, quod cum sit virtutis finitæ, & agat non se toto, sed secundum formam suam, qua est in actu, & ὂν ἐν τῇ ἐνεργείᾳ, nec instituat proprie destructionem & corruptionem, sed generationem & compositionem, sicut non potest producere nisi formam aliquam, ita non potest corrumpere nisi formam. Limitata igitur hæc est transmutatio. Itaque ea quodlibet in quodlibet transmutari nequit.

1. Mutatio aut est simpliciter, aut secundum quid: Ad illam pertinet Mutatio contradictoria, qualis est Creatio, quę est non entis simpliciter in ens simpliciter: Non enim mutatio omnis est affectio subsistentis, sed tantum mutatio Physica. Huius igitur Distinctionis vsus est magnus in Theologia, cum tractatur de creatione immediata & primaria seu πρωϊπαρχοντος.

2. Mutatio { Acquisitiua: Qua acquiritur, quod ante non est habitum, vt nouum vbi, locus nouus. / Deperditiua, Vere vel Quasi, qua habitum deperditur seu amittitur.

Vsus.

Hac etiam distinctione vtuntur vtiliter Theologi, cum dicunt Collationem Gratiæ esse acquisitiuam; Remissionem culpæ & pœnæ sublationem Deperditiuam.

3. Mutatio est vel ex potentia in actum, vt, cum ex ignorante fit sciens; vel ex habitu in actum, vt cum ex Sciente fit vel contemplatiuus (θεωρητικὸς) vel considerans seu contemplans (θεωρῶν.) Contemplatiuum enim & contemplans differre inter se, vt potentia seu habitus & actus differunt, alibi expositum à nobis est. Qui habet Scientiæ habitum, qua habet, Contemplatiuus est: qui ex habitu operatur, hoc est, actu considerat, Contemplans proprie est.

4. Mutatio { Realis; cui subiicio Formalem. / Modalis.

Interdum vtraque fit ſimul ſeu concurrit.

Realis.] Huc pertinet Mutatio, quoad τὸ εἶναι, hoc eſt, Eſſe ſiue totale, ſiue partiale, vel quoad τὸ ποῦ, id eſt, Vbi ſeu alicubi. Quoad eſſe, vt cum aliquid incipit eſſe, quod non erat. Quoad Vbi, vt cum aliquid incipit eſſe, Vbi ante non erat.

Modalis.] Huc pertinet mutatio modi eſſendi & operandi. Vtuntur hac diſtinctione Scholaſtici Theologi in diſputationibus & Definitionibus, hoc eſt determinationibus (memineris me ſcribere Lexicon) de Sacramento Cœnæ Dominicæ. In Sacramento, inquiunt, Euchariſtico Corpus & Sangnis Domini non creantur, non incipiunt eſſe, quod non erant, ſed & incipiunt eſſe, vbi ante non erant (accipiunt nouum vbi, quod non eſt de Eſſentia corporatæ ſubſtantiæ) & incipiunt eſſe modo nouo, ſeu eo, quo non erant ante, nempe Sacramentali; conſeruato interim in Cœlo modo eſſendi, quem ibi habebant, nempe locali & circumſcriptiuo vel definitiuo. Secundum hæc ſoluunt obiectiones; Nempe, Vnum & idem numero Corpus per potentiam etiam diuinam eſſe id, quod virtute Spiritus ſancti creatum eſt in vtero Mariæ, & id, quod vi conſecrationis in Sacramento iterata creatione producitur. Dant enim totum, & creationem hic negant. (Dicunt tantum confici à Sacerdotibus.)

5. Mutatio rei { Secundum ſe ipſam. / Qua eſt γνωστόν τι.

Hoc eſt, quod Scaliger ait; Mutatio aut eſt rei, aut cognitionis, in re, qua nimirum cognoſcitur eſſe id, quod non fuerat. Exercitat. 6. ſectio. 13. Mutatio hæc eſt iudicii vel opinionis.

Mutatio, quę alicui Scientiæ accidit, eſt A { Facultate intelligente. Hoc tribus modis contingit: { 1. Cum rei gnotæ Scientia comparatur, vel notæ obliuio inducitur. / 2. Cum quod habitu tenebatur, actu conſideratur. / 3. Cum quod obſcure & confuſe cognoſcebatur, dilucide & diſtincte intelligitur. / Re intellecta ſeu Obiecto, ſiue ſit Vniuerſale, ſiue ſingulare.

Talis Scientia ſeu Scientiæ viciſſitudo in hominem, non in Deum cadit.

Mutatio Phyſica.

Μεταβολὴ eſt, cum quid aliter ſe habet quam prius, tranſitione nimirum ab vno ſtatu in alterum.

Intellige, Rem, quæ μεταβολλὼ patitur, tranſire ab vno ſtatu in alterum, quos Philoſophi vocant terminos, alterum A Quo, alterum Ad Quem. Exiſtit igitur prius ſub termino à Quo, poſterius ſub termino ad Quem. Μεταβολὴ autẽ *eſt momentanea, vel temporaria.* Momentanea poteſt eſſe. 1. Inter terminos Poſitiuos. 2. In alterum Poſitiuum,

tiuum, alterum Negatiuum: quomodo materia in generatione aeris transit à forma aquæ ad formam æeris, ad priuationem formæ aquæ: In corruptione autem generationi contraria ad formam aquæ & priuationem formæ aeris. At motus est mutatio successiua seu temporaria, & fit seu exercetur tantum inter terminos Positiuos, vt quorum vno partim mobile est dum mouetur, partim sub altero. Ex nigro in album transitur successiue seu in tempore per fuscum; ex frigido in calidum per tepidum. Sic ex quantitate minore transitur in maiorem per mediam, ex loco vno in alium. Sed transitus à priuatiuo ad positiuum (in generatione) aut à positiuo ad priuatiuum (in corruptione) non potest fieri in tempore, cum forma eius priuatio sit immediata in eodem subiecto, nec possit subiectum successiue seu decursu temporis breui vel longo, vnum deserere & alterum acquirere.

Mutatio qualibet est aut Simplex aut Complexa. His duobus modis posse accipi μεταβολὴν seu mutationem, docuit Fonsi. in 5. Metaph. Arist: c. 13.

Simplex dicitur, quæ fit aut sola abiectione termini à quo; aut sola acquisitione termini ad quem.

Complexa, quæ fit vtraque simul. Hæc Fonsecæ videtur significantius dici μεταξολὴ seu transmutatio, quam Motus aue Mutatio, eo quod transmutationis nomen magis declaret atque exprimat vtrunque terminum, & eum ad quem acceditur, & eum, à quo receditur; *ideoque vnum post alterum, seu vnum alteri succedere significet.* *Quid transmutari?*

Intellige cum Generatio momentanea mutatio hic dicitur, Generationem accipi pro sola introductione & abiectione formæ substantialis: non autem pro dispositione, qua paulatim subjectum præparatur ad formæ introductionem vel expulsionem. *Dupliciter accipitur Generationis vox.*

E Scalig. de caus. l. l.

- Mutatio alicuius fit Amissione
  - Substantiæ, vt cum è terra fit herba.
  - Accidentis, quæ fit
    - In
      - Quanto, vnde Augmentum.
      - Quali, quod dicunt Græci ἀλλοίωσιν.
    - Secundum locum, qui dicitur Motus.

Sic igitur euenit ei, quod mutatur; *Aut ipsum fit*, quod non erat; cum mutatur substantia: *Aut in ipso fit, quod non erat*, in cremento seu augmento & alteratione: *Aut ipsum fit* in quo non erat, scilicet in loco. Quanquam sunt etiam Mutationes in aliis prædicamentis: nam mutatur etiam aliquid, non propter suam, sed ob alterius etiam rei mutationem, vt mortuo Catoni vnico filio desinit ille pater esse, & Equus, qui ad dextram Principis est constitutus, si ad læuam transmoueatur, ipse princeps, qui sinister equo erat, fit dexter. Ergo quod mutatur, mutatur aut absolute, aut σχετικῶς.

Absolutè, cum aut ipsum fit, aut in ipso,&c. σχετικῶς, cum ob μεταβολὴν alterius vel comparatum alii mutatur.

An primitiua possint fieri deriuatiua, & quomodo fiant?

Mutatio speciei in Nomine Grammaticorum relatiua est, non absoluta. Ex primitiuo absoluto, vt Amor, fit primitiuum relatiuum, Amator deriuatiuum ab Amo est: primitiuum autem est ad Amatorium.

Mutatio segetum vel fructuum agri pro Traductione seu translatione magica eorũ. quæ alias dicitur Frugum excantatio. Excantare enim fruges præsertim in legibus non est simpliciter incantare, sed è loco in locum carminibus traducere, Ioseph Scalig. vt excantare sit foras elicere, Ouidij illud spectat huc. Nec seges ex aliis alios trãsibit in agros. Mutatio oratoria sententiarum est earum variatio manente eodem sensu. Dicitur & Commutatio sententiarum.

DE Variatione Sententiarum

ὑπόμνημα.

Latinæ linguæ studiosis pręsertim εὐπορίαν amantib. exercitium variandi sententiam simplicem in tropicam & signatam commendatum esse dicitur: eius exẽplũ vnũ atq; alterũ propono.

I. SENTENTIA:

Patria sua cuique egregie cara est.

Variatio huius sententiæ 1. per metaphoram.

Patriæ solum cum omnibus est carum, tum vero dulce & iucundum. 2. Per syncedochicam vel metonymicam extenuationem.

Amplificatio à maiori.

Non parua est Ithaci sapientia: sed tamen optat

Amplificatio prolepticа & traductio theseos ad hypothesin id est exemplum.

Fumum de patriis posse videre focis.

3. per Metonymiam efficient. conseruantis pro effectu.

Nil iucundius quam esse cum diis patriis & penatibus.

4. Per Ironiam.

Insitum scilicet est cuique patriæ odium & facilis eius obliuio.

5. Per exclamationem admirationis.

Deum immortalem quam charam habet quisque (seu quanta charitate cõplectitur) suam patriam.

6. Per addubitationem.

Haud scio an sit quid homini charius patria?

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non sinit esse sui.

7. Per Interrogationem & subiectionem.

Quid charius est patria terra? Nihil.

8. Per anaphoram & Polyptoton. Cuen.

Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates patria vna complexa est, **Liebe deß Vatterlands gehet vor alle Liebe.**

Auctarium.

Dulce quidem patria est: Verum mihi dulcius esto

Pro Christo patrios deseruisse Lares. (Deos.)

II. Germani sunt bibuli.

Variatio 1. per metonymiam.

Germania est bibax: est multibiba. Germaniæ nobilitata est bibacitas. Germania perdita Baccho est.

2. Per synecdochen.

Germani sunt vinosi, Lamb.

Sunt crapula (malum) Germani mobiles.

Per metonym. effect. pro causa.

Crapula enim est dolor & noxa capitis ex ebrietate.

Per metaphoram.

Germani immergunt se in potum: Vino se ingurgitant.

Per catachresin hyperbol.

Germanus fortis potandi strenuitate vir est.

Per exclamationem optationis.

Germani possunt cunctos tolerare labores
O vtinam possent tam bene ferre sitim.

Per

Per paranomasiam.
Perdidit haud temere priscas Germania laudes, cui nihil est aliud viuere, quam bibere.

III. RARA FIDES.

Per metaphoram.
Fluxa fides hominum: lubrica facta fides.
Per metonymiam adiuncti signi.
Dant dexteram multi sed pauci liberant.
Per Metonymiam hyperbolic. & emphaticam seu ἐναργῆ.
Raro Heu quam raro intrat limen mortale: fere omni
Exulat orbe fides: nomen inane fides.
Per catachresin.
Fides vbiq; punica: nullibi cõuentorum dictorumq; constantia, & veritas.
Per Ironiam.
Homines vbiq; tuentur (seruant) fidem: scilicet religione punica.
Per polyptoton.
Nunc vbi prisca fides?
Iura, fides vbi nunc commissaque dextera dextræ?
Per paranomasiam.
Cara fides, quia rara fides. Rara fides: Ergo fide videq; cui.
Per exclamationem accusantis.
Heus vbi pacta fides.
Per exclamationem conquerentis.
Me miserum, quid credas iam aut cui credas?
Nullane in re esse homini fidem?
Per epizeuxin, & exclam.
Ah ah nostra ætas quam paucum fidei gerit?
Per interrogat. & subiectionem.
Nunc vbi certa fides regnat? in Vtopia.
Per prosopopœiam introducatur querela Fidei profligatæ seu exulis contra perfidiæ regnum.
Emblemata, προσῳδίαν.
Constat in hoc neruo sapientia: credere nulli.
Aut si vis vlli credere crede parum.
Nunquam cuta fides: hæc coruo est rarior albo.

IV. Fortuna inconstans & mutabilis.

Per metonymiam.
Fors tantum est constans in leuitate sua.
Per metaph. & hyperb. & allegoriam.
Pressa tene manu Fortunam: lubrica lambit est.
Fortuna Vitrea est quæ cũ splendet frangitur,
Fors manet in nullo certa tenaxq; loco.
Varia est vitæ commutabilisq; ratio vaga volubilisq;. Cic.
Fortuna, volucris est. Alea fortunæ est varia.
Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat.
Nunc mihi nunc alii ridet fortuna benigna.
Per antinomasium poeticam
Mortales cernit vario Rhamnusia vultu.
Per catachresin seu ἀκυρολογίαν poeticam & paranomosiam.
Area Fortunæ est Varia.
Per hyperbolen.
Nunc serenitas, nunc fulmina fortunæ apparent.
Fortuna æstuantis more fertur Euripi.
Per symplocen.
Est casuũ varietas: est sortis mutabilitas.
Per anaphoram.
Sors cæca est, sors bruta est, sors incerta vagatur.
Fertq; refertque vices, & habent mortalia causm.
Nunc bona mortali nũc venit hora mala.
Per exclamationẽ, conquestionis & admirationis.
O fallãcem hominum spem, fragilemq; fortunam.
O volucrẽ Fortunam, quam cito omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lachrymas recidunt.
Per paranomasiam.
Omnia sors versat: dubios sors mutat honores.

Perrhythmum.

Luſus Fortuna variatur imagine Lunæ,
Cieſcit decreſcit, conſtans perſiſtere neſcit.

Προσθήκη.

Ipſa dies quandoq; parens, quandoq; nouerca eſt.
Nũc pluit, aut claro nũc Iupiter æquore ridet.

Logice variatur & amplificatur hæc ſententia E locis ſimil. pari. Maior. Definitionis & periphraſeos, effectis, contrar. Variatio etiam per æquipollentia ſeu per ſynonyma hic locum habet.

2. ὑπόμνημα.

Diſcenda eſt & exercenda commutatio ſententiarum Philoſophicarum in clariores & nitidiores.

Sententia Phyſica.

Quicquid compoſitum eſt tãdem diſſoluitur ipſum.

Ciceron.

Quicquid ex partibus aliquando coiit & concretum eſt, id eaſdem in partes aliquando dilabatur ac diſſipetur neceſſe eſt. Paul. Manutius.

Phyſ.

Hæc eſt conditio materiæ naturalis vt appetat perpetuo aliam formam.

Ciceron.

Habet hoc materia illa vnde res oẽs conſtant, vt formæ mutationem quærat: idq;, quod ſequitur, aſſecuta migret in alias naturas, quaſi quod appetiit, eo nunquã eſſe contenta videatur. Idem.

Sententia Politica.

Lege naturæ vim vi repellere fas eſt, & quiſq; ſibi ptoximus eſt.

Ciceronian.

Hoc æterna naturæ lege, vnde humanæ leges, tanquam ex archetypo, deſcribuntur, ſancitum eſſe videtur, vt vim vi liceat repellere, & ſua cuiq; incolumitas prima ſit.

Sententia Theologica.

Verbum caro factum eſt (incarnatum Scholaſtici.)

Latinius.

Filius Dei in vnam nobiſcum carnẽ coalint.

Sententia Philoſoph.

Verus Philoſophis non eſt mancipium alienæ ſententiæ vel libidinis.

Paraphraſtice.

Verus Philoſophus eſt libero iudicio, nulla eiuſmodi aſtrictus neceſſitate, vt ipſi, velit, nolit, ſit certa quædam (ſeu alicuius) tuenda ſententia: ſicut loquitur Cicero de Natur. deorum.

Sententia Philoſophica.

Multa ſunt opinabilia, è quibus quædam propter eſſentiæ eminentiam, quædam propter paruam ſeu tenuem entitatem obſcura ſunt & minus ὄντα. Illorum exemplum ſuppeditant ſubſtantiæ immateriales. Horum vero materia prima, quæ vt nulla qualitate affecta eſt: ita nondum plene cognita.

Terſe, luculenter, nitide & copioſe Scaliger.

Multa verſantur in opinione hominum, quorum partim obſcura ſunt propter excellentiam nobilitatis, cuius fulgore comparatus intellectus pene tenebroſus eſt: Alia contra latent nos propter exiguitatem naturæ ſuæ, quæ nullam pene ſui ſpeciem creare poſſunt in animis noſtris: Illorum exemplum capiendum eſt ab iis ſubſtantiis, quæ nullis commixtæ materiis longinquæ ſunt à ſenſibus humanis: Idea vero materiarum primarum nullis æque pictæ accidentibus à mortalium cognitione tam longe ſita eſt, vix vt olim cognita vnius Ariſtotelis cultu ſera ceperit incrementa, quæ haud ſcio an etiam nũc adepta ſint vltimam perfectionem.

Mutationis breuis vulgariſque ſententiæ in elegantem & copioſam exemplum aliud.

Typographus notum eſſe vult omnib. ſe ab authore accepiſſe de certi generis ſcriptis ſuis priuilegium Regium ad annos quinque, &c.

Peri-

Periphraſtice & eleganter hæc ſententia elata.

Qui hoſce de Philoſophia libros hoc tẽpore cura & ſtudio ſuo expreſſit certiores reddi cupit vniuerſos ſibi ab authore copiam factam beneficii maieſtatis regiæ, quo ipſi ad editionem certi generis ſcriptorum ſuorum benigne permiſſum conceſſumque fuit, vt cuicunq; illa dediſſet imprimenda, & annos quinque ab edito hoc libello ei ad diſtractionem exemplariũ adiungere poſſet: Quibus vetitum interdictumq; eſſet omnibus contra voluntatem autoris denuo euulgare, & quæ ipſe emiſiſſet graui mulcta irrogata iis, qui interdicto audientes non fuiſſent. Ioachimus Camerarius.

MVTABILITAS.

Mutabilitas à Mutatione diſtinguẽda eſt vt potentia ab ἐνεργείᾳ, vt corruptibilitas à corruptione, variabilitas à variatione, flexibilitas à flexione. Non enim quicquid mutabile eſt, mutatur. Mutabilis aũt eſt res omnis creata, vel ab Externo, vel ab Interno principio. Ab Externo principio, vt Deo, quia ſingulæ pendent ab eius virtute & conſeruatione, qua ſubtracta concíderent & in nihilũ abirẽt. Ita Angeli ſunt mutabiles. Internum mutationis principium eſt vel in Subiecti Eſſentia, i.e. materia & forma, aut vno ſaltẽ horum: vel Accidentibus qualitatibus, vel in loci aut voluntatis electione iſq; mutatione. Ita Homines etiam ſunt mutabiles. *Deus* cõtra neutro horum principio mutabilis eſt.

MVTILVM, MVTILATVM. πεπηρωμένον.

Ariſtoteles per mutilata 2. de anim. tex. 34. Zabarellæ intelligere videtur, quæ ſunt orbata membro aliquo ad generationem neceſſario.

Item quæ carẽt qualitate vel tẽperatura debita ſiue totiꝰ corporis, ſiue alicuius partis, ſine qua nõ põt fieri generatio, vel etiam debita quantitate membri. Sic igitur multi mutilati eſſe dici poſſunt: Pueri, qua nondum generare poſſunt, quia imperfectæ ſunt ætatis & quantitatis, non dicuntur mutilati, ſed imperfecti: Homines tam mares, quam fœminæ ſteriles propter temperaturam ſteriles.

Horatius Mutilum vocat eum improprie, cui cornu videbatur ob cicatricẽ à fronte auulſum. Improprie, inquam, quia cornu hoc erat in capite παρὰ φύσιν.

Πεπηρωμένοι πρὸς ἀρετὴν Ariſtot. 1. Eth. c. 11. ſunt inepti ad virtutem quaſi manci & debiles ſeu debilitati.

Per translationem ita nominat eos, quib. ita vel natura vel fortuna inimica eſt vt virtutem adipiſci non poſſint: debiles proprie ſunt quibus aliquod membrum fractum, imminutum vel corruptum eſt, quos etiã Græci dicunt ἀνάπηρους.

MYSTERIVM.

Myſterium tribuitur Diſciplinæ Pythagoricorum de numeris, Magię naturali, Chymiæ, omninoque Doctrinæ de abſconditis rerum cauſis. Eſtq; occultum quid ſenſui.

In Chymia Myſterium eſt eſſentia ſubtilis latens in intimis materiæ corporeæ receſſibus. In eadem prima omnium rerum materia vocatur magnum Myſterium.

MYSTICVM.

Myſtica Theologia eſt Theologia ſecreta, in qua mens tranſcendit omnes

creaturas & seipsam, ac oriatur ab actibus omnium virium apprehensiuarum cuiusque creati in desiderio videndi & tenendi ipsum, qui est super omnia, nempe DEUM; dicitur Mystica quasi occulta & clausa, quia cum iuxta eam per ablationem seu detractionem eorum, quæ in creaturis reperiuntur, ad DEI cognitionem ascenditur, tandem quid sit DEUS, clausum tamen & occultum relinquitur. Linconiens. & Ioh. Saracen. in prolog. de Mystica Theol. Diuinitas enim, incomprehensibile sapientiæ pelagus ignota nobis manet, vt Faber ait, in Schol. in cœlest. Hier. Dionysii, quem volucrem cœli vocat Chrysostomus, referente eodem Fabro.

Huic opponitur Theologia symbolica, id est, significatiua, vt vertit Faber Stapul, in quo exprimuntur nomina, quę Symbolicę & translate de DEO dicuntur, vt sunt Leo, Lapis, Ignis.

LITERA N.

NARRATIO.

NArratio Græcis est ἔκθεσις vel διήγησις. 1. Est ea vel προσωπικὴ personarum, vel πραγματικὴ, rerum aut præsentium, τῶν πρατ τομένων, & dicitur δήλωσις: aut futurarum τῶν προαχθησομένων, quam Aristoteles vocat πρόῤῥησιν, id est prædictionem; aut præteritarum, τῶν προαχθέντων, quam nominat ἀπαγγελίαν (renuntiationem.)

2. Est Rhetorica seu oratoria seu historica rerum vere gestarum, vel Poetica, rerum perinde vt gestarum, ὡς γεγονότων, cuiusmodi sunt mythi, apologi & dramata. Græcis sunt διηγήματα πεπλασμένα (narrationes, fictæ.)

Narratio Oratoria προκατάσκευος dicitur ea, in qua latent argumentorum semina, quæ in confirmatione copiosius exponuntur & tractantur. Dicta προκατάσκευος, quia sedem & fundamentum fidei ponit (quasi præcedens κατασκευὴν seu πίστωσιν, id est Confirmationem.)

ἄλλως.

- Narratio
  - Vera
    - Diuina Theologorum.
    - Physica Physicorum. Huc pertinet Historia Plinii Naturalis.
    - Humana Politicorum.
      - Historia
        - Vniuersalis.
        - Particularis.
  - Non-vera.

Diuina] Hæc continet Historiam diuinam, id est, Sacrosanctam Theologiã.

Physica] Hæc historiam Naturæ amplectitur.

Huma-

Humana] Hæc actiones factaq; hominũ & populorum explicat.

Vniuersalis] Hæc commemorat res vniuersas tam Ecclesiasticas, quam Politicas.

Particularis] Hæc vnius hominis aut populi dicta factaque ἀξιομνημόνευτα complectitur.

NATVM.

Pro aptum natum, Græce πεφυκὸς, vt cõtingentia nata, ἐνδεχόμενα πεφυκότα, id est, quæ apta nata sunt sic fieri, quæ plerumque eueniunt, quæ plerumq; eodem modo se habent. Alias Definita. Opponuntur autem *& indefinitis*, hoc est iis, quæ non sunt apta nata magis hoc quam contrario modo fieri, id est, iis, quæ æque possunt sic vel non sic euenire, (suntq; vel ad vtrumlibet indifferenter se habentia; vel rara; Illæ æque sæpe fieri & non fieri solent, vt quæ ex voluntatis arbitrio sunt; Hæc vero sæpius non fieri, quam fieri solẽt; vt Fortuita) *& Necessariis*, id est, iis, quę semper eodem modo se habent.

Indefiniti contingentis exemplum est: Contingit animal ambulare. Definiti exempla: Contingit aliquo ambulante fieri terræmotum; Contingit hominem canescere. Necessarii: Cœlum continue mouetur.

NATVRA.

Natura est
- Cuiusque Entis Essentia, siue sit illud substantia, siue accidens, vt Definitio explicat naturam Definiti.
- Substantia; vt Plin. Natura est opifex rerum.
- Tum substantia rei, tum qualitates, affectiones, operationes naturæ.
- Mundus seu πᾶν, id est, vniuersitas rerum, è quibus mundus constat. In Natura nihil est otiosum & ἄτακτον.
- Causæ efficient. natural. Natura nihil facit frustra. Causæ internæ, naturam corporis constituentes, vt corpus naturale habet naturam, id est, materiam & formam.
- Materia vel forma corporis naturalis seorsum, vt cum ab Arist. Forma dicitur magis Natura, quam materia.
- Forma tantum corporis naturalis inanimati, vt cum natura opponitur animæ, & ab ea distinguitur.
- Ordo rerum naturalium à Deo sancitus, vt cum dicitur aliquid fieri secundum Naturam.
- Naturalis corporis qualitas & affectio, vt cum magnetis natura dicitur esse trahere ferrum, aqua recedere à natura, id est, à suis naturalibus qualitatibus: nutricis natura cum lacte sugitur.
- Status hominis non renati oppositus statui gratiæ.

Natura multa significat. 1. Bieli in 3. sentent. d. 1. q. 1. Natura est res aliqua positiua, habens esse reale. Augustino contra Manichæum in lib. de morib. Cathol. Omne quod in suo genere est aliquid. 1. *Vim essentialem* conscientiæ & cognitionis. Hæc suscipit axiomata paruasque notitias rerum maximarum, quæ natura habere dicimur: Vis enim ista in nobis post lapsum remansit. 2. *Naturales qualitates*, 1. Tum *inavótητα, id est, habilitatem* naturalem ad aliquid. 2. *Tum puritatem ac integritatem* naturalem, qualis fuit in primis illis parentib. antequã peccassent: quæ nobis natura (qua sumus post peccatum illorum) non inest.

Vsus.

Thesis.	Antithesis.
Græcis, quæ Legis sunt natura *a* faciunt. *b* Rom. 1. cap.	*Gentes naturale* c *principium agendi ex virtute* d *seu iustitia non habent. Arist.*

Conciliatio.

Quod *a* ad principia essentialia conscientiæ attinet.

Quod c *ad habilitatem naturalem attinet.*

Quod *b* ad vnam atq; alteram actionem ex particularis alicuius (huius vel illius) virtutis simulacro existentem attinet. Natura inesse possunt virtutes, seu potius virtutum simulacra. Aristot. l. 6. de morib. c. 13.

Virtute d, *scilicet tota absolutaque, Iustitia scilicet tota & perfecta, seu caritate habitus totius virtutis perfectus & absolutus, non nisi per resurrectionem carnis in toto homine absolui potest, in hac vita obtineri nequit, propter ἀδυναμίαν Physicã è labe originis, (quæ patibilis qualitas est à primo ad omnes homines propagata) existentem. Itaq; est* θεώσεως.

Vis ἐσιώσης Conscientiæ, quæ testimoniũ reddit Legi Dei, ipsumque hominem conuincit, redditq; ἀναπολόγητον, inest nobis natura.



Qui Naturam etiam DEO tribuunt, naturam vniuersalem, distinguunt in Infinitam & Finitam. Infinita, DEVS: Finita Logic. vel Physic.

Vniuersalis natura Logica est natura generis communis omnibus speciebus, & speciei communis omnibus individuis.

Vniuersal. Natura Astronom. est virtus diffusa in substantias cœlorum communiter, & vis cœlitus immissa his inferioribus, quæ mouet, regit & continet omnem naturam particularem, id est, singula corpora naturalia, quæ cœlestis influentia attingit, iuxta proportionem non Arithmeticam æqualiter, sed Geometricam æquabiliter.

Vniuersalis Natura Physica est principium motus & quietis à Deo rebus naturalibus communiter inditum, quas excitet, foueat, & ad motus mutationisque & operationum vicissitudines subigat. Hæc vniuersalis natura est cum secundis substantiis speciei aut generi tribuitur causa & effectus naturalis, vt cum dico, species existit ex sua specie, hordeum ex hordeo, cerasum ex ceraso; homo generat hominem, bos bouem. Effectus scilicet, vniuersalis

uersalis nascitur & propagatur ordinarie ex causa sua & natura vniuersali.

Natura Particularis est, quæ in rebus singularibus, id est, indiuiduis (quæ Græcis sunt τὰ καθ' ἕκαστον) substantiæ corporeæ ineſt, secundum quam seu ex qua natura nomen causæ vel effectus tribuitur indiuiduo, vt cum dicitur: Ex hoc ouo nascitur hic pullus. *Hac natura corrupta, necesse est compositum quoque ex eadem natura corrumpi & interire.* Quia hæc natura est corporis & naturalis essentia.

Vsus Cognitionis significationum vocis Naturæ.

Quæritur: An propriæ seu Essentiales Rei, verbi gratia, Hominis, qualitates Naturam constituant, seu sint τῆς φύσεως συστατικαί?

Resp. Dist. vocis, Si Natura hominis accipitur pro οὐσία ipsa tantum, potentiæ seu facultates & actus natiui naturam hominis non constituunt, sed constitutionem Naturæ insequuntur. Si vero natura Hominis intelligitur esse tum substantia hominis, tum qualitates eius & affectiones natiuæ, qualitates & affectiones hæ recte dicuntur cum materia & forma hominis naturam constituere, vt vt materia & forma hominis συστατικαὶ sint πρώτως, qualitates illæ δευτέρως. Eadem ὁμωνυμία est in voce NATVRALITAS. Nam Zabarella cum ait, Calor misti naturalis dum amittit naturalitatem (qua continet humidum cum sicco) ob defectum alicuius principii conseruantis mistum, tum suscipit proprietatem ignei, quæ est dissoluere & edicere humidum illius misti, cuius antea erat calor naturalis: *hic Naturalitatem accipit pro proprietate caloris naturalis.* l. 2. de Gen. & Inter. mist. c. 3.

Cum Distinctione Naturæ Vniuersalis & particularis congruit hæc: Natura est absolute, vel in specie, vt Misti: vt putrefactio est secundum Naturam absolute, id est, secundum leges naturæ vniuersalis, quæ statuit omne genitum esse aliquando interiturum. Non est secundum misti naturam: Non enim mistum, qua mistum est, dirigitur à propria natura ad putrefactionem, seu propensionem habet ad sui conseruationem quoad eius fieri potest. Combustio est violenta: quia est præter vniuersalis naturæ legem & cursum. Vid. Zab ibid. c. 4. Naturam autem vniuersalem definit Zabarella omninm causarum dispositionem certam cum pendentia ab vno principio, vnde singulis rebus constitutæ sunt leges propriæ quædam, quæ præteriri non possunt.

Natura Vniuersa nihil aliud est quam totus Mundus.

Natura facta hæc est natura astricta conditionibus singularibus.

Sic Zabarella in poster. Analyt. 1. contex. 164. Vniuersitas seu Communitas, quam mens nostra facit, non existit per se, cum natura Vniuersalis iam sit ligata conditionibus singularibus, & facta hæc, sed ope Intellectus abstrahentis redditur Vniuersalis.

- Natura seu Essentia substantię compositæ significata
  - Per Modum Totius, *Secundum*
    - *Se*, κατ' ἑαυτὸ seu secundum rationem propriam: Seu, Absolute accepta.
    - *Esse*, quod habet in Singularibus.
    - *Esse*, quod habet in intellectu, vt cum dicitur, Homo est Species: Hic ti Species nihil reale adiicit ad hominem, sed solam Rationis relationem, qua respicit suum Genus.
  - Per Modum Partis.
    - Vt per se existens à Singularibus separata.

Caiet. in 4. cap. de ent. Thom.

Explicatio.

Natura Absolute seu secundum se, id est, secundum naturam seu rationem propriam est natura considerata secundum eas conditiones siue ea prædicata, quę in ipsam conueniunt ex sua definitione seu in primo modo dicendi per se, quę prędicata dicuntur quidditatiua: Sic Homo est animal rationale; Socrates est homo.

Natura secundum esse in Singularibus est natura considerata secundum eas conditiones, seu secundum ea prædicata, quæ conueniunt ipsi ex eo, quod in singularibus habet, vt, Homo est albus: Hic album addit seu ponit supra hominem, nempe albedinem seu naturam albedinis, quæ est Ens reale.

Natura secundum esse in intellectu est natura spectata secundum eas conditiones seu ea attributa, quæ conueniunt ipsi ex eo, quod habet esse in intellectu, vt Homo à relatione Vniuersalitatis aut Speciei denominatur Vniuersale aut Species. Hæc relatiua denominatio nihil ponit reale vltra naturam ipsam.

Natura absolute sumpta nec est vna numero, nec plures numero. Si enim esset vna numero, non posset inueniri in pluribus numero; (vt in Socrate & Platone Humanitas.) quia non posset habere vnitatem numeralem, ex quo sibi vendicat secundum se distinctionem numeralem (quia hæc illi est opposita.)

Natura secundum esse in singularibus vnitatem & distinctionem numeralem adipiscitur. Ideo enim homo est vnus numero, quia Socrates est vnus numero. Ideo homo est distinctus numero in pluribus, quia Socrates & Plato sunt distincti numero.

Canon.

Ἀδιάλειπτον est alicui conuenire oppositum eius, quod conuenit ei absolute. Ita cũ conueniat circumscriptio creaturæ, non potest ei attribui τὸ ἀπερίγραπτον. Thom. Quodlib. 9. art. 3. Nihil inuenitur extra id, quod est de ratione: Vt in circumscriptum non inuenitur extra Deum (in Creatura) est enim de ratione Dei.

Si Naturæ κατ' ἑαυτὸ sumptæ conueniũt tantum prædicata quidditatiua, transcendentia ponentur in illius definitione: Sunt enim prædicata quidditatiua. At non ponuntur in definitione illius.

Ergo.

Respons.

Respons.

Prædicata essentialia (non eodem modo)
- Explicantia alium gradum essentialem definiti. Talia adhibentur in definitione.
- Non significantia alium gradum seu aliam naturam à gradibus seu naturis eorum, quibus opponuntur. Talia non ponuntur in Definitione. Hæc sunt transcendentia.

Nam cum dico, Ens homo, vnus homo, res homo, aliquid homo; nullum alium gradum ab humanitate significo, sed ipsam humanitatem diuersis modis. Τὸ enim Ens significat humanitatem, vt habet esse: τὸ Vnus illam, vt non est diuisa formaliter: τὸ res illam, vt non est fabricata ab intellectu: τὸ Bonum illam, vt est perfectiua appetitus: τὸ Verum illam, vt est perfectiua intellectus; τὸ aliquid illam, vt aliud quid est ab aliis. Caiet.

An negationes naturarum disparatarum conueniant naturæ absolutè?

Negationes formaliter acceptę in his, Leo non est homo, planta non est animal, nõ conueniunt naturæ absolute. Ita.n. essent essentialia prædicata. Itaq; Negatio esset de definitione substantiæ: quod est absurdum. Nec essent negationes entia rationis. At per opus intellectus naturæ attribuuntur. Sunt igitur Entia rationis. Caietanus ergo dicit esse prædicata Quidditatiua ex accidenti seu fundamenti ratione, quia fundamentum negationum naturarum disparatarum de homine nihil est aliud, quam Natura hominis. Ex eo enim, quod Homo est animal rationale, homo nõ est Leo. Itaque Logicus hanc ad necessario veras Enunciationes refert.

Ramus Natura Filii iræ, ait Paulus. Hic Erasmo Roterodamo idem valet, quod Reipsa seu vere: Aliis, quod Ab initio conceptionis.

NATVRALITAS.

Naturalitas vis seu facultas naturalis est. Naturalitas Illationis est vis illatrix. In Logic. distinguitur inter Naturalitatẽ Materiæ & Formæ (quæ distinctio è Physicis sumpta est:) inter Naturalitatẽ prædicationis & rei; inter Prædicationem Naturalem & illationem naturalem. Prędicatio naturalis est, cũ quod alteri reuera subest, subiicitur; & cui ineſt, prædicatur: cũ, verbi gratia, Genus vel Differẽtia de specie, vel accidens de Subiecto prædicatur.

Illatio Naturalis est, cum id prædicatur in Conclusione, quod fuit prædicatum in Propositionibus, & in conclusione subiicitur, quod fuit in propositionibus Subiectum. In Naturalitate materiæ seu secundum materiam attenditur conuenientia propositionis cum re: vt homo est animal: non; animal est homo. In Naturalitate Formæ attenditur conuenientia conclusionis cum propositionibus, vt: omne animal est corpus: Omnis homo est animal: Ergo omnis homo est corpus. Conclude huius conuersa: Ergo aliquod corpus est homo, & illatio fuerit non naturalis.

Versor Auerrois: Diminutus naturalitate est, qui non est satis sanæ mentis, der nicht halb recht ist, vt qui negat motum esse.

NATVRALE.

Quod ſecundum naturam eſt. Oppoſ. quod eſt præter, ſupra, contra naturam.

Innatum, Congenitum: Opp. aduentitio, vt cum qualitas alia dicitur naturalis, alia aduentitia.

Spontaneum: Opp. Violento, vt cum mors alia dicitur voluntaria, alia naturalis.

Naturale { Neceſſarium, ſeu non-voluntarium: Opp. Voluntario, vt cum motus pulmonis dicitur naturalis non voluntarius.

Non Morale vel Artificiale, vt cum Bonitas alia dicitur Naturalis, alia Moralis, alia Artificialis.

Naturaliter cauſans aliquid, vt cum ſemen dicitur materia naturalis Filii: anima forma naturalis hominis.

Quod fit vi naturalis cauſæ, quod vel ab efficiente naturali producitur, vel ex materia & forma naturali conſtat.

Naturalia alia ſunt naturæ integræ & corruptæ communia; alia vtriuſque propria.

Communia *ſunt omnia Eſſentialia*, Facultates, affectiones, ἐνέργειαι, quæ in homine primo fuerunt per Creationem: in poſteris ſunt per Generationem.

Propria *Naturæ integræ erant dotes*, perfectiones animæ, Sapientia mentis, iuſtitia Voluntatis, puritas cordis, Sanctitas appetitus, rectitudo motus, immortalitas corporis, felicitas totius hominis.

Propria *naturæ corruptæ adiacentia ſunt defectus*, & imperfectiones animæ corporis, ignorantia mentis in diuinis, prauitas Voluntatis, impuritas Cordis, ἀταξία appetitus, rebellio cordis, languores, morbi, mors corporis.

Naturale { Quod Naturæ primæ inſtitutionem & ordinem ſequitur.

Quod naturæ corruptæ modum conſequitur; vt peccatum Originium, quod neminem naturæ ordine procreatum è ſuo contagio excipit.

De *Naturali* in prima ſignificatione accipienda ſunt Pronunciata.

Thom. de Malo. 1. Malum non eſt in ſubiecto ſicut accidens Naturale: eſt enim aliquid inhærens, vt priuatio, quæ quidem eſt defectus eius quod natum eſſe ineſſe: at non ineſt: Itaque ineſt præter naturam.

Thom. Aq. 2. Si aliquis defectus eſt alicui rei naturalis, non poteſt dici quod ſit malum eius.

Robertus Bellarminus hos fere modos tradit.

I. Naturale eſt, quod ab ortu, id eſt, natiuitate vel creatione, quæ vicem tenet natiuitatis, habetur ſeu trahitur. Ita primo Homini Rectitudo fuit naturalis: Creatio enim ei fuit Natiuitas; &

tas, & Rectitudo originalis fuit Bonum Naturæ.

II. Quod Naturæ est consentaneum, quodque eam non destruit, sed iuuat, ornat, perficit: vt Gentibus naturale est facere, quæ sunt Legis. Rom. 1.

III. Quod est Pars naturæ, quod naturam rei constituit, vt anima corpus.

IV. Quod fluit à principiis naturæ constitutæ, vt sunt facultates & operationes vtriusque propriæ.

Alii addunt his.

V. Quicquid principiis Naturæ ad eius perfectionem per se adiacet, vt Vbietas, dotes concreatæ, vel natiuæ.

Alii.

VI. Vt naturale sit idem, quod ordinatum.

Opponitur Naturali Externum & Supernaturale, quod naturam superat (vt sunt Miracula & dona gratiæ, quæ Græcis sunt χαρίσματα) & Præternaturale, & ἄτακτον. Bellarminus facit aliud per se, aliud per accidens. Per se, quod ex genere suo non est aptum fluere ex principiis naturæ, vt Robur Samsonis. Per accidens quod interdum obtinetur diuino miraculo, licet alioqui ex naturæ principiis fluere soleat, vt visio in cæco. Iohan. 9.

Vsus.

Quæritur: An post lapsum primi parentis aliquid Naturale homini desit? (Ab hac alia quæstio est: An Naturalia in homine sint integra, id est, illæsa: Aliud enim est Integra, aliud Omnia; Aliud Integritas, aliud Vniuersitas.) Respondetur distinctione Naturalis vel Essentialis. 1. Nihil Naturale naturæ hominis nunc deest, si intelligas Naturale de Naturæ essentialibus. Nulla enim vel Pars, vel δύναμις, vel ἐνέργεια naturæ humanę propria nunc deest. Itaque non etiam Liberum arbitrium, qua id est naturæ intelligentis & volentis facultas vel actus proprius. Homo enim etiam nunc habet facultatem libere volendi, nolendi, eligendi, repudiandi obiectum à ratione monstratum.

2. Aliquid naturale deest nunc hominis Naturæ, si intelligas Naturale, quod Naturæ constitutæ, ex creatione per se adiacebat, vt dotes natiuæ, perfectiones animæ, corporis, potentiarum, motuum, actuum rectitudo. D. Pareus.

Consentiunt hisce, quæ de Naturali tradidit Ludouicus Cœl. Rhodig. lib. 11. Lection. antiquar. cap. 38. his verbis: Non vno tantum modo dicitur Naturale. Nam 1. *Quandoque vt artificiali oppositum*, intelligi necesse est, cuiusmodi est materia & forma, quæ naturæ dicuntur, coaptatum corpus, quod in se habet motus & status principia, sicut legitur in 2. de auscult. Physic. 2. Alia item ratione nuncupatur Naturale, vt Aduentitio (seu Extraneo) obiectum siue post generationem comparato, quod Moralium 2. innuit Aristot. cum ait: Nullum eorum, quæ naturaliter existunt, aliter insuescere.

3. Modo dicitur Naturale, quod rei necessarium est, cui Naturale traditur, ad eamque materialis, formalis, aut finalis causæ habitudinem possidet: qua ratione medicorum peritissimi res naturales septem prodidere.

Quarto modo Naturale aliquid intelligimus, quod cuipiam congruit, vt sit, vel vt conseruetur. Sic enim naturalem equis auenam pronuntiamus & locum locato.

Postremo naturale est, quod necessario rei naturam consequitur, cuius est, ita vt in ea existentiæ suæ principium habeat. Huic vero Naturali violentum ex aduerso constituitur. Secundum hoc postremum significatum Mors,

quæ per maturam ſenectutem extincto calore innato ſuperuenit; Naturalis & ſecundum naturam eſſe dicitur à Platone, Ariſtot. Galeno, quæ tamen alio reſpectu Naturæ contraria & contra naturam eſſe dicitur. Ioh. Pinc. & inimica, ideoque terribilis.

Mors non eſt amica & benigna natura.

De Naturali ſecundum ſignificatum ſecundum intelligatur hoc Axioma: Calor excedens, (qui à mediocritate recedit) diſſoluit humidum naturale. Petr. de Aluer. de iuuent. Senect. & Reſpir. Et calor naturalis fugit cibum, vt ignis oleum in lampade. Alb. M. in 2. de anim. tract. 2. l. 8.

Naturale ſeu Phyſicum Fatum eſt Ordo cauſarum naturalium, quæ niſi impediantur vi & natura ſua, certum eúndemque producunt effectum. Lipſ. Fatum Naturale proprium eſt ἡ ἐκάστου φύσις, id eſt, vniuſcuiuſque natura. Theophraſt.

Pro Naturali etiam ſæpe dicitur CONNATURALE, συμφυὲς, vt Caliditas igni eſt connaturalis. Alb. M. & Caliditas & frigiditas quibuſdam Elementis eſt naturalis. Id. de propr. Element. l. 1.

Vſus.

Definitio à genere, ſubiecto & cauſa.

Caluitium an ſit Naturale, quæritur? Reſp. Naturale eſt, quia accidit capiti ſponte ſua ex ſuis cauſis. Eſt enim caluitium leuitas (id eſt, nuditas à pilis) anterioris partis capitis (Hæc enim mollis & laxa hominis maſculini ſexus, quatenus inops eſt ab humore calido pingui, *cui tale glaze*. Attrahura eſt non naturalis, qua accerſitur petulanter magna cum læſione capitis propter cranium tenuius, & commiſſuras in eo molles & ſubtiles.

Pueri, mulieres, ſpadones, qui nunquam coierunt, non calueſcunt. Ariſt. de hiſtor. & generation. animal.

Humiditates poſterius generatæ in corporibus animalium, ſperma & lac, naturales ſunt. Ecquomodo? Reſp. vt pertinentes non ad ſalutem individui, ſed ad permanentiam ſpeciei. Albert. M. de animal. l. 3. tractat. 2. cap. 7.

Inter Naturale & Aduentitium ſeu extraneum medium eſt quod neque penitus extraneum, ſeu externum, neque penitus naturale. Exempli cauſa. In miſto humidum aqueum, quod Alb. M. quaſi nutriens vocat, (diſparatum ab humido continuante) aliqua ex parte aſſimilatum eſt naturali, at non penitus aſſimilatum: itaque medium quodammodo eſt inter extraneum ſeu aduentitium & naturale, iudice Zab. l. 3. de miſti generat. & inter. c. 7.

Naturaliter.

Propr. naturaliter eſt naturali ratione. 2. per naturam. 3. ex naturali cauſa. 4. Realiter, corporaliter, facto ipſo, corporeo contactu. Naturaliter poſſidere vel apprehendere eſt corpore & actu. Naturaliter acquiri eſt acquiri corporali apprehenſione. Pecunia numerata creditori dicitur ſoluta naturaliter. in l. 49. ff. de ſolut.

Naturaliſſimum.

ΦΥΣΙΚΩΤΑΤΟΝ.

Naturaliſſimum ſignificat vel maxime naturale, quod fluit à principio interno, & à natura ipſa rei: vel principaliſſime à natura intentum, vt naturaliſſimum eſt viuenti omni generare alterum, quale ipſum. Ariſt. 2. de anim. tex. 34.

Naturare.

Naturare barbarum eſt pro naturam dare,

re, impartire ac conseruare & tueri.

Natura naturans dicitur Deus, quia naturam dat, naturale esse præbet & conseruat omnibus aliis à se. Barthol. Arnold. Vsingens. in Epitom. Physicor.

Naturæ monstrificæ compositio.

Naturæ monstrifica compositio Baptistæ Neapol. est insitio (qualis est agricolis emplastratio) vnius vegetabilis in alterum, vt diuersorum complexu indissolubili vnum fiat, vt cum ficus inseritur platano vel moro; morum castaneæ, castanea nuci vel quercui. Metaphorice hoc vocant Adulterium & non ordinarium coitum. Huc pertinet cum è Persico & nuce Persica componitur malum, cum mala inseruntur cotoneis.

Non-Naturale.

Non-Naturale primum est, quod à natura discrepat, quod naturæ limites excedit; Et opponitur modo Naturali, id est, ei, quod est secundum naturam. Deinde est externum aliquid, quod ad constitutæ rei conseruationem opus est. Et opponitur ei, quod in naturalis rei constitutionem venit, vt sunt humores, partes, spiritus.

In prima significatione accipit Fernelius, cum l. 1. de Morbor. differentiis cap. 2. hac vtitur διαφέσει.

- Naturalis.
  - Corporis constitutio & affectus est
    - Non-naturalis
      - Præter naturam, qui tametsi ex naturæ Lege seu præscripto non est, ei tamen vim nullam facit.
      - Contra naturam, qui ita excessit naturæ limites, vt vim ei inferat, eiusque vires manifeste interturbet
        - Proxime seu immediate.
        - Mediate seu alterius interuentu.

Præter Naturam) vt fœdus color Ictericorum, & qui Solis ardore contrahitur, faciei lentigo, omnis denique leuior affectus.

Theologia τοῖς παρὰ φύσιν (Paraphysicis) & τοῖς ἀντὶ φύσεως (antiphysicis) addit τὰ ὑπὲρ φύσιν (hyperphysica) id est, quę supra naturam sunt.

In secunda significatione Res non-naturales dicuntur eæ, quæ sunt causæ sanitatis conseruatrices, vt aer, cibus, & potus, somnus & vigilia, Retentio & Euacuatio, Motus & quies, Animi affectus. Mercat. lib. 2. de Sanit. Sic dictę, quia corporis nostri nullam constituunt partem, sed solum extrinsecus (necessario tamen) accedunt. Hæ pro modo vel non modo qualitatis & quantitatis sunt salubres vel non salubres. Itaque modo sanitatis, modo morborum sunt materies.

NECESSITAS.

- Necessitas
  - Independens, quę non habet causam nisi primam causam, vt ortus Solis.
  - Dependens (ex alio pendens) quę pendet ex antecedente quocunq; in se immutabiliter, vt
    - Parte.
    - Specie.
    - Efficiente.

Vt: Cor est; Ergo necesse est esse animal. Homo est, Ergo necesse est, vt sit animal. Calor fit: Ergo necesse est vt sit calefaciens. Estque connexio immutabilis causæ & effectus. Scal. ex. 307. sect. 25.

Def. huius Necess.

Necessitas hæc interdum Præcisa dicitur.

Quædam necessitas est à Deo statim, seu eius prouidentia, seu νόῳ: vt cum absumetur incendio mundus: Alia à facto, vt calere æstate: Aliqua à Natura; vt Hominem esse γελαστικὸν, Idem.

Natura simpliciter Dicitur. Fatalis causa. Natura Naturans

- Necessitas
  - Rerum.
  - Coniunctionis & connexionis earum
    - Prædicationis.
    - Consecutionis.

Necessitas Rerum oritur aut ex natura rerum ipsarū, (id est, à principiis internis,) aut à causa externa (ordinatione decreto ve Dei immutabili,) aut ab interna & externa causa simul. Exẽpl. 1. Sol calefacit & efficit diem sua luce. Exempl. 2. Electi necessario seruantur. Exempl. 3. Facinorosus adiudicatus morti à Magistratu & lethali morbo laborans necessario morietur. A tot ergo principiis causæ sunt ὡρισμέναι seu determinatæ.

Quæritur, An Necessitas pugnet cum voluntate, cui essentiale est libere ferri in obiectum suum?

Resp. Hic opus est distinctione. Nõ quælibet necessitas euertit naturam volũtatis, sed tantum ea, quæ vis dicitur.

- Necessitas est è principiis
  - Internis.
  - Externis
    - Fine, Hypothetica.
    - Agente vim adhibente. COGENS.

Secundum Naturalem necessitatem voluntas necessario appetit bonum & sibi conueniens. Hæc igitur non pugnat cum voluntate. Nec necessitas ex fine, quæ causa externa est, quia eum voluntas non nisi vna ratione consequi potest. Nec necessitas, quæ est ex quolibet agente, sed ab eo tantũ quod cogit. Id est, necessitas illa, quæ dicitur Coactio.

De Necessitate prædicationis vide vocem Ἀνάγκη.

Adol-

Adolphus Scribonius quandam Neceſſitatem dicit eſſe Coactam. Sed nemo Eruditorum vnquam hac φράσει neq; vſus eſt, neq; vtetur. Coacta enim Neceſſitas tam conuenienter dicitur, quã ſi dicatur *Ratio Rationalis*. Ratio eſt: Quia *Concretum ἀλόγως praedicatur de Abſtracto*: Non dicitur albedo alba, ſed paries (Subiectum) albus.

Ita non dicitur; Coactio ſeu Neceſſitas coacta, ſed efficiens, quod neceſſitate egit, coactum recte dicitur; & contra incoactum, quod abſque neceſſitate, id eſt, libere.

Diſt. ex Iohan. de Ianduno.

Neceſſitas
- Continua, qua aliquid in quolibet tempore & ſeculo eſt, vt Deus.
- Interciſa, qua aliquid eſſe habet in determinata parte temporis. Hæc eſt Determinata
  - Quoad nos, & quoad naturam. Hæc neceſſitas conuenit Eclipſi Solis, quæ & naturalis eſt, & nota intellectui Aſtronomi.
  - Quoad nos tantum: vel quoad naturam tantum.

In Iuriſprud. diſtinguitur Neceſſitas *Ordinaria, quæ perpetua certaque* eſt, ab *Aduentitia, quæ extraordinaria*. Sic Alciatus: Ego Aduentitiam Neceſſitatem intelligo, cum repente aliquid aduenit peragendum, quod ad publicam vtilitatem ſpectet. Quapropter & Clerici pro cuſtodia murorum aduerſus communes hoſtes excubabunt, & vrgente neceſſitate hoſpites recipient, nec hoc caſu ab angariis excuſabuntur.

NECESSARIVM.

Neceſſaria
- Gradu ſuperiore proprie immutabilia, quibus mutatis ſequitur naturæ diſtinctio vt principia. Neminem lædas, qui nulli nocuit. Hoc principio mutato ſequeretur naturæ corruptio.
- Gradu inferiore mutabilia, quibus mutatis non ſtatim ſequitur naturæ corruptio aut inſignis deprauatio, vt manuum agilior & vtibilior eſt dextera, natura magis vtimur dextra; & tamen fieri poteſt vt aliquis melius vtatur ſiniſtra.

Neceſſarium
- Sine violentia, ſeu expers coactionis; Quale eſt neceſſarium Neceſſitate immutabili
  - Aπλῶς, quod non poteſt non eſſe, vt Neceſſe eſt Deum eſſe: Neceſſe eſt Deum eſſe bonum.
  - Ex hypotheſi, vt ſine quibus finis & bonum ſiue perfectum eſſe nequit, vt ſine potu & cibo animal viuere nequit.
- Violentum, ſeu ex coactione, μετὰ βίας; vt cum confeſſio extorquetur tormentis.

Necessitas Coactionis mouet externo tantum principio : Necessitas immutabilitatis mouet secundum naturam agentis interno principio mouente & moto, sicut moueri aptum natum est.

Necessarium ἁπλῶς, id est simpliciter, vocatur etiam Necessarium natura sua, vt, quod Sol lucet, quod homo moritur, vel præditus est διανοίᾳ. Hoc necessariũ excludit δύναμιν ἀντιφάσεως, i.e. potentiã contradictionis. Necessario homo moritur, quia corpus eius è contrariis concretum tandem ἐξ ἀνάγκης dissoluitur. Causa itaq; necessaria est, quæ non potest non facere quod agit, *siue natura sua.* (Natura enim ἀρχὴ constans est:) *siue ex suppositione.* Quicquid enim agit, necessario agit, dum agit, quia non potest aliquid non agere, dum agit: siue ex coactione. Porro causæ necessariæ ex natura sua vel è suppositione dicuntur Definitæ.

Effectum necessarium est, quod non potest non esse siue natura sua, quia est à causa per se necessaria, siue ex suppositione, quia est. Omne enim quod est, dum est, necessarium est, siue ex coactione.

Necessarium ad aliquid, vt

- Causa ad effectum.
- Destinatum ad finem, vt omnia ad terminum, motus ad ἀποτέλεσμα aliquod, Militia Christiana, Pietas, bona opera sunt necessaria ad salutem & regnum cœleste.
- Pars ad Totum: partes enim totum constituunt.
- Genus & Differentia ad speciem.
- Subiectum ad accidens. Hoc enim sine illo esse non potest.
- Antecedens ad consequens, terminus à quo ad terminum ad quem.

Pars ad Totum] Ita Fractio in cœna Eucharistica necessaria est. Atq; hoc est quod dicit Scholasticus: *Fractio est de necessitate signi*, id est, si omittatur, non est perfecta significatio omnium, ad quæ significanda est Sacramentum, id est, institutum signum. Rom. 10. Deprecatio fit ad Deum pro Israele ad salutem, εἰς σωτηρίαν, id est, vt salui fiant. His igitur verbis non notatur effectus deprecationis, sed finis.

Distinctio ex Iurec. Lexic.

Necessitas est Absoluta vel Respectiua. Absoluta est, qua quid non est simpliciter astrictum. Zasius vocat eam primigeniam.

De hac intelligatur l. Sicut. C. de action. qua nemo astringitur ad mutuandum. Respectiua seu consecutiua est, qua, verbi gratia, ad pacta libere inita complendum astringimur.

NECESSITARI, pro VRGERI.

Barbarum est sicut habilitari; accipitur autem dupliciter, 1. est impelli vel quasi cogi, vt intellectus necessitatur ad assensum principiorum (posita clara terminorum cognitione) & conclusionum (demonstratarum) id est, non potest non assentiri. 2. Vim inferri ipsa. Pro *Necessitatum* Barbarorum dices ἀναγκασθὲν, coactum. Pro Barbarorum persuasio Necessitata, Cic. persuasio cũ necessitate cõiuncta: Græce pulsio dicitur πειθανάγκη, i.e. πειθὼ μετὰ βίας. ad Attic. 9. lib. Scot. l. 3. dist. 15. Volun-

luntas non necessitatur simpliciter ab obiecto, sed inter ipsam & obiectū est aliqua necessitas consequentiæ. Pro hoc: Istud argumentum seu testimonium non necessitans, dices non habens vim cogēdi, nihil habens ἀναγκαστικὸν.

Vsus.

Quæstio est, An mortalitas & Mors conueniat homini necessario? A Scholasticis hæc thesis abducitur ad hypothesin, cū quærunt: An Christus secundū humanitatem à peccato immunē necessario mortuus fuerit? Ad quæstionis discussionem distinctione opus est necessitatis. Necessitas est vel absoluta, cuius oppositū includit contradictionē, vt Deus est verax necessitate absoluta, cuius cōtradictorium est falsum simpliciter, Deus non est verax. Vel cōditionata, cuiusmodi est necessitas consequentię & Finis. Ita opera necessaria sunt ad salutē vt ad finē via (sine qua ad finem peruenire nequit) aut violentiæ; sic necesse est lignum in ignem positū corrumpi ab igne. Potro necessitas omnis, quæ non est absoluta, est vel naturalis, vel aduentitia.

Moriendi igitur necessitas ineſt homini Ex

- Lege Naturæ instituta
  - Propter consumptionem humidi radicalis
    - Ex debilitate potentiæ altricis.
    - Ex impuritate nutrimenti.
  - Ex passione violenta.
- Peccato peccatum hominis introduxit in Mundum necessitatem moriendi corporaliter. Serm. 8. M. Michael de Hungaria.

Quæritur, cum Matthæus dicit oportet Christum ire Hierosolymā, de qua necessitate intelligendum sit? Respondet Dionys. Carthus. oportuit non necessitate coactionis, sed vt impleretur prę ordinatio Dei, qua per Christi Passionē proposuit mundum redimere: oportuit ergo necessitate Conditionata tū consequentiæ, tum Finis.

Quæritur ab Anshelmo & aliis Scholast. à recentioribus etiam, vt ab And. Osiandro, an Redemptio Generis humani per missionē & mortē Filii fuerit necessaria necne? Hanc quæstionē Dionys. à Rickel Carthus. præfarione in Passionem distinctione Termini Necessarii ita explicat, motus authoritate August. 13. de Trin.

Necessariū dupliciter dicitur. 1. Sine quo aliud esse non potest, vt homo non sine anima; & sic Deum incarnari ad redimendum genus humanum, non fuisse necesse, quia & aliis modis potuit Deus hoc facere, cui nō est impossibile, imo neque difficile omne verbum, prout Gabriel Angelus & Propheta Hieremias testantur. 2. Dicitur necessarium, sine quo non conuenienter, seu tam apte esse nō valet, sicq; ad redimendum Genus humanum fuit necesse Dei Filium incarnari (vt 13. de Trin. August. loquitur) Sanandæ nostræ miseriæ nullus fuit alius cōuenientior seu magis decens modus.

NEFAS.

Nefas 1. scelus est. 2. quod contingere nequit, vt: Ne illud fas quidem vnquam fuerit, id est, fieri poterit. Calorem solutum esse, id est, segregatum à materia. Forte nefas est, id est, fieri non potest. Nobilius Flaminius.

NEGATIO.

Negatio primum est omnimodo seu absoluta, qualis est contradictoria ; vel determinata , qualis est priuatiua. Negatio aut est incomplexa , aut complexa: Incomplexa Termini: Complexa orationis (id est, propositio Negatiua) Hæc est de aliquo vel quoad existentiam , vei quoad conuenientiam. e. c. Frigus de aqua negari potest quoad existentiam , non quoad conuenientiam : De aqua enim vel calidissima κατὰ φύσιν, verum est quod sit frigida secundum conuenientiam & κατὰ φύσιν.

Interdum etiam non simpliciter , sed comparate intelligenda est. Cic. In Philosophia res spectatur, non verba penduntur: Id est, Potius seu magis res spectantur, quam verba, seu , spectantur maxime res.

In Disputatione de personalitate propria Scotus distinguit inter Negationem *solam, & cum alio*, quæ est *vel cum repugnantia*, vel *cum inclinatione*.

Negatio incommunicabilitatis seu dependentiæ intelligi potest triplex (sicut possumus intelligere Dependentiam κατ' ἐνέργειαν, actualem, κατὰ δύναμιν, potentialem; & apitudinalem, seu κατ' ἐπιτηδειότητα.) Negatio actus dependendi. 2. neg. possibilitatis. 3. negatio aptitudinis ad dependendum. Prima negatio est nuda seu sola: secunda est cum repugnantia ad actum: Tertia est cum inclinatione opposita seu aptitudine contraria.

Primo modo superficies si esset sine colore, omnino esset non alba, quia haberet, vt ita dicã, tantum negationem albedinis. Secundo modo Angelus est non albus, quia ei prorsus repugnat albedo, cum sit ἀσώματος. Tertio modo lapis vel stirpes est non sursum, quia in lapide est negatio aptitudinis ad ἄνω, sursum, cum inclinatione ad non sursum vt ad suum oppositum.

NEGOTIARI de' *negationibus & priuationibus.*

Rationem Negotiari de negationibus est concipere seu apprehendere eas. Sic Thom. Aq. in l. 4. Metaph. Ratio negotiatur de negationibus & priuationibus quasi de quibusdam entibus, dum de eis affirmat vel negat aliquid. Negationi aliquo modo esse competit, quod inde dilucet , quod dicimus: Non ens est non ens: Non ens non est ens, hoc est non ens.

Cum nos dicimus versari seu occupari in aliqua re; Scholastici dicunt negotiari circa rem.

NEXVS.

Nexus accipitur Logicè vel Politicè.

Logice accipitur 1. pro copula seu vinculo, vt est nexus subiecti & prædicati. 2. Nexus essentialis, vel definitiuus, vel accidentalis inter aliqua est consensio, connexio, coniunctio; συνέχεια. Causa causæ nexa rem ex se gignit , inquit Cic. Verum autem hoc est de connexu essentiali. 3. Nexus accipitur etiam pro transitione , quæ est superioris doctrinæ cum sequente nexus, seu copulatio , vt; diximus de Forma, nunc de fine agendum.

Politica significatio , cum dicitur nexu mancipioque alicuius esse, vide Ictor. Lexica.

In Theologia nexus sæpe accipitur pro vnione duorum vel plurium, absoluta vel σχετικῇ. Ecclesiæ membrorum inter sese & cum capite suo nexus est, cum quo couiuncta est communio.

NIGER.

Niger & ater proprie tribuuntur colori, per metaphoram sunt idem, quod malus , vt candidus pro bono. Sic Scaliger

Scaliger ex. 325. Candidus transfertur ad animi liquiditatem, vbi neq; maligna nubes neq; luoris macula: ipse æquabilis, inoffensus, illustris, sine vlla vel vmbra vel recessu: deniq; nec aulicus, nec forensis: Ea luce qui carent, nigri & atri dicti sunt ab antiquis, vt est apud Catullum & Horatium.

NIHIL, NIHILVM, Non Ens.

1. Nihilum volentes exprimere antiqui Græci dixere οὐδέν, id est, ne vnum quidem. Marsil. Ficin. in Platon. Parmen. Latinis Nihilum dicitur quasi ne hilum quidem. Eodem sensu dicitur μὴ ὄν, τὸ μὴ ὄν, opp. Aliquid: Quanquã Plato etiam Accidens τὸ μὴ ὄν dicit, vt cum ait, Sophistam διατρίβειν περὶ τὸ μὴ ὄν (versari seu occupari in non ente.) Accidens autem proprie non est nihil, sed aliquid.

Non ens primo est Absolute, vel κατά τι, *Absolute*, quod prorsus nihil est. De hoc intellige axioma aureum: *Modus sine re, cuius est modus*, à quo pendet essentialiter, *est nihil*, id est, esse non potest.

Κατά τι, quod ratione alterius, hoc est, Comparate vel relate aut ex parte nihil est, vt omnes res, inprimis sensiles, collatæ cum Deo sunt velut non entia. Augustin. 7. Confession. cap. 11. *Inspexi, Deus, cætera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse: esse quidem, quia abs te sunt: Non esse autem, quoniam id quod tu es, non sum. Id enim vere est, quod incommutabiliter manet.* Basil. in 1. cap. Genes. Si respicias ad id, quod sum, sit Deus, quid est homo? Sin autem cogitatione te conuerteris ad eum, qui finxit, magnum quiddam est homo, ὥστε καὶ τὸ μηδὲν διὰ τὴν ὕλην, καὶ μέγα διὰ τὴν τιμήν. Itaque & nihil est propter materiam, & magnus propter honorem.

2. Est τὸ οὐκ ὄν, *Non Ens*, vel καθ' αὑτὸ (*per se*) vel κατὰ συμβεβηκὸς (*per accidens.*) *Non ens per se seu simpliciter* dicitur à Scholasticis *Nihil Negatiuum.* De hoc principium Physicum: Ex nihilo nihil fit, id est, ex nihilo seu eo, quod penitus nihil est, non fit aliquid, sed ex aliquo. Sicut & Aristoteli ἐκ τοῦ ὄντος ἐνεργείᾳ (ex ente actu, seu ex eo, quod reuera est) nihil gignitur, sed ἐκ τοῦ ὄντος δυνάμει, id est, ex eo, quod potestate est, seu ex eo, quod est ἐγγὺς ἢ πῶς οὐσία. (prope & aliquo modo substantia,) qualem ponit esse materiam primam: quod nunc ἀδιόριστον in medio relinquimus.

Produci igitur vel emergere vel existere rem ex Nihilo intelligitur *Negatiue*, id est, non ex aliquo, nullo præsupposito, nullo præiacente, οὐδενὸς προϋπάρχοντος. Ex enim non denotat hic *σχέσιν causalitatis* (vt cum dicitur ex semine fit animal) sed *Ordinis*, qua intelligitur Non esse rei ante esse rei. Dico signate, Qua seu Quatenus intelligitur: Quia non est imaginandum Realem esse ordinem inter nihil & Rem, inter non ens & Mundum, cum inter hæc tantum sit ordo secundum nostrum modum intelligendi & apprehendendi, quo concipimus ipsum Nihil vt terminum à quo productionis Rei, quæ creatur; vnde recte dicitur hoc: Per operationem intellectus ipsum Nihil apprehendimus perinde ac si esset Ens rationis. Ex his, meo quidem iudicio, recte conciliantur hæc effata Scaligeri.

Creatio est constitutio Substantiæ ex nihilo, vt est Terminus. *a* exerc. 6. s. 132.

In Creatione b *terminus à quo nullus est.* Ex. 365. *sect.* 9.

Conciliatio.

a Rationalis, qui Barbaris Mentalis.

Ab hoc NIHILO dicitur ANNIHILATIO, quæ vel Totalis est vel partialis alicuius seu Entis in nihilum redactio: in nihilum occasus seu interitus, dicit Cicero.

Non Ens per accidens dicitur à Scholasticis Nihil priuatiuum; defectus formæ in materia: Priuationes enim non habent veram, vt ita dicam, formalitatem, & quæ aliquid in rebus ponat, sed pro essentia & formalitate ipsam defectus & informitatis rationem. Sic Malum non est negatio pura absolutaque, sed formaliter est priuatio seu Nihil στερητικῶς, priuatiue. De hoc non Ente præcipue intelligo istud: Non ens absque Ente intelligentia percipi nequit, vt malum absque bono, falsum sine vero.

Priuationes non esse nihil apparet ex eo, quod earum aliqua est effectio. Hæc licet quidam negent, ego ἀδιάφορα affirmo.

b *Realis, id est, præexistens aliquod. Est enim Creatio mutatio Contradictoria; id est, non entis simpliciter in ens simpliciter.*

Vsus.

Argumentatur ita Anaxagoras: Nullum Nihilum subiicitur Generationi rerum nascentium. Quicquid actu suo caret, id nihil est. Ergo nullum actu suo carens subiicitur generationi.

Respondet Aristoteles.

Maior est falsa: Non enim nullum Nihilum subiicitur Generationi, sed quoddam, nempe quod ratione actus non esse seu nihil esse dicitur. Cæterum quod actu suo caret, species nihili est (non est omne seu Totum Nihil) quę species dicitur actu nihil, cui opponitur quod dicitur non modo actu, sed etiam potentia esse nihil penitus; quæ altera Nihili species est. Aristoteles igitur Anaxagoræ pronuntiato opponit hoc suum: Quicquid generatur ex eo, quod Actu Nihilum est, generatur.

Nihil { ἁπλῶς seu penitus non modo actu, sed etiam potentia.
Nihil { κατά τι (ὑ πάντως) Nihil actu, vt Ens potentia, Aliquo modo non Ens, sed nihil est inter entia, nempe ens in potentia.

Axiomata.

1. *Nihilum est extra omnes fines Entitatis*, quia non est aliquid.

Bonitatis DEI primum obiectum ad extra est Nihilum. In Creatione enim DEI Terminus à quo nullus est, quia subiectum subest nullum, quod reapse se habeat aliter nunc, quàm prius. Videtur igitur siue Omnipotentia siue Bonitas Dei (qui & prouidet cognitionis anticipatione ea quæ non sunt) facit vt sit ens. Vid. Scal. ex. 356. s. 9. & Proclum de prouid.

2. Nihil interdum accipitur pro Κενῷ, id est inani, vel inefficaci: vt nō est hoc nihil de nihilo. Κενὸν *seu inane est, quod cum videatur* aliquid esse, nihil tamē est. Idolū est nihil, id est nō habet vim Numinis: est nihil efficaciter.

Ido-

Idolum est ratione { Substantiæ, Aliquid. / Significationis seu rei repræsentatæ, NIHIL, quia dii per idola repræsentati nihil sunt.

3. Nihil interdum est Syncategorema, seu signum vniuersale inuoluens terminum, vt Nihil omni ex parte Beatum, id est, nulla res.
4. Accipitur & materialiter, vt cum dicitur à Cl. Timplero, cognitio Nihili est fons omnium virtutum; & ab alio.

Nosse nihil debet, qui quærit culmẽ honorum.

Nescit *a* nihil Parens omnis Scientiæ (id est, Deus.) Et: Falsum est, Nihil esse intelligibile.

Nescit b *Nihil Magister ignorantiæ; Et: Nihil est aliquo modo* τοῦτόν.

Conciliat.

Formal. *a*, id est, nullam rem.

Material. b *τὸ Nihil.*

5. Homo Nihili est homo nullius pretii, nequam, teste Cicer. in Tusc. Homo nullius numeri, nullo de numero.
6. Nihil Ziphra seu Circulus o in Arithmetica est nota nihil per se significans, sed valens ad alias notas amplificandum ad dexteram posita. Lege festiuam M. Æmilii Porti Francisci Porti Gretensis F. de Nihili antiquitate & multiplici potestate tractatiunculam, quæ Cassell. è typographia Mauritiana prodiit anno 1609. in qua præter cætera lepidissima hæc habes: Quod mirabile est, sed tamen verissimum: Nihil in eodem statu semper manet & quadratam figuram refert, quæ semper est sui similis, in quãcunque partẽ ea voluatur. Addas Nihilo nihil: quid inde resultabit? Nihil, Ex nihilo nihil subducas, Quid remanebit? Nihil. Ad extremum Nihilum interdum est idem, quod nullum fundamentum.

Vid. Disputat. M. Cornelii Gorz siue Iconii Castellani de Nihilo Marpur. auditorum frequentia celebratam sub meo præsidio.

Nihili seu nil album in officinis est pompholix. Vnde Adagium: **Nichts ist in die Augen gut.** Album dicitur, quia pompholix hæc est candida (summæ leuitatis) quasi bulla seu ampulla; quæ fit aut in aere perficiendo detrita cadmia cumulatius insperſa de industria, aut ex ipsa cadmia follibus proflata. Vid Lexic. Roland.

NIHIL est, sed fit.

Non puto ἐπιπλεῖον (superfluẽs) esse notare concisam latinorum locutionem, Nihil est, sed fit: pro eo quod est: Nihil vere existit, sed omnia sunt variis motus formis varie commutata. Plato in Theæteto videatur.

NISI,

ἐὰν, μή.

Nisi particula inseruit Adiunctioni, vt loquitur Cicero, id est, hypothesi, conditioni, limitationi, exceptioni. De Inuent. Cic. Quædam cum adiunctione necessitudines, quædam simplices & & absolutæ sunt, &c. Illic in superiore adiunctio est hæc, NISI noluit fame perire.

Interdum particula est aduersatiua pro Sed apud oratores, Historicos & scriptores rei rusticæ, vt Gellium, Catonem, Sallustium, Cic. De re nihil possum iudicare, nisi illud mihi certe persuadeo te nihil temere fecisse. Cato: Eodem modo anserem alito, nisi prius dato bibere. c. 89.

Nisi dictio exceptiua sententiæ posita interdum refertur ad omnia præcedentia, interdum ad aliquam eorum partem.

Vsus in Theologia.

Sed versum pro Nisi.

Ad Gal. 2. Scientes hominem non legis operibus iustum fieri, sed tantum fiducia in Iesu Christo collocanda, vt habet versio Castellionis.

NOLO.

Nolle verbum est Æquiuocum non solum in Philosophia, sed etiam in Theologia. Nam interdum significat simpliciter nolle; interdum κατά τι nolle. Alias significat Improbare & inhibere simul, alias significat improbare tantum, & non inhibere, sed permittere, & determinare. Priore ratione Deo nolente est ἀδύνατον aliquid fieri, alioqui Deus nõ esset omnipotẽs. Posteriore modo fiunt peccata Deo nolente, id est, improbante quidem, sed non impediente tamen, quin fiant.

Definitio.

Deus nec probat, nec efficit, nec iuuat, nec intendit peccatum.

Nolens volens facio, id est, inuitus seu coacta voluntate, quæ stricta iuris ratione est voluntas, L. si mulier §. penult. quod met. caus. vulgo cogor facere, volẽs nolẽs: quod nolim re imitari. Sicut dicitur. Hic sciens volens peccat: caret venia qui sciens volens peccat: Ita dicitur, hoc volens nolens facio. Vtimur autem hac loquendi forma in actionib. mixtis, vbi voluntas non est plenis velis libera.

Venia caret sciens qui peccat & volens.

NOMEN.

1. Nomen rei nota est, est rei ab animo ficta nota. Scal. ex. 266. Est signum alicuius rei cognitæ: Caietan. Dictum à Nosco, quia est imago rei, per quam ea noscitur. Eodem sensu à Scaligero dicitur appellatio.

Nomen significat rei cognitæ.

Nomen est nota earum passionum, quæ sunt obiectiue in animo. Caiet. Dicitur & Vox.

Nomen, ὄνομα, Aristoteles 5. Top. loc. 9, appellat subiectum proprii, quia prædicatum proprium quod declarat subiectum, est tanquam Definitio & λόγος subiecti tanquam non definiti: vt Lunam oppositam ex diametro soli declaramus & distinguimus ab omni alia Luna, id est, aliter se habente, quod videlicet sic habens Eclipsi obscuretur.

In lib. Arist. περὶ ἑρμηνείας Nomen est vox simplex rei certæ & absolutæ sine tempore significatrix institutu diuino vel humano.

Vocis forma consistit in significando. *Materialiter* significat vox, per accidens, nempe cum pro se ipsa, vt Homo est nomen, das Wörtlein Homo, Barbari dicunt. hic vocem Homo pro se ipsa (non pro re quapiam) supponere.

Nomen hic est vel primario & proprie, vt Nomen casus recti; vel secundario, vt casus obliquus. Hic vel est Rectica-sus determinatio, vt Filius Dei est passus, vel ad rectum in analysi enuntiati reuocatur, id est, reducitur seu per rectum exponitur, vt Adolescentum est maiores natu reuereri, id est, Adolescentes debent maiores reuereri.

Nomen

Nomen Grammaticum à Nomine Logico distinguitur. Grammaticus considerat Nomen Materialiter ratione Etymologiæ seu Lexeologiæ & Adsignificationum; cum χέσει ad sermonem congruum seu emendatum. Logicus vero formaliter cum χέσει ad mentis notionem seu cõceptum menti repræsentandum, & compositione facta enuntiandum.

Didicisse Logico nomen esse potest: Sed Grammatico non potest. Quilibet Ramo Grammatico nomen est: Logico nomen non est, sed signum Syncategorematicum (quod in enuntiato non rem aliquam certam, sed rei tantum modum significat.)

Cæterum quia quædam nomina dicuntur esse ἀόριστα (infinita,) & solet diuidi Nomen in Finitum, vt homo; & Infinitum, vt non Homo, iccirco dici potest generalius: Nomen est vox simplex rem aliquam sine tempore significans.

Distinctio.

Nomen est *vel vnum vnitate significationis*, vt non ambiguum; vel *voces multæ*, id est vox multiplicis significationis, seu Ambigua, vt Cancer.

In Rationibus Nomen dicitur pro eo, quod appellant Articulum, vel quod vulgus dicit Ein/Item/Vnum Item. Cic. pro S. Rosc. Hoc nomen, id est, hic articulus Ioh. Saxon.

Nomen interdum vsurpatur pro prænomine, quod singulorum proprium est. P. Cornelius Scipio Africanus. P. hic nomen est viri proprium, id est, prænomen. Cornelius est nomen voce speciatim accepta, id est, est nomen συγγενικὸν. (familiæ, gentilitium, totius gentis commune.) Scipio etiam familiæ à Casu, quod patrem suum oculis captum loco baculi regeret. Africanus denique à victa Africa.

NOMINA PROPRIA.

Nomina propria in Grammaticis opponuntur Appellatiuis, quæ vocant, hoc est, communibus. Multorum opinio est iam vsque à superioribus ducta temporibus, Nomina propria destitui plurali numero, sed quid fiet hisce Ciceronis & aliorum politorum virorum: Multa de variis Herculibus: &: plures Hercules tradunt nobis ii, qui interiores scrutantur literas, De Natura Deorum.

NOMINALES.

Nominales sunt Philosophi, qui Scientias non de rebus Vniuersalibus, sed de Rerum Communibus vocabulis haberi existimant. Tollunt hi de medio omnem rerum inter se communionem, & dicunt nullam rem cum alia in natura vlla communi, sed in solis ipsarum communibus vocabulis conuenire: de iudicio Fonsecæ.

Nominales omnes Scientias retulerunt ad cõmunia nomina, docuerũt nullam omnino rem vniuersalẽ esse.

His opponuntur RÉALES, qui contendunt Vniuersalia non tantum esse nomina communia, sed præcipue Res Naturasque communes, (vt Animal) quæ primo nominibus communibus significantur, &, verbi gratia, dicunt Animal significat Naturam aliquam, in qua Homo & Bestia conueniunt. Non igitur solum Animalis nomen est Vniuersale, sed & Natura animalis.

Nominales sunt Gulielmus Ockam, Scoti auditor, & eius Sectatores. Reales Albertus Magn. & eius discipulus Thomas Aquinas, & Iosephus Scaliger.

Nominalibus vicini sunt, meliores ta-

men; *Conceptuales*, qui vniuersalia docent esse meros conceptus, id est, extrà hominis cogitationem nihil esse in rerum vniuersitate Vniuersale, rebusque inter se commune, quos refutat MONLORIVS, & statuit reuera esse res vniuersales in natura, easque habere per se οὐσίαν, etsi ὕπαρξιν seu subsistentiam per se non habeant, sed in rebus singularibus, & per eas.

Nominales sunt Logici, qui solas voces prædicamentis contineri docent, Voces sunt signa conceptuum.

Conceptuales, qui solas notiones seu νοήματα, seu conceptus animi ad prædicamenta pertinere docent. Conceptus Animi sunt imagines Rerum.

Medii inter hos sunt, qui neque solas seu nudas voces, neque solas notiones tractari hic volunt, sed voces, quibus res per medias notiones significantur, vel res vocibus per medias notiones significatas, & ita quoque prædicabilia non esse nuda nomina, sed easdem illas res prædicamentales aliter consideratas. In Prædicamentis enim res continentur, qua sunt, & qua primo esse intelliguntur: In prædicabilibus vero, qua secundo iam cognoscuntur, & qua aliæ de aliis prædicantur. Ostendunt scilicet Prædicabilia Rerum Gradus, id est, quæ res quibus sint superiores aut inferiores, communiores aut angustiores ad prædicationem. Hac ratione prædicabilia à Scholis vocantur secundæ Intentiones, id est, secundæ Notiones. Ex horum numero sunt Zabarella, F. Crellius, & alii Reales, Monlorius, Keckermannus. Dicti Reales, quia in Prædicamentis disponunt Res ipsas extra animum constitutas cognoscendas interuentu conceptuum & verborum, quæ repræsentatione & significatione ad res referuntur.

Voces sunt rerum significatrices per medios conceptus.

Ex Realibus seu de Realium Schola est Scaliger. Sic enim in Exercit. 307. sect. 22. Non vox Homo de voce Socrates prædicatur, sed species de Indiuiduo, quia Humanitas est in eo. Et: Vniuersalia sunt res extra intellectum, &, in natura sunt res vniuersales pluribus communicabiles: &, quarum natura est, vt possint de multis prædicari: Et: Vniuersalia consideratione sunt in anima: at re ipsa existunt in singularibus. Genus enim non est extra species. Et: Vniuersalia, vt species, definiuntur. Definitio autem non est rerum extra animam. Et: Si habetur scientia de Cæsare, & Catone, non quatenus hoc, hic, nunc, sunt; Sed quatenus vnum quiddam: erit illud vnum necessario cognitum in RE, non extrinsecus allatum ab intellectu. Et, qui præter opus Intellectus nihil esse Vniuersale aiunt, ab iis abit, ex. 359. sect. 10.

Idem Scaliger. Nominalium, vt Ochan, ingenia cogitur admirari atque etiam laudare, vt acuta, fugere vt nimis acuta. ex. 16. sect. 4.

Politici etiam Nominales vocant eos, qui præ se gerunt Titulum sine re (verba sine penu & pecunia, dicit Comicus.) Bartolus super feud. Sine Comitatu non dicitur proprie Comes, sed abusiue, sicut sunt Comites Palatii sacri, qui creant tabelliones, dant tutores, & alia faciunt, quæ in illorum priuilegiis continentur. l. 1. ff. de tut. & curat. dat. ab his. Iacob. Aluarot. super feud. titul. de his qui feud. dar. poss. Eiusmodi Comites siquidem à nullo loco, à nulla prouincia dicuntur, sed Nominales tantum sunt: vtique inuestiri non possunt de Comitatu. Comitatus namque est aut territorii, aut districtus. Quare Comites illi proprie dicuntur, qui ius alicuius territorii aut districtus habent ex donatione, vel com-

commissione. Vid. Paul. Principem de la Scala & Hun. l. 9. Episstem. Cathol. p. 492.

NON-CVRANTIA.

Non-curantia pro incuria Ciceronianum est. Dici igitur potest, Rerum non-curantia Deo tribuenda non est, non cadit in Deum. Inanimaduertentia autem Zabarellæ barbarum est.

NON ITA, NON VT.

His particulis coniunctis interdum omnimoda negatio: interdum Comparatio disparium significatur. Prioris exemplum: Non ita generis Masculini est Musa, vt Poeta. Posterioris: Non ita corpus viuit, vt anima. Viuit enim & anima & corpus, sed non eadem ratione.

Vsus.

Augustinus: Non est consequens, vt quod in Deo est, sit vbique vt Deus. Hic quidam videntur mihi committere fallaciam pseudohermeneias, id est, falsæ expositionis. τὸ Non, ita enim interpretantur πῶς aliter: vt sententia sit: Aliter esse vbique diuinam naturam in Christo, propria nimirum virtute & potentia; aliter vero humanam naturam, non quidem sua, sed communicata realiter Verbi virtute; & ita istud ab Augustino nõ plane per Negationẽ, sed vt per comparationem dictum debere intelligi. Sic Hunnius: Non consequitur, vt quod in Deo est, sit vbique vt Deus, id est, eo plane modo ex infinitate essentiæ, sicut Deus, vt VT fit μόριον συλλογιστικόν. Violenta hic est hæc interpretatio.

Non posse non.

Non posse non, φράσις in modificatis significationem Necessitatis habet, non autem Necessario Coactionis. Non potest non iustus esse & verax Deus, sed nullus hic violentus raptus, nulla coactio.

In Disputationibus de Libero & Seruo Captiuoque arbitrio de necessitate hoc diligenter est animaduertendum contra Flaccium ex πῶς Non posse non, inferente Voluntatis coactionem. Voluntas, inquit, ita factum est mancipium peccati, vt coacte peccet: ἀφιλοσόφως & ἀθεολόγως ita loquitur. Hæc autem sententia sustineri potest, quæ sequitur: Homo à Deo purissimo & animo & corpore factus, vt esset θεοσεβὴς, se sua culpa corrupit, & cum αὐτεξούσιον & liberam à Deo bene agendi voluntatem accepisset, cum tamen meliori relicta in deteriorem partem inclinasset volens, in eam abyssum se præcipitauit, vt nunc sit *peccati mancipium, non quidem coacte peccans, sed voluntate ita peccato mancipata, vt ex sese non possit non peccare, id est, necessario in præsens malum ruat.* Non coactionis, sed immutabilitatis nostri ratione hæc necessitas est. *Hoc est contracta inoleta q; labes.*

NORMA.

Norma { Proprie, quam veteres κάνονα dixere, quæ γνώμονα constituit, id est, rectum angulum. Vid. voc. CANON.

Per Metaphoram significat exquisitionem, accurationem diligentem.

Normam Geometræ & Architectones vocant Instrumentum Lineæ rectæ, hoc est, organon Geometricum & Architectonicum comparatum ad lineam rectam recte erigendam in eodem plano super rectam, atque inde superficiem & corpus super superficiem vel corpus.

Per Metaphoram accipitur cum dicitur à Politicis, Ius est bene viuendi norma; & à Physicis: Homo est norma quædam cæterorum animalium, & compendium quasi quoddam. Metaphoræ notæ sunt Quasi, Quoddam.

Rerum duplex norma est Aristoteli. Altera est inflexibiliter recta, quæ ne hilum quidem à sua rectitudine dimoueri potest: Altera est Lesbia seu plumbea flexilis, quod Lesbii soli cæmentarii & fabri normam haberent pro arbitratu suo flexibilem & subinde variabilem, ita vt illi ad normam suam structuram ita exigerent, vt interdum si lapidis natura non facile ad structuram æquabilis videretur, normam ad structuram inflecterent, & structuræ normam, non normæ structuram accommodarent, quo scilicet opus ipsorum posset consummari.

Thomas Aquinas duplicem amussim pari ratione adhibuisse videtur in explicatione naturæ Liberi arbitrii: Altera est à bono inflexibilis; Altera flexibilis ad bonum & malum. Prior Liberum arbitrium facit in Deo & Beatis Angelis: Posterior in nobis. Vid. 3. Ethicor. Aristot. cap. 3. vbi dicitur Vir bonus esse mensura & norma boni & mali.

Ad certam rationis normam exigere, reuocare, Translatio est insignis Ciceroniana, Prouerbiale signum, vt loquuntur, complectens, quasi & Græci vti solent, vt Plutarchus & Aristophan. significantes maximam curam & exquisitionem.

Normę certitudinis in discipl. Philosoph. dicuntur πείρη καὶ λόγος.

Norma coniugis vir est, quæ recte viuit, si legibus ille obtemperet.

NOTA.

Nota accipitur Generaliter, vel Specialiter.

Generaliter, qua cuiuslibet rei est γνώρισμα. Hinc notæ sunt Essentiales, à notato inseparabiles; vel accidentales, quæ separari possunt à notato; Sunt Necessariæ vel contingentes: sicut signa sunt τεκμήρια vel εἰκότα; sunt principales, vel minus principales; sunt claræ vel obscuræ; sunt veræ vel suppositiæ seu adulterinæ. e.g. Ecclesiæ nota Essentialis est Puritas Ministerii Sacri, id est, puri verbi præconium, & legitima Sacramentorum administratio.

Est & nota notæ, signum signi (sicut pars partis interdum est) vt puræ prædicationis verbi diuini, quæ nota est Ecclesiæ princeps & propria, nota est Disciplina Ecclesiastica seu obedientia verbi secundum εὐταξίαν seu ἱερὰν τάξιν Ecclesiasticam, quę Ecclesiæ nota est subordinata, necessaria ad Ecclesiæ τὸ εἶναι & conseruationem.

Nota

Nota Musicæ sunt characteres, secundum quos mora vocis in cantu formanda est, vt maxima valens octo tactibus, Longa  quatuor: Breuis  duobus: Semibreuis  vno: Minima  quarum duæ tactum complent: Semiminima quarum quatuor tactum complent: Fusa quarum octo, Semifusa  quarum sedecim.

A Nota est Ars Notoria, vana & superstitiosa, impiaque, quæ habet quasdam, ad quamlibet scientiam comparandam, figuras, characteres, & ignota portentosaque nomina, quæ cum discipulus sese, ieiuniis macerans certis cum ritibus & inuocato Spiritu dixerit, summa attentione aspexerit, desideratam sine labore alio scientiam se acquisiturum pro credulitate sua putat. Hanc artem esse illicitam & inefficacem probat Thom. secunda secundæ q. 96. artic. 1. Vid. Margarit. Phil. lib. 7. tract. secund. de Astrolog. c. vlt.

NOTATIO.

Notatio vox est πολύσημος.

I. In Logicis Notatio est nominis ex origine sua interpretatio, qua ostenditur, vnde nomen sit deriuatum, vt è causa, effecto, subiecto, adiuncto, dissentaneo, comparato. Eius Correlatum est Nomen-notatum, nomen alicui certa ratione impositum, ideoque eius ortus ostendi potest.

Notationem alii vocant Etymologiam; Sunt qui per Notationem etiam intelligant Definitionem vocis. Sed vocis Definitio est generalius quid. Est enim vocis interpretatio seu explicatio, etiamsi non sit ex origine. Sed Erasmus Roterodamus Notationem ab Etymologia distinguit, vt infra dicam.

Notatio autem est vera vel ficta. Veræ autem hæc appellatio conuenit πρώτως, proprie magis vel κατ' ἐξοχήν. Ficta sæpe ad iocandum vel conuitiandum comparata. Vere, inquit Esau de Iacobo fratre, vocatus est Iacobus, quia iam bis me supplantauit. Hæc notatio nominis Iacob falsa est, ad conuitiandum enim fratri conficta est. Nam Iacobus à planta nomen accepit, non quod supplantator futurus esset, sed quod in partu plantam Esaui egredientis tenuisset. Genes. 25.

Vox Notationis est à Noto, quod est à Nota, qua voce ad argumenti indicii que significatum passim vtimur cum Cicerone.

II. M. Gallio accepit Notationem pro διατυπώσει accurata & luculenta personæ. Διατύπωσις autem in genere est tractatio, qua quid, vt personam, rem, sub oculis ponimus luculente, perspicue & accurate. Alias ἀκρίβεια, id est, exactior & expressior λόγος vel tractatio, quam alii etiam Demonstrationem seu ἀπόδειξιν vocarunt: Sed non est hæc Aristotelea illa ὑποτύπωσις (huic cognata) est minutior, dilutior, simplicior, non ita ἀκριβὴς: sonat autem Subdelineationem. Vide Scaliger. Poet. l. 3. cap. 33. eamque nonnulli effictionem vocant, non quod sit ficta, id est falsa, sed quasi effigiationem. Vtraque autem & διατύπωσις & ὑποτύπωσις ad Locum Descriptionis in Logica reuocatur.

III. Notatio nonnunquam in deteriorem partem, sicut & Nota. (Vnde Notæ Criticorum pro animaduersionibus, & Notæ Censoriæ) vt, Notati

ciues dicuntur, De Aristarcho Auson. Quique notas versus spuriis apposuit.

IV. Notatione Grammatica exquiritur, sitne vox primigenia, an Deriuata; Simplex, an composita. Ramus.

V. In Arithmeticis Notatio est notarum Arithmeticarum explicatio, seu numerorum expressio, quæ fit scribendo & efferendo, (partes enim eius duæ sunt, Scriptio seu signatio, & pronuntiatio.) vt valor cognoscatur. Alii vocarunt Numerationem. Sed doctrinæ causa nunc à notatione Numeratio distinguitur, vt hæc sit ipsa sylloge, seu ipse λογισμὸς, & dicatur è duobus oblatis & iam notatis Numerorum terminis tertium inuenire; idque comparando vel resoluendo.

VI. Hic Notatio etiam sæpe ἐν μέρει accipitur pro ipsa scriptione, & Notare pro scribere: vt Numeri in abaco notandi, id est, scribendi, hæ decem notæ (quæ Indicæ sunt origine) nobis sunt, quarum nouem significantes 1, 2, 3. &c. vltima o per se nihil significat, sed ad dextram positus valet ad alias notas amplificandum (ex quo circulus etiam consignificans ab aliquibus dicitur nota.)

Numeri sic notantur, id est, his notis scribuntur, I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. &c. L C D. C I ↄ.

Græcorum notatio, id est, per notas scriptionis hæc est ratio. Alphabetum distribuunt in tres octonarios (tanquam classes.) Primus est τῶν ἑνακ δικῶν, id est, vnitatum (Digiti seu simplices hi numeri vocantur) vt α β γ δ ε. Hic inferunt characterem, qui litera non est, sed aliquo modo respondet complicatis duabus literis ϛ ac significat sex (σ τ in vnam coeunt sic ϛ) Inde procedunt ad reliquas literas, ξ ν θ. Primus igitur ordo est μονακ δικῶν.

α β γ δ ε ϛ ζ η θ
1 2 3 4 5 6 7 8 9.

Secundus octonarium, qui est δεκαδικῶν (denominatorum à decem) incipit ab ι, hoc modo progrediendo, ι κ λ μ ν ξ ο π Hic iterum adiungunt vnum characterem, qui non est litera seu elementum, sed sic pingitur ϟ & 90 significat, quæ sunt, vltimus numerus τῶν δεκαδικῶν.

ι κ λ μ ν ξ ο π ϟ
10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90.

Postremo sequitur tertius octonarius literarum, qui significat numeros ἑκατονταδικούς, id est, denominatos à centum, vt ρ σ τ υ φ χ ψ ω. Hic rursus adiecerunt literis talem characterem ϡ qui significat 900.

ρ σ τ υ φ χ
100. 200. 300. 400. 500. 600.

ψ ω ϡ,
700. 800. 900.

Sed millenarium seu myriadas millenariorum notant per α cum virgula imposita simili ei, quæ est nota toni acuti ά. Reliquos χιλιαδικούς, id est, millenarios similiter notant literis sequentibus, scilicet β γ &c. ά β′ γ′ vsque ad decem millia, 1000. 2000. 3000. lia, quia, quæ Græcis sunt μυρία, & vel per α cum duplici puncto (ά) vel per iota cum acuto tono scribunt (ί). Viginti millia, quæ sunt duæ myriades (20000) per β cum puncto gemino (β″) vel per κ cum acuto (κ′) Triginta millia per λ cum duplici puncto (λ″) vel per λ cum acuto (λ′) Centum millia (quæ sunt δέκα μύρια) 100000 per ι cum duobus punctis (ί) seu vt aliis placet per ρ cum acuto (ρ′) Ducenta mil-

millia, quæ sunt εἴκοσιν μυρία, id est, viginti myriades per σ cum duobus punctis (σ″) Millena millia, seu decies centena millia (idem enim hæc significant) seu centum myriades scribuntur per ρ cum duabus virgulis (ρ″) aut cum à duplici puncto notato (ά) Exempli gratia, Numeri anni à nato Christo 1612. Græci sic notant ά χ ι β. (Latini vtuntur Indicis & Saracenicis characteribus, 1612. Romani sic, CIↃ DC XII.

Idem Græci, vt Latini C, M, I, V, X, vtuntur (C pro centum, M pro mille, &c.) sic vsurpant in designandis numeris literis alphabeti Ι Π Δ Η Χ Μ. Iota μόναδα, id est, vnitatem significat. Π πέντε, id est, quinque. Δ δέκα, id est, decem. Η ἑκατόν, id est, centum. Χ χίλια, id est, mille. Μ μυρία, id est, decies mille. Hæ, excepto Π ad quaternarium incluſiue, siue per se, siue aliis adiunctæ, multiplicantur seu continuantur.

Δ	Δ Δ	Δ Δ Δ	Δ Δ Δ Δ.
10	20	30	40
Η	Η Η	Η Η Η	Η Η Η Η
100	200	300	400.
Χ	Χ Χ	Χ Χ Χ	Χ Χ Χ Χ
1000	2000	3000	4000.
Μ	Μ Μ	Μ Μ Μ	Μ Μ Μ Μ
10000	20000	30000	40000.

Decadum vero Centuriarum & Chiliadum & Myriadum quinarios hæc Elementa, Δ Η Χ Μ literæ Π inclusa significant; vt Δ inclusum Π efficit 50. Η inclusum Π 500. Χ inclusum Π 5000. Μ inclusum Π 50000. Horum numerorum additione omnes reliqui gignuntur. In quorum compositione semper maior numerus minori præponitur.

Porro vt Scriptio consuetudinem Hebræorum imitatur, & consideratur à dextra sinistram versus, vt primus locus sit extremus, versus dextram vltimus, qui claudit reliquos ad sinistram: Sic contra prolatio incipit à læua & procedit ad dextram.

Latini autem prisci alia efferendi ratione vsi sunt, alia Recentiores Logistæ, alia item Græci.

Recentiores quarto cuique loco punctum imponunt designans millenarium, vt inter bina proxima puncta locatæ figuræ duæ punctis careant. (vel post tres notas, quæ periodum absoluunt vnam, faciunt virgulam sic, 5|432.) Quartus igitur locus, septimus, decimus, decimustertius; & sic deinceps punctis insigniuntur seu notantur significantibus millenarium. Ad quem Germanis vsitatum est grandiores summas enuntiando referre, ita vt incipientes ab vltimo membro sinistram versus progrediantur dextram versus ad primum vsque: hoc obseruato, vt cuiuslibet membri vltima figura seorsum efferatur, reliqui ordine coniuncte: Numeri autem post primos sex constituti aduerbialiter, (per aduerbia,) priores vero sex per nomina cuiusque positum seu locum significantia enuntientur; vt hanc numerorum seriem

1 1 1
1 2 3 4 5 6 7 8 9 0. sic nostri efferunt, millies millena millia | ducenties millena millia | tricies quater millena millia | quingenta millia | sexaginta septem millia | octingenta nonaginta. Ein Tausent mal Tausent / zweyhundert Tausent mal Tausent vier vnnd dreissig Tausent mal Tausent / fünffhundert mal Tausent sieben vnnd sechtzig Tausent / acht hundert vnd neuntzig.

Vulgares Logista toties repetũt millenarios, quot pũcta sunt notata in numeris.

Ita vulgares Logistæ tantum respiciunt ad millenarium.

Sed apud veteres Romanos cum maximus numerus fuerit centenorum millium, quicquid hunc excessit seu superauit, id ad hunc velut ad vnitatem illi retulerunt. Vt igitur Latinius efferantur maiores summæ, quarto à dextro loco punctum imponatur: Sexto, nono, duodecimo, decimoquinto id subscribatur. Primo puncto, quod subscribitur, tribuatur appellatio centenorum millium: Secundo millies, adiuncta appellatione puncti præcedentis: Tertio iterum millies, adiunctis iterum appellationibus antegressorum punctorum. Characteres, qui excedunt sextum locum, per aduerbia numerandi proferantur, vt ante: Itaq; hanc summam sic enuntiabis Latinius

Th. Linacer. l. 3.

4.000.000 quadragies centena millia (vulgo quater millena millia) 600.000.000, Sexagies cẽtena millia, vulgo Sexies millena millia.

2. 1234567890 duodecies millies centena millia, trecenties centena millia, quadragies quinquies centena millia, sexaginta septem millia, octingenta & nonaginta. Breuius (κατ' ἔλλειψιν centenorum millium) duodecies millies trecenties quadragies quinquies centena millia, &c.

a I

3. 3456 54321. Ter millies (subaudi centena millia) quadringenties (subintellige centena millia) quinquagies sexies centena millia, quinquaginta quatuor millia, trecenta viginti vnum.

a, Nota quod 56 coniunctim efferri debeant.

I

4. 23486023 Bis millies (absolute dicunt Latini, & intelligunt centena millia,) trecenties (intell. centena millia) quadragies octies centena millia, sexaginta millia & viginti tria.

Hæc enuntiandi ratio obseruanda est vel eo, quod in sestertiis numerandis Latini, vitandæ prolixitatis causa, plerunque vsi sunt aduerbiis, vt significarent ellipsin harum vocum, centena millia, quarum repetitio ingrata molestaque futura fuisset. Itaque dicebant, Decies sestertium; pro decies centena millia sestertium; (Tanti æstimatum est caput Ciceronis, Tantum dedisse narratur Antonius Popilio sicario, qui persecutus Ciceronem ei amputauit caput) integre:

I

1000000. Clodius emit domum sestertium centies & quadragies octies. (intell. centenum mill.)

I

148000000, id est, coronatis ex veteri valore æstimatis 37 0000, id est, tribus tonnis auri & 7. coron.

Centies Sestertium, pro centies centena millia sestertium hoc modo

I

10000000. Exempla multa sunt apud Historicos, Plinium, Suetonium, & alios, quæ si reducere vis ad nostræ monetæ valorem, numerum sestertiorum diuide per mille, eo quod mille sestertii efficiunt vnum Sestertium, cuius valor est 2 5. coronatorum, quæ olim coronati æstimabantur. Quotus multiplicetur per 25, & prodibit valor eiusdem numeri in coronatis. Sestertius IIS vel I—IS est duo asses & semissis, fere 9 numuli. Quatuor sestertii faciũt denarium Romanum: 10 denarii vnum coronatum, spectato superioris sæculi valore, id est, decem asses. Denarius est decem asses. Mille sestertii sunt sestertium, id est, 25. coronat. Iam ex Regula Aurea 10 denarii dant vnum coronatum, quot denarii 1000? Quotus, facta operatione est 100. Hic diuidatur per 4. quia 4. sestertii efficiunt vnum denarium: & quotus erit 25. coronat.

Sue-

Suetonius in Cæsare Iulio : Ante alias dilexit Marci Bruti matrem Seruiliam, cui sexagies IIS (sestertium) margaritam est mercatus. Sexagies, supple, centies millibus sestertiorum, 60000000 sunt centum quinquaginta millia coronatorum, anderthalb Thonnen Golds. Idem in Tiberio: Parrhasii (nobilis pictoris) tabula æstimata est decies sestertium, id est, 25000. viginti quinque millibus coronatorum. Idem in Caligula : Immensas opes, totumque illud Tiberii Cæsaris vicies septies millies sestertium toto vertente anno absumpsit. 2700000000. Hæc summa facit sexcenties septuagies quinquies centena millia coronatorum, 67500000. Siebenhalb hundert Tonnen Golds.

Græcorum numeratio à Latina differt, quia apud illos maximus numerus est μυρίας, id est, decem millium (τὰ μυρία sunt decem millia, τὰ μύρια sunt innumera) Ad quem velut Romani ad centena millia, & nostri Logistæ ad millenarium, omnes maiores numeros referunt, ita vt numerus, qui myriadem superat, per myriadas simplices vsque ad millies centena millia, & hoc numero maior per duplices aut triplices etiam myriadas proferatur. Signatur igitur facilitatis causa apud Græcos quintus locus puncto, quia decem millia quintam sedem occupant. Ab hoc coaceruant Græci plures myriadas, donec ipsarum etiam myriadum myriadem constituant. Quæ summa est millies centena millia, Græce μύριαι μυριάδες: Latine millies tantum per ellipsin, pro millies centena millia. πέντε μυριάδες 50000. Latinis quinquaginta millia, δέκα μυριάδες 100000 Latinis centum millia μυριάδες ἑκατὸν, centum myriades 1000000. Latinis decies centena millia, vulgo mille millia, seu semel millena millia, & Gallice Million. Διακόσιαι μυριάδες, ducentæ myriades, quæ Latinis sunt vicies centena millia 2000000 (Myrias est 10000, id est, decies millenarii: Ergo

10000
200

2000000)

(10000
10000

100000000)

100000000 myrias myriadum

900000000. nouem myria myriadum, nongenties millena millia. 270000 0000, ducenta & septuaginta myria myriadum, id est, bis millies septingenties millena millia, & vicies septies centena millia. Alia exempla. 100000 00000, decem myriades duplices, id est, decies millies centena millia, vel millies millena millia, Græc. Xerxes narratur habuisse è pedestribus copiis myriadas CLXX seu 1700000, id est, decies septies centena millia, Siebenzehen mal hundert tausent. Ex equestribus decem myriadas, id est, centum millia, hunderttausent. Capacitas globi Terreni continet stadia 484063644 69497. Hic numerus per myriadas sic effertur: Globus terræ continet nonaginta octo myriades triplices stadiorũ: Sex mille quadringẽtas quadraginta simplices myriades, nouẽ millia quadringẽta & nonaginta septem. Stadia multiplicentur per 125, & inde procreabuntur passus 12300 795558687125, id est, Capacitas globi terreni (in passibus) est vna myrias quadruplex bis mille passuum; trecentæ myriades triplices, septies millies nongentæ, quinquaginta quinque myriades duplices, quinquies mille octingentæ sexaginta octo myriades simplices, & passus septem mille centum viginti quinque. Horum milliaria Germanica inueniuntur Diuisione per 32,

Sing. locus signatur puncto, qui significat numerum decies millium.

26629110 65, id est, viginti sex myriades duplices milliarium, sexies mille ducentæ nonaginta vna myrias simplex; & præterea mille sexaginta quinque.

Synonyma sunt millena millia, Millio (millionis) & centum myriades, vt 34 | 567 | 890. Hic, internodiis huius numeri sinistrorum virgis designatis, ad primam Periodum dices, tricies quater millena millia; vel quod idem est, triginta quatuor millionum millia: (ad intermediam quinquaginta sexaginta septem millia; ad tertiam octingenta nonaginta.)

Antequam hinc abeamus, duo hic nota.

1. Etiam apud Ciceronem inueniri vulgarem rationem efferendi, vt 3. Verr. Dedi cohorti prætoriæ mille sexcenta triginta quinque millia quadringentos septendecim numos, 1635417, alias; sedecies centena triginta quinque, &c. vel decies sexies centena triginta quinque, &c.

2. Nonnunquam Latinos vti μετα-θέσει, id est Traiectione seu Translatione gradus seu ordinis, & paria apud eos esse atque æquipollentia XICCM, Vndecies ducenta millia, XXIICM, vicies bis centena millia, 2200000; Idem esse XLCM, Quadragies centena millia, vicies ducenta millia, quater millena millia, decies quadringenta millia (sic sunt paria ecenties quadraginta ducenties viginti millies quatuor, & quadringenties decem.)

100	200	1000	400
40	20	4	10
4000	4000	4000	4000

Sed recolligamus nos. In Arithmetica Bernhardo Sal gnaco, & aliis recentioribus Notatio est scripturæ numerorum explicatio: Eiusque partes duæ sunt; Prima Notarum valorem explicat: Altera numerorum terminos & species. Sed veteriores, vt Gemma Frisius, hanc Notationem vocant Numerationem. Ait enim Frisius: Numerare est cuiusuis propositi numeri valorem exprimere, atque etiam (quod videtur prius dictum esse oportuisse) quemcunque datum numerum suis characteribus assignare. Hoc dicere Notationem, quidam regerunt esse nouum & Rameum. Sed hi aliqua ex parte fallunt & falluntur. Nam ante Ramum Iohannes Nouiomagus libros duos edidit de numeris, in quorum primo cap. 6. cuius inscriptio est, De prima parte Computandi, quam alii Numerationem vocant NON RECTE, scribit. Tum Numerationem primam faciunt eamque definiunt vniuscuiusque numeri concepti siue propositi per figuras (quas Ziphras vocant) assignationem, quales sunt hæ notulæ. 1 2 3 4: *in quo nomine pariter peccant & ratione.* Nam numeratio non est tantum, dum numerum quempiam, vt mille huiusmodi notulis describo, 1000. Nam ea vox omnes partes superius (cap. 5.) positas complectitur. Estque totius artis nomen, non partis. Quapropter rectius mihi videtur *Notationis* nomen illi competiturum, &c. Hactenus Nouimag. Ad quem tamen notabis, vocabulum *Numerationis accipi & generaliter*, vt cum dicitur, Arithmetica est ars bene numerandi. Hic bene numerare est omnem numeri vim ac vsum explanare & exercere: *& specialiter*: vt cum dicitur, Arithmetica occupata esse partim in Notatione, partim

partim in Numeratione, quæ datis duobus numeris legitime tertium inuenit,& est numerorum seu numerãdorum *vel eiusdem generis*: vt integrorum,vel partium, *vel diuersi*, vt miltorum, id est, partium & integrorum simul.

Commonefactio ex Magno illo Desid. Eras. Rot.

Ad Logicam Notationem redeo. Erasmus Roterodamus eam ab Etymologia distinguit l. 1.de Cop.Verb.& Rer. ità vt Notationem ad Descriptionem referat. Nam Etymologia est, inquit,cum nominis rationem explicamus, vt si quis Hæredipetam dicat, qui hæreditates alienas appetat & captet, aut pro Philosopho hominem sapientiæ studiosum, aut pro locuplete, qui plurimã possideat loca, aut pro Imperatore, qui summum teneat imperium. Notatio vero est, cum notis quibusdam accidentium rem quampiam describimus, vt si quis Iram intelligens dicat animi aut bilis efferuescentiam, quæ pallorem vultu, ardorem oculis, tumorem membris inducat, aut si dicas; cubito se emungit,indicans salsamentarium; qui conficit Salsamenta. Habet gypsatissimas manus, indicans furacem, quem olim etiam tagacem dicebant à verbo Tago.

NOTIO.

Notio interdum accipitur pro specie apprehensa,non pro actu apprehendendi: Interdum pro apprehensione rei per speciem. Ac definitur ἐνέργεια mentis aliquid cognoscentis. Græce νόημα. Itaque est effectum νοήσεως, vt cogitatum cogitationis, Scriptura scriptionis.

Estque Prima vel Secunda.

Prima est, quæ ἀμέσως seu primo in re, (quæ extra intellectum est) fundatur: siue res sit vniuersalis,vt stella; siue singularis,vt Luna.

Eaque est, simplex, vel complexa. Simplex est rei simplicis, vt conceptus Lunæ. Complexa est rerum compositarum seu sententiæ, siue vnius, siue plurium, vt Luna est stella; item stella lucet; Luna est stella: Ergo Luna lucet. Hæc sententia etsi non est vspiam nisi in sentiente,id est, enuntiante & iudicante, fundatur tamen πρώτως in re.

Secunda est, quæ fundatur seu fulcitur in re ἐμμέσως, id est, interuentu notionis primæ. Talis est Genus respectu Lunæ & Solis. Primo autem & proprie fundatur in mente, & opus est mentis; & nusquam est nisi in mente (vt Logicum instrumentum,id est, actiones mentis dirigens) Est igitur mentis Subiectiue & Effectiue, hoc est, est accidens mentis & effectum mentis.

Estque simplex vel complexa.

Simplex respondet primæ simplici, vt species, Adiunctum: Complexa Primæ Complexæ, vt Definitio est argumentum, Genus non est species.

Ad Notiones Primas refertur signum. Falsum igitur est, cum res explicatur per τὸ signum rei, tunc τὸ signum esse notionem Logicam. Causa & Effectum, Totum & Partes primo sunt notiones primæ. Sunt enim differentiæ quædam Entis: Secundario sunt argumenta Logica. Idem iudica de *similibus*.

Cum τὸ Vulpes explico per τὸ Similis vulpi, notio sprima est, non τεχνολόγημα; & in hac Enuntiatione,

Iste

Ille similis est vulpi, τὸ similis est nota similium & compositionis Logicæ similis cum simili.

In Iurisprudentia Notio & cognitio differunt sic: Notionis verbū est generale. Est enim notio quælibet causæ cognitio, siue ea iure magistratus expediatur, siue absque iurisdictione, hoc est sine magistratus iure. Cognitionis vero vox specialis est: cognitio enim est tantum earum causarum notio, quæ iure magistratus & vi iurisdictionis exercetur. Omnes igitur qui habēt cognitionem, habent etiam notionem, sed nō cōtra, D. Ioh. Gœddeus ad l. 99. de verb. signific. Notionalis definitio opponitur Essentiali.

NOTIONALE.

1. Est Notionale in Logica.

Notionalis syllogismus est, cuius conclusio & præmissæ habent aliquam notionem secundam seu Terminum Logicum; (vt sunt Genus, species) Kecker. Auerroes vocat Intentionalem, eique opponit Realem, qui constat è meris notionibus primis. Exemplum syllogismi Notionalis est, Nullum subiectum est Genus eius, cuius est subiectum, 4. Top. 6. Actio est subiectum cui ineſt peccatum. Ergo Actio non est Genus peccati. Nam in syllogismo Notionali Propositio maior est Canon Logicus vel Philosophicus.

2. Est Notionale in Theologia.

Proprietates vel operationes Characteristicæ (non communes) dicuntur Notionales κατ' ἐξοχὴν in Theologia Scholastica, à Notione, quia afferunt Triados sanctæ notitiam: vocantur & propriæ personarum formæ, notæ, Characteres à Basilio. Generatio seu productio Filii DEI, Spiratio & processio spiritus sancti dicitur ἐνέργεια seu operatio (immanens actio) Notionalis, quia affert nobis diuinarum Personarum notitiam. Sic Scot. In Diuinis distinguitur Essentiale contra Relatiuum, quod dicit Relationem Personæ ad personam, ac vocatur Notionale, quia pertinet ad distinctam notitiam Personarum.

Dicitur & Generatio (sicut etiam Relatio Paternitatis) Notio patris, quia illa ratio propria personæ Patris innotescit. *Notio enim in Diuinis est ratio, per quam innotescit Diuina Persona.* Itaque Notio personalis dicitur seu προσωπικὴ, vt Innascibilitas, ἀγεννησία (eius qui à nullo est) Paternitas, Filiatio, Spiratio, Processio: E quibus Innascibilitas non est Relatio, nisi per Reductionem.

Est enim potius quædam negatio ortus ab aliquo priore. Reliquæ 4. sunt Relationes; Proprietates autem Personales seu προσωπικαὶ Notiones sunt tres tantum, Gignere, Gigni, Procedere, seu, Paternitas, Filiatio & Processio, cum spiratio sit communis Patri & Filio.

Si considererur ordo & respectus, quem Tota Trinitas, vt est vnus DEUS, habet ad Creaturas, Nomen principii dicitur in diuinis essentialiter, & est commune omnibus Personis. Notionaliter autem dicitur secundum ordinem originis, vt inter se Personæ considerantur. Et sic quidem respectu Filii est principium Patris: Respectu Spiritus Sancti est commune Patri & Filio. Nomen principii non accipitur Notionaliter

naliter respectu Essentiæ seu Diuinitatis: Ea enim non habet ordinem originis ad vllam Personam, Imptoprie igitur dicitur à Patribus, Personam Patris esse originem, principium, fontem Diuinitatis, pro, omnium Personarum (quibus Diuinitas quasi continetur.)

- Notitia
  - Extraordinaria seu Miraculosa Infusa à Deo: Diuinæ virtutis, supernaturalis.
  - Ordinaria
    - Naturalis, Radius Diuinæ sapientiæ sparsus in nostras mentes, seu lumen insitum à Deo mentibus, quo agnoscimus numeros, ordinem, proportionem, consequentiam in Syllogismo, principia Theoretica & Practica.
    - Habitualis impressa imago cerebello (certæ parti cerebri) ac retenta, (vt in cera retinentur imagines factæ sigillis.)
    - Actualis, impressio vel formatio imaginum
      - Intuitiua, Rei præsentis, vt præsens est, cognitio, id est, cognitio, qua ita rem attingimus, vt per eam & vi eius cernatur præsens obiectum in sese. Alias Notitia Visionis.
      - Abstractiua, Cognitio rei absentis vel inuisibilis; vt notitia qua cogito de Socrate. Alias Notitia simplicis Intelligentiæ.

Διχοτόμως.

- Naturalis, nobis ingenita à Natura.
- Ordinaria Notit.
  - Per nos Acquisita.
    - Habitualis
    - Actualis
      - Simplex
        - Intuitiua.
        - Abstractiua.
      - Cõposita
        - Enuntiatiua.
        - Discursiua.

Explicatio.

Notitia Intuitiua eſt clara & certa rei non tantum ſecundum aliquam eius rationem vniuerſalem, ſed vt actu exiſtit in particulari, & quoad omnia, quæ ei conueniunt.

Notitia Intuitiua Dei eſt quidditatiua cognitio, & clara omnium perfectionum Dei, ſeu ipſius Dei, ſicut ille eſt in ſe. Hæc Beatum conſtituit, nec cadit in viatorem.

Beatæ mentes Intuitiue cognoſcunt res, quas nos ſine diſcurſu non cognoſcimus, qui procedimus ab vno ad aliud, vt à noto ad ignotum per ratiocinationem. Profeſſ. Dial. in Schol. Venet. in Top. Ar. p. 4.

In ſe] *Cognitionem Intuitiuam oportet eſſe Immediatam*, Ita nimirum, vt res non percipiatur in alio cognito, vt Cæſar cognoſcitur in ſua ſtatua. Vetuſtas dixit: *Notitia Intuitiua eſt optima definitio*, id eſt, deſcriptio abſynthii magis perſpicua dari nequit, quam cum oculis cernis colorem & figuram, & guſtas lingua ſaporem. Pbil. Lanch. Dial.

Notitia Dei poſt hanc vitam erit intuitiua: In hac vita eſt abſtractiua.

Abſtractiua] Hæc formatio imaginum eſt, quæ fit Spiritibus animalibus (velut ſigillum imprimentibus cerebro) & motu cerebri (ceu lingua formante ſermonem.) Vallg. Dial.

Qui negant nobiſcum naſci notitias aliquas, ſic diſtinguunt:



Iudi-

Iudicatrix, qua intellectus
- Rem apprehensam esse bonam aut malam iudicat.
- Rem, quam præcedente iudicio, bonam vel malam esse decretat, esse amplectendam vel declinandam tum censet tum concludit (discursu practico.)

Notitia
- Actualis, cum actu cognoscimus.
- σύμφυτος vel potentialis, cum potest cognosci, Imperfecta, in suis principiis.

4. Dum principia actu cognoscimus, potestate conclusionem cognoscimus. Conclusio est in principiis (id est, præmissis) suis potestate & vniuersaliter cognita. Secundum se autem & actuali perfectaque cognitione non cognita, sed ignorata.

Vsus.

Facultas cognoscendi principia tanquam lumen legitima in mente est naturalis (δύναμις σύμφυτος.) Ita potentialis principiorum notitia dici potest in infante. Sed habitus & comprehensa notio à sensibus per inductionem singularium proficiscitur. Hæc est notitia vere actualis.

Sed in mentibus ingeneratæ esse videntur, non à sensibus acceptæ notitiæ nonnullæ Logicæ, Arithmeticæ, & Geometricæ? Resp. Ramus, si consideres acutius, reperies etiam à sensibus saltem occasionem aliquam oblatam esse menti, vnde vniuersales illæ Logicæ, Arithmeticæ, Geometricæ sententiæ constituerentur. 1. post. 14. 2. 18.

2. Quæ sub sensum non cadunt, eorum cognitio à sensibus oriri non potest. Multa sub sensum non cadunt. Ergo multorum cognitio à sensibus oriri nequit, & per consequens in mente communes principiorum & artium notitiæ sunt ingeneratæ.

Probatur propositio. Nam Dei aliqua est cognitio, est & animæ, & Mathematicorum à corpore & sensibus abstractorum & ad intelligentiam translatorum.

Resp. & ad hæc recondita & simplicis essentiæ ὅτι & sensibus est aditus patefactus ad mentem. Anima enim quid qualisque sit, ex eius actionibus, quæ sub sensum veniunt, animaduertitur. Mathematica etsi ἀφῃρημένα, abstracta sint à corporibus, tamen in ipsis corporibus sensu animaduertuntur. Itaque vetères Mathematicam scientiam etiam circa Naturam versari dixerunt. Sic virtutes per se & abstracte in sensu non sunt, sed in hominibus quasi cerni possunt iustis, fortibus, temperantibus,

prudentibus. Itaque Mens per sensus viam sibi munit ad naturam rerum cognoscendam. Vid. Beurhus. Proœmium Compar. Log. 85.

Ioh. Sturmius.

Sensus primus hominum magister.

NOTVM.

Notum { Distincte, διωρισμένως. / Confuse, συγκεχυμένως.

Notiora { Nobis, vt sunt simpliciora & minus composita ratione Definitionis & Demonstrationis. / φύσει.

NOVATVM.

Nouata verba trifariam accipi possunt. 1. Vel quæ finguntur noua. 2. Vel quæ in alium sensum deflectuntur. 3. Vel quæ compositione aut deriuatione nouantur.

Primi generis exemplum est, quod Nero dixit Morari prima longa, pro morum (μωρὸν) hoc est, stultum esse.

Secundi, quod Sallustius ductare exercitum dixit, cum ductare apud Terentium aliosque veteres sensum habeat obscœnum, vt, meam ductes gratis, vmbher fahren/sich schleppen mit meiner. Item patrare bellum, pro gerere, cum patrare prius diceretur, qui daret operam creandis liberis.

Tertii, Bubsequa pro bubulco, Vitilitigator à vitio litigandi, pro plenus rixarum, rixosus, qui nectit rixas: Incuruiceruicum pecus apud Nonium. Amorabunculus ꝑ plenus amore. Sic nupturire, vituperones: qualibus vocibus gaudent p̃cipue Apuleius, Martianus Capella, Sidonius Apollinaris, & qui ad horum exemplum sese composuerunt. Habent & hæc gratiam, si modo in loco modicéque adspergantur. Nam vt eleganter dictum est à Quintil. In cibis interim acor ipse iucundus est. Eras. l. 1. de verb. cop. Butenbatta pro homine leui & nugatore, homine nullius existimationis antiquatum est. Neuianum est, recens eo vsus Ioh. Reuchlinus in Seruio.

Astronomis Noua Luna est recens seu Nouilunium.

Nouissima causa Philosophis est postrema seu vltima, quæ effectui est proxima. Sic 10. famil. ep. Ciceron. Nouissime est pro ad extremum.

Nouare etiam verbum Politicum est. Nihil habui quod putarem nouandum in Legibus, id est, immutandum. Renouare veteres leges est instaurare.

Ad Nouata.

Si quis diceret suffragium à frango ex analogia & imitatione vocis Naufragii, fingeret is nouum vocabulum. At enim, inquis, vetus hoc nomen est: Nam apud Ouidium de Nuce legitur: *Quid nisi suffragium nimbos vitantibus essem?* Hic respondet Bebelius, se vix probare significatum & carmen, nec credere Ouidium auctorem. Sed ego respondeo ϗ νήσια exempla omnia habere non suffragium, sed suffugium pro perfugio, atque ita constare vers. sensum.

Sext.

Sext. Nero in Claudii ſtultitiam ſubinde iocabatur productione ſyllabæ, cum diceret: poſteaquam deſiit inter viuos morari, prima ſyllaba producta: μωρὸς enim Græc. fatuum ſonat. Inde finxit morari pro ſtultum agere. Eraſ. in Apophthegm. l. 6.

Huc pertinent iſta vulg. Epiſcopalis, Phyſicalis, Grammaticalis, Logicalis, Muſicalis, Eccleſiola, Hiſtoriola, vbi voces quidem origine Græcæ ſunt, ſed terminatio eſt Latina.

NOXA.

Noxa ſignificat 1. ipſum delictum vel damnum. 2. pœnam delicti, vel obligationem ex noxa contractam. 3. corpus, quod nocuit, noxæque dedẽdum eſt, per metonymiam. Heroum filii noxæ: vetuſtate tritum Prouerb.

Noxa caput ſequitur, id eſt, obligatio ex noxa cõtracta facti autorem ſequitur, Iuriſconſ.

Vnius ob noxam multi periere minores, inquit Chriſtianus poeta, id eſt, peccatum. Noxæ, id eſt, culpæ, pœna par eſto apud Ciceronem. Noxæ eſſe apud Liuium ſchädlich ſein.

NVMERVS.

Numerus (ἀριθμὸς) eſt & Arithmeticus, & Grammaticus, & Oratorius, & Poeticus, & Phyſicus, & Muſicus, Aſtronomicus, &c.

In Arithmetica numerus propriè eſt Multitudo: Impropriè Vnitas. Numerus propriè dictus eſt multitudo ex vnitatibus compoſita. Euclid. Etſi autem multitudo ſit, eſt tamen vnum, non quidem τῇ φύσει, ſed προσθέσει, id eſt, appoſitione, ſeu aggregatione. Ternarius eſt tres vnitates, quæ ſua natura nõ ſunt ſimul & vnum, ſed cumulatione. Quo reſpectu Scaliger definit numerum, *quantitatem, quæ per ſeipſam diuiſa accumulata, vltimo termino, ab aliis diſtinguitur.* De cauſ. l. 1. lib. 4. c. 78. Cumulata dicit *ſignatè*. Sed quærat fortaſſe hic aliquis: cur dicat Cumulata, cum neceſſe ſit quantitatem eſſe auctam vel minutam vnitate vna vel pluribus; vt videre eſt in ternario & ſenario? Reſpondeo, huius locutionis hanc fuiſſe cauſam Scaligero, quod τὸ Minuta binario non conuenit. Binarius enim minutus vnitate amittit nomen veri propriique numeri, & redit in principium numeri. Numerus igitur impropriè dictus eſt Vnitas, Numeri ἀρχὴ & architectatrix, perfectio & finis ſeu Terminus, in quo (deſinit, ſeu ſuſtinetur numerus.) Hinc, id eſt. à fine exiſtit numerorum differentia ὑσιώδης. Cum enim omnis numeri initium ſit vnitas, non differunt numeri, vt 8. & 9. inter ſe hoc termino & extremo, vnde quaſi fluunt, ſed eo, in quo ſiſtuntur & finiuntur. Hoc igitur octonarius à nouenario, quaternio à ternario diſtat, vnitate ſcilicet vltimo loco appoſita. Scal. vide ſis 4. de cauſ. l. 1. & exerc. 365. Omnis, inquit, numerus, vt inchoatur, ita & terminatur ab vnitate. Et, vnitas addita Numero variat ſpeciem & affectionem ſpeciei, par impar. Vnitas igitur Numeri eſt perfectio. At ſicut materia potentia corpus eſt, non corpus, (actu) ſic vnitas potentia numeri eſt, vt loquitur Scaliger, non numerus. Hoc reſpectu idem Binarium vocat Numerum *Potentialem*, quod Numeri potentiam, hoc eſt, vnitatem his contineat, vt non habeat etiam medium, (ſicut ternarius) alioqui (ſimplici conſideratione) binarius actu numerus eſt, & quidem primus. Compone enim vnum cum vno, compoſitus efficitur binarius, qui ambarum vnitatum totus eſt. Etſi occupatum eſt conſuetudine, vt vnitas etiam Numerus dicatur; quod vel ex eo perſpicitur,

Numerus quiuis addita vnitate acquirit rationem pluris.

Quomodo Binarius, qui actu & verè numerus eſt, ſit potentialis & Ternarius actualis?

Binarius eſt compoſitus, quia duarum vnitatũ additarum Totus eſt.

quod iamdiu Grammatici alium singularem numerum dixerunt, alium pluralem, Philosophi Numero vnum, & Theologi Deum numero vnum. Sed ἀριθμῶς loquendo vnitas numerus non est, quia non est quantitas discreta. Diuidi enim per se non potest, vt nec punctum magnitudinis: sed κοινὸν μέτρον est, id est, communis mẽsura omnium numerorum, vt minimũ quid, & est numerus τῇ δυνάμει, id est, potentia, vt dixi.

Ramei tamen laxè voce numeri & numerandi accepta numerum, vel vera integra faciunt vnitatis & multitudinis, adeò vt etiam partes vnitatis veri numeri sint Bernhardo Salignaco Rami discipulo: Itaq; vnitas eis est numerus seipso numerabilis: ac ita argumentantur. Vnitas est quantitas discreta. Ergo est Numerus. Antecedens probant, quia ei æqualitas & inæqualitas tribuitur, id est, vnitas potest diuidi in partes æquales & inæquales, vt

$\frac{1}{2}$ $\frac{3}{4}$ $\frac{1}{3}$

Sed respondent alii; Vnitatem, quæ sensilis non est, sed sola mente percipitur, esse indiuiduam, seu vnitatem per se suaque natura esse insectilem, licet si ad rem subiectam ceu magnitudinem referatur, sectionem admittat. Ita vnitates numeri ex hac sectione prouenientis non ex vera monade, sed ex magnitudinis sectione oriuntur, hoc est, non ex abstracta, sed concreta (quæ rerum physicarum & artificiosarum est) vnitate. Vide Christian. Vrstis. Arithm. part. 7. Breuiter: Vnitas, qua secatur, non consideratur, vt monas, sed vt μέγεθος. Addit tamen Christ. Vrstis. Vnitas in Arithmeticis numerationibus pro numero, & quidem minimo sumi solet. Eidemq; numeri sunt μονόστοιχοι, vel πολύστοιχοι.

Monostœchi sunt, qui sunt vna quasi serie & acie descripti. Numeri vnius termini, vt integra vno termino describuntur.

Polystœchi sunt numeri plurium terminorum vel homogeneorum, vt Partes; vel heterogeneorum, vt Misti numeri, qui sunt integra cum partibus. Partes notantur duobus terminis linea interiecta diuisis, quorum superior partes numerat, inferior nominat. Non igitur sunt vna serie scriptæ. Idem de Notatione mistorum intelligitur. Sed hi in rebus Geometricis pro numeris non habentur. Cum enim mensura rei misto tantum numero exprimi potest, ἄρρητος dicitur, id est, quasi inexplicabilis vero Numero. Atque hinc Numeri *Surdi* appellatio.

Itaque alius Numerus est ῥητὸς, integer scilicet 5. 8. Alius ἄρρητος, vt 2 $\frac{1}{2}$ 4 $\frac{1}{4}$.

In Scholis diuiserunt Numerum in Digitum, Articulum & Compositum, ad distinguendam naturalem numerorum consecutionem. Primum enim simplices notę nouem spectantur, quę dicuntur Metaphoricè Digiti. Has deinde excipit Denarius instar internodii, qui dicitur Articulus. Subsequuntur Coniuncti, quos vocant Compositos, quorum primus gradus habet notam aliquam monodicam, à compositа scriptura sic dicti. Vide vocem *Digitus*.

Circulus (o) quæ nota est vltima numeri, nihil per se significat, ad dextram tamen positus valet ad alias notas amplificandum. Ex eius amplificatione Numeri *continui* dicuntur, quorum alter vno circulo est auctior, vt 1. & 10. sunt continui, quia 10. vno circulo auctior est, & proximo gradu vincit 1. Sic 10. & 200. sunt continui, quia vno circulo maior 200. quam 10. Sic 1000. 200. 30. 4. sunt quatuor continui, quoniam

quoniam proximè maior semper minorem vno gradu excedit. Disiuncti contra sunt, cum alterius nota in alterius notam congruit, vt 10. & 20. vt 100. & 200. vt 3000. & 2000. quod etiam fit notis collectis numeris, vt 10. & 11. vt 12. & 108. vt 252. & 1584.

Numeri sunt Absoluti vel Modificati, seu Geometrici.

Absoluti seu puri non habent respectum ad Geometricas magnitudines & figuras. Quasi Geometrici has contra respiciunt, seu sunt compositi secundum Dimensiones Geometricas. Hinc numeris figurarum nomina dantur; vnde Figurati dicuntur. Ramus, Schonerus, Vrstisius, Salignacus.

Sed veteribus sunt Lineares vel Figurati.

Linealis Numerus à duobus incipiens, adiecta vno ductu continuatur, vt 11. 111. 1111. v. Paucioribus quam duab. vnitatibus linealis (γραμματικὴ) numerus constare nequit. Simplex igitur.

Figuratus (ἐσχηματισμένος) figuram aliquam repræsentat. Compositus igitur. Estq; superficialis, vel solidus.

Superficialis seu Planus est numerus duobus lateribus contentus, longitudinis scilicet & latitudinis. Hic à tribus inchoatur, vt enim in Geometricis paucioribus tribus lineis nulla angularis superficies clauditur: ita & in numeris minimus superficialis, non nisi tribus vnitatibus constituitur, vt .·.

Tales sunt Triangulares, Quadrangulares, Pentagoni.

Triangularis numerus est, qui in latitudinem secundum vnitates descriptus tribus angulis continetur lateribus æqualiter dispositis, vt sunt 3. 6. 10. 15. 21. 28.

vt

Numerus Quadrangularis est quadratus, vel altera parte longior. Ille in latitudinem secundum vnitatem descriptus angulis quatuor, lateribus æquali dimensione dispositis continetur, vt sunt 4. 9. 1. 6. Hic verò duo tantum habet latera æqualia.

Quadr. Oblong.

Pentagonus est, qui in latitudinem secundum vnitates descriptus, quinque angulis lateribus æqualiter dispositis continetur. Simili definitione declarantur hexagoni, heptagoni, vt,

12 22 35 51 71 Pentagoni.
15 28 45 66 91 Hexagoni.
18 34 55 81 112 Heptagoni.

Solidus Numerus (alias corporalis) est, qui tribus lateribus continetur, scilicet longitudinis, latitudinis & profunditatis, seu qui corporis figuram repræsentat, quia dispositus est secundum suas vnitates in longum, latum, & profundum.

Solidi sunt Pyramidales, Laterculi, Assires, Cuneoli, Parallelopedi, Cubici, Sphærici.

Pyramidalis numerus est in suis vnitatibus per modum Pyramidis constitutus, vt scilicet incipiat à basi lata, & in ascendendo decrescat, donec ad vnitatem perueniat. Hæc vnitas Pyramidis conus est. Exemplum trilateræ pyramidis est

Latercu-

Laterculi sunt , qui ex ductu æqualium æqualiter fiunt in minus, vt tria ter bis 18. constituunt, quæ si secundum dimensiones tres disponantur, longitudo latitudini æquabitur, quia vbique tria : Altitudo verò minor, quia duorũ tria : Altitudo verò minor, quia duorũ tantum reperitur.

Bis terna sunt nouẽ, bis nouena sunt 18.

Asseres dicuntur, qui ex ductu æqualium æqualiter fiunt in maius , vt quater quatuor (seu quaterna) nouies 144. faciunt, quæ si ordinaueris ad figuram solidam, latitudo longitudini erit æqualis, quia vbiq; 4. altitudo verò cum 9. habeat, erit dissimilis.

Cuneoli (numeri) sunt, qui ex inæqualibus inæqualiter per inæqualia fiunt, vt ter quater nouies 108. efficiunt, quos si in corporis formam disponas, latitudinem tria, longitudinem 4. & altitudinem 9. habentem reperies, & sic omnes dimensiones inæquales.

Parallelopedi numeri sunt, qui ex ductu æqualium inæqualiter per æqualia fiunt, vt bis tria bis, 12. faciunt, quæ si ad corporis figuram reuocaueris, latitudinem altitudini æquam (quia vtrobique duorum) longitudinem verò inæqualium inuenies (quia trium.)

Cubi sunt , qui ex æqualibus per æqualia producti sunt, vt ter tria ter 27. procreant, quæ si in formam redigas corporis, latitudinem , longitudinem & profunditatem æquales reperies : Vnde si numeri ab vnitate continuè proportionales fuerint , quartus ab vnitate cubus est, ac deinceps duobus semper intermissis semper quadratus cubicus sequitur.

Numeri Cyclici seu sphærici dicuntur, qui ex ductu cuborum ita procreantur, vt à quo numero cubicæ quantitatis latus inceperit, in eundem altitudinis extremitas terminetur : vt quinquies quina faciũt 25. q̃ si rursus quinquies accepero, numerum multiplicatione produco 125. cuius altitudo in eundem numerum terminatur , à quo latus eius primò inchoatur (quia in 5.) Sic cum dico sena sexies, facio 36. quę si rursus per 6. multiplicentur, procreantur 216. Quæ in 6. iterum terminantur, à quo & latus eius inchoatur. Ideoque dicuntur numeri Cyclici vel sphærici, quia ad principium suum reuertuntur.

Georg. Reisch. in Marg.

Sicut ex vna reuersione de puncto in punctum circulus perficitur ; sic ex vna multiplicatione numeri in se, cyclici numeri, qui plani sunt, procreantur , vt quinquies quina faciunt 25. sicut ex secunda , nempe hemicycli circumductione circa diametrum fixa sphæra describitur: Ita ex Cyclici numeri per suum principium multiplicatione numerus sphæricus procreatur, vt viginti quina quinquies erunt 125.

Collatio cum Recentioribus.

Recentiores numeros Lineares , trigonos, pentagonos, &c. qui additione constituti sunt, negligunt , & tantum docent eos, qui sunt facti ex multiplicatione sic:

Quadratus Numerus fit ex numero in seipsum multiplicato, vt quater quaterna sunt 16. Quadrati latus est integro numero explicabile. Si latus integris exprimi nequit, vt cum integris adhærent partes, seu cum numerus lateris est ἄῤῥητος seu surdus, hoc est, vero numero inexplicabilis, oblongus est.

Cubus fit multiplicatione radicis seu lateris in suum quadratum, vnde cubicè multiplicare est factum à numero in seipsum, eodem denuò multiplicare, vt quater quaterna quater sunt 64. Agnitio cubi est ex inuentione sui lateris seu radicis integro numero explicabilis.

Hi ergo sunt numeri figurati analogicè dicti, rei Geometricæ analogia, quod vnitates per interuallum dispositæ, figuram aliquam referant.

E numero Arithmetico petitum puto, quod Numerus accipitur à Poeta pro otioso, quia per se numerorum nulla est effectio; etsi septenario magnam vim tribuant Pythagorei.

Numerus par vel est Redundans, ὑπερτέλης; vel est diminutus ἐλλειπὴς; vel est perfectus, τέλειος, inter hos medius. Vt in Ethicis sunt duo extrema, ἔλλειψις & ὑπερβολὴ seu πλέον & ἔλαττον, quæ habent rationem vitii, Vnum, Medium, Virtus.

Redundans est, cuius partes collectæ totum superant, seu qui omnibus suis partibus minor est; vt 12. est redundans, quia eius partes sunt 6. semissis 4. triens 3. quadrans 2. superans ipsum totum quaternario.

dicitur Diminutus seu Deficiens est (alias imperfectus) cuius vniuersæ collectæ partes sunt minores ipso toto, seu qui maior est omnibus suis partibus, vt 16. est diminutus, quia eius partes 8. 4. 2. 1. non æquant ipsum totum, cum tantum sint 15. Huius generis sunt omnes numeri pariter pares & primi.

Perfectus est, qui suis ipsius partibus est æqualis; vt 6. est perfectus, quia eius partes sunt 3. 2. 1. quæ omnes collectæ æquant ipsum totum. Sunt etiam alii perfecti, sed pauciſſimi, & in singulis ferè singuli tantum, neque in omnibus numerorum classibus. Nam in prima classe, quæ est τῶν μονάδων, reperitur numerus 6. in 2. classe τῶν δεκάδων, denariorum, est 28. in 3. centenariorum tantum 496. in quarta, τῶν χιλιάδων 8128. quorum omnium natura est, vt vel in senarium vel octonarium desinant. Nam vt in omnibus aliis reb. τὰ καλά ἐστι σπανία & εὐαρίθμητα, bona sunt rara & numeratu facilia, contra fit in malis; sic in Numeris quoq; se habet res.

28. *Totum.*
14. *Semissis.*
7. *Quadràs*
4. *Septimæ partes.*
2. *Decimæ quartæ pars.*
1. *Vicesimi octauæ pars.*
Summa partium 28 æqualis toti.

496.	Totum. Huius partes sunt:	*Vt inuenire virum Tetragonum, est difficile: sic numeri perfecti inuentio est difficilis.*
248.	Semissis.	
124.	Quadrans.	
62.	Octaua pars.	
31.	Decima sexta.	
16.	Trigesima prima.	
8.	Sexagesima octaua.	
4.	Centesima vicesima.	
2.	Ducentesima quadragesima octaua.	
1.	Quadringentesima nonagesima octaua.	

Alia ratione dicitur perfectus Ternarius & Denarius. Ternarius quidem, quia primus habet initium, medium & finem. Denarius primò propter Religionem: Nam Pythagorei sub Denario fidem tanquam iustitiæ fundamentum complexi sunt. Quam ob causam veteres dextras iungere instituerunt tanquam fidei symbolum; quia nimirum in ambabus dextris denarius esset numerus digitorũ. 2. Quia Denarius omnes numerorum formas & naturas comprehendit, cum constet ex 1. 2. 3. 4. 3. Quia homines ad 10. tantum numerant.

Et ita Denarius est imperfectus

In Grammatica Numerus facit vocum Differentiam. Est enim vox cum numero, (quæ adsignificat numerum) aut sine numero. Estque singularis Numerus vel pluralis. Dualis Ionum etiam pluralis est, quia inter vnum & plura nullum est medium. Singularis numerus dicitur Finitus, id est, certus, pluralis infinitus, quia est incertus. Si enim dicas homines, nescias quot, ita additur aliquid præscribens, id est, determinans, vt decem. Ex nominibus autem quædam sunt vtriusque Numeri, quædam semper singularia, vt Sol: quædam semper pluralia, vt Gemini. Alia singulari Numero plura significant, alia plurali numero singula.

Quod ad Verbum attinet, quod à Nomine dependet, Numerus minimè dubius est. Nam aut vnus loquitur, aut plures, & aut de vno, aut de pluribus.

Numeri Grammaticè, vel Lexicè considerati

- Nominales
  - *Cardinales*, μονὰς, vnitas, δυὰς, binarius, τριὰς, trinitas, πεμπλὰς, quinarius. Sic ἑπλὰς, ἑπτὰς, ὀκτὰς, ἑνιὰς, ἑκατονπλὰς, centuria; χιλιὰς, millenarius, μυριὰς, decies millenarius, ἑκατὸν, centum, μύριοι, mille.
  - *Ordinales*, primus, secundus, decimus, vigesimus, millesimus; sic, multesimus.
  - *Distributiui*, singuli, bini, terni.
  - *Multiplicantes*, simplex, duplex, triplex, ἁπλοῦς, διπλοῦς, τριπλοῦς. Item, Bipartitus, tripartitus, διμερὴς, τριμερὴς: sic πενταμερὴς.
  - *Rationales*, proportionales, indicantes pŏdus, vt simplus, duplus, triplus, διπλάσιος, τριπλάσιος. Sic multiplus.
  - *Notationem habentes temporis*, χρονικοὶ, vt, biennis, triennis, quadrimus, decennis, διετὴς, τριετὴς, τετραετὴς, δεκατής. Hic ἀδελφὰ sunt anniculus, bimus, trimus, ἐνιαύσιος, διέτης, τριέτης. Item bimestris, trimestris, δίμηνος, τρίμηνος.
- Aduerbiales, semel, bis, ter, centies, millies, ἅπαξ, δὶς, τρὶς, ἑκατοντάκις, χιλιάκις. Sic ποσάκις, sæpè, quoties, toties.

Nomen numerale
- Diuiduum, Alteruter, Vtercunque.
- Indiuiduum
  - Distribuens: Singulus.
  - Non distribuens, vt vnus.

Vide Scal. lib. 4. de caus. l. l. cap. 93.

Num. orat. &c.

Numerus est concinnitas orationis apta rei, quę significatur. Nobis, inquit Scalig. liceat canorem appellare: est enim numerus in oratione concentus quidam. Vel, est conueniens sententiæ sonus ex compositione & dispositione partium.

Numerus

Numerus Poeticus est Rhythmꝰ aut metrũ.

Rhythmꝰ est numerꝰ Poeticꝰ certũ syllabarũ numerũ certa clausula terminatũ continens. Tales Rhythmi naturales sunt in omni natione & gẽte, & quidẽ ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων, id est, è naturali & spõte fusa cõpositione, nulla lõgarum & breuium syllab ▪ im dimensione obseruata. Poeticæ hæc dimensionis infantia fuit. Eaq; in vernaculis linguis vbique apparet. Vide vocem Rhythmus.

Metrum est Numerus Poeticus, certos pedes, certis locis collocatos cõtinens.

Numerus orationis est numerus quidem non incertus, sed tamen liberior solutiorque poetico, & sibi ipsi perpetuò dissimilis. Natus hic est ex Poetico. Ferè ἄῤῥυθμος est, id est, nihil admodum habet rhythmi, nisi fortè in quadam repetitione. Vid. Taleum in Rhet.

Poeticus est astrictus certis legibus, itaq; seruilis; sed seruitus hæc est liberalis & oblectans. Orationis est solutus, sed nõ est dissolutus: sicut Illustriss. noster *Mauritius* dicebat: Volo Academiam quidem meam esse solutam, id est, liberam, sed non dissolutam.

Sed tamen oratorius etiam numerus generaliter Rhythmus dicitur: Vnde oratio εὔρυθμος, id est, bene numerosa; Sturmius & Erythræus in de Vniuers. Ratione Elocut. Rhet.

Numerosa oratio ea dicitur oratoris, quæ neq; claudicãs est, id est, impedita cursu & interrupta, neq; fluctuans, id est, lubrica vt fluctus, sed quæ cõstanter ac æquabiliter ingreditur: non igitur immoderata esse debet, neq; angusta, neque dissoluta oratio. Eryth. sic: Oratio oratoris non debet esse dissoluta, neq; nimis concinnata; ne aucupium appareat: variis numeris debet esse temperata, sed non tota numerosa, ait Sturmius, ne videatur esse reipsa poema.

Numerus hic denominatur à pede frequentato, id est, qui pes apparet crebrior, is dat nomen numero. Si enim Spondæus repetitur, dicitur ῥυθμὸς spondaicus: si Pæon superat, Pęonicus; si Dichoræus magis regnat & delectat Dichoraicus. Sic Sturmius: Numerus ab eo pede maximè nomen habet, qui in ambitu & clausulis principiisq; ambitus repetitur crebrius. Itaque dicitur Dactylicus, Iambicus, &c. Pedes quĩ conueniunt clausulis (quę maximè exspectantur) dicuntur ἀναπαιστικοὶ. Clausulę enim Gręcis sunt ἀναπαύσεις.

Physicus seu Physicorum, vel etiam Ethicus numerus est numerus numeratus, cõsideratus materialiter, quatenus sc. à materia seu cõcretis reb. non abstrahitur, sed cum iisdem intelligitur, vt septem Planetæ, octo orbes, duæ actiones iustæ vel iniustæ. Hic enim nihil aliud est quam res numerata, opponitur ei Numerus numeratus formaliter, quatenus sc. à materia abstrahitur abstractione mathematica, & ille ex sententia Platonis est aggregatio vnitatũ, de quo iam ante. Sed tamen Arithmeticus etiam cõcretũ numerũ interdũ assumit. Itaq; habet præcepta quædã de numeris nõ abstractis ad inuẽtionis quarti ℞portionalis vsum, vt: si ℞portio disiuncta est, vulgò datis trib. terminis quartus quæritur; è trib. autẽ datis duo inter se homogenei sunt. Et, si secundus homogeneus maior terminũ minorẽ, aut minor maiorẽ requirit, ℞portio reciproca est, & secundus terminus q̃stionem ingreditur. Et: si datis homogeneis æquales numeri similiter adiungantur, neglectis æqualib. ℞portio fiet. Neq; enim termini homogenei abstracti numeri sunt. Vt autẽ inuentionis quarti ℞portionalis vsus cõmodè absq; homogeneis explicari nequit: sic etiam doctrina Alligationis sine numeris concretis doceri nequit: Itaq; nõ omnia Arithmeticæ præcepta possunt aut debent esse de numeris abstractis.

Porrò in numero consideratо materialiter vt Physico, si sensum spectes, prius consistit analogia, quam in abstracto, id est, prius consistit in re, quam in numero, vt in quo reperiatur primò & per se. Sed res numerata, seu numerus concretè consideratus propriè dictus numerus non est. Itaq; distinguitur etiam Numerus in Numerum Propriè & Quasi. Atq; ad Numerum Quasi refertur Intellectus Numerator, qui vocatur Numerus numerans, vt anima nostra, quam Plato ex varia numerorum proportione constitutam in Timæo disputat. Vide Tab. Zuinger. in 5. Eth. Ar. p. 132. Sed Numerus numerans etiam aliter accipitur, & quidem propriè, vt numerans sit binarius, ternarius, quo numeramus: duo verò equi sint numerus numeratus.

Numerus Musicus (numerus relatus ad sonos & tonos) analogicè numerus est: significat enim quantitatum mutuum respectum ex proportione; imò omnes φθόγγοι seu soni in numerorum ratione censentur. Arithmetica agit de numero secundum se inquirendo, & accuratè explicando omnes numerorum proprietates & πάθη. Musica verò tractat eundem numerum, sed comparatum cum alio, quatenus nimirum sonorum concentus & harmoniam respicit: vnde harmonica dicitur ars, per quam consideramus rationes consonantiarum, quas numeris explicamus. Vt igitur numerorum alii sunt in ratione multiplici, alii in superparticulari, alii in superpartiente: sic soni seu consonantiæ etiam rationes eiusmodi inter se habebunt. In dupla consistit octaua seu διὰ πασῶν: tripla Diapason cum diapente: In quadrupla Disdiapason: In sesquialtera Quinta seu Diapente: In sesquitertia quarta seu Diatessaron. Nicomachus.

In Musica paternalla internallis respondent ἐναλλάξ.

Numeris siue Musicis, siue Arithmeticis animum nostrum constare non puto velle Platonem in Timæo, sed tantùm rem obscuram pro more & modo dicendi Pythagoreorum Exemplis & symbolis seu imaginibus Mathematicis docere, & harmonico quasi concentu animi virium consensionem indicare. Vt harmoniæ maius interuallum seu maior proportio ad minorem comparata efficit concentum: Ita quoq; ex animi præstantioribus viribus, vt mentis, intelligentiæ, rationis, ac minoribus, vt sensitricis, vegetatricis connexio quædam nascitur, quæ vnam constituit animam, sicut variarum vocum sonus harmoniam. Vt ex dissimilib. sonis fit consonantia Musica: est enim consonantia seu symphonia dissimilium inter se vocum in vnum redacta concordia: Ita est quædam animi harmonia, non quod reuera componatur animus, sed quod diuersorum motuum ἐνέργειαι manifesta planè partium consensione coalescant.

In Numerum brachia tollere. Poetæ est per vices non sine ordine tollere, cum dicit de Cyclopibus 8. Æneid.

Illi inter sese magna vi brachia tollunt,

In numerum, interprete Scaligero. Ego interpretor, In Numerum, saltantium ritu. Nam Numerus de saltationibus sæpè dicitur à Poetis. Lucr. l. 2.

In numerumq; exsultant. & l. 5.

At q; extra numerum procedere membra mouentes

Duriter. & l. 4.

Simulacra moueri, brachiaq; in numerum iactare. Et:

In numerum procedere cum simulacra

Cernimus in somnis.

Persius Satyr. 5.

Ad numeros Satyri moueare Bathylli.

Manil. l. 5.

Ad numeros etiã ille ciet cognata p artẽ
Corpora, q̃ valido saliũt excussa petauro.

Virg.

Virg. Ecl. 6. *Tum vero in numerum Faunoſq; feraſq; videres Ludere*: id eſt, ſaltare, interprete etiam I. Ludou. de La cerda Toletan. è Societate Ieſu, qui ad eum locum pronuntiare non dubitat Numerum & ſaltationes proprie pertinere, modum ad cantilenas proprie.

Ait Poeta, inquit Ludouicus, ſimul incipit ipſe, En modus. Tum vero in numerum, &c. En ſaltationes. Itaque numeri Faunorum ſequebantur modos Sileni.

Sed Manilius etiam Numeros ad vocem retulit l. 1. In numerum Phœbo modulante referri: & cum dicit Poeta 9. Eclog. Numeros memini, ſi verba tenerem: Videtur per numeros intelligere modos.

Horatius ſæpè diſcriminat Numeros & modos, vt hic: Acceſſit numeriſque modiſque licentia maior. Et: Numeroſque modoſque ediſcere vitæ: Et: Quamuis nil extra numerum feciſſe modumque curas.

Numerale metrum.

Numerale metrum Græcis Eteoſtichon eſt, in quo continetur alicuius rei annus, menſis, dies, habita ratione quarundam litterarum, quæ numerorum ſunt indices: vnde numerales, id eſt, numerantes dicuntur. Sixtus Senenſis in Bibliotheca Sancta ſcribit Hebræorum literas ſignificare ſingulas numerum aliquem. Nam Aleph ſignificat vnum, Beth duo, Gimel tria, & ſic deinceps ſingula Elementa Alphabeti Hebraici aliquem numerum indicant, Græcis quoque α vnum repræſentat, β duo, γ tria, δ quatuor, &c. Apud Latinos vero ſeptem ſunt literæ numerorum indices I V X L D C M ſeu C I ↀ. quarum I vnitatem ſignificat, quia eſt omnium literarum in γενέσει principium, cum ſit inſtar apicis: V ſignificat 5. quia eſt vocalium quinta: X 10. quia eſt duplex V. vnum rectum, alterum inuerſum, ſi ſitum ſpectes: C 100. quia vox centum incipit à C. M ſeu C I ↀ mille à litera principiali: D quingenta ſeu ſemiſſem millenarii, quia D eſt dimidiatum M. L quinquaginta, quia eſt dimidiatum C. ſic enim ſcribebatur olim.

Compoſito igitur carmine à Latinis fit computatio ſeu collectio literarum, donec numerus optatus ex eo proueniat.

Componuntur vſitatius monoſticha vel diſticha, quæ interdum comprehendunt annum, menſem & diem ſimul, interdum, annum tantum; interdum diem menſis tantum.

Monaſtichon Numerale, cum Matthias coronaretur continens annum:

MatthIæ Donant VIrtVs & fata Coronas.

Inuenitur apud antiquos talis modus numeralis diſtichi, quale hoc eſt in Chronologia cuiuſdam de fundatione cœnobii cuiuſdam:

Poſt M C poſt bina X. binos ſimul annos,
Virginis à partu tale reſurgit opus.

Et:

C quater & ſemel M. duo iungito ad octoginta.

Numerare.

Numerare eſt vel recenſere vnum poſt aliud, ſeu replicare numerũ maiorem ſupra minorem aut nouam vnitatem minori numero addere, & ſic ſeriem numeralem per incrementa amplificare: Ita numerare ſolius hominis eſt: vel duntaxat percipere plura diſcreta, quæ numerum faciunt, vt tres pullos vel lapides inter ſe diſtinctos: Sic Numerare eſt tam brutorum, quàm hominum. Homines numerant & quatuor equos & quaternionem: Bruta numerant quatuor equos, non qua-

ternionem, numerum materialem & physicum, non abstractum & formalem.

Vides explicationem huius vocis vtilem esse ad solutionem dubii: An brutæ animantes numerent? quod Aristot. negat in problem. f. 30. q. 5.

Numerans est Quod & Quo: Anima est Numerans Quod; Numerus, vt binarius, est numerans quo: De numerante igitur Quo, numero, qui proprie numerus, intellige huius distinctionis primum membrum.

Numerus { Actiuus, Numerans, binarius per se simpliciter & abstracte sumptus Numerus quatenus numerus. • Passiuus, Numeratus, duo homines, res à numeris denominatæ, Numeri denominati.

N V N C.

Nunc accipitur modo aduerbialiter, pro ἐπὶ τοῦ παρόντος seu ἐν τῷ παρόντι, in præsentia: modo Nominaliter pro Instans, vt Nunc stans, nunc fluens, quæ quid sint, ex sequentibus Francisci Georgii Veneti Minoritæ familiæ de Harmonia Mundi Cantic. 1. Tomi 1. c. 15. verbis patet: Sapienti ioco respondet Augustinus vulgaribus, dum interrogant, quid faciebat Deus ante Mundi fabricam: In saltu, inquit, erat, ligna incidens, vt temerarios & curiosos combureret, qui, quod heri fecerunt, non recordantur, & quid Deus fecerit ante mundi genituram inquirere præsumunt. Sed vt cum sapientibus loquar, dicant quæso: Quid intelligunt per illud ANTE, de quo interrogant? Si Fluxum temporis imaginantur, errant, cum tempus simul cum mundo principium sumserit. Si vero per illud Ante aliquid in Æternitate opinantur, cum æternitas sit tota possessio simul, successionem nõ habens, in illa non est ANTE vel POST: vnde quæstio nulla conuincitur. Fuit tamen ante eius opus impartibilis atque tota simul æternitas, in qua & coæternum sibi opus semper exercuit, suam videlicet continue producendo Intelligentiam & prolem suumque Amorem: Sicut semper produxisset Sol, vt inquit Augustinus, lucem & splendorem igniuomum, si semper fuisset. Nec terminat suum opus illa infinita virtus, quæ habens obiectũ infinitum infinita producit germina mensurata æternitate ab omni successiua duratione seiuncta. Ideo quæ successiua sunt, æterna esse non possunt, vt somniant Philosophi.

Nunc enim stans æternitatem significat, & Nunc fluens tempus constituit, vt docet Boet. Philosophus & ipse præstantissimus. Non ergo tempus conuenit cum æternitate, nec æternum esse potest: Nec æternum successionem habere. Vnde fatua quæstio est, cur ante tempus temporaneum mundum Deus nõ fecerit; quasi sit aliqua successiua duratio, antequã successio cœperit. Nec enim tempus fuit ante mundum. Nec Aliud probat Aristoteles, quando mũdi æternitatem demonstrare nititur, vt decernit vir grauissimi iudicii Ioh. Scotus, nisi quod nunquam fuit tempus absq; mundo, nec mundus absq; tempore: Quod cum loco pari passu ambulare dicunt sapientes: Ideo sicut extra locum nihil est ad locum pertinés: sic extra tempus nihil est ad tempus spectans. Hinc ad eos, qui scisciantur, cur posterius opifex suum mundum non fecerit, loquor: Assignent mihi quæso

quæso ſuum ANTE & POST, ſecluſa mundi machina; & ego aſſignabo cauſam, cur Deus in illo Ante vel Poſt mũdum non fecerit. Pudeat igitur quærere, cur Ante & Poſt Deus non fabricauerit, quaſi abſq; Mundi ſucceſſu fuerit Ante & Poſt: niſi forte, vt aliqui dicunt, fuerit Ante imaginatione conceptum. Nec profecto neceſſarium erat, aut conueniens Deum fabricaſſe mundum in illo Ante, quod tu nunc imaginaris. Quam optime igitur Trinæus Locrus huiuſmodi verba, Fuit, Erit, Ante & Poſt, quæ ſunt temporis conditiones, iudicat imprudenter transferri ad diuinam ſubſtantiam.

Dicitur etiam ἐν τῷ νῦν, pro in Temporis puncto, vel in præſentia. Nunc Fluens dicitur à Phyſicis Inſtans, & Momentum terminus partes præteriti & futuri temporis copularis.

NVTRIMENTVM.

- Nutrimentum ſeu alimentum viuentis
  - Proprie
    - Poteſtate, quod per os, vel per id, quod vice oris fungitur, idoneam ad alendum corpus præparationem ſubiturum hauritur, vt Panis.
    - Actu, quod iam rite decoctum eſt, vt in rei viuentis ſubſtantiam concedat.
  - Metaphorice, vt cum odores dicuntur eſſe nutrimentum, qui proprie ſpiritus reficiunt.
- Nutrimentum
  - Poteſtate
    - Principale, Cibus.
    - Minus principale, Potus.
  - Remotum ſeu Mediatum.
    - Elementa, non pura, ſed mutuo commiſta.
    - Conſtituta ex Elementis, vt fructus arborum.
  - Propinquum, Immediatum, vt ſanguis animalium ſanguine præditorum.

Coll. Conimb. l. 1. de Gener. cap. 5. q. An potus nutriat, pronuntiatum eſt: potus non nutrit, niſi idem ſit potus & cibus, vt vinum.

Collat. cum Hippoc.

Hippocrates nutrimentum diſtinguit in hoc quod nutrit, quod velut nutrimentum eſt, quod nutrimentum futurum eſt.

Nutriri proprie dicitur id, quod in ſe ipſo aliquid recipit ad ſuam ipſius conſeruationem corporalem: Thom. Aquin.

Nutriri debitum dicitur per metaphoram cum non ſoluuntur vſuræ.

Nutriens proprie accipitur & improprie, id eſt, Nutriens eſt vel vere, vel quaſi. Sic Zab. l. 3. de gener. Miſti: In carnibus animalium iam viuentium humidum aqueum (quod diſtinguitur ab altero, quo fit partium coniunctio inter ſe) vere dicitur nutriens: Sed carnibus animalium mortuorum non eſt amplius nutriens: Sic neque in aliis miſtis animatis, in quibus præter humidum coniungens ſit etiam humidum aqueum extraneum: Ideo hoc ab Alberto vocatum eſt non abſolute nutriens, ſed quaſi nutriens, hoc eſt, ſimile humido alimentali in viuentibus. Cum dicitur ignis combuſtibili ali

seu nutriri, adhibetur impropria vocis significatio. At cum dicuntur sola animalia nutriri, sicut & augeri, propria. Vid. Zab. l. de fac. an. c. 11.

NVTVS.

Nutus accipitur proprie vel improprie.

Proprie cum hominis menti tribuitur: estque signum capitis vel oculi, quo voluntas ostenditur.

Sunt & qui manibus Nutum fieri dicant.

Improprie sumpta voce Nutus est vis corporis, qua in loco suo naturali quiescit, & nolentem ab eo dispellere nititur: Extra vero locum ad eum per breuissimam viam mouetur.

Estq; simplex, vel mistus.

Simplex est Naturalis, vel non naturalis.

Naturalis est is, quo res quælibet natura sua mouetur, aut mouenti resistit, habita ratione loci sui naturalis & situs suarum partiũ. Est vniusmodi tantum à loco non naturali ad naturalem.

Estque voluntarius, vel non voluntarius.

Voluntarii modi multi sunt: Estque animalium.

Non voluntarius est violentus, aut fortuitus, vt ventorum.

Mistus particeps est vtriusque. Quanto quodque corpus remotius est à loco, in quo naturaliter quiesceret, tanto ad eum magis conatur. Itaque remotioris est maior nutus.

Metaphorica item locutio est cum dicitur: Dei nutu omnia gubernari. Ibi nutus per Metonymiam anthropopathicam significat voluntatem vel iussum ac imperium.

Multum est verbo efficere quod velis, at plus est idem efficere nutu & renutu.

Vt nutus dicitur, cum quis annuit, sic renutus dicitur, cum quis recusat. Plin. Ego simul nutu ac renutu respondere voto tuo possum.

Cui summam potentiam asscribimus, eius nutu ac renutu omnia geri dicimus.

LIT.

LITERA P.

PAGINA, PALINXESTVS.

PAgiña modo pro vtraque, modo pro altera folii parte accipitur. Vox est ab antiquo Pago.

Hoc vtramq; facit seu complet paginam.

Elegans loquendi modus pro eo, das machts gar / quod est vulgo, das ist das Fac totum. Plinius vtitur de fortuna lib. 2. cap. 7. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tecta ratione mortalium sola vtramq; paginam facit, dem Glück wirdt alles schuldt gegeben / gutes vnd böses / pro eo etiam dicitur, Fortuna humanorum prora & puppis esse putatur. Tradu-cta hæc phrasis ab Opisthographis, hoc est, à tergo scriptis, quæ Cicero vocat Aduersaria, quia aduersantur, hoc est opponuntur chartæ nouæ, vel quia solent poni ob oculos & ante manum. Cic. pro Quint. Rosc. Suarum præscriptionum & liturarum aduersaria proferre, hoc est, non perscripta, non exacte absoluteq; scripta, non digesta in charta noua, coniecta, non in ordinem redacta, sed tumultuarie congesta tantum in deletitia. Foliorum enim singulorum rationarii pagina vna dicebatur charta noua, altera vero deletitia, quæ ita dicebatur, quia spongia deletili solebant inducere ac obliterare, quæ præscripserant, hoc est ante scripserant, postquam retulissent in codicem & nominam iustas confecissent cum diligentia tabulas. Olim igitur scribebant ex vtraq; parte chartarum aduersa & auersa. Id patet ex Plin. histor. lib. 13. cap. de generibus chartarũ. Folii Pagella vna in Logistarum, hoc est, in ratiocinatorum codicibus rationẽ continebat expensi. Altera ex aduerso sequentis, accepti, vt vno fere intuitu rationes aduersarias vtrobique spectando ratiocinium facillimum foret vel cuiuis, nedũ perito rationario. Ausonius, quod παρέργως addo, Opisthographa seu libros opisthographos & aduersaria vocat Liturarios, intelli-ge, libros, à litura, Bücher oder Register auff beide seyten deß Papiers beschrieben / darinn allerley durch einander ohn Ordnung verzeichnet vnd entworffen. Palinxestus nõ erat charta deletitia, sed mẽbrana rasilis, seu quæ iterum raditur, ein Eselshaut. πάλιν enim est iterum, & ξέω rado, vel frico.

PANIS.

Panis (partim res naturalis, partim artificiosa) vel verus est, vel quasi panis. Verus igni assus seu coctus.

Quasi Panis oleo aut butyro frixus, aqua lixus, vt placenta, laganũ, pultes. Plin. l. 18. c. 8. Romani multo tempore vsi sunt pulte, & non pane. Pulmentarium igitur non est vere Panis: Panis supplementum (sicut loquitur Scal. in ex.) dicere posse videmur.

Quasi Pani subiicimus etiam Panem illum, Metaphorice dictum, de quo Ioh. 6 nempe panem illum Cælestem, qui est Christus edendus nobis per fi-

dem. Hunc Barbara voce quidam ſubſtantialem vocarunt, ita vertentes vocem ἐπιούσιος Matth. quæ verſio nobis non placet.

Secundo laborandum nobis eſt de aliqua Panis definitione: poſtremum diſpiciendum eſt de diſtinctionibus.

Panis eſt cibus ex farina & aqua confectus, ſeu, eſt cibus ex farina aqua ſubacta igni coctus, familiariſſime paſcens. Hinc eſt depſere, id eſt, ſubigere, ein Teig machen. Hunc δεσμὸν dicas labore vitio: Finis enim nõ poteſt eſſe genus: Cibus eſt finis: Nõ igitur eſt genus.

Reſp. Imo cibus eſt genus, ſed implicitum habens finem. Sic inſtrumentum vel ſignum poteſt eſſe alicuius genus, vt nihilominus finis ei ſit inuolutus. Nec eſt quod dicas: aqua non eſt de eſſentia vini: Ergo etiam aqua non eſt de eſſentia Panis. Diſpar hic ratio eſt & natura, cum enim vini forma introducta eſt, aqua fuit. Adde quod vinum eſt magis res naturalis quam panis, quo fit vt dicatur vinum naſci, Panis vero fieri per concoctionem ignis.

Panis hic eſt corpori humano maxime cognatus, ita vt in ſuccum ei conuenientem ſtatim conuertatur, quo quidẽ fit, vt aſſiduus eius vſus non afferat faſtidium homini ſano, vt omnes alii cibi, quæ & inter alias Chriſto cauſa fuiſſe videtur, cur panem adhibuerit ad epulum Euchariſticum, ſicut vinum adhibuit, quod maxime confirmat corpus. Vtrumque & experiundo, & ex Philoſopho diſcimus. Vinum, inquit Alexand. Aphrod. & panis ex proprietate quadam plus virium habent, quam cæteri cibi ad alendum firmandumque corpus humanum. Et Ariſt. in probl. ſ. 21. n. 13. Vino & pane ex triticea farina multum temporis ſine faſtidio vti toties poſſumus, quia ſecundũ naturam homini ꝓ cibo deputata ſunt. Facile ſatietas nos capit panis dulciarii, qa non habet dulce ſamiliare & moderatum. Idem fere iudiciũ de pane, croco & oui luteo imbuto.

Panis igitur in Cœna communis, hoc eſt, is quem domi homines adhibent ad menſam, qui Græcis eſt ἐπιούσιος, Matt. 6. antiquitus fuit. Ex eo oblato, inquit Heſychius, conficitur corpus Chriſti, hoc eſt, corporis Chriſti Sacramentũ.

Panis aut eſt primarius, aut ſecundarius: Primarius è frumento, vt tritico. Hic dici poteſt frumentaceus. Secundarius, non frumentaceus, ex fructibus, radicibus, (qualis apud Indos eſſe dicitur) & leguminibus, (quanquam hæ voces etiam aliter accipiuntur à Latinis, primarium enim vocant album ſeu ſimilaceum: ſecundarium vero ſeu cibarium, qui deſtinatus eſt vſui ſeruorum & ancillarum.) Sic Hier. V Volf. in Cicero. off. Secundarius Panis, quãquam Panis & ipſe dicitur, tamen multos furfures habet admiſtos, & minus purgatus eſt eo, qui ex polline efficitur. Indocti enim ſunt qui ſecundarium negant eſſe verum Panem. Ate nim, inquis, qui ſit verus panis, qui non habet pro materia frumentum?

Reſp. Diſce docendus adhuc. Materia enim hæc vel illa pani eſt accidentaria, non neceſſe eſt eum eſſe triticeum vel hordeaceum. Forma vero & vis paſcẽdi per ſe ei conuenit. Si forte panem frumentaceum velis eſſe panem dictũ ſimpliciter, ex fructibus vero velis eſſe dictũ ſecundũ quid, nõ repugnauerim.

Non interim imus inficias, materiam, ex qua panis fit, oportere eſſe aptam & affectam, riteq; præparatam ad recipiendam formam panis. Materia ea dicitur φύρομα, id eſt, mixtum vel maſſa, quæ fit, cum aqua farina *miſcetur* vel ſubigitur in paſtam.

Hic diſputatur, An Panis ex granis tritici, & panis ex granis hordei, vel milii, vel leguminibus confectus ſit eiuſdẽ ſpeciei? Adeſt pro affirmante Caiet. Sicut ſanguis idem generatur ex diuerſis cibis,

cibis, ita panis ex quocunq; tandé grano cõfectus sit, est eiusdem speciei. At nos tuemur negantẽ. Nam & materia panis huius & panis illius, nẽpe grana & farina, diuersæ sunt speciei, & sola granorũ contusio nõ sufficit, vt farina hæc & illa sit eiusdẽ species. At cur sanguis genitus ex granis hordei, & genitus ex leguminibus &c. eiusdem est speciei & rationis, panis vero ex granis, & panis ex leguminibus, vel panis ex tritico, & panis ex hordeo cõfectus diuersæ sunt speciei? Resp. à Franc. Suarez, quia sanguinis principium per se & proximum eiusdem rationis est cum viuẽte, à quo generatur, & ab eodem materia cibi, quæcunq; tandẽ illa sit, præparatur ad talẽ formam interuentu aliarum μεταβολῶν. Sed farina resultat ex granis cõtusis per modum eiusdem mixtionis. Itaq; hęc diuersum quid est ab illa κατὰ ποιότητα μιχθῶν, secundum qualitatem miscibilium.

Panis aut est purus seu simplex, vt communis, vsualis, alimentarius, vt vocat Castellio, Græce διακονικὸς: aut compositus vt conditus ex farina & aqua rosacea, saccarites, massa panis, quæ vulgo Marci panis.

Hic existit quæstio, Purus an specie differat à condito? Responsio est Negatiua, quia aqua per concoctionẽ fere consumitur, ac licet aliquid maneat, potissima tamen huius misti pars est farina, quę manet eiusdem rationis, & illũ humorẽ (aqueũ) in suam naturã attrahit.

Panis aut Fermentatus, aut non Fermentatus. Fermentatus, cui admistũ est fermentũ. Non fermentatus, Græcis est ἄζυμος, expers fermenti, quo vsus est Christus in Cœna propter festum.

Distinctio hæc est ex accidenti, quia fermentari non est de ratione Panis. Itaq; hic ab illo nõ differt specie & οὐσιωδῶς.

Hic quæritur: An fermentũ corrumpat totã massam, quod videtur docere Paulus, reclamantibus Physicis? Resp. Fermentum mediocriter admistũ non corrumpit ꝓprie, hoc est, substantialiter totã massam, sed alterat tantum, & disponit vt tali modo fiat. Dico mediocriter mistũ, quia nimia mistio fermenti, qua fit vt panis non sit vescus, corrumpere ex parte totam massam videtur.

Hic quærunt etiam Theologi, & olim à Patribus est quæsitum, An in Cœna Dominica adhibendus sit ἄζυμος panis, necne? (vnde schisma exstitit.) Adiaphoron agnoscimus.

Porro Panis est vel salsus, vel non salsus. Panes salsi an ponderosiores sint non salsis, quæritur à Naturæ consultis? videtur dicendũ, Panes salsos esse põderosiores, qa sal est grauior aqua. Sed nihilominus respondeo, Nõ salsos plus habere ponderis, quàm salsos, modo cętera pari sint mensura, quia sal exsiccare potest, ex quo incorrupta integraque seruantur, quę confecta sale reponimus. Absumitur à sale & resiccatur humor, qui ex calore putrescit, ideoq; panes pridie facti leuiores sunt, quam calidi, vtpote frigidiores: Contra eos, qui sale destituuntur, largior humor insidens efficit grauiores. Vid. Probl. Arist. s. 21. num. 5.

Distinguuntur etiam Panes à forma accidentaria seu figura. Quidã enim ῥομβοειδεῖς, quidam στρογγυλοειδεῖς, qualibꝰ in Cœna vsi sunt tempore Epiphanii, qui fuerunt lati & teretes. Alii sunt coronæ (placentæ rotundæ latiores) quibus azymis etiã olim in Cœna vsi sunt.

Panis σιλιγγίτης, Semmelbrot id est, siligineus est ex siligine seu puriore tritici farina confectus. De hoc Langius l. 1. Epist. Med. ep. 56. hæc habet: Veteres siliginẽ non modo alteram tritici speciem, in quam triticum in vliginoso loco satum tertio anno degenerat, sed ess se quoq; à furfuribus depuratissimũ ex tritico generoso farinã putarunt, quã Plinius tritici delicias appellat, q & ait, ex silig ine lautissimus panis est pistrinorũ

opera laudatissima. Summa enim laus panis siliginis bonitate & cribri tenuitate constat. Similago, inquit, ex tritico fit laudatissima, quæ Græcis σεμίδαλις dicitur, vnde Galenus ad Glauconem ait, quoddam triticum plurimam habet σεμίδαλιν, quod generosum appellant. Ex hac exquisite à furfure depurata panis pistus silignitis, qui vero parum ab illius puritate defecerat, semidalitis dicebatur, id est, simila, Semmel.

Idem Lang. hæc de pane ἀζύμῳ seu infermentato. Panis absque fermento Dulciarius est de genere placentarum ex farina tritici, caseo & melle in clibano sub testaceo operculo coctus inter πέμματα, id est, bellaria Græcorum censebatur. Alias Libum.

PARABOLA.

Parabola est linea circumiens aream coni.

Erasmo Parabola est similitudo sumpta ab his, quæ fiunt, aut quæ natura casuue rebus sunt adiuncta, Seu, est collatio rei mutæ, vel inanimatæ, vel incorporeæ ad nostram causam & institutum accommodata propter simile aut dissimile aliquid.

Sicut, inquit Velcurio, Exemplum à Persona hominis factoque seu re gesta petitur: Sic comparatio seu parabola à qualibet re præter hominem & præter hominis factum sumitur, etsi Quintilianus admonet non superstitiose debere separari Parabolam seu comparationem ab exemplo. Sed ego puto non esse confundenda. Attilius ad hostes reuersus exemplum est seruandæ religionis. Nauis vero pro Ventorum ratione velum tollens aut contrahens in hoc aut illud latus, παραβολὴν habet, quæ docet sapientem cedere oportere tempori & rebus præsentibus sese accommodare.

Vicina est εἰκὼν (id est, imago) similitudo ficta, quæ cum descriptione quadam oculis subiicitur, & imaginem rei collatæ quasi viuam exprimit. εἰκὼν est, inquit Erasmus, si dixeris aliquem more leonis aut draconis in hostes insiliisse, Achillem ignis instar relucentem veniisse in prælium.

PARS.

1. Pars accipitur dupliciter.

Vno modo Generaliter largeq; pro termino primæ intentionis: Et sic rursus dupliciter: pro eo, ex quo res constituitur, vel quod ad rei conseruationem vel naturalem operationem requiritur: & hoc modo humores, qui sunt in corpore humano (vt sanguis) sunt partes hominis, & potentiæ animæ, animæ partes; & magis improprie virtutes adiunctæ principalibus dicuntur à Thoma earum partes potentiales, quia habent ordinem seu κλίσιν ad eas.

2. Altero modo accipitur magis proprie pro eo, ex quo res composita realiter constat.

3. Hæ partes sunt vnius simpliciter, vel vnius per aggregationem.

4. Vere seu simpliciter vnius, seu vnius rei simplicis sunt Essentiales vel Integrales.

5. Essentiales, quæ habent se vt actus & potentia, & sunt Materia & Forma compositi substantialis, cuius sunt principia συστατικὰ, constitutiua.

6. Integrales sunt, ex quibus totum integratur, suntq; eiusdem rationis cum toto, vt sunt membra animalis, partes graduales qualitatis simplicis seu formæ intentionem recipientis, (Talis enim qualitas habet partes eiusdem rationis gradus scilicet quibus intenditur) & partes quantitatiuæ rei extensæ.

7. Partes vnius per aggregationem dicuntur partes aggregatiuæ, quæ sunt

vnius

vnius aggregati. Sic quilibet Lapis de cumulo dicitur pars cumuli. Et hæc de partibus realibus.

8. Pars accepta pro termino secundæ impositionis dicitur subiectiua: sic Terminus inferior & angustior dicitur pars sui superioris & communioris, species generis, indiuiduum speciei. Hæ igitur partes dicuntur intentionales. Horum nominum homo, bos, leo, intentiones seu conceptus sunt partes subiectiuæ, id est, species conceptus seu vocis Animal.

9. Nonnunquam *Partis* pars est, quæ dicitur *Particula*.

Vsus.

Sic ἀντίμαχοι nostri nobis Fractionem panis Eucharisticæ actionis partem facientibus sunt obratiocinati.

Fractio si est pars Cœnæ Eucharisticæ, est vel essentialis, vel integralis. Essentialis non est, quia neque materia, neque forma Cœnæ. Nec est Integralis, quia integrales partes sunt posteriores essentialibus. At fractionem illis posteriorem esse nemo dicit. Ergo fractio non est pars Cœnæ Eucharisticæ.

Resp. Concedo totum. Non enim dico fractionem esse Cœnæ partem, sed partis partem, id est, dico esse particulam, seu, dico esse cœnæ partem formalem (transitiuè) hoc est, partem formæ: Vel distinguo, dicendo, esse partem cœnę mediatè, non immediatè, id est, esse partem cœnæ, quia est pars formæ cœnæ: Quæ forma, quia componitur, & quasi integratur ex distinctis numero actionibus fractionem panis Eucharistici feci Cœnæ Dominicæ quasi integralem (ex analogia verè integrantis partis) quam cum Scholasticis, vt Gabriele Biele, rectè vocauerim *aggregatiuam*, quod Sacramentum cœnæ sit vnum aggregatiuè, non vnum ἁπλῶς, quæ pars ἁρμόδιον ac proportionale quid est, & conueniens parti integrali. Gabriel Biel lib. 4. d. 16. q 1. sunt quæ sequuntur. Si pœnitentia accipitur ita, vt sit vnum aggregatum, confessio pars est nec essentialis, nec propriè integralis, sed aggregatiua (seu pars huius aggregati.) Et paulò ante; Accipiendo pœnitentiam, contritio, confessio, satisfactio sunt pars huius aggregati. Si quæris, quales sint partes pœnitentiæ, Essentialesne, an integrales? Respondeo quod neutræ sint. Hæ enim partes sunt partes alicuius verè seu simpliciter vnius: pœnitentia autem ita, vt dixi, accepta non est vnum simpliciter. Ergo sunt partes aggregatiuæ.



In qualitatibus recipientibus intensionem (vbi progressio est ab imperfecto ad perfectum) imperfectum est pars perfecti. Exempli causa : intendatur calor, vt duo, & fiat vt quatuor, hic calor duorum graduum manet in calore quatuor graduum. Biel. lib. 4. dist. 16. quæst. 1.

An partes graduales sint simul?

Vsus distinctionis Partium.

Sunt qui plantas omnes à dominatu qualitatis terreas esse doceant : at alii scribunt quasdam plantas esse calidas & humidas: at neutra harum qualitatum terræ conuenit. Apparens hæc naturæ consultorum iudicio est analogia : at veram non esse , distinctio partium ostendet. In plantis si consideres partes integrantes , illas terrestres à principatu deprehendes : at si partes virtuales & qualitatum gradus, alias calidas & siccas, alias calidas & humidas, alias humidas & frigidas , etiam frigidas & siccas nonnullas, & quidem dem primo, secundo, tertio, quarto, inuenies.

E Poet. Scal. lib. 1. cap. 9.

1. Pars non vno modo intelligitur. Est enim Essentialis, est Vniuersalis , est Quantitatis.
2. Essentialis est aut in Re, aut in Intellectu, ἐν τῷ χρήματι, aut ἐν τῷ νόῳ.
3. In Re, Materia & Forma : Quæ coniuncta rei Naturalis sunt principia.
4. In & ab Intellectu Genus & Differentia: Illud Materiam referens: Hæ Formam in Definitione.
5. Partes Vniuersales sunt species generis : Genus enim in se suas species tanquam partes continet.
6. Quantitatis verè ac propriè, vel quasi ac impropriè. Nihil enim diuisibile nisi quantum.
7. Pars verè quantitatis est cubitus, pars nimirum tricubiti.
8. Quasi quantitatis pars est, cum dicimus igneitatem, quæ in flamma existit, partem esse eius , quæ in maiore flamma fit. Non enim per se est diuisibilis , sed ratione illius quantitatis, quæ ei substat.
9. Partes quantitatis alias dicuntur Integrantes, eæque nunc in Scholasticis quibusdam denominantur Formales, nunc Materiales.
10. Partes Formales sunt partes integrantes absolutè spectatæ secundum communem essentiæ rationem : Materiales sunt partes integrantes (eædem) quoad conditiones indiuiduales. Cum igitur Arist. scripsit lib. 1. de Generat. & Corr. cap. 5. Rem, quæ nutritur, manere eandem quoad partes formales, non autem quoad materiales , nihil aliud voluit, quam cum, verbi gratia, Socratis caro nutritur, seruare semper eandem communem naturam & essentiam carnis fluxu materiæ (quę perpetuò resoluitur) muretur. Aristoteles enim nonnunquam nomen Formæ & Speciei pro communi essentia ; nomen materiæ pro singulari natura vsurpat, vt libr. 1. de Cœl. cap. 9.

Explicatio.

Alii paites integrales absolutè spectatas secundum communem essentiæ rationem dici Formales , easdem verò consideratas quoad conditiones indiuiduales dici materiales volunt , eo quod Arist. consueuerit nomen formæ & speciei pro communi natura seu essentia, nomen materiæ pro singulari natura vsurpare, vt in l. de cœl. cap. 9. Alii formales partes à materialibus πρὸς ἕτερα seu re distinguunt, vt Hilden. in Top. Arist. Aliis formalis pars & forma αὐτὸ σημαίνουσι , & materialis pars & materia sunt.

Διχῶς

Διχοτόμως.

Pars est
- Quantitatiua; alias Integralis (Materia non est talis pars essentiæ rerum naturalium.)
  - Propria. A
  - Analogica.
- Quidditatiua, alias Essentialis: Ita Materia & Forma sunt partes substantiæ compositæ. Hæc Pars est
  - Secundum rationem κατὰ λόγον, quæ etsi significat totam essentiam, non tamẽ ὁλικῶς, id est, nõ totaliter. Æ.
  - Realis, formæ totius, id est formę, quę totum est. B.

Explicatio.

A. Propria] vt corpus hominis.

Analogica] seu proportionalis, vt fractio panis in actione Leiturgica.

Æ. Ita Logicè Genus, Animal, & Differentia. Rationale dicitur pars Essentiæ hominis, vel saltem definitionis.

B. Talis pars est materia & forma partis, id est, forma quæ pars est, vt corpus & anima rationalis in homine. Forma igitur totius (id est, quæ totum est) includit seu cohibet in se materiam partis (id est, quæ pars est) cuiusmodi forma est humanitas. Ita placet Scoto.

Pars integralis dicitur etiam Integrans, quia totum integrat.

Exemplum Analogicæ proponit Scholiastes Damasceni, super eo quod Christi hypostasin vocat συνθετον, id est, compositam: Quum dicit confitendum esse Filium Dei incarnatum secundum compositionem, & in ipso duas naturas inter se vnitas in vna cõposita hypostasi, cõpositionis vox non habet vulgatam & tritam acceptionẽ, vt sit alicuius totius ex partib. suis constitutio. Nec enim in Christo fuit eiusmodi compaginatio ex Diuinitate & Humanitate, quum illæ duæ Naturæ minimè sint ipsius Christi partes, (propriè loquendo.) Non enim potest simplicissima Diuinitas cum alio quopiam subire compositionem & constitutionem, quoniam id summæ simplicitati derogaret: sed paulò differentem à priore rationem habet hęc compositio, designans duarum naturarum in vna hypostasi simplicissima vnionem citra totius constitutionẽ ex partibus ordinariis. Hæc autem vnio cum nostræ mentis captum longè excedat, non nisi domesticis, & ex nostra fragilitate petitis rerum nominibus, veluti quibusdam adminiculis insinuari nobis potest, idcirco nuncupatione compositionis plerumq; exprimitur, & per totius ex duabus diuersæ naturæ partibus constitutionem TANQVAM PROPORTIONALE quiddam declaratur, quum Catholica piè confiteatur Ecclesia, quod sicut anima Rationalis, & caro vnus est homo, ita DEVS & Homo vnus est CHRISTVS.

Pars
- Essentialis, Compositi realis.
- Integralis, seu quanta, seu quantitatiua, compositi realis.
- Subiectiua, seu Subiecta, compositi rationis, seu rei definitæ.
- Virtualis, seu Potestatiua; Hæc Analogica est.

Pars Integralis cur non prædicatur de Toto, Essentialis contra?

Pars Integralis non prædicatur de Toto, quia prout pars materiæ vicem gerit, materia autem nõ est quod res est. Itaque non dicitur: Homo est caput. Essentialis verò pars prædicatur de Toto, quia vt forma, vel communis, vel specialis, & materiam connotans accipitur, forma verò sic accepta accipitur, prout est, &, vt Scotus ait, per medium totius; quapropter de toto verè proprieque prædicatur, etsi non sit ipsum totum; Sic secundæ substantiæ de primis prædicantur in quid.

Corpus de toto cur prædicari nequit? 4. Top. Arist. & tamen in Arbore Porphyriana substantiæ de Animali corpus prædicatur?

Corpus si accipiatur pro altera parte, quæ est materia compositi Animalis, de toto prædicari non potest.

Si accipitur pro forma connotante materiam, de toto prædicari potest.

Cur accidentium, imò & Differentiarum substantialium abstracta vocabula de subiecto non prædicantur?

Ratio est, quia pars de suo toto non prædicatur directè: vnde albedo, quia partem significat hominis albi, non prædicatur de homine. Album verò, quia significat totum confusè, quod est in homine, prædicatur de subiecto Homine. Sic essentia seu forma substantię compositæ, cum vt totum quoddam seu compositum, seu vt forma in suo deferente profertur, de suo subiecto prædicatur. Sic enim prædicatur, prout est, vt Homo est rationalis. Cum verò vt pars effertur, id est, in abstracto, non prædicatur prout est.

Cur substantiæ propriè simplicis essentia & quidditas prædicatur de illa? Quia Quidditas propriè simplicis est ipsum simplex; est absoluta quidditas, cum aliæ mentes habere quidditatem dicantur.

Sic de Deo prædicatur eius actio interna, quia DEI οὐσία est ipsum subsistens intelligere. Deus est intelligens πῷ ἔναι. At mens Angelica non est planè sua intellectio, ita vt intellectio sit eius οὐσία & eius Esse, non enim est æquè simplex ac prima summaque Mens DEVS. Mens Angelica intellexit habendo (πῷ ἔχειν) & participando. Omninoque omnis Entis creati actio distat ab eius substantia. Ergo falsa hęc est prædicario: Angelus est sua actio: &: Actio Angeli est Angelus. Hoc stabilitur fortissimo argumento: Plus distat actio rei à substantia eius, quàm ipsum esse eius. At nullius creati entis suum esse est sua substantia (Hoc enim vni conuenit creatori.) Ergo multò minus vllius creati entis actio erit sua substantia.

Distinct. ex disput. Goclen. publ. an. 80.

1. Partes sunt Quantitatis vel Essentiæ.
2. Ad partes ex quãtitate referũtur partes ex mẽsura (seu partes mẽsuræ.) Sic Linea, & vnumquodque quantum dicitur habere partes pedum, vlnarum, vel alius cuiusdam generis mensuræ.
3. Essentia est simplicis rei, vel compositæ.
4. Simplex res est vel in mente, vt sunt primæ notiones, vel extra mentem, vt sunt substantiæ separatę à materia anima nostra, mentes diuinæ.
5. Vtrobique dici possunt partes perfectionis & ἐνεργείας. Sed hæ partes rectius dicuntur in Deo Attributa ratione tantum, non re differentia.
6. Res composita est vel in mente, & à mente, vt vniuersalia; vel in materia exteriori.
7. Hocque aut à mente, aut à natura.

8. A mente

8. A mente, vt composita artificialia & ciuilia, aurum, domus.

9. A natura, vt composita naturalia.

10. Porrò partes essentiæ rei compositæ sunt simplices vel compositæ.

11. Simplices sunt Materiales & Formales : & quidem vel verè , vel quasi.

12. Si res essentiaque composita in materia exteriori fuerit , siue à mente, siue à natura, habebit planè illa materiam & formam, è quibus verè & propriè composita erit. Sic auri, sic domus, vici, materia & forma est.

13. Sin in mente & à mente simul, habebit aliquid simile formæ, & aliquid simile materiæ, è quibus dicetur composita, vt animal καθόλυ habet sensitiuum (τὸ αἰσθητικὸν) quod est instar formæ : habet species (hominem & bestiam) quæ in eo comprehenduntur potestate & instar materiæ sunt.

14. Materiales partes, seu partes Materiæ voco ipsam materiam & gradus materiæ , vt ad compositum referuntur , & quicquid materiæ naturam redolet , vt partes materiales hominis sunt materia prima & quatuor Elementa.

15. Formales seu formæ partes dico ipsam formam , & ea, quibus forma ipsa continetur , vt partes compositi sunt, vt hominis & essentiæ eius partes formales anima rationis compos, & quæcunque ab ea sumuntur ac nominantur , nempe disciplinæ capax, animatum, αἰσθητικὸν, &c. & reliqua hominis definitionem ingrediuntur vel reipsa, vel virtute : Ideoque aliquando appellantur partes Rationis seu definitionis.

16. Partes Compositæ sunt mediæ inter formales & materiales: Dicunturque eæ, quæ ex materia & forma constant, in quas compositum statim diuidi potest. Quæ à plurimis vocantur *Integrales*, vt in homine os, caput.

17. Hæ sunt similes vel dissimiles.

18. Similes Totorum similarium. Tales sunt in Elementis, metallis. Talis est in animante caro.

19. Dissimiles totorum dissimilarium. Ad quas referuntur Instrumentariæ seu Officiales partes , quæ corporum sunt organicorum, vt in animante pes, oculus.

20. Species Generi, vt est Animal, subiectæ , qua actu Genus in eas diuiditur , partes censentur Generis compositæ.

His adiicio Canonem Scholasticum: In composito è partibus materialibus & formalibus partes formales dant Esse partibus materialibus , & in eis existunt.

Partes sunt vel *propriè* dictæ , vt sunt membra suo toti cohærentia, seu quæ in toto sunt, ac tunc suo munere funguntur , vel fungi possunt : vel *Abusiuè* dictæ : vt membrum auulsum ac separatum, vt pes à corpore separatus dicitur pars abusione & communione vocabuli, quæ ὁμωνυμία dicitur. Vide in l. Polit. Arist.

- Essentiales.
  - Integrales
    - Physicæ
      - Similares, quæ cum toto idem nomen & definitionem habent.
      - Dissimilares, quæ nomine & Definitione à toto discrepant.
    - Non physicæ, quæ voluntate constitutæ sunt, Rerum
      - Sacrarum ac spiritualium.
      - Profanarum & ciuilium.
  - Propriè
    - Partes dictæ
      - Subiectæ Generi, seu communiori.
      - Impropriè, seu Analogicè; vt, Nullum Ens creatum est, cui non diuersæ causæ, vel diuersa adiuncta attribui possint, quæ quasi partes sunt illius entis.

Similares, Græcè ὁμοιομερεῖς, & ὁμοιομερεῖς, quidam vocant cognatas partes, quæ ex eodem quasi genere ortæ, retinent nomẽ totius, vt Lapidis partes omnes, fundi partes omnes, lapis, fundus dicuntur. L. planè 304. §. vlt. D. de legat. in l. planè 34. §. vlt. D. de legat.

Dissimilares seu ἑτερομερεῖς, & ἀνομοιομερεῖς vocãt extraneas quasi alienigenas, quæ vel ex eodem capite deductæ, vel ei cohærentes, tamen quasi alienigenæ variis nominibus appellantur, vt arboris partes nullæ nomen totius retinent, non magis quam domus aut nauis, aut corpus humanum. Vide Hottom. l. 1. Dial. Aream, quam ICti potissimam domus partem appellant, non vocatur domus.

ICti subiiciunt corporales, quæ pondere nostro & mensura fiunt: tales enim oculis cerni tangiq; possunt.

Ad non Physicas referunt νοητὰς, id est, Intellectus, quæ animo tantum cerni possunt & intelligi. Seruus communis sic omnium est, non quasi singulorum totus, sed pro partibus vtiq; indiuisis, vt intellectu magis partes habeat quã corpore. Vlpian. L. 5. D. de stip. seru. Huc igitur etiam refer partes Mathematicas. Cæterum cum à Mathematicis orbis diuiditur in partem concauam & conuexam, exemplum, hoc est, partium Analogicarum.

Quæritur, quo partes Artificioſę referendæ sint?

Resp. Si per Physicas intelligis materiales seu corporales, Artificiosæ ad Physicas sunt referendæ: Sed non Physicæ interim sunt, quatenus illarum totum intelligitur non esse naturale, id est, non natura constare, sed hominis manu, solertia & arte confectum esse, quod est Totum Artificiale, vt est nauis, currus, statua.

Quæritur, an in Diuinis rectè vsurpetur nomen Partis, cum à veteribus, tum à recentioribus nonnullis?

Resp. Non nisi κατάχρησιν. Itaque cum quærit Scotus, quomodo accipitur ratio vestigii in Diuinis, cum in diuinis non sit pars? Respondet, vt Trinitas est quasi quoddam totum numerale, saltem

ſaltem in conceptu intellectus noſtri. Perſona ibi eſt quaſi pars totius huius: ita etiam appropriatum perſonæ quatenus appropriatum, eſt ibi quaſi pars eiuſdem, quia accipitur pro illo, cui appropriatur, &c. Vide l. 1. diſt. 3. ad 2. artic.

Anatomici quidam partes corporis diuidunt in continentes & contentas. Itaque ſic loquuntur: Partes quædam continent alias partes vel ſuperfluitates, quæ dicuntur contentæ, vt venæ ſanguinem.

Continentes Græcis ſunt μέρη σωέχοντα; contentæ, σωεχόμενα.

Partes Animæ {
- Partiales, vt viſus & auditus, Tales diſtinguuntur loco & ſubiecto.
- Totales, vt vegetatiua, ſenſitiuum, motiuum, appetitiuum. Tales non ſunt ſeparabiles loco & ſubiecto, quia reperiuntur in eadem parte corporis.

Hinc ſoluitur argumentum: Viſus & auditus ſunt partes animæ, & tamẽ ſunt ſeparatæ loco & ſubiecto. Ergo partes animæ ſunt ſeparabiles ſubiecto, quod tamen negat Ariſt. l. 2. de anima. Vide Dominicum de Flandria l. 2. de anima.

Latinis Pars impropriè locum aliquem ſignificat. Sic Terent. ait: vt hæream in aliqua parte apud Thaidem, id eſt, ſim aliquo numero ſeu loco apud Thaidem.

A *Philoſophis etiam interdum populariter* accipitur. Cardano ſpiritus eſt ſeminis pars, ſemen enim eſt πνευμαλῶδες. Sed Scaliger ſentit aliter. Non, inquit, ſpiritus eſt pars corporis, quæ formatur, tametſi eſt in vna maſſa, velut coagulum in lacte. Eſt igitur in corpore ſeminis, ſicut agens in patiente (ac ſi diceret, non vt pars in Toto) non ſeparatus loco, qui ſenſu percipiatur, ſed intellectione. Ex. 6.

In Matheſi diſtinguuntur *Partes Quotæ ſeu Aliquotæ, à Quantis, ſeu Aliquantis.* Partes Quotæ ſeu Proportionales ſunt, quæ quotæ ſint, dici poſſunt, vt dimidia, tertia, quarta. Hæ intelliguntur, cum perfectus numerus definitur ſuis partibus æqualis. Dimida pars ſenarii eſt ternarius, pars tertia ſenarii eſt binarius, pars ſexta eſt vnitas. Has partes (3. 2. 1.) adde, & Totus eſt ſenarius, num. perfect. Dimidia pars de 28. eſt 14. Quarta pars eſt 7. ſeptima pars 4. decima quarta 2. viceſima octaua, vnitas. Iam adde 14. 7. 4. 2. 1. inde exiſtit ſumma 28. num. perfect. Partes ergo quotæ ſunt proportionales: Quantæ autem partes ſunt partes integrales. Seu vt dicam planius.

Aliquota Pars Math. eſt, quæ metitur ſuum totum, ita vt aliquoties repetita totum ſuum conſtituat, qualis eſt numerus 4. cum 8. 12. 16. 20. collatus.

Aliquanta eſt, quæ non metitur ſuum totum (ſed aliquoties ſumpta ipſum vel excedit, vel ab eo deficit) cuiuſmodi pars eſt numerus 4. collatus cum 6. 7. 9. 10. 18. 38.

Pars Aliquota in numeris ab Euclide dicitur Pars: Pars aliquanta ab eo dicitur partes. l. 7. Element quia numerus, verbi gratia, 4. non eſt pars huius numeri 6. ſed duæ partes tertiæ, quales ſunt duo binarii. lib. 5. Element. def. 1. cum dicit Euclides, pars eſt magnitudo magnitudinis, minor maioris, cum minor metitur maiorem; definit partem aliquotam: hæc enim (perfectè) metitur ſuum totum, non aliquando.

Itaque errat Peletarius contendens ibi partem definiri quatenus complectitur omnem partem, tam aliquantam, quam aliquotam, vt rectè iudicat Christoph. Clauius. Peletarius refutari potest (deductione ad absurdum) ex defin. secunda, quæ est: Multiplex est maior minoris, cum minor metitur maiorem. Si igitur sex diceretur septem, vt Peletarius vult, esset 7. multiplex ipsius 6. quod est absurdum. Pars enim ad multiplex refertur, & multiplex ad partem, ita vt minor quantitas mensurans maiorem dicatur pars maioris: maior verò mensurata à minori dicatur minoris multiplex.

Partes Orationis veteres Grammatici accipiunt pro Differentiis vocum seu speciebus vocum, vt, 8. sunt partes orationis, id est, octo sunt vocum differentiæ, Nomen, Verbum, &c. Hæc oratio, Bacchus bibit benè, constat tribus partibus, id est, tribus speciebus dictionum seu vocum, Nomine & Verbo & Aduerbio, vocibus cum numero, Nomine & Verbo; & voce sine numero, Aduerbio.

Alanus Monachus Germ. Iohannis Scoti Philosopho Theologi subtilis σύσχολος in parabolis, quas superiore anno edendas curauit amplissimus & elegantissimus Vir Ioh. Boosius Schmalcald. Q. partes accipit pro Grammatica Donati, cuius initium est, Partes orationis quot sunt? hoc est, pro Grammatica arte, quemcunque tandem autorem habeat:

Qui nescit partes, in vanum tendit ad artes,
Artes post partes veteres didicêre Poetæ.
Hinc adeò magnum promeruêre decus:
Partibus imbutos sapientia ducit Athenas.

id est, partibus Grammaticis, de partibus orationis, quas vocant, hoc est, de vocum seu dictionum speciebus.

Pars pro λόγῳ seu proportione, seu rata parte etiam Græcismum sapit, vt πρὸς μέρος, pro rata parte, ἑκάστῳ πρὸς μέρος διδόσαν, id est, κατὰ λόγον, pro proportione. Aristotel. in Oecon.

Pars abusiuè & valdè impropriè sumitur pro conditione necessaria, sine qua non potest esse quidditas aliqua, vt remotiores differentię ex sententia quorundam, qui negant eas esse partes quidditatis.

Partes interdum pro sectis vsurpamus.

Pars virilis Iureconsult. est pars pro numero personarum constituta singulis ex æquo.

Pars occulta numerorum est, Algebra seu Almucabala.

Ex parte alicuius.

Phrasis est Scholasticorum satis frequens, in qua pars accipitur pro Conditione vel Ratione, vel pertinentia seu attinentia (quod attinet ad hoc vel illud) vt cum dicunt, *Ex parte Rei, ex parte Dei.* Est autem meo quidem iudicio è Græcis sumpta. Sic enim dicunt, Græci, τὸ ἐπ' αὐτὸν ἥκον μέρος, quod ad eum attinet, τὸ μὲν ταύτης μέρος, quantum ad hanc pertinet, apud Demosthenem.

Exempla.

Ex parte subiecti, id est, quod ad Subiectum attinet.

Circumcisio promittebat *ex parte Dei* gratiam propter venturum Messiam: & obligabat *ex parte nostri* Ecclesiam ad obseruationem Legis, inquiunt Theologi.

Partiale.

Partiale est quod ex parte seu vna facit.

Efficiens { Totale { Simpliciter, quod sine aliis efficit: Deus creans, agens prorsus independenter.
Secundum quid seu aliquo modo, (creatura) quod totum agit sine aliis creaturis; vt Solis lumen & Voluntas hominis.
Partiale, quod non sufficit sine aliis, Deus cum facit aliquid non sine creaturæ medio.

Totale] Scholastici Theologi eodem sensu faciunt duplicem causam totalem: Præcisam vnam, sufficientem alteram: Illa Deus, cum creat; Hæc potest esse creatura.

Partiale] Partiale hic accipies non ita, vt significet vim tantum efficiendæ partis, cum hac ratione Deus nunquam esset causa huius generis, id est, Partialis (quod nihil prorsus nec secundum partem, nec secundum totum fiat aut mutetur, nisi accedat motus diuinus:) sed ita vt συνδρομὴν seu concursum, seu adiunctionem alterius in efficiendo significet, vtque vel duo, vel tria, vel plura coeuntia tota simul agant in tota, aut in omnes partes eius, quod mutuatur pro suo quodlibet portione ac velut coniunctis viribus, & nisi essent coniuncta, non secuturo effectu saltem perfecte: Puer enim duorum annorum etsi lapidem ponderis duorum aut trium librarum non possit tollere aut gestare, mouere tamen forte loco aut impellere nonnihil potest. Ac sunt omnino vt in patiente gradus quidam, ita etiam in agente.

At de modo, quo concurrit Deus cum causis secundis in agendo, grauissima quæstio est. *Alius* placer Deum concurrere, vt causam illas ita impellentem, vt habeant se pariter passiue prorsus: Hæc sententia est falsissima: *Aliis*, vt Manich. mouentem: Sed ita vt aliter moueat lapidem, aliter hominis arbitrium, quod homo sit essentia prædicta ratione; Lapis vero sensu etiam destitutus sit; quod de specialibus Dei actionibus in Iustificatione & Conuersione hominis nullum habet dubium, quas à generalibus discerni necesse est.

Aliis contra videtur in generalibus actionibus diuinis Deum aut Permissiue, aut Conseruatiue, aut initiatiue magis in faciendo, quàm effectiue; Creatas contra res magis effectiue, quam conseruatiue cõcurrere ad effectũ, hoc est, Deũ vires eorum, quæ condidit, sustẽtare potius, q̃ mouere, & condita mouere potius se, quam ipsa se sustentare. In posteriore sententia est Vit. Amerbach. l. 2. Phil. natur. p. 240. Quanquam, inquit hic, Deus omnibus rebus conditis adest. (In ipso enim viuimus & mouemur, inquit Paulus) non tamen ita, vt opinor, mouet, vt faber seriam aut securim; sed aut conseruat in sua essentia, viribus & statu, omnipotenti sua vi & occulta mirabiliq̃ue & incomprehensibili ratione ac modo, vt si quis Claudus circumgestetur ab alio, & interficiat alium puerum post alium, proprie facit cædes has, non is qui gestat, quanquam &

hic quodammodo est causa, & quidem vt faciens recte puniretur æque ac ille, qui mouet manum & infligit gladium: aut quemadmodum qui stans in turri aut alio ædificio volantes ibi per aerem auiculas capit, facit hoc quidem proprie, sed idem facit etiam quodammodo faber, qui turrim aut ædificium construxit, ideo quod sine horum operum alterutro aut simili nõ posset ibi versari homo; nisi quod Deus non recedit à rebus, vt artifices faciunt, ac propterea prius exemplum commodius est hoc posteriore. Hæc Vitus Amerbach. hac quidem in re Opinator.

Prima sententia falsa est: Duæ sequentes sunt λογικαὶ, de quibus alibi iudicium meum exposui. Multi hic sunt multæ doctrinæ, præsertim contentiosioris illius & velut theatricæ Philosophi, quos, si placet, consules.

Secundo, vt Causale interdum significat quod continet causas, seu conflatum est è causis: Sic Partiale accipitur interdum pro eo, quod è partibus collectũ est seu constitutum, vt Definitio seu Descriptio Partialis, id est, conflata è partibus. Sic Accidentalis est, quæ cõstat ex acccidentibus. Ego Definitionem è partibus collectam, quam illi vocant Partialem, libenter voco Epagogicam, præsertim si multas partes contineat sufficientes. ἐπαγωγὴ enim est enumeratio seu Inductio partium, quæ est vel perfecta, vel imperfecta.

Particularis.

Particulare interdum opponitur singulari & vniuersali, vt cum in Logica dicitur alia est Propositio Vniuersalis, alia Particularis, alia Singularis.

Interdum Particulare accipitur pro Singulari, quia Indiuiduum vna pars cænsetur.

Interdum pro se & singulari simul, vt cum dicitur in Modo Darii, assumptio est Particularis, id est, proprie particularis, vel singularis.

Particularis Philosophia est, quæ vel ad subiectum certum definitumque est adstricta accommodataue, vel in qua principia alterius scientiæ illustrantur atq; exercentur, vel quæ sensibus obiecta est.

Physica est particularis Philosophia respectu Metaphysicæ, quia illa versatur in corpore naturali: hæc vero in Ente, qua Ens. At Medicina est Particularis Philosophia naturalis, quia in Medica arte generalia Physicæ præcepta confirmantur & exercentur. Itaq; quidam rectè Medicinam ad Physicam reducunt. Vbi definit Philosophus naturalis, ibi incipit elegans Medicus. Aristot. in paru. Natural. Et Zuingerus in Theatro vitæ: Ars curandi homines ex media Philosophia principia & fontes suos petit, *quæ deinde particularibus Medicinæ præceptis illustrantur & confirmantur.* Quare Medicina nihil aliud est, *quam Particularis quædam & sensibus obiecta Physica.* Physicus enim καθόλου omnia naturalia corpora, proindeque etiam humanum contemplatur, ἐπιςήμης seu γνώσεως ἕνεκα. Medicus vero circa solum fere corpus humanum, non tantum vt sciat eius naturam (catenus proprie physicus est) sed potius vt ex physica rationem operandi & ad corpus appplicandi deducat.

Partilis.

A Barbarorum lingua hanc mutuati sunt Astrologi vocem, pro, partibus expletus, seu omnibus numeris expletus, vt partiles aspectus dicunt, cum à signo vel stella ad aliud signum vel stellam præcise tot numerantur gradus, quot constituunt, vt ad sextilem 60. ad quadratum 90. gradus requiruntur: Tot enim

enim partes singularum configurationum latera constituunt. Partiles igitur idem sunt quod partibus absoluti. Quibus opponuntur platici (οἱ ἐν πλάτει) cum signa aspiciunt se aspectus alicuius genere, sed non perfecto seu præciso numero graduum, qui ad aspectum quemlibet requiritur, sed vel deficiente, vel redundante.

PARTICEPS.

Particeps interdum idem est quod præditum, compos, vt homo est animal rationis particeps. Arist. τὰ μετέχοντα ταύτης τῆς ἀρχῆς, quæ res compotes sunt huius principii, nempe mentis.

Interdum participem fieri idem est quod vniri. Natura humana fit particeps omnipotentiæ, scilicet per vnionem.

Interdum est accipere per informationem, non tantum per vnionem. Corpus nostrum fit particeps animæ, dum anima reddit hoc animatum, viuum, sentiens: horum enim ratione inest corpori, vt forma subiecto (sed non facit corpus nostrum intelligens & volens, quia his potentiis proprie nullam partem corporis informat.) Ita Caro Christi non fit particeps λόγου. Diuinitas enim seu λόγος cum non sit humanitatis assumpta forma, sed tantum inhabitatrix, non facit humanitatem proprie Deificatam, omnipotentem, incircumscriptam. Proprie inquam: Interdum enim Patres dicunt carnem Deificatam, sed intelligunt Deitati vnitam seu Dei propriam carnem, vel carnem diuinis donis vnctam. *Itaque falsum est quod hodie nonnulli docent* λόγον communicare se & sua carni, sicut anima corpori se & sua communicat.

Particeps facta esse dicitur humana natura Christi Omnipotentiæ, & diuinæ naturæ quoad donorum accessionem. Magnus quidam vir recte sic scripsit: Quod Basilius ait; Carnem factam esse participem deitatis, ita intelligendum: Caro à Deitate realiter glorificata est, id est, donorum excellentia, proprietatibus essentialibus Dei conformata, non exæquata.

Participatio.

Participatio est portionis communicatio. Sic accipiunt Aristoteles & Zabarella. Generatio viuentis est prima participatio animæ nutritiuæ cum calore naturali. Arist. l. de vit. & morte. Generans enim exhibet aliquid de sua materia, & aliquid de sua forma, hoc est, generans communicat aliquid de sua anima nutritiua, quatenus exhibet semen vitali facultate præditum, quæ eadem erat in generante, sed simul communicatur aliquid de sua materia, quia forma non potest migrare de materia in materiam. Generatio igitur viuentis est actio, qua viuens generans exhibet portionem suæ materiæ vna cum portione animæ nutriuæ & caloris sui naturalis. Atq; hæc est Participatio. Zabarella lib. de facult. animæ. c. 11.

Participatio dicitur respectu vel Partis, vel Similitudinis seu Effecti, vel facultatis similis. Exempla hoc ostendunt.

Creaturæ participant Bonitatem Dei secundum similitudinem & mutationē, non secundum partem. Deus enim est ἀμέθεκτος.

Appetitus sensitiuus, sicut & vis locomotrix, particeps est rationis, qua nimirū aliquo modo supremæ potentiæ intelligenti nexu copulatus necessario adest & paret tanquam ὑπηρέτης, (minister) seu qua subiicit se & obedit rationi seu menti intelligenti & voluntati supremæ actionum liberarum & appetitionum dominæ, mentis decreta iussaque & imperia voluntatis exequendo. Itaq; est præditus ratione πῶς.

Quomodo potentiæ quædam animæ sint rationis participes.

Nihil est in rerum natura, quod participata Deitate sit Deus. Picus Mirand.

Axioma.

Quicquid est tale per participationem, existit ab eo, quod tale est per essentiam. Hoc igitur illo est prius & antiquius: seu, omne participans (vt creatura) & omne participatum (vt Bonitas) est posterius eo, quod est illud per essentiam seu de ἑαυτὸν (ex se ipso.) Itaque & creatura & Bonitas eius Deo posterior est. Sic Scotus, credo.

Recipe, quæso, me vel hac lege in participatum disciplinæ, vt te ego in nostræ, si qua erit, gloriolæ participatum admittam. Anima sensitiua in brutis dicitur pars potentialis animæ intellectiuæ, quia aliquid perfectionis animę intellectiuæ, scilicet vitam cognitiuam participat, sed non intellectiuam. Biel. l. 3. d. 33. q. vn.

Participatum.

Participatum est quodammodo communicatum. Opponitur ei, quod est per naturam seu essentiam suam. Esse nostrum, vita nostra est participata: Bonitas nostra est bonitas participata, id est, creata.

Thom. Aquinas in Logica sua. Licet proprium vni speciei conueniat: tamen nihil prohibet proprium vnius speciei Participatione multis aliis speciebus conuenire. Sicut proprium est igni esse cal.dum, & tamen multis aliis speciebus hoc conuenit, quatenus hoc participant ab igne.

Participatum est aduentitium ad rem præter eius essentiam, & opponitur Essentiali.

Splendor, qui eluxit in facie Christi transfigurati Matth. 17. non fuit illi essentialis (contra quam quidam volunt) sed participatus, id est, participata seu aduentitia præter ipsam essentiam qualitas; Quia is splendor & inhæsit, & non semper in facie & carne Christi fuit. Maiestas hæc realis visibilis fuit donum creatum. Nec splendor ille fuit ipsius essentialis Dei lucis pars vera carni Christi realiter communicata, sed, vt dixi, ad humanam Christi naturam aduentitia. Differt à splendore Mosis Exod. 24. quia hic ἔξωθεν, ille ἔσωθεν exstitit. Non autem specie.

Participare.

Participare est idem, quod partem capere, ita vt duplicem relationem inferat, & partis ad totum, & capientis ad captũ. Prima est realis; nec tamen sumitur ibi pars proprie pro eo, quod est aliquod rei, sed intensiue, prout omne minus dicitur pars maioris. Secunda vero relatio est rationis, cuiusmodi est inter dans & datum. Triplicitertamen pars capitur; aut pars capitur sic vt totum captum sit pars capientis, sicut species participat genus, quantum ad partes essentiales generis, non subiectiuas: aut sic, vt pars capti sit pars capientis: aut tertio modo sic, vt pars capti sit ipsum totum capiens. Primis duobus modis relatio capientis & capti possit concedi esse realis: tertio modo non. Censura igitur digna est sententia Taurelli p. 2. de rer. æternit. Participem fieri est partem capere: Et participare est partem capere. Hic Piccol. ei respondere potest ex vocis ambiguitate seu multiplici significatione, non esse ista perpetuo vera. Hinc participatiuum, vt Quæstio est, An Caro hominis & bouis sit eiusdem speciei & naturæ? Respondet Albert. M. negate eo, quod totum, quod est in hominis corpore secundum aliquid naturæ intelligentis, sit participatiuum. Eth. 9 tract. 2. c. 1.

Participare non solum Accusatiuum sibi adiungit, sed & cum Ablatiuo frequentatur à Gabr. Biel. & Iac. Schegk. vt, omnia

Omnia corpora lucem participant secundum μᾶλλον καὶ ἧττον (magis & minus) itaque vix vllum est corpus ita opacum, quin per multam tersionem & politionem fieri possit luminosum quodammodo, vt patet cum de cinere fit vitrum, & è terra carbunculus. Biel. l. 2. d. 13. quæst. vn. Nihil est, quod Deum non participet aliquo modo. Abbas Vercellensis in extract. diuinor. nomin. Dionys. Angelus dicitur animal à Platonicis, non vt participans naturam animalis, sed prout virtutes eius sunt in ipso eminēter. Albertus Magnus in expos. cœlest. Hierarch. Manus participat odorem: vnde odorata dicitur. Irrationale participans ratione est rationale per participationem. Voluntas est irrationalis per essentiam seu secundum se, rationalis per participationem (Biel. l. 3. dist. 13. q. 1.) non absolute & natura sua.

In homine est τὸ
- λογικὸν, rationale
  - Principaliter & in se ipso per essentiam, Intellectus & ratio.
  - Per participationem, quod rationi obedit, vt filius Patri.
- Ἄλογον, irrationale
  - Simpliciter, potentia θρεπτικὴ, nutrix.
  - Participans ratione, vt appetitus sensitiuus. Aristot. in Ethic.

Sic dicunt participare furto, re furtiua, re spoliata, pro quo dicunt etiam communicare in furto.

Schegk. Natura participat contrarijs: vt in voluptate iuncta quies & motus simul esse possunt: possumus enim stomacho ridere, id est, ridere cum iracundia. Cic. l. 2. ep. 17.

Omnia participant vno, probatur id per numerum, qui quodam modo opponitur vni, sicut diuisum indiuiso. Omnis enim numerus participat vno, & ita omnia tota & omnium partes. Per id igitur, quod est vnum, omnia existentia habent esse, sicut participantia per participatum. Scholast. in expos. diuinorum Nominum.

Non puto esse superuacaneum aliquid de hoc annotare. *Participo accipitur & actiue & passiue.* Significat enim & participem facere, seu communicare, & participem fieri seu partem capere. *Passiue*; Alius ab alio participat, id est, partem capit Per Fidem pretiosum Domini nostri Iesu Christi corpus in cœna participamus, id est, participes simus corporis.

Qui alteri exitium parat, eum oportet ferre sibi paratam pestem, vt participet parem. Cicer. in Tuscul. *Actiue.* Participare cùm aliquo suas laudes, Liuius; id est, communicare. Ciceroniana sunt; Equitatus nostri particeps factus est, hoc est, partem accepit, partem nactus est, vulg. participauit. Me aliqua ex parte in societatem gloriæ tuæ venire patiare.

Participare Aristoteli Topic 4. est *suscipere rationem & definitionem.* Species participat genus, id est, suscipit definitionem sui generis. Vid. loc. 5.

Participare Rationem in Peripatetica Schola est *Moueri à ratione*, vt ibi obediat, *vel operari ex imperio rationis, & ita ei*

subijci (ὑποτάττεσθαι.) Tribuitur id potentiæ sentienti, quæ quatenus operatur instinctu naturæ, ordinata & determinata est ad vnum vt natura: quatenus vero obedit & subijcit se rationis dominatui, ad diuersa tendit, nec ad vnum determiuata est, etsi in opposita non possit simpliciter & ex natura sua. Quadrat in illam versus:

Ad Dominæ nutus obsequiosa suæ.

PASSIO.

Passio accipitur. 1. Generalissime vt est genus generalissimum. 2. Generaliter pro acquisitione vel deperditione alicuius formæ, aut inceptione vel desitione alicuius rei. Sic quodlibet subiectum acquirendo formam vel perdendo acquisitam, & omne quod generatur aut corrumpitur, dicitur Pati. 3. Aliquantulum pressius pro quacunque inclinatione rei ad aliquid acquirendum vel conseruandum.

4. Ex mente Philosophi accipitur vt distinguitur contra potentiam & habitum, pro forma aliqua in potentia aptum, pro forma aliqua in potentia appetitiua nata dirigi recta ratione, & ita accipitur tripliciter.

1. Generaliter pro qualibet huiusmodi forma potentiæ appetitiuæ, siue sit actus elicitus, siue qualitas actum elicitum consequens, vt delectatio, vel iustitia, siue etiam appetitus sit sensitiuus, siue intellectiuus. 2. Strictius, pro huiusmodi forma appetitus sensitiui, & ita excluduntur partis intellectiuæ πάθη.

3. Strictissime pro solo actu elicito appetitus sensitiui, & ita excluditur qualitas sequens huiusmodi actus. Et ita videtur accipere 2. Eth. 5. cum dicit delectationem & Iustitiam sequi passiones. Quidam addunt magis vocabulum restringentes, accipi etiam pro actu elicito intenso vehementer ad actum exteriorem impellente. Hinc fit vt diuerso modo definiatur. Passio igitur.

1. Est forma seu qualitas distincta à cognitione, quæ subiectiue est in appetitiua potentia, & requirit cognitionem actualem ad suum esse. Laus & vituperium conuenit passionibus per quandam denominationem externam, nempe per moderationem virtutis (igitur laudatur non qui simpliciter, sed taliter irascitur:) non autem interne, essentialiter & ex se.

2. Est motus appetitiuæ virtutis sensitiuæ in imaginatione boni vel mali.

Est motus appetitus sensitiui in phantasia boni & mali, id est, inclinatio actualis, qua appetitus actu tendit in bonum prosequendum, aut malum fugiendum, aut in adepto bono acquiescendum.

3. Est actus elicitus appetitus sensitiui requirens præuiam cognitionem ad sui existentiam.

* Ἀλλως.

Passio 1. accipitur pro specie motus ab actione distincta. Sic verberatio passio est, id est, receptio actionis, vt pati est recipere. Sunt qui definiant receptionem formæ in patiente.

2. Pro affectione, hoc est, accidente subiecti. Sic dicuntur passiones planetarum. Hæc passio est vere, vel quasi; vt Passiones entis, id est, quasi passiones. Visibilitas est πάθος (vere) coloris. Item est Propria vel Communis.

3. Pro qualitate sensili non diu permanente orta ex perturbatione animi, vt est rubor in facie ortus ex pudore.

4. Pro morbo corporis vel animi.

Viuat in eternum, qui dat mihi dulce falernum,
Qui mihi dat villum, mala passio torqueat illum.

Passio pro receptione est
- Perfectiua, vt cum afficitur visus bene symmetro obiecto: cum Luna recipit lumen Solis.
- Corruptiuà, (Dolorifica) cum læditur aspectus forti lumine.

Vtilis igitur hæc distinctio est in explicatione quæstionis; Visio sitne Passio perfectiua, an Corruptiua? An visio sit ex eorum numero, quę dolorem faciunt?

Sic passibile est passione
- Perficiente, qua aliquid recipitur in patiente. Sic patitur qui reducitur de potentia ad actum scientiæ suscipiendo scientiam. *Saluatiuam* vocant Barbari.
- Corrumpente, per quam aliquid remouetur à patiente.

Vtilis hæc διάιρισις ad quæstionem: An corpus Beati hominis recte dicatur passibile? Respondetur Beatorum seu glorificatorum corpora dicuntur patibilia passione perfectiua, quia recipiunt qualitates perficientes, vt claritatem, lucem, agilitatem & perfectissimam ac indissolubilem humorum temperationem, ex qua proficiscitur æterna nec vnquam interrupta corporum sanitas. Quare dicuntur & Impatibilia, ἀπαθῆ, passione corruptrice, quia sunt incorruptibilia.

Passio pro accidente subiecti est propria, ἴδιον πάθος, καθ' ἑαυτὸ, συμβεβηκὸς vel communis.

Πάθος in morbis Medici vocant Symptoma, hoc est, affectionem, quæ proprie & immediate morbum insequitur.

Ex Arist. 1. Phil. 4.

πάθος significat
- Qualitatem, cuius causa res est alterabilis, vt est albedo, dulcedo.
- Qualitates, in sensu ἐνέργειαν, aut in subiecto alterationem.
- Alterationem secundum qualitates, quibus res deterius habet quam ante. Sic morbus dicitur πάθος.
- Quicquid nocet, quicquid nos cruciat. Vid. Schegk. in Prædicam. p. 475.

πάθος
- κατὰ φύσιν, vt frigus in aqua.
- παρὰ φύσιν, vt calor in aqua, quæ vt actu calida sit, tamen semper est δυνάμει seu τῇ φύσει frigida.

CANON.

Πάθος κατὰ φύσιν salua subiecti natura permutari potest πάθει (contrario) παρὰ φύσιν, vt salua οὐσίᾳ aquæ frigus. per mutabile est cum calore.

Passio
- Propria, Ab alio: Neque enim à seipsa quicquam patitur. E Scalig. l. 5. de caus. l. 1.
- Impropria, ab se ipso: seu agentis ab sese patiente. Omne enim quod mutatur, mutatur ab alio. Hic quod & quo manifeste differunt, vt ego ferueo ab igni.

Passio
- Extra prodiens.
- Intus manens, ἐμμένουσα.

Passio
- Certa species motus, opposita actioni.
- Res, quam quis patitur, vt Calamitas & dolor.
- Quodlibet accidens ita proprium accidens dicitur.

Passio
- ἴδιον πάθος.
- Certa species qualitatis sensilis, quæ ex affectu seu perturbatione interna animi existit, ita vt non diu permaneat, vt rubor in facie ortus ex pudore, pallor ortus ex metu.

Passio pro receptione cuiusque rei
- Siue per eam patiens aliquid abijciat, siue non. Sic patitur aer cum Solis luce colluſtratur. Sic Luna, cum recipit lumen Solis.
- Cum abiectione alterius, siue id, quod abijcitur, sit conueniens rei naturæ, siue repugnans; quomodo aqua patitur, cum refrigeratur aut calefit.
- Cum expulsione eius, quod naturæ patientis accommodatum erat. Hæc acceptio propria magis & germana est. Id enim proprie pati dicitur, quod à dispositione secundum naturam ad eam, quæ secundum naturam non est, perducitur. Colleg. Conimbr. in Ethic. disput. 6. Talis passio intelligitur.

Motus Appetitus sensitiui, qui affectus dicitur. Hic enim fit cum mutatione non naturali corporis, nempe quia eo distrahitur cor à motu sibi naturali, etsi inter passiones aliæ motionem afferant minus, aliæ magis à natura alienam. Græci πάθος affectum omnem sine sensu etiam intellexere, Scal. ex. 344. sect. 2.

Hinc Sympathiam dixerunt communem affectionem duabus aut pluribus rebus.

Πάθος

Πάθος (PASSIO, AFFECTIO) significat propriam rei affectionem & immutabilem, quę cum subiecto reciprocatur, vt proprium πάθος creaturæ est.

Deinde accipitur pro accidẽte mutabili, qualitate patibili, quæ intẽdi & remitti potest, pro affectu. Sic dictum; Quod eius caussa subiectum patibile & mutabile sit. Sic 6. Topic. loco 37. accipit Aristoteles.

Dolor proprium sensionis πάθος est, id est, dolor proprie inest sensioni.

Απορία est πάθος animi, intelligentis se propter paria vtrinque rationum momentis ligatum esse.

Passiones quædam sunt, quæ insunt cum mutatione & alteratione partis sensitiuæ, & non fiunt sine immutatione organi. Hæ sunt totius coniuncti, aliæ sunt passiones tantum spirituales. Eæ possunt sine omni mutatione, quę in organo sit, fieri, ac tales sunt animæ. Scotus libr. quarto distinctio. 49.

Perpessio & Passio differunt. Passio enim potest esse & grauis & leuis: sed perpessio non est leuis passio, & leuis passio non potest dici perpessio. Et sane multa patimur, quæ non perpetimur. Ridiculi igitur, qui Passionis vocabulum Romana tribu amouerunt, censore Marco Tullio Cicerone, perpessionem in locum eius succenturiauerunt (iudice Scaligero exer. 344. sectio. 2.)

PATRIA.

Patria 1. pro loco natali sumitur seu genitali solo.

2. Pro vno aliquo statu & communi, veluti naui sub vno Rege aut sub vna lege; de qua dicitur; Dulce & decorum est pro patria mori.

PATROCINARI.

Patrocinari, pro aliquo adesse, minus est, quam Applaudere, συνευδοκεῖν. Verbo enim Applaudendi συνευδοκία, id est, comprobatio magis notatur, qnam verbo patrocinandi; cum fieri possit, vt aliquis alteri patrocinetur, cuius tamen rationes infirmæ sint, vel cuius causam non approbet. Iohan. P. in Sch. cap. 1. ad Roman.

PAVSA.

Pausa est à verbo παύω. Generatim accipiendo requies est seu intermissio otiumque abs re aliqua. Græce παῦσις.

In Musica est Elementum silentii in cantu coniuncto, quem vulgo Figuralem dicunt, hoc est, qui diuersis modulationibus iucunde consonantibus plurimum inæqualiter canitur.

Sunt Pausæ maiores vel minores. Maiores sunt Breuis, Semibreuis, Longa.

Pausa Breuis est virgula ab vna linea ad alteram deducta

Semibreuis est virgula à linea ad mediũ proxime dependens

Longa est virgula ab vna ad tertiam lineam deducta 

Minores sunt Minima, Semiminima, Fusa.

Minima est virgula à linea ad medium proxime assurgens

Seminima est virgula pausæ minimæ semel inflexa 

Fusa est Pausa minimæ bis inflexa 

Pausæ in Musicis sunt & characteres silentii moram mensurantes. Suntque septem.

Quarum



rum hominis virium vel tranquillitate animi, ii norunt, qui Platonica legerunt. Et Apostolicæ Literę spiritualẽ pacem nobis intimant & cœlestem.

E Scholast. igitur descriptiones & distinctiones petimus. Augustini 19. de Ciu. Dei c. 13. descriptiuncula est: Pax est tranquillitas ordinis. Βραχυλογία hæc indiget ἐξηγήσεως. Hoc igitur nihil aliud est dictum, quam Pax est quieta & suauis concordia iustum ordinem seruans.

Primo vt commune ἀφ' ἑνὸς nomen pacis conuenit paci Bonorum: δευτέρως malorum. Nam & inter malos ordo est licet peruersus. Itaq;

1. Pax Hominis vel est ad Deum, vel ad se ipsum, vel ad proximum.

P A X.

In Philosophia Aristotelis quomodo accipiatur nomẽ pacis, notum est, nempe Politice.

Sed à Platonicis etiam accipi & intelligi de concordia ac consensione interio-

Pax Hominis { Ad se. / Ad alium, { Deum. / Proximum.

Pax hominis ad Deum est ordinata hominis ad Deum in Fide sub æterna lege obedientia. Quamdiu enim in hac vita peregrinamur à Domino, per fidem ambulamus; non per speciem.

Pax hominis ad se ipsum est ordinata cognitionis & actionis consensio, vt quod recta ratio dictat, voluntas efficaciter imperet. εἰρήνη Platonica.

Pax hominis ad proximũ est cum omni homine ordinata concordia, qua nemini nocet, & cum potest, prodest.

2. Pax est vel spiritualis ac interna, spiritus, seu pectoris, seu conscientiæ: vel externa corporis, & terrena, temporis: vel superna & cœlestis, æternitatis.

Pax temporis seu Tẽporalis requirit pacem cum proximo.

Pax interna, spiritualis seu Pectoris exigit pacem hominis secum ipsius.

Pax cœlestis ac æternitatis complectitur pacem perfectam cum Deo.

Hæc pax est cõcordissima societas fruendi Deo. Finis hominis est hæc pax in vita æterna; vel vita æterna in pace.

3. Pax mala & periculosa est pax vel cum Diabolo, vel cum carne propria, vel cum Mundo & peccatorum consortio. Vid. Gab. Bielem Spirensem lect. 81. in expos. Missæ.

Pacatæ gentes dicuntur, à quibus nullum bellum metuitur, cum quibus pax est inita. Pacatissimæ gentes, pro Domo sua Cicero; Vel quę bello carent, quæ in pace sunt, vt sic pacata natio vel ciuitas dicitur. Et pacatus homo, qui nõ est hostis. F. Syluius in comment. pro L. Manilia.

PEIERATIO.

Peieratio, Deterioratio, Melioratio barbarorum sunt pro mutatione in peius, in deterius, in melius.

In

In doctrina Crisium vtraq; est vel subita vel paulatiua. (quæ fit paulatim.)

PELLEX.

Pellicem deriuant nonnulli, secuti credo A. Gellium à Græco παλλακὶς, vel παλλακή. Hi errant. Pellex enim est à Latino Pellicio, q̃ est à per & Lacio. Et pallaca seu pallace παλλακὶς seu παλλακὴ est concubina, id est, ea quæ consuecuit seu corpus miscet cum cœlibe. Aristophan. ἕξω σε παλλακὴν, habebo te concubinam, συνοικίσω μετά σου, Ich will mit dir Haußieren. Sic Th. Beza in libr. de Repud. & Diuort. Concubinas vocabant Romani mulieres cœlibis vnius consuetudine contentas, minime id tamen coniugali affectu, quoniam nec vlla erat facultatum communicatio, neque in familiam eius transibant, idcoq; liberi ex concubina suscepti legitimi non censebantur. p. 285.

Pellex vero est, quæ consueuit cum eo, qui habet vxorem, seu quę vna cum iusta vxore habetur. Itaq; vitiose diceretur, Hæc est pellex mea, cum dicendum sit, Hæc est pellex vxoris meæ; vt & recte dicitur; Hæc est mea Pallace, Hęc est Pallace Vespasiani, id est concubina. Sic Masur. Iurec.

PENDEO.

De vsu huius verbi vide Dependeo.

Cognitio eius necessaria est', quia interdum accipitur obiectiue, interdum effectiue in Definitionibus. Non obseruatum hoc errorem parere potest. Exempli causa. Ens reale est, cuius esse non pẽdet ab operatione intellectus, cuiusmodi sunt homo, angelus, domus, calceus, id est, quod existit etiamsi non sit obiectum intellectui. Potest interim pendere effectiue ab operatione Intellectus diuini vel artificis. Ens rationis est, cuius esse pendet ab operatione intellectus, cuiusmodi sunt Prædicati, subiecti, generis, speciei notiones, id est, quod tantum existit eo, quod intellectui obiiciatur: seu quod nonalia ratione existit, quam obiectiue in intellectu. Atq; hoc est Ens rationis pendere obiectiue à ratione. Itaq; si Ens rationis est, non est Ens sensibile. Neq igitur existentiam potest habere realem, nec obiectiuam in sensu. *Coroll.*

Ens aliquod pendet obiectiue ab operatione Intellectus
- Vt nihilominus de Entibus realibus dici possit, vt Genus & similes notiones Logicæ. — Ens rationis, proprie sumptum habens fundamẽtum in Re.
- Vt de nullo Ente reali dici possit, vt Chimæra. — Ens fictum seu cõmentitium, non habens verum fundamẽtum in Re.

Pendere dicitur anima à corpore
- Vt medio Instrumento.
- Vt administrante specie.

PENETRATIVVM.

Aliquid potest dici Penetratiuum tripliciter, vel quia habet figuram acutã ad

penetrandum : vel propter materiæ paruitatem, vt sunt corpora rara: vel per aliquam virtutem actiuam , & sic subtilitas est in corpore glorioso, vt Scotus. Corpus autem subtile est, quod habet pauciores partes materiæ sub eadem vel maiori quantitate, vt ait Scotus l.4.d.49.& l.de generat. A Philosopho dicitur subtile esse, quod sit repletiuum partium. Scotus ibidem. Sunt qui sentiant corpora eatenus esse penetrabilia, quatenus virtus diuina diuidit corpus quicum est.

PER.

Per *nota causæ sociæ* vel ministræ: sicut mulier de viro , ita & vir per mulierem. 1.Cor. quę videlicet sit ortus virilis ministra, vt ait Athanasius.

Per *Nota Medii* : Hæretici quidam dixerunt Christum transisse vterum virginis tanquam per canalem. Athanas. in explic. 1. Cor. Quemadmodum corpus Christo perunitum est, sic nos illi per panem fractum copulamur , seu coniungimur. Anima videt per oculum: Ignis vrit per ferrum vt instrumentum. Oculus videt per animam, ferrum vrit per ignem , vt per Principem causam. Athanas. in 1. Corinth. super verba, Ne forte ipse reprobus fiam: Quo pacto ipsi per solam fidem assequi salutem potentes, qui tot istis peccatis deuincti.

Per te, id est, apud Te, ex tua sententia. Per Te Scholasticis nota est Discursus seu syllogismi deducētis ad absurdum. Nam conclusionem ponit falsam aduersariæ partis. *Sic & per Aduersarium.*

Exemplum hoc est apud Caietanum in cap. 2. lib. de Ente & Ess. Thomę Aquin.

Nullum vniuocatum in ratione sui Vniuoci habet aliquid plus quam reliquū vniuocatum.

Subsstantia & accidens sunt vniuocata in Ente per Te.

Ergo subsstantia nou habet aliquid plus in ratione sui vniuoci, scilicet Entis, quā Subsstantia.

Discursus bonus, Conclusio vero falsa: Ergo altera præmissarum: Non maior, quia illa habetur ex Antiprædicamentis: Ergo minor, quæ est Conclusio aduersę partis.

Per vniuocum intelligitur superius, vt Ens.

Per vniuocata, huic subiecta seu Inferiora, Subsstantia & Accidens.

A Scholasticis interdum *Per* antithetice distinguitur ab A, vt cum dicunt nos aliqua in Deo esse cognoscere per creaturas, aliqua vero à creaturis. Per creaturas in Deo cognoscimus ea, quę non sunt in creaturis, vt sunt Simplicitas & Immutabilitas. A creatura in Deo cognoscimus ea, quę insunt creaturis. Hæc autem aut sunt de essentia creaturæ, vt est Subsstantia. Ita in Deo cognoscimus esse οὐσίαν: Aut sunt perfectiones quædam accidentales essentię adiunctæ, vt sunt scientia, iustitia, & ita cognoscimus in Deo à creaturis esse sapientiam, bonitatem, iustitiam, &c. Armand. de Bello vis. Monachus.

Per *& propter* nonnunquam distinguuntur, vt διὰ cum Genitiuo, & διὰ cum Accusatiuo, fide seu per fidem, τῇ πίστει, & διὰ τῆς πίστεως iustificamur, non propter fidem, διὰ τὴν πίστιν. Per nota Medii, propter nota meriti.

PER SE.

1. Per se, καθ' αὐτὸ interdum opponitur ex accidenti seu τῷ κατὰ συμβεβηκὸς & contingenter; idemque est, quod Essentialiter seu secundum & per essentiam, se ipso: Sic homini conuenit ratio, & γελαστικὸν per se.

2. Interdum opponitur τῷ δι' ἄλλων, vel ab alio, vt cum dico : Simplex est

est per se vnum, quia statim id est quod est.

Compositum vero est vnum per alia. Scalig. ex. 307. sect. 27. Substãtia est per se, accidens est per aliud. Substantia per se ipsam dicitur ens, quia proprium habet esse, nec est in alio: Accidentia per se ipsa non dicuntur Entia, sed ordine λόγῳ καὶ σχέσει, id est, habitudine & respectu quodam ad Substantiam, à qua sustentatur. DEVS per se Ens est, non ab alio.

3. Interdum idem est, quod seorsim, & opponitur ei Cum alio, σὺν ἄλλῳ, vt: Forma nulla naturalis per se subsistit præter animam intelligentem. Materia nunquam subsistit per se, id est, separata à forma, nunquam est nuda à forma, imo cum deserit *a* formã hanc, induit aliam. Forma non generatur per se, id est, seorsim seu separatim à materia; Generatur in materia, id est, generatur ipsum compositum. Compositum vero nihil aliud est re quam materia & forma simul & naturaliter iuncta. Perer. l. 6. de Forma. c. 3. Argumenta sunt rationes singulæ per se conõderatæ, id est, solæ, extra complexionem, non complicatæ.

4. Interdum ponitur *pro Secundum se*, & opponitur ei κατ' ἄλλο.

5. Ponitur pro *Absolute vel Proprie*, & opponitur ei modo Limitate, modo Respectiue seu σχετικῶς: modo τὸ Propter aliquam circumstantiam: modo Analogice, vt Quod per se est & esse quoddam habet, intelligitur ac definitur absque respectu ad aliud, dicitur absolutum, vt Homo. Quod per se non est, eius esse totum in respectu ad aliud, consistit, & non collatum cum alio neq; intelligitur, neq; definitur, dicitur τὸ πρός τι, seu Relatum, quod ad aliud refertur, vt Dominus ad seruum.

Substantia per se ipsam dicitur Ens, quia proprium esse habet, nec est in alio: Accidentia per se ipsa non dicuntur Entia, sed ordine σχέσει & respectu ad substantiam, à qua sustentantur.

Materia (quæ subiecta est formæ) non potest intelligi & cognosci per se & secũdum se, id est, proprio & præciso cõceptu, sed per analogiam seu comparationem: Sicut enim se habet æs ad statuam, ita materia ad substantiam actu existentem. Contingentia reiiciuntur à scientiis; effatum verum est limitate seu determinate, nempe quæ pro re nata eueniunt vel sunt fortuita.

Quædam per se vitiosa sunt propter circumstantias aliquas necessaria. Ex Cicer. officiis.

6. Per se interdum idem est qua *sua vi*, vt, sponte, naturaliter, vel voluntariæ: Ipsum per se oritur, id est, à se, id est sua sponte nascitur. Per se aliquid facere, id est, à se, vt loquitur Cicero. Ei opponitur *Vi alius*, Per accidens, fortuito vel coacte, non naturaliter & παρὰ φύσιν, vt; Ignis vrit per se; Cerebrum per se sentit, id est principium sensus instrumentale.

7. Per se interdum opponitur *A se*, vt, ἄψυχα μὴ κατὰ non mouentur à se, vt à Principio interno, quia in se principium motionis non habent, vt animantia: Mouentur tamen per se, id est, sponte sua, sine ope externa.

Nota, quod Philosophi dicunt per se, Cicero dicit Genere. In offic. Tota ratio largitionum talium *genere* (id est, per se) vitiosa est.

Per se existere substantiam est Substãtiam non habere extra se causam suæ existentiæ, sed ipsam sibi existẽdi seu proprię existẽtiæ causam, vel saltẽ causam, quę existit, in sua essentia habere, non extra essentiam. Accidentia non per se existere est ea sibi non sufficere ad existendũ, neq; causas esse suæ existentię, sed extra se causã habere, qua existant. Per substantiam enim subiectam existunt.

Per se, id est, naturali compositione prædicatio est, in qua superiora prædicãtur de inferioribus, communiora de angustioribus : vel in qua prædicata sunt velut formę subiectorum, vt, Lac est album.

Per accidens prædicatio, in qua vel inferiora de superioribus, angustiora de communioribus prædicantur, vel nec id quod prædicatur est veluti forma eius quod subiicitur, nec id quod subiicitur est veluti forma eius quod prædicatur. Sed ambo vnius cuiusdam alterius, vt: Hoc album est lac : Album est dulce, Dulce est album. Neutrum siquidem est quasi forma alterius, sed ambo sunt velut formæ lactis aut saccari. Alii ita loquuntur: Album non subiicitur per se dulci, sed significat aliud quiddam tertium, quod vtrique subiicitur, vt Lac. Vid. Zab. l. 1. Post. anal. c. 18. cont. 148. Et Fonsec. in Inst. Log. l. 2. c. 1.

Per se subsistens dicitur dupliciter, Vno modo subsistentia absoluta, tanquam τό δέτι, id est, hoc aliquid seu completum in specie. Ita anima non est per se subsistens. Altero dicitur aliquid per se subsistens subsistentia incompleta, & hoc modo anima est per se subsistẽs.

Vsus huius distinctionis.

Vtilis est hęc distinctio ad solutionem argumenti. Illud quod est per se subsistens est hoc aliquid. Anima non est hoc aliquid, sed est id quo aliquid est. Ergo non est per se subsistens. Dominic. de Fland. l. 2. de anim. tract. 1.

Per se fieri id dicitur, quod secũdum essentiam incipit esse, cum prius nõ fuerit. Hoc primo conuenit composito seu Formato: Secundo formæ (non materiæ : hæc enim subiicitur alicui, quod per se fiat.) Vid. Zab. l. 1. Phys. Ar. super text. 82.

Contra per se corrumpi est secundum se desinere esse, cum prius fuerit. Hoc tribuit etiam priuationi Aristoteles.

Materia dicitur Fieri vel corrumpi per accidẽs, quia subiicitur ei, quod fit vel corrumpitur per se. Hoc autem fieri maxime improprium est.

Vsus.

Vsurpatur hæc explicatio cum quæritur: An materia καθ' ἑαυτὴν sit corruptibilis, nec ne? Responsio est negata.

Per se, & secundum quod ipsum.

Interdum per se & secũdum quod ipsum differunt ita, vt habeant se vt inferius & superius, vt angustius & cõmunius. Omne enim secundum quod ipsum conuenit τῷ per se, sed non contra, vt γελαστικὸν per se conuenit Socrati, at non primo, seu non secundũ quod ipsum. Dicitur igitur prędicatum secundum quod ipsum, quod conuenit secundum eius propriam adæquatãq; rationem, qua ab omnibus aliis differt : & est idem quod Primo conueniens.

Interdum prædicatum secundum quod ipsum accipitur pro eo, quod conuenit alicui ex aliqua causa existente in essentia subiecta, licet ea causa non sit ratio subiecto adæquata. Atque sic secũdum quod ipsum non est idẽ quod primo, sed conuertitur cum Per se. Sic prædicatum per se dicitur, quod habet causam in subiecto, licet ea non sit totalis ratio subiecti: Tale est, Hic Homo quatenus est animal sentit. Vid. l. lib. Arist. post Thomam Aq. & Simonem Simonium li. 1. Antischegk.

Per se ipsum.

Dũo significat. 1. Sine alio, vt per se ipsam non existit materia, id est, non existit sine forma. 2. Non in alio vt subiecto, vt Materia per seipsam existit, id est nõ inhæret in alio. Sic accipit Simplicius

tius cont.52.l.1.Phyſ.& Auerr.in cap. de ſubſtantia orbis. Conciliatori hæc explicatio ſeruit.

Per accidens.

Aliqua res dicitur eſſe vel facere aliquid, vel communicata eſſe per accidens bifariam: Aut Proprie, Aut καταχρηςικῶς ſeu improprie. 1. Proprie, vt quæ per aliud quidem, non autem per ſe ſuaq; natura talis aut tale quippiam agere dicatur; ſed ita tamen per aliud, vt vere proprieq; talis eſſe & operari dicatur, quia ſcilicet alienam virtutem & qualitatem ſibi vere & τῷ εἶναι, id eſt, realiter communicatam habet. Sic aqua calefacta ab igni calida quidē eſt & calefacit non per ſe & natura ſua, ſed ex accidenti & per aliud, ſed ita tamen per aliud & ex accidenti, vt vere proprieq; calida ſit ac calefaciat, nempe quia vere ac realiter ignis calorem communicatum habet. Ita vis comburendi igni per accidens attribuitur, cum dicitur comburere, quia miſtus eſt materiæ. Scal. ex. 10. Hic modus per accidens immediate opponitur Modo Per ſe, eo quo aliquid dicitur aut eſſe tale aut facere quippiam per ſe, quod tale eſt aut agit quippiam per ſuam propriam formam, vel qualitatem, vt homo per ſe præditus eſt ratione, quia hoc habet à principio interno, quod eſt anima rationalis propria hominis forma. Dicitur Homo per ſe ridere, quia hoc eſt illi proprium: Ignis per ſe calefacere, quia hoc habet à ſua forma & propria qualitate.

2. Catachreſtice & improprie aliquid eſſe vel facere quippiam vel communicatum eſſe dicitur, cum res, quę re ipſa talis non eſt, nec per ſe, καθ' ἑαυτὸ, nec per aliud κατ' ἄλλο, ſed ideo tantum talis eſſe vel tale quid agere dicitur, quia coniuncta eſt cum illo, quod per ſe & proprie tale eſt & tale quid agit; vt ſi humanum caput ideo appelles prudens, aut prudenter aliquid agere, quia illi accidit, vt coniunctionem habeat cum tali mente, cui per ſe ineſt prudentia, & quę per caput opera prudentiæ præſtat. Sic Lingua vel manus dicitur docta. Sic Caro Chriſti poteſt dici omnipotēs (improprie) & abſolute ſimpliciterq; omnipræſens, quia eſt omnipotentis & omnipræſentis caro. Caro enim Chriſti ſeipſa, in ſeipſa ſeu ſua ſubſtantia omnipotens aut omnipręſens non eſt. Apoſtolus Eccleſiam vocat Chriſtum 1. Cor. 12. non quod reuera cœtus fidelium ſit ipſe Chriſtus, ſed quia Eccleſię accidit, vt per ſpiritum Chriſti coniuncta ſit cum Chriſto. Contra Chriſtus ſe nomine eorū, quos perſequebatur Saulus, id eſt, Eccleſię intelligi voluit, cum dixit: Saule, Saule, quid me perſequeris? (Me, id eſt, Eccleſiam meam) Panis Cœnę Dominicæ vocatur corpus Chriſti, honoratur nomine corporis Chriſti propter Sacram & myſticam Relationē, quam habet ad corpus Chriſti. Itaq; non eſt corpus Chriſti in ſeſe. Nos dicimur in Chriſto ſurrexiſſe iam & ſedere in cœleſtibus, ſed καταχρηςικῶς. Non enim fideles re ipſa & proprie ipſi ſuis iam corporibus ſedent in cœleſtibus, ſed in Chriſto tantum (vt capite ſuo) ſeſſuri re ipſa ipſimet poſt reſurrectionem. Vid. l. 2. Hier. Zanch. de Natura Dei.

Vſus.

Magnum hæc diſtinctio vſum habet in doctrina de communicatione Adiunctorum & Affectionum. Ideo adiicio hanc diſtinctionem.

Communicatur aliquid alteri
- Proprie per impressionem, informationem, conformationem.
  - Per se: Ita oculus animatus præditus est vi optica.
  - Per accidens: Ita aqua ab igne calefacta est.
- Improprie, Imputate propter coniunctionem cum alio & Relationem ad aliud. Itaque per accidēs quoque. — Ita caro Christi dicitur omnipræsens, quia est Dei caro, cui per se & proprie cōuenit omnipræsentia. Persecutio Ecclesię est persecutio Christi per Imputationem. Sic patiente Iohanne Baptista patitur Deus.

Sic vere Christianus est iustus, non in se formaliter, id est, κατ' οὐσίαν aut ποιότητα (secundum essentiam aut qualitatem:) sed Imputate, in Christo nimirum.

Prædicatione Dialectica, id est, κατ' ἀλλο communicatur virtus & operatio animæ, quę colores obiectos & apprehensos discernit ac diiudicat, vt videlicet oculus dicatur colores discernere, quia nimirum oculus est animæ seu sensus communis colores, oculi ministerio apprehensos, discernentis duntaxat instrumentum. Neque enim oculus διακρίσεως colorum κοινωνὸς, id est, discretionis ac diiudicationis socius & particeps est, etsi colores ad sensum communem vt arbitrum & disceptatorem defert.

Ἐνέργημα seu Apotelesma; Tota visio seu ὄψις: eam conficiunt ἐνεργήσεις distinctæ:

Organi virtus & operatio propria: Receptio & comprehensio colorum. — *Animæ propria & essentialis operatio: Colorum apprehensorum discretio.*

Falsum, hic vim & operationem animæ & corporis animæ vniti esse vnicam, quod scriptitant hyperaspistæ nouorum dogmatum. — Phys.c.3. Anima rationalis vt in se non recipit materiæ materialitatem, ita nec ipsius quantitatis in se recipit extensionem & diuisionem, quia à materia non pendet. Materia ex se non est diuisibilis, sed habet diuisionem à quantitate. Attamen dicitur per se Diuisibilis.

Ignis Elementaris per se habet viuificum calorem generationis & conseruationis in corporibus mixtis per se causa est. Est enim mitis & tepidus, rarus, purus: At noster ignis vstionis autor per se est, vrit, consumit, colliquat, corrumpit per se vt compositum quid & cum materia patiente commistum. Ignis igitur Elementaris, qua impurus, vrit per accidens.

In Agēte per intellectum & voluntatem, quod fit secundum intentionem eius, dicitur fieri per se. Quod fit præter intentionem (παρὰ σκοπὸν) eius dicitur fieri per Accidens.

Omnes formæ materiales sunt extensæ & diuisibiles per accidens, nempe ratione subiecti in quo sunt. Perer. l. 6.

Inuentio Thesauri per accidens est, quia nec eius, qui recōdit Thesaurum, intentio fuit eum reperi à fodiēte terrā; nec eius, qui fodit terram, intētio fuit inuenire Thesaurum.

Vt op-

Vt oppoſita nube ſol dicitur obſcurari non in ſe, ſed relate, videlicet propter nubem: Ita ὁ λόγος dicitur exinanitus propter Humanam naturam. Et quemadmodum nemo recte dixerit ipſam nubem obſcurari: Ita exinanitio, de qua Paulus loquitur, tribuenda non eſt carni Chriſti, licet propter carnis aſſumptinem & ἐνσάρκωσιν ὁ λόγος dicatur exinanitus. Hoc relate, hoc propter illud; Scholæ dicunt ſæpe per accidens.

PERCVLSIO.

In Phyſicis Perculſio eſt pauor. (Percuſſio animi.) Eius latitudo eſt, id eſt, gradus ſunt ſummum faſtigium & quaſi perfectio eſt exanimatio. Sic Scal. ex. 312. Pauor eſt idem quod perculſio: Græca origine παίειν, vnde pauire. Sic percellere quoq; eſt percutere. Græca item vox vetus κέλλειν; cum animus quaſi verberatur imminẽtis mali opinione. Huius ſummum faſtigiũ eſſet *conſternatio*: quoties ex perculſione cõcidimus, & ſpe & conſilijs abiectis: niſi atrocior eſſet exanimatio. Hoc enim eſt quod ex veteri poeta recitat M. Tullius: Mihi omnem ſapiẽtiam ex animo expectorat, id eſt, vim animi adimit. Topicorum 4. dicitur ἔκπληξις. Hic quæritur an ſit hæc idem quod percuſſio? (καὶ ἄπληξις.) Reſp. Scal. Perculſionẽ proſternere animum, aut ſaltẽ vt ait Tullius, verberare: ἔκπληξιν autẽ eſſe θαυμασιότητα ὑπερβάλλουσαν, id eſt, admirabilitatem immodicam ſeu modum excedentem. Ego gradibus differre exiſtimo.

In Oratoria Perculſio ſeu καὶ ἄπληξις eſt grauis comminatio. Sic Cicero iudicibus comminatur, cum ait in ſermone populi rumorem verſari de iudiciorum corruptione, & percellit Catilinam: Iamdudum iuſſum oportuit te in carcerem duci. Huius Figuræ exempla Poetica ſunt Virg.

Adueniet iuſtum pugnæ, ne accerſite, tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque alpes immittet apertas.

Idem:

Queiscunque eſt fortuna hodie, quam quiſque ſecat ſpem,
Tros Rutilusue ſuat, nullo diſcrimine habebo.

Idem in primo:

Quos ego: &
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

Ἀποπληξία longe aliud eſt quam καὶ ἄπληξις. Cum enim propter obſtructionem cerebri meatuum totalem, repente priuantur homines motu, ſenſu, & omnibus animalibus functionibus, vt tanquam attoniti (als wenn ſie das Wetter ſchlage) concidant, dicuntur apoplectici, & affectio ipſa dicitur Apoplexia. (Celſus vocat morbum attonitum) Quæ tamen interdum non eſt adeo ſæua, vt cito hominem iugulet, ſed debilior nonnihil: Eaque ſolet deſinere in Paralyſin, ſeu reſolutionem, quæ eſt quaſi apoplexia particularis, nempe in lingua, (& tunc fiunt homines muti) in brachio, in crure, in pede, in muſculis laryngis aut veſicæ, aut alia quapiam parte, quæ ſenſu ac motu torpeat, aut in altero latere corporis vniuerſo, & tunc ἡμιπληγία dicitur.

PEREO.

Perire non tantum ſubſtantię, ſed & accidentia, nec tantum ſecundum ſubſtãtiam, ſed etiam ſecundum accidentia, vt qualitates, aliquid perire dicitur. De accidentibus exemplum eſt in verſione Marſil. Ficin. Alteratum neceſſe eſt fieri aliud, quam prius, & perite ex priori habitu, & quod non alteratur, nec fit, nec perit.

In Parmen. Platon. Non igitur neceſſaria eſt conſecutio: Cœlum dicitur perire: Ergo καὶ οὐσίαν.

PERFECTIO.

- Perfectio constitutio entis in summo integritatis & bonitatis sibi conuenientis gradu.
  - Infinita, quæ conuenit Deo. Perfectio maxime conuenit primo principio, quia est causa vniuersi. Auer. in Epit. Metaph.
  - Finita, quæ Naturæ competit,
    - Simplex, quæ vnicuique enti in suo genere ex Dei munere & naturæ capacitate conuenit,
      - Naturalis.
      - Moralis.
      - Artificialis.
    - Comparata, per quam Ens cum alio in certo genere collato vel magis vel minus perfectum dicitur.

Perfectio omnis entis, quæ modo quodam participato & limitato est in creaturis, sublimiori modo est in primo ente, quod est ipsum esse per essentiã. Alexand. de Ales in 5. Metaphys. text. 20.

Perfectiones secundariorum sunt in primo, vt exemplata in exemplari. Idem Alens.

Perfectio est substantialis, vt in essendo; vel accidentalis, vt in operando. Humana Natura à Filio Dei assumpta est ad summum esse substantiale ipsi communicabile, præterea consecuta est ex vnione & vnctione summam perfectionem accidentalem.

Perfectius perfectibile est susceptiuum maioris perfectionis, scilicet accidentalis. Vid. Biel. l 3. d 13. q. vn.

Potentia sensitiua in specie superiore est perfectior essentialiter, quam in specie inferiore, posito quod in eodem composito non sit nisi vna forma substantialis, & potentia reapse ab anima non differat: Sic enim potentia sensitiua hominis est perfectior essentialiter potentia sensitiua canis vel felis. vid. Biel. ibid.

Perfectio Accidentalis dicitur nonnunquam Essentialis certa ratione; vt cœli possessio ac Beatitudo, quæ est hæreditas æterna dicitur, hominis accidentalis perfectio est, & tamẽ vt commune bonum omnibus beatis, essentiale præmium à Scholasticis dicitur respectu glorię inęqualis (ex hypothesi.) Sic Biel: Stephanus non solum dignus fuit aurea, id est, præmio essentiali, sed etiam aureola, quia Martyr.

Perfectio habituum attenditur ex perfectione obiectorum aut actuum, ad quos inclinant, aut causarum, à quibus producuntur, aut ex intensione graduali, quæ non mutat speciem; qualitates enim intensæ & remissæ sunt eiusdem speciei.

Vsus in Doctrina Politica.

Familia Principum & pars Reipublicæ est Aristoteli. At potest familia dari maior Republica. Docuit hoc experientia, & attestatur Montecatinus.

Ergo principium & elementum mole maius est orto è principio, & pars maior toto, quod asserere est tollere axioma seu principium philosophicum.

Hic nodus soluitur distinctione perfectionis. Respond. igitur ad assumptionem. 1. potest dari familia maior Republica accidentali considerata perfectione; At perfectione essentiali

Solut.

non

non potest. 2. Potest dari familia maior Republica scilicet aliqua, non omni. Itaque familiam maiorem esse Republica est accidentale & contingens: Interdũ fit, vt familia sit maior quam Respublica.

3. Nulla familia maior est Republica, cuius pars est. Salua igitur hic quoque manet ἀρχὴ, Pars minor est toto.

Scholastici distinguunt vtiliter inter perfectionem Naturæ & Moris & Gratiæ. Vid. Biel. l. 3. d. 27. q. vn. Prima Naturalis, secunda Ethica, Tertia Diuina seu cœlestis dici potest.



Explicatio.

Naturalis seu ess.] Sic Forma perficit Materiam.

Personalis.] Sic λόγος carnem perficit secundum subsistentiam. Verbum naturam terminat, complet & perficit non secundum essentiam, sed secundum quendam essentiæ modum, quem vocamus subsistentiam.

Forma se materiæ communicat eam perficiendo, & vt Barbari loquuntur, actuando. Ad hunc modum communicationis reducitur ea, qua in mysterio Incarnationis personalitas Filij Dei Humanitati assumptæ diuinitus tributa est. Vid. Colleg. Conimb. in disput. in Ethic. Aristot. Et Perer. in Daniel. libr. 4. cuius hæc verba: Filius suam personalem subsistentiam cum natura humana à se assumpta communicare voluit: ita vt persona Verbi, quæ fuerat ex æternitate subsistens in natura diuina, ex tempore subsisteret etiam in natura humana, tanta duarum naturarum; Diuinæ & Humanæ, in vna Verbi persona coniunctione, vt idem esset verus Deus, & verus homo, vt quæ propria Dei sunt, vere tribuerentur homini, & quæ hominis sunt, licet ab ipsa Deitate sint per se remotissima, vere tamen de Deo dicerentur.

Accidentalis.] Sic actus secundus seu operationem perficit.

Ad perfectionem accidentalem pertinent versus perfecti vocum differentijs, quas vulgo vocant partes orationis, id est, in quibus nulla prorsus vel fere desideratur; vt;

Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est.

In hoc versu desunt Coniunctio tantum & Interiectio.

Væ tibi ridenti, quia mox post gaudia flebis. Homer.

Αὐτὸς ἰὼν κλισίην δὲ τὸ σὸν γέρας ὄφρ' εὖ εἰδῇς. Pertinet huc etiam sequens posterior, qui habet omnes voces Musicas:

Cur adhibes tristi numeros cantumque labori?

Seu: *Cur melicos numeros & Musica carmina discis?*

VT REleuet MIserum FAtum SOLitosque LAbores.



Fides perficitur Bonis operibus, qua cognoſcitur & declaratur vera & non ficta, viua & non mortua Fides. Vt per Spiritus præſentiam & actum Spiritus ſeu ἐνεργείας corpus non mortuum eſſe deprehenditur : ita bonis operibus prodit ſe viua fides. Vt ſine energijs ſpiritus videtur corpus mortuum; Ita ſine ἐνεργείᾳ bonorum operum fides nulla, otioſa & inanis eſſe cenſetur.

Pater cœleſtis ſe perfectum præſtat accidentaliter, improbis etiam benefaciendo, id eſt, hac beneficentia perfectum ſe eſſe declarat: Ita nos operibus vt perfectos præſtemus, Chriſtus præcipit.

Habitus eſt, propter quem Iuſtus quiſpiam dicitur per ſe: Nam etiam mali aliquid boni poſſunt facere. Opera non ſunt habitus, quia gignunt frequentata habitum, vel proficiſcuntur ab habitu. Ergo propter opera non dicimur iuſti per ſe.

Perfectio
- [a] συζαλικὴ, prima, qua res conſtituitur in ſuo eſſe.
- [b] Ενεργητικὴ, ſecunda, qua res potens eſt proxime ad ſuas perfectas operationes.
- [c] Τελικὴ, vltima, qua res coniungitur ſuo fini.

a. Res eſt perfecta ſingulariter ex vltima perfectione.

b. Sic perfectio hominis eſt eſſe ipſius ſubſtantiale: ſic vires animæ & habitus eas informantes ſunt perfectiones hominis. Iis enim exire poteſt in ἐνέργειαν perfectam.

c. Sic Speculatio eſt hominis perfectio, qua vnitur Deo.

Perfectio Scoto eſt
- Interna, abſoluta, vt hominis ſecundum ſuam ſpeciem, quæ ei naturaliter conuenit perfectio.
- Externa, reſpectiua: ſic agere pertinet ad perfectionem agentis externam, vt cœleſtium, quæ mouentur.

Cœleſtia non mouentur propter ſui perfectionem internam, id eſt, eiuſmodi, qua ipſa perficiantur, acquirendo aliquid per motum: ſed propter perfectionem præſentis ſtatus vniuerſi.

Perfectio & Integritas eſt abſoluta vel Relatiua. Abſoluta, vt quæ in eo, cui tribuitur, eſt ſubiectiue; ſic Chriſtus perfectus eſt: Relatiua, vt imputatiua; quæ exiſtit in alio. Sic renati perfecti ſunt in Chriſto.

Perfectio eſt partium, vel graduum, vel veritatis.

In entibus eſt aliqua Perfectio Prima, aliqua Secunda.

Perfectio Prima eſt, cum nihil deficit pertinens ad primum eſſe rei, ſcilicet eſſentiale, ſecunda eſt, quando nihil deficit pertinens ad eſſe ſecundum.

Hæc vel eſt ita Interna, vt non coniungat cum perfectiuo externo: vel ita eſt Interna, vt in eo perficiat, quia coniungit perfectiuo externo. Neque vero mirum eſt aliquid perfici in externo, quia attingendo externum, præſertim ſi ſit perfectius ſe, acquirit vlteriorem perfectionem. Hoc modo ignobiliora perficiuntur in nobilioribus, non eſſendo illa realiter, nec habendo illa formaliter inhærentia, ſed attingendo, & ita habendo modo ſibi poſſibili.

possibili. Scot. in quodl. lib. 4. d. 49.

Perfectio est Extensiua, vel Intensiua. Perfectionis extensiuæ exemplum est status hominis perfecti omnibus bonis reipsa couiunctis.

Exemplum vero perfectionis seu totalitatis intensiuæ est status perfectus aggregatione omnium bonorum in vno bono eminenter & vnitiue continente. Scot. l. 4. d. 49.

Perfectio { Formalis, vt habitus. / Finalis, cum propius attingit obiectum.

Perfectio est Immediata seu propria, aut est Mediata, quæ fit alio interueniente. Itaque quodammodo per accidens est. Propria, vt si anima immediate, id est, se ipsa operetur.

Illa non est perfectio alicuius propria, quæ non recipitur in eo, nisi recipiatur prius in alio realiter differente ab eo, in quo etiam reciperetur, si esset ab eo separatum, vt color non est propria perfectio substantiæ corporeæ, quia non recipitur in ea nisi interuentu superficiei, quæ realiter ab ea distinguitur, & reciperetur in ipsa si esset separata ab ipsa, & maneret: Ideo substantia est colorata per accidens. Sed visio vel intellectio Dei non recipitur in anima, nisi quia recipitur in intellectu, qui est potentia realiter, ex sententia quorundam, distincta ab anima, & reciperetur in ipso etiamsi esset separatus. Igitur anima non esset beata nisi per accidens, & intellectus per se.

Perfectio est simpliciter vel καθ' ἑτ.

Simpliciter, quæ dicit perfectionem in suo formali, hoc est, proprio conceptu, vt sapientia, bonitas. Perfectio pura.

Secundum quid: vt in aliquo (in hoc vel illo) quæ dicit in proprio conceptu perfectionem mistam imperfectioni, vt Humanitas.

Perfectio in aliquo est Formaliter vel Virtualiter.

Esse formaliter in aliquo est esse in eo vt forma est in habente eam. Sic Humanitas, color in homine sunt. Quæ ita insunt suppositum tale denominant, vt homo est coloratus, Sol est lucidus.

Perfectiones in aliquo esse Formaliter contingit dupliciter: Vno modo esse in suis naturis re ipsa distinctas & limitatas. Sic in homine est esse intelligere, & velle. Item sapientia, potentia, iustitia. Alio modo esse eas formaliter in aliquo superioris ordinis vnitas & illimitatas. Sic in Solis luce sunt Virtus Calefactiua & Exsiccatiua.

Deus non habet perfectiones omnes seu omnium generum in se ipsis, id est, distinctas à se inuicem in proprijs naturis, sicut homo (in quem cadit compositio) habet sapientiam, iustitiam, potentiam: Sed habet eas Deus indistincte seu indiuise vnitas in suo esse simplicissimo.

Esse virtualiter est esse in eo vt effectus est in sua causa effectrice. Sic calor Aristoteli est in Sole. Quæ sic insunt, non denominant Suppositum tale; vt Sol non dicitur calidus.

Perfectio vel imperfectio rei est { Secnndum esse. / Secundum Rationem propriæ speciei.

Hæc distinctio non caret vtilitate in Philosophia. Mazonius ex sententia Pla-

tonis Mensuram boni dicit esse legem naturalem.

At videtur illa mensura esse. Mens enim substantia est. At Lex Naturalis, quæ in mente est impressa, accidens est, quod non potest esse quid dignius, perfectius & nobilius substantia.

Respondetur distinctione. 1. Rei perfectio est vel ad esse solum, vel ad bene esse. Illa est perfectio informans potentiam: Hæc est, superaddita accessio (ἐπιγινομένη τελείωσις) quæ reddit rem cariorem.

Res sunt ob suam formam, atque ita substantiæ perfectio substantia dicitur. Vt bene sit substantia, non habet à substantia.

Neque enim substantia alteram complet substantiam (loquor autem, ait Mazonius, de vera substantia, quæ composita est) sed hoc habet ab accidentibus, quibus instructa perfectaque dicitur.

Accidens Ens ope substantiæ.

2. Nonnulla accidentia sunt, vt ait Cardinalis Contarenus in Metaphys. verbis prorsus lacteis, *quæ quamuis secundum esse imperfectiora sint substantia, cui inhærent, & eius quasi ope subsidiaria. inter ea, quæ sunt, numerentur: Tamen ratione propriæ speciei perfectiora sunt substantia*, qua tanquam fulcro innituntur.

Huiusmodi sunt operationes & habitus Perfectiui substantiarum, vt scientia & intelligere, vt Synteresis, quæ quia accidentia sunt, *vtique etiam imperfectius* esse habent, quam substantia, quæ per se existat. Attamen secundum rationem propriæ speciei sunt perfectiora substantia, quia sunt quædam participationes naturæ substantiæque longe superioris ac ratione nostra potioris, in qua natura accidentaria substantiæ sunt.

PERFECTVM.

Perfectum 1. quod qua tale est absolutum in sua natura, quod est actus vel actu: Seu est, cui nihil deest ad naturæ suæ complementum. Idque vel simpliciter vel in suo genere. Ita gradus sunt perfectionis. 1. Deus perfectus est. 2. Lux creata. 3. Forma ens perfectum dicitur, quia est actu Ens, τέλειον dicitur: Imperfectum igitur est quod est δυνάμει ens, vt materia.

Huius perfectionis species est αὐτάρκεια; vnde αὐτάρκης dicitur ita perfectus, vt nulla re egeat, quæ omnem indigentiam excludit.

2. Quod semel incoatum & affectum, tandem absolutum & ad finem perductum est. Sic perfecti esse cœli & Terra dicuntur. Gen. 2.

3. Sincerum, purgatum, defecatum, quod nihil habet admistum alieni, vt Aurum purum.

1. In quouis genere 1. tanto vnum quodque perfectius esse cognoscitur, quanto est sincerius & purius. 2. Quo plura & melius potest in illo genere præstare.

2. Formæ abstractæ si subsistant, perfectissimæ sunt. Quare Deus dicitur ipsa Lux, ipsa vita, ipsa sapientia.

3. Quicquid perfectum in nobis est, Deo attribuendum est, sed omnibus imperfectionibus defecatum & purgatum.

Distinctio est perfectio: Tollitur enim ἀταξία & confusio.

Diuisio & compositio imperfectionem significat. Est enim à materia. In Deum igitur non cadit diuisio.

Passiua Potentia summa est imperfectio.

Omnes perfectiones sunt in Deo, non per modum compositionis, sed per modum simplicis essentiæ ac virtutis. Et multæ variæque perfectiones in creaturis in Deo sunt vnum per vnicam vnius simplicissimæ essentiæ Dei

Dei virtutem: Multas esse pugnat cum perfectissima Dei simplicitate.

Perfectum { Infinite. / Finite.

Perfectum dicitur de omni eo, quod nobile est in suo genere. Auerr. in Epit. Met.

Perfecta cæcitas nec est substantia oculi nec accidens: Est enim mors & corruptio oculi: si accidens esset oculi, morbus esset, & ita via tantum ad corruptionem. Ergo medium est inter substantiam & accidens. In Materia priuatio & habitus seu forma, generatione & corruptione permutantur. Perfecta igitur cæcitas est accidens materiæ oculi. Scientia absolute perfecta est, quæ habetur per se, id est, non per cognitionem causæ. Scientia perfecta in genere est, quæ habetur per causam seu demonstrationem, id est, in genere eorũ, quę causã habẽt, perfectior est scientia, quę habẽt per notitiã causæ, quã quæ sine causæ cognitione.

Perfecta vel imperfecta cognitio est ex parte { Potentiæ, quæ adæquatur vel non adæquatur virtuti potentiæ, id est, in qua potentia explicat vel non explicat totam virtutem suam. / Obiecti, qua cognoscitur vel non cognoscitur obiectum quantum γνωστὸν est.

PERICVLVM.

Periculum sunt quibus placeat ductum esse è pereo. Forte aliquid eo facere dixerint istud Terentij in Hecyr. Si periculum vllum in te est, perijsse me vna haud dubium est. Et hoc sapientis, qui amat periculum, peribit in illo. Sed ex Paranomasia non ducitur certum argumentum. Quid? quod si periculum vox esset à pereo antepenultima corriperetur: At producitur. Itaque arbitror illos falli: & mihi est periculũ à verbo obsoleto Perior, vnde experior, quod est periculum facio seu periclitor.

Periculum autem 1. & proprie est exercitatio πειραστικὴ: vt exercitatio Scholastica. Ter. Fac periculum in palęstrica; in literis. Cic. de legib. 1. ex veteri scriptura: Faciunt imperite qui in isto periculo non vt à Poeta, sed vt à teste veritatem exigant. Intelligunt enim, vt recte Ios. Scal. ait, Poema suum de Mario, quod edidit periclitandi ingenij gratia: Vt exercitariones bellicæ; vt ludicrus ἀγὼν: quo de genere sunt ludicræ naumachiæ; (id est pugnæ nauales,) & pericula gymnastica, quæ dicuntur, alia.

2. Periculum est discrimen, dubium, damnum.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Periculum fortunæ facere elegans est, Sehen wollen was das Glück gibt.

Specimen alicuius dare plus est quam periculum facere alicuius: Hoc prius, illud posterius esse solet.

Tabula specialius explicans dictas significationes.

- Periculum
  - πεῖρα, experimentum. Scholast. Tentamentum.
  - Discrimen, Gefahr
    - In genere seu quodlibet: In periculo tuo est res propter culpam, vel dolum.
    - Salutis: quod & Periculum Mortis dicitur à Iurecons.
  - Damnum
    - Quodlibet.
    - Fatale, quod humana prouidentia caueri & prævideri nequit. Vocatur etiam casus fortuitus, vt Periculum regulariter à nemine præscitur (id est, casus fortuitus seu fatale damnum) sed ad rei dominum spectat, l. 5. C. de pig. act.

PERIODVS,

κόμματα, κῶλα.

1. Periodus est oratio complectens antecedens & consequens secundum naturam suam.

Periodus Grammatica est oratoria. Dispositæ seu compositæ voces aut efficiũt Incisum, aut Membrũ, aut Periodũ.

Incisa vel articuli, Græce commata sunt imperfectæ orationes, quæ tametsi interdum sententiam comprehendunt, tamen propter breuitatem cõcisę sunt, neque membra, neque periodi dicuntur, vt; ad ædes meas accessit, me foras euocauit, euocatum arripuit, arreptũ prostrauit, prostratum pedibus conculcauit, ac seminecem reliquit.

Membrum Græcis κῶλον est sententiæ comprehẽsio, incisо longior, ac pene perfecta oratio. Notatur duobus punctis, vt, sæpe in animo habui hominem illum iuuare omnibus meis opibus: sed, &c. Quod si longum est membrum, vocatur à Græcis Rhetoribus κῶλον χοινολενὲς, id est, extentum, prolixum.

Periodus, Latine Ambitus, circuitus, Cõprehensio, Conuersio etiam Ciceroni, & conuersio absoluta ex commatis & colis constituitur, & sententiam aliquam perfecte absoluit. Itaq; est continuatio commatum & membrorum ita inter se rotunde connexorum, vt plenam, sententiam referant seu exprimant.

Periodorum genera duo sunt: Vnum verum, Periodus, quæ vno spiritu efferri potest, ac summum quatuor membris absoluitur: Alterũ est quasi Periodus, Periodicum dicitur & πεῖριγραφὴ περιοδικὴ, circumscriptio periodica, quæ plura quam quatuor mẽbra continet.

Veræ Periodi quatuor sunt species, μονόκωλος, Δίκωλος, τρίκωλος, τετράκωλος.

Monocolos constat tantum vno membro. Sed tamen illud ipsum aliquo saltem modo producit, vt: Hic quoque apparet nauiter impudentis & imprudentis hominis factum. Quæ homines arant, nauigant, ædificant, virtuti omnia parent. Sallust. Hoc fieri melius, quam dici aut scribi volunt. Cic.

Δίκωλος (Bimembris) duobus membris absoluitur. Cum Cicero sit pater eloquentiæ, merito præ omnibns accuratissime legitur.

Τρίκωλος est sententia spatio trium membrorum comprehensa, vt pro Quinctio. In eiusmodi rebus opes suas experiuntur : in quibus quo plus propter virtutem nobilitatemq; possunt eo minus quantum possunt, debent ostendere.

Τετράκωλος (quadrimẽbris) quatuor est membrorum, vt; Cum ei natura nihil melius quam vocem dedisset; Pater nihil præter libertatem reliquisset; vocem in quæstum contulit : libertate vsus est, quo impunius dicax esset.

Sed trahit inuitam noua vis : aliud cupido,
Mens aliud suadet: video meliora, proboque
Deteriora sequor.

Tribus postremis speciebus accidunt *ἰσοκωλία, μυρία* seu *βραχυκωλία*, & *μακροκωλία*.

Ἰσοκωλία est parium Membrorum coniunctio (cum vnum membrum tot syllabas habet, quot habet alterum,) vt, oro te vehementer & obsecro Marce, vt auxilium feras antequam pereamus.

Μυρία seu *βραχυκωλία* dicitur, cum finis Periodi brevior est seu paucioribus syllabis constat, quam principium, vt Cicer. Quæ res in ciuitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa Gratia & Eloquentia : quarum alterum Aquili vereor, alterum metuo. Quas nuper ad me dedisti literas, eas lubens perlegi.

Sic versus *μύρος* dicitur, qui in fine habet breuem pro longa vocali, Pyrrichium pro spondæo. Iliad. 12.

Τρῶες δ' ἐρρήγνυσαν : ὅπως ἴδον ἄϊολον ὄφιν,
Ist hinden auß kurtz wie ein Mäußschwäntzelein.

Μακροκωλία est cum extremum membrum est longius priore, vt, Etiam atque etiam te rogo, ne me in tam perdito & afflicto rerum mearum statu tam leuibus de causis deseras.

Tricoli Periodi accidens est *Isoscelia*, cum duo eius membra paria sunt, & tertium quoduis est impar. vt, Quas superioribus diebus ad me dedisti literas; quęq; de rebus tuis mihi narrasti; grata fuerunt. *Ἰσοσκελία metaphoric. à figura triquetra aequicrura.*

Περιγραφὴ Periodica Compositio, artificiosa, numerum quatuor membrorum excedens, dicitur etiam *πνεῦμα*, id est, spiritus, quia multæ sententiæ in illa continuantur ita, vt in singulis fere membris liceat interspirare. Hoc genere compositionis frequenter vtimur in synonymia; vt Nemini facta est maior iniuria, nemo atrocius læsus, nemo miserius vexatus, nullius existimatio magis oppugnata. *A quibusdam περιβολή.*

Apud Terent. in 1. scen. Heautont. act. 1. Quanquam hæc inter nos &c. Periodus habet sex membra, satis prolixa.

Πνευμάτων duo genera sunt, quæ etiam ad veras periodos accommodari possunt.

Vnum Insistens & Tardum : Alterum celere, (ὠκύ.)

Tardum est cum in principio aut medio verbum ponitur, à quo omniũ mẽbrorum sententia pendet, vt, meum cosilium semper fuit & aliorum amicorum, & totius senatus, & consulis, quem nosti tui amantissimum esse: vt vrbem ad tempus relinqueres, fugeres consuetudines improborum, ab istis abesses, qui existimationem tuam perditam cupiunt.

Celere seu velox, in quo in finem vsq; reseruatur verbum illud, à quo omnis dependet sententia, vt Cic. contra Catil. Nihil te nocturnum præsidium; nihil vrbis vigiliæ; nihil hic munitissimus habendi senatum locus : nihil horum ora vultusq; mouerunt.

Productione spiritus seu periodica circumscriptione vtimur in commemo-

ratione seu ἐπιμονῇ (vt cum in vna sententia diutius hæremus) in rebus gravibus, in rebus diuersis.

- Oratio
  - Commatica.
  - Membrosa.
  - Periodica.
  - Flexuosa.
- Compositio facta
  - Incisim.
  - Membratim.
  - Periodice, vel Periodicis circumscriptionibus, qua postrema multum vtimur in Grandi Genere dicendi.

Peribole flexus seu tractus orationis longior.

Quidam distinguunt ita, vt dicant Periodum esse orationis oratoriæ circuitum: Peribolen vero Historicę & Poeticæ, vt longioris. Velcurio in 1. de Copia Erasmi pag. 103.

Periodi Διηρημέναι, id est, *diuisæ* Aristoteli sunt distinctione, vt interuallo, factæ: Αντικείμεναι vero comparatione contrariorum factæ. Inseruiunt eis Coiunctiones aduersatiuæ, nomina relatiua, & comparatiua. Coniunctiones causales, rationales, Aduerbia loci, temporis, similitudinis. Atq; hæc de Periodo Oratoria.

Secundo Periodus est Existentiæ, Durationis & Motus, vt Periodus vitæ humanæ; Periodus, id est, conuersio seu circumactus motus Solis (qui Periodicus motus dicitur.)

De Periodis Imperiorum, an aliquæ sint, & si sint, certæne an definitæ sint & perpetuæ: An vero singulis sint Politiis propriæ, cum species Politiarum plures reperiantur ac diuersæ, magna & perplexa quæstio est. Disputat eam Plato, sed tam obscure, vt quanta circumscribat politias periodo, diuinare difficile sit. Vid. Epist. Casp. Peuceri præfixam Chronico Carionis exposito & aucto à Ph. Mel. & ipso.

PERIPHERIA.

Peripheria (περιφέρεια) 1. capitur generaliter, vt etiam rotę conueniat tãquam curuatura eius. Est igitur linea circumcurrens seu circumducta.

2. Specialiter Geometris est circumferentia seu linea ambitus circuli, id est, linea circularis, hoc est, quę planiciem circuli vndiquaq; ambit & includit.

3. Aristoteli est orbis duabus inclusus superficiebus, conuexa & caua, seu exteriore & interiore, quarum vtraq; abvno eodemq; medio respectu sui abest paribus vndiquaq; interuallis. In Astr. l. 1. c. 6. Frischl.

PERMITTERE.

- Permittere
  - E duobus bonis minus quasi inuitum concedere, cum malis maius bonum fieri.
  - E duobus malis vnum tolerare, siue impune cõcedere, quo plura & grauiora euitentur.
  - Non Impedire, cum possis, malum. Sic Deus permittit seu sinit mala fieri.

Ad-

Addunt nonnulli quartum modum, qui improprius est, vt permittere dicatur, qui quod per se bonum est plane voluntarie concedit. 1. Cor. 6. v. 7. Hebr. 6. v. 3.

Tertio modo dicitur Deus etiam petmittere malũ culpę, quæ permissio est voluntaria & absque obligatione inhibendi.

Quarto modo permissio in Deo est ἐνεργητική.

Permissio est { Iusta, vt cum fit ob pœnam.
Iniusta, vt cum quis permittit aliquid, quod debet ab eo inhiberi.

Permissio { Ab impotentia. ἐξ ἀδυναμίας. Hęc non cadit in Deum.
Voluntaria.

PERPETVVM.

Perpetuum { Materialiter.
Formaliter.

Consensus qui facit matrimonium, non est petpetuus materialiter, id est, quod attinet ad substantiam actus, quia actus ille cessat, & potest contrarius succedere: At est perpetuus Formaliter, quia est de durationę perpetua & continua vinculi. Cõsensus enim ad tempus in aliquam non facit matrimonium.

Perpetuari.

Perpetuari aliquid ab aliquo, potest intelligi duobus modis: Vno, secundum idem sui, vt quod remaneat secundum eandem formam in numero: Altero non secundum idem sui, sed secũdum aliam & aliam sui partem.

Huius distinctionis est vsus in quæstione: An corruptibile ex sua natura possit perpetuari ab externo? Hic respondetur à Ioh. de Iand. Corruptibile primo modo non perpetuari ab alio: sed quod est corruptibile, secundo modo posse perpetuari ab alio. Vid. Iohan. de Iandun. in quęst. l. 1. de Cœl. & Mund. q. 35. Sed simplex responsio est: & plana: Corruptibile per se potest perpetuari ab alio, nempe à DEO.

PERSONA.

Persona est qualitas hominis ex statu, id est, conditione. Scal. in epist. seu posita in morib. & fortuna, vt idem l. 1. Poet. cap. 13. Ducta est personæ appellatio à Scena in forum aliumq; vsum loquẽdi: Ibi quod agerẽt alio atq; alio amicti vestitu repræsentabant, vt vel statum Regum, vel priuatorum fortunã subiicerent oculis spectatorum. Quare παρὰ τοῦ περιζώσθαι περιζώνη, vnde Persona, non à Personando, vt ait Gellius. Persona diuina est natura diuinæ Characteristica proprietate deuincta. Gerlach. cont. Busæ. In Comœdiis & Tragœdiis Persona est res animata ficta in scena veræ imitatrix.

Primo igitur Persona aut est vera, aut est ficta. Vera descripta est: Ficta vt Dramatica seu Scenica.

2. Persona aut est vere, vel quasi. Vere est Substantia, vt Diuina, vel Humana. Ita accipitur cum dicitur aliquis

alicuius esse author ἀυτοπροσώπως, non per alium. Quasi est, quod personæ inirent rationem, vt ranæ, nubes, aues, vespæ, iis enim sermones, disputationes, consilia in Dramatibus sunt attributa. Sic quasi personę sunt idola seu formę defunctorum pro ipsis corporibus introductæ.

De Personæ origine dubitatur. Gellius dictam putat à personando: recte hoc improbat Scal. quia sono primam habet breuem: verisimilior est notatio περὶ σῶμα, quia persona dictus est habitus is fictus, qui verum imitaretur, id est, persona ex eo dicitur, quod corporis pars tegitur larua, quæ Græcis est προσωπεῖον & προσωπὶς, id est, personata facies.

Persona à Poetis describitur aut qua substantia est, aut quatenus afficitur accidentibus. Substantia aut tota designatur, exempli gratia, cum in bello quis occiditur, neque enim aut anima aut corpus deletur morte, sed Mezentius; aut partis cum animæ habitus describitur, aut corporis πάθος. Accidentia dico, quæ constituta sunt in quantitate, qualitate, situ, ac dispositione partium & habitu. Vid Scalig. Poet. l. 3. c. 1.

Personalitas.

Personalitas est Naturæ modus Substantialis. Natura singularis non est in personalitate, sed natura & personalitas sunt in toto composito, vt partes hoc constituentes.

Personari.

Personari non dicitur μονοτρόπως.

1. *Enim significat fieri personam.* Ita Personare est dare alicui esse Personale, seu vt sit persona: *idq; vel causaliter vel formaliter*: Causaliter, vt dat causa efficiens: Formaliter, vt forma.
2. *Significat dependentiam Personalem* ab aliqua persona, *terminari* seu sustentificari à persona seu assumi ad vnitatem suppositi. Item Personare est personam aliquam huiusmodi dependentiam alicuius naturæ terminare. Gabr. Biel. l. 3. dist. 1. quæst. 1.

Personari { Extrinsecus (non formaliter) per aliquid externum.
Intrinsecus (formaliter) { Seipso, vt Persona creata.
Per aliud, cum quo idem est, vt Persona diuina per proprietatem relatiuam, quæ eadem est personę diuinæ realiter (non formaliter.)

Intrinsecus] id est, esse personam.
Extrinsecus] Id est vniri personæ, assumi à persona, eiq; peculiariter, ὑποστατικῶς (subsistentialiter) vniri.

Incarnatio est humanæ naturæ sustentificatio à persona externa naturæ alterius. Biel. l. 3. d. 1. quæst. 1.

Personaliter alicui personæ vniri est ipsum fieri vnum cum persona.

PERSPICVVM.

- Perſpicuum ſeu Diaphanum.
  - Indefinitum ſeu indeterminatum (Medium viſus) Tranſparens, quod aſpectus peruadit, in cuius extremitate viſus non ſubſiſtit,
    - Proprio lumine collucens (Ignis in ſua ſphæra) Hoc ſemper illuſtratum eſt actu.
    - Alieno ſeu externo lumine ſplendens. (Aer & aqua) Hoc interdum actu, interdum potentia tantum illuſtratum eſt. Ac definitum eſt ab Ariſt. perſpicuum ſeu diaphanum eſt id, quod non per ſe, ſed alieno lumine viſibile eſt, vt aqua, aer, cryſtallus, vitrum.
  - Terminatum corpus, in quo viſus figi poteſt, corpus lumine participans, nec tamen translucidum ob admixtam denſitatē. Hoc non eſt medium viſus: Aſtra, vt Luna & res omnes imbutæ coloribus.

Illuſtratum] Luce fulgens, lumine affectum, lumine imbutum.

Sic Scotus ſuſceptiuū coloris eſt dēſum, quia color nō eſt niſi in perſpicuo terminato: & partes perſpicuæ non ſunt receptiuæ lucis, ſed luminis. l. 4. d. 49.

De verbis PERSTRINGO & PRÆSTRINGO.

Queſitum eſt, dicēdumne ſit perſtringere aciem animi, oculos mentis, an præſtringere: an denique preſtinguere.

Reſp. Preſtinguere hic improbo; Reliqua probo: Inuenio enim apud Ciceronem vtrumq; perſtringere & præſtringere oculos, aciem, animi, mētis, ingenii, eadem ſignificatione & notione.

Porro perſtringere 1. accipitur pro tranſire vel attingere, **berühren**/ & addunturei Aduerbia ſtrictim, breuiter, leuiter, celeriter, per-quam-breuiter, tantummodo, vel vſurpatur ſine his aduerbiis: vt, hunc locum breuiter perſtrinxi: Perſtringi horrore, **ein ſchauer fülen**. Liuius. Terram aratro perſtringere, **durchpflügen** Cic. pro L. agrar.

2. Significat leuiter occulteve reprehendere, pungere, **auff den Fittich ſtechen**. Significatio vicina priori, vt Cic. vocis libertate vel aſperioribus verbis aliquē perſtringere, **Einen mit ſträfflichē worten angreiffen**. Huic etiam interdū additur qualitatis aduerbium, vt, Cōſulatus meus eum leuiter perſtrinxit, id eſt, ſine vlla contumelia.

3. Occæcare (*blenden*) hebetare, luminib. officere, fallere, preſtringere. Huic metaphoræ interdum præmittitur προδεπεία, vt, voluptas rationi inimica mentis, vt ita dicam, perſtringit oculos, id eſt mentis quaſi luminibus officit. Cic. Nonnunquam additur Ablatiuus cauſæ, vt, ſplendore falſi honoris obiecto aciē boni ingenii perſtringere. Chriſtus in monte Tabor aciem oculorum Apoſtolorum maieſtate ac ſplendore corporis ſui perſtringebat: vel, ſplendor corporis Chriſti oculos Apoſtolorum perſtringebat.

PERSVASIO.

Perſuaſio Scholaſticis eſt animi adhæſio ad orationem. Scaligero (re redeunte eodem ſeu ſententia eadem) eſt animi coniunctio cum oratione: addit Scal.

formam persuasionis esse veritatem, siue ea certa sit, siue ambigua, quod verum sit an non, ego hic in medio relinquo. Vid. Poet. l. 1. c. 1. Sicut & de hoc disputari potest, quod ait ibidem: Persuasionem finem esse omnis orationis, Philosophicæ, ciuilis, Theatralis.

Persuasio est ascensus per rationē factus. Simplic. 3. de anima. Est inquisitio quædam intellectionis ipsarum rerum & vt verarum receptio. Idem. Est opinio, quam animus præ aliis amplectitur.

Hæc specialis acceptio est. Fit ex rebus seu argumentis, verborum ornamentis, & moribus dicentis.

Persuasionis duę species; Vna, quæ fidem facit absq; scientia; Altera quæ ex scientia. Plat. in Gorg. Itaq; non est generatim verum persuadere est opinari facere, apud Plat. in Theæt.

PERSVADEO, πείθω.

Persuadere est fidem facere modo firmā, modo infirmam; vel est opinionē inducere. Daniel. Barb.

Persuadeo autem te non dicitur, sed persuadeo tibi. Græcissimi igitur sunt, Neque me persuadebis οὐδέ με πείσεις: Latini neq; mihi persuadebis. Plat. in Epist. πείθω σε τόδε: persuadeo te hoc; Latini, persuadeo tibi hoc. Ἀλλ' ὑμᾶς τοῦτο οὐ πείθω. sed id vobis non persuadeo. Plat. in Apolog.

Πείθει τῳ σε τοῦτο παῦλος, huius tibi fidem faciat Paulus Thucyd. Latina sunt: Mihi hoc persuasum est, Mihi hæc persuadētur, verbis persuasus sum. Hoc sum persuasus, Græcissimum sapiunt, quem imitari Latinos fas est. Ci. Animus Auditoris persuasus videtur. Et ab iis, qui ante dixerunt, iam quiddam auditori persuasum videtur. Apud eundem est in Tusc. q. Malum persuasum.

Persuasibile.

Persuasibile tripliciter dicitur. Io. Franc. Pic. Mirand. l. 3. exa. van. Doct. gēt. um.

1. Quod manifeste verū est. & veri phantasiam efficiēs trahit ad assentiendum.
2. Quod falsum est: & veri Phantasiam efficiens inducit ad assensum.
3. Quod inter verum & falsum est interiectum, & medium ac commune esse vtriq; videtur.

P E S.

Pes proprie est qui vestigium ponit in solo. Ita intelligitur Scal. ex. 242. Pes non dicitur qui nūquam in solo vestigium ponit. Tota igitur cruris pars, quæ statim sub poplite est ad imum vsq; digitum, pes non recte dicitur, contra Vesalium.

PETITIO

Principii.

Petitio Principii inter Defectus seu Impotentias syllogismi est Aristo. in Organo.

Generatim autem loquēdo petere principium est nō probare illud quod erat probandum. Hoc fit variis modis.

1. Cum idem per se ipsum probatur.
2. Cum ex ignotioribus nota, vel saltem ex æque ignotis ignota probamus.
3. Quando per posteriora probantur ea quę sunt priora.
4. Cum quod demonstrari non potest, putatur posse demonstrari.

Obseruatio.

Petitio principii non semper facit malā consecutionem, sed potius malam infirmamue probationem. Itaq; nō tam Illatiui syllogismi defectus est, quam probatiui, qui cum petat principium, non probat institutum. Neq; vero dicitur petere principium, quia semper reuertitur ad initiū, sed quia tam male probat institutum, vt magis videatur illud petere & postulare, quam probare.

Illa probatio sola est in assueratione, inquit Quintilianus eleganter: Logicus dicit, petitio principii est, petit principium.

PETRIFICATIO.

Petrificatio est violenta mutatio totius misti in petram magna vi frigoris facta. In subterraneis vidi, inquit Zabarella, multa mista, vt Paleas & cibaria in Petram mutata à magna vi frigoris omnem calorem extinguentis, omnemq; humiditatem consumentis.

- Dissolutione Totius in omnia Elementa, Putrefactio: Naturalis interitus.
- Mixtum qua mixtum interit
  - Mutatione totius in vnum elementum
    - Calidum, ignem, excepta parte aliqua Terræ. — Combustio. — Violenti & accidentales interitus.
    - Frigidum. — Petrificatio

Parte aliqua Terræ.] quæ propter magnam resistendi vim post combustionem reliqua est, licet affecta calore, id quod cinis ostendit.

Putref. Naturalis interitus.] Vnumquodque enim naturaliter dissoluitur in illa, ex quorum compositione existit & genitum est.

PHILOSOPHIA.

Philosophia 1. accipitur pro studio sapientiæ vel actu Philosophandi à Platonicis.

Sic Philos. Alcinous in institutione ad doctrinam Platonis. Philosophia est vehemens sapientiæ appetitio vel solutio (λύσις) atque auulsio (περιαγωγὴ) animi à corpere, cum ad intelligibilia & ad ea, quæ vere sunt conuertimur (περιαγωγὴ enim hic non significat circumactionem, sed auersionem, vel auulsionem, sicut περιάγειν Græcis etiam est in contrarium agere vel deterquere, quod cum vi difficultateq; est coniunctum. Vid. Comm. Bud. in Græc. Ling. & defension. Carpent. in 1. cap. Eisagog. Alcinoi.) Id est, Philosophia est animi à corpore auersio, & ad intelligibilia conuersio; Quæ & mors Philosophica dicitur, & vera Philosophi vita est.

Separatio hæc Philosophica animi à corpore (in quo is est vt in ergastulo) duplex est: Vna à perturbationibus, quę fit per purgationem Ethicam, id est, eam, quam virtutes morum offerunt.

Altera à sensibus & falsis rerũ imaginibus ad incorporea, quę sola vere sunt (non enim sunt res fluẽtes, sed eorũ semper omnino eadem est essentia) quę fit per cõtemplationẽ mẽtis propriã cum pura voluptate cõiunctam. Platonicum hoc est effatum, verus Philosophus corporis oblectamenta despicit seu floccipendit, dum ad ea ingens discendi gaudium, quo ipse fruitur in inuestiganda veritate comparat. Et: Philosophus extra corpus potius viuet, quã in corpore: Deoq; ipsi potius quam sibi viuet. Lib. de Rep. & in Phœdro & in Phædone. Et Animus tunc ratiocinatur oprime, quando nihil horum eum perturbat, neq; auditus, neq; visus, neque dolor, neque voluptas: sed quam maxime seipsum in se recipiens deserit corpus, nec quicquam quoad fieri potest cum illo cõmunicans neq; attingẽs ipsum, quod vere est, affectat.

Philosophia Adepta Petro Seuerino in Idea Medicinæ Philosophicæ est Philoso-

phia perfectior & operatrix, cuiusmodi ei est Chymica. Suspicor hanc appellationem seu denominationem accepisse eum à Scholasticorum Philos. (quem celebrant) *Intellectu Adepto*, de quo Scal. exer. 307. s. 19. Materialem intellectum, vbi sese coniunxerit cum agente intellectum agentem dicunt, eumq; tum fieri actu omnia intelligentem, æternum atq; incorruptibilem: Adeptum præterea vocant, quia nullius præterea commeatus indigeat ad beatitudinem.

Philosophia igitur adepta expleta est, ad quam præparatio est θεωρία quædam vel etiam minus exacta rerum consideratio, quę perficitur per adeptiorem perfectioris & experientiam.

Ἄλλως.

Philosophia accipitur

1. Pro ἐγκυκλοπαιδείᾳ vt organicæ, etiam δυνάμεις seu artes seu habitus conceptuum ea contineantur. Hoc Stoicum est.
2. Pro disciplinis & habitibus rerum, vt excludantur instrumenta. Hoc Peripateticum.
3. Pro Ethica & Politica, seu doctrina vitæ bene honesteq; instituendæ, id est, ratione, qua & singuli homines tum seipsos, tum familias gubernare debeant, & Resp. recte administretur. (Ita Iurisprudentia vera Philosophia dicitur.)
4. Per excellentiam pro prima Philosophia.

Sunt & qui Theologiæ studium Philosophiam diuinam vocent eo quod verissimę sit sapientię, & humana sapientia omnis cognitione Dei pietateq; religiosa destituta laruata sit stultitia.

Philosophia est Vniuersalis vel Particularis, vnde Philosophus aliquis vel ὅλως vel κατὰ μέρος dicitur.

Vniuersalis est, quę vno quasi fasce omnes Theoricos & Practicos habitus complectitur. Homo enim ad Ideæ suæ perfectionem τόσε ἀυτοῦ μέρος seu quantum fas est aspirans, cognitione veri & Actione Boni in vniuersum studia sua metitur & circumscribit omnia.

Particularis vero quę τὰ ἐπὶ μέρους seu singulos habitus continet, vt Naturalis, Mathematica.

Dubii, an Theoria dici possit habitus Philosophicos omnes suo amhitu complecti, solutionem vide in voce Theoricus.

Philosophia particularis est Theorica, vel Practica.

Theoricæ differentiæ è materiæ subiectiuæ diuersitate petuntur. Explicatilla de Entibus *vel non separatis à sensili materia*, vt Physiologia: *vel separatis ab illa*: idq; aut Actu seu reipsa: Hæc Philosophorum Theologia est περὶ δυνάμεων νοερῶν: aut sola intelligentia per abstractionem quandam φαντασικὴν seu λογικὴν: Hęc Mathematica est ἐπιστήμη, κατ' ἐξοχὴν ita dicta ἀπὸ τοῦ μανθάνειν, quasi subtilissimum hoc doctrinæ genus sit. Ea propterà Proclo διανοητὴ statuitur l. 1. Element. cum quidē contra Physicam faciat δοξαστὴν.

Practica Philosophia est Philosophia Morum: quo refero νομοθετικὴν & Iurisprudentiam.

Philosophari generaliter est Philosophum agere vel Philosophiæ vacare. Specialiter est vel *Disputare aut commentari*, vt φιλοσοφητέον, Disputandum est: vel quod Scholastici dicunt, *Determinare, id est, cōstituere*, Barbari Dogmatizare, Græce δογματίζειν, vel *Demonstrare*, veraſq; ac proprias rerum causas inquirere seu indagare, vel perfecte quippiam definire.

Philosophema accipitur

1. γενικῶς pro quolibet Aporemate, seu Diaporemate, seu scemmate, seu

ζητή-

ζητήμαλι philoſophico. Vid. Ariſt. 2. de cœl. de ſitu Terræ.

2. Appropriatur Analyticis λόγοις & demonſtrationibus, vt cum dicitur aliquis afferre Pſeudographema vel epicherema pro Philoſophemate, id eſt, pro ratiocinatione neceſſaria. Ariſtot. 8. Topic.

Antiquæ Philoſophiæ duo ſunt genera: *Alterum Italicum*, dictum quod in Italia, quæ tunc magna Græcia dicebatur, potiſſimum philoſopharentur: hoc fluxit à Pythagora Samio, qui in Ægypto, Iudæa, Babylonia, Creta, Lacedæmone Sacra, Phyſica, Mathematica, Ethica, didicit. Archytas fuit eius diſciplinæ Sectator, vt & Epicharmus.

Ordo horum hic: Pherecides, Pythagoras, Telauges F. Xenophanes, Parmenides, Zeno, Eleates, Leucippus, Democritus, Nauſiphanes, Naucides, Epicurus, à quo ſecta Epicurea.

Alterum Ionicum, quia Miletus Ioniæ vrbs eſt clariſſima: fluxit autem ab Aximandro Mileſio. Ordo ſucceſſionis hic eſt: Thales, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Socrates: ex cuius Schola tanquam ex equo Troiano Philoſophorum ſectæ prodierunt clariſſimæ. Inter diſcipulos enim Socratis præcipui fuerunt Plato & Antiſthenes. Plato Academiæ veteris inuentor; huius diſcipuli Speuſippus & Ariſtoteles. Speuſippus Academiam coluit: Ordo hic eſt ſucceſſionis: Speuſippus, Xenocrates, Polemõ, Crãtor, Crates, Archeſilaus, Lacydes, Carneades, Clitomachus, Bryſo, Pyrrhon. Ariſtoteles relicta Academia in Lyceo Peripatum inſtituit: huic Theophraſtus ſeu Euphraſtus in Schola peripatetica ſucceſſit.

Antiſthenes Cynicæ ſectæ princeps (quod ad Ethicam attinet.) Succeſſio huius Scholæ talis: Antiſthenes, Diogenes Cynicus, Crates Thebanus, Zeno Cittiæus, Stoicæ ſectæ Ethicę repertor: Cleanthes, Chryſippus.

Philoſophia igitur ex adiuncto tempore vetus eſt, vel noua. Vetus eſt, quæ vſque ad Socratem durauit; hæc fuit Ionica vel Italica. Noua eſt, quæ à Socrate cœpit. Ea in varias deducta eſt ſectas. Vnde Socrates omnium ſectarum pater dicitur.

1. *Philoſophica Inſtitutio tractatioque*
   - ἐξεταστικὴ & argumentoſa, quæ inquirit διότι, vt qua in re beatitudo poſita ſit.
   - Exegetica, quæ pro confeſſo ſumit omnia, & nuda expoſitione præcepta docet: Ad rudes adoleſcentes docendos comparata.
   - Miſta, quæ vtramque rationem coniungit.

2. Eſt Synoptica, vel Diexodica. Illa tantum habet ἔρσα, nulla πάρερσα: Hæc apparet in commentariis partim Elencticis, partim Didaſcalicis.

PHOENIX.

Phœnix 1. eſt arbor, palma.

2. Eſt herba, lolium murium, Mäuſekorn.

3. Phœnix eſt auis Arabica ſolitaria, quam deſcribit Plin. libr. 11. cap. 2. De hac Ouid. *Et viuax Phœnix vnica ſemper auis.*

4. Per Translat. ponitur pro viro ſingulari, incomparabili, extra omnem in-

genij aleam posito, vt loquitur Cicero, id est, superante omnia ingenia.

Quæritur hic, An Phœnix sit generis vtriusque? Sunt qui existiminent phœnix pro aue esse & masculini & fœmini generis (vt ouis. Scal.) ex eo quod aliquando legitur, vna phœnix, sed si hoc aliquid probaret, esset quod, Am, generis neutrius & fœminini simul, quia legitur in Am correptam. Dicendum igitur est dici vnam phœnicem per ὑπόνοιαν seu ellipsin. Christus vere pellicanus noster est rigans suo sanguine, & phœnix vna (auis) in mundo, quę proprio incēdio cōsumitur, nec à morte absorbetur, sed eam absorbet. Vna etiam & vnus omitti possunt; vt princeps Mauritius vir nostri seculi phœnix (pro quo etiam dicitur Incomparabilis, vt iam dixi.)

PIETATIS
Notio.

Grauissimum & sanctissimum nomen Pietatis est.

Pietas autem non tantum conuenit *in Deum, patriam & parentes*, quorum caritas proxime accedit ad Deum, sed etiam *erga omnes propinquos* seu sanguine coniunctos, imo etiam *erga omnes optime meritos*, quos vt propinquos diligere & colere parentum loco æquum. Cicero igitur pro Quinct. Qui affinem prodit, impius sit necesse est: Præmittitur ratio, quia propinquitas pietate colitur. Et in epist. fam. ep. 9. ad Lentul. Periucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi te perspicere meam in te pietatem (id est, gratam voluntatem.) Et: sunt testes tuorum erga me meritorum, meæque in te Pietatis. Vid. Ald. Manut.

PLENVM.

Plenum *in Grammaticis* opponitur Defectiuo.

In Physicis Vacuo seu Inani.

In Oratoria plena verba sunt, quæ plus soni reddunt.

In Poetica Scaliger l. 4. cap. 46. plenitudinem (cui vacuitatem opponit) dicit, cum vel verborum tractus sunt longiores, vt Tempestatum, lamentabile, centumgeminus, vel verba carpuntur à verbis, vt ipsis partibus pes fiat, cuius modi est versus 12. Æneid.

Extulerat lucem referens opera atque labores.

Arabes componunt suum annum ex 354. diebus, 12. mensibus lunaribus, quos vocamus Synodicos, quorum sex continent dies tricenos, reliqui sex vndetricenos. Hos vocabant Menses cauos, illos autem plenos. Paul. Eberus in Calendar.

Michael Toxites Plenum à referto & vbere sic distinguit, vt plenum sit, in quo sit aliquod interuallum: Refertum vero quod ita coactum est, vt nullum in eo spatium reliquum sit. Vber copiosum est.

Plenus Orator est qui de omnibus rebus potest varie & copiose dicere, id est, perfectus. Cic.

Plena argumentatio, id est, perfecta, cui nihil deest, interdum opponitur Enthymematicæ: interdum dicitur ea, quæ probationibus & amplificationibus abundat.

A Platonicis Plenitudo καὶ ἐξοχὴν ἡ ὑπεροχὴν diuinis attribuitur. Sic Marsil. Fici. Plenitudo proprie diuinis rebus & supernis conuenit. Neque enim corpus proprie plenum dixeris, quod cum sit *sui impatiens effluendo alieni appetens est hauriendo*. In Somn. Scip. lib. 1.

Exuberantia plus potest quam plenitudo Iac. Mazon. Prima mens (creata) etiamsi non habeat omnis bonitatis exuberantiam, quæ in vno (Deo) reperitur: habet tamen omnem bonitatis plenitudinem, quæ ipsi est consenta-

nea

nea: proindeque longe à malo seiuncta est.

POENITET.

1. Pœnitere ea dicimur, cum quæ fecimus nobis displicere incipiunt & molesta esse.
2. Mutare consilium ei cognatum quidem est, sed aliud tamen; Aliquando aliquis mutat consilium, vel de sua sententia discedit ita, vt non pœniteat eum prioris, proprie loqnendo.
3. Pœnitere est parum videri alicui. Cic. 1. off: Quoad te quantum proficias non pœnitebit.

Pœnitentia Augustino est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse.

Tò Pœnitet interdum neque Genitiuus, neque infinitum verbum sequitur, sed Quod cũ finito: vt Pœnitet me quod te offenderim, quod hoc narrauerim; & pœnitet me huius natrationis, vt quæ propius fabulam (id est, similior fabulæ) alicui esse videatur: &, pœnitet pudetque me hoc narrauisse.

POLITICA.

Politica, πολιτικὴ scilicet ἐπιστήμη ἢ ἀρόνησις 1. accipitur pro doctrina de Repub. seu scientia ciuili, quæ est legum, iuris, & actionum ciuilium moderatrix, ita vt ab ea sit separata & Ethica & Oeconomica. 2. vt complectatur Oeconomicam etiam.

3. Pro tota disciplina Practica, qua Ethica etiam comprehensa est. Sic accipit 3. lib. 1. Eth. Arist. vbi sic paraphrastes: De hac vero Politica seu ciuili scientia, quę de morib. est &c. Et paulo post: Est autem politices materia humana Societas vel vita communis res caduca, fluxaque & instabilis, atque hoc modo doctrina Politica, quæ & Moralis est, de rebus agit vsitatis illis quidem, sed non æternis; neque omnis varietatis expertibus.

Politica { Vniuersalis, Ethica.
Politica { Propria { Oeconomica. vel (ἄνευ διαιρέσεως) Politica; cuius ἀρχὴ est œconomica.
Politica { Propria { Politica in specie.

Vel Politicæ Partes sunt duæ: Elementaria vna, Ethica, cuius lib. 10. Aristotelis: Apotelesmatica altera, Politica speciatim ita dicta, cuius libri octo sunt.

At cur Ethica Aristoteli nomen habet Politices?

Libri Aristotelis de moribus Politici & sunt & nominantur, quod antequam de Rep. peculiariter doceat, de moribus singulorum hominum, qui ciuitatem constituunt, doaeri oportet Cœtus enim congregationis Ciuilis de singulis hominibus constituitur, qui primæ partes sunt & quasi elementa quædam Reipublicæ & tamen res tota Politici est. Huc facit quod Arist. in Magnis moralibus Eudemæis Ethicam scribit esse μέρος ϗ ἀρχὴν Politices. & 1. libr. Rhetor. περὶ τὰ ἤθη γραμμάτων scribit εἶναι προσαγορεύειν πολιτικὴν. Eadem Methodo Aristoteles in Analyticis procedit; Cum enim ei propositum sit docere de demonstratione primo docet de Syllogismorum tota ratione in Prior. lib. Analyt. atque ita aperit sibi viam vt in posterioribus de ἀποδείξει docere incipiat.

Erasmus Rud. Papeberg.

Ad Politicã pertinet de morib. singulo-

rum, qui in ciuili congregatione viuunt, doctrina quæ Ethicæ est, quæ vniuersa eo dirigitur, vt instituat mores hominum ad vitam non solitariam, sed ciuilem, vt nulla alia possit esse Ethicæ, quam Ciuilis facultatis sit seu Politices opus. Finis autem Politices bonũ illlud complectitur, quod est hominis proprium & summum, ad quod & singuli homines & totæ ciuitates contendere omnesque actiones suas dirigere debent.

Pet. Martyr. in prim. Eth. Com.

Quid Moralis facultas tractat nisi elementa ciuilis? Nam partes ex quibus componitur ciuitas, sunt boni ciues.

Ad summam, Ethica est doctrina quædam Politica, quia tractat principia Politicę, & bonus vir, quem informat, est ciuitatis pars.

PONDVS.

- Pondus
  - Grauitas
    - Absoluta Rei.
    - Comparata oppositæ leuitati.
  - Mensura Grauitatis, id est, rei, qua mensuratur res grauis.
  - Res ipsa, quæ ad libram seu trutinam ponderatur.

In Prima & secunda significatione est species quantitatis intensiuæ, quia ab eo aliquid dicitur quantum, id est, absolute graue, vel comparate graue.

Dico Intensiue, non extensiue; quia in pondere spectatur intensio secundum gradus.

In tertia & quarta significatione dicitur Æquale vel Inæquale.

Verum id, quod pondus proprie significat, potissimum λόγῳ quodam ex alijs explicemus.

Pondus est nisus seu impetus quidam cuiusque rei veluti conantis ad locum suum.

E. G. Hoc est pondus, Fers lapidem manu, pateris, pondus premit manum tuam, quia locum suum quærit. Et vis videre quid quærat? Subtrahe manum, venit ad terram, quiescit in terra: peruenit, quo tendebat, inuenit locum suum.

August. in Enarr. Psalm. 29. Tom. 4. & Tom. 8. in Sentent. 21.

Pondus ergo illud motus erat quasi spontaneus sine anima, sine sensu. Sunt & aliqua, quæ sursum versus petunt locum.

Namque si aquam mittas super oleum, pondere suo ad ima tendit. Locum enim suum quærit, ordinari quærit, quia præter ordinem aqua est super oleum; donec ergo veniat ad ordinem suum, donec teneat locum suum, inquietus motus est. Contra oleum funde sub aquam, verbi gratia, quemadmodum si vas oleicadat in aquam, in abyssum, in mare, & frangatur, non se patitur oleum subter.

Quomodo aqua super oleum missa pondere suo ad ima locum quærit, sic oleum subter aquam fusum pondere suo ad summa locum suum quærit.

Si ergo ita est, fratres, quo tendit ignis & aqua? Ignis sursum fertur, locum suum quærit, & aqua locum suum quærit pondere suo. Gemina igitur pondera sunt. Quædam res deorsum; quædam sursum versus feruntur.

feruntur pondere suo. Rebus ad ima tendentibus in imo ponitur fundamentum. Ecclesia vero Dei in imo posita tendit in cœlum Fundamentum igitur nostrum ibi positum est Dominus noster Iesus Christus, sedens ad Dextram Patris. August. ibid.

POSITIVVM,

θετικὸν, θετόν.

1. Est idem quod constitutum arbitrio, Lege, arte: institutum, legitimum: Ac opponitur Naturali. Montecatin. 1. ciuilium. Arist. Comment. Ius institutum appello, quod alii ius Positiuum, alii ius Legitimum. Quæ natura sunt, inuariabilia sunt & perpetua: Quæ vero Lege aut arte sunt ex nostro arbitrio facta: Ideo & remoueri possunt, & variabilia sunt: Vnde & θετὰ, positiua vocantur, & Arbitraria, ad differentiam eorum, quæ sunt Naturalia, id est, firma, permanentia neque mutabilia nobis.
2. Affirmatiuum est, κατὰ τὸ πρᾶγμα Non κατὰ σύνθεσιν, & ita positiuum opponitur Negatiuo, (vt; Color est res positiua.) seu ei, quod nihil ponit in Esse, cuiusmodi est priuatio, vt in olla rima, cuius integritas est res positiua.
3. Positiuum opponitur Cogitato, λογικῷ, imputato, vt: Dominatus est Relatio Positiua, id est, realis, non rationis. Iustitia Fidei respectu obedientis Mediatoris est Positiua: respectu nostri est Imputatiua, aiunt Theologi, id est, non est realiter & subiectiue in nobis.

POSITIO.

Positio in Doctrina Prædicamentali
- *Absoluta.* Hæc quanti est: ordinatio partium corporis in corpore.
- *Comparata.* Hæc situati est: ordinatio partium in toto corpore Comparate ad locum, in quo diuersę partes totius diuersum situm habent.

Hæc ex rebus Geometricis intelliguntur: Eæ enim θέσιν habent.

Positio opponitur Hypothesi: sicut Absolutum & Positiuum ὑποθετικῷ. Sic Scaliger. Prior est motus, quam cursus: Itaque posito cursu etiam motus ponitur ab intellectu: Est enim cursus causa intellectionis motus: Hoc autem est necessarium, non absolutum, neque positiuum, sed Hypotheticum.

Positio in Grammtica seu Prosodia est concursus consonantium cum vocali: Hæc longa esse vel syllabam longam facere dicitur.

Positio in Logica est affirmatio.

Positio vnius nō est alterius remotio, nec alterū ab altero euertitur. Itaq; nō valet: Christ⁹ est Filius hominis: Ergo nō est Filius Dei. Filius enim Dei ab æterno à Patre genitus: & Filius hominis in tempore ex Matre (Maria) natus non sunt opposita, sed coniuncta in vnitate Personæ Christi.

POSSIBILITAS,

Possibile.

Possibilitas id est, per quod aliquid est tale, vt possit actu esse sine vera absoluta que repugnantia manifeste seu contradictionis implicatione.

Possibile est, quod non inuoluit aliquid repugnans rationi Entis: quod non in-

cludit vel implicat Contradictionem: quod licet actu non sit, esse tamen potest.

Sic dicitur Deo possibile esse { Quicquid non includit euidenter contradictionem. / Ad quod non sequitur Contradictio.

Philosopho Tubingensi Iacobo Schegkio possibile includit in se Esse & non esse simul: Impossibile simul vtrumque excludit: Necessarium neque simul neque alterius permutari esse & non esse patitur. In org. p. 526. Zabarella.

Possibile & Impossibile { *Absolute*, secundum se. / *Comparate*.

Absolute, quod ex natura sua tale est, vt possit fieri aut non fieri. Sic possibile est albedinem videri, quia albedo ex sese seu natura sua talis est vt possit videri. Impossibile sic est videri sonum, quia sonus sua natura eiusmodi est vt videri nequeat.

Comparate; quod respectu huius vel illius potentiæ est possibile vel impossibile; vt Homini est impossibile ambulare, quia habet potentiam ad ambulandum: Impossibile vero volare, quia ad volatum non habet potentiam.

E Tabulis Organicis Zabarellæ.

Possibile sumitur dupliciter { Id quod actu est: Necessarium. Hoc possibile improprium est { Simpliciter seu absolute. / Ex hypothesi. } / Id quod cum nondum sit actu, esse tamen potest; vt si, me non docente, dicam possibile esse me docere. Hoc possibile proprium est.

Absolute] Hoc in Ente Æterno tantum locum habet: vt Possibile est Deum esse, quia iam Deus est, & necessarium omnino est Deum esse.

Ex hypothesi] Hoc habet locum in rebus caducis & mutabilib. Posſũt enim esse, & non esse. Sed suppositio, quod actu sint, necessariũ est eas esse: vt possibile est me docere dum actu doceo, & necessarium est me docere dum doceo: quæ dicitur Necessitas ex suppositione.

Can.

Possibile non habet aliud esse quam in sua causa.

Hoc Esse in causa non est proprium esse & distinctum ab esse Causæ.

Possibilia eo modo, quo sunt in potentia, habent veritatem. Possibilia, quia Possibilia, manẽt in esse possibili.

Posse esse dicit Esse Aptitudinale secundum potentiam a Naturæ, vel simpliciter secundum potentiam quam-

a Rofi

cum-

cunque diuinam vel naturalem. At Esse dicit Esse Actuale. Biel. l. 3. d. 23. q. 1.

Esse possibile est rei, quæ esse potest, actu nondum est. Reipsa nihil aliud est quam esse causæ seu causarum ipsarum. Opponuntur ei Esse existentiæ, & esse essentiæ seu Essentiale, propriũ reale distinctum à suis causis; quæ duo esse continentur hoc Axiomate: Generatio terminatur ad Esse, id est, Substantiam rei sub esse Existentiæ.

Possibile qua est terminus seu obiectum omni potentiæ, est illud, cui non repugnat esse, & quod non potest ex se esse necessario. Scot. l. 1. d. 44.

POSSE.

Posse primum proprie accipitur, vt posse esse & posse non esse non diuidunt Ens. Hæc enim ambo simul sunt in eodem, (hoc potest esse & non esse.)

Deinde idem est quod valere, pollere: vt hoc potest illud.

Posse vel non posse { De facto, γιγνόμενον, seu qua spectatur γιγνόμενον. / De iure, Δέοντος, seu qua spectatur τὸ δέον.

Scoti & Iurisconsultorum hæc distinctio est, qui dicunt, quod quis potest facere aliquid, vel de facto, hoc est, de potentia ipsius absoluta, vel de iure, hoc est, de potentia ordinata secundum iura seu Leges. Scot. in Quodlib. l. 1. d. 44.

Paulus 1. Cor. 10. ait Corinthios Domini poculũ & Dæmoniorum poculum bibere non posse, scilicet RITE, seu bona conscientia, seu ita vt & Deo probetur, & ipsis prosit. Ioh. Pisc. Alii vero intelligunt seu interpretantur de Impossibilitate facti, vt sententia sit, cum impossibile sit duobus Dominis seruire. Matth. 6. fieri non posse vt Corinthii simul sint participes Dei & Diaboli, mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum: non posse consistere communionem Christi cum communione Dæmoniorum, quia non possumus pariter esse membra Christi & Diaboli. Vrsinus.

In Geometria Posse recta linea quadratum dicitur, quia ducta est se ipsam facit seu constituit quadratum. Hinc (abstracte) δύναμις seu Potentia recta est quadratum: Quod consectarium egregium (licet alicui videatur consectariolum) est definitionis quadrati.

Eadem Phrasi vtimur etiam *in Arithmetica.*

Hic Mathematici accipiunt POTENS participialiter, vt Ramus lib. 14. Geom. ad 6. vt, sit recta a e proportionaliter in i secta & figura compleatur; oblonga a y & i e cum quadrato s u æquantur quadratis ex a e & i e potentibus triplum ipsius a i (id est, quæ possunt triplum.) Vide Schema in Ramo.

Posse non &
Non posse.

Hæc in Philosophia & Logica non æquipollere, patet exemplis. Hæc enim: Corpus Hominis in statu innocentiæ non potuit mori; falsa est: Illa vero; Corpus hominis in statu innocentiæ potuit non mori, vera est. In prima enim Propositione, quæ negata est,

τὸ Non additur verbo potuit. In secunda, quæ est Infinita Affirmata, additur verbo Mori. Subtiliter Scotus: Primus homo habuit potentiam ad moriendum, potuit mori (ex conditione mutabilitatis) Sed si in statu Innocẽtiæ permansisset, potẽtia hæc non fuisset deducta ad actum, & sic poterat non mori. Fuisset enim homo stante innocentia translatus in Cœlestem paradisum sine corruptione & morte proprie dicta. Itaq; idem In sensu, inquit, composito hæc est vera: Homo in statu Innocentiæ non potuit mori, Id est, stante Innocentia.

Hic obiter adiicio distinctionem Augustini Tom. 3. de Genes. ad Liter. l. 5. c. 25. Quodammodo creatus erat homo immortalis, quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione Naturæ. Tom. 4. in quæst. Veteris & Noui. q. 19. Gustus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat: Lib. 6. c. 25. Mortalis erat Adamus conditione corporis animalis, Immortalis beneficio Creatoris. Corpus quod indiget cibis ad vitæ sustentutionem ad conseruandum humidum radicale, ex cuius defectu oritur mors, potest suapte natura mori. Corpus animale indiget cibis, &c. E. potest suapte natura mori.

August. 3. Tom. de Genes. ad Lit. l. 6. Corpus Adami ante peccatum mortale, quia poterat mori, sed mori non cogebatur: mortuum autem post peccatum, quia ita morti obnoxium est, vt non possit non mori.

POSTRIDIE.

Differunt Postridie seu Postero die & Cras. Dicimus, Venatio, quæ postridie eius diei, postridie Bacchanalium futura est: & Venatio, qnæ cras futura est. Iudices adesse iubentur postridie, & iudices adesse iubeo cras, sed diuerso significatu. Posterus enim dies potest esse non crastinus, seu alius quam crastinus. Posterum est consequens seu ἐσόμενον: non autem crastinum est tantum consequens. Aliud est in posterum diem distulit, aliud in crastinum diem.

Dicimus, Postridie me mane conuenit, at non cras me mane conuenit, sed conueniet.

Dicitur, Nocte ea, quæ consecuta est posterum diem Calẽdarum Iulii facta est mulier; at non dicitur, Nocte ea, quæ consecuta est crastinum diem, facta est, &c. sed cras erit mulier. Vtrũq; quidẽ dicimus, Differemus in posterum, in diem posterum, in crastinum, in diem crastinum; sed illo notatur tempus in se finitum; hoc vero definitum ac certum prorsus. Caue dicas cum barbaris: Multa nocte veniebamus, & statim cras mane remeabamus in Patriam, pro, proxime sequente die vel postridie. φιλόμωμοι & φιλόψογοι, hæc nullo habent numero; sed non sunt negligẽda tyronibus.

POSTLIMINIVM.

Postliminium proprie est ius amissæ rei recuperandæ ab extraneo. Hinc postliminio redire, recipi; Rẽ vel ius postliminio recipere. Transfertur & ad quemlibet pristinum statum. Postliminii iure reducitur veritas Doctrinæ nostræ in ea loca, vbi exulat: id est, in pristinum statum restituitur. Ciuibus optatam pacem quasi postliminio reddere. Elegans etiam est quasi iure vindiciarum restitui; sumptum ex Scholis ICtor. Sic Luisinus in Parergis, cum quendam Luciani locum declarasset: iam vt opinor suus Luciano sensus quasi iure vindiciarum restituetur est.

POSTVLATVM.

Postulata, Mathematicis αἰτήματα, sunt propositiones inter Principia relatæ, quæ

quæ per se notæ manifestæque sunt, nec vlla indigent demonstratione, vel intricata & multiplici descriptione aut delineatione prolixa; sed aperta, simplici & facili facta delineatione notæ fiũt, ita vt ipsarũ finis fit ποίησις, fabrefactio, vt αἰτείσθω, petatur, vt à pũcto ad punctũ ducatur linea recta, q.d. Postulo à vobis, vt à dato pũcto ad alterũ datum recta ducatur, quod factu facilimum est.

Differunt autem Mathematici ab Aristotele in postulato, quia Aristoteles vult postulata demonstrari, nec per se nota esse; Mathematici contra non demonstrari, sed cuiuis obuia esse, ea ratione permoti, quod secundum Aristotelem omnes propositiones, quæ per Demonstrationem creduntur, ad αἰτήματα referenda sint. Vid. in Voce Hypothesis de postulato Aristotelis.

Postulatum & axioma in eo conueniunt quod vtrumque est deprehensu facile. Differunt, quod postulatum nos iubet aliquid efficere, & comparare ad demonstrationem faciendam, quod simplicem & facilem habet apprehensionem. Axioma autem proponit quiddam per se accidens, & audientibus per se manifestum, vt, Ignem esse calidum: De quo qui dubitarint, δέονται ἀπολάσεως, ἢ αἰσθήσιως. Arist 1. Top. & Procl. in Euclid. comm.

POTARE ALIQVEM.

Hanc Constructionem nonnulli refugiunt, quod potare sit verbum absolutum. Itaq; pro potare aliquem dicunt potum alicui præbere, Potionare aliquem; pro potati sunt in vnum Spiritum 1. Cor. 12. malunt dicere, potionati sumus in vnũ Spiritũ, id est, omnes spiritum vnum hausimus. Castellio, ex Suetonio, apud quem est, potionatus à Cesonia vxore, Es ist jhme mit einem trunck vergeben/welchen jhme Cesonia geben hat. Itaque μέσον Verbum.

POTVLENTA.

Potulenta sunt, quæ in potum sumi possunt: Sic esculentum, quod in cibum sumi potest, vel ad escam pertinens, vel escam redolens: vt frusta esculenta; Poetæ Vescum vocant, quod in cibis adhibetur, vt vescum papauer, das zu essen ist (Vid. Philip. Beroaldum & Nicol. Perott.) ad vescendum aptum, vt loquitur Cicero.

POTENTIA.

Potentia, δύναμις, dupliciter vsurpatur in Philosophia.

1. Pro Naturali quadam habilitate: sic puerum adhuc rudem dicimus potentia esse Musicum, eo quod sit aptus ad eam discendam.
2. Pro habitu, quo præditus potest prompte operari; sed fortasse quia aliis rebus occupatus est, vel non vult, non operatur; vt qui iam Musicam didicit, potest quidem canere, at non semper canit. Hic habitus dicitur Potentia respectu eatum actionum, quæ proficiscuntur ex ipso; earundemque respectu potest dici Potentia secunda ad differentiam primæ, quæ hunc habitum præcedit: Respectu vero primæ Potentiæ potest dici actus, potest & nominari actus primus ad differentiam actus secundi, qui oritur ex ipso: actus autem secundus idem est, quod actio seu operatio. Porro potentia secunda & actus primus re non differunt, sed ratione tantum.

Vsus.

Harum distinctionum magnus vsus est:

Id sic ostendo. Si causa est actu, effectum quoque actu erit: Verum est,& non est verum. Verum est, si intelligatur de actu secundo: Non verum, si de primo. Nam si præceptor actu docet Musicam, necesse est aliquem esse qui actu doceatur: At fit vt præceptor præditus sit habitu doctrinæ, & tamen actu nemo ab ipso doceatur. Sic pronuntiatum: Id quod est potentia tale, reducitur ad actum ab eo, quod est actu tale: Verum est & non verum. Verum de eo, quod est in prima potentia: Nam puer, qui potest esse Musicus, actu fit Musicus ab eo, qui actu tenet Musicam. Non est verum in secunda. Is enim qui habitum Musicæ sibi comparauit, si quando non canit, tunc est in potentia, sed ex tali potentia non traducitur ad actum ab alio, sed à se ipso, eum vult.

Fallit & in hoc exemplo: Stirpes fiunt actu dulces, flauæ, albæ, &c. non ab eo, quod est actu dulce, sed beneficio aquæ, qua irrigantur, & Solis. Sciens in potentia dicitur vel qui Naturalem habet potentiam seu Naturam ad sciendum, vel qui habet iam habitum scientiæ, non tamen actu considerat.

Δύναμις παθητικὴ apud Aristot. in Eth. l. 2. c. 4. sunt affectus permanentes & constantes in natura insiti, ex certis naturali temperie vel ab aduentitia temperatura acquisiti: in categoriis vocantur ποιότητες παθητικαί.

Potentia accipitur pro *principio Potente seu Substantia potente*, vel eo quod habet potentiam, seu pro materia. Arist. in lib. de anima. Anima vegetalis est talis potentiâ, vt conseruet habens illam, secundum quod est huiusmodi, id est, vt conseruet corpus animatum, quatenus animatum est. Idem, Actus est perfectio potentiæ, id est, habentis potentiam ad ipsum, vt anima est perfectio propriæ potentiæ, id est, materiæ, quæ fit viuens; seu anima perficit corpus, quod aptum natum est accipiendam vitam, Anima scilicet non apta nata est recipi in quouis corpore indifferenter, sed in corpore potentia vitam habente, id est, apte nato ad animam recipiendam, vt in materia propria & determinata ad ipsam, vt ad formam determinatam.

Sic Zabarella: Cum vocatur Materia prima potentia, nomine potentiæ non qualitas significatur, Sed substantia quædam, quæ est fons seu radix huius qualitatis, nempe Substantia quædam imperfectissima, incompleta secundum speciem, & incoamentum omnium Specierum. l. 2. de Mater. c. 4.

Canon.

Quilibet actus non in quolibet Subiecto indistincte recipitur, sed in determinato aliquo, ita vt non alio. Actus est eius, quod potentia est, ratio. Arist. 2. de anima. text. 36. id est, perfectio materiæ habentis potentiam; est Ratio, id est, essentia & forma rei, (seu quod quid est) constituens rem in suo esse specifico Hæc forma adimplet potentiam Materiæ.

Scal. ex. 307. sect. 16. Substantia dicitur potentia esse efficiendi accidentia, vt est in l. 7. diuinæ Philosophiæ.

l. Po-

In lib. περὶ ἐρμηνείας.

- Actiuæ
  - Ἀλογοι: Hæ non possunt efficere opposita: sunt ad vnam ἐνέργειαν determinatæ: Ignis tantum potest calefacere, auris audire, si non impediatur.
  - Λογικαὶ; Hæ sunt δεκτικαὶ τῶν ἀντικειμένων, id est, ad oppositas ἐνεργείας sunt determinatæ; vt Voluntas potest velle bonum aut malum; Vna scientia est contrariorum: à me potest cognosci vtile & inutile; noxium & innoxium.
- Passiuæ, propter quas res sunt obnoxiæ contradictionibus, id est, possunt esse vel non esse.

1. Potentiæ

Canon.

Res omnes extra Deum sunt præditæ potentia contradictionis. Itáque mutari possunt.

2. Potentia significat
- ἐνέργειαν, vt si dicitur de eo, qui iam actu ambulat, posse ambulare.
- Simul futuram ἐνέργειαν & negationem præsentis actus.
- ἐνέργειαν imperfectam & semper fientem, id est, perpetuo coniunctam cum potentia, qualis est infima potentia. Scheck. lib. περὶ ἐρμην.

Canon.

Diuina habent ἐνέργειαν suam potentia, id est, semper ἐνεργεῖ: Naturalia cum potentia, id est, non semper agunt.

3. Potentia
- Passionis seu receptionis; Hæc potentia est
  - In Re, id est, in eo, quod mutari potest: vt potentia in semine, vnde canis fieri potest. *In Materia.*
  - Extra rem, id est, in eo, vnde res dependet, vt cum dicimus truncum fieri posse hominem, Lapides posse fieri panes, Fieri hoc potest à Deo sine interuentu Naturæ. *In Efficiente.*
- Actionis
  - Prima seu remota, potentia numerandi vel loquendi in infante.
  - Secunda seu propinqua potentia loquendi in adulto. Hęc dici solet actus primus, & facultas, id est, potentia operandi, & ex ea existit actio, quę dicitur actus secũdus & actus aptitudinis; vt; Locutio, Numeratio, Scal. Formæ vniuocæ sunt in materia potestate. Materia prima est omnia potestate receptionis seu recipiendi. Cœli sunt omnia potestate efficiendi.

4. Potentia { Παθητικὴ, ἀρχὴ μεταβολῆς παθητικῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλο. Hæc propria Materiæ.

Ποιητικὴ, ἀρχὴ (externa) μεταβλητικὴ ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλο.

Media inter has, φυσικὴ, quæ Potentia est ῥᾳδίως τι ποιῆσαι & μὴ πάσχειν in subiectis rebus, id est, qualitas οἰκεία (vernacula) interna, qua facile potest efficere natura aliquid ad subiectum pertinēs. Schegk. in præd. Arist. 475.

Est & Potentia πειθαρχικὴ, Obedientialis, vt cum natura humana à Diuina assumitur, quasi patitur, hoc est recipit, & est in potentia obedientiali. Ea obedit creatura primæ causæ (Deo:) Actio assumentis λόγου transit in naturam assumptam, vt in obiectum: Hæc igitur patitur & est in potentia obedientiali.

In Maria Virgine fuit & potentia susceptiua & obedientialis, Id est apud Damascen. 48. & Scot. l. 3. d. 5. Vbi dicitur: Spiritus sanctus dedit Mariæ Virgini Potentiam Susceptiuam & Generatiuam, non quod miraculosè dederit ei fœcunditatem, quam cooperabatur, cum illam habuerit naturaliter, non enim fuit sterilis. Itaque secundum eam potuisset naturaliter συνεργεῖν, si Pater naturaliter genuisset. Sed potentia actiua causæ inferioris est remota, cum causa superior non agit, ita vt nunquã sit causa inferior in potentia propinqua ad effectum constituta, nisi superiori causa agente, quia superior illa primo ad actionem determinatur, ipsa vero determinata inferior necessario cooperatur, si inferior sit causa naturalis. Secundum autem communem ordinem vis actiua matris nata est subordinari vi actiuæ patris, & ita à patre ei *conferri potentia propinqua* ad generandum; Non *autem illa remota matris*, quæ est actus eius primus, quo ipsa dicitur fœcunda, sed potentia propinqua conferebatur Mariæ ἀμέσως à Spiritu S. habente vim principis causę. Itaque Spiritus sanctus dedit ei *vim γενητικὴν* (generatiuam) *seu potentiam generandi propinquam*, secundum vim illam naturalem, qua ipsa erat naturaliter fœcunda. Sed *susceptiuam* dedit illi, qua erat γενητικὴ τοῦ λόγου seu Verbi Diuini. Sicut enim natura, ad quam vt ad formalem terminum sese habeat illa generatio, tantum erat in potẽtia obedientiali, vt vniretur verbo: Ita Mater illa ἕξοχος tantum habuit potentiam πειθαρχικὴν, id est, obedientialem, vt esset Mater verbi: Per hoc enim erat Mater Verbi, quod Verbum subsistebat in natura illa sibi vnita.

Potentia operatiua organica est, cuius operatio per se & primo recipitur in toto composito ex organo & potentia. Operatio, quæ sic primo recipitur in Toto, nõ potest dici recipi primò in parte aliqua, vt visionem recipi in anima Separata, & hanc esse videntẽ dici nequit. Scot. l. 4. d. 49.

Potentia ἐνεργητικὴ refrigerandi & humectandi est forma aquæ, quæ producit qualitates primas, frigiditatem & humiditatem. Schegk.

Potentia Virtuti opponitur à Ioh. Versore in 2. Eth. cum dicit, aliquid à natura alicui inesse perfecte vel imperfecte: perfecte secundum esse completum, vt cũ aliquid habet esse in actu & formaliter: Imperfecte, quando aliquid est in alio, vt in potentia & virtute; In potentia, quoad causalitatem materiæ; In virtute, quoad causalitatem efficiẽtis.

Potentiæ rationales sunt ad opposita lib. 9. Meteor.

Meteor.cap. 3. Loquitur Philosophus de artibus & Scientiis, quas vocat potentias rationales, quia pendent & determinantur ab electione. Aristot. lib.eod.cap.6.id est, possumus earum actus producere, quando volumus, & dicit esse ad opposita, quia eadem est Scientia contrariorum. Scientiæ ergo liberæ eiusmodi potentiæ sunt; non sunt liberæ formaliter, vt voluntas, à qua actus imperantur, sed possunt dici liberæ, quod liberos actus producant. Sic μετέχει πῶς λόγου appetitus, quia obedit rationi.

- Potentia (aliquid, secundum quod ens aptum est ad agendum vel patiendum) In creatura est Qualitas, Estque
  - Passiua qualitas, cum ens aptum est ad patiendum.
  - Actiua qualitas, secundum quam Ens aptum est ad agendum, principium agendi
    - 1.
      - Innata, συγγενὴς
        - Concreata.
        - Congenita.
      - Aduentitia ἐπιγινομένη
        - Diuinitus inspirata, θεόπνευστος, θεόπεμπτος.
        - Acquisita, ἐπίκτητος, potentia bene agendi vel peccandi ab assuefactione.
    - 2.
      - Absoluta, qua quid aptum est ad agendum simpliciter sine determinatione.
      - Determinata, qua quid aptum est ad agendum bene vel male.
    - 3.
      - Prima, quæ aliam priorem se in eodem subiecto non habet, vt potentia absoluta.
      - Secunda, primæ subordinata.
    - 4.
      - Remota, inter quam & actum datur media.
      - Propinqua, inter quam & actum non datur media.
    - 5.
      - Irrationalis, ἄλογος, quę enti rationis experti inest, siue sit inanimatum, siue animatum, vt potentia sentiendi inanimali.
      - Rationalis, μετὰ λόγου, quæ Enti rationis compoti inest, vt potentia intelligendi & volẽdi in homine.

Aristot. Rationalis ad vtrumque contrariorum indifferens est: Irrationalis ad vnum determinata est, intelligendo hoc non de actibus, sed obiectis contrariis, id est; Potentia rationalis natura sua est indifferens ad obiecta contraria: Sed determinata est ad vnum tantum actum. Cum enim potentiarum diuersitas non aliunde colligi possit, quam ex diuersitate actuum, sequitur volitionem & nolitionem, electionem & repudiationem, loquelam & silentium, cum diuersi actus sint, etiam potentias, per quas homo est aptus ad eiusmodi actus exercendos, esse diuersas.

Interim datur ens ipsum, quod in se habet potentias rationales esse sua natura liberum ac indifferens tam ad actus, quam ad obiecta contraria.

Vsus.

Voluntas potest considerari dupliciter: Vno modo, vt Potentia ἐνεργητική, id est, operatiua: Altero, vt δεκτική, id est, receptiua. Primo modo perficitur simpliciter, operatione coniungente simpliciter optimo; in hoc consistit essentialiter Beatitudo. Secundo modo perficitur gaudio vt supernaturali passione. Scot. in Quodl. lib. 4. distinct. 49. quæ realiter differt ab operatione.

Potentia est
- Positiua (δεκτική) vt cum Faber à potentia ad actum transit.
- Negatiua; vt cum Deo mundum condente, mundus è potentia non positiua (nihil enim erat in quo mundus esset potentia) sed negatiua in actum quodammodo exiit. Vid. Scalig. exerc. vlt. sect. 9. An Dei omnipotentia in non Ens agere possit. & D. Tilen. disput. de creatione.

Scotistarum Diuisio.

- Receptiua, qua res potest recipere actum. Hæc potentia est materiæ primæ. Alias dicitur potentia subiectiua.
- Actiua, qua res potest efficere.

Potentia
- Logica seu Obiectiua, qua non repugnat rei esse, licet non sit. Sic ante Mundi creationem Mundus fuit in potentia obiectiua creatoris Dei, à quo poterat produci. At postquam materia prima concreata est, non potest dici esse in pura potentia obiectiua, id est, esse tantum rationis Ens, seu aliquid mente conceptum, quod esse possit.

Receptiua seu subiectiua potentia, materia, potest subiici omnibus formis. Huic respondet actus formalis, qui eam perficit.

Actiua causa potest agere.

Potentia obiectiua, effectus, qui actu non est, potest esse respectu suarum causarum, à quibus potest produci.

Ergo.

Potes-

Potentia tribuitur
- Causæ,
  - Subiectiua.
  - Effectiua.
- Effectui, Obiectiua, respectu agentis, à quo res potest effici.

Contentio.

Sed Zabarella contentus potentia subiectiua & Actiua, Obiectiuam non agnoscit, quod non sit hæc ab illis reipsa distincta. Itaque etiam actum entitatiuum à formali actu re distinctum esse negat, ac materiam affirmat nullum ex se actum habere, nec esse actu Ens, sed tantum potestate, existere autem actu per formam seu merito formæ. Lib. 2. de Rerum Materia, cap. 2.

Addunt Nonnulli Potentiam improprie dictam in Diuinis, quæ est non repugnantia, vt intelligentia potest esse Intelligentia, id est, non repugnat intelligentiæ esse intelligentiam. Iohan. de Ianduno, 1. quæst. in lib. 1. de Mundo.

Potentia Cognitiua Scoto est (l. 1. d. 3.)
- Omnino separata à materia in essendo & operando, vt intellectus separatus à corpore.
- Coniuncta Materiæ
  - Et in essendo & operando, vt *organica*, quæ & perficit materiam, & non operatur nisi medio organo.
  - In Essendo, non in operando, vt Inorganica, vt noster intellectus.

Potentia Dei.

Potentia Dei semper intelligitur Actiua, nunquam Passiua.

Deus nunquam potest effectum causæ formalis facere sine ipsa, vt Hominem sine anima humana, album sine albedine, quia est Contradictio.

Deus non potest conseruare rem sine suis principiis essentialibus, vt Hominem sine anima & corpore humano: Ergo nec distinctas res potest conseruare sine distinctis principiis essentialibus, qualia sunt Materia & Forma. Scot. in Quodl. l. 4. d. 49.

Potentia Absoluta potest Deus omne illud separare ab alio, quod non est de eius essentia. Vt si gaudium non esset de essentia Beatitudinis, potest ab eo Deus visionem creatam separare. Scotus ibidem, paulo ante.

Potentia Dei ordinata, est potentia Dei Legibus, quæ à Sapientia & voluntate Dei definitæ sunt, conformis.

Quædam *Non-potentia* est potentia & perfectio. Eius exemplum est in hoc Augustini cap. 30. lib. 22. de Ciuitate Dei. Sicut prima Immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori; nouissima erit non posse mori: Ita primum liberum arbitrium posse non peccare, nouissimum non posse peccare. Aliud enim est esse Deum, aliud participem esse Dei. Deus natura peccare non potest; Particeps vero Dei ab illo accipit, vt peccare non possit, quia accipit virtutem incommutabilitatis. Cap. 62. lib. de Eccles. Dogmat.

POTESTAS.

Poteſtas accipitur abſolute modo pro potentia, & dicitur Græce δύναμις, & opponitur actui, vt producens formam nouam in ſubiecto requirit vt ſubiectum ſit in poteſtate, (id eſt, Potentia) ad formam producendam, non in actu: Modo Relatiue, & dicitur Græce ἐξουσία, vt Poteſtas abſoluendi, baptizandi. Illa Poteſtas eſt Actiua, Hæc Paſſiua recipiendi.

Vtraque eſt Naturalis vel θέσιτητος, id eſt acquiſita.

Scholaſtici diſtinguunt triplicem Poteſtatem, nimirum Auctoritatis, Excellentiæ, & Miniſterii.

Poteſtas Auctoritatis eſt, qua quis ex ſe principaliter, non ab alio ſuperiore aliquid poteſt, vt Dei.

Poteſtas Excellentiæ eſt Poteſtas quodammodo inferiori delegata cum prærogatiua, vt Chriſti ſecundum Humanitatem.

Poteſtas Miniſterialis eſt poteſtas diſpenſandi aliquid, vt Sacerdotis, Apoſtoli.

Poteſtas accipitur ſæpe *pro ſignificatione*, vt in Arithmetica Notatione diſtinguitur inter *poteſtatem natiuam ſeu genuinam, & aſſumptitiam notæ*, & dicitur Notam certo loco duplici armari poteſtate, natiua ſcilicet ac ſibi propria, & aſſumptitia, quia ea generaliter locorum ſeruatur ratio, vt Conſequens antecedentis decuplum ſubinde poſſit. Exempli gratia. Nota 4. per ſe quatuor valet, tantundem etiam primo gradu: In ſecundum vero locum promota, quadraginta, vt hic 40. In tertium iterum ſecundi decuplum, nempe quadringenta, hic 400.

PRÆ.

Præ ſignificat ordinem { Temporis. / Naturæ.

Declarat hoc Caiet. 7. cap. de Ent. & Thom. in verbo Præexigo. pag. 31.

Sic Præexiſtere aliquid dicitur Tempore, vel Natura, vel Vtroque.

Canon. Quicquid mouetur προϋπάρχει (præexiſtit) quanquam προσυπάρχον etiam ſubſiſtens dicat Scaliger. exercit. 6. Sed intelligit ſubſiſtens tantum reſpectu ſequentis, quod nondum eſt.

Effectus dicuntur præexiſtere quodammodo in ſuis cauſis.

Dicitur & aliquid Præſupponi, vt, Nulla datur Productio Naturalis, niſi ex præſuppoſita materia.

PRÆCIPERE.

Præcipere interdum eſt ante capere: Cogitatione præcipere pro præcogitare: vt, Tempus illud cogitatione præcipite.

Præcipere cogitatione Philoſophis eſt præcognoſcere ante diſcurſum de aliquo, vt axiomata, nomen rei, ſubiectum.

Præme fero.

Errant pueriliter, qui dicunt, præ me fero eſſe Verbum vnum, è tribus vocibus compoſitum. Id præ ſe ferunt tum exempla Latinorum, præ te fers, præ ſe fert, præ nobis ferimus, tum quod etiam dicitur, præ me gero tribus ſeparatis vocibus. Eſt autem præ me fero ſeu gero idem, quod oſtendo ſeu profiteor.

Exempla

Exempla pulchra.

Sophistæ docendæ iuuentutis munus præ se ferebant, Iohannes Serranus Platonis explanator. Sic Philosophi in disputationibus & scholis suis: ad hoc cõcludendũ præ nobis ferimus hãc hypothesin, id est profitemur, habemus, tenem⁹, præcipim⁹ (id est ante capim⁹) Wir setzen ex professo: sic philos. & poet. Marcus Augustus Philosophiam vitæ temperantia se colere præ se tulit, id est ostendit hat in der that bewiesen daß er das stadium philosophicum hoch gehalten hat. Budæus ex Herodiano. *Præ me fero meum facinus, mihi cognita culpa est*, id est ich bekenne es/confiteor: præ se fert magnam in hisce diligẽtiam: singularẽ sanctitatẽ præ se fert hic hierophanta; præ se fert specié inuidiæ, calumniæ. Budæus. Absolutam præ se fert eruditionem, hoch gelehrt, perfecte eruditus (non mediocriter.) in hac sententia, quam aperte (non obscure) præ me fero, perseuerabo, id est profiteor, ostento. Odium tuia pertissime præ se ferunt, id est, vultu & lingua promptum (expressum, expositum) habent, vt loquitur Cicero eleganter. sie lassen sich offenlich vnnd vnverholen mercken.

PRÆCISE.

ἀποτόμως, παντελῶς.

Præcise 1. idem est quod perfecte vel simpliciter, vt hoc præcise tibi nego. Præcise Synonyma sunt pure vniuoca: Præcise homonyma sunt homonyma ἀπὸ τύχης & valde inter se disiuncta. Subtilitas orationis summa est, quæ præcisa significatione rem ipsam repræsentat. Græci pro eo nonnunquam παντελῶς.

Severè rigide. Præcisa subtilitas orationis

2. Est idem quod per ellipsin, vt pro rata patrimonii dicunt Iureconsulti præcise, cum subaudiendum sit portione.

Præcisa causa.

Præcisa Causa à Scholasticis dicitur causa cuiusque rei propria, quæ dicitur Adæquata, ac continet seu includit in se vires omnium aliarum causarum remotarum (Remota causa est causa causæ) ideoque satisfacit quæstioni propter quid. Ea rei vniuersalis, vniuersalis est; rei singularis, singularis: rei potentialis, potentialis: rei actualis, actualis.

Præcisio Scaligero est *species eius figuræ, quæ minus dicit quam pro re.* l. 3. poet. c. 77. hæc eius verba sunt: Præcisio est decurtatio. Sic enim loquitur Cicero, præcise, id est, breuiter. Accipit igitur Scaliger præcisionem pro decurtata oratione. Eidem etiam fit Præcisio per syllepsin (conceptionem) quoties vel vnus numerus singularis multitudinem significat (vt hostis pro hostibus) vel vnum genus etiam alterum comprehendit. Eidem & hic præcisionis modus est, cum verbum ambiguum adhibemus, quo plures vna res declarantur, aliter enim ab aliis exponitur versus ille:

Transuersa tuentibus hirquis.

Scoto præcise interdum idem est, quod seperatim: Ita præcisum ab Ecclesia dicit, qui est separatus ac condemnatus ab Ecclesia. 4. lib. d. 25.

Præcisio à Scholasticis Doctoribus sæpe accipitur pro Abstractione seu ἀφαιρέσει Philosophica, vt sic dicunt præscindi à subiectis, à suppositis, ab interioribus, pro Abstrahi. Animalitas est idem, quod animalis natura ab inferioribus præcisa; & humanitas est i-

dem quod humana seu hominis natura à singulis hominibus præcisa: Quæ autè præcisa sunt (ait Fonseca) ab aliquo, abstracta ab eo esse nemo dubitat.

Quid Abstractio Præcisionis? Hæc Præcisio vocatur etiam Abstractio Præcisionis; quæ fit cum è duobus coniunctis vnum apprehendimus, alterum relinquimus, vt cum visu cognoscimus colorem lactis non cognita eius figura. Et opponitur tum

Quid Abstr. Realis? Reali; qua aliquid ab alio separatur re ipsa, vt pisces à fluuio: & Abstractioni

Quid Abstr. Negationis. Negationis, id est, Remotioni, qua vnum de altero negamus, quæ Græcis est διαίρεσις, diuisio, vt homo non est leo.

Est & Præcisio, qua abrumpitur Enumeratio, cuius vulgaris formula, &c. Item: Pro qua Ciceroniani: Et si quid eiusmodi: Et si qua alia (vt, si qua alia signa Conturbationis) Et si qua his affinia; Et si qua eius generis: Et sic in reliquis: & quis percenseat omnia numerando?

PRÆDICARI.

Prædicari *in Ethic.* est ἐπαινεῖσθαι, id est, laudari, palam commemorari, celebrari. Cic. vt de se ipso glorioſius prædicare, falsa præsertim, deforme est.

Prædicari in Logic. Propositione est attribui Prædicatum subiecto. Prædicatio igitur fit vocum connexione; quæ fit secundum communem Naturæ ordinem, vel non: Ph. Mel. in 1. lib. Dial. Erot.

Itaque Ordinaria est, vel Extraordinaria. Zabarel. l. 1. de propos. Necessariis. & alii diuidunt in Naturalem, & Contra Naturam. Naturalem vocant, cum id, quod reuera inest, prædicatur de eo, quod subest, vt Genus & Differentia de specie, & accidens de subiecto. Contra naturam, cum prædicatur id, quod reuera subest & subiicitur id quod reuera inest, vt si dicatur, Rationale est homo. Item Naturalis prædicatio est cum materia & Forma prædicantur, Compositum quod ex his constat subiicitur. Contra naturam; si Compositum de sua materia vel de sua forma prædicatur.

Prædicari communiter & Vniuerse.

Annotatio hæc non debet esse ἐν ἐδαφίοις μέρεσι.

Prædicari Communiter Logicis interdum est prædicari indefinite, non vniuerse seu absolute. Itaque prædicatio Communis eis est, in qua dicitur prædicatum de subiecto communiter accepto, id est, de quibusuis, quod nisi obseruetur, commttti potest facile Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, aut Fallac. consequentis.

Christus est Seruator Generis Humani: Hanc propositionem intelligere seu explicare possumus dupliciter. 1. Absolute: Christus est seruator Generis humani, seu Mundi, id est, Mundi vniuersi & singulorum qui in eo sunt.

2. Communiter, id est, Christus est seruator quorumuis. Sic Deus vult saluos fieri omnes communiter, id est, indefinite, non absolute vniuerseque, id est, quosuis vult quacunque gente, sorte, conditione vel qualitate externa sint.

E Simplicio.

Prædicari
- In Quid
  - Complete Generice, non conuersim.
  - Complete, Definitiue. Hic prædicatum dicit totam rei essentiam.
- In Quale Quid, vt Differentia : Hæc enim substantiam cum Qualitate comprehendit, vel dicit essentiam rei per modum οὐσίας, non qualitatis, vt vult Thomas de Vio
- In Quale, vt accidens.

Alii, vt Boetius, quale quid omittunt, contenti διχοτομίᾳ, & prædicari differentia dicunt prædicari in Quale.

PRÆDICATA.

Prædicatum substantiale differt ab Accidentali: Illud dicit esse quidditatiuum subiecti, & haber quandam ταιτότητα cum Subiecto: Hoc vero nõ dicit esse quidditatiuum subiecti, sed est quiddam aliud ab esse Subiecti, Alex. de Ales in 4. Metaph.

Prædicata Accidentalia
- *Per se*: Accidentia, quæ internam habent causam & subiectis suis perpetuo inhærent, vt Homini Risibilitas; numero Par, Impar. Hæc prædicantur
  - Simpliciter.
  - Cum Oppositione.
- Prædicatum hic dicitur Vniuersale, cui subiectum æquale est, id est cuius vniuersus ambitus in posito subiecto incluſus est, & quod extra illud subiectum non inuentur; Animal respectu Hominis non potest dici prædicatum Vniuersale, quoniam in homine totum animal, id est, totus eis ambitus non continetur. Zab. de propositi. Necess. lib. 2. cap. 10.
- *Per accidens* Zab. 2. post. Anal. contex. 6.
  - Simpliciter; Accidentia, quæ omnino per accidens insint. Hæc non cadunt sub Scientiam, quia non pendent à certa causa.
  - Κατάτι; Accidentia, quæ habent causam certam externam, ideoque in subiectis suis non semper inhærent, vt Eclipsis in Luna. Hæc sub Demonstrationem cadunt.

Distinctio Alberti M.

Prædicata
- Secundum se, quæ non prædicantur secundum subiectum, aut prædicati substantiam, vt album de homine.
- Per se; quæ contra; vt cum dico, Homo est animal, prædicatum tribuitur hic homini secundum substantiam hominis.

Zaba-

Zabarella in Doctrina Analytica & Propos. Necess. l. 2. c. 5. Accidentarium prædicatum vocat, sine quo subiectum esse potest, indeque prædicationem per accidens : vt Essentiale prædicatum contra sit quicquid in Definitione alicuius rei sumi potest.

Species suo generi accidit, seu contingens est suo generi. Itaq; hæc prædicatio, Animal est Homo, ei est prædicatio per accidens: Potest enim animal esse sine homine in aliis speciebus , seu datur sine homine animalis natura in aliis animalibus. Auerroi hic Zabarella συνάδει.

Melanchthon, secutus credo Gabrielē Bielem, prædicationem quandam Inusitatam facit in *Propositionibus de filio Dei Incarnato*, quarum non sint alia exempla in tota rerum vniuersitate , ideoque ad Regulares Prædicationes non congruant.

Sed Alii negant Inusitatas esse Prædicationes, quod res quidem dispositæ interdum sint Inusitatæ: Dispositio vero maneat vsitata, vt his axiomatis, Ferrum natabat, 2. Reg. 6. item, Virgo concipiet & pariet. Luc. 1. Disponitur notio consentanea cum consentanea. Addunt , An ferrum possit natare, necne ; An virgo possit concipere & parere salua virginitate , ea non esse considerationis Logicæ, sed Physicæ & Theologicæ, quod in Logica non nascantur res ; sed illa tales iudicet, quales inueniat. Pro his ego adsum.

Quidam è Scholasticis prædicationem aliam faciunt per Inhærentiam, aliam per Identitatem.

Prædicatio per Inhærentiam est in concretione, vt, album est musicum.

Prædicatio per Identitatem est in abstractione, vt Bonitas est iustitia. Hic prædicatum habet identitatem aliquam cum subiecto.

Boetio in Prædicam. Prædicatio est aut Maior , aut Æqualis. Prædicationes maiores , quæ sunt de omnibus minoribus: æqualia de æqualibus prædicantur.

Prædicatio cum non potest conuerti, quod de alio prædicatur maius est re illa, de qua prædicatur. Idem Boet.

Prædicatio etiam alia dicitur Realis, notionis primæ de notione prima, vt Iustitia est virtus : alia Notionalis , in qua Notio secunda prædicatur de prima, vt, Virtus est Genus. Hæc vocatur etiam à Nonnullis Scholasticis Artificialis, quæ directe seruit artificio. Ea deuenitur ex noto in cognitionem ignoti. Thom. de Vio.

Prædicatio *Actualis* Scholasticis est, cuius extrema actu sunt, vt, homine existente dico, Homo est animal.

Prædicatio *Aptitudinalis*, cum extrema actu non sunt, sed potentia , cum forma (prædicatum) non inest subiecto secundum actum, sed secundum necessariam ordinationem fundatam in principiis naturæ, vt rosa non existente rosa est planta seu flos.

Prædicatio *partim actualis, partim aptitudinalis* , vt Christus in Vet. Testamenti Ecclesia fuit. Alii sic dicunt : Copula accipitur vel ita , vt dicat esse actuale extremorum, & ita falsa est hæc: Rosa est flos nullo flore existente : Vel, vt dicat esse potentiale seu Aptitudinale, & ita hæc, Rosa est flos, Aristoteles est, Arist. est homo, sunt concedēdę. Sed Biel sentit, posse esse nō esse: *Esse*, vt posse esse beatū nō est esse beatū actu: Esse esse beatū nō est esse beatū actu: Esse, inquit Biel, semper dicit actuale, nō esse negationē τῦ εἶναι actualis, vt Christus in mortis triduo nō fuit verus homo, quia separata anima à carne desiit verbū subsistere in natura humana viuente. Posse autem esse semper dicit esse aptitudinale secundum potentiam Naturæ , immo secundum potentiam quamcunque , siue sit Diuina

uina siue naturalis. Vid. l. 3. d. 8. 9. & alibi.

Sed Iurisconsultus *semper* illud negaret, ac pro eo diceret *plerunque* vel *regulariter*. In iure enim esse interdum pro esse fingi accipiendum est, nempe cum substantiue veritas demonstrari nequit, vt loquitur Baldus, cuius doctrinam interpretum calculus probauit in l. de fortuit. ff. de pignorat. action.

Prædicatio seu Attributio à quibusdam diuiditur in Verbalem & Realē. Attributionem Verbalem faciunt mutuam vel non mutuam. Mutuam, in qua nomina permutantur, vt cum quod τῷ λόγῳ proprie competit, hoc imputatur carni; & vicissim, quod patitur Caro, hoc imputatur τῷ λόγῳ. De hac sunt Patrum Testimonia.

Quælibet Naturarum vocabulum alteri impertit. August. cont. sermon. Arianor. c. 8. de Trinitat. & Vnitate Dei cap. 6. Et paulo post: Diuinitas Humanitatis, Humanitas Diuinitatis nomen accepit. Christus Diuinitatem suam non indignam censuit Nomine Filii Hominis, sicut carnem suam dignatus est Nomine Filii Dei. August. l. 1. de Ment. peccat. & Remiss. c. 3. Verbum dignatum est Caro fieri, vt posset Caro Verbi, hoc est, Dei nomine nuncupari. Item: Quomodo Homo ille; (id est, Humanitas illa) habere potuit Dei nomen, nisi quoniam à Deo susceptus (id est, suscepta) vnam cum eo (ea) possedit nominis dignitatem.

Item. Ex quo Deus author vitæ hominem (id est humanitatem) in vnitatem personæ suscepit, ex eo ille Homo (illa Humanitas) nomen vitæ authoris obtinuit. Fulgent. l. de Incarnat. c. 10. & ad Tra. l. 3. ex Africanæ Ecclesiæ sententia.

Item, Homo ille Deus dicitur pro eo, quod est à Deo susceptus.

Theodoret. cap. 3. Vnio communia facit nomina.

Cyrill. in epist. ad Nestor. Quia proprium eius corpus factum est, quod ex beata Virgine assumsit, eam ob causam carnis passiones ipsius esse dicimus dispensatiua quadam appropriatione, seruata vbique natura impassibili.

Ambros. citante M. sentent. lib. 3. 21. d. Quod Caro Verbi patiebatur, manens in Carne Verbum in sese pro corporis assumptione referebat, vt pati diceretur, quia Caro patiebatur.

Prædicatio seu sententia, Propria & Impropria, accipitur tripliciter.

1. Ratione Verborum.
2. Ratione Connexionis seu modi prædicandi & significandi sensum, qui duplex est, Proprius & Improprius. Sic propria sententia est, cum Compositio propria est. Impropria, cum talis est compositio, quæ aliquādo externa dicitur. Impropria prædicatio est: Iactatio digitorum est leuitas; sed non habet tropum λέξεως: Proprie dicitur: Iactatio digitorum est indicium leuitatis. Sic hæc; Metaphora est similitudo contracta ad vnum verbum; impropria est.
3. Proprie prædicari est essentialiter seu per se prædicari. Improprie prædicari est τυχόντως seu per accidens prædicari, vt corpus Domini fractum in cruce prædicatur vt Res testata de pane fracto in mensa Domini vt de Testamento improprie.

Prædicatiua propositio Boetio est propositio Categorica, quæ opponitur Conditionali. In Topic. Cicer.

Prædicatiua in Conditionalem verti po-

test; vt, Homo est animal: Si homo est, animal est.

Canon:

Prædicatio à potiore (nobiliori) seu principali denominanda est.

Vsus.

Cum implicite hæc propositio; Homo est γελαστικὸς; videatur esse effecti de causa; γελαστικὸν enim à rationalitate hominis dependet vt à causa: cur dicitur prædicatio τοῦ πάθους seu accidentis de subiecto?

Respondeo: 1. Quia prædicatio denominanda est ab *actu* potius, quam à potestate, ab expresso potius, quam ab implicito, ab eo potius, quod simpliciter est, quam ab eo, quod secundum quid, (κατά τι) est, ab eo potius, cui absolute & per se attribuitur, quam ab eo, cui attribuitur ratione quadam restrictiue: denique à principali potius quam à minus principali.

2. Vterque terminus Enuntiati, tam prædicatus seu consequens, quam subiectus seu antecedens, dicitur vnus esse, non duplex. Ergo hæc prædicatio, Ignis est summe calidus, vel ista: Homo est γελαστικὸς, non debet dici & effecti de causa, & adiuncti proprii de subiecto simul.

Prædicatio est
- Synonymica seu Vniuoca, in qua prædicatum de Subiecto dicitur Synonymice, vt Homo est animal.
- Paronymica seu Denominatiua, quæ constat prædicato paronymico, (vnde res denominatur) vt Homo est corporeus, rationalis.

Hæc requirit, inquit Thom. Aq. 7. 1. Philos. distinctionem realem inter subiectum & prædicatum.

Denominatiuæ subiicitur Accidentalis. Hæc secundum Thomam fit duobus modis: Vno accidens de accidente prædicatur per accidens, quia ambo eidem subiecto accidunt, vt album prædicatur de musico, quia ambo homini accidunt. Alter modus est, cum accidens prędicatur de subiecto. vt Socrates est Musicus, quia Musica accidit Socrati:

Prædicatio Reduplicatiua est, quæ fit per reduplicationem seu ἀναδίπλωσιν termini, qua res limitatur per se ipsam.

Canon.

1. Reduplicatio proprie sumpta non tollens repugnantiam extremorum (falsæ) falsam simpliciter non potest reddere veram; vt, Homo vel ciuilis iustitia peccatum est, falsa est. Hanc veram non potest facere ista: Homo qua homo, vel ciuilis iustitia peccatum est, quia reduplicatio non tollit repugnantiam extremorum (Subiecti & prædicati.) Prædicatio limitata synecdochica est, cum res restringitur per partem, vt Fridericus primus Imperator est ruffus secundum barbam.

2. Si addatur alteri extremorum, vt prædicato; aliquid ipsum distrahens, ita vt distractum (nempe prædicatum) non repugnet alteri extremo, sicut antè repugnauit non distractum, proposition cum tali determinatione (distrahente) vera esse potest: vt, album simpliciter repugnat æthiopi; ideoque hæc est falsa, Æthiops est albus, sicut & hæc, Æthiops qua homo est albus: Sed addito ad prædicatum, secundum dentes,

dentes, per quod ipsum distrahitur, tollitur pugnantia eius cũ subiecto, ac propotio est vera (Æthiops est albus secundum dentes) quæ sine hac προσθήκη (id est, simpliciter enuntiata) nõ fuit vera.

3. Denominatur res non ab vnius partis imperfectioris & minus principalis, sed à partium plurium principalium & perfectiorum proprietate. Itaque Æthiops dicitur non albus, sed niger.
4. Cum opposita insunt secundum diuersas partes integrantes principes, neutrum denominat totum: vt cum scuti medietas vna est alba, altera nigra, scutum esse album vel nigrum simpliciter dici nequit,
5. Cum prædicatum natum est inesse toti per aliquam partẽ principem, quod huic parti cõuenit, attribuitur toti, seu denominat totum. Si sanari natum est simpliciter inesse homini secundum cor, potest dici animal sanum simpliciter, quia cor est sanum: si tamen secundum aliam partem æque homini insit morbus, non dicetur simpliciter animal sanum, quia tunc duo opposita possunt simul enuntiari de eodem, vt si cor sit sanum, & epar morbosum.

PRÆIACENS.

Hac voce vtuntur Scholastici & Theologi pro eo, quod est existens, προϋπάρχον, vt Creatio est actio Dei externa qua immediate per se res à non esse ad esse sine alteratione produxit, idq; aut nulla prorsus præiacente materia, id est, præexistente, aut in materiam iam ab ipso creatam formam è nihilo inducendo.

Scholasticis Logicis, vt Gabrieli Bieli, *propositio præiacens* est simplex simpliciter (sine determinatione) quæ determinatam antecedit.

Canon.

Τὸ *Secundum quod semper præsupponit suam præiacentem*: vt huius, Christus secundum Quod Homo est Filius Adoptiuus; Præiacens est, Christus est Filius Dei adoptiuus. At hæc falsa. Ergo & illa. Hæc, Chiistus secundum humanam naturam est Filius Dei adoptiuus, falsa est: Si enim vera esset, præsupponeret veritatem illius, Humana natura est Filius adoptiuus; sed illa est falsa: Filius enim est nomen personæ. Homo est crispus secundum crines: Christus est creatus secundum humanitatem. Harum præiacentes sunt: Hominis huius crines sunt crispi: Christi Humanitas est creata. Quæ si veræ non essent, nec illæ veræ essent.

Canon Fonsecæ & aliorum Scholasticorum Dialecticorum.

Veritas cuiusque conditionalis enuntiationis necessariæ fundatur in veritate alicuius simplicis præiacentis, vt veritas huius connexæ; Si Socrates est homo, est animal; fundatur in veritate huius: Homo est animal; & veritas huius, Si Socrates est homo, est capax scientiæ; fundamentum habet in veritate huius; Homo est scientiæ capax. Non igitur est minor necessitas simplicis enuntiationis, in qua veritas hypotheticæ fundatur, quam ipsius hypotheticæ.

Verum obiicitur; hunc Canonem fallere. Nam hæc cõditionalis necessaria est, Si homo est Leo, etiam est quadrupes: & tamen neutra simplicium, Homo est Leo, Homo est quadrupes, vera est.

Resp. p distinctionẽ Necessarii seu Necessi

tatis. Canon Fonſecæ intelligendus de enuntiatione conditionali neceſſaria abſolute. Si conditionalis neceſſaria eſt Simpliciter, eodem quoq; modo neceſſaria eſt ſimplex enuntiatio, in qua illius veritas fundata eſt. At hæc conditionalis, Si homo eſt Leo eſt, etiam quadrupes; neceſſaria eſt ἐξ ὑποθέσεως, id eſt, ex conditione ſeu connexione partium, quæ ſeparatim hic veræ non ſunt, multo minus neceſſariæ.

quomodo intrauit in Domum Dei, & panes propoſitionis ſumſit, quos non licet edere niſi tantum ſacerdotibus? Vbi proponitur non tantum Dauidis, verum etiam ipſorum Sacerdotum de caſu neceſſitatis iudicium.

Eraſm.

Hoc citra præiudicium melioris ſententiæ dictum acceptumq; volo.

PRÆIVDICIVM.

Præiudicatio, προκρισις, eſt ipſa actio præiudicantis.

Præiudicium eſt id, quod ex hac actione exiſtit, Græce πρόκριμα. Sed ſæpiſſime pro eodem accipiuntur.

Per Metonymiam etiam Præiudicium, vt Græcum πρόκριμα, pro ipſa perſona ponitur à Cicerone.

Præiudicata ſententia.

In Logica Nonnullorum, vbi agitur de Teſtimonio & auctoritate, habetur argumentum à Præiudicio (Vid. Logic. Andr. Hyperii Theolog.) vel præiudicata opinione, vt loquitur Cicero. Eſt autem Præiudicium, quod cum per authoriratem fuerit ſemel ſtatutum, ſemper affert exemplum, quod alii ſequantur: ſeu cum de re aliqua dubia pronunciare volentes, expendimus & ſequimur iudicium, quod antea per alios de eadem re aut ſimili factum ſeu latum eſt. Naſcitur igitur præiudicium ex auctoritate: Vnde Senarius hic: *Nil veritati auctoritas præiudicat.* Exemplum Luc. 6. Phariſæi accuſabant diſcipulos Chriſti, quod ſabbatho iter facientes per ſata vellerent ſpicas, & confricantes manibus ederent grana. Quid facitis, inquiunt, quod nõ licet facere ſabbatho? Reſpondens *Ieſus* ad eos dixit: Ne hoc quidem legiſtis quod fecit Dauid (1. Sam. 21.) cum eſuriſſet ipſe, & qui cum eo erant,

PRÆMIVM.

Præmium datur proprie pro virtute, vt Græc. ἆθλον ὁ ſicut pretium pro labore. Hinc verſiculus: *Præmia virtuti dantur, pretiumq; labori.*

Hinc operæ & curæ pretium dicitur.

Sed cum Ioachim. Camerar. illud Ariſt. Oecon. c. 5. μηδ' ἐ ἆθλα τῆς ἀρετῆς ἢ κακίας, vertit, neque præmia virtutis atq; vitiorum, *τὸ Præmia relatum ad virtutem accipitur proprie, ad vitia vero improprie*: Eorum enim meritum proprie eſt pœna: Ita ἆθλον proprie dictum virtutis; ἆθλον vero improprie vitii. In vtraque autem & Græca & Latina locutione modificata eſt vox ἆθλον, præmium, per Synecdochen ſpeciei pro Genere, ἆθλον ſeu præmium, id eſt, meritum. Sic dicere poteſt Ephorus: Beneficiarii principis mihi afficiendi ſunt præmiis, id eſt, meritis ſuis, quæ ſunt vel proprie præmia, vel pœnæ.

PRÆSAGITIO.

1. Præſagitio eſt diuinationis ſeu prædictionis ſpecies, quæ & præſenſio dicitur.

Præſagiũ eſt prudentia quędam vel ſolertia animi hominis futura præſentiẽtis, etſi cauſa non ſemper nota eſt. Zum-

gerus

gerus Præsagium vocat, quod prædicitur & voce pro certo alicui denuntiatur, non forte fortuna, eoque differt ab Omine, quod fortuito vel fit, vel pronuntiatur, latentem tamen habet coniunctam Diuinationem. Differt item ab Oraculo. Nam Præsagium *vel per homines diuino quodam numine* afflatos pronuntiatur, cum supra humanam sortem captumque sapere videantur, non penitus tamẽ & ex professo fatidicos, sed tunc tantum cum præsagiunt: *vel per bruta*, cum vocem miraculose sunt adepta. Sed Oracula sunt Deorum responsa, & non nisi à diuinis hominibus & Enthusiastis proferuntur, quos vates proprie appellant, & ipsa responsa Vaticinia.

Præsagii exemplum Theatrum vitæ humanæ habet illud Senecæ de inuentione per Hispanos anno Christi 1493 facta, In Tragœdia, quæ inscribitur Medea:

Venient annis secula seris
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, nouosque Typhis detegat orbes,
Atque ingens pateat tellus,
Nec sit terris vltima Thule.

Præsagitio est Intellectus Theorici vel Practici.

Illa continet prædictiones Physicorum (vt Physiognomorum, Metoposcorum, Chiromantarum) Medicorum, & Astrologorum, è causis Physicis inferioribus vel cœlestibus: Hæc vero Ethicorum & Politicorum. Practicus enim prædicit ex actionibus & obseruationibus quotidianæ vitę de Rebus publicis, vel priuatorum hominum Euentis. Itaq; dicuntur hæ prædictiones Prudentum, & Prudentiæ.

2. Præsagitio accipitur pro vi quadam præsagiendi (prima significatio fuit actus.) Sic vsurpat Cicero de Diuinatione: Inest animis præsagitio diuinitus inclusa. Idem eodem libro; Is, inquit, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur præsagire, id est, futura ante sentire. *Sagire enim sentire acute est*, ex quo sagæ anus, quia multa scire volunt; Sagaces canes dicti; vnde & narium sagacitas, (qua significatur celeritas in odorando) quæ tribuitur iis, quos Germani dicunt habere Tenuem nasum.

Quid Præsagire?
Quid Sagire?
Quid narium sagacitas?

PRÆSCIENTIA.

Præscientia seu Prænotio, προγνωσις, est futurorum vel certa, vel incerta; vel necessariorum, vel contingentium; Vel Dei, vel creaturæ cognoscentis. Certa & Infallibilis semper Deo conuenit, vt Præscientia, qua Deus præuidit Adamum esse peccaturum.

Huius certitudo seu infallibilitas à nonnullis Theologis pendere à Diuina Præordinatione, qua Deus efficaciter decreuit vt Adamus certo peccaret; dicitur. Hoc ego ἀθετέω.

PRÆSCRIPTIO,

ὁρισμός.

Quod Scholastici vocant Dictamen, aliis, vt Ciceronianis, est Præscriptio vel præscriptum, vt Dictamen rectę rationis seu legis naturæ, hoc est, præscriptio. Sic Latini dicunt: Præscriptio formulæ. Ein Vorschrifft.

Philosophis etiam Præscriptio est definitio, vel id, quo vnũ ab alio secluditur, quasi res aliqua hoc sibi præscribat ac vendicet tanquam proprium. Sic Scaliger accipit. Alias dicitur quoque *Modus*.

Scaligero Præscriptio est Separatio, segregatio, exclusio, finitio, ὁρισμὸς, lib. 3. Poet. cap. 54.

Præscriptio est moderatio; qua positis multis quædam secluduntur, alia admittuntur, idcirco Græci ὁρισμὸν,

Quintilianus Finitionem vocat. *Non erit auxilio nobis AEtolus & Arpi*, At *Messapus erit.*

Ita præscribit fortunam suam viris fortibus & felicibus & delectis, ait enim: *Felixque Tolumnius*; & mox, *Delectos Latio & Laurentibus aruis.* Atque excludit Ætolos cum Diomede. Alias etiam ὅρισμὸς pro certo modo, regula & quasi præscripto à Græcis capitur 8. Ethicor. ἀκριβὴς ἐν τούτοις ὁ ὅρος ἐστὶν ὁ ὁρισμὸς, in his certa finitio & certus modus constitui exacte nequit. ὁριστὴς qui Græcis est, Latinis est Præscriptor & finitor, teste Polluce, id est, determinator limitum & confinium. Item cap. 56. Paranomasia est allusio rei à re deducta cum præscriptione, mutatis aut additis aut detractis elementis. Idem cap. 54. Vbi refert præscriptionem ad διατύπωσιν. Ab eodem Totum certis partibus præscribi dicitur, hoc est designari & explicari. cap. 9.

Verba totum certis partibus præscribentia.

Definit modum præscriptione cuiusque rei, siue sua, siue ab alio imposita. Exemplum prioris, veluti cum lapis sua natura tantus & talis figuræ, talis situs, hoc in loco; Exemplum secundi, cum ex eo lapide factum sigillum Mercurii bipedale, pictum minio, stans in templo.

Præscriptio igitur ad accidentalem Differentiam referenda est, estque tam animæ in moribus, quam corporis in accidentibus; Est & in rebus inanimis, in tempore, in loco, in factis, in dictis.

Præscriptio Philosophis interdum est præscriptio finium quantitatis. Sic accepit Scaliger, cum ait: Augmentum est promotio præscriptionis ad vlterius Vbi (id est, in auctione, quæ præerat superficies tractus breuioris, habet postea in vlteriori loco alium terminum.)

Veteribus Iurisconsultis præscriptio est exceptio; Nouis est acquisitio dominii. Vide Budæum in Pandectas. & Quintil. l. 7.

Dicimus etiam Præscriptio Temporis pro Exceptione Temporis. leg. 1. & ff. si liber. ingen. esse dicat. Vbi tamen præcisa est locutio, vt vocauit Cicer. & bene obseruauit D. Hottomannus. Cum enim dicimus Præscriptio temporis, siue longi temporis, accipimus hoc ac si diceretur: Præscriptio ex possessione longi temporis, id est, exceptio.

Præscriptionem autem pro Acquisitione Dom. vsurpatam esse apud Veteres Iurisconsultos non opinor, & nego. Et proinde inscitia est absq; vllo idoneo authore hoc verbum Accusatiuo velle iungere, ac si liceat dicere, præscripsi hanc rem, ac ne nunc quidé præscripsi hanc rem, ac ne nunc quidé hunc casum regit. Licet enim in Ablatiuo Instrumenti dicatur, Præscriptione capere rem, non tamen dicimus præscribere rem. l. 4. & l. final. ff. pro empt.

Iurisconsultus dicit Vsucapio est acquisitio vel adiectio dominii per continuationem, possessionis bonæ fidei, temporis lege definiti. Hic pro Definiti dici posset præscripti, acquisitio nimirum contingit ex hoc, quod rem alienam continuo quodam tempore à Lege definito, seu præscripto, seu constituto, seu præfinito possederis.

Porro Quintiliano quoque præscribere alicui est exceptionem obiicere.

PRÆSCRIPTVM.

Præscriptum Scaligero est segregatum, separatum, vt partes liquidæ vnitæ admittunt extremorum præscriptionem, id est, terminorum separationem. In Cramate seu vino diluto aqua partes aquæ vel vini non sunt actu Mathematice, quia non sunt terminis præ-

præscriptæ atque separatæ, sed sunt actu naturali, quia sua quæque sub forma propria. Scaliger. exercit. 101. sect. 1.

Circumscriptio cum præscriptione non est confundenda: Illa est quod dicunt Rationem formalem. Scaliger. exercitat. 257.

Præscribere, præscribi pro *finiri.*

Scalig. Geometriæ Cognitio duplex est, Absoluta & Relatiua: Relatiua præscribitur angustioribus terminis.

Idem. Virtus & vitium non præscribuntur vna definitione.

Idem. Obsepsisti Cardane Amabile sola pulchri præscriptione, id est, obiectum amoris tantum fecisti pulcrum, astrinxisti ad pulcrum seu pulcro.

PRÆSENS.

1. Præsens est aliquid alteri per *σωμάφειαν Mathematicam seu Physicam*, id est, per contactum corporalem: Sic caput collo præsens est: Sic Res terrenæ corpori nostro præsentes sunt in Cœna Domini; Vel *per σωμάφειαν Virtutis & efficacia*: Sic Luna terris præsens est; *aut per συνέχειαν contactu spirituali per gratiam*: Sic Caro Christi nobis præsens est Vnione per Spiritum, caput pedibus corporis præsens est per cohærentiam & vitæ *κοινωνίαν*: seu, Christus nobis tanquam caput membris vnitur interuentu Spiritus sui in nobis inhabitantis.

Præsentia igitur esse potest procul dissitorum.

2. Præsens quippiam alteri est *vel absolute*, seu *rei veritate*, id est, in sese, vt materialiter, *vel respectiue*, vt in signo; vt in mensa Domini est Corpus Christi Sacramentaliter, id est, in sanctificato pane: *vel per speciem*, vt præsens est Lux Solis oculo meo per Speciem, (quæ repræsentatio lucis est. Scaliger. exercit. 71.)

3. Præsens per
- *Sensum*, vt Sol nobis, quicunque in toto orbe eum intuemur, est præsens per visum.
- *Mentem*, Sponsa sponso corpore absenti præsens est animo.
- *Fidem*, Christus etsi in Cœlo loco circumscribatur, tamen id non vetat, quin vere nunc sit nobis per Fidem præsens.

Explicat. Terminorum.

4. Præsentia Spiritualis dupliciter accipi potest. 1. Pro ea, qua quis spiritu seu animo alicui præsens est: Sic *παρουσία* Spiritualis est, qua Caro Christi per Spiritum eius fidelibus præsens est. 2. Pro ea, qua Spiritus, vt Angelus alicui præsens est.

5. *Præsentia Corporis est vel corporalis immediata: vel Spiritualis mediata per Spiritum sanctum*, id est, quæ fit Spiritu Christi eam efficiente, & Christi corpori nos vniente. Vnimur Corpori, quod Filio Dei vnitum est personaliter, per inhabitantem in illo & in nobis vnum & eundem Spiritum.

Non propinquitas loci, sed rei κοινώνησις efficit, vt res dicatur alteri præsens: nec Longinquitas loci, sed rei ἀκοινώνησις facit, vt res dicatur alicui absens; vt qui in Schola docet, tam iis, qui propius Doctorem sunt, quam iis, qui longius, ex æquo dicitur esse & est præsens.

Corpus Christi fidelibus præsens est, nempe ipsorum mentibus, quia reuera Spiritu & fide percipiunt, sicut & vere se Christus illis communicat virtute sui Spiritus per Verbum & Sacramenta.

Canon.

Quod alicui communicatur, præsens esse necesse est.

Augustin. Et nobis sunt præsentia, quæ sunt præ sensibus nostris siue exterioribus, siue interioribus, hoc est, ante sensus nostros corporis vel mentis.

Aquinas: Illa dicuntur nobis esse præsentia, quæ nobis sunt in prospectu, id est, quæ percipimus oculis id, quod de prospectu etiam Mentis intellexit, ait Zanch. lib. 2. de Naturâ Dei.

Præsens res dicitur alteri

- Qua vere se communicat & vere ab illo percipitur, cui dicitur esse præsens, etsi localiter ab eo procul distet, vt Sol vere præsens est oculis nostris, tametsi sit σῆμα magnum inter Solem & oculos nostros.
- Quatenus etiam localiter & locali propinquitate adest illi à quo percipitur, vt quæ sensu tactus aut gustus percipimus. Hæc vocatur à Scholasticis præsentia indistantiæ.

Ἄλλως.

Præsens est è Genere Relatorum.

Præsentia igitur Relatio est. Itaque non est proprie accurateve dicta causa operandi. Nec etiam Formaliter est Actio, etsi suo modo dici possit Actuosa & Efficax.

Quatuor modi παρουσίας.

Potest aliquid alicubi esse præsens quatuor modis.

1. Σημαντικῶς, Repræsentatiue & Sacramentaliter, id est, per signum, figuram, sui imaginem. Ita præsens est mihi vel huic Princeps Mauritius in imagine, quæ eum repræsentat.
2. Ἀντιληπτικῶς, per apprehensionem seu obiectiua: ita præsens est Sponsus Sponsæ, cum de illo re ipsa cogitat. Ita Sol præsens est visui per speciem, non κατ' οὐσίαν.
3. Ἐνεργητικῶς effectiue seu virtualiter, per operationem seu per effectum. Ita Sol est nobis & Terræ præsens efficacitate sua, per lumen & calorem, quem in terris producit.
4. Αὐτοστάτως, per se ipsum, id est, per Substantiam suam, seu οὐσιωδῶς. Idque præsentia vel immediata: Ita Sol est præsens in Cœlo, non in terra; vel mediata, quali caput singulis membris præsens est vere & reipsa, etiam pedibus, nempe vi animæ & vinculo neruorum.

Vsus.

Ὁμολογούμενον est, Christum præsentem esse tribus prioribus modis in vsu legitimo Sacramenti Cœnæ.

Nam

1. Per externa signa Panis & Vini ex institutione Christi Corpus & Sanguis ipsius repræsentantur.

2. Ex

2. Ex hac Repræsentatione Christum fide apprehendimus.
3. Per illa signa operatur in nobis Christus effectum gratiæ & refectionis spiritualis.

Sed quarto modo præsens Zwinglio non est in Pane Cœnæ Corpus Domini. Nam per & secundum οὐσίαν, vt fuit olim in cruce, sed nunc est in Cœlo. Pontificiis autem præsens est sub & in specie externa Panis, nō tantum secundum figuram, sed etiam secundum veritatem, non solum per apprehensionem, sed & re ipsa, non solum per efficaciam, sed etiam ὑσιωδῶς, id est, per se ipsum seu propriam essentiam.

Quali caput singulis membris, &c.]

Huc pertinet præsentia Spiritualis (quæ Locali opponitur & corporali) Corporis Domini nostri. Vt præsens est Caput singulis membris *non Loci propinquitate*, (alioqui enim caput Pygmæi magis esset suis pedibus præsens, quam caput Gigantis) *Sed vi vnius animæ & nexu neruorum ac ligamentorum:* Ita nobis præsens est Christus per Spiritum. Nam nos nostraque corpora & corpus Christi simul vere connectuntur vno & eodem Spiritu, ita vt nos simus vnum & idem corpus sub vno eodemque capite, quod dedit Deus Ecclesiæ, nempe Christo.

Porro Præsentia illa πνευματικὴ rursus distinguitur. Nam Fidei Patrum in Vet. Testam. præsens fuit spiritualiter; præsens fuit *De iure*, vt loquuntur, Christi humanitas nascitura. Nostræ autem Fidei Spiritualiter nunc præsens est, *ipso*, vt loquuntur, *Facto*.

Omnino τὸ πιστὸν, qua πιστὸν, animo præsens est, spiritaliter. Πιστὸν materiale est extra animam: πιστὸν spirituale est in anima, vt νοητὸν in intellectu, sic πιστὸν in anima seu corde fideli spiritaliter, hoc est per speciem, imprimitur, non materialiter: vt in Intellectione fit vnio intellectus cum Intelligibili: Sic in actu credendi fit coniunctio cordis seu animæ fidelis cum πιστῷ, id est, cum eo, quod creditur.

De præsentia corporali loquitur Athanasius Oratione contra Idola: Irrationalia animalia sola, quæ præsentia sunt, obtuentur, & ad ea sola, quæ in oculis sunt, incitantur: Solus homo *ea, quæ extra se sunt* ratiocinatur & cogitat, & quæ præsentia non sunt, animo complectitur.

Libr. Epistolar. epistol ad Paulin. 112. Augustin. Præsentia intelligo, quæ præsto sunt sensibus siue animi, siue corporis. Et. Me absente, faciem mei corporis cogitas, & illa tibi est imago (incorporea corporis similitudo) præsens: Absens autem facies.

Præsens aliquid dicitur { Ex parte rei, reipsa existens præsens. / Repræsentatum, vt præsens imaginarie.

Præsentia.

Præsentia est existentia rei cum re, à qua non distat.

In Categoria est Relationis, non Actionis, quia potest res alicubi esse, vbi nihil agit.

Præsentia est distantia alicuius ab aliquo.

- Per Entitatem suam, Substantialis, Realis, Localis', Vere vel Quasi.
- Per virtutem & efficaciam seu applicationem eius; Virtualis.

De eius igitur ratione est propinquitas rerum inter se, siue perfecta, siue κατά τι; Non autem Vnio.

Non omnia, quæ sunt sibi inuicem præsentia, sunt inter se vnita, etsi omnis vnio præsentiam quandam immobilium inter se requirat.

Præsentia Corporis
- *Quantitatiua* seu Naturalis, qua corpus ita occupat spatium, quod replet sibi æquale & coextensum, vt ab illo necessario excludat aliam quantitatem. Dicitur & Localis. De eius essentia est extensio in ordine ad locum.
- *Sacramentalis*, modus corpori adueniens, non necessario consequens eius existentiam; vel supernaturalis.

Corpus Christi factum est capax, propter vnionem ad Verbum, modi existendi in loco indiuisibiliter, vt habet Alensis: falsum est: quia Vnio Hypostatica naturam Corporis Quanti non immutat.

Omnis præsentia essentialiter procedit *à corpore*, quod sit præsens, *& ab existentia*, seu actuali Entitate illius tanquam à subiecto, quod modificat. Est enim præsentia modus existentiæ rei præsentis. Id autem quod est tantum modus alterius rei, non potest esse sine re, quam modificat, quia non est res per se distincta secum ferens propriam Entitatem. Ita non potest intelligi figura sine re figurata, sessio sine sedente, vnio sine re vnita. Quantitas suæ substantiæ fundamentalis ratio est existendi in loco.

PRÆSTIGIÆ.

Præstigiarum nomen dupliciter accipitur. Primum generaliter, & pro γοητεία, id est, hac Magiæ parte, qua absque pharmacis, solis carminibus & characteribus, Deo permittente, improbi homines malis alios afficiunt, & pro mirificis actionibus Ludicris agyrtarum & ludionum.

Secundo Specialiter, nempe cum nonnulli hoc nomine ad ludicra tantum Magorum quasi miracula transferunt, non ad incantamenta.

Per Metaphoram tribuitur Sophismatis, Fallaciis seu Captionibus: & Verborum præstigiæ sunt apud Ciceronem. Ita igitur significat Deluſiones.

PRÆTER.

Præsentia
- Δραστικὴ, actiua.
- Otiosa.

Animæ præsentia est causa vitæ: absentia est causa mortis, id est, anima est causa, vt res sit, vel non sit.

1. Præter Exceptiua seu Contractius particula est, μόριον ἐκκλειστικόν.

Omnia Sacramenta, præter Eucharistiæ Sacramentum, consistunt in quadam operatione transeunte, qua cessante desinit Sacramentum. Gabr. Biel. l. 4. d. 3. q. vn. Vocatur & Particula Restrictiua

ctiua seu Restringens. Eodem sensu *Citra* accipitur, vt, Omnia citra Deum, quæ actu sunt, ex essentia & esse, hoc est, existentia sunt composita, de sententia Thom. Aquin, Picus de Ente & Vno.

2. Particula est Ampliatiua seu Extensiua, ἐκτατικὸν μόριον, pro Vltra.

Persona supponit pro Natura Intellectuali, & *præter* illam nihil aliud importat seu cõnotat, quam vel negationem quadruplicis communicabilitatis, quæ negatio ens rationis est actus, sc. interior mentis, quo intellectus intelligendo naturam ipsam diuidit à communicabilitate seu innitentia quadruplici. 1. qua pars communicatur seu innititur Toti. 2. qua constituens constituto. 3. qua forma formato. 4. qua sustentificatum sustentificanti; Vel Personalitatem, (id est, personæ inesse talem Entitatem.) Id. Gabr. Biel.

Ais Deum à Platonicis Vnum vocari, quia Vnitati est similis, quæ licet omnes numeros potestate contineat, pares nimirum & impares : ipsa tamen nec par, nec impar est. Subtilis hercle appellandi ratio, quæ *præter* id, quod Deus rebus similis esse non potest, (non enim exemplar mundi mundo est simile, &c.) alia causa stare non potest. Anton. Citad. ad Picum Mirand. de Ente & Vno.

Fonseca in Metaphys. lib. 1. cap. 1. quæst. 2. *præter accipit pro Supra.* Duobus modis aliquid fit præter Naturæ ordinem: Vno, si solus modus faciendi sit supra Naturam : Sic primi parentes facti sunt à Deo. Altero, si formæ ipsæ sint supernaturales, id est, non possint naturaliter introduci, vt Lumen Gloriæ. P. 59.

Significat aliquando præter Recessum ab ordinario, seu *ordinato.* Marsil. Ficin. de Diuin. nomin. Dionys. Malum etsi præter intentionem Diuinæ prouidentiæ accidit, cognoscitur tamen ab ea, &c.

Monstra sunt præter factum & præter Naturam, ex sententia quorundam Peripateticorum, quia non sunt ordinaria effecta.

Aliquo modo fit aliquid præter Prouidentiam Diuinam, vt malum, non enim assentitur : aliquo modo non fit præter illam id, quia non inuita illa, esset enim necessitas cogens ad contraria. Scaliger. exercit. 307. sect. 25. Inv naquaque actione vnum tantum sectum est, idque à Deo constitutum, quodcunque præter hoc est, non est Dei. Scal. exercit. 249. sect. 3.

Præter pro extra, Non præter, institutum sciscitabor, id est, extra rem.

Opponi interdum videtur τῷ *Vltra, ac idem esse quod Citra*, vt, Intelligentia fines habet, quos vltra ac præter non potest designari. Scaliger. exercitat. 359. De Intellig. sect. 4. Præter, id est, citra; vt cum dicitur; Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.

Præter particula limitans est, Est enim Exceptiua : Cœlum tegit omnia præter se. Athanas. in definit.

Præter naturam est, quod Deus vel non sic creauit, vel quod omnino non creauit, qualia sunt Mors & peccatum.

Vsus.

Quæritur, Quomodo accipiendum sit hoc Axioma Philosophi: Motus non est παρὰ τὰ πράγματα.

Resp. Ita, vt intelligatur τὸ παρὰ opponi τῷ ἐν. Motus non est præter res, id est, motus est in rebus, non sine rebus. Nullum enim genus mutationis est, quod non fiat secundum Substantiam, vel Quantitatem, vel Qualitatem.

Quomodo hoc Philosophi, quod etiam in ore est vulgo literatorum, ὁ γὰρ παρὰ μικρὸν, ὥσπερ οὐδὲν ἀπέχειν δοκεῖ.

Resp. Hoc Græcis peculiare est & Phrasin habet, παρὰ μικρὸν, id est, parum vel paululum, vel propemodum. Sententia autem est, Si qua parum distant, ea nil distare videntur, vel Quæ paulum distant, ea nil distare videntur.

PRÆTERITVM.

Verbum præteriti 1. Proprie astringitur ad significationem præteriti; vt vixit.

2. Philosophi Græci interdum accipiũt hanc Temporis differentiam absolute seu simpliciter, id est, de omni temporis differentia ad significandum quid fieri soleat, vt, Experientia artem genuit, id est, generare solet. Multas amicitias silentium diremit, id est, solet dirimere. Isocrat. In paræn. ad Demonic. pulcritudo aut tempore consumpta est (ἀνάλωσεν) aut morbo emarcuit (ἐμάρανε.) id est, marcescere consueuit.

Fonsecæ, qui hoc annotauit, huius Enallages causa videtur esse, quia ex obseruatione Præteriti intelligitur quid de futuro omniq; fere tempore iudicandum sit. 1. Metaph. c. 1. p. 38. Sic, Hoc illi συμβέβηκε, accidit. Aristot. 1. Metaph. c. 1.

PRÆTEXO.

Prætexo proprie est antetexo: hinc prætexta toga, cui purpura prætexitur. Ei pura toga opponitur. Translate est ob tẽdo, seu colorẽ quæro. Hinc prætextum & prætextus. Nota hic prætexendi verba & formulas.

Paria nonnunquam sunt 1. occasio, causa, Nomen, titulus, Simulatio, prætextus, prætextum, velamentum, obtentus, color, & color quæ situs vulgo species: Græce προφάσις, πρόφασις. Per prætextum, per causam, per speciem, per occasionem, per nomen. 2. Prætendere, obtendere, prætexere, speciẽ præferre, quærere colorem, dare colorem. Exempla subiicio. Reperire causam deserendi aliquem: hospites relinquendi causam reperire, Ciceroniana sunt. Per causam inopum in aliena bona inuolare, Ciceronianũ est, & Cic. Pro domo sua, per causam inopũ atq; peregrinorum in bona locupletũ repentinos impetus comparares. Lactantius lib. 1. Vera sunt quæ loquuntur poetæ, sed obtentu aliquo, specieque velata. Idem. Non ergo res ipsas gestas finxerunt poetæ, sed rebus gestis addiderunt quendam colorem, eine Farb anstreichen.

Quintilianus. Dandus deformibus color idque etiam apud malos. Id est, causa, facti speciosa exquirenda est. Idem: Si nulla contingit excusatio, Sola colorem habet pœnitentia. Idem: Sed ne illud quidem ignorare oportet, quædam esse, quæ colorem non recipiant, sed tamen defendenda sunt. Cicero colores accipit pro pigmentis rhetoricis seu pro orationis ornamentis & luminibus, quibus detractis res simpliciter indicata, non magnopere placeret, vt pingere aliquem omnibus artis coloribus, ad Attic. hi colores Rhetorici sunt. Plato vocat χρώματα & χήματα 10. de Repub. Marcell. de donationibus inter virum & vxorem, si color vel titulus, vt sic dixerim, donationis quæsitus est.

Colores etiam eleganter dicuntur argumenta speciosa in speciem probabilia. Marcell in Tract. de adult. prætextu incredulitatis. Valerius Publicola: Maximorum operum prætextu. Prætextũ neu-

neurto genere est in Tranquillo significatu eodem. Et prætextum quidem illi ciuilium armorum hoc fuit. Liuius. Scita plebis iniuncta patribus sub titulo æquandarum legum nostrarũ. Plinius in Panegyr. Sub titulo gratiarum agendarum. Idem: Celata morte per speciem alienę fungendę vicis Seruius opes suas firmauit. Tranquillus: Specie officii. Liuius lib. 19. ab vrbe condita. Semper aliquam fraudi speciem iuris imponitis. Hinc *speciosa, quæ prætextum & colorem habent,* dicuntur, vt *speciosa crimination* apud Liuium. Apud Eundem: Bruti haud abnuit cognomen, vt sub eius obtentu cognominis liberator ille populi Romani animus latens aperiretur tempore suo. Cicero ad Atticum: Amisimus, mi Pomponi, non modo succum & sanguinem, sed etiam colorem & speciem pristinam ciuitatis. Hic color positus ἀντὶ σχήματος. Sic Lucanus lib. 9. Non iam regnare pudebit. Nec color imperii nec frons erit vlla senatus. Colorari apud Ciceronem 2. de orat. est colore infici σχηματοποιησῆναι. oratio colorata, quæ habet colores seu σχήματα.

Modestiam prætendere, modestiæ speciem præferre. προκαλύπτεσθαι δόξαν μετριότητος Plato in Protagora. Viri doctissimi nomen barbaris moribus prætendere Cic. in Vatinium.

Legem postulationi suæ prætendere Liuius in 3. ab vrbe. sic & Cicero.

Imbecillitati sanitatis appellationem obtendere Quintil. Vergil. nouis prætexere funera sactis. Et coniugium vocat hoc, prætexit nomine culpam, id est velat, tegit. Difficultatis patrocinia præteximus segnitiæ Quintilian. lib. 1.

Sine velamento & colore quæsito, id est, sine prætextu ἀπροκαλύπτως Platonice.

Plutarchus accipit nonnunquam πρόσχημα pro magnifica specie, seu maiestate, vid. Guil. Budæum in comment. Græcæ linguæ.

PRÆTORIVM.

1. In Politicis Prætorium est, quod ad officium Prætoris pertinet, seu quod prætoris interest.
2. Per Metaphoram accipitur à Mathematicis cum dicitur, Astrologorum decreta non sunt prætoria, id est, nec eueniunt necessario, nec homines eis parere coguntur. Sic Physiognomica præcepta non sunt prætoria; quia tantum propensionem quãdam significant, nec necessaria sunt. Iodoc. Villich. Rotellian. in doctrin. Physiognom.

PRIMVM.

Primum dicitur per anterioris negationem, quia ante ipsum nil est aliud, siue sit primum simpliciter, siue primũ in aliquo genere; siue sit primum natura vel tempore: siue primum proportione, siue primum positione. Ego addo Primum Indiuisibili Æternitate. Ex Alb. M. in poster. Et 1. Eth. & Alex. de Ales in 5. Metaph. & Simplic. 8. Phys. text. 11.

Duobus Modis πρῶτον dicitur
- Quod ante omnia sui ordinis est, quod alia præcedit.
- Ante quod nihil est, licet post ipsum nihil. Hoc præstantiori ratione primum est, quia ratio absoluta est prior & validior.

Seu Primum Est Negatiuum, vel Positiuum.

Vnde Primitas esse dicitur

- Positiua, eius post quod iam existit aliquid, vt primogeniti filij, iam nato & actu existente secundo filio.
- Negatiua, eius quod ab alio non præceditur. Sic omne principium dicitur primum. Sic in Diuinis est prima persona respectu Filii vt secundæ, hoc est, ab ea non præceditur. Primogenitus Mauritii Filius antequam extet seu actu secundus filius sit, primus dicitur negatiue.

Obseruatio.

Vnum & idem potest esse respectu alicuius primum negatiue & positiue alio atq; alio tempore.

Quando aliquid est Primum negatiue, si detur aliquid aliud, cuius respectu sit primum, iam erit primum positiue, respectu illius, ac perinde prius illo, quēadmodum primogenitus, qui ante secundum Filium est primus negatiue, nato secundo filio, incipit esse pimus positiue, ac pronde prior illo. Fonseca Metaph. Arist. l. 6. c. 1. q. 2. s. 1.

Vsus.

1. Deus antequam quicquam crearet erat primum, ante Deum enim nihil.
2. Aliqua etiam sunt nomina primaria, à quibus nihil fluxit seu est deriuatum.

Primum quid est

- In Genere Principii, Ita vnitas prima est principium; & ita principiorum quædam sunt prima, quædam secunda.
- Quod à certo non præceditur, etiamsi ab alio præcedatur. Ita vnitas decima est principium consequentium, cum nulla consequentium sit prior illa.

Differt à *Priore*, quia Prius dicitur per Comparationem ad posterius, ac dicitur notius per comparationem ad cognoscentem. Id. Alb. M.

Primum in vnoquoque genere est perfectissimum in illo genere. Pic. in Apol.

Primum in quolibet genere est causa eorum omnium, quæ sub illo genere sunt. Thom. Aq. in 7. Physic. lib. 1. textu 8. & 2. de Cœl. textu 42. lect. 10.

Et primum est causa sequentium in ordine agentium. Alex. Alens. 2. Metaph. quod Picus lib. 3. c. 4. Astrol. sic enuntiat, Primum in vnoquoque genere causa est reliquorum sub ea serie contentorum, licet omnia eandem causæ rationem non habeant.

Primum & immediatum sunt idem subiecto, differunt ratione, quia Immediarum dupliciter dicitur. Primo à priuatione medii, quod est causa: Secundo à priuatione medii, quod est

est subiectum. Alb. M. in post. Anal. Id est, Primum Immediatum est vel vt Causa. vel vt subiectum. Opponitur ita Remoto & Mediato, vt aliquid recipere non πρώτως, id est, remote & mediare.

Primum non est idem prorsus, quod Vniuersale, quia prima causa motrix est quidem omnium prima, non tamen sic vniuersalis, vt Genera. Alex. Aphrodis. in 1. Metaph.

Prima definitione illa esse dicuntur, quæ in propria Ratione continene aliqua; quæ non sumuntur in definitione alteri⁹, Alex. Aphrodis. 1. de anima. c. 9.

Prima in Analogis sua natura accipiuntur in definitione Secundorum. Alens. 9. 1. Phil. text. 1.

Primum
- Simpliciter, simpliciter non habet causam vllam, vt Deus.
- In aliquo Genere, in eo genere nullam habet causam, vt principia in Disciplina aliqua.

Marsil. Ficin. in Plotin. Enneade 3. l. 1. cap. 1.

Idem de primo simpliciter: Primum penitus, quod est & vltimum, non tendit in aliud.

Fonseca in 5. Met. Ar. c. 11. explanatione distinguit ex Philosopho descriptionibus *primum simpliciter* definitum *à primo ad aliquid, Primo alicubi, & Primo ab aliquibus.*

Primum Natura seu ἁπλῶς definitum est, id, quod suapte natura est primum in aliquo genere, quomodo ortus inerrantium stellarum ex sententia priscorum Philosophorum est primum quiddam in genere mobilium, & Rex in optime constituta Repub.

Primum ad aliquid ὡρισμένον, id est, definitum est, quod respectu alicuius primum est, quo modo sphæra Saturni est primum mobile à sphæra inerrantium seu fixarum stellarum. Et summus Magistratus sub Principe vel Rege est primus à Principe vel Rege.

Primum alicubi definitum est id, quod obtinet primum locum siue natura siue respectu alicuius designatum.

Primum ab aliquibus definitum seu designatum est primum arbitrarium, vt id, vnde libet orationem incoare.

Primum in Exercitationibus nonnunquam accipit Scaliger pro Proximo, vt actus primus, potentia prima, id est, proxima.

Interdum etiam idem est, quod Principale, seu præcipuum; In Communibus, quæ dicuntur ab Vno, & habent prius & posterius est primum, id est, Principale analogatum, vt loquuntur Scholastici. Hinc fecerunt Primum aliud primitate temporis ac originis seu secundum originem tantum; Aliud Principalitatis, id est Præcipuum vel excellentissimum, Scal. ex. 307. s. 26.

Primum in Compositione est vltimum in Resolutione. Alens. 5. Met.

Primum in Intentione principium est, quod mouet appetitum, & substracto principio appetitus à nullo mouetur, & est finis vltimus, Marsil. Ficin. in Platon. Phileb. l. 1. c. 2.

Primum falsum est fons falsi, de quo Plato in Cratylo. Primo falso vel inconuenienti dato, reliqua iam multa inconuenientia sequuntur.

Primum καθόλου est, quod cum suo subiecto est reciprocum, vt risibilitas, sensibilitas.

Prima διάφορα recipientia, sunt propria & ver-

& vernacula, Græce οἰκεῖα, & adæquata subiecta (Iis opponuntur δεύτερα) sunt autem illa vel Absoluta, vel Limitata, vt cum dico; Omne Corpus Animatum suis fungens energiis sanum est: Hic sanitatis πρῶτον recipiens limitatum constituitur. Nutriri inest homini, vel animali δευτέρως, sed corpori animaro qua animatum primo & vnice subiectum primum Ethicarum virtutum est appetitus cum ratione coniunctus. Virtutum Contemplatricium Mens sine apperiru. Mobilitas proprie inest in re naturali vt πρώτῳ δεκτικῷ, propter naturam vt causam. Primo inest substantiæ esse capax contrariorum.

Primum agens est, quo proxime attingitur Patiens, vt Schegk. putat, Primam causam effectricem sanguinis esse venosum genus, Adiuuantes arterias & cor, & carnem iecinoris. Alii Medici primariam causam sanguificam esse carnem hepatis, venas vero in cauo eius disseminatas instrumentariam, quod vis quædam ex carne hepatis influat in venas.

Metaph. 11. dicitur αἴτιον ἐγγυτάτον. Phys. β. αἴτιον ἀπρόσατον. Per ἐξοχὴν dicitur principium, vt cum Galenus pugnat contra Aristotelem Cor non esse principium αἱματοποιητικὸν, quia quædam animantia ἄναιμα expertia sanguinis non habeant dextrum cordis ventriculum. Sed Vesalius cum Aristotele sentiens in animalibus pulmone præditis è corde, non ex hepate cauam venam expiantari sentit, duos eius venæ ramos in gibba hepatis parte implantari.

Primitas multiplex est, vt Temporis, Loci, Originis, seu fontis & causæ, naturæ, scopi & intentionis naturæ, subiecti, adæquationis, ordinis, dignitatis seu honoris.

Ad Naturam refero Entitatem & perfectionem primam. Primæ substantiæ, id est, individua, idem quidem re sunt cum naturis communibus, sed plus Entitatis & perfectionis includunt.

Primum Hominis appetibile originis primitate est vel voluptas, vel conseruatio tutelaque propriæ vitæ, sicut felicitas est vltimum Mazon. in Comparat. Philos. Aristotelicæ & Platon. Vid. vocem *Finis*.

Corpus Mistum Generationis Subiectum primum est primitate Scopi, at primitate Adæquationis commune quod mista & Elementa complectitur seu in se cohibet.

Accretio conuenit primo primitate Originis similaribus partibus, at primitate scopi naturæ dissimilaribus seu organicis. Nam Dissimilarium gratia similares à natura sunt constitutæ. Et quandiu creuerint ossa, tamdiu prorata portione crescent etiam partes reliquæ omnes, & totius corporis Quátitas. Hipp. l. 2. Epidem. & Arist. 2. de Generat. Animal.

Vniuersale primo, id est, præcipue ac finaliter intelligitur ab intellectu, non autem primo primitate Originis, cum ita cognoscatur singulare. Zabarel. lib. de Ordine intellig. cap. 5.

Canon iudicii.

Negatio Primitatis Causæ non tollit primitatem subiecti. Non sequitur: Color fit visibilis per Lumen. Ergo non est per se visibilis (secundo modo dicendi per se) Corpus hoc fit sentiens per animam: Ergo non est per se sentiens. *Conuenire enim aliquid alicui per causam mediam non impedit, quo minus ei conueniat per se: Potest aliquid alicui conuenire per se, id est, essentialiter, & tamen per Causam, vt Accidentia Propria possunt conuenire suis Subiectis per se licet per causam Mediam.* Color est visibilis per lumen vt per causam, non vt per subiectum

ſubiectum primum. Sic corpus animalis eſt ſentiens per animam, vt per cauſam, non vt per ſubiectum primum. Quid? quod non tantum propria ſenſilia per ſenſilia eſſe & ſentiri dicuntur, ſed etiam communia à Philoſophis (Vid.ex. Scal. 298. ſ. 15.) Sed ſeruato hoc diſcrimine. Propria ſenſilia ſenſilia eſſe & percipi dicuntur per ſe & primo primitate & immediatione ſubiecti: Communia vero per ſe, at non primo, ſed ſecundario, id eſt, per aliud prius ſubiectum, nempe per proprium ſenſile, quicum coniuncta ſunt; Itaque quodam modo per accidens, quo modo locus Ariſtotelis in 2. de anima accipiendus eſt, quem allegat Scal. vbi dicitur percipi illa (communia) per accidens. Hæc diſcant noui aduerſus me diſputatores. Diſtinctio igitur duplicis Primitatis ſeu Immediationis Scholaſtica vtilis eſt, qua Vna dicitur ratione Cauſæ, Alia ratione ſubiecti. Vid. Zab. vltimo cap. lib. 1. de Viſu.

Primus in Arithmetica opponitur Compoſito, vt dicitur Ternarius numerus primus (imparium) quia non eſt compoſitus ex numeris. Dicitur & primus, quia non eſt alio numero numerabilis. Binarius etiam dicitur primus Parium, quia non eſt compoſitus ex numeris, & tantum eſt numerabilis vnitate.

Prima Cauſa.

Prima Cauſa dicitur Prima. 1. Ratione Secundarum. Ita Deus eſt prima Cauſa. 2. Ratione ſui effectus, quod ea nulla effectui prior ſit. Itaque & ſimpliciter proxima dicitur (quæ poſita ponit, ablata aufert.) Atque hæc eſt ad demonſtrationem accommodata. Atque hæc de Cauſa Prima *ſingulariter*.

Cauſæ Primæ (multitudinis numero) ſunt, quæ in ſcientia aliqua prima principia & elementa ſunt, quibus nihil prius habet illa Scientia. Sic igitur Cauſæ primæ ſunt Remotiſſimæ, ſupremæ, Communiſſimæ: vt prima materia & Forma in Phyſica.

Primæ, id eſt, remotiſſimæ vnius rei cauſæ eſſe poſſunt. *Axiom.*

At Prima, id eſt, ſimpliciter proxima cauſa vniuſcuiuſque rei vnica eſt; ſicut vna duntaxat eſt cuiuſque rei Definitio & Eſſentia. De hac intelligatur Ariſtot. l. 1. poſterior. anal. tex. 97.

Sic aliud eſt *Cauſa Totalis* & *Totales Cauſæ*. Illa vna eſt; Hæ plures ſociatæ.

An duobus vel pluribus poſſint tribui primæ?

Primas Sapientiæ poſſumus deferre etiam pluribus: Nam in primis partibus dantur gradus. Itaque Cic. de Clar. or. Etſi vtrique *Primas*, *priores* tamen *deferunt* Lælio.

Primo.

Primo interdum eſt præcipue.

Primo primum.

Motus voluntatis primo primi, qui exercentur abſque rationis iudicio: Itaque in noſtra poteſtate non ſunt. Tales ſunt ſubiti & repentini motus; vel exercentur præeunte iudicio, ſed non libero, verum ſubito ac ſine vlla deliberatione tam formali, quam virtuali.

Primo & per ſe.

Primo & per ſe differunt: Vt Totum

Compositum ex organo & potentia animæ non mouet primo, sed per se; ipsa autem anima primo. Ignis per se calefacit, at non primo; sed calor primo calefacit. Scot. l. 4. d. 49.

Non omne per se est primo; Omne autem primo est per se. Simplic. 2. Phys.

Anima est primum, quo viuimus & sentimus; Corpus animatum est secundum: & tamen Corpus animatum per se dicitur viuere.

Non omnia *per se primo contraria* sunt *prima contraria*. Sunt enim calor & frigus per se primo contraria, id est, se totis contraria, sed nō sunt prima contraria simpliciter, cuiusmodi sunt Forma & Priuatio, (formæ.) In Genere interminato, vt in genere sensibilium qualitatum aliqua Contraria prima dici possunt.

Primum non primo.

Risibilitas inest homini seu attribuitur homini vt Primo subiecto, sed non Primo, id est, non sine medio Causæ: Potest enim per causam propriam seu primam demonstrari. Hic τὸ primum respicit subiectum, τὸ primo Causam seu μέσον. Schegk.

Ineſſe ſeu attribui primo dicitur duobus modis,
- Primo ineſſe ſine medio cauſæ.
- Non alii Subiecto priori, vt Febris non eſt primo inanimati, id eſt, alii priori ineſt, quam animali. Schegk. l. 3. Demonſtr.

Vſus.

Quid vnice attribui Zabarellæ

Homo est proprium subiectum, cui Risibilitas attribuenda est primo & vnice, id est, non alii subiecto prius. Sic Compositum est proprium subiectum, cui primo (id est, non ante hoc alii) est accretio attribuenda. Zab. l. de Accret. c. 24.

Quid primo inesse?

Primo definiri.

Πρώτως & ἁπλῶς, hoc est, primo & absolute definiri opponitur τῷ definiri ἐκ προθέσεως. Primæ & absolutæ definitiones sunt substantiarum (quæ non sunt aliquid in aliquo.) Affectiones Propriæ definiuntur ἐκ προθέσεως, id est, ex adiunctione seu determinatione subiecti. Sicut enim seipsis non sunt, ita nec definiuntur: vt Facultas ὀπτικὴ seu ὁρατικὴ, quæ aliquid in oculo est, mentione oculi definitur. Masculinum non definitur nisi includatur in definitionem Animal. χύλωσις definiri nequit sine determinatione subiecti ventriculi bene temperati seu calore præditi.

Schegk 4. de Demonst.

Materia & accidens suapte natura ἄῤῥιστα non nisi adminiculo determinationeque οὐσίας cuiusdam ἐκ προθέσεως definita intelliguntur. Materia enim & accidens respectu eius subiecti non sunt ἐκεῖνο quiddam sed ἑτεροῖον, non sunt ἁπλῶς ὄν, sed ποῖον & ποσὸν, aut πρός τι ὄν quoddam. *Subiectum seu quiddam respectiue subiectum*

Virtus igitur sentiendi non potest definiri sine additione subiecti, nempe Corporis animati, *cui per se & essentialiter inest.*

Cum

Cum primis pro *valde*

an sit dictio composita?

Volunt cum primis esse vocem compositam, quia veteres dixerunt Apprime & Comprime, quorum hoc prorsus nunc exoleuit. Mihi placet magis cum primis esse duas voces, vt in primis ad differentiam Verbi inprimis. In primis autem & cum primis idem sunt, vt Homo in primis vel cum primis eruditus.

Primus pilus & primipilus.

Primipilus fuit primus centurio inter decem centuriones triariorum, qui ceteris omnibus, vt haſtatis, & principibus in legione ætate, vſu, fortitudine præſtabant; & aquilæ præerat, vt ait Vegetius. Idem, Centurio qui primum pilum ducit, & centurio primi pili. Primus autem pilus non ſignificat ordinis ductorem, ſed ipſum ordinem ſeu centurionatum, id eſt, honorem & officium Centurionis.

Porro dicitur Primum pilum capeſſere, primum pilum alicui aſſignari, primi pili honore perfunctum eſſe, primipilum fieri.

Primipilaris dicitur, qui functus eſt honore hoc. Dicitur & primipilaris authoritas.

Primitiuum.

Cauſa Primitiua Barbaris eſt, quæ Græcis προκαταρκτικὴ. Latinis irritatrix.

Primitiua Vox dupliciter intelligi poteſt.

1. Vox, à qua alia deriuata.
2. Vox, quæ à nulla: Alias primigenia & primaria. Quia primum dicitur aut cum anteit, vt vnitas; vt cum etſi non anteit, tamen ne anteitur quidē, quippe primogenitus etiam vnicus poteſt dici filius. Scal. l. 4. de c. l. l. c. 102.

Vſus.

Aliqua ſunt primaria ſeu primitiua, à quibus nihil deductum eſt, Duobus enim modis Primum dicitur. Vide Vocem Primum.

Primores.

Primores dicuntur 1. qui principe loco ſunt ſeu primo.

2. Sunt ſummæ vel extremæ quæque res.

Primores Viros & Primores fœminas dixit Suetonius. Hinc confici ſi quis aiat aliquando primores eſſe generis Cōmunis. Huic reſponſum velim: 1. Primores eſſe ſubſtantiuum generis maſculini, ſed interdum induere adiectiui naturam. 2. Si cum dicitur Primores Fœminæ, primores generis fœminini eſt; conſequi quoq;, cū dicitur à Cicerone primotibus (hoc eſt, externis) labris; & à Scaligero, Niſi à primoribus elementis ordiare, neceſſario cogeris idem repetere; Primoribus eſſe generis neutrius. Vtrumcunque dixeris, tamen nec Primores labra, nec primoria labra dicitur. De hac conflictatione alibi quoque; vbi quæſitum, An Primores fœminæ dicatur ex præcepto *Appoſitionis*, vt cibus lucanica.

PRIVS vel POSTERIVS.

Prius vel Posterius secundum { Rem, Κατὰ πρᾶγμα, κατὰ φύσιν.
Nos, Καθ' ἡμᾶς καὶ πρὸς ἡμᾶς, id est, ratione cognitionis nostræ.

Vsus.

Prius Natura est Vniuersale: Quo ad nos Particularia sunt priora.

Essentia prior est Omnipotentia DEI, non secundum rem, sed ratione nostrę apprehensionis.

Natura prius competit inferioribus & caducis rebus, Cœlo posterius. secundum nos, quia illa hoc nobis sunt notiora, vt familiaria. Zab. de Nat. Scient. l. c. 10.

Prius esse est in causa vt sit notius, & dupliciter dicitur, quoad nos & quoad naturam. Alb. M. in Poster.

Prius & posterius nõ est in Deo, sed in his, quæ bona ordinis nuncupantur. Gab. Buratell. de Ideis l. 1.

Prius natura est Esse simpliciter quam quodammodo. Alex. & Eustrat. in 2. posteriorum.

Prius naturaliter est, quod sine aliis esse potest, & sine quo alia esse nõ possunt. Auer.

Prioritas secundum Subiectum & materiam est prioritas secundum naturam, Auer. 2 de gener. text. 4.

Prius est quod informat, quam quod ipsius informatione perficitur. Boet. in Porph.

Prius est id, quod actu est, eo, quod potentia est. Simplic. in prædic. Prius est alterius naturam constituens, eo quod constituitur, Ammon. in Porphyr.

Perfectum est prius simpliciter imperfecto, & actus potentia.

In vno & eodem potentia est prior actu tempore, licet posterior sit natura. Thom. Aq. 1. Metaph. & Ammonius.

In Præteritis Priora (secundum Tempus) sunt remotiora ab ipso Nunc. In Futuris priora (secundum Tempus) sunt propiora ipsi Nunc. Aristot. 5. Metaph. c. 11.

Posteriora secundum principia essendi dependent à prioribus Albertus M. in 1. Metaph.

Prius quinque dicitur modis à Magen. in 1. Meteor.

- *Natura*, vt Pater Filio.
- *Tempore*, vt senex iuuene. Huc pertinet prius generatione.
- *Numero*; vt vnum duobus.
- *Ordine*, vt fundamentum pariete.
- *Dignitate*, vt Dominus seruo. Huc pertinet *prius vsu & potestate*.

His

His modis adde Prius ſecundum Locum, Secundum motum, Secundum cognitionem & attributionem.

Patet Filio] Pater *Natura*, id eſt, *Naturali eſſendi ordine*, prior eſt quam filius. Nã Phyſice Pater Filii ſolum cauſa eſt, & Filius non cauſa, ſed tantum effectum. Sed Logice Filius quoque patris cauſa eſt, vt Pater eſt Filii cauſa, facit enim Filius vt Pater ſit Pater; & Pater vt Filius ſit filius. Nam *Logica conſideratione Relatorum alterum alterius mutuo cauſa eſt.*

Prius Cognitione eſt Prius vel Ratione vel ſenſu.

Ratione priora ſimpliciter ſeu natura priora cenſeri debent, vt vniuerſalia particularibus, cauſæ effectis, partes toto.

Senſu, vt particularia vniuerſalibus, totum partibus, effecta vt plurimum cauſis.

Tempore] Opica verba priora ſunt tempore, quam noſtratia.

Ordine.] Hic intelligitur non naturalis eſſendi ordo, ſed tantũ ordo Enumerationis: non intelligitur ordo Generationis aut corruptionis, vt in Fidibus ea chorda cenſetur prior ordine, quæ minori diſtat numero à media, quam Muſici faciunt principium & q. caput aliarum. Illa dicitur prior κατὰ τάξιν in choro, in quo minor numerus abſoluitur facto initio numerationis à Chorago, id eſt, Duce & capite chori.

Vnum & idem diuerſimode ſpectatum eſt & prius & poſterius, vt Muſicum eſt Ratione poſterius homine, vt accidens ſubiecto. Sed vt eſt pars hominis Muſici prius Ratione eſt, quam homo, Muſicus.

Totum ordine generationis prius eſt potentia, quam actu: At ordine corruptionis prius eſt actu, quam iterum ſit potentia ſecundum ſpeciem.

In modis & affectionibus Entis inuenitur Prius & poſterius, ideoque ordo *Ratione ſaltem*, vt affectio Entis vnum antecedit Affectionem, Bonum. Itaque Boni ſimplicitas aut compoſitio pendet à ſimplicitate aut compoſitione vnius. Cordatiſſ. Scal. ex. 307. ſ. 27.

Dignitate] Sic Scotus diſtinguit inter Primum ſecundum aliquam præeminentiam (καὶ ἀξίαν καὶ τιμὴν) & ſecundum eſſentialem dependentiam alius ad ipſum: Sic ait Scotus, Cœli motus primus dicitur ſecũdum eminentiam, non ſecundum eſſentialem dependẽtiam aliorum motuum ad ipſum. l. 4. d. 49. Itaque Cœli motus ceſſare poteſt manentibus aliis motibus.

Secundum Locum.] Aqua dicitur prior aere, quia loci ratione propior eſt centro mundi: aer poſterior aqua, quia remotior à cẽtro. Aer eſt proprior aqua, quia propius accedit ad cœũ. Aqua eſt poſterior aere, quia longius abeſt à Cœlo, quam aer.

Prius attributione ſeu prædicatione.] cauſa prius & proprie dicitur de cauſa per ſe, poſterius de cauſa per accidens, quæ non eſt cauſa niſi merito cauſæ per ſe, cui eſt coniuncta. Zabar. 2. Phyſic. comment. ad text. 35. Eſt autem cauſa ex eorum numero, quæ dicuntur communia ab vno, & habent prius & poſterius.

Idem prius & poſterius eſt ratione vel ſignificatione diuerſa. Canon. Potentia abſolute accepta prior eſt ſuo actu, ad quem producendum dirigitur. Actus abſolute conſideratus prior eſt potentia, quæ ſine actu aliquo nihil eſt. Potentia & actus, quæ reſpiciunt ſe mutuo, quodammodo ſimul ſunt.

Verborum ſignificatio prior eſt, Rerum

etiam ſignificatio prior eſt. Non pugnant hæc, quia prius eſt ambiguum. Verborum ſignificatio prior eſt proprie: Rerum ſignificatio eſt prior, hoc eſt, potior, quod probatur l. 1. in princ. ff. Si cert. petat.

PRINCIPIVM,

ἀρχή.

Principium eſt vnum ex Analogis ſcundum proportionem. Dicitur autem aut ratione Ordinis & cuiuscunq; connexionis aut conſecutionis vnius ad aliud: aut ratione cauſalitatis.

Euolutio.

1. Principium in Metaphyſicis eſt id, vnde aliquid eſt, verbo eſt latiſſime ſeu fuſiſſime accepto, id eſt, ita vt eo non præcipuus tantum eſſendi modus eſſe realiter complete, ſed etiam ſecundi Eſſe realiter incoate (quod eſt Fieri,) & Tertii, eſſe in intellectu, intelligatur. Itaque principium eſt id, vnde aliquid aut eſt. aut fit, aut cognoſcitur.

Vnde intellige fuſiſſime, nempe vt complectatur poſt quod (id eſt, priuationē) A quo, Ex quo, per quod, propter quod.

Ariſtotelis Definitio hæc eſt; Principium eſt primum, vnde aliquid aut eſt, aut fit, aut cognoſcitur. ἀρχὴ eſt πρῶτον, ὅθεν ἢ ἔστιν, ἢ γίνεται, ἢ γινώσκεται.

2. Ab Ariſt. Principium l. 2. de Generat. animal. Particulariter accipitur, cum ait: Hoc eſt principiū eſſe, vt ipſum quidem cauſa ſit multorum, ſed ipſius nulla ſit ſuperior cauſa: Conuenit hæc deſcriptio cauſis primis, & quidem non tantum ſimpliciter primis, ſed etiā primis in hoc vel illo genere. Ita cor in genere materialium partium, ex quib. animal integratur, principium animalis dicitur.

3. In libro Poetices Ariſtoteles principium ait, eſt, quod ipſum quidem poſt aliud neceſſario non eſt (quatenus principium eſt) poſt illud autem natum eſt eſſe vel fieri. Hic quoque principium accipit Ariſtoteles ſpecialiter, id eſt, definit principium rei quantæ ſeu extenſæ, ſiue extenſio hæc propria ſit, ſiue impropria, quæ intenſionem ſeu gradualem latitudinem comprehendit: Cuiuſmodi principium eſt Vnitas in Numero, punctus in linea, aurora in die, exordium in oratione, in calore primus gradus. Tale principium definiri ibi à Philoſopho, apparebit locum cap. 7. inſpicienti. Ergo principium eſt id, quod in toto aliquo quomodocunque extenſo neceſſario non eſt poſt aliud, poſt illud autem aliud natum eſt eſſe vel fieri.

4. In aditu Phyſicorum Ariſtoteles docit principia eſſe, quę neq; ex ſeſe, neq; ex aliis, ſed ex quibus omnia ſunt. Et hæc acceptio particularis eſt, accommodataque ad res naturales: at definitionis ſententia eſt: Principia, quæ ad cuiuſuis rei naturalis ſiue conſtitutionem, ſiue etiam generationem concurrunt, ea ſunt, quæ neq; ex ſeſe, neq; ex aliis, ſed ex quibus illa (res naturalis) per ſe conſtat aut etiam gignitur. Fonſ. in Met. Ariſt. l. 5. c. 1. q. 2. Euidentius autem in definitione hac comprehenduntur principia Conſtitutionis, quam Generationis. Verbum enim *Sunt* magis compoſitionem & conſtitutionem è materia & forma, quam effectionem ſeu generationem ſignificat.

Diſſin-

Distinctiones.

1. Principium est { Ens, vt Materia. / Non ens, vt priuatio.

2. Principia sunt { Entium. / Non Entium, vt Inane spatium incipit, vbi Cœlum extremum desinit.

Principia Aristoteli sunt { Κείμενα, eorum quæ vere sunt, id est, quibus verum aliquid & non fictum significatur. / Πλασματώδη, quibus fictum aliquid significatur.

3. Principia { Actu, quæ actu referuntur ad principiata, id est, ad ea, quorum sunt principia. / In Potentia. Sic primogenitus principium est, antequam alii nascantur.

4. Principium { Primum, Radicale, vt anima. Sic Pater principium personarum reliquarum. / Proximum, vt potentia animæ operationum vitalium.

5. ἀτομὸν est εἰδοποιὸς vel Indiuiduationis, εἰδοποιὸς seu specifica est, quæ constituit speciem.

Principium Indiuiduationis est id, per quod seu quo natura specifica primo & redditur incommunicabilis, & distinguitur ab aliis eiusdem speciei realiter: Incommunicabilis, inquam, ita vt repugnet ei communicari pluribus, vt superius inferioribus communicatur. Agitur autẽ hic, inquit Caietanus in c. 6. de Ente & Ess. Thom, de *incommunicabilitate*: quæ opponitur *communicationi Reali*, non autem de incommunicabilitate, quæ opponitur *communicationi formæ*. Hanc .n. nemo dubitat primo conuenire materiæ. Similiter agitur hic de distinctione reali indiuiduorum sub eadem specie, quæ non est nisi inter entia realia; Non autem de Distinctione, qua Socrates viuus & Plato mortuus distinguuntur.

* *
*

Principia
- Essendi, ἀρχὴ εἶναι.
- Effectionis, ἀρχὴ γίνεσθαι.
- Cognitionis, ἀρχὴ γνῶναι.
- Sub his comprehenduntur principia *Appetitionis*, quia nihil appetitur nisi apprehensum seu cognitum.

Addunt quidam principia operationis seu operandi, quæ Fonsec. complectitur in Principiis essendi, eo quod res inde habeat, vt operetur, vnde habet vt sit: Vel in principiis Effectionis, voce hac latius sumpta.

Διχοτόμως.

Esse Rerum est
- Reale
  - *Vt iam perfectum.* Huius principium dicitur Essendi.
  - *Vt est in fieri, seu vt Incoatum*: Huius principium dicitur Effectionis seu Fiendi.
- Obiectiuum: Huius principium dicitur Cognitionis seu Cognoscendi.

Seu:

Ens
- Reale
  - Permanens,
  - Successiuum
- Habens solum esse cognitum

Habet principium
- Essendi; Materia & Forma.
- Effectionis, priuatio.
- Cognitionis, (per quod aliquid cognoscitur) Motus & operationes.

Per motum enim cognita est materia, per operationes forma, per vtraque Corpus Naturale. Fonsec.

Principium multis modis dicitur Aristot. 5. Primæ Phil. cap. 1.
- Primo, Id Rei, vnde Motus incipit. Huc reuocatur Principium Motus & Temporis.
- Secundo, Id vnde actio commode incoatur.
- Tertio, Rei pars primo existens, vt Materia, vt Membrum illud quod in animali aliquo primum producitur.
- Quarto Efficiens
  - Naturaliter, ἄνευ προαιρέσεως.
  - Electione ἐκ προαιρέσεως.
  - Arte, τεχνικῶς.
- Quinto, Id vnde res primum cognosci potest, (Sic ἀποδείξεις dicuntur ἀρχαὶ ἀποδείξεως. ὅθεν γνωστὸν τὸ πρᾶγμα πρῶτον, inquit Arist. Cognitio autem est vel à priori vel à posteriori.

Princi-

Principia dicta
- Absolute; vt principia vnde aliquid est, Materia & Forma.
- Cum additione; vt principia Cognitionis: Principia enim hæc non simpliciter dicuntur principia rei cognitæ, sed cognitionis rei, seu, quod idem est, rei cognitę, vt cognitę, ait Fonseca.

Censura modesta.

Sed videtur Aristoteles, non comprehendisse omnia genera, seu potius omnes modos principiorum. Itaque melius feceris, si pro illo modo, qui ei est Efficiens, ponas, *Causa*, & sic dicas, addendo etiam principia Metaphysica.

Principium dicitur primo modo id rei, vnde motus incipit.

Secundo id, vnde commode quid incoatur.

Tertio Causa, eaq; vel Finalis, vel Agens seu producens: vel Materialis: vel Formalis.

Quarto Genera summa & differentiæ omnes etiam indiuiduales.

Quinto pars rei integralis primo existens.

Sexto id vnde res primum cognosci potest. Et quia quædam principia sunt simul Cognitionis & Essentiæ vel effectionis, Forma enim est principium essentiæ & principium rei cognitionis à priori, Finis est principium & effectionis & cognitionis: iccirco hanc quoque distinctionem malim; Principia aut sunt essendi, aut Fiendi, aut Cognoscendi; aut essendi vel fiendi vel cognoscendi simul.

Aliud est dare vitam, aliud operari, seu aliud est esse principium Essendi, & esse principium operandi, etsi vnum idemq; sit principium vtriusque. Nam anima est immediatum principium formale essendi, & immediatum principium operandi. Sic Scotus, Anima est principium formale, quo viuum est viuum, quia ipsa formaliter dat esse viuum: Sed anima est principium operationis, qua reducta est ad genus causæ efficientis, seu qua habet se vt ars ad effectum, sc. in genere principii effectiui.

Principia Actionum
- Maxime vniuersale, *καθολικώτατον. Deus auctor naturæ.*
- Commune, *Natura*: Dicitur & Natura Communis.
- Particulare vel singulare in rebus
  - Inanimatis, *Inclinatio Naturalis.*
  - Animatis
    - Brutis, *Instinctus*, ὁρμή.
    - Intelligẽtibus
      - Angelis. } Voluntas, προαίρεσις.
      - Hominibus. } Voluntas, προαίρεσις.

Vſus in Phyſicis.

Concluſ. Monſtra non Cauſæ vniuerſali Deo, non cauſis communibus tribui poſſunt.

Aſſumptio. Sunt enim monſtra errata.

Propoſitio. Error autem neq; in Deum, neq; in communem naturam cadit.

Itaque propriis & particularibus cauſis tribuantur neceſſe eſt. *Conſ.*

Principium Agendi eſt Reale aut Intentionale ſeu Spiritale; Reale in Materiam, Spiritale in ſenſum tam interiorem, quam exteriorem vel Intellectum.

Principium { Primum. / Secundum.

Anima vitæ primum principium.

Cor vitæ ſecundum & quaſi inſtrumentale principium eſt. Thom. Aq.

Anima ſecundum eſſentiam ſuam eſt actus, (ſubſtantialis) & eſſentia animæ immediate dat eſſe & viuere. At non eſt immediatum operationis principium, ſed mediantibus potentiis in ſecundos actus dirigitur: Per Calidum autem influens in actum producit facultates.

PRINCIPALE & PRINCIPIALE.

Principale & Principiale differunt. *Principiale* dicitur à principio, & eſt id quod ad principia pertinet: Alias Originale etiam dicitur. *Principale* eſt à principe, eſtque id quod principem locum obtinet, vel arte obtinere debet. Illud Taleus dici vult ἀρχικὸν. Hoc vero κύριον & ἡγεμονικὸν. Sed notent ſtudioſi contra Talæũ ἀρχικὸν etiam poſſe eſſe idem quod principale, quia ἀρχὴ (id eſt, principium) & de fine dicitur, & de capite rei, & de eo, quod in quaque re potiſſimum eſt, atque adeo de ipſo principatu, & deniq; de eo, quod principem locum obtinet.

Principii naturam ſeu rationem habens, vel pertinens ad principia.

Ἀρχικὸν { Primarium, vt Imperatorium: Sic Imperatoria fortitudo Græcis eſt ἀνδρεία ἀρχικὴ: Ἀρχικώτερον eſt magis principale.

Cognatæ quodammodo ſunt hæ ſignificationes: quia principia in vnaquaque ſcientia principem locum obtinent.

PRINCIPALIVS.

Principalius aliquid altero { Eſſentialius, vt in Coniugio proles. / Dignius, vt in coniugio pactio ſeu fides coniugalis.

Homini eſt eſſentialius eſſe naturæ, quam eſſe creaturæ; quamuis eſſe Gratiæ ſit dignius: digniſſimum autem eſſe Gloriæ.

PRINCIPIARE.

A principio Scholaſticis eſt Principiare, vt à cauſa cauſare. Eſt autem principiare eſſe principium, id eſt, à quo aliquid eſt vel dependenter, vel independenter. Dependenter Otto eſt à Mauritio. Independenter ſecunda Perſona Diuina eſt à prima. Ac ſæpe accipitur *Principiare*

cipiare pro Causare. Fonſ. 5. 1. Phil. cap. 1. q. 5. Etſi vnum genus principii poteſt pendere ab alio in ratione eſſendi, vt Materia à Forma: tamen in ratione principiandi nullum genus pendet ab alio. Neque enim materia ſuum cauſandi modum habet à modo cauſandi formæ, ac proinde nec principiandi: etſi illo indigeat ad cauſandum & principiandum: Eodemq; modo neque forma ab efficiente.

Diſtinctiones.

Alia principiant intrinſecus, alia extrinſecus: Alia vt actus, alia vt potentiæ. Alia ſecundum intentionem; principium finale eſt intentione primum (vt finis princeps) alia ſecundum Exſecutionem. Alia principia principiant cauſando, alia non, cauſæ voce proprie accepta.

PRIVATIO.

Priuatio
- Nuda, pura, ſimplex, non inferens malam διάθεσιν & affectionem, vt Quies, motus: Eſſe deſiiſſe τῷ eſſe.
- Miſta male etiam diſponens efficiensque ſubiectum, vt Morbus priuatio ſanitatis eſt non pura, ſed κακῶς afficiens & vitians ſubiectum. Sic peccatum cum priuatione rectitudinis coniunctam habet quandam adueiſam qualitatem vitioſam.

Vide Scharpium Scotum de miſero hominis ſtatu.

Malum ſubſtantiue (ſimpliciter) ſumptum eſt pura priuatio, id eſt, indigentia, ſeu defectus boni. At adiectiue (κατά τι) vt cum dicimus hominem malum, eſt ens poſitiuum.

Priuatio
- Magis propria
  - ἕξεως, ἀπουσία (habitus ſeu formæ abſentia.)
  - Actus priuandi, qui eſt motus ſpecies.
- Impropria, Negatio pura.

Vt: Frigus aut è priuatione cauſarum gignentium calorem oritur, id eſt, vel ex actu priuandi; vel ex pura negatione cauſarum gignentium motum, aut ex alio frigore.

Reminiſcentia eſt reperitio & euolutio amiſſarum ſpecierum ſeu recordationum. Scal. ex. 307. ſ. 13.

Priuatio
- Simpliciter, cum aliquid caret forma, quam natum eſt habere ſecundum ſe & quando oportet. Sic Talpa non eſt cœca.
- κατά τι, quando quid caret forma, quam non natum eſt habere ſecundum ſe, ſed ſecundum ſuum genus. Sic Talpa cœca.

Mancum eſt quod caret eo cuius eget, aut omnino, aut cum habere dicitur. Scal. ex. 140. Catulus non dicitur Cœcus, qui per primores ab ortu ſuo dies non vtitur oculis, ſed non videns.

Vſus.

Quæritur an peccatum ſit ſimplex ſeu pura puta priuatio?

Reſpondetur Negatè: Quia non eſt ſimplex defectus, ſed defectus cum Reatu, id eſt, Relatione atq; ordinatione ad pœnam propter defectum.

Quæritur an prauarum actionum ſit aliqua forma?

Reſpondent nonnulli cum Scaligero ſtudioſarum actionum quaſi forma quædam eſt ea, quam rectam rationē vocant Philoſophi. Prauarum vero forma nulla eſt, ſed illius (rectæ rationis) abſentia mali ſumus, aut neq; boni, neq; mali. Abſentia rectę rationis, vt boni priuatio eſt, q̃ nihil magis ponit q̃ nuditas, priuatio autē nō eſt forma, non eſt Ens poſitiuum, non eſt accidens reale.

Alii contra Formale peccati faciunt reatum seu obligationem ad pœnam, quod priores faciunt peccati consequens. Horum an aliqua sit διαλλαγὴ (Conciliatio) tu videris.

- Priuatio perfectionis & boni
  - In substantia, quod poterat & debebat habere.
  - In Actione
    - Modi & mensuræ, quibus actio fieri debebat, ἀμετρία.
    - Ordinis, ἀταξία.

Physici docent, ex priuatione aliquid fieri, &: Priuationem sequi habitum seu formam: At Aristoteles ait ex priuatione non fieri regressum ad habitum seu formam. Hæc videntur inter se esse contraria.

Resp. Non sunt. Nam priuatio accipitur Proprie & Improprie. Priuatio proprie nihil aliud est, quam formæ, quæ natura ineſſe, ac tum quando ineſſe debet, carentia seu absentia: Itaq; ad eam referuntur, quæ significant spoliationem seu ablationem formæ irrecuperabilem, vt sunt cæcitas, orbitas, mutilatio membrorum, quæ nunquam renascuntur, aut rarissime. De hac priuatione intelliges Decretum Philosophicum: Ex priuatione non fit regressio ad habitum.

Improprie accipitur pro contrario habitui seu formæ, hoc est, pro formæ seu habitus carentia seu absentia, sed ad materiam accessuræ. Potest etiam responderi ex hac tabella.

- Priuatio accipitur
  - Laxe pro quauis absentia cuiusque positionis. (Ita vitium est priuatio virtutis) quod omnibus oppositorum generibus, sed æquivoce accommodari potest. Scal. ex. 65. s. 2.
  - Pressius pro habitus, qui recipi potest, absentia. Eius duę differentiæ
    - Absentia eius formę, quę iam fuit vel esse debuit. Ei opposita forma
      - Irrecuperabilis, vt per naturam surdus non recipit auditum.
      - Recuperabilis, vt dormiens euigilat.
    - Absentia eius formæ, quæ futura est
      - Propinqua.
      - Remota.

Absen-

Abſentia eius formæ, quę futura eſt & acceſſura ad materiam ſeu ſubiectum cum habilitate ad formam recipiendam, eſt Priuatio Phyſica Ariſtotelica tertium Generationis, ex huius familiæ ſententia principium, vt cum ex non homine fit homo. Remota hæc eſt, ſi, verbi gratia, terra dicitur habere priuationem hominis. Hinc Decreta philoſophica: A Priuatione Remota fit ad formam tranſitus ſeu mutatio interiectis plurimis mutationibus. A propinqua vna tantum fit mutatio, per quam forma acquiritur.

Priuationi forma opponitur ita, vt tamen formam connotet, & aliam ſemper conexam ſeu coniunctam habeat. Id eſt, priuatio phyſica nõ eſt pura abſentia formę, ſed coniuncta eſt cum quadam forma præcedente formam generandam, cui priuatio illa opponitur, & conſtituente in materia potentiam recipiendi illam formam, vt in corpore nigro eſt priuatio albedinis cum potentia ad illam. Itaque album non fit ex omni nõ albo, ſed ex nigro, vel medio. Priuatio formæ humanæ non eſt quælibet eius abſentia: nõ enim ea eſt, q̃ in lapide eſt, ſed ea quæ eſt cõiuncta cũ certa quadã forma, quę eſt forma ſeminis humani: hæc enim ſola eſt, quæ conſtituit propriam priuationem oppoſitam formæ humanæ, & potentiam proximam ad eam Zab. l. 1. de rerum mater. c. 7.

P R O.

Particula PRO 1. ſignificat Vice ſeu Loco, Græcè ἀντὶ, vt cum dico: Labora vel concionare pro me: Habet eam pro vxore: Chriſtus pro me & te eſt mortuus; id eſt, vice noſtra. Pro ſe quiſque, id eſt, non vice alterius. Sanguis Chriſti eſt redemptio noſtra, quia eſt ἀντίλυτρον ſeu iuſtum pretiũ pro peccatis noſtris expiandis à Chriſto perſolutum. Lamb. Dan. in Exam. Kemnit. cap. 24. Sic Chriſtus pro nobis paſſus eſt, pro impiis & peccatoribus mortuus eſt: Hîc ſignificatur permutatio.

2. Significat ſecundum, Græc. κατὰ. habita ratione. Significat enim etiam reſpectum ſeu χάριν, vt miſerere mei, pro miſericordia tua: Nota, hîc eſt efficientis cauſæ, ſeu originis; pro ratione cauſæ, nach geſtalt der Sachen/ defendam te pro meis opibus: mali pro multitudine benè ſentientium admodũ pauci ſunt, nach dem jr viel iſt: Pro gratia à Deo mihi conceſſa, de his diſſeram. Hæc vos concupiſſe pro veſtra ſtultitia non miror, id eſt, quæ veſtra ſtultitia eſt, vel quod veſtræ ſtultitiæ eſt. Pro ſe quiſque, ein jeder nach vermögen: pro ſua quiſque parte, facultate, Pro ætate ſua nimis ſapiens.

3. Idem eſt quod Gratia, ſeu Propter, ſeu Ad, Nota cauſæ Finalis, vt Chriſti Caro data eſt pro mundi vita, pugnare pro aris & focis. Chriſtus pro nobis ſuper cœlos aſcendit, vt ſederet ad dextram Patris. Auguſt. cap. 9. l. contra Iudæos & Pagan.

Sunt & qui Pro aliquando poſitum eſſe velint, pro propter, vt nota cauſæ impulſiuæ, vt pro amore noſtro, id eſt, propter amorem noſtrum.

4. Significat obiectiuè, vt Ora pro Me.

5. Significat tanquam, Græcè ὡς, vt Cicero: Omnis voluptas præterita pro nihilo eſt: Hoc pro certo habeo, id eſt, tanquam certum: Pro occiſo relictus eſt, id eſt, vt occiſus; vendicare aliquid pro ſuo.

ὡς autem ſeu *tanquam* interdum eſt particula ſimilitudinis vel nota improprietatis. Interdum eſt Aſſertiua, id eſt, Aſſerendo rei improprietatem attribuens.

6. Idem eſt quod verè & propriè: vt, Maria honoranda eſt pro Matre Domini, id eſt, vt quæ ſit verè proprieque Mater Domini; pro certo eſt, id eſt, Certum; pro comperto, pro explorato

existimes, habeas, id est, planè tibi persuadeas.

7. Est nota subiecti cui vel Defensionis, & opponitur ei contra. Pro me, vulgò, facit pro me, Græc. πρὸς ἐμέ, id est, adiuuat meam sententiam ; Disputare pro aliquo contra alium.

8. Idem est quod Ante vel Præ , vt pro foribus, sedens pro foribus, pro æde, castris; nota Loci.

9. Finis & Vicis, vel obiecti nota simul est, vt Christus passus est pro nobis, id est, vice nostra, & propter nos. (At cum dicitur, Christus pro nobis solus satisfecit, dependendum Christo fuit quod Patri pro me spopondit : hîc τὸ Loco nostro significatur.) Deus pugnat pro nobis, id est, loco nostri , & propter nos. Ponam animam pro ouibus, id est, loco ouium & propter oues. Dabo carnem pro Mundi vita, id est, ob Mundi vitam & pretium redemptionis: Hîc pretium consignificatur. Ita in sequenti exemplo duæ significationes concurrunt : Gratias ago vobis pro vestris in me meritis, id est, de beneficiis, & propter beneficia.

10. Pro interdum dupliciter accipitur ad duo relatum membra, Pro Lege & Grege animam suam ponere; Pro lege, id est, propter legem, legis causa : Pro Grege, id est, loco gregis. Cum dicitur, pugnare pro Grege , significatur propter gregem ad defensionem gregis, non vice gregis. Sic pro aris & focis.

Pro { Obiectiuè, ora pro me, id mihi bono.
Æquiparatè ἀνταλλακτικῶς, Ora pro me, vice mea.

Exempla.

Spiritus Sanctus gemit pro nobis , id est, gementes nos facit. August. ad quæst. 12. Oros.

Agere pro incorruptibili corona consequenda ; pugnare pro corona, id est, Ad, vel Ob. Hîc Græci adhibent ὑπὲρ. Seruire Domino pro filia , vt præmio : Disputare pro honore consequendo Magisterii , Mori pro consequenda Gloria, ὑπὲρ τοῦ ἐντυχεῖν καλῆς δόξης θανεῖν. Ioc. id est, ob consequendam Gloriam, ad consequendam gloriam. Dabo carnem meam pro Mundi vita, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς: id est, acquirendæ vitæ causa iis, quos mihi dedit Pater, ex quibusuis orbis terrarum gentibus selectos & selegendos. Ioh. Piscat. Colost. 1. Pro vobis gaudeo, ὑπὲρ ὑμῶν, id est, pro vestro commodo & fructu. Sanctifico meipsum pro eis, Ioh. 17. ὑπὲρ αὐτῶν, eorum causa sacerdos & victima, (nullum enim in eo peccatum, quod indigeret expiatione) sed pro salute totius Ecclesiæ.

Dare librum pro libro , frumentum pro panno : Hîc pro τῷ ἀντὶ Græcorum respondet & significat permutationem, pretium, vicem, locum. Iugulari pro aliquo, id est, loco alicuius. Coma data mulieri pro velamine, ἀντὶ φάρ κολαμίδος, id est, loco velaminis vel finaliter, id est, vt esset velamen. Vtrem pro cithara gaudet habere Midas. Voluntatem pro facto habere, id est, vice facti, pro aliquo substituere, id est, in locum alicuius. Cic. Hoc pro mercede, pro præmio tibi erit, id est, vice seu loco. Hoc vnum argumentum est pro omnibus, id est, loco omnium. Sic, Caro vnus mihi est pro centum , pro millibus; esse pro prætore, id est, loco prætoris.

Quod à parte sua, & ex parte sua dicunt Scholastici , dicitur etiam , pro parte sua.

Canones.

1. Cum quid pro aliquo homine, pro aliqua psona fieri factumue esse dicitur, τὸ PRO ALIQVO denotat subiectum Cui, seu Finem ᾧ, Cui bono (id est, cõmodo) alquid fiat factumue sit.

Exempl,

Exempl.

Christus dedit Redemptionis pretium Animam suam pro Multis, ἀντὶ πολλῶν, id est, vice seu loco multorum. Matth. 20. Animam suam posuit pro ouibus, ὑπὲρ προβάτων, id est, vice ouium.

Respondere pro Titio, id est, loco Titii.

2. Cum quid dicitur, fieri, vel factũ esse, pro aliquo negotio seu re inanimata, significatur obiectum, finis ℰ, cuius gratia, alicuius consequendi aut deuitandi causa, vt, Christus est mortuus pro peccatis nostris, ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, id est, propter nostra peccata, vt nimirum ea expiaret. 1. Corinth. 15. Passus est pro peccatis, περὶ ἁμαρτιῶν, id est, peccatorum nomine seu causa ad hæc expianda. August de Trinit. Incarnatio pro salute nostra reparanda facta est. Theses disputandæ pro honoribus Magist. consequendis, id est, consequendi gratia.

3. Si de Persona sermo sit, æquipollent scripturæ Pro aliquo, Vice alicuius, Propter aliquem. Mortuus propter fratrem fidelem, δι' ἀδελφὸν. 1. Cor. 8. id est, pro fratre, vice fratris.

4. Sin de re, quæ persona non est, vnum & idem sunt pro aliquo, & propter aliquid, seu alicuius causa, vt: Traditus est propter lapsus nostros, διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν. Rom. 4. id est, pro lapsibus nostris, hoc est, ob expiationem transgressionum, vt est Heb. 9. Vide Ludouic. Lucium in Respons. ad Epist. Micha. Gittich. Socin. Sic Esaias dicit castigatum Messiam propter iniquitates nostras.

PROBARE.

Probare κατ' ἐξοχὴν significat notam facere rem ignotam per aliam notiorem.

Generaliter significat declarare veritatem alicuius rei, rem confirmare quoquo modo.

Si respicias primam significationem, rectè dicitur, Definitio alicuius rei probari non posse, quia est principium. Si posteriorem, dici potest definitionem Diuisiua, Inductiua, posse probari.

Aristoteles Definitionem scientiæ communi hominum consensione confirmat.

Ne (*a*) autem putes sic eum probare scientiæ Definitionem; siquidem ea est principium huius artis, quod probari non potest: (*b*) Probatio enim propriè dicitur notificatio rei ignotę per aliam notiorem. Hæc autem non est huiusmodi: sed est potius declaratio euidentiæ huius definitionis, per commune omnium hominum testimonium eam approbantium.

a) *Conclus. syllogismi.*

b) *Propositio.*

Probatio seu Approbatio

- *Propriè dicta*; Notificatio rei ignotæ per aliam notiorem. Sic Definitio scientiæ probari nequit. Particula *enim* interdum est Declaratiua, interdum Probatiua.
- *Impropriè dicta.* Declaratio euidentiæ alicuius rei. Sic definitio scientiæ probatur communi hominum consensione seu testimonio.

Approbatio interdum significat probationem probationi annexam seu subiunctam.

PROCREATIO.

Cicero vocem Procreandi interdum accipit Metaphysicè, vt cum Deum dicit esse Procreatorem Mundi, id est, authorem. Interdum, & quidem sæpius, Physicè & Ethicè, vt cum parentes vocat Procreatores, cum dicit malum procreari.

Sed

Sed noſtris Philoſophis Procreatio eſt generatio, vt præpoſitio Pro habeat vim propagationis, vt cum dicitur, Hominum Propagatio non eſt Circularis. Nicol. Taurell. de Rerum æternit. p. 3. Ita vulgò iactatum efferri poteſt; Homo procreat hominem, id eſt, producit.

PRODVCO.

Producere modò eſt in apertum proferre, modò Gignere, Procreare. Barb. Schol. In eſſe producere. Græc. παράγειν. Vnde αἴτιον παραγωγικὸν, cauſa habens vim producendi. Philoponus, corpus expoſitum lumini eſt cauſa παραγωγὴ τοῦ καθ' αὑτὸ μὴ ὄντος, per ſe non entis, id eſt, Vmbræ; Valdè enim craſsè dictum eſt, Vmbram eſſe aerem carentem ſole ex corporis opaci obiectu.

Produci aliquid dicitur, vel ἐνεργητικῶς, vel παθητικῶς; Item Actu vel Potẽtia.

Vſus.

Protuliſſe Terram tertio creationis die herbam virentem & arbores certum eſt. Id enim diſertè ſcribit Moſes Hiſtoricus omni exceptione maior. Sed duo in dubium vocantur.

1. Produxeritne Terra Plantas ἐνεργητικῶς, an παθητικῶς, hoc eſt, Terrane ſit cauſa efficiens plantarum, an verò ſit ſubiectum, ex quo Deus vt αἴτιον ἐνεργοῦν illas produxerit? Qui priorem ſententiam tuentur, in iis ſunt, qui terræ tribuunt vitam ſeu animam ſeu δύναμιν ζωτικὴν: Inter hos eſt Lamb. Dan. in phyſ. Sed terra, qua terra, neq; actiuè producit & germinat arbores, quæ nullo prouenit ſeminio, neque animata eſt.

In qua igitur re eſt vis actiua & vitalis ad producendum? In ſemine quod in Terra eſt ſeu deliteſcit. Itaq; per virtutem ſeminalem planta ex planta propagatur.

2. Dub. An Terra herbas & arbores dicto Creationis die produxerit actu? an potentia, id eſt, an Tum terra tantam vim acceperit illas, poſtea producendi? an verò reipſa exſtantes protulerit? Nos ſtatuimus prius; id eſt, omnes plantas quoad ſpecies ſuas fuiſſe tunc in aliquibus earum ſpecierum indiuiduis actu factas, antequam deinceps & progreſſu temporis vi ſeminali alia ex alia propagaretur; ſeu omnium ſpecierum fructus fuiſſe tunc maturos. Vt enim Cœlum, Terra, aſtra, animalia tempore creationis ſunt actu facta: ſic & Plantæ. Ac vt nunc vi ſeminis traducuntur animalia: ſic & plantæ.

Obiectio.

Cap. 2. Gen. Fecit Deus omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemq; herbam regionis antequam germinaret.

Ergo nihil omninò plantarum tunc à Deo factum eſt actu.

Reſpon.

Non ſignificat ſolum potentia factas plantas, antequam actu fierent, ſed omnes, quoad ſpecies ſuas fuiſſe tunc in aliquibus earum ſpecierum indiuiduis actu factas, antequam deinceps quoq; ſucceſſione temporis per virtutem ſeminalem alia ex aliis propagarentur. Ac diſtinguendum inter ſtatum creationis & generationis.

In Grammaticis Producere eſt longum facere: opp. Corripere.

PROFECTIO.

In Phyſicis Vox Profectionis tribuitur motui metaphoricè, quia eſt via, iter, vel progreſſio ab imperfecto ad perfectum, à termino à quo, ad terminum ad quem.

In Aſtrologia Profectio eſt æqualis quædam

dam seu regularis incessio significatoris, secundum signorum Zodiaci consequentiam. Quid significator sit, Vide in DIRIGO.

Est autem profectio triplex, Annua, Mẽsurna & Diurna, id est, tripliciter proficiscuntur significatores cuiusq; genituræ seu natiuitatis, per annos videlicet, menses & dies, vt placet Ptolemæo, idemque approbat Regiomontan. problem. 20.

PROFESSIO.

Professio est ἕξις, id est, habitudo, qua quis præ se fert aliquid actionis ad viuendi rationem. Sic definit Scalig. l. 1. Poet. c. 13. in quo agit de personis Comicis. Ita alia est professio militis, alia caculæ, alia agricolæ, alia lenonis, alia meretricis, alia trapezitæ, mercatoris, nautæ.

Profiteri (klar oder offentlich bekennen) opponit Scaliger verbo Innuendi (andeuten) vt Aristoteles hoc illic profitetur, hîc innuit.

PROGRESSIO.

Progressio *in Physicis* est motus animantium quorundam. Ea, seu is motus, est corpori animalis, quatenus graue est, violentus: Itaque animalis progredientis corpus defatigatur: Quatenus verò animatum est, Naturalis est.

In Arithmetica Progressio Geometrica est proportionis Geometricæ continuæ in terminis continuatio, vt in his terminis, 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. continuatio est è subdupla terminorum septem, ideoq; progressio septem terminorum.

Progressio Arithmetica est proportionis Arithmeticæ continuæ in terminis continuatio, vt 1. 5. 9. 13. 17. 21. 25. 29.

In Astronomia etiam Planetarum quædam progressio est, quæ opponitur Retrogradationi, seu Retrocessioni & stationi.

- Progressio
  - Propria, Physica animantium.
  - Metaphorica
    - Arithmetica seu Mathematica
      - Arithmetica.
      - Geometrica.
    - Astronomica, stellarum. (Hæc dicitur ab artificibus *Directio.*) Item Logica, &c.

Directus Planeta dicitur cum suo corpore incedit secundum seriem signorũ: Retrogradus, cum iterum in præcedẽtia retrocedit: Stationarius, cum eodẽ loco signiferi aliquandiu subsistere videtur.

Progressionis etiam vox metaphoricè tribuitur ORDINI artificioso & naturali, & Motui.

PROINDEQVE,

Ideoq;, Propterea, Διό.

Propterea, Ideoque, Proindeque ex Dictis aliquid inferunt. Ideò dicuntur particulæ Illatiuę. Sed non est hoc peculiare. Exempli causa. Aristoteles Ethica sic orditur: Omnis ars & omnis methodus, itemque praxis & proæresis, bonum aliquod appetere videtur. Ideoque scitè veteres id esse bonum definierunt. Quod omnia appetunt, Hîc nonnulli putant hanc esse sententiam: Quia illa quatuor bonum expetunt, ideò verum esse, quod omnia bonum appetant, quasi hoc inductione sit planum. Verum Petrus Martyr hanc sententiam non approbat, eo quod non sit perfecta inductio, quando tantum quatuor sunt allata. Itaque arbitratur potius contradicendum,

confirmari quatuor illa bonum appetere, quia omnia bonum appetant; vt, fit argumentatio ab vniuerſali ad particulare. Omnia quæ ſunt, bonum deſiderant: Quatuor illa numerantur inter ea, quæ ſunt; Ergo hæc ipſa quoq; bonum deſiderant.

Obiect.

Sed Ariſtotelis locutio videtur obſtare: Nam, inquit, Διὸ, quaſi ex antegreſſis inferat.

Reſpon.

Verùm, inquit Martyr, non ita eſt. Non enim ex dictis hoc infert Ariſtoteles, quod ſequitur: ſed ſenſus eſt: Ideò iudico ad iſtud quod poſui confirmandum pulcrè facere, quod antiqui dixerunt: Bonum eſſe quod appetunt cuncta. Omnia feruntur in bonum, vt in finem, atque hoc (Bonum) eſt, quod omnia appetunt, vt teſtantur antiqui: Ergo & humana, vt omnis ars, omnis methodus, praxis, electio bonum appetunt.

Humanis rebus præſtitutus eſt aliquis finis vt Bonum.

PROMISCVVM.

Promiſcuũ Genus accipitur, tum Grammaticè, tum Phyſicè. Grammat. dicitur Epicœnum.

Sæpè opponitur Simplici & Vniformi.

In Ethicis opponitur Religioſo, ac alias dicitur commune, vt Virtus promiſcua eſt, quæ poſita eſt in vita communi, (quæ non eſt Religioſorum.) Dauid Schramus in Adyto Ethices.

PROPORTIO.

1. Proportio accipitur propriè & ſpecialiter in Matheſi pro duarum magnitudinum eiuſdem generis mutua quadam ſecundum quantitatem habitudine ſeu comparatione. 5. Euclid. Itaq; 1. ita linea cum ſuperficie, numerus cum linea non poteſt comparari. Linea & ſuperficies, numerus & linea nõ ſunt quantitates eiuſdem generis.
2. Si conferatur linea aliqua cum alia linea ſecundum qualitatem, id eſt, qua vna eſt alba, & altera nigra; vna calida, & altera frigida, quamuis ambæ ſint homegeneæ, non dicetur ea comparatio Proportio vel ratio, quia non fit ſecundum quantitatem.

Hîc Quantitas, quæ ad aliam refertur, dicitur proportionis Antecedens: Ea verò, ad quam alia refertur, Conſequens, vt in proportione lineæ 6. palmorum ad lineam 3. palmorum, linea 6. pal. dicitur antecedens proportionis: ac linea 3. palm. proportionis conſequens.

2. In Phyſicis & Ethicis extenditur ſignificatio Proportionis, ad ea nimirum, quę quantitatis naturam aliquo modo reſipiunt.

- Quantitates. πρώτως.
  - Magnitudines.
  - Numeros.
- Aliquo modo quantitatis naturam ſapientia, Δευτέρως.
  - Tempora.
  - Sonos & voces.
  - Loca.
  - Motus.
  - Pondera.
  - Potentias ac virtutes.

λόγος (pro proportione enim alii Rationem dicunt) fit ſecundum quantitatem inter eiuſdem generis duo,

Vt cum dicimus Tempus.

Tempore eſſe maius vel minus, eiuſmodi habitudo ſeu χέσις dicitur λόγος.

quia tempora tunc conſiderantur, vt quantitates quædam.

Scholaſtici D. interdum accipiunt pro ſimili-

similitudine mutatiua seu habitudine effectus ad causam. Sic Thomas dicit dari proportionem inter finitum & infinitum. Ea opponitur habitudini determinatæ distantiæ.

Proportionis voci cognata est Symmetria. Itaque interdum pro hac accipitur, vt: Sanitas non est proportio, id est, symmetria qualitatum, sed constans certaq; qualitas ex iis conflata.

Proportio primum Rationalis est vel Irrationalis. Rationalis est ea, quę in numeris potest exhiberi, qualis est ꝓportio lineæ viginti palmorum ad lineam 10. palmorum. Hæc enim proportio in hisce numeris viginti & decem ostenditur, quæ est dupla. Irrationalis ꝓportio est, quæ in numeris reperiri & exhiberi nequit, qualis est proportio diametri cuiuslibet quadrati ad latus eiusdem quadrati. Seu; proportio Rationalis est, quę inter quantitates cõmensurabiles existit seu symmetrias. Irrationalis est, quæ inter quantitates est incommensurabiles seu assymmetras.

Quantitates commensurabiles dicuntur, quæ habent vnam communem partem aliquotam, id est, quas eadem cõmunis mensura metitur, exempli causa: Linea viginti palmorum, & linea octo palmorum sunt magnitudine symmetræ, quia linea quatuor palmorum est vtriusque pars aliquota, similiter linea duorum palmorum. Sicut enim linea, tam quatuor, quam duorum palmorum metitur lineam viginti palmorum: ita quoque eadem linea, tum quatuor, tum duorum palmorum lineam octo palmorum metitur: sic omnes numeri dicuntur symmetri, id est, commensurabiles, quia saltem vnitas omnes metitur seu mensurat.

Quantitates incommensurabiles dicuntur, quæ nullam habent communem partem aliquotam, seu quarum nullam mensuram cõmunem contingit inueniri: cuiusmodi sunt diameter,



& latus eiusdem quadrati. Etsi enim quęlibet harum linearum infinitas habeat partes aliquotas, vt partem dimidiatam, tertiam, quartam, &c. tamen nulla pars aliquota vnius quantumuis minima alteram metiri potest. Itaque in numeris inuenitur sola proportio Rationalis: in Quantitate verò continua, tam Rationalis quàm Irrationalis proportio continetur.

2. Proportio est Æqualitatis, vel Inæqualitatis. Æqualitatis proportio est inter duas quantitates æquales, siue magnæ, siue paruæ fuerint, vt inter decem & decem, inter centum & centum: Hæc amplius subdiuidi nequit. Proportio Inæqualitatis est inter duas quantitates inæquales, vt inter lineam sex palmorum, & inter lineam duorum palmorum. Hæc subdiuiditur in proportionem Maioris inæqualitatis, & Minoris inæqualitatis: proportio maioris inæqualitatis est, cum maior quantitas cum minore confertur, qualis est viginti ad decem. Proportio minoris inæqualitatis est, cum minor quantitas ad maiorem refertur, qualis est proportio decem ad viginti. Atque hæ sunt Generales Diuisiones Proportionis. Speciales vide apud Arithmeticos.

Hinc PROPORTIONALES MAGNITVDINES Mathematicis dicuntur magnitudines, quæ eandem habent

rationem, vt si magnitudinum a b c d eadem sit proporto a ad b, quæ c ad d, dicentur eæ magnitudines proportionales.





vt duo milites ad tria stipendia, sic duo Doctores ad tria διδακτρα, proportio est sesquialtera vtrobique.

Sed alii multi proportionis vocem aliter accipiunt, quod qui non obseruant, facilè implicari possunt errore. Proportio enim iis est non ratio ipsa, sed rationum similitudo, seu similis habitudo, quæ Græcis est analogia, & nonnullis Latinis Proportionalitas: Neque enim putant hac voce violari fidem Latinitatis. Quemadmodum igitur comparationem duarum vel plurium quantitatum inter se dicunt proportionem: ita comparationem duarum vel plurium proportionum inter se solent nuncupare proportionalitatem, eamque diuidunt in Arithmeticam, Geometricam & Musicam (de quibus Boetius & Iordanus.)

Arithmetica proportionalitas, seu proportionum habitudo est, cum tres vel plures numeri per eandem differentiam progrediuntur continuè vel discretè, vt hi numeri 4. 7. 10. 13. 16. quorum quilibet suum antecedentem ternario superat, dicuntur constituere proportionalitatem seu medietatem Arithmeticam, & quidem continua medietate, quia in hac progressione numerorum nulla fit interruptio, sed quilibet cum proximè antecedente confertur: sic hi numeri, 4. 7. 8. 11. 30. 33. constituunt medietatem Arithmeticam, & quidem Discretam, quia in numerorum horum progressione fit interruptio, ita vt bini (je zille vnd zille) tantum inter se conferantur, non autem quilibet cum proximè antecedente. Eadem etiam differentia est inter binos 4. 7. & 8. 11. & 30. 33. non autem inter 4. 7. & 7. 8.

Geometrica proportionalitas seu analogia est, cum tres vel plures numeri eandem habent proportionem, maximè propriè dictam, quam quidem Euclides definiuit, vt hi numeri 2. 6. 18. 54. quia quilibet ad suum antecedentem eandem habet proportionem, triplam constituunt proportionalitatem eandem Geometricam: & hæc duplex est, Continua & Discreta. Vide Arithmeticos.

Musica seu Harmonica Medietas est, cum tres numeri ita ordinantur, vt eadem sit proportio maximi ad minimum, quæ differentiæ inter maiores duos ad differentiam inter duos minores, ita vt nec eadem inter eos sit differentia, vt in Arithmetica, nec eadem proportio, vt in Geometrica: Vt tres hi numeri 3. 4. 6. quia eadem est proportio maximi 6. ad minimum 3. quæ differentia inter maximum 6. & minimum 4. nimirum numeri 2. ad differentiam inter medium 4. & minimum 3. id est, ad 1. (cum vtrobique proportio sit dupla) constituunt mediet atem Musicam: ipsi verò neque eandem habent differentiam, neque eandem proportionem: sic etiam tres hi numeri 42. 12. 7. harmoniam constituunt, quia eadem proportio est maximi 42. ad minimum 7. quæ differentia inter maximum 42. & medium 12. hoc est, numeri 30. ad differentiam 5. inter medium 12. & minimum 7. cum vtrobique proportio sit sextupla. Dicitur autem huiusmodi Proportionalitas Musica siue Harmonica, quia plerumque eius numeri habét eas ꝓportiones, in quib. cõsistunt

συμφω-

συμφωνίαν, id est, consonantiæ Musicæ, vt in priori exemplo inter 6 & 4: est proportio sesqui altera ($1\frac{1}{2}$) constituens consonantiam, quæ dicitur diapente, vulgo quinta, item inter quatuor & tria est proportio sesquitertia ($1\frac{1}{3}$) constituens consonantiam, quæ dicitur Diatessaron, vulgo Quarta: Deniq; inter extremos 6. & 3. cernitur proportio dupla, quæ constituit consonantiam Diapason, vulgo octauam.

Per Διχοτομίαν.

- Proportionalitas dicta
  - Proprie, Analogia, Geometrica.
  - Improprie
    - Arithmetica.
    - Musica.

Medietas dicitur propter medios terminos, qui certa quadam ratione inter extremos interiiciuntur.

Corollarium.

Itaque Arithmetica Medietas habet terminorum differentias æquales: Proportiones vero eorundem inæquales: Geometrica Propottionalitas contra Differentias terminorum habet inæquales, proportiones vero eorundem æquales: Harmonica denique neque differentias, neque proportiones terminorum æquales habet. Hæc etsi κλήσει sint Mathematica, χρήσει tamen & applicatione sunt Ethica, Politica, immo quodammodo etiam Physica & Theologica, id quod patet ex Ethicis Aristotelis, & Physicis, ex libris Bodini de Repub. ex Commentariis Politicis Montecatini politissimis, & Hypomnematis Vict. Strigelii: Videsis etiam si placet Tonstallum in Arithmeticis, & Ioh. Serranum in Timæ. Platon. Exempli causa, in Physicis sæpe dicitur agens ad aliquod patiens habere proportionem ratione potentiæ: Ergo etiam ibi locum habet proportionalitas. Agens aliquod ad patiens habeat proportionem decuplam, ita vt agens sit 10. & patiens 1. iam si agens augeatur, vt fiat 20. patiens autem maneat 1. tum duplo maiorem habebit potentiam agens respectu eiusdem patientis, quam prius. Contra, si agens aliquod ad patiens habeat proportionem subdecuplam, ita vt agens sit 1. & patiens 10. tum certe agens quod est duo, duplo erit potentius respectu eiusdem patientis 10. quam agens 1.

Aristoteles 5. Eth. ostendit in Distributiua iustitia haberi rationem proportionis Geometricę, ita vt vna ex parte constituantur personę, inter quas distributio est facienda, ex altera vero res distribuendæ, ac deinde fiat personarum inter se, mox & rerum seu præmiorum inter se comparatio, & porro quoq; personę cum rebus seu præmiis cõuenientibus conferantur: hæc vbi facta fuerint, peruenitur ad mediocritatem, nec nõ vnusquisq;, quod æquũ est κατ' ἀξίαν accipit: ita proportio spectatur (quod ibidem Philosophus dicit) nõ tantum in numero numerante, qui dicitur μοναδικὸς, quod ex monadibus seu vnitatibus constat: verum etiam in numero numerato, id est, rebus ipsis numeratis. Exemplum esto. Duæ sint personæ, quibus præmia factis digna conferentur, Achilles vt miles valde strenuus, & Aiax vt miles minus strenuus: præmia i-

tem seorsum statuantur, altera vt decem, altera vt tantum quinq;: Iam fiet comparatio primo personarum: Achilles inuenitur præstantior duplo Aiace, quia duplo maiora edidit facinora, quam hic: Deinde comparemus præmia: inuenimus autem quæ sunt vt 10. duplo præstantiora iis esse, quæ sunt vt 5. Ergo tunc pronuntiabimus, facta proportionum permutatione, illa vt 10. deberi Achilli, ista vt 5. danda esse Aiaci. Permutata enim proportio dicitur, cum permutantur termini, ita vt in consequente primus terminus ad tertium conferatur, secundus ad quartum, vt sicut se habent sex ad tria, ita se habent decem ad quinq; (dupla vtrobiq; proportio.) Ergo per permutationem seu ἐναλλαξ, sicut se habent tria ad quinque, ita se habent 6. ad 10. Sic autem deducitur argumentationis formula, hoc est, fit ἀναλογισμὸς, id est, Syllogismus proportionalis: Sicut se habet Achilles ad Aiacé, ita se habēt 10. ad 5. Ergo vt distribuatur vnicuiq; præmium pro meritis, ἐναλλαξ id est, permutata proportione Achilli dabuntur 10. Aiaci 5. (Hæc proportio pro pari seruari debet in μειλοδιδάσκάλοις, id est, licentiatis, vel candidatis Magisterii competitoribus.) Hæc ex diagrammate sequenti sunt manifesta.

Quid proportio permutata?





Hæc Iustitiæ Διανεμετικῆς proportio & & Analogia ostenditur in Politica, vbi dicitur Imperatori datam coronam triumphalem: ei qui primus murum hostium per vim ascendit, muralem: ei, qui ciuem conseruasset, interfecto hoste, ciuicam: ei, qui primus hostium castra pugnans introiuisset, Castrensem: ei deniq;, qui primus in hostium naues armatus vi transiliisset, naualem. Gell. l. 5. c. 6.

Iustitia Correctiua seu Commutatiua sequitur Medietatem Arithmeticam, id est, habet rationem non personarum, sed rerum permutandarum, ita vt si in contractu (siue in vendendo & emendo, siue in elocando & conducendo) permutatio instituatur, neutra pars habeat, quod vel de lucro glorietur, vel de damno conqueratur. Hæc medietas vt inueniatur, propter media, quibus rerum pretia æstimantur, (cuiusmodi est hodie nummus) tenendus est modus, qui consistit in rerum inter se collatione, vt quantum vna alteram vel dignitate vel pretio superat, aut ab altera superatur, tantum in defectu vel excessu compensetur.

In Temperamento Physico, quod quasi soboles est mixtionis, consideratur proportio seu analogia. Temperamentum est quatuor Elementorum congrua ac symmetra mistio ad recte obeundas actiones. In eo *Analogia spectatur vel Arithmetica, vel Geometrica, Arithmetica est*, in qua æqualia elementa æqualibus ponderibus mole atq; magnitudine concurrunt. *Quod Æquale ad pondus dicitur.* Hoc ἀναλογωτατον Temperamentum facilius cogitari quam reperiri potest: Sicut officium illud perfectum, quod Stoici καθόρθωμα dicunt, Cic. 1. Off. *Geometrica* est quaeliscuuq;, optime tamen consentiens, & cuiq; rei ad peculiarem sui naturam conueniens Elementorum coitio seu συνζυγια

συνίζησις: Vnde dicitur *Temperies ad iustitiam.* Germana hæc officio medio, quod dicitur καθῆκον. Huius proportionis seu analogiæ temperamentum est *Simplex vel Compositum.* Simplex, in quo vna qualitas excellit. Itaq; est vel Calidum, vel Humidum, vel Frigidū, vel Siccum. Compositum, in quo binę qualitates coniunctæ excellunt, nimirum vel Calidum & Humidum, vel Calidum & Siccum, vel Frigidum & Humidum, vel Frigidum & Siccum.

Scaliger ex. 300. etiam accipit proportionem pro Ratione. Sed in eo est suus (contra communem Mathematicorum sententiam) quod nullam rationem Æqualitatis agnoscit, id est, inter duo & duo proportionem esse negat. Vult enim omnem proportionem seu rationem esse Inæqualitatis. Itaque proportionem, id est, Rationem dicit esse diuersitatem rerum cum certo mutuo responsu. Proportio, inquit, est in inæqualitate, Et, proportio si est rerum inæqualitas, quæ inter se commẽsum a mutuum & responsum habent, non esse potest æqualitas. Inter quæ est æqualitas, inter ea non est proportio. Inter duo & duo est æqualitas. Ergo inter duo & duo non est proportio. Denique proportio, ait, est ratio totius cuiuspiam, quod sit alterius portio. Fateor vocem proportionis proprie conuenire Inæqualitatis rationi: Sed rem potius specto, quam nomen, cum nomina interdum sint re notata angustiora. Vocabulum interim Rationis accommodatum est ad vtrumque genus, nempe Æqualitatis & Inæqualitatis. Habeamus hic Scaligerum pro exercitatore, non pro Dictatore; Teneamusq; interim fixe hoc eius vicissim pronuntiatum: Proportionem esse affectū entis (respectiuum) in summo ambitu, hoc est, transuolans per omnia prædicamenta.

Impugnat idem quod proportio à multis dicitur comparatio hoc argumento: Quod comparatio sit actus intellectus nostri. Si igitur proportio est comparatio, cessante intellectu nulla erit in rebus proportio, quod est absurdum. Sed sciendum contra, cum dicitur proportio esse comparatio, intelligi comparationem passiuam & potentialem, seu similitudinem, seu conuenientiam, quæ in ipsis comparatis est, ad quã postea accedit intellectus noster comparans. Ergo vt vela contrahamus, tandem vel manum de Tabula:

- Proportio intelligitur
  - In certo genere Entium
    - Transcendenter seu in Ente vniuerse.
    - Specialiter in
      - *Generaliter in quantitatibus* (vt cum dicitur λόγος est duarum quantitatum eiusdẽ generum καθ' ἑαυτὰς mutua σχέσις)
        - *Abstractis*, vt quaternione & octernione. Mathem.
        - *Concretis*, id est, rebus quantis, vt 4. vel 8. equis vel personis.
      - *Magnitudinibus*, vt cum Eucl. dicit, λόγος est duarum magnitudinum eiusdem generis.
      - *Numeris*, vt cum Arithmeticus dicit, λόγος est duorum numerorum &c.

Proportionale seu proportionatum. σχετικὸν RELATVM (vt Afficiens)

4.

Terminus à quo

Proportio σχέσις, habitudo, conuenientia RELATIO (vt Affectio)

8 4

Terminus ad quem.

Proportionale seu proportionatum σχετὸν CORRELATVM (vt Affectum)

IDENTITAS.

Fundamentum seu causa seu ratio referendi

Sic

Symmetrum, analogum, Relatiuum.

Symmetria, analogia: Relatio.

Symmetro analogum, Correlatiuum.

PROPORTIONATA.

Proportionata sunt
- Quoad gradum perfectionis vel certam speciem proportionis. Ita Finiti ad Infinitum non est proportio.
- Quoad σχέσιν, qua potest vnum
  - Dependere ab alio.
  - Recipere ab alio.
  - Agere in aliud.

  } Ita quæ sunt infinitæ distantiæ, possunt inter se esse proportionata.

Hac distinctione recte vteris ad quæstionem, An Finiti sit ad Infinitum proportio seu ratio? Hic & alia distinctio adhiberi potest: Non est finiti ad infinitum Logos (Mathematicus vel Physicus: Creatura enim & Deus nō sunt res eiusdem generis, nec comparantur vel secundum quantitatem, hoc est, secundum quod vna res est maior quàm altera, vel minor, vel æqualis, nec secundum id, quod aliquo modo naturam sapit, vt sunt tempora, soni, voces, loca, motus, pondera, potentiæ. Habitudo tamen & conuenientia aliqua inter Deum & creaturam intercedit Dependentiæ, quæ Rationis naturalis instar habet.

Proportionatis opponuntur Æquata. Vide Adæquatum.

PROPOSITIO.

Propositio est Immediata vel Mediata. Immediata, in qua prædicatum subiecto conuenit immediate & primo. Mediata contra, id est, Ratione alterius. Exempli causa, Immediata propositio est, Aqua est humida, color est albus, est disgregatiuus. Mediata est, Paries albus est disgregatiuus visus, spongia hæc est humida. Sed Scholastico Gabrieli Biel etiam penitiori ratione Mediata est hæc: Paries est albus. Hoc enim concretum prædicatur de pariete ratione albedinis (ipsi inhærentis per accidens) vt accidentis à pariete distincti. Mediate igitur, non ratione essentiæ seu naturæ propriæ: Non itaque essentialiter. Huc pertinet hæc etiam; Aqua est humida.

Concreta prædicantur
- Tantum Immediate; Verbum assumpsit Carnem: Albedo inhæret, informat.
- Tantum Mediate, vt Mel est dulce, paries albus.
- Indifferenter, id est, & mediate & immediate, vt ignis est calefactiuus.

Falsum igitur; Omne per accidens potest reduci ad aliquid per se.

Albedo vel Nigredo non prædicatur de aliquo immediate, quia habere albedinem vel nigrorem sibi inhærentem non conuenit rei ex se ipsa, sed per albedinem vel nigredinem.

Spongia, quæ aquæ immersa est, humida est

est humiditate extranea, id est, non humiditate ipsimet (spongiæ) inhærente, sed aquæ propria, id est, aquæ proprie inhærente.

Ferrum vel carbo fit candens, Glutroth/ vt ignis, ex vnione cum igni, seu quia ignitus est: Candor hic ferro ineſt mediate, proprie autem inhæret igni, non ipsimet ferro. Laterna dicitur lucere, quia ei ineſt lucerna, in qua Lux inhæret. Ergo & Caro Christi omnipotens est, quia Deificata, id est, τῷ λόγῳ vnita est, seu propter vnionem cum λόγῳ. Ita nonnulli collegerunt, sed disparem alii dicunt esse rationem, ideoque hanc illationem esse nullam.

De Carbone vel ferro ignito prædicatur Candor ignis, quia ignis accidentaliter & accidentali vnione ineſt ferro, qua etiam ferrum alteratur: vt, fit calidum mollius, purius.

At Deitas λόγῳ neq; vt forma accidentalis neque vt substantialis in carne ipsamet ineſt. Itaque Omnipræsentia λόγῳ de carne non prædicatur.

2. Ignis & eius candor differunt realiter vt substantia & accidens. At Deitas & Omnipotentia, Deus & omnipotens re idem sunt. Quia igitur neq; Deitas neq, Deus potest de carne vnita (quæ velut instrumentum est omnipotentis Dei, per quod nostram Redemptionem operatus est vt causam meritoriam) etiam Caro neq; omnipotentia, neq; omnipotens dici debet.

Barb. sic dicunt, Prædicatio est Actualis vel Aptitudinalis, seu Potentialis. Tu sic dices: prædicatum interdum intelligitur de ἐνεργείᾳ, (actu) interdum de δυνάμει (potentia,) vt, Homo est animal loquens & ridens, id est, quod loqui & ridere potest.

Propositiones veræ sunt Synonymæ, vel non Synonymæ.

Synonymæ sunt vnius speciei.

Non Synonymæ sunt speciei distinctæ, vt illa Patrum: Christus est venturus: & hæc: Christus nunc venit. Distinguuntur hæ species propter diuersam temporis significationem seu connotationem, nec simul veræ sunt, sed vna si earum vera est, altera falsa est. Biel. l. 3. d. 25. q. vn.

Propositio { Propria
Figurata, id est, impropria, { Subiecti vel prædicati.
Ex parte Vtriusque.

Mirandula in Apol.

Illa locutio Apostoli, Panis, quem frangimus, &c. est Figuratiua tam ex parte subiecti, quam ex parte prædicati id est, siue subiectum, siue prædicatum spectes. Nam panis supponit pro Sacramento sensibili, scilicet speciebus panis: Corpus autem Christi etiam sumitur figurate. Vnde secundũ glossam per illam locutionẽ non datur intelligi, ꝙ substantia panis aut species panis sit vere seu realiter corpus Christi, seu ꝙ corpus Christi prædicetur in Recto (Directe) de substantia panis aut specie panis, sed est sensus, panis quem frangimus in Sacramento, id est, participatio panis fracti in altari est participatio corporis diuini, id est, facit nos vnum esse cũ Christo. Hactenus Picus.

Prædicatio est Regularis seu Canonica, alias propria: vel Irregularis seu Impropria. Propria, quæ seruat regulam Modi affectionis extremorum inter sese: Impropria, qua ab illa regula recedi- *Vt, Genus est materia, id est, instar materiæ.*
tur, vt cum quid enuntiandum est oblique, seu flexe, Paronymice, causaliter, comparate, enuntiatur recte, Synonymice, formaliter, absolute.

Propositio, est Absoluta (Determinationis expers) vel Limitata.

Limitatæ exemplum est: Nulla forma vna componitur ex partibus essentialiter & specifice distinctis. Bricot. 1. de Generat.

Limitata Falsam, vel eam, quæ pati potest instantiam, potest facere veram. Non est generaliter vera: Quæcunq; sunt idem supposito, vbicunq; est vnum, ibi est & reliquum: vt, vbi est Musica Iosquini, ibi sunt eius reliquæ qualitates seu habitus. Hæc omnino vera erit, si dicas: Quæcunq; sunt idem supposito Limitata, vbicunq; est vnum, ibi est reliquum. Dico autem Limitata, quia si vnum esset limitatum seu circumscriptum, & alterum nõ limitatum seu incircumscriptum, vbi esset limitatum, ibi quidem etiam esset illimitatum, sed non vicissim.

Interdum quę apparet Pura seu Absoluta, Limitate, vt Reduplicatiue, intelligenda est, nempe cum crypsis est reduplicatiuæ particulæ. August. serm. de Temp. 119. Si quis dixerit atq; crediderit Filium Dei Deum passum fuisse, anathema sit, id est, qua Deus. Si quis dixerit atque crediderit hominem Iesum Christum hominem, (id est, qua homo) impassibilẽ fuisse, anathema sit.

PROPOSITVM.

Propositum significat institutum.

Interdum idem est quod propositio, Thema.

Interdum est finis, vt id quod artifex sibi proponit, & quo effecto cessat ab opere. Sic in Medicina propositum seu scopus est in humano corpore vt subiecto, sanitatem efficere. Dialectica est ars differendi de quolibet proposito, id est, Thernate seu argumento.

Interd. est voluntas exsequendi ea, quæ iam electa sunt.

PROPRIVM.

ἴδιον, οἰκεῖον, κύριον.

Proprium, ἴδιον, vni conueniens seu singulare est, quod opponitur communi, seu naturæ communi specificæ, Græc. est ἄτομον. Verbum Diuinum assumsit naturam humanam propriam, id est, singularem, seu ἐν ἀτόμῳ, vt loquitur Damascenus.

Proprium οἰκεῖον, suum est, & naturale, συγγενὲς, quod opponitur extraneo ἀλλοφύλῳ, adulterino, vt Verbum Diuinum assumsit humanam naturam singularem propria singularitate indiuiduam, non externa. Biel. l. 3. d. 2. q. 1. Extraneus Filius non est proprius & naturalis, sed adoptiuus, ICtis.

Vnica veritas vnico medio constituitur, & vnius conclusionis necessariæ vnicũ est οἰκεῖον, proprium, genuinum & immediatum, axioma, seu vnica causa formalis summe necessaria. Huic principio (οἰκείῳ) opponitur principium falsum, quod dicitur ψευδόγραφμα (ex Geometria) principium Alienum, quod per μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος sumptum dicitur.

Cognata significatio est *Conuenientis*, sic οἰκείως est conuenienter.

Κύριον de causa dictum interdum est πρωτεῦον, primarium, vt Spiritus S. est κύριον αἴτιον, id est, primarium seu princeps efficiens conuersionis hominis ad Deum.

Est etiam idem, quod in primaria significatione vsurpatum: ei oppositum ἄκυρον. Ita accepit Caspar Laurentius in obseruatione de publicis Disputationibus in controuers. de Religione è veterum scriptis potissimum desumpta, cum ait: *Omne vocabulum, quod non est proprium*, κύριον, *& in propria sua significatione vsurpatum, non statim est improprium vel* ἄκυρον: *Potest enim esse figuratũ seu tropicum*, ἐσχηματισμένον ἢ τετραμμένον, *& proprium potius dici debet ex eo quod nihil inueniri possit significantius.* Sic acceptum ab eo est Improprium specialiter pro Abusiuo & Catechrestico, & proprium κατά τι & comparate. Proprium enim simpliciter & tropicum opponuntur.

Pro-

Proprium { Præciſe. / Secundū quid, non præciſe.

Appellatio veri Dei propria quidem eſt Patris, ſed non præciſe: Nam propria eſt illius, & Filii, ſicut & Spiritus Sancti. Alii tamen falſi Dii gentium & creaturæ ab eo excluduntur.

Proprietas { Eſſentialis. / Perſonalis ſeu relatiua: vocatur interdum relatio perſonalis.

Abſtracta relatione, quæ ſit proprietas perſonalis, non mauet Hypoſtaſis.

Proprietates perſonales vocantur etiam ſubſiſtentiæ, quæ in diuinis Tres ſunt.

Proprium { Communiter { Generis / Speciei totius. / Singulariter { Multorum indiuiduorum. / Vnius, prorſus extraordinarium.

Verſor in 4. Eth. de Temperantia.

Proprium ſolius Chriſti Carnis (itaque omnino extraordinarium) ὑπὲρ φύσιν ἀνθρωπίνην ex vnionis & muneris gratia. Mori pro Mundi vita, ex ἀνακολουθίᾳ naturę, vt vtar phraſi Chryſoſtomi.

Peccatum originis eſt ſpeciei humanæ & omnium indiuiduorum.

ἐπιθυμιῶν & delectationum quędam ſunt communes, quædam propriæ.

Communes dicuntur Naturales: Hæ ſequuntur naturam generis vel ſpeciei: vt appetitiones cibi & potus: Propriæ, ad quas quidam propendent: Hic pauci peccant. Pro natura indiuidui, vt ἐπιθυμίᾳ talis vel talis cibi: vbi à multis peccatur.

Propria { Totius. / Solius partis.

Propria corporis animati ſunt, quæ ei ab anima vt principio dantur, vt ſenſus. Propria ſolius animæ, quæ huic ſoli inſunt vt ſubiecto, non corpori, vt Inuiſibilitas, immortalitas.

Propriorum coniunctorum { Vtrumque / Alterum } conuenit { Indefinito. / Certo & definito ſeu deſignato.

Explicatio & vſus.

Proprie ſeu ἰδίως & per fluxum ab οὐσίᾳ vocales ſunt vel ſemper breues, vel ſemper longæ, vel communes, quod quomodo ſit accipiendum, videſis vocem ANCEPS in A.

At enim inquis, Quomodo erit propria communis Quantitas communium Syllabarum? Incerta enim est. Ἴδιον autem vt à certa fluit natura, sic etiam non fallit, sed est perpetuum.

Respondetur ex præcedente Tabella. Numero secundum Totum Genus vtrumq; competit, par & impar: Sed certo numero alterum tantum. Sic etiam communibus vocalibus (vt α ι υ) in genere vtrunq; conuenit, corripi & produci: aut vni cuipiam designatæ, alterutrum tantum. Huic responsioni addit Scaliger hanc quoque acutissimam: Hoc ipsum est earum vocalium proprium, variari: hocq; ipsum, quod est variari, est perpetuum, nec variatur. Declarat hoc Scal. egregio exemplo esse corruptibile est affectio rerum naturalium, quæ hac ipsa scientia (physica) comprehenduntur, quod corruptibilia sunt. Hoc enim ipsum esse corruptibile non corrumpitur; Semper enim tale est. Vidi & B. Perer. in comment. Phys.

Propositiones sunt perpetuæ.

Propria Materia.

Propria Materia est materia præparata & adepta potentiam particularem ad hanc formam, ita vt non ad alias: Alias Determinata: vt propria Hominis materia est semen humanum, non aliud, vt equinum: itaque materia ex qua non est quælibet, sed Determinata.

Propria Dei operatio.

Propria Dei operatio est, quando se mouet à se, seu cum per semetipsum operatur sine mediante creatura: ex ea prouenit prima participatio, qua nimirum Deus sese præbet per se, qua, v. g. Angelus aliquis Deum sine medio suscipit. Hugo in Schol. in Cœlest. Hierarch. Galliarũ Apostoli Dionysii. Vbi & hoc est: Illa est altissima creatura, ad quam est prima operatio & in qua est prima participatio.

Proprietas, ἰδιότης.

Proprietatem Proclus vocat σύμπτωμα χαρακτηριστικὸν καὶ ἀντίστροφον, indoctrina de Parallelismo. Est autem vere proprium rei accidens.

Interdum proprietas intelligitur de ἐνεργείᾳ seu actu proprio: quales Dei sunt Creare Mundum, peccatum remittere, mortuos resuscitare.

Fons. in Inst. Log. Locum proprietatis reuocat ad locum descriptionis: Hæ ex propriis principiis demonstrantur.

Proprietas linguæ, vt Græcæ, Hebraicæ, Idiotismus est: alias Idioma specialiter vocatur Hellenismus, Atticismus, Hebraismus. Poet. l. 4. c. 5. *Scal.* proprietatem appellat non quæ excludit Metaphoras, hæc enim proprietas nequaquam perpetua est orationi, sed natiuam vim significandi ex vsu doctorum. Loquitur de *proprietate styli seu Orationis.*

Scholasticis Metaph. quædam proprietates sunt vera seu Formaliter Entia, seu vera accidentia, id est, veram habent entitatem & proprie inhærent, vt qualitates, Terminus Corporis, sine quo corpus esse non potest. *Quædam sunt puræ seu omnimodæ aptitudines seu propensiones:* quę ita habent se ad subiecta, vt hęc sine illis, & illæ sine his nulla prorsus virtute conseruari possint: sicut isti (Schol. ast.) disputant. Hæ proprietates non habent veram Entitatem, nec peculiarem sibi vendicant existentiam, nec proprie inhærent, sed idem sunt cum rebus, quarum sunt proprietates, sola modali distinctione ab iis distinctæ. Numerantur enim in puris essendimodis: vt sunt Relatio actualis Dependentiæ materiæ à Deo, & existentia in spatio extensiuo & successiuo apud Schol. Doct.

Axioma.

Existentiæ rerum creatarum non sunt formaliter Entia.

Medio

Medici per proprietates seu ἰδιότητας rerum intelligunt, qualitates occultas, abditas, latentesq;, seu ἀῤῥήτους rerum causas. Vide Alex. Aphrod. in præfat. in 1. Problem.

In iure significat dominium vsufructu deminutum. Vnde Iurisconsulti Proprietarium deducunt.

PROPRIE,

κυρίως, οἰκείως.

1. Aliquid *Propriè* esse vel dici dicitur Proprietate, Rationis vel significatio-

Rationis vel significationis ex
- Oratione seu sermone
  - Logica seu λόγου
    - Propriè proprietate
      - Physica seu φύσεως, per se
        - Immediatè.
        - Mediatè.
      - Politica.
    - Attributionis seu Enuntiationis, seu sententiæ Dialecticæ.
- Regula syntaxeως Grammaticæ.

Διχοτόμως.

Logica vel Philosophica : Philosophica Naturali vel Ciuili.

5. Propriè est singulariter seu indiuiduè, non communiter, cui opponitur κοινῶς, καθόλου, communiter, vniuersæ.
6. Est principaliter, ἐξόχως.
7. Πρώτως, primò, immediatè.
8. Est οἰκείως, non extranea seu aliena ratione : opponitur ei extraneè, alienè, ἀλλοτρίως, ἔξω.

Exempla.

Horum omnium σαφήνεια ex exemplis est.

1. Motus accipitur propriè, id est, strictè vel largè seu laxè, id est, impropriè nonnunquam.

nis, non *analogicè*. (Sic dictio propria est, cuius natiua significatio est, cui opponitur Tropica.)

2. Proprietate seu Regula Syntaxeως Grammaticæ (cui opponitur Anomalia.
3. Proprietate Enuntiationis Dialecticæ (sic prædicatio Propria dicitur & Formalis.)
4. Proprietate seu conuenientia Naturæ, ac per se (cui opponitur per accidens.)

Natiua significatione, vel formali definitione
- Vocis vnius, λέξεως.
- Plurium vocum, φράσεως.

2. Homo est animal, propriè proprietate, & vocum singularum, & attributionis seu compositionis, & naturæ.
3. Impropria & Hypallactica est sententia : panis Cœnæ qui frangitur, est fractio corporis Christi: Pro, Panis fractio est corporis fractio. Sic; peccatum est natura corrupta, pro naturæ corruptio. *Gramm.* *Actio non prædicatur propriè de substantia.*
4. Dico creatura, Salis Vrbs Alexandrię, & conceditur hoc mihi ex sensu Intransitiuo, vt sententia sit Creatura (Dei) Sal, Vrbs Alexandrię, (ita enim syntaxis ἀνώμαλος in Regularem conuertitur seu canonicam) sed impropriè ita loquor & ἀνωμάλως, enallage Grãmatica. In sensu enim Transitiuo nõ conceditur. quia in eo prorsus

falsa est. Videndum hîc quid vsus approbet. Nó dico, Socrates est creatura Hominis, pro creatura Homo. Biel. l. 3. d. 7. q. 1.

5. Essentia est illud, quo aliquid dicitur propriè, id est, formaliter ens. Propriè patri conuenit, id est, definitiuè, seu ad rationem patris requiritur, Producere aliquid viuens de sua substantia in eadem specie.

Patris ratio formalis ac propria.

6. Descriptio Baptismi in paruo Catech. à Luthero facta est impropriè: Quia Baptismus (cum actio sit) propriè non est aqua, quę tes est permanens, sed lotio in aqua, quæ est actio transiens.

7. Dei filius passus est propriè, id est, & passione propriè dicta, & physicè, sed secundum quid, id est, carne. Non est passus propriè, id est, absolutè, & proprietate Diuinæ naturæ: quo fit, vt dicatur passus, κατ' ἄλλο, & τῇ ἀλλοιώσει quadam à Theologis.

8. Corpus Christi frangitur & editur propriè, id est, & manducatione propriè, nõ metaphoricè dicta, & naturaliter, sed κατ' ἄλλο, seu in alio, seu in specie aliena (nõ propria) nempe in pane per verbum sanctificato, vt in obiecto materiali, **am Brodt/welches das Wort hat.** Non propriè, id est, non absolutè frangitur & editur, id est, nõ in propria materia & forma, nõ in propria essentia & natura,

9. Sacramentum Baptismi propriè fit in aqua; sed Baptismus sanguinis (martyrium pro Christo) dicitur baptismus impropriè & attributiuè, quia habet effectum similem baptismo (propriè dicto) Gabriel Biel. l. 4. dist. 4. q. 2.

10. *Caro Christi* dicitur omnipotens, non propriè & formaliter, sed per attributionem ad omnipotentiam τοῦ λόγου, & quasi ęquiuocè, sicut manus (ingenioſi homnis) dicitur ingeniosa per attributionem ad ingenium hominis, cuius manus est instrumentum. Vide Iac. Schegk. in l. de pers. Christi præfat. & Iohan. Busæum de hoc argumento. Ita omnipot. est commune ἀφ' ἑνὸς, vel πρὸς ἕν.

11. Iesus Christus est Filius Dei propriè, id est, κατὰ φύσιν, natura & essentia, non adoptione, seu adoptionis gratia, non κατὰ χάριν.

12. Panis Cœna Dominicæ seu Eucharisticus est corpus Christi, & propriè dictum, (quod verum dici solet) nempe quod pro nobis traditum est, & mysticum, quod est Ecclesia, sed non proprietate prædicationis; non proprietate naturæ suæ, id est, non essentialiter, seu συνωνύμως, sed adiectione gratiæ, & τάξει ἱερατικῇ, σχετικῶς, & extrema attributione. Nec enim natura, nec gratia facit seu inducit confusionem disparatorum.

13. Iesu Christi natiuitas, quantumuis sancta, sicut & antegressa in vtero gestatio, & consequens lactatio, fuit & propriè dicta & verè naturalis, quatenus Christus aperto matris vtero, illæsa tamen eius virginitate aliorum hominum vita morteq; natus, & in hanc lucem editus fuit. Et sic duplici ratione propriè natus est Homo Iesus Christus.

14. Conceptio Iesu Christi fuit propriè quidem dicta conceptio, sed planè sancta, transnaturalis, extraordinaris & miraculosa. Christus enim non fuit conceptus ex naturali congressu coniugum, sed ex hyperphysica Spiritus S. virtute. Eadem conceptio propria etiam est hoc sensu, quod est singularis planè.

Apparet hinc discrimen inter proprietatem λεξικὼ & φυσικὼ, inter Logicam & καλλιλογικὼ, hoc est, dictionis & sententiæ, inter Grammaticam & Dialecticam, quod obseruatum in controuersia Sacramentaria est vtile & necessarium.

πῃ Propriè cognatum, non prorsus idem, est Appropriatè, quod Scholasticis est idem

idem, quod maximè vel peculiariter proprium: ἰδιαζόντως Græci, & κατ' ἐξοχὴν, ἴδιον, sic Deo Patri conuenit Creatio appropriatè, Filio Redemptio. Sic leges & mores ab oratoribus Ethnicis & Politicis appropriatè accipiuntur, & dicuntur de bonis. Sic Germani nostri, lerne mores, id est, gute Sitten. Roma significat propriè, Vrbs communiter. Donatus Grammaticus.

Sessio ad Dexteram Dei Patris conuenit ꝓpriè, id est, singulariter, Carni Christi, Deus nos conuertit, remittit nobis peccata, nos saluat κυρίως, id est, principaliter, Barbari auctoritatiuè, non ὑπηρετικῶς. Mens est propriè (πρώτως & formaliter) logica lingua instrumentaliter.

ὁ λόγος assumpsit naturam singularem propria singularitate, id est, non aliena.

Theorema vel problema merè Theologiam medio philosophico non probatur propriè, id est, medio vernaculo, seu homogeneo, non alieno seu extraneo, ἄλλοθεν, exotericè.

Viuimus propriè anima formaliter corpore instrumentaliter, & subiectiuè Deo propriè omnipotentia attribuitur, qua Deus; Igitur ἀμέσως: Christo proptiè tribuitur omnipotentia, quia Deus, igitur ἐμμέσως.

Beatum fieri conuenit propriè, id est, primò seu immediatè hominis spiritui. Ei enim soli inest actus beneficus, vt ait Gabriel Biel. l. 3. dist. 2. q. 1. Corpori autem mediatè, id est, interuentu seu animæ immortalis, quia ex beatitate spiritus fluit beatitas corporis, seu beatitudo animi redundat in corpus, vt eius particeps fiat.

Canon.

Cum enim attributum conuenit pluribus per vnam eandemque rationem propriam (*a*), illis immediatè conuenit, quibus inest ratio illa propria, cæteris verò mediatè propter aliquam σχέσιν vel coniunctionem cum eo, cui inest talis ratio.

Canon.

Quod vni propriè conuenit, non conuenit alii natura & specie ab illo differenti, eo modo, quo illi proprium est. Propriè conuenit scientia menti. Eadem scientia non ita conuenit manui vel linguæ, sed tantum mediatè & organicè.

Proprium huius κτήσει non potest esse commune, alii eodem modo, nempe κτήσει, sed potest esse χρήσει, id est, vsu.

Canon.

Terminus conueniens aliquibus secundum eandem rationem seu Definitionem conuenit *æquè propriè* vnilibet eorum. Terminus Homo cónuenit Filio Dei & Petro, secundum eandem Definitionem (animal rationale.)

Ergo Filius Dei *æquè, verè ac propriè est homo*, atque Petrus vel Paulus, etiam *secundum sermonis proprietatẽ*. Vid. Gabr. Hîc pro πῷ propriè etiam dicitur vniuocè seu συνωνύμως, qua vniuocum, vt loquuntur, distinguitur contra æquiuocum, id est, discernitur ab æquiuoco. Itaque vniuocum est vox vni conceptui naturaliter propriè significanti subordinata, vt Petrus & Paulus.

Scholasticis secundum proprietatem sermonis etiam dicitur secundum rigorem sermonis.

Quæ extenso nomine seu κατάχρησιν dicuntur, etiam Minus propriè dicta esse dicuntur, vt cum mendacii vel falsitatis vox extenditur ad ea, quibus impropriè tribuitur.

Quod ꝓpriè vni conuenit, alteri attribuitur nõnunq; Analogicè. Propriè adoratur Rex interna & externa adoratione, sed

sed adoratio etiam attribuitur analogicè & diuersimodè regis purpuræ, qua indutus est, (quæ propter se non est adorabilis) propter cóiunctionem. non eodem quidem adorationis actu interiore, sed exteriore, vt genuflexione, capitis nudatione. Hæc enim faciunt coram, & Rege, & eius purpura, vel diademate.

Partes Scholasticorum *Aggregatione* analogicè sunt partes integrantes. Vide PARTES, vt hoc intelligas.

Propriè pro Eximiè, & absolutè, οἰκειοτάτως, μάλιστα, maximè; vt, μεταβλητικὴ rerum & pecuniæ inter se propriè, hoc est, eximiè, seu κατ' ἐξοχὴν, χρηματιστικὴ, id est, ratio rei pecuniariæ dicitur. χρήματα enim Græci pecuniam κατ' ἐξοχὴν vocant, qua vltrò citroque data vel accepta commutatio nititur. Zuing. in Polit. 1. Arist.

2. *Pro non impropriè*, vt signi seu characteris impressio nummum seu pecuniam propriè dictam (κυρίως) produxit. Idem.

3. *Non communiter*, vt : Vibs significat communiter, Roma propriè. Donat.

PROPTER.

Causæ Internæ, inquit Zab. l. 2. Phys. p. 4. ad text. 1. & 2. non conuenit dictio Propter: Propter enim significat causam Externam. Attamen dicuntur corpora agere propter formam, & Pati propter materiam, quia formæ est agere, materiæ pati.

PRORSVS.

Prorsus est præcisè, vel adæquatum seu completum, vt, prorsus de ratione seu Essentiæ alicuius esse, est de adæquata ratione rei esse.

PROSCHOLVS.

Proscholus erat 1. In schola seu ludo puerorum ille, qui docendis tam pueris, quam eorum moribus præfectus erat, (Morum κοσμήτης, seu cultor) vt scilicet concinnè ad magistrum accederent, vt togam componerent, vt omni gestu, incessu, vestitu compositi essent. Nam ante scholæ auditorium (προσχόνιον) erat locus Proscholii nomine ab auditorio ipso, velo, tanquã aliquo intergerino pariete disseptus. Ibi pueri conueniebant eius loci præfectum, quem Proscholum vocabant, vt monerentur sui officii, antequam ad magistrum reducto velo accederent. Vide Ioseph. Scalig. in Auson. lect. lib. 1. cap. 14.

2. In Schola Grammaticorum aut Rhetorum Proscholus habuit munus docendi, fuitque ὑποδιδάσκαλος, Subdoctor.

3. Proscholus idem est, quod Promagister, id est, ordinarii Doctoris vicarius.

PROTASIS.

Protasis Logicis est pronunciatum, seu propositio, vt Deus prouidet rebus humanis. Hæc significatio est χρυσὴ: Antiprotasis est opposita propositio.

2. Ab Aristotele in Top. accipitur pro Quæstione, quæ in vtramque partem simpliciter effertur, vt, suntne diuitiæ bonæ; Quam si in vtramq; efferas partem, problema fiet, sintne diuitiæ bonæ, an non bonæ? vel, sintne diuitiæ bonæ, an potius malæ? Vtrum nubere, an vri melius?

3. Ab Aristoteleis accipitur angustius aliquando, vt non sit idem, quod Enuntiatio. Sic Zab. in Comm. in 1. Post. An. Nomen Enuntiationis non modò propositiones syllogismi, sed etiam conclusionem significat. Nomen autem propositionis conueniens conclusioni non est, & quisquis conclusionem propositionem vocat, non recte loquitur, quia propositio dicitur tanquam proposita conclusioni. Hæc Zab. in doctr. syllogist. Hæc verissima sunt: Cæteroqnin extra syllogismum, seu citra respectum ad syllogismum concla-

conclusio, quæ dicitur à Scholasticis, etiam est Enuntiatio.

4. In Dramatis seu fabulis est argumenti tantum, id est, est pars dramatis, in qua proponitur & narratur summa rei sine declaratione exitus, definitore Scaligero. Hinc Persona πρωτάλικὴ est, quæ introducitur in hac parte fabulæ.

In Geometria Euclidea duo ἀpositionum genera sunt

- Ἀρχαὶ, principia
  - ὑποθέσεις, cum aliquis concedit assumenti subiectam aliquam rem, cuius tamen cognitionem non habet, veram esse; vocat & ὅρους.
  - Αἰτήματα, postulata seu propositiones immediatæ, quibus petitur aliquid facturu facilè, vt ducatur linea recta à puncto ad punctum.
  - Ἀξιώματα, pronuntiata ita manifesta, vt per se fidem faciant, vt, Totum maius est qualibet sua parte.
  - Κοιναὶ ἔννοιαι, propositiones immediatæ, quæ per se manifestæ sunt, communi omnium consensu sine apodixi.
- προτάσεις, μὴ τὰς ἀρχὰς: ἀpositiones, q̃ sequuntur principia, & ex his dimanãt, & indigẽt demonstratione
  - Προβλήματα, propositiones, in quibus aliquid proponitur nobis ad agendum. Horum scopus est ποίησις; fieri quid volunt. In his interdum διδόμενον, seu θέσις, seu ὑποκείμενον desideratur, ζητούμενον non potest omitti desiderariue.
  - θεωρήματα, in quibus quiddam ad contemplationem proponitur, vt rei συμπτώματα, seu πάθη, seu συμβεβηκότα. Hæc scire quid expetunt? Finis est γνῶσις.

Nota axiomata & κοινὰς ἐννοίας pro vno poni sæpè: Item θέσεις, ὑπο θέσεις & ὅρους sæpè. Vide Euclid.

προτάσεις, seu pronuntiata, siue sint Theoretica, siue problemata, sunt
- Ἁπλά.
- σύνθετα
  - ἀσύμπλεκτα, incomplexa.
  - συμπεπλεγμένα, q. complexa.

Ἁπλὰ seu ἀδιαίρετα, id est, quorum vnicum est datum, & vnicum quæsitum.

Σύνθετα, quorum vel vnicum est datum, & plura quęsita, vel vnicum quęsitum, & plura data, vel plura data, & plura quæsita.

Incomplexa sunt, quæ non diuiduntur in simplicia (4. l. 1. Eucl. In ea datum non potest diuîdi in simplicia) ex quibus possint alia confici.

Complexa, quæ in simplicia diuiduntut, seu ex quibus duo possunt fieri, vt Trigona & Parallelogramma sub eadem constituta altitudine eandem rationem habent, quam basis ipsa.

Faciunt autem προτάσεως talium partes δεδομένον, (a) datum, & ζητούμενον, quæsitum, quod vt intelligatur, teneatur hoc.

a) *Subiectũ. Prædicatũ.*

Vt omne Subiectum Enuntiationis est Antecedens; at non omne antecedens propriè est subiectum: Sic omne quidẽ datum est subiectum, sed non omne subiectum est datum, vt Trigonum æquicrurum cõstituere, cuius angulus ad basin reliqui sit duplus: Hîc nullum

est datum: Itaq; nec explicatio dati seu ἔκθεσις, quia non entis nulla sunt accidentia. (Sed tantum est hîc subiectũ.) Hinc Logicus iudicare potest de quæstione, An rectè constituantur partes propositionis Geometricæ διῃρημένον καὶ ζυγέμενον? Neg.

Nonnunquam solum quæsitum proponitur, quod aut cognoscendum, vt in Theorematibus; aut efficiendum, vt in Problematibus.

PROTEVS.

Proteus est metrum variabile seu variè vertibile. vt:

Perfide speraſti te diuos fallere Proteu. Et:
Proteu speraſti te perfide fallere diuos. Et:
Perfide speraſti te Proteu fallere diuos. Et:
Fallere te diuos speraſti perfide Proteu. Et:
Speraſti Proteu te fallere perfide diuos.

Sed mutatio sæpè facit versum incomptum, inuenustũ, & minus gratum; vt:

Fraterno primi maduerũt sanguine muri,

Muta sic:

Sanguine fraterno primi muri maduerũt,

& periit versus gratia.

PROVT.

Prout idem est, quod *Ex Ratione, Vt*: sicut loquuntur Latiniores; vt, Forma coniuncta materiæ habet substantialem quendam modum essendi, qui modus est diuersus à modo proprio materiæ, & à modo proprio formæ & ratione, vt per se cõsiderantur disiunctæ inuicem atq; dissociatæ. B. Perer. 7. de natura. c. 21. Idem eodem loci. Propriæ passiones dicuntur esse ipsius Cõpositi, quia non oriuntur ex materia, nisi *Prout* est actuata & determinata à forma, nec oriuntur à forma, nisi *ea ratione, vt* est vnita materiæ.

PROVIDERE.

Prouidere nihil aliud est, quam subdita benè disponere, & ad bonũ pducere. Hæc significatio nõ tantũ est Politica, sed etiam Theologica. Marsil. Ficin.

PSEVDOGRAPHEMA.

Pseudographema est syllogismus ignorantiæ seu Paralogismus, in qno ad propositum falsum demonstrandum perperam seu vitiosè applicantur seu accommodantur ea, quæ alioqui vera sunt. Translata vox est à Geometria, cuius propria est. Talib. omnes professores refertæ sunt, cum professores errores suos conantur defendere veris disciplinæ rationibus. Oppositum est Pseudographema Apodixi.

Triplex est: Primum cum prædicatum est διττὸν, nec ea, qua debet, significatione accipitur seu vsurpatur: Itaq; in causa est, vt falsum concludatur.

Secundum est, cum subiectum non est ritè determinatum, & sic est causa falsi concluſi.

Tertium est, cum medium est διττὸν, id est, duplici vsurpatur significatione. Hoc non tantum Apodixi, sed & syllogismo oppositum est.

Pseudographema est principium, quod vitiosa interpretatione vel applicatione corrumpitur seu deprauatur adhibitum ad monstrandum aliquid, & ita parit Paralogismũ κατὰ πρᾶγμα, vt: Quicquid fit, fit ex ente: pseudographema est, si non rectè adhibetur: Itaq; si applicetur prædicatum ens ad ens actu existens, paralogismus est κατὰ πρᾶγμα: Quicquid fit, ex ente fit. Res naturales fiunt. E. ex ente fiunt. Sin adhibeatur ad ens δυνάμει existẽs, syllogismus est.

Exemplum primi iam ante habuimus. Exemplum secundi sit: Quicquid cõcretum est ex cõtrariis, est ἀεὶπαθὲς, id est, semper contra naturam afficitur. Corpus animalis est concretum ex cõtrariis. Ergo ἀεὶπαθὲς est. Propositio fallit: Concretũ ex contrariis per se, & qua ipsum non est causa ἀεὶπαθείας contra naturam, sed quia habitu cõtra naturam prędituin est. Falsa igitur hęc: Omne igitur concretum ex contrarius est ἀεὶπαθὲς: corrigenda est subiecti limitatione. Omne concretum ex contrariis particeps habitus contra naturã

est

est ἀεὶπαθὲς: sicut contra, omne concretum ex contrariis,& præditũ secundum naturam habitu est ἀυπαθὲς vel ἀπαθὲς. Omne quo exercentur animæ actiones. Ergo crasis est anima. Propositionis subiectum determinandum erat : Omne quo primò exercentur, &c. At crasi non exercentur primò. Ergo crasis non est anima.

Exemplum Tertii: Simplicissimum constituens quippiam principium est. Atomos est simplicissimũ. Ergo: Maior vera est de simplicissimo specie , seu quoad τὸ εἶδος. De eo minor est falsa, quia atomos est simplicissimum τῷ μεγέθει, id est, magnitudine.

Stultum Lemma, quod nusquam reperitur in scriptura, neque quoad verba, neq; quoad διάνοιαν, neq; directè, neq; deductione per consequentiam, dicitur pseudographema.

PSEVDOGRAPHIA.

Ψευδογραφία, id est, falsa descriptio dicitur, cum quis ex principiis alicuius artis malè assumptis falsum aliquid concludit. Vox deducta à falsis Geometræ descriptionibus, quibus decipitur. Vid. ad locum 15. l. 5. Topic. Arist. Professores Logic. Venetæ Academiæ.

PVLCRITVDO.

- Increata ipsum pulcrum, αὐτόκαλον, Idea pulcri; Hæc est Deus, omnium rerum pulcrarum causa.
- Pulcritudo accipitur variè: Est
  - Creata: Hæc est apta cõpositio aliquorũ inter se ordinatorum,
    - Corporis
      - Aggregati è singulis
        - Multis.
        - Cunctis, id est, vniuersi mundi.

        } Hæc est apta corporum inter se cõpositio.
      - Vnius p se, Accepta.
        - Latè, vitæ expertis, & viuentis simul. Hæc est apta partium corporis inter se compositio.
        - Strictè, Animalis tantum: Hæc est concinna membrorum compositio cum quadam coloris suauitate. Hęc est partim à Temperamenti bonitate, partim à virtute formatrice & auctrice.
    - Animi, vt cum huius vires ita sunt compositæ, vt inter eos sit harmonia & consensio quædam.

Pul. creata
- Corporis.
  - Simplex
    - Animi.
- Composita, vt Pulcritudo Corporis cum Virtute excellente, cum anima & corpus (a) proportione quadam harmonica congruunt.

(a) Ficin.

Vero Pulcro opponitur Pulcri εἴδωλον.

Pulcritudo Geometrica etiam quædã est. Figuræ enim dicuntur ordinatæ. Ordinatio autem figuræ formositas quædã seu pulcritudo est, sita in Perimetri eleganti specie, quæ non tantum figuram comprehendit, sed pulcrè etiam & decorè comprehendit. Hæc pulcritudo sita est in Terminorũ & Angulorũ æqualitate, cuius causa est congruentia: vt cõgruentia sit ordinationis parens.

Pulcritudo propriè dicta est, cuiusque partis

primum, deindè partium commissarum temperamento oriens qualitas: vel est qualitas conflata ex modo quãtitat's, temperatura, qualitate, & partium situ conuenenienti. Hæc corporis est, comprehenditur sub Bonitate Relatiua.

Prædicatio, Pulcritudo est conuenientia, *Vitruu.* συμμετρία, commensus, est impropria, vera in sensu causali, nam pulcritudinis causa est conuenientia: Pulcritudo est qualitas ex conuenientia.

Pulcritudo partium est ex modo, figura, situ, numero, colore, conflata species delectabilis.

Pulcritudo Totius est species excitata ex partium modo, figura, situ, numero, colore.

Perfectio summa & gratia pulcritudinis est Venustas, quã Græci dicunt, χάεις.

Translatè conuenit Pulcritudo Orationi & Rationi seu animo, imò & DEO.

Pulcritudo Orationis est omnium, quibus oratio conficitur conuenientia quædam & modus. Quare & color orationi tribuitur, id est, verborũ nitor.

Pulcritudo animæ est, tum conuenientia virium animæ superiorum & inferiorum inter se, tum ornatus eius ex scientiis & virtutibus. Hæc continetur sub Bonitate Morali.

Pulcritudo Diuina est ipse Deus. Hic est Pulcrum simpliciter, quod ex seipso satis est ad omnia: vbique semper omninò potest oblectare. Vide Scal. ex. 300. sect. 4. Opponitur ei Pulcrum secundum quid.

PVLLABILE.

Barbariusculè loquentes Doctrinæ gratia, Physici, Peripatetici per Pullabile intelligunt in doctrina de Materia prima id, quod potest assumere formam pulli. Ex quo nondum pullo, inquiunt, sed pullabili, id est, quod potest induere formam pulli, fit tandem pullus. Hîc ouum est materia; (rectius in oua est materia) pullabile est priuatio: pullus est forma, (rectius formatum) neque aliud requiritur ad cõstitutionem & substantiam pulli absoluendam. Itaq; Principium tantum corporis Naturalis à Peripateticis constituitur.

Pullificatio est generatio pulli.

Sic Barbari dicunt Plurificabile pro Multiplicabili.

PVLSVS.

Pulsus duobus attribuitur.

1. Arteriarum pulsus est, qui Plinio percussus, Græc. σφυγμὸς, altera ἐνέργεια cordis. Cordis enim propriè & κατὰ φύσιν actiones seu ἐνέργειαι duæ sunt, pulsus & πάθη seu affectus, qui fiunt sine contactu, sequentes notitiam pulsus; Ille fit συστολῇ (contractione) & διαστολῇ (dilatatione) cordis & arteriæ. Estq; vel κατὰ φύσιν, vel παρὰ φύσιν: Compositus seu ordinatus, vel ἄταξις. Corpore rectè valente, & animo non perturbato affectibus; Pulsus est κατὰ φύσιν: in Morbis autem accidit ei aliquid παρὰ φύσιν. Mutant igitur pulsum & Morbi, & animi affectus, ac efficiunt vtraq; πήδησιν (saltum) καὶ ἀναπήδησιν, vt Aristoteles nominat, id est, subsultationẽ cordis, quam videtur facere in lib. de Spiritu σφυγμὸν παρὰ φύσιν. Πηδήσεως autem species est πάλμος seu tremor cordis, & quidẽ πηδήσεως παρὰ φύσιν. Docendi enim causa cum Esromo πήδησιν facio duplicem; Vnam κατὰ φύσιν, quam Aristot. non agnoscit: alteram παρὰ φύσιν. Nam affectus cũ sint à natura insiti, nõ omnis in his cordis motus πήδησις, aut σφυγμὸς παρὰ φύσιν esse videtur, etiamsi vsitatũ pulsum mutat, & aliũ huic motũ affert. Sed eos tãtum affectũ παρὰ φύσιν esse apparet, qui modũ naturæ excedunt, vt cum metu aut lætitia homines exanimantur: Πήδησις igitur etiã quędã κατὰ φύσιν est in affectib⁹ naturã iuuãtib⁹, moderata, & naturã nõ lædẽs. In morib. & omnib. naturã prosternẽtib. affectib. cõtra, παρὰ φύσιν, de qua sola docent Aristotelica.

2. σφυγμὸς

2. σφυγμὸς seu Pulsus ab Arist. in Meteor. etiam Terræ attribuitur, vt eius affectio seu accidens, sicut & Tremor, qui Græcis est τρόμος.

PVGNA.

In polemica pugna stataria est firma, conglobata, cõferta, in qua ordines nõ sunt laxati, in qua milites arctius coniuncti sunt, pede quasi collato cum pede. Liuius alicubi etiam vocat stabilem pugnam. Hic politici edissertant, interesse plurimum ad victoriam scire laxare ordines cum premitur acies, seu pandere aciem cum in augustum coacta, seu in artum compulsa concluſaque, vide dissert. polit. 20. lib. Scip. Amirati.

- Pugna
  - Proprie prælium, vt incerti sunt exitus pugnæ.
  - Trãslate
    - Verborum, λογομαχία.
    - Rerum πραγματομαχία vel affectuũ cum ratione.

PVRGATIO.

Purgare est purum facere vel putare, vt, purgare prouinciam malis hominibus, ἐκκαθαίρειν.

Purgatio Physica est molestorum, vtilibus relictis, in corpore euacuatio. Itaq; cacochymiæ subtractio. Molesta sunt tum excrementa & humores superuacui aut nimium crassi, aut glutinosi, aut acres: tum succi, si vel intẽperiem, vel alienam qualitatem vel corruptionem substantiæ sortiti sunt. Quod si cum inutili & vitioso simul vtile deducatur è corpore, aut alienus etiam humor trahatur, effrenata seu immodica est purgatio, quæ Græcis ὑπερκάθαρσις est (superpurgatio.)

- Purgatio
  - Spontanea, quæ fit sponte.
  - Artificiosa, quæ fit ope medicamẽti.
    - Vniuersalis, quæ ex vniuerso corpore vel maxima è parte superuacua extrahit
      - Clyster, id est, alui perfusio.
      - Vomitio, id est, impetu ventriculi sursum facta reiectio.
      - Alui deiectio.
    - Particularis, quæ partem aliquam propriis vitiis expurgat.

Vid. Fernel. l. 3. Method. Medendi.

Purgatio Metallica est impuri à puro separatio.

Purgatio Oratoria & Politica sequitur. In statu Iurediciali defensori, vbi defensio per se infirma est, adduntur purgatio criminis, Translatio & Deprecatio. Purgatio est cum concessione aliqua defensio, qua aliqua ex parte leuatur culpa, vt cum negamus dolo esse factũ, (feci errore, iratus, non animo lædendi.) Translatio criminis culpã confert in alios, vt promisi coactus metu, qui cadit etiam in virum constantem: feci iussus ab alio. Deprecatio petit misericordiam.

In Iure purgare est se excusare vel innocentiam suam ostendere.

Purgare se olim solebant suspecti de crimine, qui conuinci non poterant,
- *Duello* seu Monomachia.
- Aqua
  - Frigida
  - Feruente

  In quam nudi mittebantur.
- *Ferro* candenti vel igniro. Postea vero introducta est purgatio per Iuramentum.

Probationes seu innocentiæ ostensiones tales dictæ sunt *Canonicæ*, quod canonibus sint institutæ.

Purgare moram est eluere, delere, emendare moram: quod fit quando debitor interpellatus seu appellatus, cum aliquando dare noluerit, postea tamen offert. Donell. de Mora.

Compurgatores dicuntur, qui suspectum se purgantem sua affirmatione religiosa adiuuant. Talis autem formula introducta est purgandi. Delatus apud Magistratum adhibet septem vel etiam pro rei qualitate pauciores, qui testimonium innocentiæ illius præstare possint, quia & fide digni sint, & propter vicinitatem compertam habere possint veritatem. Tum ipse suspectus iurat se istud crimen non admisisse, quod obiicitur. Compurgatores autem iurant se credere, quod principalis iurans dicat veriratem, seu non peieret.

Purgamina in Politicis, Magia & Aruspicina dicebantur expiationes: vt confusi cineres: quæ iaciebantur in flumina vel mare, vt nimirum auferrentur ab oculis & pedibus mortalium, quod putarent vel aspectu illorum, vel tactu, contagium trahi. Eodem sensu dicta Lustramina.

Tibullus:

——— *Quicquid Triste timemus,*
In Pelagus rapidis euehat amnis aquis.

Liuius. lib. 27. de infante monstroso nato. Id vero Aruspices ex Hetruria acciti fœdum ac turpe prodigium dicere: extorrem agro Romano procul terræ contactu alto mergendum.

Et. l. 36. de bobus quibusdam: Eos viuos comburi, cineremq; eorum in Tyberim deiici aruspices iusserunt.

Eustath. lib. 1. Iliad. Coniiciebant in mare purgamina (λύματα) cui data abluendi vis & natura: Vnde parœmium, mare abluit omnes hominum sordes.

Iaciebantur autem purgamina trans caput: Profanus hic ritus: & credibile est in hac ceremonia magnam partem Magicæ disciplinæ (si disciplina nominanda est) constitisse.

Pa· et hoc ex Virgil. Ecl. 8.

Fer Cineres Amarylli foras riuoq; fluenti
Transq; caput iace, ne respexeris.

Id est, cineres è verbenis, lauris, floribus, thure foras fer, iace in riuum fluentem, sed auerso capite. Allucet etiam ex aliis: Claudianus.

Trans caput auersis manibus iaculantur in
Austrum
Secum rapturas cantata piacula tedas.

Plaut. in Mostel. Caue respexeris. &Ouid. 5. Fast.

Auersus q; iacit nec respicit. Nemes.
Cineres auersa effudit in amnem.

Causam huius moris vid. apud L. de La Cerda in Eclog. 8. Virg. Comm.

PVRVM.

Purum accipitur Oratorie, Logice. Pura Oratio Oratoribus & propria gen-

tis & populi, nulla inquinata barbarie, vt apud Latinos Latina, apud Græcos Græca: seu est aut in qua nihil est peregrinum vel corruptum, aut in qua nihil est sordidum seu lutulentum. Opponitur ei impura, qualis & multorum est Scholasticorum.

Logicis pura propositio est quæ opponitur Modali, vt Homo moritur.

Pure est sincere seu mete, seu præcise, seu simpliciter, non mixte, vt cum dico pure Synonymum, pure Æquiuocum.

Purum putum aurum vel argentum quid sit, disputant Critici, inter quos est Franc. Luisinus. Gellius, & Budæus in Pandectis exponunt argentum putum purum valde purum expurgatumque & excoctum, omnique aliena materia carens, omnibusque ex eo vitiis detractis, emaculatum & candefactum, sicut loquitur Gellius l. 6. c. 5.

Sed Festo purum putum significat quod est sine signis & emblematis. Veteres enim, præsertim Siculi, præclara quædam & operosa emblemata argenteis poculis addebant, quæ cum essent detracta, argentum purum remanebat, quod demonstrat Cicero actione 6. in Ver. Tali argento scil. sine signis puro opponitur cælatum, id est, argentum cum signis seu Sigillis, vt simulacris Deorum. Sed non erraueris, si in vtraque significatione vsurpaueris, id est, si dicas, argentum purum esse vel cui signa detracta sunt & emblemata, vel quod est purgatum satis ab extranea materia.

PVLSATIO.

Pulsare verberare est grauiter, vt hominem vel fores. Interdum accipitur per metaphoram vt pulsare aliquem conuitiis, id est, lædere, violare. In Physiologia corporis humani est cordis actio systole & diastole, id est, contractione & deductione constans.

Alia ab hac est palpitatio, quę cordis concussio est, quam barbari minusque politu humanitate vocant Iectigationē.

Pulsari ad solutionem, Iurisconsultis est conueniri, in iudicium vocari, &c.

PVTARE.

Putari proprie arbores & vites dicuntur.

2. Puto est hæsitantis, id est, ambigentis potius seu dubitantis, quam asseuerantis.

Paulus Apostolus cum dicit: Puto me Spiritum Christi habere, vtitur peculiariter, vt significetur eo grauis & acris Sarcasmus, quo reprehendit omnes de ipsius vocatione & doctrina dubitantes.

PVTREFACTIO.

Nomen putrefactionis videtur proprie significare præuiam alterationem tendentem ad interitum substantiæ (mistæ) & ad dissolutionem misti. Tunc enim rem putrescere dicimus, cum est in via ad perfectam dissolutionem. Zab. l. 2. de Misti generatione & inter. c. 6. Putrefactio est misti dissolutio in quatuor elementa. Est interitus misti per corruptionem caloris naturalis, facta à calore extraneo. Est corruptio proprii & naturalis caloris in vnoquoque humido à calore ambientis seu continentis. Constat hæc Definitio Aristotelea Genere, subiecto & causa. Genus est corruptio caloris proprii. Subiectum proprium est Humidum: Hoc enim solum est putrescibile. Causa proxima priuatiua efficiens est externus ambientis calor. Essentia putredinis est separatio humidi à sicco, quam separationem facit ipsa corruptio caloris. Itaq; dici potest putredo esse humidi & sicci separatio, prouenies à corruptione proprii caloris, facta à continentis calore. Aristoteles autem hanc separationem implicite comprehendit sub proprii caloris corruptione.

Caloris proprii corruptio in se cõtinet separationem humidi à sicco, quæ est putrefactionis essentia & destructio seu interitus formæ mixti.

Galeno putredo est mutatio ad interitū totius substantiæ putrescentis ab aliena caliditate. l. 11. Method. cap. 8.

Primaria causa putredinis est calor alienus, nempe ambientis. Secundaria proprium frigus, id est, defectus proprii caloris.

Distinctio è gradibus.

Putredo est perfecta vel imperfecta. Illa maior, hæc minor: Illa secundum totum, Hæc secundum partem.

Perfecta seu summa est, qua mistum penitus in elementa dissoluitur, ita vt nihil eius reliquum appareat quam terra. Ita putrescunt Caro, Pomum, stercus, & alia omnia mista, quæ solida & per excessum terrea sunt seu terra sicca.

Seu perfecta est, qua penitus abiungitur humidum à sicco. Talis est in iis, quę sunt fluida & magno excessu aquea, vt in vino. In hoc enim multo maior inest humoris vis & copia, quam vt educi totus possit, & à sicco separari. Hæc igitur putredo Aristoteli est interitus secundum partem, quia non penitus separatur humidum à sicco.

Non autem est hæc Diuisio generis in species: quia differentia secundum magis & minus non variat speciem, sed tantum varios gradus efficit.

De perfecta putrefactione vsurpatur verbum *Incinerari*, quod est totam humiditatem educi & ita exarescere aliquid, vt cinis fiat: ita raro humor aliquis in corpore humano putrescit. Solent humores in animalibus putrescere putredine secundum partem, sicut vinum, aqua, & alię res liquidæ putrescunt.

Imperfecta seu secundum partem putredo, id est, quæ ad dissolutionem in elementa non peruenit, est leuior seu minor: vel grauior seu maior: Datur enim maior & minor recessus à natura. Leuior, vt cum res alteratur solum seu mutatur secundum accidentia. *Hæc igitur mera est alteratio.* Grauior, cum forma substantialis perditur seu interit. *Hæc igitur corruptio seu interitus est* (formæ substantialis) *seu mutatio misti in aliam misti speciem.* Prioris exemplum. Videmus interdum leuiter putrescere vinum, vt vinum esse non desinat. Hic in accidentibus vini facta est mutatio, quæ ne pergat & maior fiat, remedio aliquo calorem cohibemus, ne euapo-ret. Ita aliquando sanguis incipit putrescere in venis, cui putredini medicina afferri potest: quod argumento est formam sanguinis nondum interiisse. Compositum enim quod perit, nunquam idem redit, teste Aristotele & experientia. Exemplum posterioris est, cum vinum ita putrefactum est, vt non sit amplius vinum, nisi forte æqui uoce, sicut cum cadauer vocamus hominem. Cum sanguis ita putrefit, vt non amplius sit sanguis.

Putrefactio est vere, vel quasi. Hanc distinctionem sumpsi è Zab. de Misti Gen. & inter. l. 3. c. 10. Acetum, inquit, ex vino genitum modo quodam est simile putrefactioni (id est, acetum non proprie dicitur vinum putrefactum,) quia calor educitur & consumitur humidum: non est tamen reuera putrefactio, quia non educitur calor elementaris, sed solus animalis. In vera vini putrefactione fit ebullitio, quę indicat humidi euaporationem, at in conuersione vini in acetum non fit. Vinum autem vere putridum dicitur vappa. Videmus, inquit Zabatella c. 6. æstatis tempore vinum putrescere, cum propter ambientis calorem incalescit & ebulliendo fit putridum, & vappa. Et hæc omnium prorsus consensione est vini putrefactio. (Vera.)

PYLORVS.

Pylorus 1. significat Ianitorem seu ostiarium, vnde Iliad. 8. Horæ, ὧραι, in cœlo apud Homerum dicuntur πυλωροὶ, id est, portarum cœli custodes.

2. Πυλωρὸς significat inferius orificium ven-

ventriculi, quod arctius & anguſtius eſt quam ſuperius, vt ne quid non ſatis elaboratum perfluere poſſit. Superius amplius eſt, quia homo interdum non manſa, ſeu res non tritas magnas deuorat: quanquam etiam non adeo anguſtum eſſe inferius fatendum eſt. Nam, teſte Galeno lib. de Natural. facult. quidam annulum aureum, qui ore tenebatur, imprudenter deglutitum prompte ſine noxa excreuit. Et And. Veſalius, Anatomicorum facile princeps, narrat, Bacchidem quandam Clinianam fuiſſe, cui Hiſpanus quidam 40. vniones & auream crucem quinque gemmis ornatiſſimam ſuffuratus ſit ſeu furtim deglutierit. Illa namque cum huic noctem ſe daturam, niſi prius numeratis 50. aureis, negaret, atque is tandem annuiſſet, ipſa vt comptior & amabilior eſſet, tam pretioſas res collo appendit, ibidemque in lectulo etiam, ne forte ſubducerentur, ſeruauit. Hiſpanus monili inhians, meretriculam, quam potuit ſalaciſſime, vt ſuauius tandem obdormiret, exercuit, ac poſtea ſoluto monili, ſingulos vniones & crucem, tandemque fidem, (die Schnur) ne ipſe furti argui poſſet, deuorauit. Grãdia igitur etiam tranſmittere inferius os ventriculi, quem πυλωρὸν dicimus, experientia docuit. Pylori autem opus & beneficium proprium Gabrieli Fallopio Mutin. eſt retentionis (comminuti in ore cibi) ventriculi πυλωρὸς ſcilicet ſe contrahit, & fibras ſuas orbiculares. Eum adiuuant fibræ tranſuerſæ & obliquæ in exteriore vẽtriculi tunica, quamdiu quieſcũt, aut dum leniter contrahi incipiunt, teſte eodem Fallopio, qui de vſu & officio fibrarum à Veſalio diſſentit.

Pytho.

Pytho dęmõ erat Delphis & alibi, qui ſub ſpecie ſerpentis colebatur. Ab hoc Apoſtolus Paulus virginem fatidicam in Philippis obſeſſam vindicauit. Dicitur & Spiritus Pythonicus.

Pyrauſta.

Pyrauſta pennatum quadrupes in ærarijs Cypri fornacibus per mediũm ignem volat, & oberrat; in igne viuit, ſed non naſcitur ex eo Ariſt. 1. de Hiſt. animaliũ.

Pyropus.

Pyropus gemma alias dicta Rubinus, eſt Æthiopum amethyſtus ebrietatem arcens ἀπὸ τῦ α priuat. particula & μεθύω, inebrio. Heliodorus in hiſtoria Ægyptiaca, Amethyſt⁹ Æthiopica ex profundo vt ignis rutilat, quod ſi tenens hanc gemmam circumuerſes radium proijcit aureum, non obſcurantem aſperitate viſum, ſed gratia quadam & puritate ſingulari illuſtrantem. Hi rubini ſeu carbunculi ſunt orientales: Sunt vero etiam occidentales illis fortaſſe inferiores.

Rubinus eſt amuletum ebrietatis.

LITERA Q.

QVA, VT.

1 SIGNIFICAT primum ſubiectũ paſſionis, vt Homo, qua Homo, eſt diſciplinæ capax. Reduplicatiua hæc dicitur.

2. Significat cauſam, id eſt, à parte ſubiecti, exprimit cauſam prædicati, vt homo qua rationalis, ſeu vt rationalis, eſt diſciplinæ capax.

Ætiologicam vocant ſeu cauſalem propoſitionem.

Sed Dialectici hanc quoque, in qua subiectum non repetitur, reduplicatiuam vocant.

Quicquid alicui conuenit quatenus est substantia, competit omni substantiæ. Hic quatenus sumitur reduplicatiue. Reduplicatio autem exigit, vt reduplicatum sit causa, cur prædicatum primo & æquate insit subiecto.

3. Significat modum considerandi, qui & formalis ratio dicitur.

4. Significat conditionem. Quilibet est moderator & arbiter rerum suarum, qua seu quatenus Lex arbitrium non impedit; id est, sub hac conditione, nisi lex imperiũ impediat. D. Ant. Matthæus in notis & animaduersionibus in lib. 1. Instit. iuris. Verbum Dei est medium efficaciæ Dei in conuertendis hominibus, qua prædicatum est & non negligenter auscultatum, non qua fingitur vis quædam latens spiritualis esse in verbo.

Porro, Qua, Elliptica locutio esse videtur, seu præcisa, quæ suppletur eleganter loquentibus τῷ ratione. Sic enim loquitur Viottus lib. 1. de Demonstr. Video Petrum, & non video. Video enim per colorem, magnitudinem & figuram, quæ in ipso sunt: non video autem illum simpliciter, per se & ex sua natura, ratione, qua Petrus. Sic ratione, qua individuum est corruptibile, nihil de ipso demonstrari potest: at ratione, qua illi accidit, vt vniuersæ naturæ particeps fuerit, multa de ipso & demonstrari & sciri potuerunt.

Vsus ex disputatione Matth. Fl. Illyrici & Victorini Strigelij Vinariensis.

Explicatione facta per προσδιορισμὸν hæ propositiones inter se non pugnant.

Voluntas creata assentitur:

Voluntas sanata, seu quæ cœpit sanari assentitur.

Resp. 1. Voluntas creata quidem assentitur, qua voluntas etiam καὶ ἀτλῶς manet integra post hominis primi lapsum, Sed assentitur non qua creata, sed qua cœpit sanari à Sp. S.

2. Deus est efficax in voluntate sua efficacique motione, qua flectitur voluntas ad obedientiam Christi, & in hic assensus est opus Dei seu Spiritus S. Sed quatenus est spontaneus & liber assensus, non coactus, non vi expressus, voluntatis est, quæ ita condita est, vt libertas à coactione seu vi sit ei essentialis. Voluntas ideo non cogitur, quia ita est condita, vt cogi non possit.

QVATENVS collatum cum Dum.

Quatenus disiungit, ita vt intelligatur hoc non esse illud formaliter.

Sed Dum seu cum coniungit duo, vt quę natura vel voluntas coniuncta esse vult. Exempli causa: *Quatenus* aliquid corrumpitur, eatenus non generatur, & vicissim: (Generatio enim non est formaliter & proprie corruptio, nec corruptio est generatio proprie) etsi dum hoc corrumpitur, aliud generetur: vt dum corrumpitur ouum, procreatur gallina: Errare igitur videntur qui putant inter generationem & corruptionem, quæ species mutationis sunt contrariis differentijs distinctæ, nihil esse diuersitatis. Illa enim est ab esse ad non esse: hæc vero à non esse ad esse.

Vnum, bonum, verum differunt ab ENTE tantum effectu & χάριτι quadam. Ens est bonum qua ab appetitu expetibile est; verum qua æquatur intellectui. Vnum 1. qua seu vt à se ipso est indiuidnum, nec à se ipso distractum. 2. qua seu vt à diuersis est disiunctum.

Qua-

Quatenus, qua, vt sic, in quantũ; in eo quod; ea ratione, qua: quoad: signũ partis enuntiati determinatæ

- Seipsa reduplicata, id est, repetita; estque partis
  - Subiectæ: peccatum, qua peccatum malum est. Ostenditur hic, sub qua consideratione prædicatum de subiecto dicatur reduplicata proprie dicta.
  - Filius Dei quatenus Deus est αὐτόθεος, quatenus Filius est à Patre.
  - Attributæ motus est perfectio calidi quatenus calidum.
- Alio
  - Causa attributionis prædicati. Enunciatio determinatiua causalis. Homo qua rationalis est capax scientiæ
  - Genere subiecti. Homo quaten⁹ animal sentit.
  - Parte. Homo quoad animam est immortalis.
  - Accidente. Ignis, qua calidus vrit.

Enunciatio determin. restricta, seu limitata in specie. Hic modo subiectum modo prædicatũ restringitur.

Immolatio in rigore & proprietate vocis significat cruentam oblationem seu veram mactationem cum reali effusione sanguinis. In hoc rigore sumpta non est de ratione sacrificij vt sic (id est, qua sacrificium est) sed sacrificij tantum cruenti. Suarez. 1. Thom. de sacram, pag. 953.

Pro quatenus, seu qua ratione Latine etiam dicitur, Qua ex parte: vt infinitũ, inquit Aristot. qua ex parte infinitum est, ignotum est. Vicomercat. libr. 1. de principijs c. 7. Seruit definitionibus τὸ Quatenus ad complẽdum eas; vt potentia κοινὴ est principium mouendi aliquid quatenus aliud. Potentia καθ' αὑτὴ, est principium mouendi aliquid quatenus ipsum. Schegkius ex Arist. in 1. priorum Analyt.

Qua tale: quatenus tale, ᾗ τοιοῦτον, idem est, quod secundum suam rationem. Sic enim qui Latinitati student, reddunt. Arist. motus est entelechia τοῦ δυνάμει ὄντος ᾗ τοιοῦτον. 3. Acroasεως, id est, motus est eius, quod in vnoquoq; genere fieri potest entelechia, id est, productio quædam seu effectio secundum rationem ipsius. Et in 6. φαμὲν δὲ διὰ τὴν κίνησιν

Enunciatio determinatiua causalis.

εἶναι ἐντελέχειαν τοῦ κινητοῦ, ᾗ κινητόν: Affirmam⁹ seu dicim⁹ motũ esse ἐντελέχειαν eius, quod moueri potest secundũ rationem suam, vel quatenus est mobile.

Obseruatio Grammatica.

Grãmatici antiqui Qua, Quatenus coniunctiones vocabant, teste Scal. *Absolutiuas & perfectiuas*, quod perficiant seu absoluant sententiam (præsertim definitiuam & demonstratiuam.)

Obseruatio Logica.

Cũ in explicatione Quatenus adhibetur, non limitat prædicatũ, sed subiectum. Hoc sunt qui pronuncient & quidem mihi aduersi. Veritas vero à me stat, cuius hoc pronunciatũ. *Quod reduplicatur particula Quatenus, seu æquipollente, nõ semper subiectũ, sed sæpe etiã prædicatũ est.* Arist. in phys. exemplũ suppeditat scholasticis celebratũ & frequentatum. Motus est actus mobilis quatenus est mobile. Est actus impotentia, quatenus huiusmodi. Est actus eius quod agere & pati potest, quatenus tale est. Phys. 3. cap. 3. text. 23. Est affectio corporis mobilis, non qua corpus, sed qua mobile, vt indicetur τὸ καθ' αὑτό. Tale est hoc: Visio est actus oculi, qua oculus.

An hic quatenus & qua limitant ſubiectum? Minime. Quid igitur? prædicatum. Definitio nonnunquam habet vocem quatenus. Definitio autem prædicatum eſt, vt definitum eſt ſubiectum. Ergo, &c.

Quatenus ſeu Qua ratione non poteſt adhiberi ſubiectis omniũ propoſitionũ per ſe, etiam ſi primo ſint per ſe, ſed illis tantum, quæ ſunt κατὰ παντός.

Seu; Omnes propoſitiones, quæ ſunt per ſe primo, ſunt veræ cũ reduplicatione ſubiecti, modo ſint de omni, vt Animal, quatenus animal eſt ſenſus particeps. At non licet dicere, animal, qua animal, eſt rationis particeps, quia hæc, Animal eſt rationis particeps, non eſt κατὰ παντὸς (cum non omne animal ſit λογικὸν) & homo, cui primo conuenit eſſe rationis participem, non includitur formaliter in ratione animalis.

Deus eſt homo an prædicatio ſit eſſentialis?

Obſerua ſis has, Deus eſt Homo, Verbum Diuinum eſt homo, quæ vel per ſe ſunt, non proprie, ſed analogice & inuſitato mirabilique modo, vel mediæ ſunt inter per ſe & per accidens, (nec enim Homo eſt de ratione Dei vel verbi diuini, nec Deus aut verbum diuinum eſt de ratione hominis, vt quidem Ariſtoteles rationem intelligit, nec Homo proprie accidens Dei eſt, nec Deus accidens Hominis, & tamẽ homo de Deo prædicatur Hypoſtatice & ſecundum ac propter vnitatem ſubſiſtentiæ perſonalis non admittere reduplicationem ſubiectorũ: Falſum enim, Deus, qua Deus, eſt homo: verbum diuinum, quatenus verbum diuinum eſt homo. Vid. Fonſ. in 5. Met. c. 8. q. 7. p. 449. Profecto ſi Deus, quatenus Deus, eſſet homo, Pater etiam & Spiritus Sanctus eſſet homo; quod ἀθεόλογον. Hæc autem vera eſt: Deus non primo, ſed ratione verbi eſt homo. Subiectum. n. pro verbo diuino accipitur, & ita propoſitio vera ſit.

Qua pro Quo, Qui vel Qua pro Quod.

Abuſus τοῦ Qua pro Quo, vel Qui pro Quod in definitionibus & deſcriptionibus multis familiaris tibi vitandus eſt. Differentia eſt qua numerus differt à numero; Tu dices eſt quo. Pars, inquiunt, eſt quæ continetur à Toto, Tu dices pars eſt, quod cõtinetur, &c.

Numerus eſt ſecundum quem vnumquodq; numeratur, tu, ſecundũ quod. Cum enim dicitur ſecundum quem, Numerus, deſcriptum, in deſcriptione ingreditur, quod vitioſum. Sic, pars eſt, quæ (ſcilicet pars) continetur, &c.

Ergo vitioſa erit, inquis, hæc definitio, Propria qualitas eſt, quæ ſoli ſubiecto cõuenit, Reſponſio eſt. Nõ eſt vitioſa, quia hic quæ non continẽt definitum. Propria Qualitas, ſed Genus intellectũ Qualitas. Propria qualitas eſt qualitas quæ ſoli ſubiecto conuenit. Si diceres, propria qualitas eſt, quod ſoli ſubiecto conuenit, vitioſe deſcriberes, quia anima vitę ſenſus & rationis particeps ſoli homini cõuenit, nec tamen eſt propria qualitas, ſed ſubſtantia.

Gul. Tempellus in ſcripto ad Ioh. Piſcat. de Rami Dialectica reprehẽdit quod Piſcator ait, propria qualitas eſt, quæ ſoli ſubiecto conuenit, eo quod iſtud non ſit καθόλου πρῶτον, cum anima vitæ ſenſus & rationis particeps vni homini conueniat, & tamen non ſit ptopria hominis qualitas; cum vlmus ſoli terræ actis radicibus innaſcatur, & tamen vlmus in propriis terræ qualitatibus non numeretur. pagin. 238. Sed reprehẽſio ſeu animaduerſio hæc Tempelli non eſt iuſta. Cum enim Piſcator dicit, propriam qualitatem eſſe, quæ ſoli ſubiecto conueniat, quid aliud dicit, quam propriam qualitatem eſſe qualitatem ſoli ſubiecto conuenientem? Atqne hoc ipſum eſt καθόλου πρῶτον ac reciprocum, ſeu reciproce verum.

QVA-

QVADRATVM.

1. Quadratum Schema Geometriæ est, species Quadrilateri. Estq; figura æquilatera & rectãgula, id est, cuius omnia quatuor latera inter se sunt æqualia omnesque anguli recti. Itaq; quadrangulum æquilaterum & non rectangulum, vel contra rectangulum & non æquilaterum, non appellatur Quadratum, vt quod altera parte longius est, item Rhombus, Romboides, Trapezia.



fig. rectang. &æquilatera.



figura rectangula, at non æquilatera.

2. Hinc in Arithmetica Figurata translate numerus quadratus dicitur, qui resultat ex se ducto in seipsum, vt 16. 4. in se ipsum ductus eum parit (quater scilicet quaterna faciunt 16)



3. Et In Ethicis Vir beatus vere bonus & quadratus dicitur Aristoteli. 1. cap. 10. hoc est, perfectus, constans & firmus, à figura quadrata: & 3. Rhet: idem ait: τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα φᾶναι εἶναι τετράγωνον μεταφορά: ἄμφω γὰρ τέλεια. Potest metaphora etiam esse à cubo seu figura cubica petita, quippe quæ habeat sex facies, quarum quælibet habet quadratam figuram & quatuor angulos, vnde quocunque modo iaciatur, firma stat. Pet. Martyr in Comment. in Ethic. Arist. χειροτονεῖ Theodorus Zuingerus.

Vir bonus inquit, appellatur ab Arist. 1. Eth. quod ratus eleganti metaphora quod sit μονιμώτατος, i. e. nulla fortunæ vi euerti possit, sed sibi semper constet, & quomodocũq; volũtatis basin firmam habeat instar cubi, qui non facile mouetur, motus autẽ in se ipsum recumbit. Non rotundus, credo quod non sit similis globo omnium corporum maxime volubili.

Quadratum eiusq; perfectio est in
- Numero
  - Monadico & absoluto, nempe Quaternario. Hic quadratus est potentia. Quadratus enim vt 16. emergit ex quaternario in seipsum ducto (quater quaterna sunt 16.)
  - Multiplicato & figurato.
- Figura (intellige plane)
- Corpore, seu solido.

Bonus & beatus vir est
- Numerus quaternarus.
- Numerus quadratus.
- Quadratum planum.
- Corpus quadratum.

Num. quater.] vt continet quaternio in se omnem perfectionem numeri: sic vir bonus & beatus continet in se omnes perfectiones virtutis, quibus recte vtitur in quacunq; fortuna, quoad eius facere potest.

Num. quadr.) Vt partes numeri quadrati sunt æquales: sic operationes vere boni viri semper sunt similes & mediocritatem virtutis semper seruant.

Quadr. planum.] Vt figura quadrata habet quatuor lineas æquales, & 4. angulos rectos: Ita vir bonus & beatus non est varius, non mutatur à fortuna, sed semper est sui similis & rectus.

Corpus Quadr.] Vir bonus. Vid. sententiam superiorem Zuingeri.

Mutare quadrata rotundis, prouerbiale est, conuenit hoc in malos logicos seu sophistas, qui cõfundunt ea, quæ confundi, ἄλογον est.

Quadrata cõpositio ponitur pro æqualiter fusa, ab oratoribus. In vere quadrato enim omnia sunt æqualia.

4. In Poetica metrum quadratum est, quod imitatur figuram quadratam.

5. Columellæ de re Rustica, quadratæ oues & quadrati canes sunt, qui sunt cõmodæ & iustæ staturæ, vnd wolgehabent. libr. 7.

Quadratura seu quadratio est in quadrum redactio: Tetragonismus.

Linea *Quadratrix* in Geometria, Græce τετραγωνίζουσα, est linea inflexa in quadrato descripta ad circuli quadraturã excogitata. Vid. Clauiũ l. 6. Geometr. Euclideæ.

Quadrare est disponere quadrangulari forma, sicut aliquando disponitur agmen: Et quadrum est idem quod quadrangulare. Per metaphoram quadrare seu in quadrum redigere est εὐσχημόνως componere, εὐτάκτως concinnare, ita vt nihil discrepet, nihil abeat ab ordine, vt par est milites esse in acie. Iohann. Lud. de La Cerda in notis in 2. Georg. Virgil. in explic. huius loci.

Indulge ordinibus, nec secius omnis in vnguem
Arboribus positis secto via limite quadret.

Sententia est, Non secius, id est, non minus quærenda est speciositas, efficiendumq; vt viæ omnes, id est, arborum interstitia quadrent, hoc est, nihil inter se discrepent, secto veluti ad vnguem limite.

Quadrantilis figura dicitur Tessera, non à laterum numero, sex enim sunt, sed quia quatuor ramis (tot enim habet angulos) in seipsum ductus, figuram illam constituit. Scalig. exer. 104. s. 21. *Quadra* orbis mensæ est. Hinc, *Alienа viuere quadra.* Quadra autem non tantum est ex stanno, argento, ligno, sed etiam est, ex pane, quod videre est in aula.

In Astronomia notãtur Prima, Secunda, Tertia, quarta seu vltima quadra Lunæ, quæ quatuor sunt partes cuiuslibet Lunationis, vt loquuntur.

Tempus seu dies Plenilunii dicitur secunda quadra completa. Finis quadræ vltimæ est tempus & seu συζυγίας (id est, nouilunii) proxime sequentis.

In quadrum redigere.

Cum concinnitatis, ordinis vel viæ anomalia aliqua est, pulcra translatione vsurpatur verbum Quadrandi, vt, syllogismum alicuius authoris (qui à legitima dispositione propositionũ abiit Logica κρύψει vsus) redigere in quadrum, id est, ἐυτάκτως componere, id quod analytici Dialectici est. Translatum à re Geometrica.

Quadriuium quatuor viæ sunt. Ponitur Transalte pro 4 artibus, sequentibus tres artes Logicas, quæ dicuntur Triuium.

Qua-

Quadrirotum ciſium eſt ciſium quatuor rotarum, ein Wage; Ciſium birotum, ein Karre: Ciſium vnirotũ, ein Schuff-karre: Hoc obiter, non ex inſtituto.

QVALITAS.

Qualitas 1. eſt accidens, vnde quippiam quale eſſe dicitur. Notionalis definitio: Græce ποιότης. Ita opponitur Formæ Eſſentiali.

2. Sed & accipitur generalius. Itaq; teneatur hæc tabula.

II. *Distinct.*

Ex qualitatibus corporum naturaliũ aliæ sunt (E) Materiales seu corporales, vt rubor in facie: Aliæ sunt (F) spiritales, vt species rei coloratæ: illæ reales, hæ intentionales etiam à Scholasticis dicuntur.

Explicatio.

A Forma propria] Sic in iurisprudentia aliquando qualitates accipiuntur pro differentiis facientibus rem certam & determinatam & contrahentibus rem ad indiuiduum. Zasius.

B Incorpor. vt animæ) Huc pertinet conceptus formalis intellectui inhærens, vel conceptus aliquis habitualis.

C Naturalis exter.) Qualitates Elementorum sunt vel naturales & inseparabiles, quæ proprias eorum naturas insequuntur, vel sunt externę seu *εἰσφερόμεναι*, quę in Elemeutis iam existentibus ab externo agente generantur. Naturales sunt *Motrices*; Grauitas & Leuitas: vel *Alteratrices*, quæ sunt materia mistorum, vel altioris & occultioris effectionis.

D Refracta) Media huc pertinet Qualitas: Dicitur autẽ media, quę fit remissis excellentiis qualitatum Elementorum. Estq; Thomæ Aquinati in 1. de Gener. & corr. propria qualitas mistionis.

E Realis) Qualitatis realis alteratio est via ad generationem.

F Spiritál. Intentionales) vt dantur substantiæ spirituales, quæ verissime sunt substantiæ; Ita etiam dantur accidentia spiritalia, quæ veram habent entitatem licet minorem, quam accidentia materialia, à quibus proficiscuntur. Reales enim sunt principes qualitates: Intentionales sunt de Principibus ortæ: vt de colore species coloris.

Ex Tabell. colligitur Qualitatem esse vel prædicamentalem, vel Transcendentem.

G Comparata) Similia qualitate conuenire dicuntur, id est, illud dicitur alicui simile, quod habet illius rei vel essentialem qualitatem seu *ὁσιώδη* formam (sic Filius dicitur similis Patri suo, cum humanę eius naturæ sit particeps) vel qualitatem aliquam animi vel corporis (Sic filius dicitur similis patri ob virtutem, ob Temperamentum, ob lineamenta corporis.)

De qualitatibus Physicis in mixtis plenius.

Qualitates Physicæ elementares sunt Primæ, Secundæ, Tertiæ.

- Primæ
  - *δραστικαὶ ποιητικαὶ* quæ formam referunt. — Qualitates formales.
    - Calor
    - Frigus
  - *παθητικαὶ* actionem excipientes *ὑλικωτέραι*: quę materiam instat habent, quę actionis expers tantum patitur — Qualitates materiales.
    - Humiditas
    - Siccitas

Aristoteles initio 4. Meteor.

Tales autem sunt primæ qualitates de quorundam sententia simpliciter. De aliorum vero opinione comparate, id est omnes qualitates sunt promiscue

scue & actiuę & passiuę: Calor tamen & actiuæ frigus appellantur ἐκ τοῦ μᾶλλον, id est quod habeant maiorem vim ad agendum & minorem ad resistendum actioni. Humiditas vero & siccitas passiuæ cõtraria de causa. Ita posteriores sentiunt ex eo, quod & Aristoteles 4. Meteor. frigus scribit esse & τῶν παθητικῶν μᾶλλον, & ποιητικὸν ὡς φθαρτικὸν, i. efficiens corruptiuum: & experientia docet calorem etiam affici atq; pati à frigore, & frigus à calore (sicut & calor in calorem, & frigus in frigus agit) humorem humectare, siccum exiccare. Itaq; ex primis qualitatibus alię vel solę vel maxime agunt: aliæ vel tantum vel magis παθητικαὶ sunt.

Calor qualitas est congregans eiusdem generis corpora: τὸ συγκρίνον τὰ ὁμογενῆ Aristoteles libro secundo de ortu & interitu. Vulgo additur & secernens aliena: τὸ διακρίνον ἑτερογενῆ. ὁμογενῆ dicũtur etiam ὁμόφυλα, quæ eiusdem naturę sunt: ἑτερογενῆ vero ἀνομοιογενῆ. Caloris per se est συνορίζειν, colligere συγκρίνειν, ἑνῶν, vnire. Separare eius est per accidens. Dum enim congregat similia, eiicit aliena: etsi nõ nesciam Pythagoricos & Platonicos, inter quos Proclus, docere colorẽ per se dissipare & segregare, congregationes vero fieri ab eo per accidens, & cũ tolluntur aliena à similibus, sequi hoc, vt similia confluant & cõcurrãt. Procli rationes sunt 1. quod omnia, quæ sunt naturæ igneæ, dissipandi virtutem habeant, quam inferunt omnibus sensibus & tactus deducatur à calore, & visus à splendore dissipetur, gustatus ab acredine, quod omnia medicamenta calida sunt διαφορητικὰ, id est dissipandi vim habeant.

2. Quod omnia quæ colligendi vim habent, eiusmodi sunt, vt circumstare & quasi obsidere conentur id, quod est colligendum, & hoc modo in vnum cogant id, quod obsident, sed ignis nõ hoc agat, vt obsideat corpora, sed vt penetret. 3. quod ignis inter omnia Elementa sit λεπτομερέστατον, id est tenuissimarum partium. Talia autem quæ sunt, cum alia corpora subeunt, dissipant potius, quã colligunt præterea quod ignis per se dissipet, non colligat, arguere hoc quoque videtur, quod non tantum diuersi generis quæ sunt, inter se separat, sed ex his etiam singula, vt cum in massa diuersorum metallorum liquefacit & resoluit singula vt fluant: quam fluxionem pro dissipatione haberi volunt: Cæterum probabilior est disputatio eorum, qui calorem per se & κατὰ πρῶτον λόγον dissipare volunt, & non per accidens διακριτικὸν esse hoc atgumento, quod calor rarefacit & fluxa facit corpora, ea nimirum, quæ ab hoc liquefieri possunt, quæ fluxio διάκρισις id est separatio seu secretio quædã his est autoribus, qui hanc fluxionẽ hoc docent sequi κατὰ δεύτερον λόγον, id est secundario, vt separentur aliena in mixtis, & vniantur similia.

Cum enim funditur & fluit aliquid, vnumquodque ad suum genus concedit, eique adiungitur: vt in metallorum conflatione videmus, cum pura sunt, ea quæ liquuntur, congregari & vniri in sese, quando à terrestri, quod liquefieri nequit & scoria est, separantur. Quod aut χύσις seu fusio, quam calor efficit, causa sit separationis, alienorum, & non ignis seu calor per se & primo docent hoc modo, quod si duæ res sunt eiusmodi, quæ vno & eodem tempore liquefiant ab igne, neque vna quam altera calorem ferre possit diutius, ignis in talibus nullam separationem efficere potest, sed con-

tra potius ita hæc cogit & vnit, vt separarari postea nequeant.

FRIGVS est qualitas promiscue cogens & congregãs tam eiusdem, quam diuersi generis corpora, τὸ συνάγον καὶ συγκρίνον ὁμοίως τά τε συγγενῆ καὶ τὰ μὴ ὁμόφυλα, vt in congelationib. omnia, quæ frigus corripuit, promiscue compingit sine separatione, ita in succino cũ & bestiolę, & festucę, & arenulę, & alia, atq; ita diuersi generis corpora compacta reperiantur, neque hęc vno in loco, sed per corpus massæ hinc inde sparsa, argumentum etiam hoc est frigore esse cõcretũ, sicut & illud, quod calore reso'uitur: Quod si caloris esset in succino compactio ἑτερογενῆ, illa in vno loco, vt in superficie aut fundo hærerent compacta, nec essent sparsa diuersis locis. Colligit igitur & frigus, sed promiscue & sine separatione, atque ita etiam cum obstructione. At calor cum separatione colligit, vt simul attenuet, rarefaciat & aperiat seu laxet & ampliet.

Humidum Aristoteli est τὸ ἀόριστον οἰκείῳ ὅρῳ εὐόριστον ὄν, quod à se non concluditur, seu determinatur in durabilem figuram aliquam, sed facile ab alieno clauditur: Diffluunt enim humida; neque certam formam habent, cumq; hoc modo sint ἀόριστα accipiunt figuram à quocunque continente. Figura autem claudit corpus, cuius πέρατα sunt lineæ, quę descriptio aerem esse aqua (vt peripatetici docent) humidiorem ostendit, cum aer sit ἀοριστότερον, quam aqua: Neque enim aqua cum diffunditur, ita comminuitur, vt aer cum aqua sit multo παχυμερέστερον, id est grandiorum partium quã aer; & in maxima diffusione atque comminutione aquæ in rotundas tamen partes aliquas se colligat, quæ apparent & in conspectu sunt. Ἀόριστον igitur hic κατά τι accipiendum est, cum per se non habito respectu diffluxionis, aqua rotunda esse doceatur, & ita corpus esse ὡρισμένον propriam habens figuram. Porro humidum est δυσμεταβλητικώτερον, id est non facile actiones caloris & frigoris excipit, firmiter resistit cum afficitur: minor tamen est in eo resistẽtia, quam in siccitate.

Humidum in rebus { Expressius. / Occultius.

In lacrimis arborũ est notius & expressius.
In gemmis concretis occultius: in metallis occultissimum.

Siccum describit Aristoteles τὸ εὐόριστον μὲν οἰκείῳ ὅρῳ, δυσόριστον δὲ, id est quod suapte natura terminis conclusum in aliam figuram ab ea, quam habet, non facile redigi potest. Quid audio, inquiat aliquis. 1. Cinis & arena sicca sunt: At hęc non concludunt figura certa, sed diffluunt, & facile figuram à quocunque continente accipiunt. 2. Ignis est ex siccissimis: at is accipit formam à camino vel furno, & cæteris, quæ comprehẽdit, atq; ita alieno termino formatur, & facile quidẽ ab omni corpore, quo continetur.

Resp. Elenchus nõ causæ vt causæ hic est: Arena enim & cinis σύστασιν seu consistentiam habent propriam eam, quæ in granis horum apparet, quę minime diffluit, sed manet & δυσόριστος est, itaque accumulari etiam possunt, quod cum humiditas ideo, quia ἀόριστα sunt, fieri nequit: qtamen coaceruata ἀόριστα fiunt à cõtinẽte, hoc eis accidit, nõ quia sicca sunt, sed quia λεπτομερῆ, (tenuiorum partium,) Tenuia aũt habẽt hanc cum humidis cognationem, quod non facile circumscribuntur suis finibus, at facile alienis, & sunt ἀναπλαστικὰ, id est, ad replendum idonea, qualis est natura humidi, quam hac in parte tenuia referũt etiamsi per se sicca sunt.

Itaq;

Itaq; Aristoteles tenuia sub humidis, & crassa sub siccis, alicubi cõprehendit. 2. Ignis figuram certam & propriam habet, quam nunquam exuit, hoc est σχῆμα πυραμοειδὲς. Cum hac sua forma sursum tendit, quæ neq; dissipatur neque diffluit, neque aliam figuram vnquam accipit, neque se terminis includi patitur. Sed contra potius cum terminis includitur nec habet ἀπορρύην, (effluxũ,) in vacuo loco ab incendio tum ignis suffocatur atq; ita extinguitur. Nõ igitur ab ambiente seu continente vnquam formatur, sed cum sua & propria forma hæret in iis, quę corripit dum pabulũ ex his vi sua educere potest. Quod tamen se applicare vndique potest iis, quæ corripit, hoc ideo fit, quod & pabulum sequitur, & quod tractabilis sit & mollis, cum sit rarissimus & tenerrimus; atque hoc modo humidi εὐόριστον repręsentat. (Sicut omnia quæ sunt, λεπτομερῆ) cum ita exacte, vt humidũ nunquam ad corpus continens cõformetur, & suapte natura δυσόριστον vel potius δυσορισ́τατον esse non desinat, & figuram pyramidalem suam immutabiliter retineat.

Siccum est δυσμεταβλητικώτατον, vel, vt loquuntur, maximæ est omniũ resistẽtiæ, difficilime vim recipit atq; obruitur. Nihil enim magis repugnat agenti virtuti, aut difficilius tollitur & mutatur, quam siccitas, & facilius calor, frigus & humor cuertuntur, quã quod est siccum, humectetur aut in humorem abeat.

Notetur obiter Phrasis: Resistentiam habere magnam, quod est non facile actiones agẽtium qualitatem excipere, firmiter resistere, cũ afficitur firmum esse in resistendo violentiæ ἐπικρατούντων, id est, Dominatum obtinentium, valde resistere virtuti, id est, efficacium qualitatum. Hæc enim repugnantia qualitates spectat vt earum πάθος seu proprietas: & gradus habet, hoc est, maior, minor, maxima.

Secundę qualitates appellantur, quod ex primis fiant, & ad eas in principia reducantur teste Aristotele, seu, vt alii loquuntur, quod de diuerso ptimarum temperamento conficiant. Ceterum Scaliger. exerc. 297. s. 4. scribit, falsum esse, secundas qualitates à primis oriri, quod ego nunc in medio relinquo. Hę qualitates vel sub sensum cadunt tactus, gustus, odoratus. visus, & dicuntur Tactiles, Sapores, Odores, Colores, vel sunt facultates quædã, quæ interuentu aliarum maxime tactilium à primis profluunt, nempe facultas generandi carnẽ, quę est à siccitate & leni detersione: facultas cicatricem inducendo, quæ est à valida siccitate & vi constringente: facultas glutinãdi, quę est ab iisdẽ, sed moderatiorib. G. Scrib. in Phy. Quod attinet ad qualitates secũdas, quę sub tactũ cadũt, eę sũt durities, mollities: lenitas seu lubricitas & aridita: leuitas & asperitas: crassities & tenuitas (vel subtilitas:) grauitas & leuitas.

Durities est qualitas secunda, quæ partiũ est exiccatarum, vnde corpus dicitur durum (σκληρὸν.)

Mollities est qualitas humiditatẽ participãs, Corpora tactui cedere faciens, secundũ quam corpus dicitur molle.

Durum ex sicco est & terrestri, nisi ex humore constrictũ sit, aut propter copiã & plenitudinẽ durũ, sicut vtrẽ aere aut aqua turgentem dicimus durum.

Molle cõtra aqueo vel aerio humore sitpãte fit, vt caro pruna cerasa mollia sũt.

Lubricitas ex humiditate est, vnde corpus dicitur lubricũ: Ariditas seu friabilitas ex nimia siccitate: vnde quid aridum dicitur.

Lubricum seu Lentũ, γλισχρὸν, quod & viscidum appellatur, ex aeris & aquę partibus dominantibus temperatur, vt in humore frigido insit aliquid humidi aerii. Scal. Lentũ cedendo vincit.

Aridum seu rigidum & friabile, quod ξηρὸν græcis ex aqua & terra est (vt cõmune lutum: sed argilla aliud est, quia in ea est lentum, & ἐπικρατεῖ, id est dominatur aerium & aqueum) Et talia habent nimirum acris. Est igitur humidi aquei & sicci terrestris crama seu mixtio.

Leue seu glabrum etiam est ex aeria & aquea materia dominante & copiosa vtraque: sequitur igitur humorem dominantẽ, pro eo etiam lene dicitur, & lenitas dicitur qualitas corpus æqualiter composita & plana reddens, vt in crystallo gemmisque aliis. Læue est in quo tangendo fit motus continuus & æqualis. In eo non potest esse breuior superficies. Itaque rectitudine definietur mathematice.

Asperitas (τραχὺ) & scabritia contra à siccitate est. Non enim potest deficiente humido æquabilis mixto fieri. Ideo nõ fit superficies plana seu leuis, sed quædam eminent, quædam sunt depressa. Asperum igitur est, cuius partes minores superficiei, nõ sunt æqualiter continuæ. Huc pertinet Scabrũ. Crassum (παχὺ) terrestre est: etsi & aqua παχυμερέστερον est. Talia igitur sunt, in quibus dominatur siccum terrestre, aut humidum aqueum, atq; hęc quidem minus, illa magis. Ita tenuia (λεπτὰ) sunt, in quibus superant igneæ & aerię partes. Tenuitas autem qualitas est, qua partes corporis subtiliter comminuuntur: Ea est in aere puro.

Quid qualitatis motiue.

Leuitas est qualitas, qua quid mouetur breuissima linea sursum propter dominatum naturæ aeriæ.

Grauitas est qualitas, qua corpus mouetur breuissima linea deorsum propter dominatum naturæ terreæ. Itaque hę qualitates seu δυνάμεις dicuntur motiuæ, hoc est, quæ possunt mouere quæ mouent potẽtia. Mouentes dicũtur cũ mouent. Densitas est qualitas solidius firmiusq; corpus cogens, nec admittens rimas in silice & cote, vt glacie & ferro. Causa eius est vniformitas. Nam inter quæ nihil aliud intercedit, eius partes interse aptas esse necesse est id, ꝙ denso conuenit: quod sępe difficile est solubile, vt viscum. Scall. ex. 283.

Raritas est qualitas, propter quam hiant quasi partes, vel lumen transmittunt: vnde corpus rarum dicitur, vt nubes spõgia, cinis, pumex, Caseus oculatus, id est, pumicosus fungus. Rarum seu μανὸν Scaligero dupliciter dicitur. Aut quia trãslucidum est, tametsi partium cohęsione multa sit prędituin, vt aqua aut inter cuius aliquas partes, & alias partes alius generis minus solidum aliquid interest, Exempli gratia vel aer vel aqua in spongia.

Sunt autẽ rara & arida affinia eodem iudice Exerc. 16. sect. 1. vbi dicitur similem ac veram naturã obtinere rara & arida neque potius re quã definitione differre hoc est non genere sed modo quod omne aridum sit rarius seipso nõ arido. Vide Exerc. 74. s. 8.

Sapores habẽt sedem in humido, per siccum percolato, dulcis sapor calorem temperatum arguit, & qui humidum cum sicco optime miscuerit: & quo maior calor, eo maior dulcedo, & cõtra tanto minor, quo calor remissior, vt moderata dulcedine posita in iis quæ sine illa molestia gustum afficiunt, vt panis, pinguedo, aqua: Increscente Caloris post hanc moderatam dulcedinem fit in primo gradu exuperans dulcedo, qualis est saccari. In secundo dulcedo magna, sed non simplex: qualis est mellis, in quo & acrimoniæ aliquid inest: vlterius tamen si intendatur calor, pro materia, seu subiecta re, in qua hęret, fiunt salsus, amarus, acris sapor. Nam hi sunt sapores calidi: In remissione autem caloris fit primo dulcedo obtusior. Secundo insipidum, postea, acerbus, austerus, acidus, qui sunt frigidi. Ita enim à mo-

à moderata dulcedine per frigoris exuperantiam recedunt, ſicut illi per caloris. Salſus eſt ex calore exuperante in ſicco terreo aduſto &attenuato à calore, quo tum humidum afficitur, quod non eſt in tali ſapore copioſum, ſed exiguum & percoctum. Amarus fit adhuc creſcente magis calore in tali ſubiecto. Nam amara calidiora ſunt ſalſis, & minus habent humidi, quam ſalſa, neque vllus ſapor ſiccior eſt, quam amarus. Acris fit cũ tantus calor in materiam ſalis aut valde etiã humidam incidit, & quæ habet admixtum ſiccum terreum minus copioſum. Hęc enim coquens & attenuans calor vehemẽs efficit acredinem: ſed cum frigus calorem ſuperat fiunt cruditates, actione caloris impedita. Eſt autem frigus hoc in ſubſtãtia, quæ habet vel ſiccum terreum, vel humidum aqueum. Recedunt igitur à temperamento per frigoris & cruditatis exceſſum & ſunt reliqui ſapores tẽperamenti frigidi ſubſtãtiæ terreſtris vel aqueæ.

Auſterus, qui & ſtipticus Galeno, fit, cũ in materia terreſtri, & quæ parum humoris habet, frigus quidem dominatur, non tamen ſummum frigus, ſed cum quo caloris quoq; coniunctum ſit tantum, vt virtus huius aliqua apparere poſſit, qui calor humorem exiguum illum attrahat, & cum ſicco terreo aliquantulum attenuato miſceat, vt nõ prorſus terrea natura in hoc exuperet. Sic & pauci humoris & attenuati ſicci, & caloris alicuius, & non ſummi frigoris argumentum eſt hic ſapor. Acerbus autem Græce στυφνὸς in materia terreſtri eſt & ipſe, quę multo plus frigoris habeat, & caloris minus quã auſteri materia. Ideo Galenus στυφνὸν eſſe ſcribit ἐπιτεταμένον αὐστηρὸν, ideſt intenſum auſterum: ſi enim frigus intẽdatur, & minuatur calor, ex auſtero acerbũ fiet; Vincitur in hoc ſapore ita calor à frigore, vt actiones caloris, impediantur, & non poſſit neque conficere, neque attenuate ſiccum, & cum humido commiſcere, ſed leui tantũ impreſſione hæc duo efficiat, & propterea materia terreſtris manet quam minime affecta. Acidus ſuperat frigore vtrumq; ſed non eſt in ſicco terreo, ſed in humido aqueo. Calor enim in hoc ſapore tantum incepit agere in humidum & ſubtiliores partes terrei ſicci adurere, atq; ita defecit, & exhalauit multo ante, quã terminum aſſequi potuit. Prodit igitur & humoris copiam, atque ſubtilitatem, & caloris veſtigia in aduſtione partium, & ipſius caloris euaneſcentiam. Hæc ſaporum diſcrimina examinari poſſunt in vua immatura & aceto, & ijs quæ inter hęc extrema ſunt interiecta, nempe vua matura, muſto vino, quod deſerbuit, & vino vetere, Mel. 3. Phyſic. Hæc de ſapore, qui qualitas eſt facta partis ſiccæ percolatione in humido, à calore. Odor eſt affectio, quæ à ſiccitate rei habentis ſaporem permanat ad nares, Alex. Aphrodiſ. de ſenſu & ſenſ. Odor conſiſtit in ſicco aerio aliqualiter, vt loquitur Thomas Aquinas in 2. de anima, cõtẽperato. In odore dominatur ſiccitas, ſicut in ſapore humiditas fere: Eſtque gratus vel ingratus.

Ad colorum eſſentiam cum elemẽtorum qualitate lux concurrit Scalig. exerc. 325. ſect. 5. Eſtque color in extremitate perſpicua terminati.

Hæ qualitates ſæpe coniunctæ reperiuntur, vnde aliqua earum familiaritas & cognatio intelligitur. Quædam enim tenuia ſunt rara, quia tenuia ſunt, quorum naturalia minima ſunt puſilla, Scal. ex. 273. Denſum ferrum idemq; craſſum denſiſſimi nerui fibræue roboris & craſſiſſimi.

Tenue aliud eſt, quam anguſtum, illud λεπτὸν, hoc ςενὸν, illud habet τάσιν, extenſionem, vt ait Ariſtoteles. Hoc au-

tem ἀγχεῖ ob laterũ viciniã. Itaq; carpit abusum vocis in Cardano Scaliger his verbis, loquẽdi modum quo meatus (idest cauitates) vocas tenuissimos, minus è natura vocabuli reor esse, (intelligit Scaliger per naturam vocabuli propriam & familiarem significationẽ vocabuli tenuis, nõ peregrinã.) Tenue namq; exile est extensum: Aer purus & tenuis ait Cicero. Sic tenuis substantia Galeno est, quę ad minima facile redigi potest: In siccis quidem mutuo abscessu separabilia: In humidis viscidis productilia: In aqueis, quæ possunt subire & penetrare. Sæpe etiã qualitatũ harum fit cõmutatio. Nã idem lapis densus fuit, qui rarus postea. Scal. exer. 283. s. 2. In lapide vbi humor ille, qui est autor densitatis Scal. ex. 283. s. 1. exustus aut exucto fuerit, hiãt partes & fit rarũ corpus vt pumex. Sanguis qui crassus est, attenuatur in mãmillis & testibus, idest fit partiũ tenuiorũ. Tenerũ aliud est quã friabile Scal. ex. 299. s. 3. idemq; etiam inter friabile & lentũ distinguit. Friabile est cuius partes absistũt facile, est continuum, quod facile discretum fieri potest: Tenerũ vero, quod totum constat cõtinuatioue quanquã motis partib. Græcis Tener dicitur τέρην per metathesin. Lentũ est quod tractu aut compressione dissipari facile nequit, cessione vincens, non resistentia.

Sunt & hæ παθητικαὶ δυνάμεις & ἀδυναμίαι Aristoteli, quæ de primis qualitatibus & materia rei aliquid ostendunt concretile, incõcretile: Liquabile Illiquabile, Mollificabile, Immollibile seu immollificabile: Humectatile, Inhumectatile: Flexile, Inflexile: Fractile, Infractile: Friabile, Infriabile: Impressile, Inimpressile: Formatile, Informatile: Pressatile, Impressatile: Tractile, Intractile: Ductile, Inductile: Fissile, Infissile: Sectile, Insectile: Tenax, remittens: Densatile, Indensatile: Combustile, Incombustile: Exhalabile, Inexhalabile.

CONCRETILIA.

Concretilia, quæ Græcis sunt πηκτὰ, sunt quæ indurari atque astringi vel concrescere seu compingi possunt, nempe qui humorem aquæ aut aqueum in se continent, siue insitum siue aduentitium.

Nam compactio exiccatio quædam est & exiccatio humoris est tantum.

Compinguntur talia vel à calore, vel à frigore. A calore sic, vt exiccetur atque excoquatur humidum & euaporet: vt in NITRO & SALE. A frigore sic, vt exprimatur seu elidatur calor vt cum aqua in glaciẽ astringitur. Tunc enim Spiritus & aeria, quæ congelari non possunt, & conglaciationem, dum assunt, impediunt. in hoc eliduntur, & pura aqua relicta constringitur. Itaque in alijs humoris, in alijs caloris defectus compactionis (πήξεως) causa fit. Sed quæ humore deficiente astringuntur, terrea sunt, & quæ calore, aquea.

Cauc autem cum barbaris dicas, concrescibilia & compingibilia.

INCONCRETILIA ἀπηκτὰ sunt, quæ concrescere & astringi nequeunt, nempe ea quę aquei humoris in se nihil continent, neque sunt generis aquei, sed plus habent caloris & terrei.

Appellantur autem, aquei generis ea, quorum humor consumi & in vaporem resolui potest, qui vapor postea in aquã condensatur, qualia sunt vinum, Lixiuium, vrina, serum: sunt & ἄπηκτα (inconcretilia) quæ sunt lenta. Neq; enim siccescere possunt lentore humorem conseruante ne exiccetur.

ELIQVABILIA.

Eliquabilia, quæ vocant, Græcis sunt ἰητὰ, id est, quæ liquefieri possunt. Nam quæ calore deficiente, atque frigore vrgente compacta sunt, ea à calore liquescunt. Quæ vero ex humoris defectu constiterunt vrgente calore, hæc cum calor & siccitas compegerit

pegerit, humido & frigido resoluuntur, vt Nitrum, Sal, Terra lutosa. Sunt igitur ἄπηκτα, quæ humorem habent in se congelatum, aut quæ sicca sunt & terrestria, sed ita compacta, vt poros habeant amplos, quos humor subire possit.

Deliquabilia.

Ἄπηκτα vero sunt, quæ & à calore & à frigore atque, ita ab vtroque non ab alterutro tantum compactionem suam habent, calore resoluente humorem, & frigore exprimente Spiritus & aeria: vt Ollæ. In his enim neque frigus neq; calor habet quod agat amplius, & si soluerentur à calore & frigore, simul soluerentur, quod fieri non potest. Item quæ ita coierunt, vt poris sint angustioribus, quam vt humor subire possit.

EMOLLIBILIA, Immollificabilia.

Emollibilia seu Mollibilia μαλακτὰ & ἀμάλακτα, sunt, quæ molliri possunt aut non possunt manente substantia. Talia sunt, non quæ aquea sunt maxime, sed quæ plus terræ habent, ita tamen, vt omnis humor in his sit exiccatus. In mollibus enim & ficcas seu terreas & humidas partes esse oportet & æqualiter mixtas, aut certe humidas non multum superari à siccis. Ita neque aqua, neque aquea mollia sunt. Et glacies non mollitur, sed liquitur: Nihil enim aut perparum habet terrei. Sal, Nitrum nihil habent humoris tenuioris, ideo neque ipsa molliri possunt, sed liquefiunt, quod humoris crassi adhuc aliquid habeant, qui liquitur humore frigido accedente.

Fictilia etiam sunt ἀμάλακτα, quod nihil aut perparum humoris habeant, aut quod humor, qui molliat, non possit poros subire. Sunt autem μαλακτὰ, vt ferrum, aurum, argentum, cera, pix, quæ trahi aut duci possunt.

Humectatilia, Inhumectatilia.

Τεγκτὰ sunt, quæ aquam siue alium humorem accipere atque imbibere possunt: ἄτεγκτα, quæ non possunt. Neque enim quicquid humore perfunditur, etiam humorem accipit: sed humor alias superficiem tantum imbuit (superficiaria humefactio hæc est) alias interiores partes.

Quæ in sola superficie madefiunt, βρεκτὰ (madida) sunt Aristoteli: quæ per totam suam substantiam vel præcipuam partem rigantur atque ita humida, &, quod consequens est, molliora redduntur, neque tamen dissoluuntur, τεγκτὰ sunt & βεβρεγμένα (humectata, macerata.) Nihil enim τεγκτὸν est, quod non fiat mollius: sicut Lana, Terra, Spongia. Ἄτεγκτα sunt fictilia, Æs & metalla alia: Sal & Nitrum etiam sunt talia. Quæ igitur τεγκτὰ sunt, terrea esse vel sicca oportet, & vt meatus seu poros habeant eiusmodi, quæ ad molliciem per humorem deduci possint, & firmior sit seu durior, quam aquæ, ne dissoluatur substantia. Ἀτεγκτὰ sunt his contraria, vt glacies & aquea omnia.

Flexibile, Inflexibile.

Καμπτὸν flexile est, ἄκαμπτον inflexile seu rigidum. Flexile autem humor efficit aqueus & aerius, & pro eo vt humor est tenuis, crassus aut lentus, discrimina in flexionibus apparent; & in rectum aut curuum statim redit, aut non redit, vel facile aut difficulter redit flexibile. (Inde iudicatur de præstantia ferramenti in gladiis & arcubus.)

Quod inflectitur humore exarescente flexile esse desinit & fit κλαστὸν.

Ruptile, fractile.

Κλαστὸν est quod rumpi potest: ἀκλαστον, quod rumpi non potest. θραυστὸν est fragile: ἄθραυστον non fragile.

Differunt autem κλαστὰ & θραυστὰ, quod κλάσις in magnas partes & non multas, duas plerumque, materiam diuidit & diducit: θρῦσις in multas pro eo vt cadit & plures duabus rem comminuit.

Ita virgultum, os κλάγγαι, & κλαστὰ sunt non θραυστὰ. Vitrum, testa, glacies, succinum & similia, θραύεται, id est, θραυστὰ sunt & ἀκλαστα.

Quædam vero & κλαστὰ sunt & θραυστὰ, vt fictile. In lingua latina fractionis verbum de vtroque vsurpant, & ruptiones de mollibus ferme dixerunt, aut non rigidis, & quæ trahendo dissiliunt: vt filis, funibus, panno, quæ ῥῆξις est: vel κλάρηξις potius fractio est: θραῦσις comminutio. Transfertur & fractio ad lineas, vt cum dicitur linea recta à se ipsa fracta discrepat. Francisco Vatablo Aristotelis interpreti κλαστὸν est fractile: θραυστὸν friabile: ἀκλαστον infractile: ἄθραυστον infriabile: δυσκλαστον frangi pertinax seu fractu contumax. Itaque hæc nominum explicatio est. Ad rem quod attinet omnis & ruptio & fractio poros sequitur.

Nam qua parte continua est Materia, ibi nihil rumpitur aut frangitur. Nullum autem corpus à natura sis misceri potest, vt totum solidum sit & continuum.

Poros igitur seu meatus habent naturalia corpora omnia, sed alia plures, alia pauciores. Illa rara appellantur, hæc densa corpora.

Item pori in alijs corporibus sunt παραλλαξ seu παραλλάτοντες (vtroque enim modo Aristoteles loquitur) id est, permutati sunt, vt vnus in longum, alter in latum protendatur, qui sunt obliqui & recti, neque per totum corpus pertinent, sed aliquo tantum vsque: alij per totum corpus pertinent.

Quæ igitur poros habent & multos παραλλάττοντας θραυστὰ sunt, & pro meatuum copia & situ comminuuntur. Quorum vero pori vniusmodi sunt & per totum pertinent, κλαστὰ sunt: Quæ vtriusque generis poros habent, & θραυστὰ sunt & κλαστὰ.

Ita hæ δυνάμεις & ἀδυναμίαι præcipue subactionem humidi cum sicco arguunt: vnde meatuum est seu pororũ in corporibus diuersitas & humoris penuria. Aristoteles glaciem etiam inter θραυστὰ nominat, quale esse docent oculi. Ergo & hæc porosa erit.

Quomodo vero cũ sit aqua astricta, quæ poros non habet? Sed non est aqua simplex glacies, sed habet aliquid terrei, esse parum, vnde subtilior humor euaporauit & ex glacie lapis fit cognominis.

θλαστὸν, ἄθλαστον.

His verbis aliter Galenus, aliter Aristoteles vti videtur. Est autem θλαστὸν, quod cedit tactui seu impressioni in profundum, extrema superficie illæsa manente, siue dura sint, siue mollia (id est mollia simpliciter siue comparatione) θλαστὰ & dura pulsata aut icta perculsioni sic cedunt, vt impressionem recipiãt, vt metalla, æs, plumbum, aurum, ferrum: ligna etiam nunc arte quædam θλαστὰ reddũtur. Hæc igitur sunt δύσθλαστα. Mollia θλαστὰ sunt, vt cutis hydropici aut alio humore inflati corporis, cera, adeps, quæ tactui cedunt & εὐθλαστα sunt.

Ἀθλαστα sunt vel dura, vt lapis, fictile, vel humida, quæ vulgo non recte mollia, vel aqua quæ cedit impressioni, sed nõ κατὰ μέρος superficiei suę sed κατὰ παντὸς

μετάστασιν, id est, loci mutationē, qua se ei, cū cedit, circūfundit, quæ est & ἀντιπερίστασις Arist. Nam in eadē significatione vtroq; verbo vtitur. Sunt igitur θλαστὰ, in quib. humor est, & hic quo est maior, tenuior & rarior, eo facilior est impressio. Sicca & terrea δύσθλαστα sunt, vt ferrū. Etiam in quib. siccæ partes cū viscoso humore miscentur, vt in ære, argento, auro, quæ tamen minus sunt quā ferrū, δύσθλαστα quod humoris plus habeant & melius temperati. Ἄθλαστα sicca sunt & densa. Ceterū quidam qui doctrinam Aristoteleā de his explicandā sibi sumpserunt, cōpressilia nominant nō θλαστὰ, sed πιεστὰ qualia sunt, Lana & spongia (quæ non sunt θλαστὰ.) atq; θλαστὸν & πιεστὸν latinis nominibus non distinguunt.

FORMABILIA, non formabilia.

Πλαστὸν, ἄπλαστον est, quod fingi seu formari se patitur aut nō patitur. Formabile illud, hoc non formabile. (Informabile ambiguū est: Interdū enim est quod informari potest (vt in doctrina de materia) sic est affirmatum. Interdū quod formari nequit, vt hoc loco. Sūt autē πλαστὰ ex genere τῶν θλαστῶν, sed ea tantū quæ εὔθλαστα sunt, id est, quæ impressionē facile admittūt & eā retinēt seu cōseruāt, vt impressio sit μόνιμος, id est, durabilis, qualia sunt, cera, lutū. Sunt igitur πλαστὰ mollia & lēta, quæ continuatione partiū obseruata omnē situm recipiūt, in quib. nimirū est humor aerius multus, qui tenax est & lentus, vt in cera, vel partes terreæ cū humido mixtæ sunt, quæ propter pōdus situm acceptum retinent, vt lutū. Ἄπλαστα & δύσπλαστα sunt omnia, vt metalla, & εὔθλαστα ea, quæ θλᾶσιν seu impressionis cauum non retinent.

PRESSIBILE, non compressibile.

Πιεστὸν est quod compressionē admittit (ἀπίεστον quod non admittit.) Talia sunt θλαστὰ eiusmodi, quæ & εὔθλαστα sunt, & impressionis cauū non cōseruant. Hæc enim ἄπλαστα sunt & πιεστὰ tantum sicut medulla sambuci, spongiæ & lanæ, & cōpressionem non admittunt, vt in sese coeant, superficie externa manēte integra & sibi permista in pristinum statum suum redeant. Πιεστὰ igitur sunt rara corpora, & quæ in meatibus seu foraminibus corpus contineant mollius quā ipsa sint, id est aerē, qui vulgo vacuū est, aut humorē fluidū, vt in spongia aqua plena. Ἀπίεστα quę meatus tales, aut humidū molliens nō habent, vt, lapis, ferrū, pumex, cera, aqua & omnia humida, cum cera quidē in vulgatis exēplis Arist. inter πιεστὰ referatur, sed falso vel librarij culpa, vel vt sit ἁμάρτημα μνημονικὸν, quod posterius magis suspicatur doctissimus Esramus R. quē hæc docentē summa cū voluptate audiui: Et sane in his facile fit vt impingatur & vnum pro altero nominetur. Ita lutum etiam nominat inter πιεστὰ, quod proprie est πιλητὸν. Habet enim cōpressionē durabilē ex qua nō redit in statū pristinum. In capite περὶ ἐλαίων & aqua inter πιεστὰ ab Aristotele nominatur errore manifesto. Cera igitur propter poros paucos & angustos nō est πιεστὸν, sicut nec λεκτὸν, & descriptiones Aristotelęs τῶν πιεστῶν ceræ inter hæc locum non concedunt.

TRACTILE, non tractile.

Ἑλκτὸν est quod trahi potest: Ἀνέλκτον quod trahi nō potest: id est quæ ex reb. nō duris, atque ita sine ictu extensionē in latus seu transuersum admittant, ita vt cōtinua maneant. Ἑλκτὰ sunt pilus, lorum, neruus, massa farinæ subactæ, viscum, phlegma, mel, pix liquida, saccarum. Ἀνέλκτα sunt aqua, lapis, lignū. Ex genere τῶν ἑλκτῶν quædam simul & πιεστὰ sunt, vt lana: Quædā ἑλκτὰ & nō πιεστὰ, vt phlegma: Quædam πιεστὰ & nō ἑλκτὰ, vt spongia. Discriminānda etiā hic sunt γλισχρὰ (viscosa) & ἑλκτὰ.

Quædē.n. ἰῶν ἐλατῶν γλισχρά sunt, atq; ea quidē quæ alieno humore imbuta sunt, vt massa farinæ, gummi resolutū in aquam, vel propriū humorē habēt ἐνεργείᾳ, vt mel, pix liquida, saccarum: Quædā δυνάμει tantū humorem in se continent, eaq; sunt ἐλατὰ tantum, nō γλισχρά, vt lana. Hæc vero δύναμις & ἀδυναμία humorem lentū arguit, & in quibus humor aerius & aqueus cū omnibus partibus sicci terrei bene sit cōmixtus & partem cū parte probe ac firmiter nectat: Quę vero ita sunt ἐλατὰ vt sibi permista in statū pristinū reuertātur, in ijs humor siccitate terminatur, q̄ cōstrictionis causa est. Ἀτελατα omnia vel non habent humoris satis vel temperamentum humoris cū sicco, non plenum, non perfectum.

Ductile, Inductile seu non ductile.

Ἐλατὸν est quod duci, ἀνέλατον quod non duci potest. Illa & dura sunt atque ita non nisi icta ductilia sunt. Intelligitur autē DVCTVS talis quo vno ictu superficies in latū & profundum extēditur κατὰ μέρος, id est non tota superficies simul, sed ea pars, quæ tunditur: Afficiuntur autem & mutantur in talibus vno ictu vel duo vel tria διαστήματα (dimensiones.) Mutato enim profundo simul etiam latitudo, interdum & longitudo mutatur, vtrumque sic vt crescat profundum aut vt decrescat. Ἐλατὰ nonnulli cum ijs miscent quæ θλαστὰ sunt, non recte, vt videtur. Nā etsi non sunt metalla θλαστά, sed δύσθλαστα & ἐλατὰ simul, distinguit tamen hæc Aristoteles. Nō enim omnis θλάσις etiā longitudinis aut latitudinis dimensionem mutat, sed magna tātum non parua. In extensione vero ἰῶν ἐλατῶν θλᾶσιν fieri necesse est & magnā. Et sunt omnia ἐλατὰ etiam θλαστά, sed non omnia θλαστὰ etiam ἐλατά, vt lignum, quod tamen arte quadā nunc ita, vt metalla, θλαστὸν redditur, vt sicut metalla signationem recipiant numismatum instar, atq; ita aliquo etiā mo-

Profundū substantiue pro profunditate.

do ἐλατὸν fieri videatur. Ex genere etiā ἰῶν πιεστῶν quædam ἐλατά sunt Aristot. vt cera & lutū, cū neutrum sit πιεστόν. De cera.n. dictum est ante & lutum est πιλητὸν potius quam πιεστόν, nisi quod πιλητὰ ex genere sunt ἰῶν πιεστῶν. Ἐλατὰ vero habent vel humorem tenuē, cum lētore mixtum, vel humorem tenuem & lentū cum partibus siccis firmiter subactum, vt nexa inter se firmiter cohæreant nec facile dissoluantur. De hac posteriori causa metalla sunt ἐλατά, cum lapides non cedant percutienti, sed rumpantur aut comminuātur, cum humor non sit qui partes terreas contineat, ex genere sunt ἰῶν σηπτῶν. Quo vero humor est subtilior, magis miscetur terreis partibus meliusque eas subigit & comprehendit atq; continet: Ita aurū est ductibilius argento, argentum ære, æs ferro & plumbo, ferrū tamen magis est ἐλατὸν quā plumbū albū aut nigrū, nō quod humidius sit, sed q̄ terrearū & humidarū partiū in hoc maior sit subactio, vel, vt loquūtur, firmius tēperamentū. Porro fertur, Tiberio principe, excogitatū vitri tēperamentū, vt ductile seu flexibile id instar chartæ fieret. vid. lib. 1. rerum memor. Guidonis Panc.

FISSILE, non fissile.

Σχιστὸν seu fissile, das sich spalten lāst, est ϕ amplius quam qua parte attingitur ab eo quod diuidit, diuidi potest: seu ϕ potest vlterius diuidi quam à diuidēte diuiditur, vt Aristot. definit. Talia quæ sunt porosa sunt κατὰ μῆκος, seu poros habent in longum extensos & Spiritu plenos, qui pori quasi venæ sunt & arteriæ eius quod finditur. Cū enim initium sit apertionis foraminū seu pororū, à findente Spiritus qui intra poros continetur impetu mouetur & fissionem adiuuat, cū πνεῦμα sit extensionem adiuuat: Arist. κινητικώτατον: non.n. nunquam cum strepitu erumpit, & ligna σχιστὰ cum sono dissiliunt. Arbores etiam eorū lignorū quæ σχιστὰ sunt pro-

ceriores sunt cæteris, quod de poris rectis seu in longũ extensis argumentũ est: Qui pori & spirituum inclusorum copia fissionis causa sunt, & præterea mediocris ariditas vel lentoris vacuitas, qui partes firmius continet; Itaque & nodosa ligna minus sunt fissilia, quia foraminum directio impeditur: Neq; querna ligna etiam non nodosa facile finduntur, quod habent poros non æqualiter in longũ tendentes. Sicut autẽ in ijs quę θλαστὰ sunt, ita & in genere τῶν σχιστῶν καὶ τμητῶν (id est fissiliũ & sectilium) scissio & fissio poros sequitur. Sunt igitur ex commemoratis causis ἄσχιστα & mollia omnia, quæ per se & simpliciter mollia sunt, non cõparatione, & ex duris ea tantũ quæ vel humida sunt seu ἄπτὰ vel θραυστὰ vel θλαστά: Etsi ligna θλαστὰ cum sint σχιστὰ sunt, nõ tamen ita sunt θλαστὰ vt metalla: & fissilia ligna minus sunt θλαστὰ quam non fissilia. Simpliciter vero mollia, & quę dura sũt & θλαστά, vt metalla: hæc inquã cum σχιστὰ non sint τμητὰ sunt.

SECTILE, non sectile.

Τμητὸν sectile est, ἄτμητον insectile. Τμητὰ sunt quæ ita secando diuidi possunt vt non necesse sit diuisione vlterius quã qua parte à ferramento diuidentis attingitur progredi, aut diuisio vt ferrũ antegrediatur. Diuidũtur igitur τμητὰ seu sectilia eousq; quousq; secãs ferramẽtũ sectu quicquid est, quo sectionis fit diuisio, acie sua pertingit: fit tamen nõnunquã vt idẽ sit & σχιστὸν & τμητὸν. Tale siquid est aut esse potest, in eo sectionis diuisio fissionem simul cõmouere potest: etsi cõmuniter quod fissile est non est sectile, cum habeãt meatuum seu foraminum situm cõtrariũ. Cum igitur τμητὸν describit Arist. dicit, non esse necesse vt diuisio diuisorẽ antecedat. Hoc enim sibi vult eo in loco necessitatis mentio. Sunt autem τμητὰ mollia & dura τῶν θλαστῶν, vt caro, cera, metalla & quæ non sunt θραυστὰ. Causa τοῦ τμητοῦ est foraminũ seu pororum positus in latum sicut fissilium in longum: cum enim & sectio & fissio & fractio, poros sequitur, fissilia in longũ, sectilia in latum diuiduntur. Præter hunc pororũ situm requiritur etiã materia non durissima & siccissima: ideo θλαστὰ esse oportet quæ τμητὰ sunt, siue εὐθλαστα sint siue δύσθλαστα. Ideo ἄπτα sunt ea quæ θραυστά sunt, & ἀθλαστα propter duritiẽ, vt lapides & quæ humida sunt & fluxa, vt aqua propter molliciem nimiã: quæ tamen in aqua non potest proprie nominari.

Aqua improprie mollis dicitur.

LENTVM, aridum: Quod teri vel non teri potest.

Γλισχρὸν lentum, tenax seu glutinosum est: Ψαθυρὸν aridum. Et sunt hæc proprie non δυνάμεις aut ἀδυναμίαι, sed qualitates, quæ ἐνεργείᾳ sunt. Lentum temperatur ex aerio & aqueo calore agente, vel tãto qui ad materiam satis sit, vt in oleo & pice, vel qui deficiat actione inchoata, vt in pituita, de cuius lentore propterea sic loquuntur aliqui, vt è frigore esse dicant. Et sunt lenta omnia aut liquida, vt pituita, oleũ, aut mollia, vt, cera, pix, viscum: vel quæ actu sicca sunt, & alieno humore humectantur, vt massa farinæ bene subactæ. Ψαθυρὰ vero quæ & κραυρὰ vel nimis parum habent humoris, vel raucum humorem tantum, sed vt δυνάμεις & ἀδυναμίας iudicemus, quæ ex his qualitatibus existunt. γλισχρὰ omnia & ἑλκτὰ sunt & extensionem admittunt. In his enim siccæ & humidæ partes ita sunt inter se temperatæ & subactæ, vt catenarum in modum cohæreant, neque vna ab altera facile diuellatur. Sed non omnia ἑλκτὰ etiam γλισχρὰ sunt, vt cornu, lana. Ψαθυρὰ vero friabilia sunt & teri possunt, si sunt ex genere siccorum & nõ ὑδατώδη. Vtrumq; autẽ genus τῶν ψαθυρῶν ἄνελκτον est, tam sicca quam

Mutua cohærentia in difformium partib. fit per humidum.

aquea. Quidã peculiare caput introducunt eorũ quæ teri aut nõ teri possunt. Quæ vero teri possunt sunt, ξηρὰ, sicca, quæ non teri possunt γλιχρὰ sunt liquida aut mollia, vt noua distinctione aliqua nõ videatur opus.

COACTILE, non coactile; Densatile non densatile.

Πιλητὰ sunt quæ subactionẽ aliquã ferũtur: ἀπίλητα quæ nullã. Sunt a. Πιλητὰ quæ cõpressionẽ seu πίεσιν admittunt durabilẽ, neq; in pristinũ statũ redeũt. Itaque πιλητὰ species sunt τῶν πιεστῶν. Quæ.n. πίεσιν firmiter retinẽt, πιλητὰ sunt: quæ nõ retinent, πιεστὰ tantum, non πιλητὰ. Et πιλητὰ omnia πιεστὰ sunt sed nõ omnia πιεστὰ etiã πιλητὰ. Ἀπίλητα vero vel prorsus non sunt πιεστὰ, vel non habent durabilem πίεσιν. Πιλητὰ sunt lutũ, cera, massa farinæ perfusa ad panificiũ. Maxime vero illustris est πίλησις; in fauo cũ cellulæ cõprimũtur. Sunt omnia πιλητὰ etiã πλαστὰ. Ideo aliqui τῶν πιλητῶν genus omittunt, quod sub ijs, quæ πλαστὰ sunt, cõprehendere videantur. Ἀπίλητον est panis recte coctus & similia. Retinent a. πιεστὰ πιλητὰ ideo quod vel lentoris aliquid habent, vel ponderis, vt lutũ & densiora sunt: Quæ rariora sunt minusq; lenta & leuia, non retinent cõpressionẽ, sed ad sese redeunt, & sunt πιεστὰ καὶ ἀπίλητα, sicut de pane cocto dixi, cum nõ satis coctus πιλητὸς sit. Densantur aliquando quæ recipiunt intra se partes peregrinas ita vt postea hæ fiãt propriæ: vt cum per harmoniã coeũt ossa in ætate iuuenili, postea quã seniũ aduenit, ea quæ inter duo ossa interest cartilago, tãdẽ fit os, ita vt duo illa vnũ fiãt. Scal. ex. 282. s. 2.

CREMABILE, non cremabile.

Καυστὸν est quod potest cremari: ἄκαυστον quod nõ: crematur autẽ quod ab igne vincitur seu superatur. Καυστὰ sunt, vt ligna, ossa, lana: ἄκαυστα vt lapidũ genus, maxima ex parte glacies, item metalla quæ τηκτὰ sunt. Καυστὸν habet tres proprietates: primum habet poros seu meatus eiusmodi, qui ignẽ capere possunt, id est non angustissimos, & hos quidem. Καὶ εὐθυωρίαν (hoc est directos seu in rectum protensos) vt Arist. loquitur, vt ignis in his existere possit & qui extitit ne suffocetur, cum flexi pori neque ortum igni, neq; durationem concedant, sed suffocationis causam afferant. Secundo intra hos poros suos humorem habet eiusmodi, qui ab igne separari possit, vel igne qui sit imbecilior vt pabulum eius fieri possit: neque.n. ignis sine pabulo vllo piam durare potest. Hoc vero præstat humor nõ aquosus & dilutus, sed pinguis & aerius, quem ἀρχὴν πυρὸς nominat Theophrastus. Flamma enim ipsa nihil aliud est, quã Spiritus aut aer incensus, vt à Galeno definitur sequẽte Aristotelẽ, qui dicit ignem esse fumum ardentem, qui semper admistũ habet de terreis partibus aliquid: ideo & in oculos incurrit, cum ἀναθυμίασις sit ὁρατόν τι. Hoc enim inter alia & ipsum' ostendere potest ignis cũ aere cognationem, cuius humor cũ tenuis sit & imbecillus facile a bigni superatur & in alimentum huius conuertitur. Tertia proprietas καυστῶν dictis additur: oportere talia esse terrea: quod vt vere dicitur, ita explorationis eget. Ex lapidum enim genere pleriq; cum maxime terrei sint, ignem tamen non admittunt, sicut neque terra ipsa, quæ nihil minus καυστὸν est, vt cineres ostendunt. Terra igitur & terrea ignis materia tantum fiunt, quando aeriũ humorem habent admixtum, qui vehementer accendatur, & ita ardens in partes terreas agat, quas tamen non comburit, sed in cinerem resoluit, vt sit terra subiectũ, quod illum cremabilem humorem contineat. In lapidib. enim qui ἄκαυστα sũt, & aerius humor pene nullus est & terreæ partes cum a-

Flamma quid.

Ignis definitio Aristotelea.

quco

queo humore miſtę ſũt. Ideo nõ accẽduntur & conſumuntur potius igne, quã comburuntur. Quæ igitur καυςὰ ſunt & indicatas ἰδιότητας habent igne ſuperari poſſunt & in cinerẽ reſoluuntur. Cum enim omnia καυςὰ vel terrea, ſint, & aeria, vt ligna, vel terrea & aquea, vt lapides καυςοὶ, fit in combuſtione hoc vt tenue aerium & aqueum, ex eo quod comburitur, educatur atque conſumatur. Aerium enim pabulum eſt ignis, qui accenſus hoc conſumit & aqueum, quod portione minus eſt, exiccat: Ita relinquuntur partes terreę, quę propter omnẽ humorem, (qui velut coagulum eſt in corporea coagmentatione) ſubtractũ non amplius cohærere poſſunt, ſed iacent diſſolutæ, qui cinis eſt. In genere enim τῶν καυςῶν tantum cinis fit, & eſt hic id totum, quod à calore ignis vinci non poteſt. Quæ enim cineres non relinquunt, conſumi quidem ab igni poſſunt, vt de lapidum communi genere diximus, ſed proprie καυςὰ nõ ſunt. Ariſtoteles ſcribit καυςὰ eſſe, quę vel calore ſolo vel calore & frigore ſimul coguntur. Ex priori genere ligna ſunt quæ ſunt terrea & aeria: ex poſteriori lapides ii, qui καυςοὶ ſunt, & ſimilia, quæ maxima ſui parte aeria & terrea ſunt. Metalla neq; καυςὰ ſunt, neque ἄκαυςα, cum igne conſumantur, neq; in cineres redigãtur, ſed τηκτὰ ſũt.

Καυςὰ ſunt quę cinerem relinquunt ac omnia ſunt
- θυμιατὰ quæ incẽſa & igne vrgente ſuffitum reddunt, id eſt halitum ſeu fumum & odoratum ex ſe emittunt.
- φλογιςὰ, quæ flammas concipiunt.
- Ανθρακιτὰ, quæ in carbones reſoluuntur.

Eſt enim ignis, quem καῦσις habet & gignit, *vel flamma vel carbo tantum.*

Ἄκαυςα ſunt, id eſt, 1. ea quę poros habẽt ciuſmodi, quales in genere τῶν καυςῶν requiruntur, & quos ignis ſubire vel aperire ſibi poſſit, vt ſubeat & intra hos humorem etiam contineat, ſed non cremabilem humorem, ſeu qui ab igne ſuperari poſſit. Talia enim ab igni quidem interdum conſumuntur, ſed comburi non poſſunt, vt ferrum & ex lapidibus qui ἄκαυςοι ſunt. Eſt & non cremabilis humor in iis, quæ τηκτὰ ſunt vt in metallis reliquis, qui igne reſoluitur vt fluat, atq; etiam conſumitur tandem, ſed καυςὸς nõ eſt, cum ſit dilutior & minus naturę aerię habeat, quam vt ignẽ alere poſſit: Itaq; & cinerem poſt ſe non relinquit ſed ſcoriam potius. Item non cremabilis humor eſt aqueus, qui redundans in corporibus combuſtionem impedit quandiu non exiccatur, & in ligno viridi quod ἄκαυςον eſt antequã ſiccetur, ita vt aerium ſuperet, ſi eſt ex genere eorum, in quibus aqueus humor abũdat. Nam quæ pingui & aerio humore ſunt plena, etiã viridia & recenter ſecta καυςὰ ſunt, vt: abies, pinus. Sunt & ἄκαυςα vel δύσκαυςα ſaltẽ ea, in quibus aerii humoris tantum ineſt, vt ignis ab eo alimenti poſſit, ſed ita cum ſiccis partibus mixtus & ſubactus quaſique conglutinatus, vel plane etiã cũ his vnitus, vt ſeparari ſicca & humida à ſe mutuo non poſſint, vt lini genus quoddã & pannus ex hoc confectus, de quo Regum funebres tunicas factas ſcribit Plin. & quæ vulgo Salamandræ pennę appellãtur. Quædã etiã nimis parũ humoris habent & aquei & aerii, ſed aerii impri mis & pene nihil huius: vt genus omne lapidum, quod ἄκαυςον eſt. Terra etiam ipſa propter humoris penuriam & quę plurimũ huius habent, vt lapides pleriq; & Ebenus, ἄκαυςα ſunt. 2. Secũdum genus τῶν ἀκαύςων eſt, quod propter poros ſeu foramina impedita tale eſt; In quibuſdã enim corporib. huius generis pori παράλλαττοντες ſunt, in quib. ignis ſuffocatur, in aliis poris anguſtiores ſunt, quam vt ignis ſubire

possit,aut hi ab igni aperiri:vt in lateribus aut aliis lapidib⁹,qui ignē non admittunt.In his.n.vtraq; causa concurrit,pororum scil.angustia & humoris penuria : & in Ebeno soliditas magna est & humoris parum. Qui vero καυστοὶ sunt lapides pleriq; ὑπόκαυστοί sūt, sed καυστοὶ tamē, vt silices qui sunt calcis materia : In quib. difficilis combustionis eadē causæ sunt humor cōpactus cū siccis partibus, & foraminum paruitas:ideo multo igne his opus est quo soluātur.In lino aūt illo mirifico & panno huius eadē causæ cōcurrūt. Quod etiāsi rarum &molle corpus sit, subactio tamē in hoc fit sicci & humidi inseparabilis & meatus in hoc etiā grādiusculi propter humorē ita admixtum cōtrahuntur à calore, vt humor intra hoc corpus magis concludatur, atq; ita in ignē mutari, aut pabulū huius fieri nō possit vel difficulter admodū,tum scil.cum cōtinuū in his soluitur.Fumus habet aliquid peculiare:Et si enim καυστὸν est,tamen terreę partes in hoc ita & tenues & paucę sunt,vt cineres nō relinquat,sed alimentū fiat ignis vniuersus is,qui accēditur,sicut & in iis quæ καυστὰ sunt , semper de terreis & aqueis partibus aliquid in combustione consumitur.

Quid Cinis Cineris aūt voce hic terreæ partes, quæ cōbustionē nō admittūt, accipiendæ sunt. Ita & paleæ incensæ & lapides in calcē resoluti cinerē habēt nō quidē vt ligna,sed eū quē fert natura & tēperamētum ipsorū.Et calx quid est nisi silicis cinis:ossiū etiā & cōcharū cinis est, quo pro calce alicubi vti maris accolæ dicūtur. Θυμιατὰ suffitibus seu suffiminibus apta ad καυστῶν genus ideo pertinēt,quod ignē admittāt nec suffitū reddāt,nisi incēsa.Aristot. Θυμιατὸν definit,quod humorē in se cōtinet,sed eius generis, & ita cum siccis, seu terreis partibus mixtum & cōtinuum: vt cū corpus accēditur seperatim humor & sine siccis partibus exhalare nō possit:ac propter hāc firmā arq; inseparabilē humoris & siccitatis cōiunctionē fit vt θυμιατὰ ab igne ferme tota absumātur,& vt καυστὰ cineris perpaucum aut nihil relinquant.Cognoscitur etiā ex hac θυμιάσεως descriptione ea,quę nō tam firmo nexu cōiunctas habent terreas & humidas partes & propterea cum incēduntur humorē solum exhalant:Hæc igitur θυμιατὰ nō esse. Ita terra madefacta seu lutum humidum cum vritur suffitum nō reddit,sed humor solus exhalat. Aqua etiā cum elixatur halitū suum emittit, cum sicci terrei nihil habeat. Talia igitur vtriusque generis,ἁλμυρὰ sunt nō θυμιατὰ & quia siccæ partes in genere θυμιατῶν cū humidis ita cohęrēt,sic vt θυμίασις nō humectet,sicut ἅλμις. Intellige posse à calore vrēte seu incēdēte, quod est θερμὸν, καυστικὸν & Ἁλμίδα & θυμίασιν excitari. Ἀτμὶς est quod calore tali ex humore corporis quo vtitur excitatū,ita ab hoc excernitur,vt aer & spiritus fiat, & quæ attingit humectet. Hic vapor esse videtur,sed θυμίασις est q̄ à calore incēdēte nō de humore tātū corporis vsti,sed & de humore & siccitate communiter eiicitur seu excernitur,& quidē ἀθρόως i. cumulate, quæ & hac de causa,i.propter siccitatē cōiunctā non humectat,sed calore tatū inficit,quod attingit : At latinis est suffitus.Habent igitur hoc commune vapor,& suffitus seu ἅλμις & θυμίασις,q̄ θερμὸν καυστικὸν est,quod vtrūq; excitat. Nā de leui calore neutrū gignitur,vtrumq;enim ex humore educitur , & arida quæ sunt neutrum emittunt, sed differūt in his quod ἅλμις vapor ex humore solo existit aquæ & reb.aqueis, θυμίασις seu suffit⁹ vero nō ex humore solo , sed ex humore & sicco cōmuniter,atq;ita ex terrestrib.magis quæ humorē habēt insitū,vapor etiā humectare pōt seu madefacere,q̄ θυμίασις nō potest, sed colorat

Ἀτμὶς vapor.

Aridæ vapores necessario emittunt

rat tantũ. Vapor etiã in aerẽ & ſpiritũ reſoluitur, ſi ſpiritum aeris fluxum intelligimus, cum ſit ſubſtãtiæ humidæ. θυμίασις autẽ ſoluitur in ſpiritũ eum, qui calidus & ſiccus eſt, quale eſt ventorum genus, & πνεῦμα proprie habet multũ ſicci terrei & parum humoris aquei. INTER ſuffitum & vaporẽ ſeu ἀναθυμίασιν & ἀτμίδα interiectum eſt genus quoddam, halitus medium, quod ex his, quæ θυμιατὰ ſunt, ſine incenſione ſeu calore vrente exhalat tẽporis longinquitate. Quod genus ita ab vtroq; differt: ã vapore & ſuffitu communiter, quod non à calore vrente gignatur, ſed leui calore aut temporis virtute, & prẽterea à vapore ſic quod hoc genus nõ humectet, quẽ attingit, nec in ſpiritum conuertatur: à ſuffitu autẽ præter indicatum diſcrimẽ cauſæ efficiẽtis, quæ eſt in ſuffitu calor igneus, quotantum fit θυμίασις, prẽter hoc igitur materia differt hic interiectus vapor, cum ex humore ſolo fieri videatur: ſicut & alterum vaporis genus, quod igne excitatur: vnde & ea de quibus exhalat, tandem fiunt ſicca & terrea καὶ κοπρώδη: Item ſuffitus vel ſpiritus quidã eſt, vel in ſpiritũ reſoluitur, ſed medius hic vapor non item.

Sicut autẽ quę comburuntur ignis aut ἀτμίδα aut θυμίασιν emittunt: ita ſolis etiam calor qui non eſt igneus ſeu καυστικὸς, ſed ab hoc genere ſeparandus: hic igitur ſolis calor & ipſe ſimili modo de terræ & aquæ globo, quẽ calefacit, halitus educit vtriuſque generis. Hoc ſolis opus eſt Ariſtoteli ἀνα θυμίασις: quæ ſimiliter vt illa, quæ igne è corporibus educunt, & eodẽ modo quo illa duplex eſt: Neq; enim vnũ & idẽ genus halituũ ex duriſſimis corporibus terræ & aquæ educi poteſt. Ita igitur Ἀναθυμίασις ex humido in terra ἀτμὶς eſt ſeu ἀτμιδώδες τέρα Ariſtoteli: Terræ aũt halitus πνευματώδες ερος ſeu πνευματώδης, quem & ſæpe generis verbo ἀναθυμίασιν appellãt, aliquando & καπνώδη ἀναθυμίασιν nõ καπνὸν, cum ferme de eo καπνὸς dicatur, qui igne educitur. Ex latinis vocabulis de ea quę ἀναθυμίασις eſt, exhalationis nomine aliqui vtuntur, aliqui genus ſecũdum ἀναθυμιάσεως Ariſtotelicæ, quę πνευματώδης eſt, exhalationem nominant: Ατμίδα vaporẽ pleriq; nominãt etiam halitum: Hæc duplex exhalatio Ariſtoteli eſt principiũ omnium, quæ in ſublimi & terræ viſceribus procreantur.

Quid καπνὸς.

Ex corporibus educit halitus, qui in genere ſunt Ἀναθυμιάσεις, triplex calor

- 1. IGNEVS, ſeu καυστικὸς cũ corpus naturale vritur, hi halitus sũt
  - Ἀτμὶς
  - θυμίασις ſeu θύμα, cuius ſpecies ſunt
    - καπνὸς
    - λιγνὺς
    - κνίσσα
    - ἀιθάλη.
- 2. Solis calor cum ſole incalefcit corpus, non igne vritur: & fit Ἀναθυμίασις quæ eſt
  - Ἀτμιδώδης.
  - πνευματώδης ſeu πνεῦμα etiam ſimpliciter: vulgo Exhalatio, q̃ eſt & καπνώδης ἀναθυμίασις. (nõ tamẽ ſimpliciter καπνὸς) & ſimpliciter etiã ἀναθυμίασις.
- 3. Calor leuior quam ſolis aut ignis & temporis longinquitas. Hic Halitus eſt medium quid inter Ἀτμίδα & θυμίασιν, ſicut fit in putrib. & ætate exoleſcẽtib. ſeu odorẽ amittentib. Hũc halitũ in odoratis internus & σύμφυτος calor exprimit. Itaq; odoris exhalatione corpora attenuantur, quędam etiã prorſus euaneſcunt.

Quid exoleſcere.

Ατμὶς igitur est duplex nempe, vel igne & vrente calore excitatus, vel sole. Sicca etiam exhalatio duplex, à calore solis aut igneo excitata: etsi ab igne excitatã θυμίασιν & θυμίαμα ferme appellet doctrina Aristotelica: quę vero à sole educitur ἀναθυμίασις πνευματώδης & καπνώδης est vel ἀναθυμίασις generis verbo καπνὸς, fumus, est θυμίασις ξυλώδης σώματος ideſt suffitus, qui de corpore fit cui⁹ natura ligni naturã refert, i. terrę plus habet quã aquæ. Talia sunt ligna in prunis: sed & ossa, pili & similia. Neq; enim commune nomen habent ea, quę καπνώδη sunt, sed aquea & terrea sunt omnia & plus quidẽ terræ habent.

Λιγνὺς Fuligo est θυμίασις πίονος i. suffitus seu halitus, igne extort⁹ è re pingui. Talia sunt cera, thus, pyx, myrrha, & quicquid est ex genere eorum, quæ gummi & resinæ appellantur, & aeria sunt & terrea.

Quid λίπαρὰ.

Κνίσσα nidor, τῶν λιπαρῶν θυμίασις est. Sũt autẽ λιπαρὰ quæ pinguedinem habent madidam & euidentem, vt olea, lardum, adeps & carnium pinguedo, & similia aeria & aquea: vt πίονα sunt quæ pinguedinẽ suã cũ solidiori & siciori corpore habent mixtam, neque ἐνεργείᾳ humidam, & quæ tactu percipiatur. Distinctio hæc est Aristotelea, vulgo λιπαρὰ vocant vnctuosa.

Quid πίονα.

Αἰθάλη id est, quod ex dictis θυμιάσεσιν in furno aut caminis colligitur, ἡ τοῦ πυρὸς ἀποφορὰ.

Tingunt autem & colorant hæ omnes θυμιάσεις, non humectãt, quia siccitas terrena cum humore inseparabiliter coniuncta simul exhalat, quæ adhęrescit in eo, quod attingit & madefactionem impedit, etsi καπνὸς plus humoris habet aquei. vt apparet in ligno viridi q̃ plus fumat propter humorẽ aqueũ, quem continet λιγνὺς siccior est & mnus habet aerii humoris κνίσσα, quã fumus siccior est & humidior, quam λιγνὺς, & aerii quidem humoris plus habet. Sed πνεῦμα ex omni genere halituum siccissimum est, & non tãtũ q̃ ἀτμίδες & ἀτμιδώδη, sed & q̃ θυμιατὰ, id est ea, quæ igne excitãtur, siccius est: etsi ab igne πνεύματα excitantur in Æolopylis cum aqua in halitus vertitur, qui cum impetu per angustum exitum ab igne vrgente extrusi ventum faciunt, sed ἀτμιδώδεστερα, vt πνεῦμα inter θυμιάσεις non commode referri, & iis halitibus, qui à Sole fiunt relinquendum videatur. Vox αἰολοτύλαι est ab Æolus & πύλαι quasi Æoli portæ, sunt autem forma Sphærica ex aere vel alia materia factæ, intus cauæ, quibus ineſt punctum angustissimum, quo aqua infunditur: inde igni admotæ simul atque aqua ferue-re ceperit flatum tantisper emittunt. dum aqua, quæ in fumum resoluta, paulatim efflatur, durauerit.

φλογιστὰ sunt, quæ flãmam reddere possunt: ἀφλόγιστα quæ non possunt, φλογιστὰ sunt duplicia: Alia per se & sola flammam reddunt, alia non sola, sed potius cum aliis coniuncta. φλογιστὰ autem per se sunt ea, quę ex genere θυμιατῶν non sunt re ipsa seu actu fluida ac humida, id est, quę siccis constant partibus, in primis quæ fumum reddunt: flamma autem spiritus aut fumus ardens est.

Talia sunt, quæ siccis constant partibus, sicca autem in ignem facile mutantur, vt lignum, & quędam quæ sunt generis ξυλώδους, vt pili & pennæ. Quæ vero liquida sũt τῶν θυμιατῶν re ipsa aut δυνάμει, vt pinguia & vnctuosa, adiuuant potius in aliis flammam, quam vt ipsa efficiant, vt, pix, oleum, cera, sulphur, quæ siccas partes non habent multas, sed aeris multum, & λιγνὺν & κνίσσαν habent, non κάπνον, quæ tamen plæraque etiam sola ardent cum liquefacta inardescant.

Itaq;

Itaque inter φλογιστὰ locum habent: maxime tamen flammam augent in aliis. Sed quomodo ardet vinum dulce Aristoteli, maxime vero quod sublimatum vocant? quod & καυστὸν est, & φλογιστὸν, & θυμιατὸν cum incenditur; Etsi neque λίπνιον, neque κνίσαν, proprie emittit, cum non sit neque λιπαρὸν, neque πιὸν, sed πνευματῶδες potius aliquid. Quod tamen in his ardet non est diuersum, à genere τῶν φλογιστῶν. Insunt enim in hoc vini genere halitus sicci & ignei quidam, terræ perparum habentes, sed aliquid tantum, & hi halitus hærent in materia aquea, qui calidi & sicci, vt diximus, igne accedente, fiunt ignis. Cum enim siccum incalescit ignis fit. Ideoque φλὼξ πνεῦμα ἢ κάπνος ὄξι καμόμενος Aristoteli. Sed in his πνεῦμα ardens, vt videtur non κάπνος, vt hoc modo θυμίασις etiam quędã sit πνευματῶδες: sicut & in multis extractionibus succorum, quæ à nostratibus artificibus, Chym. in hoc genere fiunt mirifice. Hoc vero Spiritu consumto remanet post combustionem humor aqueus, qui habet, vt sic dicam Cineris instar, separatis & consumtis terreis & aereis partibus subtilioribus. Dulce autem vinum non inter vini genera habet Aristoteles, quæ sunt ἁπτικὰ, & ideo ad aquæ genus referuntur: sed terreum & siccum facit. Fumus autem φλογιστὸν est, qui siccas partes terreas & aereas habet, & humor aerius incensus alit ignem, & siccas partes in ignem conuertit; Sicut autem combustionis, ita & inflammationis, & liquationis, & vt aliquid liquescat, & non ardeat, vel ardeat & non liquescat, horum igitur omnium causa est, humoris temperamentum. De combustione dictum est, quæ fit in humore aereo, sic etiam inflãmatio. Aqueus humor si superat, inflammationem impedit, sed πῆξιν efficit, si est terreis partibus firmiter admixtus, vt in metallis. Hęc igitur hac de causa πηκτὰ sunt, non φλογιστὰ, neq; καυστὰ proprie. Ligna φλογιστὰ sunt, nõ πηκτὰ, quod aquei humoris minus habeant, & plus aerei, & hunc quidem cum siccis partibus tam mistum firmiter, quam in metallis aqueus humor cum siccis miscetur. Vnctuosa & pinguia flammam augent in aliis, & sunt φλογιστὰ, magis tamen cum aliis, quam per se: quædam etiam πηκτὰ, vt cera, pix; Et de thure expresse monet Aristoteles, quod ancipitem naturã habeat, partim φλογιστὸν, partim πηκτὸν. Ἀνθρακευτὰ sunt ex genere τῶν φλογιστῶν, quæ plus habent terræ quam aeris, vt ligna; & non ἀνθρακευτὰ, quæ magis sunt aeria, vt stipula, fœnum, stramen. Ἀνθρακεύω est, carbones & titiones facio, & ἀνθρακεὺς carbonari⁹, ἀνθρακὶς pruna.

Tertia Qualitas est formæ δύναμις, id est, vis seu virtus εἰδοποιὸς naturęq; vniuscuiusque perfectio, & vt dialectici appellant, differentia vel causa etiam huius δυνάμεως, id est, qualitas peculiaris, quæ illam δύναμιν εἰδοποιὸν mixto conciliat. Hęc virtus vniuscuiusq; corporis aut qualitatum primarum vel secundarum, id est, elementorũ in mixto temperamentum sequitur, vel manifestum vel quod sapientes inquirant atque demonstrent: aut occultas habet causas, quæ in forma rei insunt, & à quibusdam forma ipsa rei iudicatur. Est enim forma non ipsum temperamentum, sed status & ἐντελέχεια rei, quę tẽperamentum sequitur. In hoc secundo genere aut non est in temperamẽto virtus illa, aut in temperante occulto & peculiari, quod ἰδιοσυγκρασίαν, vocant: & esse occulta, viuifica & inexplicabilis proprietas rei dicitur, aut arcanum naturarum, quæ omnia complectuntur, ignorationis confessionẽ, quo fit vt occultæ proprietates à nonnullis ignorantiæ asylum vocentur, è quibus etiam sunt qui salutare asylum

Duo genera qualitatum tertiarum.

occultæ (quæ omnino latet animos temperatos) proprietates irrideant, putantes sese, cuncta ad certas causas reducere manifestas posse. Contra hos sic iudicat Scaliger: Qualitatibus manifestis omnia attribuunt imprudentes. Et: Qui ad Elementorum manifestas omnia reducunt qualitates, ipsi nihil aliud, quam Elementa sunt: Tertia qualitas etiam dicitur per excellentiã δυνάμις, id est, Efficacia, & Virtualis: vt in Magnete vis trahendi ferrum: ἰδιοποιὸς dicitur, quia certæ naturæ est propria seu est facultas, efficiendi certam actionem naturalem, quę propria est alicuius speciei. *Virtualis*, quia per hanc exerit se virtus illa in cæteris effectionibus producendis, quæ non inueniuntur in aliis corporibus *Formalis* à quibusdam dicitur; quia à forma ipsa adeoque essentia rei fluit ἰδιοσυγκρασία vel ἰδιοκρασία dicitur singulare & proprium temperamentum.

Diuiditur hæc qualitas in συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν, & propriam per ἰδιοσυγκρασίαν ἢ ἰδιοκρασίαν. Sympathia est naturalis quędam conspiratio inter res physicas ex peculiari & occulta cognatione existens. Latine Naturalis consensus, Naturę conuenientia, Rerũ naturalium contagio. Estque inter eas dem speciei: vel diuersas: qualis est inter cœlestia & terrena, inter astra & herbas nonnullas, inter lapides & herbas quasdam. Antipathia est naturalis rerum physicarum inimicitia & dissensio. Ali. Naturale dissidium (quale est rutę & brassicæ) vel congenita repugnantia. Hæ ergo sunt qualitates obscuræ & abditæ, quibus res certæ naturales agunt & patiuntur aliquid, cuius ratio ex primis & secundis qualitatibus non facile reddi potest: quo fit, vt quoque qualitates ἄῤῥητοι dicantur. Vide Iohan. Lang. epist. medicin. lib. 2. ep. 55. & lib. 1. epist. 33 & 13.

Occultæ qualitates
- Propriæ per ἰδιοσυγκρασίαν seu ἰδιοκρασίαν, id est, congenitæ cuiusque rei proprietates.
- Patheticæ
  - Concordes συμπάθειαι.
  - Discordes ἀντιπάθειαι.

Iambic. *Suam fateri insciti am Candoris est*, in hoc qualitatum genere.

De quasi qualitate Dei.

An Qualitas seu ποιότης recte Deo attribuatur? Seruanda est inprimis sanorum verborum Hypotyposis.

De Deo parce, religiose, sobrie, circumspecte loquendum. Itaque pietatis est quærere, an recte attribuantur Deo qualitates? Negatiuam persuadet hoc: Diuina natura est expers omnis compositionis. Quicquid igitur est illi essentiale idioma, idem quoque est in ea vt essentia, non vt qualitas. Quo alludit hoc Augustini: Deus est bonus sine qualitate, & magnus sine quantitate. Atque huc facit, quod Scotus ait: Natura diuina, & quicquid in est naturæ, vt natura est, est Dei perfectio, (scilicet Essentialis.))

2. Idiomata Dei essentialia sunt συμπτώματα κατὰ τὴν φύσεως id est, ipsam naturam seu essentiam constituunt, vt loquitur Chemnitius. Itaque ab essentiæ realitate nihil differunt. Itaque non sunt qualitates emanantes ab essentia diuina ita, vt accidentia propria, natura posteriora subiecto cuius sunt.

Affirmatam suadent quod in Symb. Ath. dicitur: Qualis (οἷος) Pater, talis (τοῖος) Filius. Ad quæ verba Christoph. Cornerus Theol. expositor, Eædem sunt qualitates Personarum, sed ab essentia non distinctæ. Sunt enim substantiales, non accidentales. Ab Augustin. de Trin. c. 5. Si dicam ęternus, immortalis, iustus, bonus, beatus, spiritus: Horum omnium

omnium nouissimum, quod posui videtur significare substantiam, cetera vero huius substantię qualitates. A Damasceno, Si bonum, si iustũ, si sapiens, si quodcunque aliud dicas, non naturam dicis Dei, sed τὰ περὶ φύσιν, quæ sunt circa naturam, seu τῇ φύσει παρεπόμενα, quæ naturam insequuntur necessario. Scotus hæc dicta adducit in Quodl. q. 1.

Conciliatio.

1. Deus non habet qualitates, scil. ab essentia reipsa distinctas. Deus habet qualitates, sed ab essentia ipsa re non distinctas, non differentes ab essentia rei diuersitate.
2. In Deum non cadunt qualitates Prædicamentales, id est, pertinentes ad prædicamentum qualitatis. In Deum cadunt qualitates sc. Transcendentes & transuolantes prædicamenta, & θεοπρεπεῖς seu vt perfectiones diuinæ formales, quæ alterius cõditionis sunt, quam Categoricæ.
3. Qualitates attribuuntur Deo pro nostro more & modo concipiendi & apprehendendi: Seu nostri ratione, seu τῷ ἐπιλογισμῷ nostro: Alia enim essentiæ Dei, alia iustitiæ Dei definitio est. Nec nos possumus aliter cogitare quam essentiam esse radicem & fundamentum idiomatũ Dei, cum Deus à nobis comprehendi non possit. Itaq; cum quęritur à nobis: Qualis est Deus? Respondemus Bonum & verum summum ac perfectissimum. Sic Nostro modo & more intelligendi Dei vnum attributum pendet ab alio. Itaque interea ordo quidam est, proindeque Deo attribuitur aliquid prius, aliquid posterius: vt Actus purus, Immutabilitas, Æternitas, Deus est actus purus. E. Deus est omnino immutabilis. Deus est omnino immutabilis: E. est ęternus. Vid. Scal. exer. in fine.
4. Si Qualitas describitur specialius Accidens, &c. Deus non habet qualitatẽ. Sin generalius, Ens quo quid dicitur quale vel accidentaliter, vel formaliter aut eminenter. Deus Qualitates habere dicitur. Ita qui non distinguunt, videntur σοφίζεσθαι περὶ τὸ ὄνομα, vt cum Platone loquar.

Ita Deus dicitur habere aures non per naturam, sed per effectum: quod tamen alio pertinet.

Estne ergo in Deo compositio? Resp. vera realisque in Deo compositio seu σύνθεσις non est, sed διάκρισις, *Distinctio* tantum. Ac licet essentiæ diuinæ συμβατικὰ esse dicantur à Græcis Idiomata seu attributa, Sapientia, Potentia; non tamen componunt eam. Si essentia & idioma in Deo reale quippiam diuersum constituerent, tum esset in Deo compositio. Nec licet Descriptio Dei conficiatur & constituatur ex attributis, ipse tamen Deus compositus est καθ' ἑαυτόν.

E Scholasticis nonnulli sic distinxerunt.

Qualitas
- Naturalis, quæ habet in corpore esse naturale: Interdum idem quod Essentialis.
- Intentionalis, quæ habet in corpore esse intentionale.
- Intentionalis & naturalis simul, quæ habet in corpore esse intentionale & naturale simul propter suam perfectionem & eminentiam: vt Lux qualitas primi corporis nempe cœlestis, per se sensibilis, est vt res naturalis. Lux supra sensum (visum) posita receptaq; in organo visus, non impedit sensationem (visionem) vt est intentionalis.

Lux τῷ esse intentionali in corpore potest concurrere ad corporalem visionem, vt species intentionalis in aere.

Lux τῷ esse naturali potest aliquid agere, vt transmutare corpora calefaciendo, exsiccando.

Axiomata.

1. Nihil, quod habet affectus naturales, est mere intentionale. Lumen habet affectus naturales, qui Solis Radii calefaciunt, exiccãt, & ita corpora transmutant φυσικῶς. Ergo Lumen non est qualitas mere intentionalis.
2. A specie intentionali non denominatur res, vt à specie intentionali coloris aer non denominatur coloratus. At à lumine denominatur aer lucidus. Ergo lumen non est qualitas intentionalis.

Exstat quoque hæc Distinctio.

Qualitas
- Simplex, res simplex, quæ habet partes eiusdem rationis.
- Intensiua, quæ habet partes eiusdem rationis, id est, gradus per quos intenditur.

Intelligi aliquid pro qualitate seu conditione argumenti vel negotii, est intelligi secundum, vt loqui solent, subiectam materiam.

Intellige Quantitatem virtualem.

Numi qualitas interna est numi authoritas, dignitas, æstimatio & pretium: quod & Quantitas à Iurisconsul. & Aristotele 6. Polit. dicitur, quia quanti quisq; numus sit, qnantumue vel minutiorum numorum, vel venalium rerum valeat, demonstrat. Hotomann. de re numaria p. 18. potissima hæc numi pars est & tanquam forma. Figura numi est externa eius qualitas, nota publica, qua impressa numi cuiusque auctoritas designatur.

Quale quid,
ποῖόν τι.

Per quale quid Aristoteles intelligit in prædicamento substantiæ (cum ait Genus & species non significare hoc vel illud, sed quale quid) non qualitatem simpliciter, vt album, sed talem, quæ sit essentialis, & ingrediatur ipsam constitiutionem essentiæ. Quidam interpretes Aristotelis aiunt eo loci eum intelligere non naturam secundarum substantiarum, sed nomiua, vt ea quale quid significent.

QVÆ-

QVÆSTIO.

Quæstio
- Simplex, Quid Deus est?
- Coniuncta Huc pertinet Quæstio
  - Essentiæ, οὐσίας, qua quæritur quid sit res, seu quæ spectat ad essentiam rei an Deus sit Ens?
  - Existentiæ, ὑπάρξεως, qua quæritur an sit res, quæ attinet ad rei existentiam : an Deus sit?

Essentia est illud quo res certam speciem adipiscitur: Alia Quidditas, quia ex notione essentiæ scimus quid sit res, vt Rosa est planta.&c.

Existentia est illud, quo res existit, seu est, id est, existit; Esse enim pro existere & existentia sæpe accipitur, vt Deus nõ est compositus ex essentia & esse, id est, ex existentia. Thom. Aq. imo est pura existentia.

Quæstio
- Facti, τοῦ γινομένου, vel τῷ γενομένῳ: An veritas odium parit?
- Iuris, τῷ δέοντος.

Quæstio est, An verum sit hoc pronunciatum copulatũ: De controuersiis Religionis iudicandum est ex verbo Dei & Patribus? Resp. pet distinctionem: *Alia est quæstio seu controuersia iuris, alia facti. Si controuersia sit iuris diuini*, seu de dogmatibus in Ecclesia; solum verbũ est norma iudicii. Sic igitur copulatum istud enuntiatum falsum est. August. l. 3. cont. Maxim. c. 4. συνάδει. Scripturarum authoritatibus, non quorũcunque propriis, sed vtrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione decertet. *At si quæstio sit facti*, nempe quid scripserint vel senserint hi vel illi Patres, quidue vetus Ecclesia ante tot annos, quã Patres erudierint, senserit; tum ex Patribus quæstio illa merito decidi-tur. *C. Oleuian. ad lect. 16. c. 8. l. 2. Institut. Caluini.*

Quæstio
- Cognitionis θεωρητική.
- Actionis, πρακτική.

Quæstio est Finita vel Infinita. Finita est, quæ habet consignationem certi alicuius vel loci, vel temporis, vel personarum, vel cuiuscunque circumstantiæ, vt sintne bella ea, quæ gessit Alex. M. illustriora his bellis, quæ Scipio Africanus gessit? Sitne Deiotarus insidiatus vitæ Cæsaris.

Infinita est, quæ nullis certis, nec temporum, nec locorum, neque personarũ circumstantiis notata est, vt, sitne iustitia præferenda prudentiæ? Sitne sapienti viro nauigandum?

Finitas quæstiones Oratores frequentius explicant, Philosophi Infinitas, tametsi vtraque in alteram fere semper sit traducenda. Iustus Vulteius in Rhetor. quæst. Quæstionis Finitæ genera

faciunt ἐπιδεικτικὸν (Demonstratiuum) συμβουλευτικὸν (Deliberatiuum) Δικανικὸν (Iudiciale.)

Quæstio, id est, causa habens controuersiam, profligata Ciceroni est perdita, de perdita, confecta, ad interitum deducta. Ita res dicuntur profligatæ.

In Politicis Quæstio interdum accipitur pro iudicio publico, in re præsertim criminali, vt quæstio hæc est constituta de vi, id est, iudicium. Cic. pro Mil.

Quærere rem est quæstionem habere, id est, cognoscere & expendere controuersiam ἐξετάζειν τὸ πρᾶγμα, & ἀνακρίνειν, veritatem criminis, ex reo vel testibus, vel tormentis, alioue pacto explorare & inuestigare; Pro quo dicitur etiam Inquirere. Venire in consilium publicæ quæstionis est venire in iudicium rei capitalis. Barthol. Latom. in expl. orat. pro Cæcin.

Quæsitor iudex capitalis est, qui quæstioni præest. Idem.

In Logica Argumentum à quæstionibus est, quod pertinet ad Testimonium humanum. Sumptum hoc est ex Politicis: vbi Quæstiones accipiuntur interdum pro Tormentis, quæ adhibentur in extorquenda veritate. Quorum insigne instrumentum vocant Eculeum, cum imponunt torquendum in dorsum acuti equi, vt in illo sedens scindatur: potest & vsurpari pro fidiculis, cum quis trahitur fune & demittitur. Cæl. Secund. Cur. in Scholiis Milonianis.

QVANTITAS.

Quantitas est accidens, quo Ens dicitur quantum, id est, magnum vel numerabile seu quotum. Itaque est Magnitudo seu Continua Quantitas, seu Continua extensio: vel Multitudo seu Discreta Quantitas.

Extensio illa vel proprie dicta est, nempe solius corporis, & dicitur Quantitas Molis: Eius species est spatium seu Διάστημα seu interstitium inter duo extrema interiectum: vel Improprie & analogice, & est 1. vel Continuatio quæuis rei, vt durationis, rei vel successiuæ, vt Tempus, mensura rerum generabilium & corruptibilium secundum rem ipsam & proprie; & Æuum, mensura incorruptibilium rerum, Intelligentiarum seu Mentium; vel permanentis, vt Æternitas, mensura durationis Diuinæ interminabilis. 2. vel extensio Gradualis, quæ dicitur *Intensio*. Sic calor dicitur calore maior vel minor.

Huc pertinet *Quantitas Virtualis & perfectionis*: quo Canon pertinet: Primum & perfectissimum in quouis genere est aliorum mensura; *Et Extensio Grauitatis, seu Ponderositas.*

Quantitas Discreta est Numerus, qui sumitur vel late pro quarumlibet rerũ multitudine, & vocatur Transcendentalis, qualis est in rebus etiam non proprie quantis, vt spiritibus & accidentibus: vel Strictius, pro collectione quantorum disterminatorum seu diseparatorum, & vocatur à nonnullis Prædicamentalis. *Qui consideratur absolute, vt ternio, quo aliquid numeramus: vel determinate* ad certum subiectum numeratum (vt Grex) *multitudo rerum numerata.*

Quantitas est Absoluta vel Comparata.

Absoluta est, qua aliquid dicitur in se seu simpliciter quantum, sine comparatione ad aliud.

Comparata, à qua aliud dicitur quantum cum comparatione cum alio, vt magnum aut paruum; longum aut breue; multum aut paucum.

Quantitas in poetica & doctrina prosodica est syllabæ longitudo vel breuitas. Hæc apud Poetas inuenitur regularis, irregularis: certa, dubia, iusta seu recta, vitiosa, νόμιμος, παράνομος: vsitata, antiquata. Iuuat exempla nonnulla, subiicere.

Crusius

Crater crateris, an I. habeat indifferentem? Neg.

Contentio mihi fuit cum homine non indocto: sed φιλοσυμμάχῳ, & in poesi non satis exercitato, de quantitate primæ in CRATER, quam corripuerat, cui cum obiicerem authoritatem Virgilii, productam eam volebat esse à Virgilio per ἔκτασιν, (qui metaplasmus est) eo, quod sit origine brevis: κρατέω enim capio seu teneo primam habet correptam, vnde cratera deducit Perothus: sed quia apud Homerum & Virgilium κρατὴρ crater, semper primam habet longam, correptionem iudico esse vitiosam, & facio cum iis, qui deducunt à κεράννυμι, id est, misceo. A Crater, quod obiter addo, est craterium κρατήριον, paruum poculum. Crater soterius (σωτῆρες poetis σωτὴρ substantiuum pro adiectiuo salutaris,) est ein Becher auff eines gesundtheit oder wolfarth getruncken. Fuit quoq; crater boni genii.

De Philomela & Luscinia.

Falluntur qui ducunt Philomela à φίλος & μέλος, quod amans sit cantus. Nam in Græco est φιλολυσίλα Luscinia, antepenultimam habet correptam non solum authoritate Martialis lib. 7. Luscinię tremulum si Thelesina dedit. Sed etiam deriuatione. Est enim à luce & cano, vel cecini. Fr. Philelph⁹ quidem produxit hinc: Nec culices ebriis pias nec luscinia coruos. Sed hic author vnus è recentioribus tantus nō est, vt authoritati eius tuto possis confidere, præsertim cum canon alio ducat. Elegans est illud Iohannis Maioris φιλοφιλίππου in Philippo mastigas βλαυὰς.

Quid strepitis cuculi? pereunt: iactatæ per auras.
Crimina vestra: manent carmina Luscinia.

De ad. voce iugis, iuge, iugiter.

Fallunt & falluntur, qui primam in voce iugis indifferentem esse statuunt ex eo, quod Sedulius modo corripuerit, modo produxerit. Semper enim longa est, nec Sedulius, quamuis sedulus, satis probatus mihi poeta est: Iugis autē & iuge accipiuntur hic pro eo, quod est perennis & perenne. Nam iniuges (id est non coniuges) equi dicitur iu breui.

De vocibus mucro & theatrum.

Primam in mucro Nestor ait corripi, secuti hūc sunt Georg. Fabricius Chemnicēsis, in lib. de arte poetica eruditiss. & Iohannes Maior Ioachimus in parentalibus de Antiocho.

Arma infert Hebri populis strictoque mucrone
Dira latrocinia & cædes exercet apertas.

Ego qui veteres semper producere video, nolim tibi author esse vt corripias, idem iudica de syllaba proxime vltimam, seu a in voce theatrum. Origine enim longa est. Cum igitur Iohannes Maior in die Catharinæ recitato carmine canit. Quin theatrum sine mente sonis, & murmure inani Perstrepitans, &c. Intellige contrahi theatrum vt sit dissyllabum, sic cādem pro eadem Anteâ pro antea.

De voc. Allophylus.

Nestor in hac voce, quæ significat Alienigenam, υ producit & recte quidem. Nam φῦλον & φυλὴ υ producta dicitur à Græcis poetis. Caue igitur, decipiant te Riga, Prudētius, & B. Mantuanus, qui υ in Allophylus corripuerunt. Dispauterii vide versificatoriā, qui hic quoq;

noſter eſt. De quantitate vltimæ in Poſtea.

Et antea.

Vltimas in poſtea, antea, propterea, præterea, interea produci dico. Quod vltima in poſtea correpta legatur, id fit Reſolutione compoſitionis Poſt ea: Sic antea reſoluitur in ante ea, & interea in inter ea. Celebratur quidem diſtichon. Quo vobis mentes rectæ quæ ſtare ſolebant Antea dementi ſeſe Hexere ruina. Sed ego lego hic Ant'ea, ſeu Ante ea, vel potius Antea duabus ſyllabis contractis in vnam.

De quantitate mediæ in choragus.

Choragus ſiue ſit Græcum à χόρος & ἄγω, ſiue Græco Latinum α corripit, Plautus tamẽ produxit. Choragus eodem ſignificato, mediam habet longam. Græci enim dicunt χορηγὸς pro dux chori. Dores mutant η in α. Sic mutatur mater, ſic balare (ouium à βὴ βὴ) pro bolare.

De quantitate Crepidæ & Crapulæ.

De crepidis Horatii anxie diſputauit Aldus philologus in annotationibus in lib. 1. ſermonum, vbi Horatius. Sapiens crepidas ſibi nunquam, Aut ſoleas fecit. Cum enim à Græcis dicatur κρηπὶς κρηπῖδος; vtraque priore ſyllaba longa, Crepida quoque poeta dicere debuit. Sed reſpondent alii pro Horatio deductionem huius vocis eſſe latinam, ſeu crepidas dictas eſſe à crepando, quod raro ſint in ingrediente ſine crepitu. Itaq; Horatium, Catullum & Perſium vtramque priorem in hac voce recte corripuiſſe. De crapula ſimilis fere dubitatio eſt. Cum enim videatur eſſe Græcum κραιπάλη, primam non abre produxit Sidonius: Quem crapula vexat. Et tamen Georg. Buchananus eam corripuit reſpiciens ſine dubio eo, quod Latini Græcam diphthongũ αι mutarint in α breuem abiecta i. Detractam enim literam ſyllabam longam poſſe facere breuem oſtendunt Choragia à Cheiragra, & offella ab offa: & geminata mutata ſcriptura ſæpe mutatur quantitas, Opilio 1. habet breuem, vpilio eandem longam: Epops primam habet breuem in vpupa (quod factum ex epops) docti eandẽ produxerunt, vt, Vpupa ſterconibus ſemper odora ſuis. Si ex veteri aliquo poeta quiſpiam monſtrauerit mihi primæ correptionem, reuocabo me. Notetur Polypus, vt ſingulare, quod licet Græcis ſit πολύπους, tamen apud Ouidium habet primam logam.

De quantitate Vocis ſitibundus.

Dubia eſt quantitas antepenultimæ in Sitibundus, quia dubia eſſe videtur origo. Si vox deducta eſt à Supino Sititum, vt placet Aldo, ti longum eſt, nec recte corripuerunt Mantuanus, Iohannes Picus Mirandulanus, Eobanus Heſſus, M. Palingenius lib. 2. in Tauro Paling. Cui non compertum eſt multos inducere morbos Ingluuiem, Vexare animos & corpora Bacchi Humorem immodicum ſitibunda in viſcera merſum. Idem lib. 9. in Scorpione. Cuius habet ius Imperiumque tenet ſitibunda ſuperbia honoris.

Iohannes Franciſcus Picus in ſtauroſticho de diſcordia. In cædes & bella ruit ſitibunda cruoris.

Sed hi aliunde quam ſupino ſititum deducunt, & faciunt puto regulam. 1. antebundus corripitur: Sed alii exiſtimant ab hoc canone excipiendum ſitibundus à ſititum, non à nomine ſitis, à quo eſt ſiticuloſus, quod etiam u

pro-

producit. Similis ferè dubitatio est de prima in Verbo fragro (pro redoleo) statuunt F. Widebramus, & Secceruitius poetæ insignes eam esse indifferẽtem. Corripuit enim eam. Iohannes Secceruitius Vralislauiensis in Ecclesiastico.

Gresce virens, accresce fragrans ô candida turba
Ipsius in laudes insinuanda Dei.

Et nisi forte labor memoria Iacobus Micillus συνάδει, sicut & Despauteri⁹ ante eum. Sed Iohannes Claius Hirsbergensis corripi negat, quia forte non occurrit ei exemplum correptionis. Flabrũ semper habet primam longam à flatu, sed Flabellum habet primam ancipitẽ.

De quantitate Vocum nates.

Nates primam habet breuem exemplo Persii, Horatii, Martialis. Itaque nec Ausonius qui semel produxit, nec author ridiculi versiculi: *Quamuis arte nates, tamen apparent tibi nates.* imitãdus est.

De antepenultima in petiturus Aliquando bonus dormitat Homerus. Claudianus 3. de raptu Proserpinæ: Ipsum etiam petiturum Iouem. Caue hoc imiteris. Ti in petiturus semper producitur. Corripuit & Arator: Sed hic non raro peccat in quantitate, sicut & T. Gresemundus in carmine de violata cruce.

De Quantitate primæ in Butyrum.

Prima in Butyrum origine Græc. longa est, etsi Valgius, Macer, Serenus, Egnatius, Sidonius & hoc secutus Eobanus Hessus in Psalt. corripuerunt, quo fit vt Despauterius in Versificatoria aiat, latinos hic variare.

De quantitate antepenultimæ in destinatus.

In destinatus antepenultima breuis est, à destino. Itaque hoc Iuuenalis in satyra 4. non est imitandum: Et domini gladiis iam destinata, sed olim.

De quantitate penultimæ in adamantinus.

Petrarcha lib. 2. epist. male corripuit penultimam in adamantinus hic: Vox adamantina est, calamus quoq; ferreus, &c. Corrige sic ex Ouidio 7. metam. Vox adamantea est.

DE Quantitate antepenultimæ in FEBRICITO.

Error cuiusdam notandus est, qui corripuit antepenultimam in Febricito & febricitans. Nam Martialis lib. epist. 99. in hoc scazonte produxit, Febricitantem basiabit & flentem. Sic Catullus bri in Febriculosus (quæ Vox est à Febricula) produxit: Verum nescio quid febriculosi scorti diligis, hoc pudet fateri.

Ratio accedit ad exemplum. Febricito enim frequentatiuum est deductione irregulare à Febrire, quod est febrim habere, correptum esse febri, quibus libentius vtor, quam Febricito: Febriculosum somnium est apud Scaligerum.

De quantitate antepenultimæ in voce conditio.

Cornelius Gallus, cuius meminit Virgilius in Bucolicis, sic cecinit.

O quam dura premit miseros conditio vitæ!
Nec mors humano subiacet arbitrio.

Vitiosum hoc: antepenultima enim breuis est, à supino conditu.

De quantitate vltimæ responde.

Vltimę in responde imperatiuo correptio antiquata est: Inuenitur apud Martialem,

Si quando veniet, dicet: responde roganti
Tunc veniet Romam cum Cytharœdus erit.

Prisci enim dicebant etiam respondere in coniugatione in am prima, quæ veteribus tertia. Manilius:

Vasto respondere mundo.

Vide Scaligerum in Manilium. Doctissimus Criticus Iohannes Pincierus ad me Herborna scribēs Anno 98. April. 23. epistolam, in qua percontatur me, vtrum Appendice penultima longa, an Appendice penultima breui sit dicendum, Martialem sic imitatus.

Hos versus pangens scripsi haud tamen absque lituris,
Quos venia dignare tua, & responde roganti.

De quantitate penultimæ in Appendicis & antepenultima in Appendicula.

Quātitatē penultimæ in Appēdicis D. Joh. Pincier⁹ dubiā facit. Nam vulgo Appendicis penultima extraversum quoties eam vocem pronunciamus, corripitur. Et vox ei cōsimilis coxēdice à Q. Sereno Sammāca, qui Gordiani iunioris præceptor fuit, penultima ponitur breui: Sic enim ille in curatione Ischiadis.

Sæpius occultus victa coxendice morbus
Perfurit, & gressus diro languore moratur.

Et alibi:

Clausa acies inter gemina coxendicis vmbras.

Contra penultimam in Appendice produxit Sabellicus in hoc versu:

Appendice parat fossaque ambire profunda.

Cuius tamen autoritatem tanti non facio, vt secure imitari ausim. Veruntamen nec illi deest vox consimilis, qua penultimam produci debere verisimile faciat: Sic enim Lucretius:

Quæ capris adipes & coturnicibus auget.

Et Ouidius:

Ecce coturnices inter sua prælia viuunt.

Quid igitur de Appendice dices, & coxendice, an Appendice, vt coturnicibus & cotурnices, an communem seu ancipitem penultimam statues? Vix enim apud veterum poetarum aliquem casus obliquos à coxendix & appendix deductos reperiri crediderim. Ego statuo ex analogia: vt perpendiculum dicitur antepenultima breui (exemplū est in Ausonio) ita & appēdiculæ & appendicis penult. vt vehiculū à vehis, sic perpendiculum à perpendis. Scaliger etiam indubium vocauit correptionē penultimarum in Diutinus & Serotinus, vide lib. de caus. l. ling.

De quantitate penultimæ in Decoro.

Scripsi alicubi, non inueniri decoro, o longo; Scriptum hoc nolo. Etsi enim apud Virgilium, Ouidium & cæteros eius ætatis non occurrat: tamen est apud Silium Italicum & Palingenium. His autem est, vt à Decus, decoris, decoro, Ita à Decor, decoris, decoro. Nicolaus Perottus in Cornucopia ab eis est: A decus, inquit, est decoro media breui, quod est honesto, insignio, honorifico: A decor decoro media longa, quod significat pulchrum visu vel auditu reddo, seu significat decentiam quandam rebus, personis, temporibus, locis, siue in agendo, siue in loquendo acommodatam. Vel potius à Decor est decorus (quæ vox aliquando ad virtutes transfertur & honestum) hinc decore. A decorus est decoro Horat lib. 1. Epistol. epist. 6.

Et bene nummatum decorat suadela, Venusq;

Silius Italicus lib. 12.

Inque vicem amplexi permista voce triumphum
Tarpeii clamant Iouis ac delubra decorant.

Paling. lib. 2.

—— Ille in pretio est, quem pulera decorant
Vestimenta. ——

Maneat igitur & aliquo loco sit ac numero vulgatus versiculus,

Hunc homines decorant, quem vestimenta decorant.

Elogium primam habet longam (prima enim non est Græc. e) Exemplum productionis est in Virg. in Culice.

Hic tumulus superinferitur, tum fronte locatur

Elogium

Elogium tacita, &c. Quod exemplum etiã Smeti⁹ annotauit. De deriuatione seu origine si quærat quispiam, est mihi vox à præpositione latina e, & Græco λόγος.

Quantum, ποσόν.

Omne ποσὸν aut est simpliciter ποσὸν (quantum) vt συνεχὲς, id est, continuum ; aut ποσὸν ποσάκις, id est, discretum. Cum igitur Aristoteles dicit, Imparem aut parem numerum esse ποσὸν, intelligendum est omnem (respectu vnitatis vt materiæ) esse ποσὸν ποσάκις, id est, discretum seu disterminatum. Materiæ causa accidit numero cuiuis vt sit παρώνυμον seu multiplex ποσὸν. Quod ipsum respectu vnitatis dicitur ποσὸν ποσάκις ; vt, sexies repetita vnitas est ποσὸν ποσάκις. Respectu vero numeri compositi ex aliis numeris appellatur ποσάκις ποσὸν, vt senarius sexies repetitus est ποσάκις ποσὸν, quia non est idem ipsum esse senarium, & sexies repetitum dici quippiam: quod etiam dicitur de his, quæ non sunt senarius ipse. A materia enim denominata vocabula de multis dicuntur, de quibus synonyma tamen non possunt prædicari, vt aureum effertur de multis, de quibus tamen aurum enuntiari nequit. Vt ergo ποσὸν ποσάκις distinguitur contra ποσὸν συνεχὲς : ita ποσάκις ποσὸν, id est, numerus compositus distinguitur contra primum seu incõpositum. Schegk. 5. Demonstr.

Ποσὸν est συνωνύμως, id est, abstracte, seu ratione εἴδους & οὐσίας, vel παρωνύμως, id est, ratione denominatiua, ποσότητος ποσόν.

Quantum
- Formaliter. Hoc non videtur. Sic video te non κατ' οὐσίαν, sed κατ' εἴδωλοι: video te realiter, nõ autem essentialiter. Res, inquiunt Philos. videtur per speciem.
- Repræsentatiue, hoc videtur.

Quantus-Quantus.

Elegans, pro, quam magnus, quantus-quantus. Scal. ex. 23. s. 2. Negant caloris naturalis pabula vel augeri, vel si minuẽtur, tantundem reponi posse. Si enim id eueniret, non fieret generati dissolutio, quæ dicitur mors. Quotidianis enim supplementis reficeretur ita, vt semper esset integer, quantus—quantus in ipsis fuerat primordiis.

Immane quantum.

Immane quantum, pro perquam valde vel maxime, præponitur nominibus absolutis adiectiuis, participiis & verbis, Differo, disto, mutor, mutatus, dissimilis : vt Immane quantum discrepant, distant, immane quantum mutatus, Immane quantum dissimilis, hic temperatissimus, ille luxuriosissimus. Sic Cuspinianus vsus est.

QVASI.

Metaphora si durior sit & κινδυνώδης, id est, periculosa, adiicienda ei est nota εἰκασίας. Quasi, Velut, Tanquam, vt fiat ἀσφαλεστέρα (tutior.) Quasi enim; inquit Scal. est nota temperationis.

Idem Scaliger improprietatem mitigat sæpe duabus particulis coniunctis, Quasi & quidam, interdum vna, vt Ge-

nus materia quasi quædam specierum est : Album nigredine aspergitur , atque ei quasi officitur. Natura vt est artifex quasi quidam eorum , quæ molitur : ita artifex tanquam natura quædã eorum,quæ figurat. Est alterum indiciorum genus natura prius , & causa quasi quædam eiusce rei,quam discimus,l. 1. de c.l.l. c.1. 2.3. 4. Sic Paulus ait ; creatura vindicabitur à seruitute corruptionis, id est,à corruptione, quæ est quædam quasi seruitus. Sicut enim seruus inuitus seruit : sic creaturæ inuitæ intereunt.Piscat.in Schol.ad Rom.8.

Alias significat similitudinem , vt Græcum οἷον. Rom. 9. v. 6. Non tamen hoc loquor, quasi quod exciderit sermo ille Dei:in Græco est, ὐχ οἷόντε ὅτι. Etsi sint qui ibi ὐχ οἷόντε exponant pro ἀδύνατον(quod fieri non potest.) Vid. vocem οἷον.

Quasi nota similitudinis interdum omittitur, vt in Enuntiato sit subaudienda.Cor. 1. cap. 10. Nos multi sumus vnus panis, id est , quasi vnum corpus.

Interdum *Quasi* accipitur pro *Ferè*,vt Academici Marpurgi sunt quasi trecenti,id est,plus minus trecenti.

Aliquando *Vicis significationem* habet. Sic commune aliquid , quod vere proprieque Genus non est,interdum dicitur Quasi Genus , quod vice generis fit: vt Persona quasi Genus est Patris, Filii,& Spiritus Sancti. Improprietas talis interdum notatur particula Quidam, quod alibi annotauimus, vt Ratiocinatio est Quidam animi motus.

Vsus.

Ioh. Sturmius in Partitionibus Logicis l. 1. Differentiam vocat quasi Genus & γενικίντι , vt animal hominis genus, mente præditum esse quasi Genus ; differentia est : quid ita? Resp. Quia Differentia reuera Genus non est , affinitatem tamen aliquam habet cum Genere. Vocat igitur Sturmius differentiam Quasi genus & generale quid, quod generalis sit notio communis pluribus formis, id est,speciebus.

Conspexi Spiritum descendentem Quasi columbam (ὡσεὶ περιστερὰν) id est, apparuit & conspectus mihi est Spiritus S. non in natura sua , est enim inuisibilis, sed in columba (vera) tanquam specie & imagine.

Particula Quasi emollitur sententia Platonis , qua Mundum animatum dixit.

Pro Quasi interdum dicitur SVO MODO.

Quasi opponitur τῷ εἶναι, reipsa, & est idem , quod verbotenus. Idem est ad aliquid dictum(id est Relatiuum secundum dici) & Quasi ad aliquid: *Quæcunque enim non sunt vere ad aliquid* (vocant Relatiua secundum esse & per se) *sunt Quasi ad aliquid* per formam quandam accidentalem attributam ab intellectu. Hoc autem est dici ad Aliquid, hoc est, referri per intellectum sub certo modo (ideo & Relatiua per accidens dicuntur.)

Pro quasi esse eleganter Scaliger *dicit Inire alicuius rationem*, vt Rana init rationem personæ, id est, est quasi persona:quia attribuitur ei sermo à Poeta.Sic & nubibus , & similibus rebus inanimatis.

Ἄλλως.

Τῷ Quasi vel Tanquam opponitur Sincere. Exemplum egregium est desumptum ex Viotto : Singularium absolute scientiam non haberi non dixit Aristoteles,sed addidit,Ex natura sua:sed haberi statim subdidit Quasi Velut secundum accidens , non etiam

etiam, ſincere ſecundum accidens haberi pronuntians, ſed addens ὡς τως ὥσπερ quaſi velut. Neque enim rei caducæ & diſſipabilis ex ſua natura eſt ſcientia, neque etiam per accidens ſciri dicetur: ſed quaſi velut per accidens; hoc eſt, quaſi accidere videatur illi ſingulari, quod ſub tali vniuerſali comperiatur, cuius gratia ſciri dicitur. Nam primo & per ſe demonſtratur proprietas de eo, cui primo conuenit; poſterius & quaſi per accidens de indiuiduo.

Quaſi ſeu Tanquam, Terminus
- Ἀποφατικὸς ſeu negatiuus veri vel proprii.
- Ἐπανορθωτικὸς, Correctiuus vel ſimilitudinis: cuiuſmodi interdum Hebræis eſt כ Caph; Terminus Diminuens.
- Καταφατικὸς, ſignificationis veri vel proprii. S. Paul. Eph. 5. Ambulate ὡς lucis filii, id eſt, vt qui, vtpote, quippe qui.

Exempla. Chryſoſt. in Mar. homil. 3. vbi dicitur ὡς (tanquam) non veritas, ſed ſimilitudo monſtratur.

Idem de Euchariſtia in Encæniis: ὡς τὸ τρίτον μέρος, id eſt, fere tertia pars, ὡς τριάκοντα, circiter triginta, ὡς ἕκαστοι, fere ſinguli. Hic reſtringitur per particulam ὡς vel Quaſi totum vniuerſale vel numerale.

Reputato ſalutarem ſanguinem quaſi è diuino & impolluto Latere effluere. Scotus. Scientia Dei, quæ in eo eſt quædam perfectio abſoluta, hæc eſt natura ipſius, eſt tanquam pars artificis, quæ huic ratio eſt, qua poteſt producere. Sol eſt tanquam animatus: Mundus eſt quaſi animal: Aqua quaſi animata quaſi Spiritus ſanctus virtute regenerat. Hic particula Quaſi eſt Correctiua eius, quod durius dictum eſſe videtur.

Q. Solet dici à Theologis. Non facta eſt Caro tota Trinitas: Ecquomodo Trinitas eſt Totum? Reſpondet Scotus: Trinitas in Diuinis eſt *quaſi quoddam totum Numerale*. In Quodlibet. lib. 2. diſt. 15.

Quaſi ſimile.

Scotus in Quodlib. quæſt. 1. In diuinis dicitur Eſſentiale, quod ſimile eſt Eſſentiæ in modo prædicandi, vel in communitate reali: Notionale, quod nec ſic prædicatur, nec habet talem communitatem: Sic dicta quod ad notitiam diſtinctionis Perſonarum pertinet.

Quaſi forma, id eſt forma analogice, inſtar formæ.

Voluntas inſtitutumque vtentium eſt quaſi forma numi. Si enim illa mutetur, numi pretium vtilitasque perit, nihil enim æſtimatur. Ipſe numus, & quicquid eſt quaſi eius forma eſt à lege. Montecatinus in 1. Ciuil. Ariſtot. pag. 358.

Quaſi colores ſunt, qui non habent veram & expreſſam Entitatem, qui non ſint veri ſecundum naturam, & tantum dicuntur colores ex analogia ad veros colores, qui ex miſtione certarum qualitatum oriuntur. Vocantur Apparentes.

Quaſi vox. Tibia edit quaſi vocem, id eſt, non proprie, quia vox proprie conuenit animantibus, nec tamen omnibus: Carẽt enim ea exſanguia, & ex iis, quæ habent ſanguinem, piſces, cum hi non reſpirent, vox autem ſit ſonus animalis reſpirantis & quidem aerem reſpiratione attrahentis.

Modus considerandi quasi forma est, seu instar formæ est, & certam subiecti naturam constituere dicitur, quæ cuiusq; scientiæ propria est, nec potest cum alia communicari.

Oculi cãcrorum quasi lapides sunt. Nam in oculis cancrorum lapides non sunt, nisi ipsi oculi: oculi sane lapidea duricie, in quibus non gignitur lapis, sed cum eis illa duricies, ex iudicio Scalig. exerc. 245. sect. 1.

Pro Voce Quasi hic vsurpatur etiam Pro, vt promuscide pro manu & calice vtitur Elephas, non pro ore vt culex. Scalig. exer. 194. sect. 6.

QVIDDITAS.

Quidditas est ipsa rei essentia nude accepta sine omni respectu.

Quidditas proprie est Substantiarum.

Itaque, ait Aquarius in Metaph. accidentium non est Quidditas. Sed aliis est & accidentium secundario, vt essentia.

Opticis lucis & coloris est Quidditas, hoc est, Essentia & Differentia Essentialis. Vitell. lib. 3. Optic. Propos. 67.

Primum, quod comprehendit virtus Distinctiua ex intentionibus appropriatis formæ visibili, est Quidditas lucis & coloris. Quamuis enim Lux & color sint per se ipsa & primo visibilia, ipsorum tamen Quidditates & essentiales differentiæ solo sensu visus comprehendi nequeunt. Συνεχεία hic opus est virtutis Animæ γνωστικῆς seu distinctiuæ.

Quidditates sunt totum quiddam, partium causa, indiuiduum, & omnino quiddam ὅλως ὅλον.

Quidditates sunt secretissimum, (id est, simplicissimum & purissimum) quiddam, & nihil prorsus alieni habent admistum.

Sunt Aristoteli vt numeri, seu similes numeri, quia vt numeris nihil neque addi potest, neque adimi, quin tota eorum immutetur species: Ita Quidditatibus etiam nihil addi, nihil detrahi potest, quin tota ipsa immutetur & nulla sit Quidditas.

QVIES, ἠρεμία, ἀνάπαυσις.

1. Quies accepta generaliter seu Ἀνάπαυσις proprie est *laboris intermissio*.
2. Quies in Physicis priuatio modo est, modo perfectio, vt Quies motui opposita est perfectio & quidem vltima perficientis & perfecti motu nobilior, quia propter eã motus, & finis est motus & habitus ad situm & vbi pertinẽs.

Opposita vigiliis est priuatio, nempe quedam actionum cessatio. Sic Scal. Quies est perfectio corporis mobilis cũ quiescit in suo loco. Quies corporis in loco non proprio motus priuatio est, vt lapis cum quiescit in agro, caret motu naturali. Nam corpus graue vergit deorsum ad centrum.

3. Specialiter & Translate Quies accipitur pro Somno (qui & ἀνάπαυσις ὕπνου dicitur Homero ἐξοχικῶς) vt cum dico, Vidi hoc per Quietem. Ea πάθος est τροφὴ αἰσθητικοῦ, ὡς αἰσθητικοῦ. ait Scal. ex Aristotele.

Hęc spontanea est vel violenta; vt omnis somnus diurnus, excepto illo, qui ex defatigatione est & labore, est violentus, hoc est, vim inferens naturæ. Itaq; de die in recte valente somnus non oboritur. Interdiu scilicet cerebrum calescit & actionibus corporis & animæ intentione vsque adeo, vt calor eius ad depascendum & discutiendum fumos, qui ab elixatione offeruntur, sit ἀνάλογος, & quia consumuntur illi halitus aut per cranii suturas exhalant, nõ suppeditatur materia somno. Sed si contineantur cum cerebri infrigidatione, quæ est ex calore subducto, sunt causa somni violenti. Huc accedit & hæc causa, quod natura non destinauit diem somno, quia spiritus

gaudent

gaudent luce diurna propter materiam σύγγονον seu genuinam, hoc est, similem ac cognatam, quia spiritus sunt lucidi.

2. Somnus est reparator naturæ seu reficiens naturam; vel perditor aut labefactator eius.

3. Est Repletorum vel ieiunorum.

Sed quomodo ieiunus dormire potest, cum vapor ex alimento assurgens materiem somno suppeditet? Resp. Etsi in ieiuno vapores ex alimento, quod in eo nullum est, non assurgunt; tamen in defectu illo alimenti incipit consumi ἰκμὰς seu humor cerebri, & liquefieri substantia eius. Hinc igitur quasi quædam colliquatio in cerebro fit, vnde somnus: qui fere non reficit naturam, sed instar febris hecticæ se habet.

Quidam somni materialem causam faciunt infrigidationem cerebri. Sed hęc vere est causa efficiens: De qua vide in voce *Infrigidativ.*

Sed ad vocem Quietis, vt somno ab Aristotele tribuitur, redeo, animi & politioris ac humanioris eruditionis (quæ interdum quæ in medium afferimus condienda sunt) gratia. Aristoteli somnus est Quies seu Ἀνάπαυσις translate: Dixi enim Quietem proprie esse πόρου intermissionem. Sed somnus est quies motus & sensus respectu: hæc enim intercepta cessant: Sensus vero & motus quasi labor quidam sunt naturæ, & finis huius, quem cum non possit ferre perpetuo, quiete ei ab his aliqua opus est. Itaque Aristoteles expositis rationibus metaphoram seu translationem laudat. Nec tamen in hoc tantum est metaphora, sed quod quies in animante est προαιρετικόν τι: Somnus autem ἐξ ἀνάγκης (necessario) fit, vnde & δέσμος, id est, vinculum quoddam sensuum à Philosopho nominatur, sicut ἐγρήγορσις, id est, euigilatio horum, λύσις & ἄνεσις. Quemadmodum enim cum motus ἐκ προαιρέσεως vel liber omittitur, quiescit animal, vt in voluntario decubitu aut statu corporis: Ita in somno sensuum principio affecto corpus sic afficitur, vt foris neque sentire, neque moueri possit. Atque hoc modo similitudo appellationis ab ea, quę proprie Quies est & libera, ad somnum transfertur. Inest autem semper in metaphora similitudo, vel potius similitudo hæc est non explicata. Quod si proprie esset quies, ἀδυναμίαν sensus & motus non afferret.

Metaphoræ similitudo non explicata.

Cui enim parti quietem concedit animal, eius eodem tempore vsum habet integrum minimeque impeditum, si porro expedire ei forte libeat. Etsi autem metaphoricæ definitiones non præstant ἀκρίβειαν eam, quam artes & scientiæ profitentur, in primis Physicæ & Mathematicæ: idoneum tamen est Quietis vocabulum ad distinguendum somnum à morborum malis, quæ sensum & motum intercipiunt, vt sunt animi deliquium, Epilepsia, Hysthericæ affectiones, & similes, in quibus id, quod sensum & motum corpori confert, minime quiescit, sed grauiter laborat & afficitur. Infert autem hæc somni quies ἀκινησίαν, id est, motus cessationem seu orbationem, cum facultas motrix (κινητικὴ δύναμις) quæeadem & sentitrix (αἰσθητικὴ) est, tum affecta quiescat. Eadem δύναμις & organon huius in somno etiam ἀδυατεῖ, id est, *ita affecta sunt, vt munus suum præstare non possint.* Atque ita non cuiuscunque generis vel modi, sed huius δυνάμεως ἀδυναμία (potentiæ impotentia) est somnus, id est, vsus sensuum (χρήσεως αἰσθήσεων) & motionis καθ' ὁρμὴν seu liberi ἀδυναμία quædã est. Vtrum vero hæc ἀδυναμία sit somnus ipse formaliter,

Definitiones Metaphoricæ non sunt ἀκριβεῖς.

Quid ἀκινησία?

Quid ἀδυατεῖν?

an vero somnus hanc sequatur seu comitetur, hic disputare nihil attinet. Exilis hæc disputatio fuerit, ac si subtilis alicui videatur, vtilis tamen admodum non videtur esse. Quomodo autem & qualis ἀδυναμία tribuatur somno, hoc explicatu vtile est: De quo in voce impotentia seu ἀδυναμία, vbi & dicitur, quod ἀδυναμία hanc quæ somni est insequatur ἀκινησία (motus priuatio.)

Ex Clem. Timplero.



Scot. l. 4. d. 49. Quies præcise accepta pro motus carentia est imperfectior motu, qui & ipse imperfectum quid est, quia non est ἀποτέλεσμα. Si in quiete nonnullorum respicitur ad substratum, identitatem & stabilitatem essentiæ, hoc simpliciter perfectius est, quã est positiuum in motu, scilicet aliter & aliter se habere.

Quies Physica.

Quies in Physicis alias dicitur respectu Termini à quo, cum scilicet subiectum quiescit, antequam ad nouam formam incipiat moueri. Ita ouum dicitur quiescere antequam supponitur gallinæ; Item aqua frigida antequam ad ignem apponitur: item lapis antequam loco mouetur: granum antequam in terram proiicitur, quod tamen etiam in terram proiectum aliquandiu quiescit, antequam scilicet Spiritus in illud incipit agere. Et de hac specie quietis proprie intelligenda est descriptio, quod quies sit priuatio motus in subiecto mobili, vbi quies intelligitur respectu motus sequentis.

Alias quies dicitur respectu termini ad quem, quando scilicet subiectum noua forma iam acquisita cessat moueri & in illa forma consistit: Ideo quies alias definitur, quod sit finis motus, quia motus ideo est in natura, vt comparetur aliquis terminus, seu forma aut quasi forma, qua acquisita quiescit subiectum. Item definitur quies, quod sit status seu perfectio rei consecutæ suam formam: Item quod sit cessatio à motu in subiecto quod moueri poterat, vt cum ex ouo natus est pullus, subiectum dicitur quiescere. Sic in augmentatione cum est acquisitum tantum incrementum vt amplius fieri nequeat, subiectum dicitur quiescere: Sic in calore quando terminus est acquisitus, id est, cum tantus calor est introductus, quantus esse possit, cessat motus, id est, calefactio. Quod si calefaciendo pergatur, vere attenuatur aqua. Homo adultus ante ἀκμὴν augetur, in ἀκμὴν decrescit, ipsa ἀκμὴ quiescit.

Quies,

Quies quæ vulgo videtur, interdum est actio vel motus quidam, & quiescens agens. Stare est quiescentis, dicit ille: At hoc ipsum stare etiam est agentis & laborantis: Fit per κίνησιν quandam τονικὴν interiorem.

Explicatio.

Mouetur musculus in vehementi extensione & contractione etiam si in vno loco membrum fixum contineatur, cum ὦσις, id est, trusio, & ἕλξις, id est, tractio sint motus secundum locum, & musculus tum laboret, quod sine motu fieri non potest.

Et hæc quæ quies vulgo videtur & appellatur, motus est quidam τονικὸς, quomodo & statio ὦσιν habet. Extendit enim pedum musculos. Ideo talis & contractio & tensio & statio atque τόνος defatigationem affert, cum quies musculum aut neruum defatigare non possit, & is tantum musculi situs quietem habet, qui motus & fatigationis expers membrum non exercet, id est, omne ἀβίαστον, vt in decubitu & remissione musculi naturali. Nam simpliciter loquendo ne in decubitu quidem quiescunt omnes musculi, cum & in hoc & in somno extensio & attractio fiat multorum, & dormientes etiam aliqui obuersentur. Quia igitur ἕλξις & ὦσις nonnunquam corpus loco continent, ideo ad virtutis κινητικῆς κατὰ τόπον actiones & opera etiam status & sessio & τονικὴ illa referuntur. Vnius enim & eiusdem virtutis est Loco Mouere, & in loco continere. τονικὴ κίνησις est motus qui fit per extensionem.

Quid Mo. Tonica.

Generatio momentanea, quæ terminus & complementum est generationis proprie dictæ, imo quies est ad quam tendit naturaliter generatio, nomine Quietis intelligenda est in definitione Aristotelica Naturæ, iudice Fonseca in 5. Metaphysic. cap. quæst. 2. sect. 4. pag. 204.

Quies pro Generatione Momentanea.

1. Quies est per se vel per accidens: Postquam generata est substantia, subiectum quod ad generationem substantiæ attinet, quiescit per se: Quod vero attinet ad accidentia, per accidens. Cum cessat motus localis, pedes quiescunt per se, cæteræ vero corporis partes per accidens.
2. Quies est κατὰ φύσιν, vel παρὰ φύσιν. *Quies secundum Naturam aut est voluntaria*, vt cum ab opere animal cessat: quæ proprie vocatur Ἀνάπαυσις seu quies animalis.

Atque hæc quies est à principio interno, quod est in ipsa οὐσίᾳ & natura animalis, non tamen à neruis, sed à cognitione in cerebro, quæ vel motum vel quietem neruis potest imperare.

Aut est Non voluntaria, quam naturalem licet appellare, cuius principium & causa est natura in subiecto, vt cum pullus est natus; cum corpus ad iustam magnitudinem peruenit; cum lapis ad terram cecidit: Subiecti natura est vt quiescat.

Aut mixta, vt cum vesica non mouetur, cum intermittitur Spiratio.

Παρὰ φύσιν, violenta quies est, quæ his opponitur, vt Animali seu voluntariæ opponitur, cum quis catenis constrictus impeditur; cum membra patiuntur defectum & priuationem motus, vt in podagra, luxatione. Talia sunt cæcitas, surditas, apoplexia, in qua totalis est obstructio in neruis sensus & motus, ita vt nulli prorsus spiritus animales in eos illabi possint.

Non voluntariæ seu naturali quieti opponuntur, cum lapis sursum suspenditur, cum obstructo neruo qui à cerebro ad cor tendit, impeditur motus cordis, vt fit in apoplexia θανατηφόρῳ, quæ mortem affert, Mixtæ quieti κατὰ

φύσιν opponitur, cum impeditur & ceſſat motus pulmonis in Ephialte motus veſicæ, in ſtranguria motus obſcœnarum partium incantationibus.

3. Quies eſt abſoluta vel reſpectiua: Totalis vel partialis, vt ſomnus dicitur Quies reſpectu ſenſus & motus ſeu virtutis animalis, cuius hæc ſunt propria. Vnde & ſomnus ab Ariſtotele dicitur ἀκινησία, immobilitas, ἀδυναμία & ςέρησις, reſpectu ſcilicet motus animalis: Quieſcit .n. animal à ſenſu & motu, nec tamen eſt totalis ceſſatio, alioquin enim homo non poſſet dormiens obambulare, aut ſe vertere, nec poſſet excitari ſomno. Multo min⁹ ceſſant ſenſus interiores, quod oſtendunt ſomnia. Non autem vocatur ſomnus Quies reſpectu motus naturalis vel mixti, quia motus naturalis non ceſſat in ſomno, vt motus cerebri, cordis, imo magis intenditur, vnde & Spiratio eſt vehemẽtior. De motu vero mixto certum eſt eum ſępiuſcule dormientibus accidere, vt cũ ſomniantibus vrina effluit, vbi videtur in ſomniis aliquid accidere ſimile, quod vigilantibus fit per proæreſin. Diſputat tamen Ariſtoteles, vt ſupra dixi, ſomnum appellari quietem metaphorice, quia ἀνάπαυσις, id eſt, quies fiat ex proæreſi, vt cum quis ſpõte ceſſat à motu locali, vt à curſu, ſed ſomnus ſit ex neceſſitate, cum ſcilicet cerebrum afficitur ab halitibus ex vẽtriculo aſcendẽtibus, qui ibi liquefacti obſtruunt principia neruorum ſenſitiuorum & motiuorum, vnde ſenſum & motum ceſſare neceſſe eſt, ideoque mauult Somni genus eſſe πάθος quam ἀνάπαυσιν.

Quieſcere.

In Phyſicis quieſcere dicitur ſubiectũ, quod non procedit ad aliquam formam acquirendam, ſed in præſenti forma tanquam in ſtatu ſuo conſiſtit & perdurat.

2. Scholaſtici Doctores & opitici ita loquuntur: formę ſeu ſpecies rerum *quieſcunt in anima*, id eſt, reſident ſeu inſident in animo, ſunt fixæ in phantaſia, inhærent in anima, ſeu ei ſunt impreſſæ.

Eſſentia viſibilis percipitur è ſpeciebus viſibilibus beneficio formæ fixæ in imaginatione reſidẽtis in anima, quieſcentis in anima, quæ peruenit in animam. Res enim ipſæ extra animam exiſtunt. Conceptus bouis in animo quieſcit, id eſt, in animo eſt impreſſus infixusque.

Logici Scholaſtici propoſitionem vel Rationem in anima quieſcentem dicunt *Immotam*, & conſtantem, de qua non amplius dubitatur quicquã, & in qua ſtatur, vt loquuntur, ita vt vlterius non pergatur. Sic Scotus lib. 1. diſt. 3 Propoſitio quieſcens in anima eſt; Quicquid euenit vt in pluribus (Græce ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ) ab aliqua cauſa non libera, eſt effectus naturalis illius cauſæ. Hæc enim propoſitio nota eſt intellectui per experientiam intellectis terminis. Itaq; termini ante cognoſcendi ſunt.

Canon.

Si diuerſi ſenſus habeant diuerſa iudicia de Terminis aliquo ſenſili (puta, dicit viſus baculum eſſe fractum, cuius pars eſt in aqua & pars in aere, tactus dicit eſſe integrum) *& alter ſenſus errat* (viſus,) *Propoſitio quieſcens in anima iudicante, id eſt, de qua non dubitat mens* (Baculus ille eſt integer.) *certior eſt iudicio ſenſus.* Sic propoſitio in anima quieſcens eſt: Nullum durius frangitur ad tactum alicuius mollis, ei cedentis, quia per ſe nota eſt ex terminis. Vid. Scot. l. 1. d. 3. Quod baculus ſit durior aqua, & quod aqua ipſi cedat, vterq; ſenſus & viſus & tactus quaſi dicit. Non igitur baculus fractus eſt, vt ſenſus viſus iudicat. Itaq; erroré viſus intellectus corrigit: Ac *A ſenſibus ſincera*

ſincera non eſt veritas, id eſt, à ſenſibus ſolis. Nihilominus enim veriſſimum manet hoc Auguſtini 15. de Trinit.c. 12. *Abſit à nobis vt ea, quæ didicimus per ſenſus corporis, vera eſſe dubitemus: per eos quippe didicimus Cœlum, Terram, & ea, quæ in eis nota ſunt nobis, quantum ille, qui nos & illa condidit, innoteſcere nobis voluit.*

QVINQVERTIO
ſeu Quinquertius.

Græcis eſt πένταθλος. Erat autem πένταθλος, qui in quinque certaminum generibus reportaret victoriam, ideſt, luctа, ſaltu, diſco, iaculo, curſu. Huic Plato in Dial. Amab. comparat Philoſophum, quem vult debere omnium artium rationes generales intelligere.

Quo: *Secundum*. *Quod* καθ' ὃ Ariſtoteles 5. Metaph. cum expoſitione Alexandri Aphrodiſæi: Secundum quod ſeu quo dicitur multis modis, *Vno quidem* forma ſeu eſſentia cuiuſque rei, vt, Quid eſt id, quo bonus eſt bonus. Ipſum bonum, id eſt, bonitas. Nam ſtatua per formam ſeu ſecundum formam ſuam dicitur eſſe ſtatua. Homo pari ratione per formam (ſeu ſecundum animam rationalem.) Homo eſſe dicitur. *Secundo modo* id dicitur, in quo primo apta eſt res fieri, vt in ſuperficie color. Itaque id, quo aliquid primo dicitur, forma eſt: Secundo autem loco, quod eſt, vt materia cuiuſque eſt ſubiectum cuique primum. Nam corpus ſecundum vel per ſuperficiem colorari dicitur: *Quoniam* ſuperficies prima colorem excipit. Sic ſtatua non per formam tantum, ſed etiam per æs ſtatua eſſe dicitur, & homo non per formam ſolum, ſed etiam per ſubiectam formæ materiam homo eſſe dicitur. Vniuerſe autem, quot modis dicitur cauſa, totidem etiam dicitur ſecundum quod: Solemus enim dicere, ſecundum quod, vel cuius cauſa (Socrates,) huc acceſſit; Nempe quo fine: vel, ſecundum quod vitioſa, vel bona ratiocinatio fuerit, id eſt, quę ſit cauſa efficiens ſyllogiſmi vel paralogiſmi. Huc vſque Ariſtoteles & eius interpretes. Cum dicitur, Chriſtus ſecundum humanitatem eſt creatura: Limitatio ſynecdochica eſt. Non igitur ſecundum eandē eſt Deus creator. Cum dicitur: Κοινωνίαν quę eſt ſecūdū ὑπόστασιν verbi, cui vni hypoſtaſi cōmunes ſunt proprietates diuinæ & humanæ, cōcilia admittūt: hic Secundū modum vel ſpeciem ſignificat, Secūdum ſe eſt abſtractum, vt, Aſtrologo ſignum Sphæræ nō conſiderat ſecundum ſe & nulla ratione habita corporis Naturalis, cuius eſt figura. Quia mente illam abſtrahit à tali corporis natura.

Secūdum aliquādo determinatiua exegetica eſt, vt: Chriſtus adorādus eſt ſecundum vtramque naturam: eſt Deus non ſecundum vtramque naturam: Interdum eſt reſtrictiua, vt paſſus ſecundum carnem Deus.

Secundum naturam interdum Doctoribus eſt proprietate naturæ, vt, Chriſtus eſt omnipotens ſecundum diuinam naturam, id eſt, proprietate diuinæ naturæ: quod alias dicunt PROPRIE, vt Filius Dei proprie eſt omnipotens, id eſt ſecundum proprietatem diuinæ eſſentiæ.

QVOD, QVO,
in quo.

Quod & Quo vtiliter diſtinguuntur in Doctrina & diſputationibus de efficientibus & patientibus. In compoſitis ſubſtantiis id Quod operatur eſt compoſitum: Id autem Quo operatur eſt aliqua eius pars. At in ſubſtantiis ſimplicibus (ſeu puris formis) Idē οὐσιωδῶς eſt Quod operatur: & Quo operatur: vt Deus & Infinita eius δύναμις. Vid. B. Pererium in Phyſ. pag. 394. Homo intelligit (vt Quod) anima intellectiua

(vt Quo) ministerio φαντασμάτων; & in ea (vt in Quo.)

In initio Conuersionis Voluntas hominis habet se vt subiectum *in Quo* Spiritus S. operatur (vt Agens *Quod*) Postea vero etiam spectatur, & habet se vt Instrumentum, *Quo* operatur. Nam excitata accensaque à Spiritu S. ipsa quoque actiones suas ciet. Atque hoc est quod in Colloquio Vinar. ait Victorinus: Voluntas humana non habet rationem causæ in Conuersione ad Deum, nisi quatenus à Spiritu S. mouetur seu impellitur, pag. 172.

Hypomnema. Terminus seu vox signum conceptuum & rei.

Idem enim potest esse & subiectum & Instrumentum diuerso tempore.

Vsus horum quoque est in doctrina de Terminis, conceptibus & significatione. Voces significant conceptus nostros vt *Quo*, id est, vt media quædam seu instrumenta, quibus res concipiuntur. Significant res vt *Quod*, vt propriũ & principale significatũ. Res est fundamentũ, cõcept⁹ & cõceptus, pendent à rebus. Item in disputatione de Mensura, Amussi & Criteria Boni. Estne vir bonus seu probus Criterium Boni, an naturalis Lex (quam conscientia approbat) Illud ponit Aristoteles, Hoc Plato. Dico, vt perpetuo in speciem pugnantia fœdere constent, loqui Aristotelem de Criterio Quod, Platonem de Criterio Quo. Suppositum agens & diiudicans voluptates secundum rectam rationem est vir probus Aristoteli. Sed idem vir probus iudicium promit Platoni per rectam quandam constitutionem internam seu intellectum practicum, à quo pendent omnia recta iudicia & & leges positiuæ.

Quod quid est,
Τότι ἦν εἶναι.

Quod quid erat esse rei, & Quod quid est, Aristoteli sunt Forma substantialis. 3. de anima text. 26.

Quod quid est, est obiectum intellectus.

Aristoteli τὸ τί ἦν εἶναι Quod quid est nihil aliud est quam Quidditas seu essentia & natura rei significata per definitionem, vel ipsa Definitio Essentialis. Vid. Aristot. 7. Metaph. c. 11. text. 41.

Apud Auerroem *Quidditas & Essentia* distinguuntur: Quidditas forma est: Essentia est habens formam. *Harũ Dn sunt idẽ*

Quod pro Quatenus.

Quod pro Quatenus, καθότι & καθ' ὅσον more Græcorum per Enallagen adhibetur, Linacer, Omnia hæc confingam, quod erit mihi bonum atque commodum, id est, quoad seu quatenus. Terent. in Phorm. act. 1. scen. 2.

Quod pro vt.

Barbari Scholastici Quod pro vt vsurpant. Quod non est imitandum, vt cum dicunt, Adeo quod, Fieri potest quod: Tu dices, Fieri potest vt pro quo Græci interdum ἔστιν ὅπως, quem Græcismum Latini imitati dicunt, Nõ est vt copia maior Ab Ioue donari possit. Horat. l. 1. epist. Non est vt credere possis Esse infinitis distãtia somnia formis. Lucr. l. 2. Quod si linquũtur & insunt, Haud erit, vt possit permitti longius alter. Arist. Eth. Nicomac. l. 5. c. 5. locum ἐν τούτοις ἐστί, &c. Lambinus sic vertit: In his est vt alter cum altero & æquum & iniquum consequatur, id est, fieri potest.

Quod determinatiuum.

Quod interdum est particula determinatiua. Omne animal sanguineum quod pulmonibus præditum est, respirat. Id est, Quoad pulm. Opera bona quæ ex fide fiunt pro sanctis à Deo operibus reputantur, id est, quoad

adfiant. Schegk. in annotat, in lib. περὶ ἑρμηνείας. Quod in verbis Institutionis Cœnæ, cum dicitur, Hoc est corpus meum, quod pro vobis, &c. facit notam Determinationis.

Principium quoddam scientiæ esse dicimus quo terminos cognoscimus. Arist. 3. cap. lib. 1. post. Anal. cont. 21. Sensus, teste Zabarella, horum verborum hic est: Datur præter conclusionis scientiam habitus principiorum, qui dicitur νοῦς, quo terminos, id est prima scientiæ principia cognoscimus. Dictio namque Quo non in sensu causali, sed in sensu formali accipienda est, vt perinde sit ac si legerem, Quatenus. In Græco est ᾗ, quæ dictio non magis hic potest significare *Quo* quam Quatenus.

QVOD.

Quod suspendens dispositionem in aliquem futurum euentum, facit conditionem, Bartolus: vt: quod si non præstiteris promissum, neque ego tibi obstrictus ero. Alias causale est, pro quia vel εἰδικὸν: vt Scio, quod redemptor meus viuit. Quæ significationes sunt primariæ.

Quidam, Quædam, Quoddam, τὶ.

Obseruatu dignum est hanc determinationem apud Aristotelem nonnunquam notare aliquam improprietatẽ, & idem fere esse quod Quasi, vel Tanquam, vel Quodãmodo. In Proœm. Phys. context. 4. Vniuersale totum quoddam est, cum multa velut partes complectatur. Hic Genus quoddam Totum vocat, quia neque ex essentialibus, neque ex integrantibus partibus, sed ex speciebus constat, quæ non vere partes, sed ceu partes sunt. Vid. Fort. Crell. ad eum locum, & Zabarell. cuius verba lectissima subiicio: Non vult Aristoteles vniuersale absolute appellare totum, sed totum quiddam, quia non ita proprie dicitur totum, sed per quandam similitudinem cum toto proprie dicto, cum nõ habeat esse reale, sed sit opus intellectus, & partes nõ actu, sed potentia contineat, ideo declarans istam comparationem, Aristoteles dicit, Multa enim cõtinet, vt partes vniuersale: Non enim dicit multas partes continet, sed multa continet, vt partes, id est, ad similitudinem partiũ. Hæc velim considerent ἰσχυρογνώμονες illi, qui suauiter rident Quasi genus.

Intellectus seu Mentis quidam motus est, id est, motus analogicus reflecti in seipsum potest se suamq; operationem cognoscendo, quod minime conuenit in facultates sensitiuas.

Accidentium quædam materia est, quædam forma, id est, accidentia proprie lõquendo neque materiam neque formam habent, sed modo quodam: Materia enim accidentis nulla est alia quam subiectum, & est materia externa, in qua est, non interna, ex qua fiat. Et omne accidens est forma quædam.

Accidentium naturalium materiã quandam esse dici potest, id est, non habent ea materiam, tametsi pro subiecto ipsam rei substantiam, quæ *quoquo modo* materia eorum dici potest. Fonseca.

Arist. 5. Eth. c. 5. ὁ γὰρ δικαστὴς βούλεται εἶναι οἷον δίκαιον ἔμψυχον, iudex vult esse quasi iustum animatum: Pro quasi esse quasi iustum animatum habet Quoddam. Cũ ibi versio Latina enim ius per se non possit expedire actu quod est iustum, nec possit æqualitatem definire inter partes dissentientes de aliqua causa, necesse est vt Quasi vitam accipiat à iudice; &c.

Scal. ex. 18. Priuatio videtur habere entis cuiuspiam rationem. Idem enim quodãmodo cũ eo esse habitu, qui contra-

rius est ei habitui , cuius est priuatio, sentit Philosophus. Quia cæcus habitum quendam habet, propter quē cæcus est, qui visionis habitui contrarius est: atque iccirco priuatio, (quendam habitū id est, habitum improprie dictum.) Acutissime. Atque hoc modo dicitur in quinto, priuationem esse habitum quendam, (id est, quasi habitum seu formam πῶς, quodammodo) Non enim est verus habitus vt species differentiis constituta, aut speciem cōstituens differentia.

In Descriptione Naturæ, quam Zabarella vocat Definitionem Nominalem, vox Quoddam accipitur proprie. 2. Phys. cap. 1. Natura est principium Quoddam, &c. Vbi tamen Quoddam seu Aliquod omitti potest, sicut non necesse est dicere , Homo est animal quoddam rationis particeps, etsi non nesciam Zabarellam dicere ad hunc locum 2. Phys. Ita solemus dicere in prædicatione generis de specie, Homo est animal quoddam rationis particeps. Intelligitur quidem ex abiecta determinatione differentiæ Quoddam animal; Sed particularis nota non solet definitioni inseri. Libellum meum de definiendi ratione confer hisce.

Vsus.

Theologo etiam necessaria est hæc observatio, quod ostendit Disputatio de Eucharistia Gardineri & Pet. Martyris Oxon. pag. 329. Apud Origenem. lib. 8. contra Celsum ita legitur : σῶμα ἅγιόν τι, Id est, Corpus quoddam sanctum. In versione particula τι non est prætereunda. *Sæpe enim adhibetur hæc particula, cum proprietas & rigor significationis aliquo modo eleuatur*: vt cum dicimus: Lacrymas esse quendam animæ sanguinem. Hic enim non intelligimus Lacrymas esse reuera sanguinem, sed aliquid simile sanguini. Vulgatus igitur interpres ita locum totum reddidit: Nos vero Conditori morem gerentes, pro eius in nos collatis beneficiis vbi gratias diximus, oblatis panibus vescimur, qui vtique ex oratione & precibus sanctis *quoddam* corpus conflantur, quod sane sanctiores hos reddit, qui mente integra hoc ipso vtuntur.

Panes non simpliciter fieri corpus illud, quod significatur, sed quoddā corpus, dicit Origenes.

Vtilis etiam est Iurisconsulto. Dicitur Titul. de Legatis 20. Legatum est quædam donatio seu libertas. l. 5. hæred. ff. mandat. Quædam dicitur. Legatum enim non est proprie donatio vel liberalitas, siquidem mortui non agunt ex virtute, teste Aristotele: Non igitur ex liberalitate. Hæc virtus proprie inter viuos viget. Neque quicquam habet commune cum forma donationis, ne quidem cum illa quæ fit morris causa, vt ex titul. de donationib. 5. constat. Singularis igitur est Emphasis in voce Quædam: Quædam donatio, quasi dicatur delibatio Patrimonii, quæ speciem quandam habet liberalitatis, non tamen proprie est liberalitas. l. legatum 36. ff. de legat. 2.

Mortui beneficia non agnoscunt.

Quo.

Quo nonnunquam idem est quod quam ad rem: vt quo facit istud, id est ad quā rem. Sic Iurisconsultus Scæuola: Si duo rei sint stipulandi, & alter alterum hæredem scripsit, videndum, an confundatur obligatio: placet non confundi: quo bonum est hoc dicere, id est, quā ad rem vtile est hoc dicere. Horomannus.

Quodammodo.

Quodāmodo & aliquo pacto paria sunt. Interdū est Nota improprietatis, Barbari dicūt Aliqualiter, (sicut & Aliqualis)

Quorsum.

Quorsum nō semper Loci notationē habet, sed interdū finis: ac idē valet, quod Ad quid: vt Quorsum ista? Quorsū sunt nomina, nisi vt demōstrent voluntatē dicētis? id est, quā ad rē. Quorsum hoc? id est, quid ad rhombum: quid ad rem propositā hoc facit? Quid attinet hoc commemorare?

LITERA

LITERA

R.

RADIVS.

1. RADIVS Scaligero lucis similitudo est, seu lumen exiens, seu species producta à corpore lucido, 1. Solis inprimis; deinde reliquarum etiam stellarum est & astrorum.
2. Tum oculorum, tum marmoris, vt quod fulgeat.
3. In rotis ligna per circumferentiam seu extremitatem extenta radii sunt, Radspeychen. Virg. 6. Æn.

Saxum ingens voluunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent. ——

4. Radius est instrumentum Textorum.
5. Est hostorium, id est, lignum quo mẽsuræ stringuntur seu raduntur & æquantur, Ein Streichholtz.
6. Apud Virg. est genus oblongæ oliuæ, 2. Georg.

Radius forte dictum à figura longiuscula: Estque radius maior vel minor.

7. Radius in Geometria I. est semissis seu dimidium diametri. Est enim Diameter duplicatus Radius. Vid. Geometr. Rotund. lib 1. Thom. Finckii. De hoc intelligatur axioma: Æquantur omnes radii figuræ rotundæ. Æquatio radiorum omnium (nullo excepto) peculiaris est rotundo.
11. Est instrumentum Geodæticum, id est, magnitudinibus metiendis cuiuscunque materiæ aptum. Itaque vere Geometricum. Definitur autem Norma crurum inæqualium: alterius recti metiendæ magnitudini reliqui paralelũ. Crura Radii sunt Index & Transuersarium, quorum terminis dioptræ affixæ sunt. Index est radii crus maius, à cuius termino visus est. Transuersarium est radii crus minus, per cuius terminum visus est. De hoc intelligatur illud Poetæ 3. Eclog.

——— *Ecquis fuit alter*
Descripsit radio totum qui gentibus orbem?

Et hoc eiusdem:

——— *Cœliq; meatus*
Describent radio, & surgentia sidera dicent.

Vergilio igitur Radius aptum instrumentum est non solum metiendæ terræ, sed etiam astris loco ordineque definiendis, cunctisque superlunaris istius ciuitatis regionib. ac viis describendis. Vulgo dicitur Baculus Iacobi, quasi à Sancto illo Patriarcha iam olim inuentus sit. Rami & Thom. Finck. lib. 11. de Geodæsia rectarum. Vocatur & Virga Mathematica, Meßrute. *A puluere & radio* excitare aliquem. Cic.

8. In Opticis φυσικῶς radius tribuitur & oculo & luci colorique, seu omni visibili: vt quod per medium radiet.

Opticis igitur est Radius vel manifestus, vel occultus.

Definitur autem à nonnullis linea recta naturali speciem rei, vnde venit, perferente. L. Schoner.

Radius manifestus præcipue & κατ' ἐξοχὴν radius dicitur, nempe radius corporis luminosi vel lucidi.

Radius Corporis luminosi vel lucidi est lumen huius secundum rectam lineam in puncto temporis ad corpus oppositum delatum, siue hoc corpus sit transparens, id est, quod radios transmittit; siue sit solidum & densum, quod radios à se reuerberat.

Radius incidere dicitur, cum is è luminoso corpore egressus secundum rectam lineam per medium ex omni parte æquale seu homogeneum in instanti in corpus oppositum cadit.

Punctum, in quo radius superficiem corporis oppositi contingit, dicitur punctum incidentiæ.

Radii luminosi non tantum à centro luminosi corporis, sed etiam ab huius quolibet puncto secundum omnem rectam lineam, quæ ab illo puncto ad superficiem oppositam illuminandam duci potest, diffunduntur. Hanc diffusionem optici vocant radii multiplicationem.

Incidentium radiorum alii sunt paralleli, qui in infinitum protracti nulla sui parte concurrunt: alii se inuicem intersecant, per 18. Secundi Euclid.

Radiorum etiam alius est Perpendicularis, aliis Obliquus. Vterque sic dictus à ratione Incidentiæ.

RADIX.

1. Radix Hebræis est vox primum nata vulgo primitiua, cui opponitur flexa seu de prima orta, seu reperta: Ac quod Hebræis Radix est, Græcis est θέμα, Thema. Dicta autem est Radix, quod inde cæteræ voces oriantur. A dictione Hebræa prima per adiectionem fluunt deinde Personæ, numeri, genera, nomina, &c. Tribus ea constat literis radicalibus. Literæ radicales dicuntur, quæ thema seu radicem constituunt, nec vnquam ministerium aliquod sustinent seu in tempore, seu in persona, seu in numero, seu in alio quopiam accidente constituendo. Hæ & essentiales perpetuo dici possum literæ. His opponuntur seruiles, quæ ita dicuntur, quod seruiant tam verbis quam nominibus in constitutione temporum, numerorum, & generum, &c.

2. Mathematicis Arabicis latus numeri figurati æquilateri dicitur Radix: quia æquilaterus à latere producitur, sicut surgit à radice caulis. Latus autem est factor æquilateri, vt 4. figuratus æquilaterus fit à latere 2. per æquale latus 2, siue à 2. per se multiplicato: & hic binarius dicitur latus quaternarii. Radix hæc vocatur etiam Latus Radicale.

Vtrobique Radicis nomen est Metaphoricum.

Extrahere Radicem quadrati: est exquirere latus quadrati: per segmenta sua. Sic extrahere radicem cubicam est inuestigare latus cubi. Atque hoc est quadratum vel cubum πλευρὰν. Vide de Lazarum Schonerum de numero figurato.

Accipitur & Radix Metaphorice pro prima origine & sede, vt cum dicitur à Zabarellæ discipulis præcipua animæ sedes & quasi radix esse in corde, vnde non modo secundum facultates, sed etiam secundum essentiam per totum corpus & quamlibet eius partem diffundatur: *Cum omnis forma Cause* ὁσιώδης *non solum totius, sed cuiuslibet etiam partis fit perfectio.*

Radix Natiuitatis seu Genituræ Astrologis est eius principium.

Radicale est Radicitus infixum, quod & Radicatum dicitur.

Radicale humidum in viuente corpore quod ab ortus initio trahitur. Id ante mor-

mortem nunquam penitus consumitur. Opponitur ei aduentitium, quod est cibale, vt vocant, quod ex alimento generatur.

Radicaliter & radicate interdum à Scholasticis opponuntur, vt illud accipiatur actiue vel absolute; hoc passiue: Pro Radicate etiam dicitur, vt in Radice.

In Physicis Radicaliter seu in Radice opponitur τῷ formaliter & actu, vt in anima rationali seu intellectiua non manet Potentia sensitiua actu & formaliter, sed vt in radice, manent autem actu potentiæ spiritales, quæ in ea recipiuntur, Doctoribus Thomistis.

Oratores Latini dicunt *Radicitus* aliquid tollere. euellere, extrahere; non Radicaliter. Sicut dicunt Stirpitus, funditus tollere, euellere ex animis, non Fundamentaliter. Virtus quæ radices egit, defixa altissimis radicibus, non Radicata, à qua voce physicorum genius non abhorret.

Radicari, quasi fundari.

Radicari in aliquo est figi in eo vt radice, hoc est, vt principio; vt potentia & actus (vt actus imaginandi, appetendi) radicantur in anima & intime ab ea fluunt.

Creatura est bona proprie seu formaliter denominatione interna & radicaliter, denominatione fundamentali & radicali, id est, bonitas creaturæ dependet à bonitate diuina tanquam à fundamento quodam & origine, seu vt ab exemplari principio.

Materia prima naturalis radix corporum naturalium.

Radicari dicuntur Logica, Physica, Mathesis in prima Philosophia, affectiones Entis in existentia, vniuersale in singularibus (Radix disciplinarum prima Philosophia, Radix affectionum entis, existentia.) In materia prima Physica dicuntur radicari & radicata esse omnia corpora reliqua.

Radicatum nonnunquam opponunt Philosophi participato, vt cum Zabarella dicit animam in præcipuo aliquo membro habere esse Radicatum, in reliquis vero Esse Participatum.

RANA.

1. Physicis Ranæ sunt animalcula coaxantia palustria, lutaria & terrestria. De quibus: Tandem rana etiam sat conculcata coaxat, (à coax sono) Generantur non tantum vniuoca (ex ouo ranino) sed etiam æquiuoca seu tralatitia (ex aqua) generatione. Sicut enim mus non semper è parentum semine, sed è quisquiliis in naui: Sic in aere ranæ haud ex ouo, sed ex aqua genitali cælesti rore condensata ac conformata generantur. Et Gesnerus author est temporarias ranas, seu æstiuas, quæ reptant in viis & littorib. Rein frösch lein, nasci ex puluere, imbribus æstiuis madefacto, vnde dicuntur θερινοὶ βάτραχοι. (æstiuæ.)

Ranæ, quæ sunt vniuoca generatione
- Terrestres, vt rubetæ, Laubfrosch.
- Aquaneæ
  - Fluuiales.
  - Palustres.

2. Rana & Ranula morbi bobus familiaris nomen est, Ein geschwulst oder geschwer auff der Zungen.

RANCOR.

Rancor 1. proprie est putor è vetustate,

putredine, corruptione. Fäule / Schemel. Hinc rancidum, putidum garstig, vt:

Non vir is est pauper, in cuius sæpe culina
Murcidus est panis, caro rancida, pendula vina.

2. Recentiores per Metaphoram vsurparũt pro affectione animi, qua aliquis alteri minus acceptus est.

Hinc apud A. Gellium rancidum est pro exoleto & ingrato. Finitio præraucida, Rancida calumnia pro putida contritum & peruulgatum est: sic subrancida. Sub minuit; præ auget. Sic

dar

R A R V M.

Rarum est, cuius partes à se inuicem dissitæ sunt, vt interuenire possit aliquid heterogeneum, vt spongia. Oppo-

nitur ei densum, cuius partes propinquæ & coniunctæ sunt, vt nihil interuenire heterogeneum possit, vt ferrum & aqua. Rarum est quod sub maiuis dimensionibus parum obtinet materiæ: Densum quod sub paruis multum materiæ cohibet. l. 4. Phys. c. 9. Hæc definitio magis situm & positum innuit.

Raritas & Densitas Thomæ Aquinati sunt qualitates tactui subiectæ consequentes corpora ex eo quod multum parumue habeant materiæ sub dimensionibus. Vid. Coll. Con. p. 265. in Phys. & lib. de partibus etiam Arist. inter qualitates tactui subiectas numerat: loquitur autem de iis tantum prout in mundi regione sublunari sunt. Nam etiam quædam raritas & densitas cælestis est. Vide doctrinam Arist. de Iteilis, & Exer. Scal.

Raritas significat { Substantiæ tenuitatem seu subtilitatem. Hæc est de genere Qualitatis.
{ Distantiam partium. Hæc est de categoria situs.

Zabar. l. 1. de visu c. 3. de perspicuo: Albertus notat necessarium quidem esse vt perspicuum habeat materiale Substantiam raram, sed id non sufficit ad perspicuitatem faciendam, sed requiritur etiam subtilitas substantiæ; id est, vult perspicuum non consistere in illa raritate, quæ significat partium distãtiam, sed in ea quæ significat tenuitatem substantiæ. Hæc enim facit perspicuitatem, atque hinc oritur & differentia perspicuorum. Quo enim quid tenuioris est substantiæ, eo magis perspicuum est.

R A T I O.

Λόγος, Ratio, & Logice & Philosophice & Mathematice & Physice accipitur.

Logice argumentum est probabile, necessarium, apparens.

Philosophice conceptus est vel Formalis vel obiectiuus: Et quidem vterque vel simplex vel Complexus.

Formalis est actualis imago seu similitudo rei ab intellectu producta ad rem exprimendam. Definitio est *a tribus*, ex forma, subiecto, efficiente & fine.

Simplex dicitur *Verbum Mentis.*

Complexus dicitur *Ratio Formalis*, vt conceptus definitiuus. Formalis dicitur, quia & repræsentat rem sub ea forma naturaue, secundum quam intelligitur, & est forma accidentalis intellectui inhærens. Exempli causa, Conceptus, qui respondet subiecto huius enuntiati: Homo est animal λογικον, simplex est, qui prædicato complexus adeoque Definitiuus.

Physice Ratio proprie dicta est vel analogice.

Ratio

Ratio proprie dicta Hominis est, vt cum dicitur aliquid præcisum ratione, id est, abstractum, vt commune à suis particularibus; cum dicit Arist l. 2. Phy. tex. 12. Rationem, id est, intellectum cognoscere formam diuersam à materia (vide Zab. p. 24.) seu Rationem separare formam à materia secundum essentiam, non secundum existentiã.

Ratio ἀναλόγως dicta dici solet Particularis, quæ brutis nonnullis tribuitur.

Mathematice Ratio est σχέσις. Vnde existit Analogia seu proportionalitas, quæ est συνεχὴς (continua,) vel διηρημένη.

Huic ἀναλογος est quæ in rebus Physicis, artificiosis, Ethicis & Politicis reperitur, vt æris ad statuam, ligni ad lectum, architecti ad fabrum lignarium vel sutorem, artis ad artificiale, naturæ ad naturale, naturæ ad Deum, magistratus ad gubernatorem. Hinc in definitam, perfectamque, & indefinitam, imperfectamque distingui solet. Illa Mathematica est; Hæc v. g. est conuenientia quædam (analogica) inter Deum & Creaturas. Exemplum pulcrum est Analogiæ seu conuenientiæ Physicarum qualitatum & humanarum voluntatum: Vt in mistis refractę seu quasi retusæ sunt primæ qualitates, indeque exurgit seu erigitur alia qualitas: Ita in societate voluntates singulorum sunt refractæ, indeque insurgit communis voluntas.

ἄλλως.

Ratio 1. accipitur pro ratione formali seu pro forma. Duplex autem est ratio formalis, vna quæ est ex parte subiecti vt res est, vt in subiecto Philosophiæ Physicæ mobilitas dicitur ratio formalis eius; in subiecto Metaphysicæ Entitas. Secunda est ratio formalis subiecti vt obiectum est, & hæc vocatur modus cognoscendi, vt abstractio à materia particulari est ratio obiecti Philosophiæ naturalis vt obiectum est: abstractio ab omni materia sensili seu particulari in vniuersali est ratio formalis in Mathematica, quæ non abstrahit à materia intelligibili. Abstractio vero ab omni materia tam sentili quam intelligibili est ratio formalis obiecti vt obiectum est in Metaphysica. Matth. Aquar. in 6. Metaph. dilucid. 4.

Scal. ex. 1. Ratio rei est forma. Sic Zab. Ratio apud Aristotelem significat formam. Vnum specie sunt ea, quorum ratio est vna, id est, forma vna. Arist. 7. Metaph. Ratio animæ est ratio hominis, id est, ratio hominis ex ratione animæ ducitur. Genus enim & differentia hominis ex diuersis gradibus animæ simul cum materia acceptæ sumuntur. Hic accipit rationem pro definitione, vel conceptu formali seu definitiuo.

2. Pro modo. Scal. ex. 5. s. 7. Modum quãtitatiuum Barbari nostri vocarunt id, quod rationem quantitatis dicere possumus. Non est tamen ratios qua quantitas est: Sed est præscriptio corporeitatis in prædicamento quantitatis, qua aliquid maius in minore non potest esse. Igitur Latine dicas Modũ commensionis. *Ratio est rei modus.*

Canon.

Non potest esse modus sine re, cuius est modus, à qua pendet essentialiter. Existentia est modus rei cuius est, existentia. Itaque re ſuperstite & incolumi semper manet.

3. Pro rerum (vt magnitudinum & numerorum) certa inter se σχέσει, id est, habitudine.

4. Pro vi intellectus, qua discurrimus, id est, cuius effectus est λογισμὸς, vel motione quadam intellectus ad conclusionem. Scal. ex. 167. s. 2.

Ratio Logic. & Metaph.

Ratio, quam significat nomen, est de-

finitio. 4 Metaph.text.com.28.

Verum hoc est in habentibus definitionem. In aliis autem quidem est ratio, sed non definitio. Ratio enim communior est definitione. Itaque ratio nonnunquam est, quod est loco definitionis rei.

Dicitur propria alicuius ratio, & ratio formalis ac quidditatiua, id est, formalis conceptus, vt ratio formalis vnius est indiuisibile seu indiuisum in se esse, Thom. Aq.

Quantitas definiri non potest, sicut nec alia generalissima, quia non habent genus supra se, nec differentiam συςατικὴν, id est, constitutiuam. Iccirco id, per quod Quantitas declaratur seu explicatur, dicitur ratio Quantitatis. Aliud igitur est esse rationem, aliud esse proprietatẽ alicuius, aliud est esse de ratione rei, aliud consequi vt proprietatem, (quæ accidens est) vt principium numeri soncinati non est ratio vnitatis, sed proprietas ipsam consequens.

Ratio eadem est natura ex æquo participata, vt synonyma non tantum habent commune nomen, sed etiam eandem rationem.

Partes eiusdem rationis dicuntur partes eiusdem speciei, vt quælibet pars ligni est lignum, quælibet pars aquæ est aqua.

Partes diuersarum rationum sunt essentiales Materia & Forma: Materia enim potentia est, Forma vero actus.

Partes quantitatiuæ, id est, integrales remota quantitate non habent rationẽ partis. Remota enim forma denominante, remouetur effectus formalis & denominatio à forma.

Motus Angelorum non est Physicus, sed alterius rationis: Remotus est à sensibus & humano captu maior est.

Quodlibet proprium πάθος est vnum cum suo per se subiecto, quod ad existentiam attinet. Nam distinguitur ratione alterum ab altero. Visus & audit⁹ & ratione, id est, quidditate, & subiecto distinguuntur: aliter enim definitur visus, aliter auditus: Et visus est in oculo, auditus in aure.

Commune Nomen est Ratio Menti & Quidditati rerum cognoscendarum. Sed Mens dicitur Ratio Ratiocinans, vt cuius proprium est ratiocinari & discurrere: Quidditas autem quæ liber Ratio est Ratiocinata vel rationabilis, quia Quid est seu Quidditas nobis non innotescit nili ratiocinio.

In materialibus compositum est hoc in hoc, vt simũ 6. Meta.tex. 2. Ideo ipsis quippiam est quod habet rationem materiæ. Quocirca essentia seu quidditas à composito differt ratione ratiocinante solum seu ex natura rei.

Aliud est magnitudo, & magnitudinem esse. Arist.

In simplicibus & à materia secretis quidditas ratione ratiocinante solum ac per purum opus intellectus distinguitur ab eo, cuius est quidditas, quia id non est hoc in hoc veluti simum, sed simplex forma nihil habens, cui conueniat ratio materiæ, velut curuum.

Viuens, essentia viuentis, Esse viuentis re, subiecto, numero sunt vnum & idem, differunt ratione ratiocinata, id est, definitione ac τῷ εἶναι, id est, ipso Esse. Hinc fit vt compositum dici possit animatum, viuere, habere vitam; vita vero dici nequeat animata, viuens, habere vitam, animam.

Ratio

Ratio formalis Entis alicuius
- Cuiuslibet rei
  - Conceptus
    - Proprius & essentialis.
    - Analogicus.
  - Obiectiua, ipsa rei Essentia per mentalem rationem explicata.
- Certarum rerum, Mentalis Definitio adæquate & perfecte naturam explicans, vel Descriptio Proportionata aliquo modo naturam explicans.

Definitio adæquata constat ex Genere & Differentia, vel ex Materia & Forma; Hæc est in rebus finitis & compositis: Descriptio vero est simplicis essentiæ.

Ratio
- Formalis, quæ dicitur definitio Mentalis.
- Obiectiua, id est, res ipsa, quatenus Definitioni respondet (vnde & ratio obiectiua & definitiua dicitur id, quod definitioni respondet. Dicitur forma, vt est natura specifica more Platonis. lib. 8. c. 5. Metaphys. explic. Fons. p. 489.

Constat, si Verbum Naturam humanam posset dimittere, statim hæc haberet propriam subsistentiam, & rationem suppositi & Personæ, licet hanc non habeat vnita verbo; & esset quoad essentiam eadem humanitas, quæ prius erat vnita. Picus in Apolog.

Ratio Mali
- Naturæ
- Moris

Est in priuatione actus
- Primi alioquin debiti.
- Secundi, qui ab eo subiecto remouetur, in quo reperiri debebat.

Ratio in Phys.

Ratio est apprehensio intellectus nostri, vt cum dicimus, hæc differunt & multæ res sunt ratione.
Vel, *Ratio est plurium rerum intellectarum collatio ad rei incertæ cognitionem eruendam.* Hæc definitio brutis conuenire non potest. Differt igitur ab intellectu humano non vt diuersa quædam animæ facultas, sed tantum vt motus à quiete, vt τὸ ζητεῖν ἀπὸ τοῦ ἔχειν (vt inquirere & habere.)
Ratio circa conclusiones potius quam circa principia occupatur: Intellectus potius circa principia.
Ratio quam significat nomen aliquod intellectui nostro est conceptio illa, quam facit mens nostra de re per nomen significata. Aliud seu diuersam rem concipit intellectus noster, cum audit nomen iustitiæ, aliud cum percipit nomen misericordiæ. In Deo igitur iustitia & misericordia dicuntur distingui & multa esse ratione. Hæc ratio cum simplicitate Dei non pugnat; in Deo nihil ponit, sed tantum hæret in nostro intellectu. Ratio, in

qua differunt, nihil aliud est quam conceptio, quam intellectus noster de his perfectionibus diuinis per nomina significatis ex nominibus concipit. Vide Zanch. lib. 1. de Natur. Dei, quæst. 4. qui præclare: Si essentiam Dei, vt se habet, possemus vno intuitu seu vno actu intellectus percipere, non fuisset variis nominibus opus ad eam nobis vtrinque indicandam.

Scaligero Ratio nihil aliud est, quam intellectus motio ad conclusionem, vel ad Electionem, adeo vt λόγος & νοῦς sint apud veteres sicut Filius & Pater in diuinis, & apud Aristotelem νοῦς significet prima principia notissima: λόγος autem essentiam & definitionem & τὸ τί ἐστι. Ex quibus duobus tertium fit quasi Spiritus productus, id est, Scientia ex Conclusione. Vel, Est animæ seu Intellectus vis, quæ mouet se ab effectibus ad causas inuestigandas, & vicissim a causis ad ea, quorum illæ causæ sunt.

Ratio in mente humana, qua superantur affectus, nihil aliud est quam radius quidam, vt ita dicam, primæ illius lucis, sine qua omnia sane merito & dicuntur & sunt tenebræ. Scal. lib. 3. Poet.

Ratio dicitur à Græcis ἡγεμονικὸν, χετικῶς, id est, respectu aliarum facultatum, ab altero eius officio, quia aliarum facultatum directio & gubernatio ei incumbit. Tilenus.

Ratio Arithmet.

In Arithmeticis Ratio est mutuus duorum terminorum respectus: terminorum secundum quantitatem certa inter se habitudo; sicut proportio est similium seu æqualium rationum σχέσις seu habitudo, τῶν λόγων ὁμοιότης, rationum similitudo, Euclid. distinct. 5. τῶν λόγων ἰσότης, rationum æqualitas. Aristotel. lib. 5. cap. 3. Ethicor. seu τῶν λόγων ταυτότης, rationum identitas, R. Salignac. vt Ratio est 3. ad sex: sed proportio est in 3, 6, 9. Item in 2. 4. 8. 16.

Philosophis & Logicis, Rationes aut sunt Communes, aut Propriæ. Communes, quæ multis rebus aptari possunt media: Propriæ, quæ sunt media certæ scientiæ, vt Naturales Physicæ, Mathematicæ Matheseos, Ethicæ Ethices. Communes solent dici etiam Rationes Logicę & Topicæ: Propriæ vero Analyticæ & Demonstratiuę. Sic Zab. lib. 1. de Natur. Logicæ: Vbi medium est pluribus Scientiis commune, ratio quoque communis dicitur, quæ scientiam non parit; Id enim proprium est propriæ rationis.

Ratio Polit.

Ratio, quæ vulgo dicitur anima legis, est causa legis ab ipsius legislatore, vt eo promulgaretur modo, potissimum spectata, exstructa è iuris principiis. l. de quibus 32. de ll. Hæc habet se ad verba, quomodo habet se anima ad corpus. Hæc est vis & potestas legis. Scire leges non est verba earum tenere, sed vim & potestatem. l. scire leg. 17. ff. de LL. Ratio est mens & voluntas legis, id quod sibi lex propositum habuit, propter quod lata est, sine quo lata non esset: Denique quod Lex in iure constituendo consequi voluit, vt ita de causa finali hæc ratio intelligenda sit. *Vbi ratio cessat*, ibi etiam ius cessare debet. Correcta ratione Legis, Lex ipsa quoque correcta videri debet. c. à multis, de ætat. & qualit. c. miramur. de seruand. ord.

Quod ex fauore vel odio constitutum est, finita causa odii vel fauoris tollitur. Quod metu periculi vel pro tem-

poris

potis necessitate conceptum, cessante metu vel necessitate est tollendum. Quia ratio legis fuit fauor personæ, qui vbi non fuerit spectatus, ibi legi locus non erit. l. Quod fauore & l. nulla C. de legib. cap, quod ob 61. de reg. iuris in 6.

Ratio Legis pro mente legis: Legis ratio est mens legis. Dynus in cap. vlt. ad fin. de reg. iur. lib. 6. Baldus l. 1. in prin. ff. si cert. petatur, Ratio est mens & medulla ipsius statuti. Ratio legis pro causa finali legis. Imol.

Ratio est mens legis, est lex ipsa, id est, essentia legis est in mente.

Ratio vitæ
- Prima Esse rei constituit, id est, est vita, est actus substantialis.
- Secunda consistit in operando, & includit eam, per quam calor in humido conseruatur.

Ratio seminalis est forma seminis, quatenus semen, vel substantialis, vel qualitas substantialem seminis forma consequens.

RATIONE.

Hæc vox varie à recentioribus accipitur. Vnde disputationum mirificæ tricæ extiterunt.

Ratione interdum accipitur pro eo quod est κατὰ ΣΧΕΤΙΚΟΝ, id est, pro Secundum, quo proprium determinatur, vt cum quidam dicunt, homo ratione suæ propriæ naturæ personaliter, ratione vero diuinæ naturæ essentialiter Deus est. Iac. And. contra Bez. fol. 53. id est, Homo secundum suum proprium naturam, id est, formaliter & κατὰ ἐαυτὸν consideratus: Homo secundum diuinam naturam. Seu, Christus vt Homo, Christus vt Deus.

At alii dicũt, Caro assumpta vnitaue, seu etiam in assumptione in personam verbi considerata, non *est ratione naturæ* suæ (creatæ) personaliter Deus & omnipotens, id est, in sua ipsius natura seu in sese & secundum sese.

Caro Christi est omnipotens Ratione Verbi, in quo subsistit: Ratione accipe Terminatiue seu restrictiue ad proprium, vt ostendatur κατ' ἄλλο & vi consecutionis excluſiue, vt *Verbum tãtum proprie sit omnipotens.*

Accipitur & Ratione Causaliter seu αἰτιολογικῶς, vt cum dicunt quidam, Caro Christi est omnipræsens Ratione suæ in verbo subsistentiæ, pro eo, quod est: propter & per suam in verbo subsistentiam: seu, quia vnita est Verbo; & Verbo appropriata.

Athan. cont. Arrian. 2. c. 4. Scriptura nõ intelligit substantiam verbi exaltatam, sed ad humanitatem eius hoc spectans, & propter ipsam exaltari dicitur. Cum enim ipsius sit corpus, meritò ipse, vt Homo *ratione* sui corporis humanitas exaltari & accipere meñoratur, &c. id est, quia homo.

Iisdem modis pro *Ratione* accipitur etiam *In*, vt 1. Causaliter, Assumpta caro non est Deus etiam in personæ Verbi vnitate & subsistentia, id est, quia & in quantum vnita est verbo, eiusq; propria facta. Sic Cyrill. ad Oriental. ex 2. Dial. Theodoret. per incarnationis modum & vnionem inseparabilem Caro est caro (id est, manet caro.) Non Diuinitas, etiãsi facta est Dei caro. Similiter Verbum Deus est, non Caro, etiamsi propriam fecit carnem per dispensationem.

2. Terminatiue ad proprium, vt significetur κατ' ἄλλο, Scholast. Quomodo datum est humanitati vt sit Deus Verbum, *In ipsa* scilicet persona Verbi, in qua gestatur: Ita etiam ei datum est, vt sit omnipotens in persona Verbi, in qua habet subsistentiam: Non igitur in sese, sed κατ' ἄλλο, sed Deitatis Verbi respectu.

Bez. Humanitas est Deus non in sese seu ratione sui, sed in Persona verbi, cuius per assumptionem propria facta est; per modum igitur Imputationis.

Ratione differre.

1. Re differunt, quæ non sunt idem subiecto. 2. Quæ discrepant essentia, hoc est, alia habent rationem ab eo, cũ quo & in quo sũt. Sic differt albedo niuis ab albedine cygni, & numerus à re numerata. Illic quidẽ, quia diuersa subiecta; hic vero, quia ratio & essentia diuersa. Ratione aũt, quia vel essẽtia, vel notio alia, vt fundamẽti & σχέσεως, vel etiam quod mens ipsa separet, quæ reapse coniuncta sunt, vt albedinem ab homine albo. Fr. Bonam. 3. de met. c. 25. Ratione differre est differre definitione, ratione significandi. Scal. 973. notione, consideratione.

Axiom. Quæ ratione distinguuntur, diuersas habent definitiones. Rei enim diuersæ definitiones conueniunt pro diuersis eius considerationibus.

Ratione sumi translationem est apta & ad rẽ accommodata sumi & absque catachresi: Ea enim in metaphora solet reperiri vel est Recipiens, vt materia est subiectũ receptiuum omnium formarum substantialium & accidentalium. Re-

prehendi. Hic in voce Ratione est Synecd. generis pro specie.

R A T V M.

1. Scoto est habens verum esse siue essentiæ siue existentiæ, vel cui non repugnat esse verum essentiæ vel existentiæ. Sic ens ratum est, quod non est figmentum. Scot. l. 1. dist. 37.

2. Ens ratum est firmum & stabile.

REACTIO.

Reactio est retributa seu reciprocata patientis actio quædam, qua resistit agenti, (reluctatur aduersus agens) *& id commutat dum ab eo commutatur.* Itaque & agens pati, & patiens agere modo aliquo dicitur. Et repassio est reciprocata passio. Dua cavilla.

Sumũtur tum late, tum stricte. Late cum nullo habito discrimine agentis & patientis vtrumq; dicimus reagere, & vtrumq; repati. Stricte vero seu proprie, cum id, quod in actione principalius est, & vincit, vocatur agens, alterum autem vocatur patiens. Sic enim patienti Reactio, & Agenti Repassio tribuitur. Nam sicut alterum solum vocatur agens, quatenus principalius est: Ita reliquum tanquam debilius vocatur reagens, & vicissim hoc idem vocatur patiens, agens vero principalius patiens potius dicitur, quam patiens. Itaque *Reagere proprie significat secundario agere, & Repati secundario pati.*

Reactio { Φυσικὴ. / Πνευματικὴ, vt in potentia cognoscente.

R E C E P T I V V M,

δεκτικὸν, *Susceptiuum.*

1. Receptiuum est, quod habet vim recipiendi

2. Receptiuum non datur sine receptibili, nec receptibile sine receptiuo.

Explicatio.

Non datur aliquid potens fieri, quin detur etiam agens potens id facere; & viciſſim.

Nihil enim eſt fruſtra in natura.

Oportet receptiuum denudari à natura recepti. Ergo, inquiat aliquis, oportet materiam carere omni forma ſubſtantiali, vt poſſit aliam recipere, nempe formam mixti?

Hic reſpondet Auicenna, Non oportere ipſam denudari ab omni forma vel à toto genere recepti, ſed à natura ſpecifica recepti. Vid. Scot. lib. 2. diſt. 15.

Quicquid eſt per ſe receptiuum, vel per ſe ratio recipiendi formam ſubſtantialem, eſt de Subſtantia compoſiti. Scot. lib. 2. diſt. 15. Materia igitur eſt de eſſentia compoſiti Subſtantialis, non accidens.

Effatum.

Receptiuum eſt in eodem genere, ſeu eſt eiuſdem generis cum recepto.

Cenſura.

Hoc effatum eſt fallax: Nam eſſentia animæ eſt immediatum principium (id eſt, cauſa) & proximum receptiuum, (id eſt, ſubiectum) potentiarum: Et tamen non ſunt potentiæ in eodem genere cum eſſentia animæ, Thomas enim Aq. potentias animæ non collocat in Categoria Subſtantiæ, ſed Qualitatis ſecundę ſpec. Idem faciunt Simplicius & Damaſcenus in Logica ſua.

Vſus.

Aiunt nonnulli; Idem ſimplex non poteſt eſſe principium diuerſarum operationum.

Hoc falſum eſſe ex eo probatur, quod animæ ſubſtantia eſt immediatum Receptiuum trium potentiarum, ſicut & in anima eſt virtus producens potentias. *Fluere enim ab eſſentia attribuitur virtuti actiuæ eſſentiæ.*

Quicquid recipit, qua recipit, prodit imperfectionem ſeu defectum quēdam, vel in οὐσίᾳ ſua, vel in δυνάμει, vel in ἐνεργείᾳ. Deus igitur nihil in ſe recipit.

Recipi per modum tranſeuntis aliquid, eſt recipi per modum dependentiæ, quia quod ita productum eſt, dependet in Eſſe & conſeruari, vt lumen in aere, & illuſtratio ſeu ſplendor, quo mox ab exortu ſpirituum à cerebro cunctæ partes illuſtrantur in neruis & arteriis: Calor vero, qui communicatur à corde partibus, recipitur *per modum permanentis*, manet enim ablata cauſa; licet propter deceſſionem quotidianam egeamus perpetuo cordis influxu.

RECESSVS *à natura.*

Receſſus ſeu ſeparatio à natura. 1. Significat amiſſionem formæ ſubſtantialis.

2. Significat receſſum ſecundum aliquem gradū à qualitatibus naturam rei conſequentibus, quæ dici ſolent Eſſentiales & Naturales. Sic aqua dicitur recedere à natura, quatenus aliquantum recedit à ſuis naturalibus qualitatibus, quas habebat, quatenus erat mixtum quoddam.

Recedit res à sua natura per
- Qualitates sibi contrarias: vt in imperfecta putredine.
- Amissionem formæ misti, vt in perfecta Putredine, quæ est corruptio totius Substantiæ.

Recessus igitur à natura est maior, vel minor. Maior, vt cum mutatio fit secundum substantiam: Minor, cum in accidentibus. Vid. Zabarell lib. 2. de Generat. & Interit. mixti cap. vlt.

Totius] Quia vltima forma destruitur, quæ dat rei esse specificum, etsi materia relinquitur.

RECIDIVA.

Recidiua proprie est morbi iam soluti & vtcunque terminati ad eundem relapsus; Est cum sua radice idem morbus vnitate causæ formalis & materialis.

Ii morbi recidiuam faciunt, qui ad sensum extincti videntur, apparente solum ex morbo præterito Symptomate aliquo, quod morbosam dispositionem supereſſe adhuc significat.

Estque Legitima vel Spuria.

Intelligere recidiuam non semper vno eodemque modo fieri, sed aliquando manentibus morbi & causæ simul reliquiis. (Hæc legitima recidiua est) Nonnunquam vero euacuata tota materia, & solum relicta forma, aut contra superstite materiæ aliqua portione. (Hæc illegitima recidiua est.)

Improprie Recidiuæ nomine comprehenduntur Morbi Redeuntes seu Recurrentes seu Reuersiui, qui dicuntur ita, cum peruenit ægrotus ad morbi imminutionem, manente & iterum crescente eodem morbo.

Transfertur à Scholasticis Theologis ad vitia cum dicitur, Recidiua peccati.

Pro Barbaro Recidiuare dices Relabi, vt in malum, vt in peccatum.

RECORDATIO
Reminiscentia.

Recordatio opera intellectus species recolentis. Seu, Recognitio rei, quam homo oblitus est; Oblitus quidem propter simulacri idem repræsentantis amissionem, quia in cerebro euanuit.

Recognitio per simulacri amissi instaurationem, quæ fit discursu ab vno principio noto ad aliud ignotum & consideratione circumstantiarum temporis præsentis, quo per sensum vel per intellectum res cognita est, vel similium & affinium, vel contrariorum.

Reminiscentia disquisitio rectarum specierum, amotio importunarum, digestio obturbatarum. Hæc facit vt intellectus sibi præsens sit.

RECTVM.

1. Rectum conuenit & Vero & Bono & Perfecto: Estque quod vitiositatis & prauitatis expers est. Oppon. Distortum, Obliquum.
2. Rectum est Summum, Deus.
3. Vel Inferius à Deo constitutum. Hæc Distinctio est Scaligeri Exer. 249. sect. 3. Vbi summum rectum absolute καθ' ἐξοχὴν dicit, Rectum αὐτὸ ὀρθὸν, Plat. ipsum rectum. Ad Inferius pertinet Rectum in Ethicis, quod est consentiens virtuti, vt arti, scientiæ, prudentiæ; & hoc axioma Scaligeri: *In vnaquaque actione vnum tantum rectum est.* Idq; à Recto, id est, à Summo Recto, Deo ipso, constitutum; Is illius est Regula & Mensura.
4. In Geometria Rectum opponitur Obli-

Obliquo & Curuo. Veritas vnica est, & huius assequendæ via certa & determinata velut linea recta vnica specie est, obliquæ vero multæ & indeterminatæ. Barth. Viott. in l. 1. de Demonst. Sic Græci καλ' ὀρθὸν πλεῖν, rectum tenere cursum, cui opponitur, Obliquare, Virg.

5. In Ethicis Ciceronis Rectum officium seu recte factum accipitur per Excellentiam (Synecdoch. pro perfecto officio, quod Græci vocant κατόρθωμα. Si verbum verbo reddere, velles, diceres: Quod secundum Rectum, id est, secundum virtutem factum est, à verbo κατορθόω quod cum virtute vel excellenter facere aliquid significat. Ei opponitur officium inchoatum seu medium, cuius, cur recte factum sit, probabilis redditur ratio, Græc. καθῆκον. Hoc non habet omnes numeros, vt Stoici loquuntur.

6. Rectum Substantiue seu Rectitudo est recta ratio. Græc ὀρθότης? vt, vitæ, morum, ratiocinationum, locutionũ rectitudo: Rectum in vita, in moribus, &c. Recta ratio quasi forma est seu tanquam differentia formalis actionum. Scal. ex. 307. s. 27. Rectæ ratiocinationi opponitur mentis διεστραμμένος λογισμός.

7. Rectum idem est quod verum per Synecd. quia quod verum, est, semper rectum est: ὀρθὸν ἡ ἀλήθεια ἀεί, Quo fit, vt quod Plato dixit, ὀρθότερον ἐστὶ λέγειν, Cicero verterit, Dictu verius & melius.

8. Rectum iudicium mentis est dictamen rectæ rationis, quod congruit cum norma æterna & immota, quæ est in mente diuina, patefacta in Decalogo: Vel est Dictamen rectæ rationis, quod est Lex Naturæ, & aliæ leges congruentes cum eo & Lege diuina. In Epitom. Moral. Phil. Melanch.

Rectam rationem I. Lipsius definit lib. 1. Constant. cap. 4. De rebus humanis diuinisque, quatenus eæ ad nos spectãt, verum iudicium ac sensus.

Recta ratio subordinata est Legi Dei: Hęc illius norma & mensura est.

9. *Rectitudo est Absoluta*, vt Dei: *vel Deo Proportionata*, vt creaturæ; Eaque *est Formalis vel Accidentalis.*

Vsus.

In dicto Genes. 1. 31. Deus vidit omnia, quæ fecit, & erant valde bona, omnibus rebus à Deo creatis, Bonitas tribuitur. Qua significatione? Resp. Bonum ibi significat Rectitudinem Formalem, seu naturalem, seu natiuam. D. Pareus libro de Grat. hominis primi.

Collatio cum Græca Lingua.

In Greca Lingua ὀρθὸν specialius est quam εὐθύ. Ὀρθὸν enim est in altum erectum (ὀρθὴ γραμμὴ, linea erecta: Εὐθὺ præter hoc etiam est quod est porrectum seu extensum in longitudinem:



Rectum autem in Lingua Latina tam est id quod in altum recte vergit (sursum spectans) quam id, quod in longum porrectum extenditur, τὸ μὴ ἐλικοειδὲς, μηδὲ ἔχόν τινα σκολιότητα ἄν τε ἰσόμυον ἢ ἄν τε κείμενον, Es stehe in der Höhe/ oder lige. Ita Rectum opponitur non solum τῷ ἐλικοειδεῖ, tortuoso, intorto, & σκολιῷ, id est, obliquo, flexuoso, prauo, (Sic Ciceroni Contorquere est oratione non recta, sed tortuosa vti, quo genere plerunque solebant suas argumentationes Stoici contexere) sed etiam iacenti.

Veruntamen Scaliger Rectum ab Erecto doctrinæ gratia distinguit, &

Recta est, cuius partes tenorem extremorum non egrediuntur.

interpretatur vocem ὀρθὴν erectam: vocem vero εὐθεῖαν Rectam. Rectæ, inquit, (lineæ) ratio est à partibus, ne extremorum rationem egrediantur. Erectæ autem ratio est à situ & relatione vniuersitatis; cuius scilicet partes extremę non egrediuntur lineam mũdi perpendicularem. Ita etiam curuus stylus potest erectus esse, & stylus rectus iacens. Opponitur enim recto obliquum: Erecto autem iacens. Iccirco dicimus in definitione Erecti, cuius extremæ partes non exeunt lineam mundi perpendicularem, quoniam etiam curua erecta esse possunt. Vere autem erectum sic intelligas: Nam nutans licet non sit iacens non tamen vere erectus est, sed est, vt aiunt, in fieri. Definitiones autem sunt rerum perfectarum. Hæc Scal. l. 4. de caus. l. 1. cap. 80.

Rectum relatum ad rectum dicitur ei cõforme.

De vocabulo REDARGVITIO.

Quæsitũ est ex nobis à doctissimo & prudentissimo Hieronymo Herfardt ciue Magdeburgensi per Epistolam de voce Redarguitionis, qua de controuersia ipsi fuit cum aduocato quodam in eadem Repub. an sit Latina? Hic respondimus, Redargutionem dici ex vsu, Regula & analogia, non autem Redarguitionem. Quod ad vsum attinet, is est & Theologorum, & Ictorum, & Dialecticorum, & Philologorum. E Philosophis & Logicis est tanquam vnus pro multis Raph. Volaterranus, qui Elenchos Aristotelis vertit, eosque nominat Redargutiones. Verba eius sunt in Isag. in 1. lib. Elench. Aristotelis, hæc quinque sunt genera disputationum, quorum causa fit syllogismus sophisticus, Redargutio (id est, Reprehensio) Falsum, Opinabile, Solœcismus, Nugatio. Adde quod Eras. Roter. Theologi Tigurini, Iunius cum Tremellio & Beza locum 2. Cor. 3. ita conuersum habent: Omnis Scriptura est vtilis ad Redargutionem.

2. Quod ad regulam attinet, ea est, Verbalia in io deriuantur à Supino in u, à fruitu fruitio, à redarguru Redargutio.

3. De analogia, sicut ab exacutu est exacutio, à diminutu diminutio, ab euolutu euolutio, à constitutu constitutio, à munitu munitio, à monito monitio, ab ablutu ablutio, ab acutu acumen, non acuimen: ita à redargutu est redargutio.

Sed obiicitur 1.

A Sputu est spuitio, ab exsputu exspuitio sanguinis apud Plinium: A lutu luitio (Sic ICti dicunt Reluitionem pignoris) à tutum vel tutu est Tuitio; Ita quoque à Redargutu est Redarguitio.

Resp. Hic negamus Cõparationis protasin: Nam spuitio & espuitio sunt à supinis spuitu & exspuitu; Luitio & Reluitio Ictorum à luitu & reluitu, Tuitio à tuitu: Sicut participium Ruiturus (*Viderat at contra ruiturum nubibus imbrem*, apud Sabinum) non est à rutu, sed ruitu.

2. Obiicitur. Dicitur à Sallustio: Arguiturus. Ergo etiam recte dicitur arguitio, Redarguitio.

Res. Hoc minime sequi; Nam etsi interdum participio in Rus inferatur I, tamen id non fit in verbalibus. Sic Poeta: *Dextera quam victrix tum pariturа fuit.* Vt igitur à Latinis dicitur oriturus (pro Orturus) Pariturus; (pro Parturus) & tamen dicitur ortus, (non oritus) Partus: (non paritus) Ita à Sallustio dicitur Arguiturus; & tamen

men dicitur Redargutio, non Redarguitio.

3. Obiicitur: Forte vt à supino Fautu est Fauitor apud Plautum: ita esse potest à Redargutu Redarguitio.

Resp. Nulla hic prorsus est analogia, Nam fauitor pro fautor est à fauitu, non à fautu, vnde fautor.

4. Fortassis dixerit quispiam, τὸ Redarguitio est à supino Redarguitu.

Resp. per inficiationem: Vt Redarguitum & Redarguitu vix approbat vsus: Sic & Redarguitio.

REDVCO.

Reducere notat motum, ait Scal. de caus. L.L.c.80.l.4.

Reduci ad causas per se euentus fortuitos 1. est eos referri ad causas certas & definitas, vt ad Deum, ad Angelos bonos vel malos, ad temperamentum, ad inclinationes naturales, ad mores, ad materiæ fluxibilitatem.

2. Est eos coniungi effectui per se alicuius causæ.

In nullo genere Causarum potest per accidens esse primum: Itaque Casus & fortuna reducuntur ad causas per se agentes, scilicet ad Naturam & Intentionem seu Propositum. Scotus lib.1.dist.2.

Sic Suaretz. Non necesse est, vt omnis effectus, qualiscunque sit, habeat causam per se, sed satis est vt coniungatur effectui per se alicuius causæ, & hoc sensu intelligendum est cum dicitur: Reduci ad causam per se.

Sic reprehendit Scaliger Grammaticos male Definientes Casum.

Quod ad aliquid reducitur, non est idem cum eo.

Casus reducuntur ad declinationes tanquam ad capita.

E. casus non est declinatio nominis 4. lib. de caus. l.l.c.80.

Geometræ voce Reductionis etiam vtuntur pro Translatione. Reducere enim vnum problema vel Theorema ad aliud est transferre ad aliud, quo cognito & percepto comparatoque, etiam id, quod primo propositum est, fit manifestum: vt quando duplicationem cubi inuestigant, quæstionem huius propositionis ad aliam propositionem, quæ hanc sequitur, transtulerunt, nempe Inuenire duas medias rectas proportionales, & quod restabat, inuestigarunt: qua ratione datis duabus rectis duæ mediæ inueniri possint proportionales.

REDVPLICATIO.

Reduplicatio est quædam conditio posita in propositione reddens rationem, qua prædicatum attribuitur Subiecto, vt Qua, καθ' ὅ, Quatenus.

Est que nota { Principii & Causæ { Materialis, Homo, qua Compositus è contrariis, est φθαρτός.
Formalis: Homo, qua habet animam rationalem, est imago Dei.
Efficientis, Mauritius, qua Wilhelmi filius, est eius hæres.
Finalis; Homo, qua ad beatitudinem est destinatus, est immortalis.
Accidentis, Homo, qua coloratus, est visibilis.
Suppositi: Socrates, qua Socrates, est individuum.

Effecta, vt Cessio Diaboli, Sanatio ægroti, tribuuntur nomini Christi, non qua nomen, sed qua inuocatum. Hierom. in vita Hilarionis ait Hilarionem profligasse dæmonas nomine Iesu inuocato. Orig. lib. 1. cont. Celsum: Dæmones cesserunt ad solum nomen Christi inuocatum. Et lib. 3. ait ægros sanari inuocato super eos vniuersorum Deo.

Crux Christi, quain mente sanati, magnam habet efficaciam. Chrysost. hom. 55. in Matth. Crucem non simpliciter digito in corpore, sed magna profecto fide in mente formare oportet.

Perspectiua considerat lucem non quatenus est Mathematica, sed quatenus est naturalis. Vid. Zab. c. 12. de Trib. præcog.

Sic cum dicũt Auer. & Ioh. Gramm. Formam, quatenus est Forma quanta, augeri; particula *quatenus* denotat conditionem materialem ipsi formæ necessariam & sine qua non. Sola enim forma anima vegetans, quatenus est anima vegetans, est ratio cur corpora sint augmentabilia: Sed hoc non præstat, nisi per materiam quantam extensa sit.

Anima vegetio forma. Illa augmentabilia. Quantum quidditio materiæ.

Reduplicatio fit terminorum Syncategorematicorum, Qua, Quatenus, secundum, additione ad propositionem { Proprie: termini in eadem propositione repetitio, { Eiusdem. Synonymi.
Improprie.

Reduplicatiua propositio.

Reduplicatiua propositio nonnullis latius significat, nonnullis strictius. Latius accipiunt Philoponus & Simplicius, vt sit propositio, in qua idem terminus iteratur: & Reduplicatio sit eiusdem termini in eadem propositione, repetitio, vt: Homo qua homo, &c. Strictius Albertus in priore c. 38. vt sit propositio, in qua medius terminus super extremũ repetitur, vt causam inhærẽtiæ prædicati in subiecto indicet. Respicit autẽ hac descriptione vsum Syllogisticum, & voce causæ intelligit rationem, siue sit medium consequẽtiæ, videlicet ratio, tantum & extremis natura posterior, siue essendi simul & cõsequendi, nec non extremis natura prior. Porro repetitio medio termini fit additione terminorum Syncategorematicorũ. Quatenus, prout, Qua, secundum quod, ἧ καθ' ὅ, inter quos termi-

minos

minos Simonius nullum facit discrimen, sed Simplicius statuit ita inter se differre, quod Quatenus indicet prædicatū esse aliquā subiecti affectionē propriā, vt: Animal qua animal sentit: Secundum vero quod, non esse aliud prædicatum, quam subiecti essentiam constitens aliquid: vt; Homo, qua homo, est animal. Itaq; hæc propositio. Aristoteli vera est, Homo secundum quod homo, est ζελαστικὸς: Sed Simplicio est falsa; vt qui cēseat καθ' ὁ significare duntaxat prædicatum, q essentiā subiecti cōstituat, quemadmodū ἦ seu Quatenus affectionem, quæ cum subiecto in prędicatione conuertatur.

Reduplicatio ex præcepto Aristotelis ad maius extremū addi debet, sed q reduplicatur est ipsum subiectū. Subiectū aūt repetitur aliquando eodem termino: aliquando voce, quæ vel integram causam seu rationem, vel aliquid rationis talis suppositionis afferat, vt nimirum subiectum cum illa adsignificetur & subintelligatur, vt sanum quatenus bonum est scibile. Hircoceruus quatenus est non ens est opinabilis. Neq; vero cum terminus repetitur in propositione reduplicante plane est ταυτολογία, sed eiusdē repetitio. Nam priori loco positum respicit suppositā, repetitum vero cum particula reduplicante rationem duntaxat suppositionis significat. Species earum tot sunt, quot causæ ὅλος γὰρ τὸ καθ' ὃ ἰσαχῶς καὶ τὸ αἴτιον ὑπάρξει, ait Aristoteles 5. Metaph. cap. 18. Causa autē duplex est. Aut illationis duntaxat; seu Inferendi, aut essendi & inferendi simul. Causam inferendi duntaxat voco externam: Inferendi & essendi simul internam. Causa interna (Græce ἐνυπάρχουσα) subiecto eadem est & ratione sui & nostri: vt Homo quatenus est homo est docilis: vel ratione sui tātum, & hæc est vel integra definitio: vt; Homo quatenus animal rationale est, docilis est. Homo est caducus, seu mutationi obnoxius, quatenus constat è materia: vel pars definitionis formalis, vt: Homo est ζελαστικὸς quatenus est λογικὸς. Externæ causæ sunt efficiens & finis, quæ sunt illationis tantum causæ, præsertim in substantiis iam consistentibus & in accidentibus quoq;, cum maioris termini duntaxat causa sunt, non item subiecti, vt cum dicitur, Socrates interiit, quatenus venenum bibit. Bellum gerendum, quatenus pace frui tandem volumus. Quod si efficiens causa affectionis quæ extra essentiam est, sit etiam subiecti aliqua causa, tum essentialis & interna dicitur, atque vocatur forma & essentiæ causa ab Eustratio 6. Eth. cap. 1. Ad hunc modum externarum causarum fatum reuocantur illa reduplicata, quę à materia sumuntur, materia inquam, non quæ vt compositi vel definiti pars accipitur, sed quæ subiecta vocatur, & vt posterior est ipso composito, vt, Æthiops est albus dentes. Homo est albus quatenus habet corpus. Verba Aristotelis in prima Philosophia sunt, καθ' ὁ multipliciter dicitur: vno modo, forma & substantia vniuscuiusq; rei (intellige id secundum formalia prædicata, siue à genere, siue à differentia sumantur, ambo enim οὐσίαν rei constituunt) Altero, in quo primum fieri stituunt) Altero, in quo primum fieri aptum est, vt color in superficie tanquam primo eius subiecto. Etsi autem Aristoteles neq; specificatorum, neq; reduplicatorū, prout hæc ab illis differunt, uspiam meminerit, tamen prior modus Reduplicatiuus nomine genedistinguitur, quod in primo non affe-
ris, secundus specificatiuus dici potest; sed primus modus à secūdo non ideo ratur causa, in secundo cōtra afferatur, sed ideo potius, q termimus specificās non relinquit subiectum, cui apponitur, in sua formali supponēdi ratione absolute atq; interne accepta, sed ipsā

restringit,proindeq; non potest ex eo propositio vniuersalis absoluta extundi. Neque enim valet: Æthiops est albus secundum dentes,& omnis Æthiops est albus. Homo est albus quatenus habet corpus. Ergo omnis homo est albus. Canis latrat quatenus furem intuetur. Ergo omnis canis latrat. Ens est subiectum primæ Philosophiæ prout ens. Omne igitur ens subiectum est primæ Philosophiæ. Quapropter modificatæ potius,quia rem duntaxat denominatã designant quam reduplicatæ seu causales, id est, causam afferentes istiusmodi propositiones à Scholasticis nonnullis appellantur. Audiatur Caietan⁹ in p. parte sum. quæst. 52. art. 1. Secundum quod dupliciter sumi potest,primo vt denotat rem denominatam tantum, vt, cum dicitur Socrates est albus secundum dentes. Altero, vt causam designat seu radicem, vt cũ dicitur : Homo secundum quod rationalis est,est artifex. Quanquam nõ inficier tales posse etiam causales vocari. Nam & accidens à subiecto in genere causæ materialis pendet,& efficiens ac finis dicuntur esse causæ, quam etiam causæ rationem subiectũ respectu scientiæ,cuius est subiectum,gerit. Hæc est causa , cur eiusmodi propositiones sæpe confundãtur, vt videlicet vna eademq; propositio respectu subiecti specificans & reduplicans nominari possit , prout videlicet supponendi ratio non accipitur eadem,sed alia. Quomodo hæc: Homo qua homo est animal: causalis vocatur ? Respond. Qnia animal non inest homini per naturam animalis absolute: Sic namq; omne animal esset homo, sed per naturam hominis, quoniam determinatio generis ad speciem fit per differentiam acceptam à propria speciei forma. Cur ista, Animal quatenus animal est substantia , à Thoma vocatur Reduplicans? Resp. Quia in subiecto includitur id , quod est causa talis inhærentiæ. Hæc de Reduplicationis sententia est Simonis Simonii Lucensis Medici & Philosophi,cuius distinctionem subiicio.

- Reduplicatio
  - Proprie dicta,primaria.
  - Improprie dicta
    - Media seu secundaria.
    - Infima.
- Reduplicatiua propositio
  - Interna.
  - Externa.

Explicatio.

Proprie reduplicatio illa est,in qua vel subiectum synonymum vel definitio subiecti vel forma eius repetitur. Minus propie dicitur, cum quippiã repetitur quod non sic ad subiectum expresse pertinet. Prima igitur reduplicationis Species quasi analogatum sic definitur, vt sit illa,qua causa affertur prædicati,quod per se primo inest,vt Homo, qua homo docilis est. Homo vt anima intelligente præditus docilis est. Hæc maxime digna est reduplicationis titulo, quia repetitur ipsum subiectum, vel id quod est definitio ac essentia subiecti. Secunda reduplicationis internæ species ipsa quoque affert causam prędicati,quod per se tantũ nõ etiam primo insit subiecto,vt Homo, qua-

Causa immediata & adæquata.

quatenus animal, sentit: quanquam enim sensus primo inest animali, non tamen primo inest homini.

Hæc species non constituit prædicationem primam, sed per se tantum, in qua videlicet prædicatum in subiecto quidem causam habet, sed non adæquatam subiecto: vt illa prioris speciei, Homo, qua homo, docilis est.

Tertia & infirma reduplicationis species ipsa quoque causam affert & subiectum adsignificat, sed non quæ primo aut sic per se subiecto accidat.

Hic Simonius quatenus ipsum explicat. Αὐτὸ ipsum, inquiens, accipitur vel pro omni eo quod actualiter & formaliter res esse dicitur, vel pro eo tantum, quo formaliter à cæteris res differt: Et particula ᾗ seu quatenus vel in genere designat causam cur prædicatum insit huic: vel causam adæquatam qua prædicatio dicatur inesse simpliciter. Prior acceptio magis impropria est, posterior magis propria. Priori modo accepta particula ipsum tam genus prædi ati. Quatenus ipsum quamuis non prædicetur ἀντιστρόφως (reciproce) quam definitio, differentia, affectio propria de specie vel subiecto. At si secundo modo vsurpetur genus non plane dicitur prædicati quatenus ipsum. Nam differentia specifica, quã significat reduplicatio Synonymo addita non est adæquata ratio cur genus insit, quemadmodum adæquata ratio est cur ipsamet insit affectio Synonymi propria. Liquet hoc, quia genus extra talem differentiam specificam quoq; inuenitur & multa inferioribus conueniunt per se ratione superiorum, quę tamen non conueniunt inferiori ratione illius, quo differt ab aliis. Vnde ista, Homo, quatenus homo, habet sensum tactus, est, quia ipsum, sed nõ secundo modo, proindeque non conuertitur. Ergo quicquid inest alicui ratione suæ definitionis, id est, partis suæ definitionis, inest omne, quia ipsum: sed non omne proprie, quia ipsum, id est, secundo modo. At si insit ratione suæ definitionis, id est, ratione omnium suarum partium simul vel formæ, vere, id est, proprie quatenus ipsum inesse dicitur, & cõuerti: proprie, inquã, quia non excedit illud, cui inest. (Proprie est idem, quod conuertibiliter.) Thomas Aquin. 2. contra Gentes c. 13.

Quapropter ab Aristotele vocatur prædicatum primo, quia nimirum nulli alii prius inest, quod formaliter à suo priori subiecto differat, id est, formalem habeat conceptum differentem. Sic tam ista est prædicatio primo, Homo quatenus est animal rationale est γελαστικὸς, & hæc, Homo quatenus rationalis est γελαστικὸς, quam illa, Homo quatenus homo est γελαστικὸς. Atque hæc de distinctione duplicis prædicati vniuersalis quam fortasse significarit Aristoteles duplici definitione vniuersalis: vna videlicet latiori & quę tam primum, quam secundum modũ dicendi per se complectitur præmissis demonstrationis conueniens.

Altera presstiori, quę conclusioni demonstrationis duntaxat accommodata est, & secundum modum dicendi per se magis respicere videtur, Aristotelem autem prædicatũ proprie. Quia ipsum censuisse, illud esse quod primo & conuertibiliter inest, liquet ex illis verbis cap. 5. in quibus quod antea vocauerat vniuersale, & quia ipsum nominat primum & conuertibile. Dico autem primum, &c. Istud igitur non est καθόλου primum seu immediatum, vt ab Aristotele definitur, Socrates est discipli-

næ seu doctrinæ capax, quia prædicatum excedit subiectum, etsi detur esse, quia ipsum seu per se: ita ista, Socrates est homo, & similes. Hæc de Reduplicatiuis doctrina est Simoniana.

Schegkiana doctrina hæc est è Scholasticis; Limitatio seu determinatio prædi-

cati respectu subiecti principalis triplex est: Vna est, cum de subiecto prędicatur aliquid, quia ipsum: Vt si de bono prædicatur, quod eius scientia quædam sit, quia bonum: Aut si de Christo, quod in æternum sit regnaturus, quia Christus. Hanc limitationem Græci vocant ἀναδίπλωσιν: vulgo in scholis nominant Reduplicatiuam. Claudius Alberius vocat conduplicationem. Altera est αἰτιολογικὴ, vt qua intelligitur ac exprimitur causa, quæ sit aliud quiddam, quam subiectum, propter quam prædicatum insit subiecto. Eam suo modo Scholastici appellant speciuocam, propter εἶδος nimirũ causæ, vt cum dico Thragelaphus, quia nihil est, scientia nõ comprehenditur: Christus, qa humanitate præditus est, est creatura. Latine dicitur causalis.

Tertia species limitationis est diminuens seu distrahens, quæ etiam vocatur Synecdochica, vt si immortale prædicetur de homine secundum animam: si dicatur Christus secundum humanitatem est creatura: secundum vel propter huuanitatem est particeps perfectionis.

Limitans igitur terminus significat vel immediationem, seu negationem causæ, vel causam attributionis, vel partem. Nota de his tres Regulas cum de Christo agitur: Prima. Cum aliquid de Christo enunciatur, quia ipse, id est, cum limitatur prędicatũ κῇ ἀναδίπλωσιν, hoc est reduplicatiue, necesse est, vt prædicatum illud simpliciter etiam & vere efferatur de subiecto, non minus atq; compositum & limitatum prædicatũ vere dicitur: vt de Christo, quia Christus, vere dicitur, quod sit iudex viuorum & mortuorum, quod potestas ei data sit omnium. Itaq; hæc prædicata vere quoq; de Christo, vt subiecto enunciabuntur simpliciter. Secunda regula si vera fuerit limitatio specifica, non necesse est etiam semper prædicatum simpliciter vere de subiecto enũciari, vt verum quidem est hominem, quia nimium bibit, esse ebrium, sed id circo non necessario verum est: Homo est ebrius: quia contingit hoc esse verum. Tertia in limitatione diminuente prædicata quasi Synecdochice de subiecto prædicantur, quia de parte tãtum, vel toto secundum partem intelliguntur. Sic de Christo prædicatur mortalitas.

In exemplis etiã dissensio est inter Schegkium & Simonium. Nam, vt vnũ tantum afferam Schegkius affirmat in hac Christus, qua homo est creatura, particulam Qua, magis personam Christi seu hypostasin naturæ humanę significare quam naturam. Ideoq; eam esse falsam. Sed Simonius contendit particula Qua nõ significari hypostasin, sed Naturam, & adducit pro se Thomam Aquinatem ex 3. parte summæ q. 6. art. 10. Nomen sic acceptum in Reduplicatione magis proprie pro natura tenetur, quam pro supposito & iccirco cõcedenda magis est illa quam neganda: Christus qua homo est creatura. Ego assentior Aquinati & Simonio & propter humanitatem (non ἁπλῶς) Christum creaturam recte dici affirmo.

Reduplicatione sæpe soluuntur contradictiones. Et ea est vis reduplicationis, vt per & propter eam vim vni eidemq; contraria conuenire dicantur, diuerso modo, vt: Ille motus, qui animali naturalis est, quatenus est animal, est ei violentus alio modo, ratione elementi ὑπερατοῦντος (prædominantis.) Habet enim animal duo motus principia, Animam & Elementum prædominãs. Quæ ad motus contra nos inclinant, vnde existit labor & defatigatio in motu progressiuo animalis, propter grauitatem terræ dominantis, trahentem animam deorsum.

REFLECTI,
REFLEXIO,

RE-

REFLEXVS.

Reflecti 1. proprie est vel rursus seu iterum flecti, vel retro flecti.

2. Translate est reuocari, reprimi, sedari, cui opponitur incitari. Sic Cicero vsurpauit. Vide Nizol.

3. Tralatitium etiam est, quod Physici Reflexionem intellectui tribuunt. Reflexio enim Intellectus eis est, cum postquam intellectus concepit rem aliquã, rursus concipit se concepisse eam, & considerat ac metitur, qua certitudine & modo illam cognouerit, &, si opus fuerit, iterum atq; iterum conuertit se seu reuertitur ad se & ad actus suos (Hoc dicunt Scholastici Reflecti supra actus ipsos reflexos.) Quod argumento est, Intellectum esse diuinum & immaterialem. Breuiter, Reflexio intellectus est intima actio, qua recognoscit tum se ipsum, tum suos actus & suas species.

Intellectus reflecti.

Itaque Reflecti mataphorice etiam tribuitur motui mentis, quo mens quasi in se redit. Aliud est intelligere rẽ, & aliud intelligere ipsam intẽtionẽ intellectã, (id est, similitudinẽ acceptã in intellectu, de re intellecta, q̃ verba exteriora significant) quod Intellectus facit dum supra opus suum reflectitur.

4. In opticis Reflecti est quasi curuari vel resultare, & tribuitur Radio, & Reflexio Radii est eius ἀνάκλασις (quæ tamen vox Aristoteli generalis est ad reflexionem & refractionem) & resultatio seu reuerberatio alio.

Radius reflecti dicitur, quando in corpus solidũ vel densum, vel simile, vt in vaporem reflexioni aptum incidit, & ab eius corporis superficie versus corpus luminosum, cum ipsi per corpus oppositum non pateat transitus, reuerbetatur: In qua Reflexione Radius perpendicularis, siue hic in planam, siue in conuexam superficiem incidat, absq; angulo in se ipsum secundum lineã suæ incidentiæ reflectitur, & quasi seipsum duplicat, per 11. 12. & 21. q̃nti. Qui vero Radius oblique in corpus oppositũ incidit, is in puncto incidẽtiæ (q̃ etiã punctũ reflexionis est nominãdũ) quasi prius iter repetiturus ita reuerberatur ad aliã partẽ q̃ qua incidit, vt cũ radio incidente angulũ includat.

Radius est reflexus in se, vel à se. In se, cũ quasi duplicat se ipsum, vt radius perpendicularis, id est, perpendiculariter incidens in superficiem. A se, cũ reuerberatur ad aliam partem quam qua incidit, vt radius obliquus, id est, oblique illabens in superficiẽ. Reflexioni opponitur refractio.

Radium refringi est eum cum transmittitur à corpore diaphano, quasi frangi seu torqueri, vel ad perpendiculum, vel à perpendiculo.



Corporum φαινῶν, seu eorum quæ radios transmittunt, *aliud est primum, aliud secundum.* Primum dicitur, per quod

radius à corpore luminoso exiens prius mouetur. Secundum vero nominatur, ad quod radius post primum Ἁφανὲς iam superatum accedit. Vt si radius luminosus per aerem ad nubem deferatur, aer dicitur primum diaphanum, nubes secundum. Contra si radius per nubem in aerem incidat, illa Primum diaphanum, hic secundum vocatur.

Radius autem perpendicularis, siue à diaphano rariori ad densius, (vt aere ad aquam) siue à densiori ad rarius feratur, semper absq; vlla refractione recta transit, per 42. & 44. secundi. Qui vero radius oblique in diaphanum aliquod refractioni aptum incidit, is quidem per hoc transit, sed ita, vt in superficie huius diaphani curuatus seu fractus in duos radios, in incidentem & refractum, qui angulum refractionis comprehendunt, diuidatur. Secundū rectam lineam igitur penetrat per diaphanum primum, & secundum aliam per diaphanum secundum.

Linea autem perpendicularis in puncto refractionis (quod est idem cum puncto incidentiæ) super superficiem diaphani corporis planam, vel super lineam, quæ sphæricam diaphani corporis superficiem in puncto incidentiæ vel refractionis contingit, erecta cum radio incidente angulum incidentiæ cōponit: Etsi eadem intra diaphani corpus protrahatur, cum radio refracto angulum refractum includit.

Ad aliam autem partem radius obliquus refringitur, quando in superficiem secundi diaphani densioris primo incidit: in aliam, quando ad superficiem secundi diaphani rarioris primo defertur. Nam si è rariori in densius diaphanum illabitur, frangitur ad perpendicularem in puncto incidentiæ seu refractionis excitatam, (quæ cum radio incidente & refracto constituit angulum tum incidentię, tum refractum.

Si vero è densiori in rarius diaphanum incidit, ab illa perpendiculari per refractionem torquetur, per 43. 45. 47. secundi & per 4. decimi.

Declaratio.

Sit centrum corporis luminosi A. superficies anterior corporis diaphani & oppositi BC. Huius diaphani profunditas BD. A B C. diaphanum primum, seu id, per quod prius radii feruntur. BCD. diaphanum secundum, ad quod ex primo diaphano radii perueniunt. Radius perpendicularis A B. Radius obliquus A E. Punctum obliquæ incidentiæ E. Perpendicularis in puncto incidentiæ E erecta G E, quæ in secundū diaphanum protracta cadit in H. Si igitur diaphanum A B C rarius est diaphano B C D, radius perpendicularis A B recta transit in D. Radius vero obliquus A E non secundum rectam lineam E F diaphanum secundum recta trāsibit. Nam alioqui diaphanū A B C esset eiusdem raritatis vel densitatis cū diaphano B C D: quod est contra hypothesin. Cum autem radius A E è rariori in densius moueatur, refringitur ad perpēdicularem E H secundum lineam E K. Quare radius refractus est E K: angulus refractionis A E K: angulus incidentiæ A E G: & angelus refractus H E K, qui est minor angulo incidentiæ. Nam angulus H E K minor est angulo H E F, & angulus H E F æqualis est angulo A E G per 15. primi elementorum. Quare etiam angulus H E K minor est angulo A E G.

Si vero ponamus diaphanum A B C densius esset diaphano B C D, radius obliquus A E iterum non recta transibit, sed refringetur à perpendiculari E H secundum lineam E L. Erit igitur radius refractus E L: angulus incidentiæ, vt antea A E G: angulus refractionis A E L: angulus refractus H E L, qui maior est angulo incidentiæ A E G. Nam angulus H E L maior est angulo F E H, &

F E H, & angulus F E H æqualis est angulo A E G per 15. primi elementorum. Ergo etiam angulus H E L maior est angulo A E G.

A centrum corporis luminosi.

B C corpus oppositum planum.

A D radius perpendicularis in sese reflexus.

A E & A F radii obliqui.

E punctum incidentiæ & reflexionis.

E G radius reflexus.

E H linea perpẽdicularis in puncto incidentiæ. E super superficiem planam oppositi corporis excitata.

A E H angulus incidentiæ.

H E G angulus reflexionis.

A E D F repræsentat pyramidem illuminationis seu irradiationis.

E F basis pyramidis.

D centrum pyramidis.

A D axis pyramidis.

A pyramidis vertex.

REGENERATIO.

Regeneratio κ) τὸ ὄνομα est iterata generatio: Græc. παλιγγενεσία.

Regenetatio Chymicis est rei naturæ auxilio natæ secundum naturæ viam generatio ad inuehendam speciei propagationem & multiplicationem. Id quod secundum naturæ viam renasci potest, est semen à natura sua habens. Definitio est Nollii.

REGRESSVS, Ἐπάνοδος.

Regressus in Logica est illa demonstrandi via seu ratio, qua prius causam ignotam ex effectu notiore colligimus, postea verò facto examine iusto regredientes ex eadem causa eundem effectum demonstramus.

Fit enim sæpè, vt causa non cognita scientiam propter Quid habere nequeamus, nisi prius ex effectu notiore causam venemur. Exempla in physicis hoc ostendunt illustria, quæ habet Zabarella. Alio nomine dicitur circulus philosophicus & Demonstratio circularis philosophica.

Regressus igitur complectitur duas simul ἀποδείξεις: quarum prior est demonstratio signi, posterior causæ. Prior posset vocari progressus, posterior Regressus. Hic enim propriè fit in posteriore demonstratione, cùm à causa ad effectum regredimur: sed quia regredi non possemus, nisi priori modo progressi fuissemus, seu processissemus, vtriusque demonstrationis respectu Regressus dicitur.

Regressus sic fit: Quæ assumptio erat prioris demonstrationis, ea conclusio fit in demonstratione causę, & quæ ante conclusio erat, ea postea assumptio fit, ꝓpositione maiore suo loco ꝓmanente, sed cõuersa: & fit hoc interuentu considerationis cuiusdam iudicii & examinis, quo intelligimus illud, quod ex effectu notiore collegimus proximam & adæquatam illius causam esse, seu id quod concluſimus cum effectu necessariò & essentialiter cohærere, maiorẽq́; simpliciter conuerti posse, q̃ simpliciter nõ cõuerteretur, si effectu latius pateret, quod illatum est, itaque regressus locum nullum haberet. Intelligimus autem illud ex istius causæ naturæ & conditionum consideratione ex actione. Exemplum. Quod potest sentire, habet animam sentientem. Animal potest sentire. Ergo animal habet animam sentientem. Contra per regressum. Quod habet animam sentientem potest sentire. Animal habet animam sentientem. Ergo animal potest sentire.

Differt Regressus à circulo Antiquorum, qui Aristotelem antecesserunt, vel Sophistio, tripliciter, Materia, Forma, Fine. Materia, quia in circulo hoc idem semper est medium: In regressu est medium diuersum.

Forma, quia in circulo sicut conclusio è propositionibus: Ita propositiones ambæ altera post alteram ex conclusione, & ex se inuicẽ demonstrantur.

In regressu verò minor tantũ propositio demonstratur. Fine ex effecto, quia circuli vna eademq; est scientia, nempe διότι, quia medium in eo semper causa est. Exemplũ circuli. 1. Quicquid habet animam sentientem potest sentire. Animal habet animam sentientẽ. Ergo animal potest sentire. 2. Quicquid habet animam sentientem, est animal. Quicquid sentit, habet animã sentientem. Ergo quicquid sentit, est animal. Hic circulus sic refutatur. Si esset circulus, idem esset sui ipsius respectu causa & effectus, prius & posterius, notius & ignotius, idem denique prorsus per scipsum demonstrantur. At horum nullum est. Non igitur est circulus. (Vide Zabarellam & Fortunatum Crellium eius Epitomicum de Regressu.) In circulo enim antiquorũ primum per causam immediatã probatur effectum: deinde verò hic effectus fit immediata causa, hoc est, per eum demonstratur immediata causa, ac si hic effectus esset: quod est ἄλογον.

Regressus seu circularis probatio habens petitionem principii, seu petens principium fit, cum pro confesso accipitur id, de quo omnis est controuersia: vt cum quidam contendunt Christum vocando panem corpus suum docere voluisse, quod corpus suum in pane existat: sensum hunc verborum Christi, quem illis tribuunt, volunt obtinere per præsentiam corporis Christi in multis locis, seu omnibus locis Ecclesiæ. (Restrictam omnipræsentiam vocant.) Hanc verò, cum iubentur probare ac firmare, vltimum ipsorum refugium est sensus ille verborum cœnæ, quod corpus Christi existat in pane. Itaq; sic arguunt. Quod est in multis locis, seu omnibus locis, vbi Ecclesia est, id etiam est in omni pane Eucharistico. Corpus Christi est in omnibus locis, vbi Ecclesia est, seu fidelium cœtus. Ergo corpus Christi etiam est in omni pane Eucharistico. Prob. minor: Quod est in omnib. panib. Eucharistiæ, id est, vbicunq; est Ecclesia. Corpus Christi est in omnib. panib. Eucharistiæ, seu in omnibus locis, vbi cœna administratur. Ergo corpus Christi est, vbicunque est Ecclesia. Quod comeditur ore, est in pane Eucharistico. Corpus Christi comeditur ore. Ergo corpus Christi editur in pane Eucharistico. Prob. minor. Quicquid est in pane Eucharistico, comeditur ore. Corpus Christi est in pane Eucharistico. Ergo corpus Christi comeditur ore. Vtrobique petitio est principii. Hæc ipsa enim quæruntur. An iste sit verborum Christi sensus, quod corpus ipsius existat in pane, & quod reuera ore comedatur? quæ asti. pulatores corporalis præsentiæ pro certissimis habent, & quasi supponunt, vt oracula.

De Circvlo veterum, qui ante Aristotelem fuerunt, vide plura in voce Circvlvs.

REGVLA.

1. Breuis rerum præceptio. Hæc sæpè ἔνστασιν seu exceptionem patitur: Ac nonnunquam vocatur Definitio, id est, sententia aliquid definiens. Dicitur & canon.

Estque Regula Theorica, vel πρακτική, quæ & Regula vitæ dicitur. Itaque à Theologis disputatur de canone seu regula credendorum & faciendorum, id est, agendorum.

2. Regula seu canon est mensura quædam, cui nihil adimi, nihil adiici potest. Hinc authoritas quorundam Librorum dicitur Canonica: & Canonicum pro Authentico accipitur.

Voluntas diuina est sui actus lex & regula: Axioma Itaque Deus simpliciter est ἀναμάρτητος (vulgò dicitur: Est impeccabilis)

Voluntas

Voluntas creata non est sui actus regula. Itaque κατά τι ἀναμάρτητος est, qua & quandiu diuinę voluntati tanquam regulæ suæ adhæresćit. Peccare igitur quoque potest.

Regula accipitur { Propriè pro præcepto, quod patitur exceptionẽ. Hinc Regulare dicitur, quod non est generale, sed fit plerunque. / Impropriè pro præcepto, quod nunquam fallit, quod perpetuum est.

Propriè.] Sic regulariter est idem, quod ordinariè seu plerumque, Græcè ὡς ἐπὶ πᾶν, ferè, semper, & opponitur ei Generaliter, & ἀεὶ, semper seu in vniuersum, teste Panormitano in c. venerabil. de Electione.

In iure tamen τὸ semper sua natura Casuum regularitatem significare ait Eberhardus in Top. loco 9. vt in l. semper in stipulationibus. ff. de regulis iuris. & in l. semper in coniunctionibus. ff. de ritu Nuptiarum.

In Philosophia Regula, vel est semper necessarioq; vera, vel plerumq;.

SCHEGKIVS.

Regulæ, quia sunt aliorum mensura, fallere non debent. Idem.

In Pragmaticis disciplinis Propositiones de Inesse ferè intelligendæ sunt regulariter, id est, si nihil impediat.

k. in Regulariia sunt, quæ non sunt necessaria absolutè, sed ex hypothesi, id est, quæ admittunt conditionem, & quæ ratione loci aut temporis possunt habere instantiam quandam.

Regula Lesbia, seu apud Lesbios est regula plumbea, quæ lapidibus applicatur. Cæteroquin alii Architecti amussi, & perpendiculo lapides & saxa, quibus in ædificando vtuntur, applicant, vt testatur Trochaicus, Πρὸς ϛάθμη Πέτρου τίτεσθ', μήτι πρὸς Πέτρου ϛάθμιον. Plutar. Arist. 5. Eth. Lesbiæ regulæ plebiscita comparat, quæ rebus ipsis accommodanda sunt, vt contra leg. b. res ipsæ accommodandæ sunt, quoad eius fieri potest. Vide Zuingerum.

Regula Regularum est Algebra, quæ alias dicitur Ars Magna, scientia creaturæ & creaturarum, Regina scientiarum. Gul. Gosselinus Cadomensis l. 1. de Arte Magna c. 3. qui eandem etiam occultam partem numerorum vocat, definitq; scientiam numerandi, quæ doceat ex falso verum elicere, & ex incognito quæsitum & cognitum deprehendere. cap. eodem.

Regulo, Regulor, Canonizor.

Barbarum est. Latini dicunt, Ad Regulã examino, formo, artis præceptis astringo, ad regulam dirigo, metior, regula colligo, cõstituo, Græcè κανονίζω. Paulus princeps de la Scala & Hun. in oratione ad Pontificem.

Principium Regulatiuum in Dial. Scholastici vocant principium Dici de Omni & Nullo. Latin. Directiuum, Græc. κανονικὸν, vel potius διορθωτικόν.

RELATIO.

Relatio est relatorum σχέσις, siue ea sit in re propter naturam rei, siue propter conceptum intellectus,

Estq; vel secundum Rem, vel secundum Rationem.

Secundum Rem vulgò dicitur Realis. Vbi est ordo & dependentia Realis. Alex. Alens. Secundum Rationem dicitur Rationis seu Rationalis.

Relatio dicitur vulgò versari inter duo, quorum alterũ dicitur Fundamentũ, alterum Terminus. Fundamentum est res seu ratio, vnde oritur Relatio: Terminus est Res, ad quam ordinata est Relatio, vocatur etiam Terminus ad Quem, sicut quidam vocant etiã Fundamentũ Terminũ. Ex quo. (Sunt & quib. Materiale Relationũ & Fundamẽtũ sunt synonyma. Mel. in l. 1. Dial.)

Fundatur

Fundatur Relatio, aut in Mensura, aut in Potentia Actuue, aut in Conuenientia, vel discrepantia. Ad hos modos generales reliqui facilè reduci possunt.

Distinctionis huius Veritas apparet ex consideratione creaturæ ad Deum.

1. Refertur creatura ad Deum Relatione similitudinis fundata in vnitate, vt Imago ad causam exemplarem.

Barb. voc. it Exemplatū.

2. Relatione causalitatis fundata in potentia, vt productum ad producens.

3. Relatione, vt mensurati ad mensuram, vt creatura est ordinata ad Deum, tanquam ad causam finalem.

Subtiliter tamē disputari potest. Omnem respectum creaturæ ad Deum esse secundum tertium modum. I. enim, In duobus primis modis Aristoteles vult esse mutuam relationem, in tertio nō, quia in hoc vnum dicitur ad aliud, quia aliquid est eius, omnis autem Relatio creaturæ ad Deum non est mutua, sed dicitur tantum DEVS ad creaturam, quia cretura ad ipsum. 2. Cum similitudo hæc non sit vniuocationis, sed imitationis , pertinet ad tertium modum, in quo ponitur relatio scientiæ ad scibile, & vniuersim mensurati ad mensuram. Exemplar autem habet rationem mensuræ, respectu eius, cuius exemplar est.

Relationis exempla.

Repræsentatio diuina in homine est relatio per collationem: Subiectum Homo, Fundamentum, Perfectionum Dei participatio; Terminus Deus; Relatum Repræsentans seu Referens, Imago Dei ; Correlatum archetypus seu exemplar repræsentatum.

Vnio Hypostatica est Relatio. Terminus à quo eius est Natura humana assumpta, Terminus Verbum assumens: Fundamentum, potentia, qua perfectionis capax seu particeps est, quam terminat Verbum & Dei beneplacitum, Relatum Vniens; Correlatum, Vnitum.

Gratia, loquendo Theologicè, vt accipitur actiuè, id est, gratui a Dei misericordia est Relatio. Subiectum, Deus placans: Fundamentum, Mors Christi fide apprehensa: Terminus, Homo credens: Relatum, In gratiam (a) recipiens, seu fauens, pius: Correlatum acceptus, dilectus, cui fauetur, qui Latinis est gratiosus.

a) Thom. Schibleri quæst. Gramm.

Gratia , Latinè loquendo, vt accipitur passiuè, relatio est: Subiectum est Horatius: Fundamentum, Virtus, Eruditio, Merita: Terminus est Mecœnas: Relatum acceptus, gratiosus: Correlatum Acceptum habens, Fauens.

Honor Diuinis Relatio est: Subiectum, Homo vel Angelus : Fundamentum, attributa Christi: Terminus Christus: Relatum Honorans, Correlatum Honoratus: Regnum Christi Relatio; quę ordinatio: Terminus à quo θεάνθρωπος: Fundam. δυνάμις & ἐξουσία. Terminus ad quem Electi: Relatum Rex; Correlatum Ecclesia.

Consulatus est Relatio, ordinatio nimirum ad Remp. Terminus à quo est Cicero : Terminus ad quem est certa hominum multitudo: Fundamentum prudentia & ἀξία consularis, id est, cōsule digna: Relatum Consul: Correlatum Respub.

Ascensio Christi sursum est Relatio.

Subiectum. Christus qua homo seu subiectum. Quod Christus s. Quo, caro humilis in Terra.

Fundamentum. Potentia seu vis diuina.

Terminus. Altum seu cœlum, sedes paternæ glorię. Non n. ascensio, sed exaltatio fit ad dextram Dei.

Relatum. Ascendens.

Correlatum. Ascensum (quo ascenditur.)

Regnum

Regnum Christi est relatio, quæ ordinatio, Terminus à quo ἄνθρωπος: Fundamentum δυνάμις & ἐξουσία: Terminus ad quem Electi: Relatum Rex: Correlatum, Subditi Ecclesia.

Testatio est relatio, Subiectum Titius: Fundamentum Veritas adiuncta personæ & rei : Terminus cædes (verbi causa) Relatum Testis; Correlatum Testatum.

Imputatio iustitiæ Christi est Relatio: Subiectum est Christus; Est enim in eo subiectiuè realiter & formaliter iustitia (In nobis est imputatione) Fundamentum est satisfactio, hoc est, implatio legis propter nos & obedientia in passione pro nobis λύτρον causa meritoria (vel δυνάμις & ἐνέργεια sacerdotis nostri, & Mediatoris λύτρον, & dignitas Personæ;) Terminus est homo applicans, id est, agens pœnitentiam & credens : Relatum est iustificans; Correlatum iustificatus. Iustificatio est applicatio meriti Christi (iustitiæ morte Christi partæ) ad personam conuersam, quæ applicatio fit fide in vero agone conscientiæ, & nihil aliud est quam acceptio Remissionis peccatorum, reconciliationis cum Deo, imputationis iustitiæ & acceptationis ad vitam æternam propter Christum.

Relatio
φίλησις actus amandi. Eius

Subiectum.	*Fundamentum.*	*Terminus.*
Pamphilus.	Forma.	Glycerium.
Relatum.		*Correlatum.*
Amans.		Amatum.

Relationes sunt Diuinæ, vel Humanæ: Illæ Transcendentes : Hæ Prædicamentales.

Relationes Diuinæ sunt alterius rationis & generis, quam creaturarũ : sicut Essentia Dei est alterius rationis quam rei creatitiæ, sicut extra hunc mundum est mundus alterius generis.

Relatio, Essentia Deo subsentia est.

Primum Relationes diuinæ (vt Paternitas) non sunt accidentia, propter Dei perfectionem summam, vt creaturarum. In nobis & aliis creaturis relationes habent esse dependens, quia eorum esse aliud est ab esse Substantiæ: At in Deo non.

Secundò Relationes in Deo comparantur ad suum absolutum τρόπῳ ταυτότητος, id est, secundum modum Identitatis, hoc est, sicut idem ad idem. Quia πῷ εἶναι, id est, secundum rem idem cum ipsa Essentia sunt, tantum ab ea differentes MODALITER.

Filius enim Dei nihil aliud est quam essentia ipsa, quæ etiam est Patris, sed cum proprio subsistendi modo, nempe quod existit γεννητῶς. Nam Essentia Diuina non subsistit extra Personas, sed in Personis. Vt proprietates essentiales in DEO, iustitia, sapientia, misericordia, & alia Dei attributa, quæ vna tantum Essentia sunt, πῷ λόγῳ seu ratione inter se, & ab essentia differunt, nempe quatenus iustitiæ nomen aliquid addit sua significatione supra essentiam, & aliquid diuersum à sapientia. Ratio huius asseuerationis est perfectissima diuinæ essentiæ simplicitas.

Nõ est Deus extra Personas.

Sed in rebus creatis relatio comparatur ad suum absolutum, sicut accidens ad subiectum.

Tertiò in Relationibus diuinis vnum tantum est absolutum, nempe οὐσία, quia duæ ibi relationes ab vna vtriusq;

essentia πῷ εἶναι non differunt. At in creatis sunt plura absoluta, vt duo diuersa subiecta, vt duæ ad numerum substãtiæ, vt alius homo est Dominus, & alius homo est seruus.

Relationes in Deo, id est, respectus mutui inter psonas Deitatis sunt reales: Realiter enim distinguuntur Personæ, non tantum ratione & apprehensione intellectus nostri: Et tamen essentia DEI est simplicissima. Non autem Relationes hæ in Deo inferunt compositionem, quia in eo sunt secundum Modum simplicis Essentiæ.

Thomæ Aquinatis Pronuntiatum.

Relatio in Diuinis tenet locum principii indiuiduantis, Essentia autem speciei, i.e. est quasi, nõ ꝓpriè principiũ indiuiduans, est quasi species: hoc est, Diuersis modis subsistendi, seu diuersis proprietatibus personalibus vna eademq; essentia in tria ὑφιστάμενα seu indiuidua distincta est. Personæ quasi indiuiduantur suis modis subsistendi, quæ sunt relationes. His ipsis relationibus aliud τό δέ τι & indiuiduum est Filius, & aliud τό δέ τι ipse Spiritus S. Nuda essentia, id est, essentia sine relationibus seu consideratione diuersarum proprietatum personalium non constituit principium Indiuiduationis.

Principium Indiuiduationis dicitur id, per quod subsistit indiuiduum.

Sic Scholastici: Essentia Dei secundum perfectionem suam habet seu induit rationem communis: Persona verò secundum relationem suam habet rationem particularis subsistentis in vno & communi esse. *Esse communis essentiæ subsistens cum proprietate personali ac singulare est.*

Essentia communem rationem habet in eo, quod quid est, subsistentia ostendit quis est, & singulare, de quo prædicatur essentia, determinat.

Relatio { Verè, Respectus inter duo accidentia.
Quasi, vt in situ quædam quasi relatio est inter partes substantiarum, id est, situs habet magnam cognationem cum relatione, sicut & ἔχειν.

Quæritur. *Vtrum Relationes sint verè & formaliter entia*, an tantum modi entitatiui? Item, an sint quiddam πλασματῶδες, id est, figmenta rationis? Redarguendi videntur, qui negant in vniuersum. Relationes & relatiua esse veras res, sed tantum esse nudas inanesque mentis nostræ imagines, verbi gratia; Dominium & Seruitutem tantum in mente esse, non in rebus, vt putat Aureolus. Sanè realis est differentia inter Dominum & Seruum, & natura hos primum iutroduxit; quod discrimen si tolleretur, qua ratione Domini vendicant sibi seruos, eadem qui serui sunt Dominos sibi vendicarent, omniaque essent confusa, communia, eiusdemq; prorsus iuris ac naturæ: imò nec communia, nec eiusdem iuris, quandoquidem idem & commune, quia relatiua sunt, essent verba inania. Ecquis dixerit κτῆμα (quod habetur in bonis) & κτήσεως (habens in bonis) quæ relata sunt, non esse veras res, esse inanes rationes ac titulos?

Relatum & Correlatum sunt distincta inter se vel Realiter (vt res & res) vel Ratione seu Formaliter.

Reipsa distinguuntur Patronus & Cliens; adumbrans & adumbratum, vmbra & imago seu veritas. Si de Christo agatur, qui & sacerdos est noster, & hostia pro peccatis ipsa sacrificans, (Relatum) & sacrificatum seu sacrificium (correlatum) πῷ λόγῳ distinguuntur, sicut in spirituali cibatu est, & hospes seu cibator, & ipsum epulum seu cibus. Eph. 5. Christus tradidit semetipsum pro nobis oblationem & victimam DEO. Ioh. 17. Pro eis sanctifico (id est, offero) meipsum.

RELIGIOSVM.

Tribuitur 1. *homini*, qui colit Deum, qui quæ ad Dei cultum pertinent diligenter tractat. Sic & *auribus hominis*: vt aures teretes & religiosæ apud Cic. vt

Religiosi Monachi & ascetrię. Et *nationi*, vt Italica natio religiosa est. Deuotam vocant Barb. Scholast.

2. *Rei quæ colitur*, vt signo: vt non violanda tibi crux Christi relligiosa. Sic altare religiosum dicitur.

3. *Tempori*, Dies religiosi, quibus nisi quod necesse est, nefas habetur facere.

4. *Loco*, vt domus, fanum, delubrum, religiosum, ædicula religiosa.

5. *Actioni*, vnde religiosum dicimus, in ędem Bonę Dei virum introire, aduersus auspicia legem ad populum ferre: & *Religiosè commendare*, id est, accuratè & sanctè. Religiosum, si de loco aut re inanimata dicitur interdum, idem est, quod sacrum : interdum diuersum. Idem, vt ædificium religiosum, ara religiosa, id est, sacra sacrata, dedicata, seu consecrata Deo. Diuersum, vt sepulchra religiosa, (vbi mortui sunt sepulti.) Hæc enim non sunt sacra, sepulchrum enim non est alicui Deo dedicatum. Sacrum contra est. Sacrum si attingitur à profanis, violatur. Sepulchrum non item. Sacrum publicam religionem, sepulchrum priuatam obtinet. Ita religiosus & sanctus interdū eadem sunt, interdum diuersa. Eadem: Nam templa, & religiosa, & sancta appellare licet. Si enim Deus sanctus, nomen Dei sanctum, imò sanctissimum; sanctum quoq; templum domus eius. Diuersa: vt Deus sanctus dicitur non religiosus, quia non vocatur sacer. At Dei signa religiosa dicuntur, quia sacra. Nam quę sacra, eadem religiosa dicuntur, non contra quicquid sacrum, idem religiosum.

Sacrosanct⁹ & religiosus sunt diuersa, Tribuni plebis sacrosancti sunt, nec tamē ideo sequitur, vt sint religiosi.

Religiosi sunt quidam homines, at non ideo sacrosancti. Loca sunt religiosa, non eadem sacrosancta, nec quæ sacrosancta, eadem religiosa.

Sanctum tribuitur
- Deo. Sanctus Deus (non sacer, non sacrosanctus.)
- Humanis
  - Templo, manibus, & muris, qui sunt circum oppidum, & κατ' ἀναλογίαν sepulcris, apud Cic. 9. in Anton. & apud Poetam.
  - Causæ. Non causa hac sanctior vlla est magistratui, vati, sacerdoti, coniugi, ignibus, legibus, animę, Sancta anima, i.e. incorrupta. Sanctæ leges sunt, quæ non debent violari, seu pœnæ sanctione corrumpi. *Tuq; ô sanctissima coniux Fœlix mente tua*, id est, incorruptæ castitatis.

Dicitur vates sanct⁹, sacer, diuin⁹, Deo plen⁹. Sanct⁹ pater Romanis fuit Deus nuptiarū.

Sacrū accipitur in partem.
- Bonam — Deo sacratam, vt lucus, saxum, ignes, vel cui tanquam sacræ rei honos habetur. Sic vates dicitur sacer. Fontes à Virgilio dicuntur sacri, quia Numina iis præsidere creduntur.
- Malam — Quem impunè occidere fas. Sic Horatius Satyr. 6. Vid. Al. Manut. Paul. Fil. de sacro, sacrosancto & religioso.

4. Sacrosanctum, φ per potestatem seu ἐξουσίαν sancitum est
- Inanimatum, vt sacrosanctum fœdus. Cic. sacrosanctæ possessiones, i.e. sacræ, vt idem vocat. (quas non licet violare.)
- Animatum, vt Tribuni plebis, & ædiles eiusdem ordinis, Vestæ sacerdos, sacrosancta, id est, sanctione populi Vestæ dicata.

RENASCI.

Renasci est idem φ denuò nasci, vel Numero, quod ὑπὲρ φύσιν, vel specie, quod Naturale. Atq; hoc posterius intelligitur cum animalium è putredine genitorum partes præcisæ dicuntur renasci, etsi Scaliger ait, omnium propemodum Latinè & Græcè loquentium hunc morem esse, seu non esse hanc

loquendi cõsuetudiuem subtilem: seu esse modum loquendi imprudentem, rem ipsam pro comperta receptam. Exer. 195. Nam quãdo, inquit, aut vbi locorum euenit vnquam, vt vlla præcisa pars renasceretur? Sanè in præcisæ locum noua subit. Partem igitur renasci Latinis & Græcis est subire nouam in locum veteris.

REPENDO.

Rependere est reponere, reddere, quasi remetire, vt beneficium rependere. Prouerbium est κρὸς τροφεῖα ἀπέτισεν, id est, aries alituram rependit. Hoc existimat Erasmus quadrare in ingratos, qui nimirũ ꝓ benefactis maleficiũ reponunt, allegoria sumpta ab eo, quod aries cornibus cum petat, aut vas in quo pabulum apponitur, ipsosque quorum opera nutritus est, aut etiam nunc nutritur, cornibus incessat. Sed Franciscus Luisinus Vtinensis l. 1. paregωn, ex Plutarcho putat, prouerbium hoc commodius exponi posse, ita vt conueniat, seu accommodetur in homines gratos. Locus Plutarchi hic est in vita Thesei, τρεφόμβρον δ' ὃν ἄπτω, &c. id est, cumq; apud Pitthæum educaretur custodem & pædagogum Cõnidam quẽdam nomine habuisse, cui ad nostram vsq; ętatem, vno ante Thesei die Athenis arietem immolant, memoriaq; beneficii & honoribus hunc multò æquius prosequuntur, quam si Lanionem & Parthasium, qui imaginis Thesei pictores & fictores extiterũt. Dicit hic Plutarchus, Athenienses in Connidam gratos, quod ille Theseũ sanctè instituisset, & præclarè educasset, arietẽ ei tanquã ἄθλον, hoc est, præmiũ, grati animi indiciũ pignusq; immolasse. Hoc autem prouerbium ἀμφίδοξον est sumptum ex Menandro. Recompensare barbarum est, pro quo dices exæquare, cõpẽsare. Quod huic negotio diminutum est industria tua cõpẽsabis, exęquabis. Ciceronianũ est.

REPERCVSSIO.

Repercussio generaliter vicem percussionis significat. In Optica est in leui & solido corpore reuerberatio, eius duæ sunt causæ, prima est priuatio penetrabilitatis. Quia radius corporalis incidens in ipsum, non potest penetrare per ipsum: Ideo reflectitur. Altera est impetus violentiæ, qua reflectitur retrò, vt pila in pariete, iuxta opinionem ponentium visum fieri per extramissionem. Albertus Magnus de sensu & sensilibus tractatu 1. cap. 8.

REPLETIVE *esse in loco omni.*

Deus dicitur à Scholasticis esse in omni loco Repletiuè, nõ sicut corpus, quod occupare & replere suum locum dicitur, quatenus impedit, ne in loco quo capitur, loceturaliud corpus: sed sicut Deus omni loco, vt sit Locus, & vt cõseruet Locatum, & efficiens, vt omnia sint in loco, & locum suum pro modo naturæ suæ sine ἀταξίᾳ repleant. Imꝓprièigitur. Vbiq; in omnibus reb. *per Essentiam*, non vt pars Essentiæ, sed vt principium vniuersale efficiens & cõseruans; *per præsentiam*, quia omnia sunt nuda & aperta coram oculis eius, *per potentiam*, quatenus omnia ei sunt subiecta. Modo igitur supereminenti.

REPLICO.

Replicare vtũtur Scholastici ꝓ regerere, seu vicissim opponere. Ciceroniani vtuntur pro Repetere, vt replicare memoriam temporum.

Physicis Replicatio Mundi seu Cœli est eius conuersio.

Replicatiuè in loco esse Scholasticis nonnullis est animam esse in toto corpore totã, & rursus in corde, manu, pede totã. Dicitur etiam esse in loco per quãdam replicationẽ. Alii subiiciunt hunc modũ secundo, qui est Definitiuè esse in loco, h. e. ita, vt cum hîc sit Essentia, non sit alibi, nec pars eius sit in alia loci parte. Vide Vitum Amerbach. lib. 4. phys. pag. 286.

Decretum

Decretum Philosophicum.

Gyratio seu Replicatio cœlestium non est actu infinita, sed potentia. Hæc, Scholastici dicunt non est infinita Categorematice, sed Syncategorematice. Ego dico clarius: Non secundum existentiam, sed secundum Fictionem, id est, conceptionem seu considerationem Mathematicam. Ne enim Deus quidem potest Infinitum actu creare, quod principium non solum Philosophicum, sed Theologicum etiam mihi est. Absit interim vt Dei potentiam constringam.

Replicatio Logicis est eiusdem termini bis in propositione sumptio. Vnde terminus replicatus dicitur. Ioh. Gram mat. in 1. Prior. c. 38. Eodem sensu dicitur Reduplicatio.

REPRÆSENTO.

Patres Græci Panem & Vinum vocarunt antitypa Corporis & Sanguinis Domini, quia repræsentant Corpus & sanguinem Domini.

Repræsentare autem est 1. Significare: vt Fractio panis in Cœna Domini repræsentat Corporis Christi in Cruce, Passionem & immolationem.

2. Rem præsentem facere.

Priore in significatione accipit P. Martyr. in posteriore Suaretz. Verba Tertulliani lib. 1. contr. Marci. c. 14. Panem, quo ipsum Corpus suum repræsentat.

Repræsentare
- Absens modo quodam præsens facere
  - Christus repræsentat suum corpus pane.
  - Panis repræsentat Corpus Christi.
  - Corpus Christi repræsentatur Pane.
- Præsentiam alicuius, seu præsens aliquid exhibere, vt repræsentare pecuniam, pretium rei emptæ, id est, præsentem exhibere. Reus se repræsentat, id est, iudicio se sistit.

Matth. 18. Ecclesia sumitur pro ipsis Ecclesiæ Propositis, qui vulgo Ecclesia Repræsentatiua dicuntur.

Repræsentare per rationem
- Similitudinis.
- Proportionalitatis.

Proportionaliter repræsentare est cum ratio repræsentantis non est formaliter in prototypo, sed tantum aliquid rationi illi analogum seu proportionale: vt, Modus seu mensura repræsentat in Deo aliquid sub ratione proportionalitatis, quia limitatio producti repræsentat potentiam illimitatã producentis. Species in creatura repræsentat summam pulcritudinem in Deo sub ratione similitudinis, Scot. l. 1. dist. 3.

Finitum potest repræsentare aliquid sub ratione infiniti: per Repræsentatiuũ in se mutabile potest repræsentari aliqd sub ratione immutabilis, quia essentia Dei repræsentatur intellectu sub ratione immutabilitatis per aliquod omnino mutabile, siue illud sit species, siue actus. Scot.

REPRODVCTIO.

Reproductio est vnius eiusdemq; iterata productio. De qua quæri solet

1. An substantiæ destructæ eiusdem numero possibilis sit, an impossibilis reproductio?

2. An ſubſtantialis Entis non deſtructi, ſed integri manentis eiuſdem numero reproductio ſit poſſibilis, an impoſſibilis; & ſi impoſſibilis, An ex parte Dei producentis, an ex parte rei productæ, an ex vtraq; ?

Pronuntiata.

Naturæ omnis reproductio ſeu iterata generatio eiuſdem rei ad numerum eſt impoſſibilis.

Deus non poteſt rem creatam non abolitam, ſed ſuperſtitem manẽtem ἀναντίζειν, id eſt, iterato creare eandem numero: Quia hoc eſt ἀσύστατον ἀντιλογικῆς Sophiſtarum. Quod enim iam eſſentiam & exiſtentiam habet, idem eandem accipere denuo non poteſt. Vide Theſes de hoc argumento Iohannis VVirtzii Tigur.

REPVDIVM.

Repudium eſt diremptio ſponſaliũ. Eſtq; legitimum vel non legitimum. Sed diuortium eſt matrimonii conſummati diremptio: A diuertendo, quod alter ab altero deflectat.

Sponſalia diſſoluuntur repudio { Proprie / Improprie } Nempe { Vera & rata. / Ipſo iure nulla. }

Sic & coniugia diuortio. Vid. Tract. Th. Bez. de Diuort. & Repud.

Repudiare eſt nuntium remittere, eiicere domo.

REPVGNANTIA.

Repugnantia à Græcis dicuntur τὰ μὴ ὑπάρχοντα, μὴ ἐνδεχόμενα ὑπάρχειν, hoc eſt, quæ contingit ineſſe, καὶ ἀλλότρια, id eſt, aliena. Suntq; vere quæ nos alias abſurda & inconuenientia; item Diſparata vocamus. Talia cauſæ maxime repugnant: Ideo oratores hoc loco vtuntur, cum eliciunt abſurditates & ἀπροσδιόνυσα, quæ ex aduerſariorum oratione ſequi videantur. Exemplum eſt apud Ciceronem pro Cælio, cum reſpondet ad obiectionem de parato veneno, & cæteris.

Repugnantia prope idem valent quod Abſurda.

Robertell. ſubiiciente D. Eglino, ſunt cõtrariorum conſequentia, vt eſſe hoſtem & amare: eſſe amicum & odiſſe.

Duo Corpora ex Repugnantia inter ſe non poſſunt vno loco circumſcribi.

Repugnantia eſt non abſoluta, vel abſoluta: Non Abſoluta, vt, verbi cauſa, contrarietas. Repugnantia abſoluta eſt contradictio.

Repugnantia { Effectiua, quæ eſt inter agens & patiens, vt ignem & aquam. Hæc requirit loci approximationem, quia agens & patiens dicuntur eſſe ſimul; vel ſaltem intra certam ſphæram. / Formalis, qua ipſæ formæ formaliter inter ſe pugnant, ita vt vna expellat alteram; Talis eſt inter calorem & frigus. Hæc requirit intimam præſentiam localem. }

Scotus Repugnantiam ſeu oppoſitionem facit aliam Formalem, aliam Virtualem. Repugnantia Formalis eſt illorũ, quæ ſecundum ſe & ſuos effectus opponuntur, cuiuſmodi ſunt contraria, vt album & nigrum. Virtualiter repugnat cauſa naturalis & oppoſitum ſui effecti. V. gr. ſi cœlum de hac materia produceret vermem, & agens fortius ſuperueniens induceret in eandem materiam formam aliquam oppoſitam formæ vermis: iſta virtualiter opponetur cælo vel Soli. Scot. diſt. 49. l. 4. Vel: Virtualis eſt repugnãtia alicuius ad oppoſitum ſui effectus, intelligi aliqua forma nata eſt producere aliquem effectum, effectum oppoſitum illi effectui opponi cauſæ effectus virtualiter. Cauſa enim virtualiter continet effectum oppoſitum illi effectui, & naturaliter ſequeretur, niſi eſſet impediens aliquid: Exempli cauſa, Repu-

gnat Mortalitas Beatitudini non formaliter, sed ratione repugnantiæ effectuum naturaliter consequentium, id est, quia effectus vnius repugnat effectui alterius, & per consequens causa illius effectus. Scot. l. 4. d. 49.

Vsus.

Quæritur quomodo contraria repugnẽt, Formaliter, an Efficienter? Resp. Cum ignis frigus ab aqua expellit, frigus id expellit efficienter, quia per suam actionem producit calorem, quo frigus pellitur vt causa corrumpente: sed calor non pellit frigus effectiue, seu productiue, seu per modum efficientis quasi instrumentarii. Contraria in gradibus intensis pugnant inter se Formaliter, seq; formaliter extrudunt à subiecto, quia positionem vnius consequitur desitio alterius ob incompassibilitatem terminorum inter se.

Can. Non est ponenda formalis inter aliqua Repugnantia, nisi vel in rationibus eorum propriis aliqua repugnantia includatur manifeste: vel necessaria ratione probetur includi vel sequi. Scot. in Quodlib. quæst. 19.

Repugnantia non tantum Abstracte & proprie, sed nonnunquam etiam improprie pro concreto accipitur à Philosophis, id est, pro eo, cui repugnat: ꝙ obseruandum in explicatione vocis *Aptitudinis*. Exempli causa, cum dicitur: In Mauritio est repugnantia essendi in pluribus, sententia est: In Mauritio est aliquid, cui repugnat esse in pluribus, vtpote differẽtia aliqua eius individuans, aut quicquid id demum sit, cui primo repugnet Mauritium multiplicari. Itaq; Repugnantia Essendi in plurib⁹, quã dicitur negare aptitudo ad hunc actum, non est negatio aptitudinis ad illum. (Fonſ Metaph. l. 5. c. 28. q. 4. pag. 647.) sed id cui repugnat, &c.

In Ethicis & Theologicis Repugnãtia est carnis affectuũ ὁρμῆς, qua aduersantur rectę rationi, legi Dei, Spiritui Dei. Duplex autem Repugnantia est; Vna contumaciæ; Altera Infirmitatis.

R E S.

Res 1. accipitur generalissime, vt etiam nomen complectatur. Sic nomen est res: Quidditas nominis est quod est signum rei cognitæ vel intellectæ.

2. Specialiter. Sic in Grammatica res opponitur Corpori.

3. Rerũ simulacra sunt res tãtũ ὁμωνύμως. In Iurisprud. & politica generali opp. Personis & actionibus. In oratoria personis & factis, vt laudantur aut personæ, vt Cicero, aut res, vt Eloquẽtia, aut facta, vt detectio coniurationis Catilinariæ. Specialiter etiam res accipitur ꝓ euentu vel pro facto. Hæc significatio etiam reperitur apud Ciceronẽ in orat. pro Leg. Manil. Satius est re, q̃ verbis calumniam refutare. Man hüte ſich vor der That/den Lügen wirdt wol Rath.

In Philosophia Res sumitur *Communissime, Cõmuniter, & strictissime* seu *appropriate.*

Communissime, vt includat etiã modum rei, pro omni eo, ꝙ nõ est nihil. Hoc autẽ potest intelligi dupliciter: Primum enim illud est nihil, ꝙ includit contradictionẽ: & excludit omne esse & extra intellectum, & in Intellectu. Quod enim sic includit contradictionẽ, sicut nõ potest esse extra intellectũ seu animã; ita non potest esse aliquid intelligibile, id est, aliꝙ Ens in Intellectu seu anima, ꝙa nunq̃ contradictorium cum contradictorio constituit vnum intelligibile, neq; vt obiectum cum obiecto, neq; vt modus cum obiecto. Secundo dicitur Nihil, ꝙ nec est, nec esse potest aliquod Ens extra animã. Id est, Primo modo Res accipitur omnino communissime, vt extendat se ad quodcunq; non includens contradictionem, siue sit Ens rationis (ꝙ præcise habet esse in intellectu considerante) siue sit Ens reale (quod habet aliquam entitatem extra intellectus considerationem.)

Altero modo minus communiter pro ente, quod habet vel habere potest aliquam entitatem citra considerationẽ intellectus. Primo modo dicimus Intẽtiones Logicas esse res Rationis. Relationes rationis esse res rationis; & tamẽ ista nõ possunt esse extra intellectum: Nõ igitur nomẽ rei ex vsu loquendi astringitur seu contrahitur ad rẽ extra animã. Ac in hoc intellectu communissimo (vt res dicitur Quodlibet conceptibile non includens contradictionem) siue ista communitas sit Analogię, siue vniuocationis, posset res poni primum obiectum intellectus, quia nihil potest esse intelligibile, quod non eo modo rationẽ Entis includat, quomodo etiam quęcunq; scientia, siue sit Realis, siue Rationis, est de Re. In secundo membro primi istius membri dicitur Res, quæ habet vel habere potest Entitatem extra animam: hoc modo accipit Auicenna in Metaph. c. 5.

Communiter accipit Boetius rem, vt excludat modum, seu distinguẽdo Rem contra Modum Rei (seu habitudinem aut circumstantiam Rei) lib. de Trin. Aliæ prædicationes quasi Rem monstrant, aliæ circumstantiam Rei; Vt Cicero est Homo: Hæc prædicatio secundum se Rem aliquam monstrat. Cicero est Pater. Hæc extrinsecus aliquid apponit. Sic secundum Boetium substantia, Qualitas, Quantitas Rem monstrant: Relatio vero, Actio, Passio circumstantias Rei. Nomen igitur Res in secundo membro acceptum dicit aliquod Ens absolutum, distinctum contra modum, qui dicit habitudinem vnius ad alterum.

Strictissime per Synedochen accipitur pro Ente potissimo, id est, cui per se & primo conuenit esse, quod est substantia sola. Ita igitur accidentia excluduntur. Sic virtus non est Res seu Ens, nisi quia est Rei seu Entis. Arist. 17. Metaph.

- Res modum
  - Includit, sumpta generaliter.
  - Excludit, sumpta specialiter.
- Res seu Ens accept.
  - Communissime est
    - Quod non includit contradictionem, siue sit Reale, siue Rationis.
    - Quod habet vel habere potest proprium Esse extra intellectum: Ens Reale.
  - Communiter est ens reale & absolutum.
  - Strictissime Ens per se, id est, substantia.

Distinctionis huius vsus est cum quæritur, An Paternitas sit Res, persona vtrũ sit Res an Modus: de quibus Zanchius & Keckerm. post Scotum.

Res enim non est ipsa species: Nec species est ipsa Res: vt prius & posterius hæc differunt. Res videtur per speciẽ, & res intelligitur per speciem: Per Rem hic intelligo Rei substantiam: vt sensus recipit speciem sensilem, non ipsum σῶμα: ita intellectus intelligibilem, q̃ rei similem iudicat. Exemplis probis hoc planum faciemus.

Quomodo in Analyt. c. 17. Sub contraria sint Aristoteli opposita?

Subcontraria sunt opposita Nomine, nõ Re, quia in illis est affirmatio & negatio eiusdem subiecti & prædicati, sed non secundum eas partes subiectas, vnde & simul veræ esse possunt, vt, Quædam poma sunt flaua, Quædam poma non sunt flaua.

Res, πρᾶγμα, χρῆμα, Species seu imago, εἴδωλον, ὁμόιωμα.

Hæc diligenter inter se sunt discernenda.

1. Sicut omnes res illæ, quæ sensus nostros externos afficiunt, non perueniunt ad nostram mentem, sed earum tantum ὁμοιώματα: Sic Iesus Christus, quem viderunt Apostoli & palparunt, non per-

peruenit ad mentem eorum ὐσιωδῶς, sed eius tantum ὁμοίωμα.

2. Sicut sonum, qui aures ferit, aut corpora physica vel articiosa, quæ oculis videntur, esse realiter in mente nemo quidem vnquam cogitare possit, esset enim hoc insanire, non cogitare: Ita nō est cogitandū Corpus Filii sui, ꝙ vidit Maria, realiter fuisse in anima Mariæ.

3. Passio Domini non est in anima fideli, sed imago eius, vt pueritia mea, quæ iam non est, in tempore præterito est, quod iam non est, imaginem vero eius recolo & narro, & eatenus in præsenti tempore intueor, vt quæ sit adhuc in memoria mea. August. l. 11. Confess. c. 18. Ita Mors & Passio Domini fuit seu præteriit, imago vero eius in memoria est, eiq; præsens. Non Fides proprie, sed Spiritus nos cum Christo arctissime coniungit secundum potētiam efficaciter in nobis agentem, vt vitam, quæ in ipso est, hauriamus. Fides coniunctionis & κοινωνίας Spiritualis vinculum est.

Strictius autem vox Rei hic accipitur, si enim accipiatur laxius, quod sæpe fit, imagines etiam & picturæ sunt res, id est, si res accipiatur pro ente. Ita accipit Scaliger in definitione rerum l. 7. Poet. c. 2. Cum ait: Omne quod est rei appellatione demonstratur, id est, significatur. Harum autem rerum quædam sunt primariæ, vt Homo, bos, quercus: quædam illarum sunt imagines, vt Hominis vel bouis picturæ, aut aliusmodi expressiones. Harum imaginum aliæ sunt ab arte totæ: Alias totas sibi natura vindicat: nonnullæ mistæ sunt, in quibus ars aliquid addidit naturæ.

Sic etiam Thom. Aq. q. 1. de Malo, art. 1. Malum est ens non rei, sed rationis, & ita bonum est, vbi res rationi opponitur. Quomodo autem hoc sit intelligendum, de eo vide vocem Malum. Malum enim natura bonum esse qui dici potest. Sic iterum Scal. cum ait, verba esse imagines Rerum, & rerum notiones esse ipsa nomina & veritatē esse adæquationem notionum cum iis rebus, quarum notiones sunt. Lib. 7. Poet. c. 2.

Distinctio inter Res seu species ipsas & Verba seu Nomina, siue absolute, siue similiter, siue proprie, siue modificate consideratа spectataque quantam habeat vtilitatem, exemplo Mathematico ostendam.

Qui è Mathematicis non imi subsellii defendunt hanc sententiā (quæ vera est.) De figuratis numeris, puta de quadrato & cubo, in Arithmetica, nō in Geometrica esse docendū, horum iudiciū continetur hoc Syllogismo: Quæ Numeratio explicat figuratū affectiones sine geometricis proprietatibus, est Arithmeticę tribuenda; quia illæ proprietates explicatæ sunt natura priores figura, ideoq; ex arte priore ad eam descendunt. Multiplicatio & Diuisio figuratæ explicant figurarum proprietates sine Geometricis proprietatibus. Ergo sunt Arithmeticæ tribuendæ.

Hoc iudicium refellit P. Ram. in Scholis Mathem. argumentis aliquod, quibus assumptioni magis aduersatur, propositionem relinquens intactam. Ac primum reprehensionis eius argumentum est è dissimili: Syllogismus autem hic est: Multiplicatio Arithmetica est vnitatum & facit vnitates. Multiplicatio Geometrica nec est vnitatum, nec facit vnitates, sed linearum potius, & facit areas. E. Multiplicatio Geometrica non est Arithmetica aut Arithmeticæ similis.

Hic respondetur Ramo, assumptionē huius Syllogismi esse falsam. Nam etiam Geometrica ista Numeratio est vnitatum & facit vnitates, secus nō esset numeris explicabilis: Estq; similitudinis in rebus & verbis, horumq; modificatione dispar conditio. Omnes figura-

tæ proprietates ab Arithmetica, ad Geometricas figuras descendunt; non contra à figura ad numeros ascendunt omnes. Sic quadrati Arithmetici proprietates in genesi & analysi omnes accommodantur ad quadratũ Geometricum, quatenus videlicet eius figura sit numerus, vt paulo ante dixit Aristoteles. Eademq; ratio est data linea recta 5. pedũ explicandæ areæ eius quadratæ, quæ dato solo numero 5. si quęratur quis sit eius numerus quadratus, nempe multiplicatio 5. per 5. quæ dat 25. Nam datur linea vt factor: Ergo efficitur etiam area vt numerus factus. Neq; numerus figuratus quicq̃ Geometricum in Geometria præstat; Nam neq; latus describit, neq; angulũ comprehendit, nec figuram ædificat, tantum explicator & interpres est dimensionis. Itaq; rerum similitudo à numeris ad figuras prorsus ex Arithmetica descendit.

Contra Verborum aliqua similitudo à Geometrica figura ad numerum ascẽdit: Quadratus enim numerus nomine figuræ dicitur quadratus, figura ipsa nomine numeri non dicitur. Neq; enim quisquam sic loquitur, cum Geometricum quadratum intelligit, vt dicat figuram factam à recta per se. Quare duplex similitudo hic consideranda est & disparis conditionis, vt intelligatur figuratas numeroi ũ qualitates in numeris per se iam ante figuram esse, & ex Arithmetica in Geometriam citari. Neq; hoc primo Syllogismo figuratorum Arithmetica quicquam labefactabitur.

2. Argumẽtum aduersus eandem assumptionem veterum est diuersitas figuratarum affectionum, quarum aliquæ tantum explicationi per numeros subiiciantur, non omnes tamen. Syllogismus hic est: Si omnęs figuratorum affectiones numeris explicarentur, recte figuratorum differentia Arithmeticæ tribuerẽtur. At non omnes explicantur. Ergo non est Arithmeticæ tribuenda doctrina Figuratorum.

Respondeo ad assumptionem: Omnes figuratorum proprietates numerabiles numeris explicari, quod author dudũ dixit. Quod autem quædam ita sint Geometricæ, vt numeros effugiant, quales sunt laterum ductus, & angulorum comprehensiones, & reliquę structuræ, earum causa numeros figuratos Geometria nõ requirit, cum ad eas nihil prosint, etiamsi in nuda Geometria præcipiantur, possentq; hoc argumento tam Geometrię, quam Arithmeticę finibus eiici.

Assumptionẽ Ramus duobus exemplis, adiuuat, sed falsis. Nã Arithmetica nõ tantũ duplicat quadratum & cubũ, sed quauis etiam ratione multiplicẽ & sub multiplicẽ facile reperit. Hæc eadẽ ars docuit Geometriam, quidnam sit duplum, triplum, &c. nec nomina ista aliunde modificata sumpsit, sed propria habet & Geometriæ & aliis artib⁹ largitur. Interim tamen fabricam & ædificationem duplæ figuræ relinquit Geometriæ, tam apud hunc authorem q̃ apud veteres. Neq; ad has fabricas quicquam proderit P. Ramo figuratorum Numeratio in Geometriam assumpta.

3. Argumentum est mutilatio corporis, & q̃dam Geometriæ clades ex Arithmetica figuratorum præceptione metuenda. Syllogismus hic est: Vera & legitima Geometria omnibus suis membris constabit. Si præcepta de planis & solidis numeris ad Arithmeticã referãtur, Geometria suis mẽbris non constabit. Ergo non erit doctrina legitima.

Hic quoq; assumptio neganda est, vt quę nullo adhuc argumento sit probata. Tũ enim Arithmetica parte aliqua sui priuaret Geometriã, si quid proprium sibi Geometricũ sumeret. At cum numeros figuratos sibi sumit, res suas repetit, vt eos Arithmetice tractet, vt re-

ſtatur tũ vetus ipſius P. Rami doctrina de figuratis poſtea repudiata cũ fuiſſet tertius liber Arithmeticæ, tũ etiam Lazari Schoneri liber de iiſdem. Vtrobiq; enim figuræ Geometricæ nihil eſt adhibitum.

4. Argumentũ eſt Hyſterologia Methodi in duplici illo Matheſeωs corpore, Arithmetico & Geometrico. Syllogiſmus hic eſt: Species p̃cedere, Genera ſeq eſt præpoſterum. Si numeri figurati in Arithmetica doceantur, ſpecies ibi figurarũ præcedent, genus ipſum figuræ hic demum in Geometria ſequetur. Ergo erit præpoſtera doctrina. Iterum negatur aſſumptio: Non enim ſpecies ipſæ, ſed ſpecierũ nomina quædã modificata κ̃ ἀναλογίαν numeris generalioribus accommodata præcedunt, vt author ipſe paulo ante faſſus eſt, verborũ ſimilitudines hic eſſe, hoc eſt, modificationes. Numeri enim figuras naturali ordine p̃cedere debent, etiamſi alicubi nominẽtur modificatis ſpecialiũ rerum nominibus. Nomina autem hæc modificata neceſſitas poſtulauit, cum propriis non poſſet ſermo tã perſpicuus & breuis eſſe. Maneat ergo Figuratorum doctrina in Arithmetica, vt inde in Geometriã, vbi opus eſt, citetur. Atq; hæc προσθήκη vt rei acceſſit, ſic alia quoq; nõnulla prorſus ἐν προσθήκης μέρει habentor.

Canones.

1. Frequenter quæ ſunt ſignificatorum, attribuuntur ſignis, & viciſſim.
2. Frequenter per Res intelliguntur Nomina rerum, id eſt, frequenter nomina rerum ſeu primæ intentiones accipiũtur non pro rebus, ſed pro ipſis nominibus. Qualitas accidentaliter prædicatur de ſubiecto, id eſt, concretum ſignificans qualitatem accidentaliter prædicatur de nomine ſubiecti, vt hic: Homo eſt qualis.
3. Nonnunquam nomina rerum attribuuntur ſignis q. metaphorice propter proportionalẽ ſimilitudinem, vt Genus aliquando dicitur Materia Biel. l. 1. d. 8. q. 2. Nihil definitur niſi ſit res vna. Biel, id eſt, terminus ſignificans rẽ.

Obſeruatio.

Poteſt manere res, etiamſi eius notio pereat. Exẽpli cauſa: Anima hominis eſt χωριστὸν quid, & incorporeũ: Hæc vbi è corpore migrauerit, etſi ipſa nõ pereat, notio tamen eius perit. Neq; enim erit Anima amplius niſi ὁμωνύμως, cũ corpus nõ amplius animet, nec actiones organicas vllas exercere amplius poſſit, ſed ſuas tantũ & ꝓprias, ad quas ei miniſterio Corporis non eſt opus.

Res aut ſunt τῇ δυνάμει, id eſt, poteſtate; aut τῇ ἐνεργείᾳ, ideſt, actu. Hæ naturæ ſuæ perfectionẽ & quaſi maturitatem quandã adeptæ ſunt, itaq; abſolutæ vocari poſſunt, vt vinũ, nutrimentũ, & oleũ: In his enim forma iã & finis ineſt, ſuisq; omnibus numeris & partib. ſunt expletę Illę vero δύναμιν in ſe exiſtentẽ continent, ſed reipſa nondum ſunt: Nã in iis efficiens tantũ & materia eſt. Itaq; Hottomanus ICtus eas vocat informes, informatas, incoatas, (verum accipit hic informatas non vt phyſici, ſed vt Cicero aliique oratores pro iis, quæ nondum ſunt perfectæ.) Sic ouum quod à gallina fouetur potentia pullus eſt, iuglans lactea, quæ arboris ſucco alitur, potentia & ſpe nux eſt; Seges frumentum; Vuæ pendentes Vinum. Hic quærunt ICti an partus nondum editus recte dicatur Homo? Negatam vide in L. Falcid. 9. D. ad Leg. Falcid. Papin. Phyſica conſideratione Homo eſt, non Legali.

ICti rei vocem etiam tribuunt ſeruis & ancillis, qui alias dicuntur perſonæ: Aiunt enim, Res quarum commercium eſt, alias eſſe corporales, alias incorporales. Corporales eſſe animatas, vel inanimatas; Animatas eſſe rationales vel irrationales: Rationales eſſe ſeruum & ancillam.

Res
- Vna
  - Ad se,
    - Per se stans, id est, nulli subiecto inhærens. Deus, Anima, Corpus.
  - Res absoluta
    - In alio: quantitas, potentiæ, habitus.
  - Ad aliud, Res σχετικὴ, *Idea, vnio*, πρότερον. Nam eiusdem ad se ipsum nulla est prioritas. Sic Entitas quoq; dicitur Esse Absoluta vel Respectiua. Sic ἑτερότης, quæ Barbaris est alteritas.
- Plures.

Axiom. Eiusdem ad se ipsum non est σχέσις ἑτερότητος.

Ἔργα seu opera animę καθ' ἑαυτὴν, quę edit per se citra opem & ministerium aliorum corporis organorum. Ἔργα animæ ἐντῷ πρός τι, relata ad aliquid, q̃ peragit anima auxilio & ope plurium organorum. Galen. vt αἰσθητικὰ, quæ sensibus subiecta sunt, & κινητικὰ καθ' ὁρμὴν ἢ κ̃τ̃ προαίρεσιν, quæ appetitione aut consilio cientur.

Appetitus directus virtute bene se habet ad se ipsum, vel ad alterum: ad se, vt in fortibus & temperãtibus. Ad alterum aliquis habere se bene potest duplicitèr; primo communicando se alteri, quantum potest se illi communicare. Secundo communicando illi aliquid aliud quam se, vt communicando sua: Idq́; vel externum vel internum bonum, vel Bonum pertinens ad conuictum humanum. In amicitia aliquis se ipsum dat proximo quãtum potest: In iustitia commutatiua dantur proximo bona externa: In præsidentia seu dominatione iusta & obedientia communicatio est bonorum ad vitã humanã, (id est, conuictum in aliqua cõmunitate ciuili vel domestica) ptinentium.

Sicut in diuinis est vna Essentia & distinctio personalis per res relatiuas: sic in Imagine creata (anima) erit vna essentia cum tribus potentiis reRelatiua distinctis. Scot. l.2 d.15. Vnius eiusdemque essentiæ necesse est esse hæc tria. (Non sunt Tria absoluta.)

Res sunt Diuinæ vel Humanæ.

In Diuinis Res accipitur Essentialitet & Notionaliter, hoc est, Personaliter, vt est in Quodl. Scot. q.1. præfatione. Probatur hoc Augustt. primo de doctrina Christiana c.2. Res, quibus fruendum est, sunt Pater, Filius & Spiritus Sãctus, eademq; Trinitas vna quædã summa res cõmunis omnibus fruentibus ea. In prima parte huius authoritatis accipitur Res personaliter: in secunda Essentialitèr, vt vere iudicat Scotus. D. Cunradus Vorstius hoc est secutus in Tractatu de attributis Dei, propterea que non satis æque à nonnullis acceptus.

Res humanæ seu Humana generalissime intelliguntur, vt etiam complectantur Rationẽ & orationem, quibus Res cognoscuntur & explicantur, vt cũ dicitur Philosophi studium in tribus, vt Plato voluit, versari videtur rebus: In eorum q̃ sunt, contemplatione & cognitione. In actione honestorũ: In Rationis & orationis conformatione. In Inst. Alcinoi ad doctrinã Platonicã c.3.

Humana
- θεωρητά.
- πρακτά.
- λογικὰ & ποιητά.

2. Res humanæ seu Humana generaliter dicuntur seu intelliguntur omnia, q̃ in vniuersitate propter hominem sunt: seu tum omnia naturalia corpora & cœlestia, & ea q̃ mundo hoc inferiore continentur, quorum homo quodãmodo finis est; tum ea, q̃ ad Hominis Ethicam & Politicam vitam pertinẽt.

3. Specialiter solum ea intelliguntur, q̃ ad institutionẽ vitæ humanæ pertinent, quæ Philosophiæ moralis propria est.

Secundo modo accipiuntur, cum dicitur à Platonicis. Sapientia vel Philosophia est rerum diuinarum & humanarum scien-

ſcientia ſeu cognitio. Poſtremo vero modo, cum dicit Marſ. Fic. Diuinorum ſapientia ſeu intelligentia eſt Natura-

lium ſcientia: Humanorum prudentia: quod & Ariſtotelicum eſt.

- Res
  - Diuinæ, vt ſummum principium, & æterna omninoque prima omnnium rerum cauſa, DEVS: & Mentes.
  - Humanæ
    - Naturales
      - Elementares.
      - Cœleſtes.
    - Morales.

Omninò prima cauſa.] Platonicis cauſæ omninò primæ ſunt in genere ſubiecti materia prima: In Exemplaribus Idea: In Efficientibus Deus. Sed nos nec materiam primam omninò primam cauſam, nec Ideam & Deum reipſa duo facimus.

Res aut ſunt ſenſiles, aut ſunt Intellectiles.

Senſiles percipi poſſunt ſenſu, quales ſunt res corporatæ.

Intellectiles animo & ratione intelligi poſſunt. Huc pertinent Abſtractæ, vt ſunt apud Philoſophos Sapientia, Virtus; apud ICtos ſeruitus, hæreditas.

Vſus.

Quæſtio eſt, vtrum ſecundæ ſubſtantiæ ſint res ſenſiles, an intellectiles?

Ratio dubitandi eſt hinc. Prima ſubſtantia, v. g. Petrus, vt corpus ſenſui obiectum cerni ac tangi poteſt: Itaque res ſenſilis eſt. Sed Homo ſubſtantia ſecunda ſub ſenſum cadere non videtur: Itaque etiam dicenda videtur res intellectilis.

Rurſus: Homo recenſetur inter ſubſtantias corporeas à Philoſophis: Ergo fortaſſe ſubſtantiæ ſecundæ videntur dicendæ, partim ſenſiles, partim intellectiles res.

Reſp. Si Platonicos ſequimur, Subſtantiæ ſecundæ res erunt intellectæ, hoc eſt, eiuſmodi, quæ ratione & intelligentia contineantur: ſi verò Ariſtotelicos nonnullos, ſecundas ſubſtantias ſubiiciemus ſenſibilibus, vt Primas. Etſi enim ſecunda ſubſtantia nõ percipitur ſenſu, ſed à ratione & intellectu; id tamen fit ſenſuum opera, miniſterio & inſtrumẽto. Nonnullos dico, quia ſunt etiam non pauci, qui referunt ad res νοητὰς, quia ex innumerabilibus indiuiduis, quæ ſenſu percipiuntur, ἰδέαν, id eſt, notionem generis animo concipimus: ſic ex multis natantib⁹ animalibus generalis piſcis notio concipitur, ſeu in mente & memoria imprimitur, vt ſemper vbiq; omnes piſces agnoſci poſſint. Sed priores regerunt notionem illam non eſſe τὸ ὑφεστηκὸς, non eſſe naturam.

Ego ſic iudico; Quæ notione & intelligentia comprehenduntur, ſunt νοηταί. Species & genera notione & intelligentia comprehenduntur. Ergò Species & Genera ſunt res νοηταὶ ſeu intellectæ.

Res ſpectatur, vel vt Eſt, vel vt cognoſcitur. Ita principium quoddam rei eſt, vel vt eſt, vel vt cognoſcitur. Vide vocem ἀρχὴν ſeu principium. Rei vt eſt cognitio, eſt veritas, id eſt, conuenientia rerum & conceptuum noſtrorum.

Vſus.

Tota multitudo rerum poſſibilium non eſt actu in rerum natura, ſed in cognitione Dei: Nulla enim Res poſſibilis eſt, quam Deus actu ignoret.

Res aliæ ſunt eædem, vt genere, ſpecie vel Definitione, & Numero: vel Diuerſæ.

Τὸ Diuerſæ hoc loco eſt accipiendum generaliter, vt etiam complectatur Contraria: vel ſi diſtinguantur Diuerſa à contrariis, quod propriè fit, Res erunt Eædem, aut Diuerſæ, aut Oppoſitæ: Oppoſitis contrarię ſubiiciuntur. Itaq; rerum aliæ ſunt conſentaneæ, quarum

interſe rationes cõſentiunt, vt in Muſica numeri, voces, modi ; aliæ ſunt Diſſentaneæ, quæ inter ſe Diſcrepant, vt res Diſparatæ : Vbi nota res etiam conſentaneas poſſe eſſe diuerſas, ſicut ſentit Hottomannus lib. 1. Dialect. cap. 19. Vbi res diuerſas etiam vocat differentes: Vbi etiam Relatas res diuerſas facit.

Res interdum opponitur *Rei Modo* ſeu ſtatui.

Res communis eſſe poteſt, Modus proprius. Cognitio Angelo & Deo communis: Sed Deus, qui eſt omnis perfectio ſimpliciter perfectiſſimo cognitionis modo cognoſcit & ſe, & omnia alia à ſe.

Res facta miraculosè poteſt Apoſtolis cum Chriſto eſſe communis. Ioh. 14. Sed modus faciendi, qui Chriſti eſt, nõ eſt Apoſtolorum etiam. Miracula, inquit Picus, Chriſti quoad rem factam ſunt argumentum, quod fuerunt facta in virtute diuina. Quoad modum faciendi, ſunt argumentum, quod ipſe Chriſtus faciens virtutem diuinam à ſe habeat, non aliunde. Pic. propoſ. 40. & 41.

Axioma Scholaſt. Virtus Dei non eſt adſtricta modo naturali. Non eſt neceſſe, vt res, quæ alicui vnitur, vniatur illi ſecundum omnem entitatem & modum realem, quem in ſe habet.

Interdum Rei opponitur ſignum, Typus, id eſt, figura, ſpecies, vmbra, pictura, verbum, titulus, εἴδωλον. Sacramenta in ſignis diuerſa ſunt, ſed in re, quæ ſignificatur, paria. Auguſtin. Chriſtus occiſus eſt ab initio Mundi in typis, vt ſacrificiis, non re ipſa.

Manducatione reali Chriſti corporis, quę eſt inuiſibilis & πνευματικὴ, opponitur ſacramentalis, quæ eſt viſibilis, externa, coiporalis, ceremonialis. Plato. Res rerum vmbris opponitur (ὕπαρ, ὄναρ: τὸ Realiter, πῷ Vmbraliter. Idea non eſt aliud extra rem. Ergo idea non eſt res ipſa. Certamen, hoc eſt, verbale, non reale, non πραγματομαχία, ſed λογομαχία. Communicatio Idiomatum non eſt Realis, ſed Verbalis, id eſt, mutua prædicatio, non eſt res ipſa.

Res videtur per ſpeciem. Res & veritas Sacramenti vſus ſunt. Auguſt.

Res opponitur ſpei. Iuſtificatis fide, qui ſpe ſalui ſunt, neceſſaria ſunt opera ad ſalutem & vitam æternam, Re actuque poſſidendam. Pueri Ariſtoteli ſpe beati, perfectæ ætatis homines Re.

Rei interdum opponitur Narratio. Theodor. Zuinger. in Th. Nos hiſtorica fide non tam quid geſtum (quæ Rei veritas appellatur) quam quid ab aliis ſcriptum ſit (quæ Narrationis Veritas dici poteſt) in medium producemus.

Stet penes authores fama fideq́, ſuos.

REALITAS.

Abſtractum rei eſt, vt Generis, vt Differentiæ, (hæc enim ſunt res) Genus ſignificat rem ſub ratione potentię, Differentia ſub ratione actus. Res igitur ſeu ſpecies alicuius certi generis ſeu compoſitum habet duas Realitates, quæ ei inſunt, potẽtiæ ſcilicet, & actus cuiuſdã rerũ ſignificatarũ. Vid. Schegk. in 4. Top. ad loc. 65. opponitur Realitati Formalitas.

Realitas { Abſoluta, Relatiua } Potentiæ animæ ſunt idem eſſentiæ animæ realiter abſoluta; diſtinctæ tamen inter ſe realiter relatiua. Scot. l. 2. diſt. 15.

Deus realiter Creator & Dominus eſt; & tamen in Deo reales reſpectus nõ ſunt. Si enim eſſent, derogarent ſimplicitati Dei. Sunt igitur Reales illi reſpectus inter Deum & creaturã. Nec actiones tranſeuntes ſunt in agẽte, ſed ab agẽte, (ſunt in patiente.) Creatio eſt actio tranſiens. Non igitur eſt in Deo, ſed à Deo

Deō, qui totus est substātia & ἐνέργεια.

In Mysterio Trinitatis Scholastici distinguunt inter Totam Realitatem, & Omnem modum Realitatis. Sic enim loquuntur. Essentia Diuina & Personæ sunt vna simplex Entitas, q̄ habet duplicem Modum seu statū Essendi: Vnū absolutum, & sic dicitur Essentia, Bonitas, Sapientia, Intellectus, Voluntas, Omnipotentia: Alterum Relatiuum, & sic dicitur Paternitas, Filiatio, Processio, Spiratio, Persona. Igitur Entitas illa perfectioq́; secundum Totā Realitatem, quam habet à Patre, cōmunicata est Filio: Non tamen secundū omnē modum Realitatis. Est enim illi communicata secundum modum Absolutum, non secundū modum Relatiuū. Implicat enim eādē personā simul esse Patrem & Filium respectu eiusdem.

Reale opponitur interdum Rationali: Interdū *Imaginario*: Interdum *Verbali*: Vt, Non est *Realis* cōnexus soni cum re designata. Vnio inter sonum prędicationis seu præconii Euangelii & rem promissam est *Intelligibilis* & νοητή.

Realiter, Reapse.

Distinguitur à πῳ Formaliter, id est, secundum Esse formale, quod in se res recipit, vel secundum ῥpportiones formales, & λογικῶς. Diuina natura non distinguitur realiter à Persona Verbi, vt Humana natura: sed formaliter. (Essentia non est formaliter Persona.) Nec Deitas & ὁ λόγος sunt Termini Synonymi. ὁ λόγος (terminus) includit σχέσιν ad Creaturas: at θεότης (terminus) non.

Distinguitur à πῳ Notionaliter vel materialiter, seu ἐσικῶς, & idem est quod significatiuè, Proprietas signorū est cōnotare. Id quod in Diuinis *realiter Verbum* est, nihil connotat. At *Terminus Verbum*: cōnotat creaturas, quas respicit Amo nō realiter, hoc est, significatiuè, sed materialiter sumptum est dissyllabum.

Realiter & actu distinguitur à virtute, vt Essentia Dei licet realiter & actu vnica sit & simplex: tamen virtute est multiplex, & multa officia sustinet.

Accipitur pro Verè, vt Naturæ, Diuina & Humana, Realiter sunt in Christo, id est, verè.

Accipitur ῥp Formaliter & Propriè, In se ipso, τῇ οὐσίᾳ. Gabr. Biel. l. 3. dist. 27. q. 1. Amor inhians habere (id est, ad habendum) quod amatur, cupiditas est. Id autem habens, eoq́; fruens lætitia est: fugiens, quod aduersatur ei, timor est: idq́; si acciderit, sentiens tristitia est. August. 14. de Ciu. Dei. c. 7. Sed loquitur Augustinus nō formaliter, sed causaliter, secundum expositionem multorum, quia amor nō est realiter cupiditas, id est, spes seu desiderium, neque lætitia, neq; timor, neque tristitia, nam amor, qui affectus est, est actus voluntatis immanens liberè elicitus in ea, cętera sunt πάθη amorē, vt principium & causam immediatam, vel mediatam naturaliter consequentia.

πῳ Realiter (sicut & Veraciter) opponitur Virtute, seu secundū effectū. Sic in Apol. Io. Pic. Mirand. q. 1. de descensu ad inferos. Cōclusio prima ex ῥpositis à me, q̄ d[illegible]rūt, fuit hæc: Christus nō veraci[illegible]anti ad realē præsentiā descen[illegible]inferos, vt ponit Thomas, & cōmunis via, sed solū quoad effectū seu operationē. Sic Rex, qui existit ὅλως *seu realiter* in palatio, dicitur esse simul in alio loco prouinciæ, vbi auctoritate potestatis suę & imperio suo aliq̄d agit seu operatur, *ideoq́;* τῇ ἐξουσίᾳ καὶ ἐνεργείᾳ, nō realiter, i.e. quoad locū vel motum localē, qui subiectiuè sit in Rege, sed quoad effectū seu efficacē operationē.

Humana natura Christi nō habet Deitatē omnipotētiāq́; Dei realiter in semetipsa. vt Deitas omnipotētiaue sit forma Humanitatē informās (sed psonaliter, i.e. vt psonali vnione nexuq́; eā gestat.)

Vnio animati corporis cum Verbo est Gabrieli lib. 3. d. 2. q vn. realiter & formaliter ipsa incarnatio. Rea-

Realiter per ſynecdochen generis ponitur pro Corporaliter, Subſtantialiter, Realiter. Opponuntur ei Obiectiuè, per ſpeciem, Typicè, Ceremonialiter, Spiritualiter, qua hoc ſignificat idem quod per ſpeciem, Repræſentatiuè: Vt Quæſtio vexatiſſima eſt Vbiuis locorum: Vtrum in ſigno ſacramentali corpus Domini cõtineatur Realiter, ſicut corpus idem (Chriſti) in cœlo ſede Maieſtatis Diuinæ: an Repræſentatiuè, ſeu per modum Repræſentationis, ſicut ſignatum in ſigno?

Chriſtus nõ eſt vnctus Typicè, ſeu Ceremonialiter, ſed Realiter, i.e. Spiritualiter, quod ad rem ſignificatam attinet. Nam & quod ſpirituale eſt, Reale dicitur, cum Reale ſit commune πρὸς ἓν, latius patens quam ſpirituale.

Reale πρὸς ἓν ſeu tranſcendens potius.

Fides vera tantæ eſt efficaciæ, vt res abſentes conſtituat præſentes, non quidem realiter ſeu materialiter, ſeu καθ' ὑπόστασιν, ſed ſpiritualiter, id eſt, non ſubſtantialiter, ſed per ſpeciem. Ita Caro Chriſti crucifixa eſt in animis noſtris verè & efficaciter, etſi non realiter, id eſt, corporaliter. Ita Apoſtolus ſcribit, Chriſtum crucifixum fuiſſe ante oculos Galatarum. Ita ſponſus ſponſam in animo habet vi amoris. Ita res corporeæ, & ex materia concretæ, dicuntur eſſe in ſpeculo ſine materialibus & phyſicis conditionibus.

Ea, quæ ſenſu recipiuntur, adſunt ſenſibiliter per ſpeciem ſenſilem. Quæ recipiuntur animo, aſſunt ſpiritualiter per ſpeciem intelligibilem. ἔυλογον enim eſt, *vt res, quæ alicubi ſuſcipitur. Modum ſuum ab eo habeat, à quo ſuſcipitur.* Caro Chriſti Ioſeph

Abrahamo Cáro Chriſti futura præſens fuit, non realiter, ſed obiectiuè. Cum enim præſentia & coexiſtentia ſuppo-nant exiſtentiam, quod non exiſtit realiter, non poteſt realiter coexiſtere, aut præſens eſſe. Quod adeò verum eſt; vt Res futuræ ne Deo quidem coexiſtant, & ſint præſentes realiter ab æterno, ſed tantum obiectiuè. Cum enim non ſint extra ſuas cauſas ab æterno res futuræ, non exiſtunt realiter ab æterno. Becan. de ſcientia Dei.

Ioh. Pic. Mirand. Concord. Comes in Apol. fol. 46. Realiter accipiens pro eo, quod eſt per veram exiſtentiam ſuę naturæ, opponit ei, quod eſt per ſolam Idiomatum communicationem, vt cum dicit ex Durandi ſententia, In Sacramento Altaris corpus Chriſti eſt per veram exiſtentiam ſuæ naturæ, ſeu realiter, non per ſolam idiomatum communicationem.

Interdum Realiter opponitur τῷ Eſſentialiter, vt video corpus tuum realiter, id eſt, reuera, licet non eſſentialiter, id eſt, κατ' οὐσίαν.

RESISTENTIA.

Reſiſtentia {
- *Priuatiua* ſeu Paſſiua, qua ſubiectum etſi aptum ſit ad recipiendum formam ab agente, ei tamen aut non, aut ægrè cedit, & eius actionem remoratur, verum ſine actione, vt cum prædurum ſaxum frangere nitenti reſiſtit. Huic oppoſita eſt Actio. Datur hæc reſiſtentia in motu locali. Si enim coneris montem loco mouere, reſiſtet tibi mons nõ agendo, ſed impatibilitate, quia non admittit motum.
- *Contraria ſeu Actiua*, qua aliquid actione ſua cum aduerſario congreditur, eiuſque vim contra pugnando quoad poteſt, infirmat, vt cum aqua reſiſtit igni: ſeu eſt Impatibilitas quędam ac contumacia, ſecundum quam non facilè qualitas à ſubiecto pellitur, nec ſubiectum ipſum à contrario patitur.

Sic

Sic Resistere est { Non pati, Aristoteles in Categoria Qualitatis. / Agere per contrariam qualitatem.

ex. Mentes non habent in se principium resistendi infinitati & nutui Dei, si velit eas deponere ab ea essentia, in qua sunt ab illo constitutæ. Videtur quibusdam addenda esse Resistentia Negatiua, quæ consistit in sola Non-capacitate seu ineptitudine subiecti ad recipiendam formam. Sic cœlum dicitur resistere ignis calori, cuius non est capax.

Resistentia est motus, per quem actio agentis, aut omninò impeditur, aut saltem retardatur.

Hæc est Perfecta, vel Imperfecta.

Perfecta, per quam actio agentis simpliciter impeditur, vt effectus planè induci non possit.

Imperfecta, per quam actio patientis secundum quid impeditur, ita vt facilè nequeat induci effectus.

Ea habet latitudinem, vt loquuntur, id est, Gradus. Itaque est Maior vel Minor, pro diuersa & inæquali causæ efficientis, à qua resistentia pendet, δύναμει ac virtute. Scholast. hanc virtutem Barb. vocant potentiam Restitiuam. Vide Phys. Timpleri.

RESOLVTIO.

Resolutio est cuiusque rei ad sua principia, vnde componitur, reuocatio: seu, est operis facti reductio ad principia, id est, ea, è quibus compositum est.

Resolutio Logica est, cuiusque ad vltima vsque principia & elementa reuocatio, vt iudicari possit, sitne perfectè & accommodatè ad suam naturam constitutum.

Est autem Resolutio Consequentiæ vel Consequentis.

Resolutio consequentiæ seu argumentationis est huius ad sua principia, quib. constat, reuocatio. Quę fit, cum ostendimus, consequentiam esse bonam, quod constet propositionibus & terminis ad illationem accommodatè dispositis.

Resolutio consequentis est alicuius consequentis necessarii ad sua principia, ex quibus illatum est, reuocatio. Quæ fit, cum ostendimus, ipsum cõsequens esse illatum è principiis necessariis & primis, quibus nemo possit refragari. In hac resolutione semper præsupponitur Resolutio consequentiæ. Nam nisi sit bona cõsecutio, non potest necessariò colligi necessarium cõsequens è propositionibus necessariis.

Resolutio propositionis vnius ad aliam cognatam vel æquipollentem est Reductio quædam.

Non opus est exercitio in leuioribus artibus, & non est opus in difficilioribus; Resolutio huius copulatiuæ in Hypotheticam ætiologicam æquipollentem hæc est: Cum opus sit exercitio in leuioribus artibus, consentaneum est & in difficilioribus artib. exercitio opus esse. Cicer. in lib. de Diuinat. Non sunt Dii, & nihil significant. Græcis admodum familiaris est talis oratio, & quidem Geometricis. Sententia autem est: Non est consentaneum cum sit Deus, non significare eum futura. Nõ sunt æquales chordæ, & nõ sunt æquales arcus, id est, si sunt æquales chordę, & non sunt æquales arcus, id est; si sunt æquales chordæ, vt certo sunt, æquales etiam arcus fuerint.

Augustini Psal. 98. hoc est, ἀξιομνημόνευτον & ἀξιόλογον. Non quod sonat sine ratione, delectat aures, & verbum Dei non delectat. Hanc Victor. Strig. in explicat. Logic. facit sensu hypotheticam affirmatiuam indefinitam: Sic enim interpretatur eam: Cum Musica aures

delectet, consentaneum est etiam verbo Dei cor delectari. Veteres quidam vocant argumentum à Fortiori, id est, à minori ad maius.

Interdum vocatur talis Resolutio Reuocatio vnius propositionis ad aliam. Interdum dico, Quia hæc phrasis generalior est & latior. Significat enim etiam relationem alicuius ad aliquod prius. Itaque Fonſ. l. 5. Metaph. ait: Reuocari vnum ad aliud nihil aliud est, quam referri illud tanquã ad aliquod prius natura : *siue generationis ordine:* quomodo totum reuocatur ad partes: *siue perfectionis*, qua ratione reuocantur partes ad Totum, vbi voci Resolutionis locus prorsus nullus est. Non enim dicuntur partes resolui in vel ad totũ. Nec satis commoda est vox Reductionis. Ac quod aliud propriè sit Reuocatio, aliud Reductio, ex hoc pronuntiato Fonsecæ perspicitur: Quæ in prædicamentis per se locum habent, & reliqua, quæ ad illa reducuntur, omnia ad Deum, tanquam ad omnium principium finemque reuocantur, id est, referuntur.

Sic eidem Fonsecæ non rectè loquuntur, qui dicunt, Deum ad prædicamenta reduci, tanquam causam primam ad sua effecta. Nam causæ Efficiens & Finalis non reducuntur ad sua effecta, sed potius effecta ad causas illas. Efficiens & Finalis signatè dico, Quia Materialis & Formalis causæ dicuntur, reduci ad cõpositũ. Differũt ergò Reuocatio & Reductio, vt Genus & Species. Cæterum hæc paria sunt, hoc est, idem significant. Reuocantur Entia Rationis per entia realia ad prædicam. & Reducuntur entia Rationis per entia realia ad prædicamenta, vt ignobiliora per nobiliora, perfectiora per imperfectiora : Sic partes integrantes per totum integrum ; Materia & forma per Compositum.

Resolutio Demonstr. est quædam demonstrationis inuersio ex effectis, nempe causam concludens. Demonstrationis intell. propriè & absolutè dictę. Vocant Demonstrationem à signo vel effecto.

In Physicis Reductio est Causarum per accidens ad causas per se, obscurarum ad perspicuas, occultarum ad manifestas, impropriarum ad proprias. Hic etiam vti licet voce Reuocationis.

In Phys. *Resolui* dicitur Calor naturalis, vbi subducto pabulo reducitur, quasi ad minima naturalia, è quibus, vt ita dicam, compositum est, inquit Scalig. ex. 152. s. 1. Hæc enim est resolutio totius in partes, vbi connexa dissipantur: scilicet naturalis humor ab eo carpitur ita, vt sibi tyrannus ille subducat fundamentum. Extinguitur autem manente integro subiecto materiali, & introducta noua qualitate. Exemplũ est in re calefacta velut in carbone: In eo aboletur ignis extinctione: scilicet nulla facta quantitatis diminutione; si quis infundat aquam. Resoluitur autem pabulo deficiente.

RESPECTVS.

Respectus σχέσις seu ratio est.

Respectus { Relatiuus, Relationis. / Aliorum generum, qui à quibusdam dicitur Transcendens.

Respectus pertinens ad τὰ πρός τι essentialiter seu formaliter est ad aliud, non vt δεκτικὸν, aut efficientẽ, aut finalem, aut formalem causam, sed præcisè est ad aliud, vt Terminum ad quem ; Vt vnum relatorum nec est finis, nec forma, nec efficiens alterius, sed termin⁹. Itaq; Alb. M. negat vnũ Relatiuorum esse

esse definiendum per alterum, qua τὸ Per significat causalitatem. Sic Caiet. in prædicam. Relatiua definiuntur ad alterum, non per alterum: Nam Per significat causale, Ad verò χέσιν.

Respectus aliorum Generum, qui à quibusdam dicuntur Transcendentes, respiciunt essentialiter aliud, vt subiectum, vel materiam, vel formam, vel huiusmodi. Sic enim materia respicit formam, & vicissim.

Regula: Respectus etiam aliqui absolutis adhærent multis, vt amori, iræ.

Vsus.

Inhærentia aptitudinalis importat respectum ad aliud, vt λευκὸν: Non igitur est de Genere Relationis, sed cuilibet generi identificata modo absolutum, modo relatiuum ens significat. Itaque nihil vetat, quò minus inhærentia aptitudinalis cum sit respectus, sit de essentia absoluti accidentis. Imò ex eo, quod accidens à subiecto absolutum non est, etsi sit absolutum à termino, sequitur de essentia eius esse essentialem dependentiam ad subiectū, quam inhærentia aptitudinalis explicat. Caiet. in 7. cap. de Ente. Est igitur inhærentia aptitudinalis respectus quidam, etsi non sit Relatio. E Schola Thomæ.

Respectus
- IN, vt accidentis omnis, quod aptum natum est recipi in alio; Itaque subiectum respicit.
- AD, vt accidentis relat. hoc enim respicit aliud, vt Terminum.

Respectiuum ad aliud
- Vt Terminum.
- Vt Subiectum.

Relatio habet esse debile: Itaq; non potest seipsam fulcire. Requirit igitur fundamentum, quod est in alio.

Plures respectus fundari possunt super vno, vt super vna albedine plures similitudines.

Respectus interdum significatur voce Secundum; vt, Quæritur: An Corpus & Sanguis Domini iam possint esse separata? Resp. Secundum se considerata Corpus & Sanguis Domini non diuelluntur, id est, respectu sui ipsorū; sed secundum rationem sacramentalem spectata, qua nobis repræsentant, quod semel factum est, Corpus à Sanguine separatur.

RESPONSIO
Personalis.

Est Responsio ad personam directa, vt si quis dicat: Deo nihil est impossibile, seu Deus est omnipotens? Ergo potest mentiri. Respondeei; Vtinam Deus fecisset te sapientem.

RESPVBLICA.

1. Respublica est populi & rerum eius in vnum corpus per certas leges coordinatio ad felicitatem. Populus & res ciuiles sunt Materia Harmonica distincta; singularum partium Reipublicæ: Coordinatio est forma Reipub. *Harmonica, id est, per certas leges iuraq;*
2. Respublica est res populi, quæ complectitur res animatas, vt ministros publicos, bestias, cicures, & feras, & inanimas, quæ sunt immobiles, vel mobiles: Immobiles naturales, vel artificiales: Naturales, vt maria, agros, syluas, fodinas metallicas, salinas: Artificiales, vt domos, pagos, vrbes: Mobiles, vt Reditus publicos, instrumenta publica.

Respublica dicta { Propriè, ordo ciuitatis, seu ciuilis societas.
Impropriè, quæ discedit à vera ratione ciuitatum gubernatarum, vt non videatur esse appellanda Respublica. Nulla Respublica.

Respublica accepta { Laxius, pro mala etiam & illegitima.
Specialius & pressius, pro bona tantum.

RESTAVRO.

Instauro placet & redintegro, vt pugnam redintegrare, quod Græcis est ἀναμάχεσθαι Eras. l. 1. Apopht. Etsi Restauro in barbaris non ponam.

Restaurum Alberti M. Vide in voce Humidum.

RESVMPTIO, ἀνάληψις.

Resumere Græcè ἀναλαμβάνειν propriè est iterum in manus sumere. Philosophi hac voce vtuntur, cum post interfata seu interiecta quædam explicationi alicuius redeunt ad institutum: vel est argumentum iam ante illatum repetere. Aristot. 4. cap. lib. 1. Eth.

Resumamus igitur ea, quæ initio exposita sunt, & ita in opera suscepta progrediamur. Sic dicimus: sed interfati hæc de Methodo ad institutum reuertamur.

Medici hoc verbo vtuntur in Recollectione virium ex longo morbo interruptarum, (ἀνάληψις seu resumptio virium, id est, reparatio.) Vnde pharmaca analeptica, quæ recreandis defectis composita sunt.

Epanalepsis, Resumptio, est cum interiecta longa parenthesi ad institutum reuertimur, seu iisdem verbis, seu variatis, eadem tamen sententia seruata. Cœl. Secund. in Comment. in Or. pro C. Rabir. Perduell.

RETIA.

Retia propriè piscatorum sunt, vel venatorum ad capiendum facta.

Rete mirabile in doctrina Anatomica est plexus flexuosus retiformis in cerebro ex arteriis & venis, quas dicunt Carotides. Admirabile dicitur propter connexionem naturæ, quæ fit ineffabili industria, seu propter perplexos anfractus (propter plexus mirabiliter implicatos) Græcè δικλοειδὲς πλέγμα.

Reticulum 1. fascia est mulierum implicans capillos. 2. sacculus viatorum, quo portant commeatum.

Fenestræ reticulatæ Varroni sunt, quæ reticulis seu cancellis munitæ sunt.

RETRO *commeare.*

Retrò commeare dupliciter accipitur. 1. Est conuerti, vt subiectum & proprium adiunctum. 2. Est sibi mutuo succedere in eodem. Hoc est contrariorum. Contraria retrò commeare possunt, id est, sibi mutuo succedere in eodem subiecto, exceptis iis, quæ sunt inseparabilia, vt calor ab igni. Priuatio consummata seu absoluta & habitus non commeant retrò, id est, ab illa priuatione, quæ est potentiæ cum actu, non potest esse regressio ad habitum.

RHOMBVS.

Rhombus est figura quadrata solida æquilatera, non rectangula, id est, tribus lateribus æqualibus, angulis verò obliquis. Seu, Rhombus est parallelogrammum obliquangulum æquilaterum. Ram.

2. Est

2. Est vtensile simile figuræ huic Geometricæ, quod nostrates dicunt Garnwinde / oder Spulradt / vel rotula seu parua machinula, quæ inter nendum vertitur, Ein Spinnradt.
3. Est piscis cognatus passeri, Ein Platteisen/aculeatus vel leuis: Horat.

Putet aper, rhombusq; recens, mala copia quando
Ægrum sollicitant stomachum.

4. Fuit etiam genus quoddam saltationis.

Rhomboides est Parallelogrammum obliquangulum inęquilaterum. Ram. seu; figura neque rectangula, neque æquilatera, quæ nec latera æqualia, neque angulos æquales habet. Dicitur & de figura aciei.

Per Metaphoram Piscis à Rhombo paululum differens. *Gesnerus.*

RHYTHMARMONICA *Metrica superioris seculi Scholastica.*

Cum teste Sixto Senensi lib. 3. Bibliothecæ S. per totam Europam mos iam inoleuisset, vt incõditi versus in eandem finalis Syllabæ consonantiam desinẽtes vulgari vniuscuiusq; prouinciæ idiomate compositi cantarentur, cœpit vulgarium rhythmorum Poesis tanto in pretio haberi (hoc est glandes præferri frumento) vt nullum Poema plausu vel laude aliqua videretur dignum, quod esset Rhythmica harmonia destitutum. Quocirca Scholastici Theologi (Monachi sententiarii) cum cuperent homines sui temporis Rhythmis dedito ad studia litterarum allicere, accepta hinc occasione, excogitarũt & ipsi nouam metricæ artis rationem ex veteri Latina & recenti vernacula Poesi compositam. Ex veteri quidem acceperunt Syllabarum quantitatem, numerum pedum, ac totius carminis leges & mensuras diligenter obseruandas: Ex noua autem & vulgari sumpserunt rhythmorum consonantias, Syllabarum assimiles desinentias, & parem nonnunquam literarum & syllabarum in diuersis metris numerum. Hanc Mixtam seu Nouantiquam Poesin seu Metricam distinxerunt in duas species, *Pezometricam* seu mixtam prosa, quæ ex metris prosa intermistis existit; & *pure metricam*, quæ solis metris constat. Hanc vero diuiserunt in partes duas, *Rhythmicam & Leoninam.*

Rhythmica constat ex inconditis & imperfectis versibus, qui sibi ipsis parium syllabarum numero & finalium similitudine respondent. Exemplum satis rude visitur in Expos. Dionys. Carthus. Euang. secundum Ioh.

Tu verbum in principio
Eras ex nullo initio,
In Patre æternaliter
Manes intemporaliter.

In sequenti exemplo vides Strophas diuersum finem Symphoniacum habere.

1. Piscatores hominum sacerdotes Dei,
Præcones veridici, lucerna diei,
Caritatis radio fulgentes & spei,
Auribus percipiter verba oris mei.
2. Stroph. Estote beneuoli, sobrii, prudentes,
Iusti, casti, simplices, patientes,
Hospitales, humiles, subditos docẽtes:
Consolantes miseros, prauos corrigentes.

Leonini versus Ethicis (Dic mihi quisnam clamor? Amor: quisnam furor? vror) similes sunt, teste Scaligero l. 2. c. 29. Poet. Ibidem ait se causam nominis ignorare. Sixtus Senensis putat dictos à primo authore Leone. Quidam appellarunt Æquiuocos, ab æquo, id est, æquali seu simili sono: Græce dici possent ἰσόφθογγοι & ὁμοιόφθογγοι.

Hæc autem (Leonina) Rhythmica consonantia multiplex est.

1. Versus continue se sequentes similiter desinunt, vt cum singuli quiq; duo hexametri in similiter desinentibus syllabis extremum pedem terminantes

rhythmicam Symphoniam efficiunt, vt Raimund.

Quod si perfecte nequeo res edere cunctas,
Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.

2. Finis vnius versus eiusdem medio consonar. Exempla Hexametra. Bedæ versus hi sunt de notis mensium 12.

Poto, ligna cremo, de vite superflua demo,
Do germẽ gratum, mihi flos seruit, mihi pratũ,
Spicas destino, a b *messes meto, vina propino,*
Semen humi iacto, mihi pasco sues, mihi macto.

a Malo, destino ego, quia i. in destino breue est.

De Temporibus anni 4.

Temporibus veris modicum prandere iuberis,
Sed calor æstatis dapibus nocet immoderatis,
Autumni fructus caueas, ne sint tibi luctus,
De mensa sume quantumuis tempore bramæ.

b Fruges meto.

Epitaphium Abingdonis, authore Thoma Moro, Martyre Angliæ.

Hic iacet Henricus semper pietatis amicus,
Nomen Abingdon erat. Si quis sua a munia quærat,
Bellus hic Ecclesia fuerat succentor in alma,
Regis & in bella cantor fuit ipse capella:
Millibus in mille cantor fuit optimus ille,
Præter ea & ista fuit optimus organista.
Huic igitur Christe, quoniam tibi seruiit iste,
Semper in orbe soli, da quoq; regna poli.

a i.e. eius.

Morus, vt erat doctissimus, ante scripserat Elegiacum Epigramma satis elegans, & quod doctis placuisset. Sed Iano (ille enim petiuerat) displicuit, quia non resonabant versus. Videns igitur Morus quales lactucas talia labra peterent, ridens ridendos versus effudit, quos statim Ianus gaudens ab ipso accepit, & tumulo in sculpendos curauit.

Exemplum Elegiaci carminis Erigerdi ad Casp. Francum, quo die suo natali vincitur.

Ecce nouum natum, Mecœnas optime vatum,
Quo se stella rotat, lux hodierna notat.
Ecce dedere Dei nato tria dona Sabæi,
Quæ mihi curabis tu tria dona dabis.
Sed tamen, vt reris, nimium ne forte grauerù,
Patrono vero non ita durus ero.
Si bene sum sanus, dabit auri munera canus
Caspar, at errabis, ni mihi tute dabis.
Sed venit in mentem, te non dare sponte volentem,
Cogi alioq; modo posse alioq; modo.
Ecce sacratorum solennia festa Magorum,
Colla liganda docent, haud ea vincula nocẽt.
Vincula Casparum venerando nomine clarum
Cogunt, instigant, carminibusq; ligant.
Ergo haud iratis redeunt cui nomina fatis,
Inclyte Caspar aue, carminibusq; faue.
Carmina mittuntur, nisi des quæ rite petuntur,
Non mihi solueris, non mihi liber eris.
Pars bene multa mei voti est, vt dona Lyæi
Hanc hilarent lucem, diminuantq; crucem.
Qua crucior pœna, leuis est ipsa ære crumena,
Vatibus esse solet sors malefida bonis.
Ergo age Mecœnas soluas haud segnis habenas,
Qui forsan cogat non minus ipse rogat.
Nobiscum gaude, nec refragier aude,
Sic vrgent Leges, Aoniiq; greges.
Cumq; domo tota nunc Bacchica munera pota,
Et fac patroni nos meminisse boni.
Sis hodie læta, cum læto, mente, Poeta,
Omnes clamabunt, atq; ea vota dabunt.
Viuat Casparus, qui non erat Hospes auarus,
Qui nos curabat, qui bona vina dabat.

Monachus quispiam de Erasmo Roterod. mortuo:

Hic iacet Erasmus, fuerat qui a ridiculus mus.

a Alias risorius.

RVBRICA.

Rubrica, media longa, proprie est Terra rubra.

Rubri-

Rubrica
- Natiua fossilis Berg Röttel
  - Sinopica (sic dicta à Sinope vrbe) & terra Lemnia (sic dicta ab insula Lemno.)
  - Nostras ex Ochra (terra lutea, gelbe Erde)
    - Natiua in fodinis calore terræ aut solis adusta & degenerante.
    - Natiua ad flumina, calore solis aut terræ exusta & degenerante, quæ nimirum cum aduritur, fit pignitis (terra quædam nigra) indurata.
- Factitia, fabrilis, quæ fit ex Ochra vsta arte in nouis fictilibus, Braun Röttel.

2. Rubricæ accipiuntur pro titulis seu librorum indicibus, quia veteres interdum titulos notabant rubrica. Interdum dico, quia etiam minio notabãt. Paulus in l. 2. §. recuper. ff. de interdict. Recuperandę, inquit, possessionis causa interdicta proponuntur sub rubrica. Ac distinguitur rubrica à contextu.

Terra Lemnia.) Hæc alias dicitur Terra sigillata: Sic dicta, quia à Sacerdotibus diuinæ signabatur imagine Dianæ, in cuius tutela erat.

Hæc supra in R *ante* A. *omissa ad suum Lector referet locum.*

Radius perpendicularis seu normalis ratione incidentiæ est, qui si in planum corpus incidat, ad huius superficiem planam constituit angulos rectos: vel qui, si ad sphæricum corpus deferatur, cum linea contingente superficiem in puncto incidentię angulos rectos componit, & si protrahatur, centrum illius sphærici corporis transit.

Radius vero obliquus vocatur, qui, si in planum corpus incidat, cum superficie plana angulos obliquos efformat: vel qui si in sphæricum corpus demittatur, cum linea, quę superficiem in puncto incidentiæ contingit, angulos obliquos includit.

Vnus autem potest esse perpendicularis: reliqui omnes sunt obliqui, id est, ex omnibus radiis, ab vno corporis luminosi puncto egressis vnus tantum in corpus oppositum πρὸς ὀρθὰς incidere potest, reliqui vero omnes ab eodem corporis luminosi puncto sparsi ad superficiem eiusdem oppositi corporis oblique perferuntur.

Ex obliquis radiis ab vno puncto corporis secundum æquales angulos in oppositum diffusis effingitur pyramis vi radiationis, seu illuminationis, cuius vertex est in corpore luminoso, basis in corporis oppositi superficie, centrũ in media basi: quod conuenit cum puncto, in quo radius perpendicularis in corpus oppositum incidat.

Axis pyramidis est linea recta à vertice pyramidis in mediam basin ducta & ad angulos rectos in superficiem corporis oppositi protracta: seu est ipse radius πρὸς ὀρθὰς incidens. Hi radii qui huiusmodi pyramidem includunt.

Sit centrum luminosi corporis A superficies eiusdẽ corporis luminosi BCD Li-

nea E F repræsentet corpus oppositum planum. In hoc incidat ex centro luminosi corporis radius perpendicularis A G ad angulos rectos A G E & A G F, &c. Pyramis A H K. Illuminationis.



Vide de Iride Doctr. Ioh. Fleischeri Vratislau. edit. V Vitteb. anno 1571.

Radius mariti, radius mentis, radius diuinæ sapientiæ habent elegantem & significantem metaphoram.

Radiatura est è corpore radiorum emissio.

Radiatura in opticis simplex est vel composita seu generata.

Simplex radiatura est, cuius radicis est vnica recta linea.

Radiatura locus seu interuallum in corpore perspicuo dicitur medium eius.

Ideoq; fit visu cum luce & colore in eodem medio, tanquam interuallo radiaturæ constituto.

Explicatio.

Vna recta linea est radius lucis, vna radius coloris, vna item radius visus, quando hæc sunt simul in aere, vt corpore transparente, constituta, quoniam medium vnum & simplex est: nec intelligitur simplex radiatura ex vno tantum recto radio, sed ex horum trium omnibus vna rectis. Eodem modo simplex radiatura fit si sint simul in aqua constituta, cum & aqua perspicua sit. Quod si vel lux vel color in alio perspicuo sint, quam visus, vel color & visus quam lux, vel visus & lux, quam color, iam non erit simplex, sed geminata radiatura.

Geminata Radiatura est, cuius radius angulum rectilineum facit. Estque Catoptrica vel Mesoptica. Catoptrica radiatura est, qua radius à densi corporis superficie versus partem, vnde venit, reuerberatur: hoc est, reflectitur radius superne incidens in superiorem inferne incidens in inferiorem lucum.

Reflexio hæc est quidam reditus vel repulsus in eum locum seu eam regionem, in qua situm est luminosum. *Quadruplex Radiatura*

Nomen Catoptricæ est à κατόπτρῳ, id est, speculo, tanquam diceretur speculans: quia singularis quędam eius species est ea, quę fit à speculo: quanquam à quouis denso fiat radiorum reuerberatio. *Appellatio Catoptrices à parte principali.*

Sic igitur radius solis à terræ superficie κατοπτρικῶς reuerberatur, ideoq; calorem suum apud nos multiplicat: idque etiam magis in vallibus sentitur, quo montes vtrinq; fortissimos radios compellunt incidente sole. Sic à speculo fit reuerberatio eiusdem lucis. Sic ab aqua, sic à luna cæterisq; stellis solis lux Catoptrice resilit. Verum oculus specularem reflexionẽ tãtum percipit, non eam, quę fit à superficiebus asperis.

Ca-

Catoptrica radiatura angulos facit in superficie densi corporis, quorum alter dicitur incidentiæ, alter reflexionis. Angulos incidentiæ est, quem in superficie densi corporis facit radius adueniens: Angulos reflexionis, quem facit idem radius inde resiliens. Est autem angulus incidentiæ æqualis angulo reflexionis 6. 2. perspi. cõmunis.



Esto superficies densi corporis a e, in quã incidat radius lucis vel caloris ex puncto i in punctum o. Hic radius non terminatur puncto o, sed inde in alteram partem reflectitur, puta ad u. Ergo duo fiunt anguli: i o a incidentiæ: & u o e reflexionis: Atque ita radius geminatur, & fit i o u. quanquam sæpe etiam hi anguli referuntur ad perpendicularem è subiecta planicie à puncto incidentiæ surgentem: cuiusmodi hic esto o y. Tũ enim angulus incidentiæ erit y o u trans perpendicularem. Canon. Radius a perpendicularis à speculo in seipsum reflectitur seu redit, (non alio, vt quasi geminatus fiat) *Radiatura* Mesoptica est, qua radius in aliud mediũ incidens frangitur. Medium aliud est corpus perspicuum, quod radius trãsmisso eo in quo est, luminosum etiam penetrat: sed est priore vel rarius vel densius. Sic igitur, verbi causa, luminosum in aere positum mittit radios suos per aquam etiam, per vitrum, per gemmam perspicuam, id est, per medium densius, ex qua densitate accidit, v trãs superficiem radius à sua rectitudine detorqueatur: Vnde hæc radiatura à medii diuersitate mesoptica (quasi medii optica) dicitur. Fitq; in superficie rarius & densius perspicuũ cõmuniter terminante 14. p. 1. perspect. comm. Radiorũ Mesopticorũ rectus in mediorum communẽ superficiem, recta transit rectæ lineæ formã conseruans. Obliquus vero frangitur, hoc est, *angulum facit, cuius alterum crus est trans* superficiem. Estque Fractio seu Refractio discessus hic à rectitudine.

Radius Mesopticus rectus vel obliquus est.

Quid frangit?

Quid fractio radii?

Declaratio.



Esto radiosum a, vnde radii mittantur per duplex medium: prius sit in quo est isum a vsq; ad e i superficiẽ: Deinceps alterum infra c i, ita vt e i superficies corporum duorum perspicuorum, quę media dicuntur, sit communis terminus. Radius ex a in communem superficiem perpendicularis seu rectus sit a o: Hic radius porro cõtinuatur eadem rectitudine, tanquam medium esset simplex & vnicum, nec quicquã nouæ soliditatis occursu patitur, & tãquam rectitudine sua fretus nihil offendit. At esto obliquus a u. Hic offenditur nouo medio, vbi ad u venit. Inde enim refringitur, & formã duplicis rectę siue anguli plani rectilinei sumit, nec rectitudinẽ suam cõseruat, & ita fractus est radius a u y, vel a u s, pro-

pterea quod medium infra e i est perspicuum quidem, sed superiore rarius aut densius. Atqui si recto ductu continuaretur, esset potius a u r. Quare ob medii diuersitatem radius simplex fit geminatus, altero crure supra, altero infra communē mediorū superficiem angulum faciēs. Quo igitur obliquior radius, eo maior eius infirmitas & debilitatio perspect. vide comm. 3 p. 3. Huc vsq; declaratio.

Si radius obliquus inciderit in medium densius, frangetur perpendiculū versus: Si in rarius, à perpendiculo 15 & 16 p. 1. perspect. cōmunis & 43 45 47 p. 2 Vitellon.

Quid perpendiculū fractionis seu refractionis?

Vt in eadem figura. Esto lucidum a in aere, vnde radius emissus cadat, etiam in aquam obliquus, & sit a u perpendiculum fractionis (quod à puncto incidentiæ in alteram partem educitur) sit u l, Radius rectitudine sua esset a u r. Ac propter aquæ densitatem depellitur ab ea versus u l perpendiculū, fitq; a u s. Contra si a sit in aqua, & obliquus radius veniat ex u in aerem frangetur vltra rectitudinis locum, propter occursum tenuioris siue rarioris medii, fietq; a u y. Hoc est refringi à perpendiculo in medio rariori. Subtilia vide de Reflexione & refractione in Scalig. exer. 75. sect. 10.

Thomæ Aquinatis axioma est in 2. met. l. 4. Radii qui æqualiter distant à perpendiculari & refringuntur ad angulos rectos in puncto refractionis, faciunt figuram circularem.

Intell. Rectitudo seu perpendicularitas.

I. Francis. Pic. Mirand. hoc est Radii Directio & obliquitas parit intensionem & remissionem caloris & luminis.

Quid est extra locū suum rem apparere?

De fractis radiis hoc opticum perspectiuæ comm. Res visa per radios refractos apparet extra suum locum, *id est propius vel longius, quam abest, videtur, si superior sit, inferior, si dexterior* sit, sinisterior esse videtur.

Radiatū & Radians idē sunt, vt caput radiatum id est radians, cuiusmodi Christo & Diuis appingitur. Plin. in paneg.

Corradiatio græcis est συναύγεια vi stellarū, vt radiorum oculi & specici visibilis. Alhaz. optic. l. 1. 24. pag. 15. Visio videtur fieri per συναύγειαν id est receptos simul & emissos radios: cuius assertionis seu sententiæ ego hic moderator & disceptator esse nolo.

Reductio.

Reductio est species quædā Metabolēs. Reductio est vnius ad aliud, diuersorum ad eadē, causæ ad causam, impropriū ad proprium, heterogeneorum ad homogenea, pluriū ad pauciora, maiorū ad minora, integrorum ad partes, partium ad integra, tēporis ad tēpus, imperfectioris ad perfectius reuocatio. In Logica Reductio syllogismi, vel propositionis alicuius ad æquipollentem fit perspicuitatis causa. Vt syllogismus est. Quorum Deus est Deus, illi viuunt, cuius loco Christus affert æquipollentem. Deus non est Deus mortuorum, sed viuentiū. At Abrahami, Isaaci & Iacobi Deus est Deus. Ergo Abrahamus, Isaacus, & Iacobus viuunt. Huius permutatio fieri potest æquipollente clariore.

DA Qui Deū pro patre habent, illi viuūt.
RI Abraham, Isaac & Iacob Deū pro patre habent.
I Ergo Abraham Isaac & Iacob viuunt.

Syllogismus in prima figura, nō in tertia.

In Logica Syllogistica reductio ostensiua conuersione aliquarū propositionum transfert secundæ aut tertiæ figuræ modos in primam, vt Cesare ad Celarent. Dicitur ostēsiua, quia ostēdit ad primā figurā cōgruere cōsequētias aliarū duarū figurarū. Reductione per impossibile syllogismus cōfirmatur, quod ad materiā attinet. Cū enim vna cōtradictoria arguitur esse impossibilis, altera veram esse necessario sequitur.

Præceptum ne occidito reductū ad ora-

do-

tionem indicatiuã, fit enunciatio simplex, in qua intelligitur homicidium, cum quod fit manu: quod proprium, tum quod fit corde, quod tropice dictum. Qui audit legatos Christi, Christum audit. Hic intelligitur & audire externa aure & audire animo.

Hic pro reductione eodẽ protsus sensu nonnunquam dicitur RESOLVTIO, vt cõditionales & causales propositiones nõnũquã resoluũtur in copulatiuas, quia causa cũ effecto cõiuncta est; vt: Et do & dabis. Et dies est & lux est. Audieras & fama fuit, id est, quia fama fuit. Non opus est exercitio in leuioribus artibus, & non est opus in difficilioribus, id est, si opus in leuioribus, multo magis in difficilioribus.

Reductio duarum vel plurium fractionũ ad cognomines, seu ad idẽ nomen, seu ad eandem denominationem fit, & est primũ sumptio minimi communis diuidui à nominibus pro communi nomine, tum multiplicatio quorum ex eo cuiuis dato non cognominis per eius numeratorẽ, cuius factus est reductus numerator: sic fractiones $\frac{3}{4}$ & $\frac{5}{6}$ diuersi nominis, reductæ ad commune nomen sunt $\frac{9}{12}$ $\frac{10}{12}$

Reductio duarum fractionum nominibus inter se primis ad commune nomen est multiplicatio terminorũ per nomen alternum. vt: $\frac{2}{3} \times \frac{3}{4} \mid \frac{8}{12}$ $\frac{9}{12}$

Reductio integrorum ad fractionem est eorum multiplicatio per datũ fractionis nomen, facto ipso nomine supernotato. Sic reducere 12 asses ad vncias seu denarios est multiplicare numerum integrorum 12 assium per 12 nomen datum duodecimarum, cum denarius sit assis $\frac{1}{12}$ vnde factus 144 pro numeratore supernotatus nomini dato, interiecta linea efficit hanc fractionem $\frac{144}{12}$ & sunt cẽtum quadraginta quatuor duodecimæ, significante 144 denarios assibus 12 esse æquales.

Vnitas seu vnũ integrũm sic reducitur ad secundas si nominatori 2. supernotes hoc modo $\frac{2}{2}$ & sunt duæ secundæ. Sic eadẽ ad tertias, ad quartas & quaslibet omnino partes, reducitur, si nominatori æqualem numeratorẽ supernotes sic $\frac{3}{3}$ Reductio fractionis seu partium ad integra est numeratoris diuisio per suum nomen, cuius quotus integra significat. Sic $\frac{144}{12}$ reduci possunt ad integra, quia numerator potest diuidi per nominatorem, & quotus est 12. significans $\frac{144}{12}$ continere 12 integra. Sic $\frac{2}{2}$ $\frac{3}{3}$ $\frac{4}{4}$ reducuntur ad 1.

In proportione disiuncta directa terminus aliquis si fuerit obscurior, antecedente reductione corrigitur propter heterogeneam, vel etiam cõtradictionem quæstionis, vt Hebdomadæ 3 habent 504 horas, dies 4, quot horas habent? Hic primus terminus est integrarum hebdomadarum, tertius dierũ, cumq; dies sit pars $\frac{1}{7}$ hebdomadę, hebdomadas 3 rediges multiplicatione per 7 ad dies 21. tumq; dices 21 dies sũt horę 504. Ergo dies 4 sunt horę 96. *Alia μεταβολὴ.*

Contractio fit ad minores terminos, cum primus cum secundo vel cum tertio reducitur, vel etiam cum vtroq;, vt 4 vlnæ emuntur aureis 12. ergo 7 vlnæ quanti? Resp. 21. Hic pro primo & secundo pones 1. & 3. minimos, & proportionẽ sic concludes 1. 3. 7. 21.

Huius loci est Reductio fractionis ad æquiualentem alterius nominis. Vt enim nomen datæ est ad suum numeratorem, sic nomen quæsitum est ad suum, vt, si quæratur $\frac{3}{4}$ quot sunt $\frac{12}{}$ Hic tres habes terminos 4 nomen, 3 numeratorem, iterum 12 nomen, & hic quæstionem facit de numeratore suo, qui per auream regulam est 9. Supernotabis igitur & habebis $\frac{9}{12}$ tantundem sunt in integro, quantum $\frac{3}{4}$ Sic $\frac{2}{3}$ reductæ ad æquiualentes $\frac{20}{27}$ sunt $\frac{18}{27}$ Vide de hac μεταβολῇ ipsos Arithmeticos.

Reductitie.

Reductitie à Scholasticis ponitur pro indirecte per aliud analogice, improprie per accidens, vt reductitie causare, ei opponitur causare directe & per se. Vide Fonsec. l. 5. 1. phil. c. 2. quæst. 11. s. 3. & 4. Moués reductitie seu improprie seu metaphorice est obiectiue alliciens: nō vere efficiens: Nōnullis Deꝰ non ponitur in prædicamentis reductitie: ad illa .n. non reducitur, sed participatiue, vt qui ab illis participetur; seu tāquam causa in suis effectis, Pater & Christus à patribus Græcis dicuntur συνκτίζειν & συνάρχειν vna creare & vna regnare. Reductitie consideratione Logica sunt causæ sociæ, hoc est vna operantes (Barbari dicunt coagentes) & tamen ὄντως sunt vna causa. Pater meꝰ hactenus operatur, & ego operor Ioh. 5. vt: nō pugnant inter se Pater, Filius & Sp. S. sunt *tres res* (subsistentes) *notionaliter* seu personaliter, & sunt vna res essentialiter Augustin. l. 1. de doctr. Christ. c. 2. quem Scotꝰ hic sequitur, & Luth. in 1. capit. Genes. explic. & alii Theologi, nec ii quidē cōtemptissimi.

LITERA S.

SACRA *Fames Auri.*

COniectura est minime rideda, quod Virgilius Auri sacram famem dixerit pro ingente seu magna imitatione Græcorū, vt Plutarchi & aliorū, quib. interdum ἱερὸν est μέγα, ideſt magnum; sicut ἱερὰ in Græca lingua significat interdum maiorem & tutiorem ancoram (latini hic dicunt Sacram ancorā) Ita Sacri tripodes fuerint magni. Huic sententiæ fauent Codrus & Iacobus Spiegelius Selestanus in enarratione σταυροστίχου Iohannis Francisci Pici Mirandulæ Domini & Cōcordiæ Comitis. Paria igitur sunt Auri sacra fames, & Auri infrenis amor.

Sæpe, πολλάκις.

Numeri proprie est, non temporis. Quoties hic fuisti? Sæpe Sæpe fui hoc die Cassellis. Accipitur pro eo quod est vt plurimum, & opponitur τῷ Raro & semper. Aristoteles cum dicit Eclipsin fieri sæpe, dictionē sæpe accipit in sensu non affirmatiuo (pro τῷ vt plurimū ἐπὶ τὸ πλεῖστον) sed tantum in sensu negatiuo pro eo, quod est Non semper. Nullum hic alium sensum habet quam negationem sempiternitatis. Eclipsis non fit raro simpliciter, sed ex omni parte, quia ratione tantum Subiecti raro fit. Sed semper ratione causæ cum in actu posita est. Itaque Eclipsis quæ eueniet, est ἐσόμενον, non μέλλον, Vid. libr. 2. de Necessariis propos. cap. 17. Zabarellæ. & Schegkium in organum Aristotelis.

Vsus.

Hinc iudicari potest de Quæstione, Quomodo Eclipsis fiat raro, quomodo sēp & necessario, quomodo sæpe? Exēplo est eclipsis. Accidētia per se quę suis subiectis nō semp inhærēt semper inhærere dicuntur κατά τι, nempe dum externa causa respicitur. Vid. Zabarell. l. 2. de propos. necess. cap. 16.

SALTEM ἐλαττονικῶς *significans.*

Ad minimum & minimum Cicer. Barbari dicunt Ad minus. Clauius dicit Pau-

cissimus

cissimus lib. 5. Euclidis Geometriæ pag. 255. id quod obseruatu est dignum. Proportio in tribus Saltem terminis paucissimis consistit, id est, in tribus Saltem terminis, in tribus minimum terminis. Terminus enim medius in continua proportione bis sumitur, cum sit consequens vnius proportionis & antecedens alterius terminus. Caue dicas cum præcocibus scriptoribus Saltem pro duntaxat. Non dicendum: Vnus saltem Deus est, pro tantum.

Theod. Zuingerus in Eth. Qualiscunque finis sit siue actio, siue opus, bonus est, aut saltem bonus esse videtur. Hic nō recte diceretur Duntaxat, Solum.

At etiam significat ἐλαττοτικῶς nonnunquam, id est quod minus est. Cic. pro Flacco: si non propinquitatis, at ætatis suæ: si non hominis: at humanitatis rationē haberet. Tales particulæ à græcis dicūtur coniunctiones Elattoticæ.

Salutem dicere, χαίρειν.

Salutem dicere literis est deserere literas seu studia, literas valere iubere.

Titius Musis salute dicta (literis valere iussis) in militiam profectus est. Sic, viuite, sæpe est valedicentis vel auersantis. Viuant, qui mihi male volunt, i.e. valeant, res agant suas, nec quicquam rei mecum iam habeant. *Cum suis viuat valeatq; mœchis*, Catull. Hic synonyma sunt viuere & valere. Valeat cum suo commento, cum suo Aristotele, ἐρρέτω est apud Theocritum.

Sanguis
- Prop.
  - In vasis
    - In venis. Huius officina Epar.
    - In arteriis. Hic est ex sinistro thalamo cordis. †
- Improp.
  - Extra vasa. Cruor, vt sanguinis ἀναφορά, id est reiectio, hoc est, cruenta exscreatio.

† (Ille sanguis, qui ex vena caua seu Epatica fertur ad cor, percoquitur magis, & percoctus ex sinistro euectus ventriculo voluitur in arteriis.)

Puto cauam dici venam κατ' ἐξοχήν propter insignē cauitatem, quia omnes venæ alias sunt cauæ. Illa autem Scaturigo & origo est omnium venarum totius corporis, siue enascatur ex Epate, siue ex corde, quod posterius placet Aristoteli, quem excusat & defendit hic Vesalius.

Sanguinem in vasis faciunt calidum, vel frigidum, & pronunciant illum facere prudentes, hunc vero stultos. Acutum ingenium, ex sanguine calido, obtusius è frigido. Seruius Virgilii interpres.

SANGVINEVS.

1. Sanguineum sanguinis plenum est: ideo temperamento à Physicis attribuitur, & alii dicuntur sanguinei, alii phlegmatici, alii cholerici, alii melancholici. Et αἱματικὸς χυμὸς dicitur pro eo quod est αἷμα, id est, sanguis, seu sanguinis humor.
2. Sanguineum est, quod ex sanguine ortum est, sic sunt membra animantis quædam sanguinea, græce αἱματικὰ, quædam spermatica, id est, orta ex sperm ate seu semine. Sanguinea Aristoteli sunt σπλάγχνα, vt lien, Epar pulmo, renes. Hæc habent αἱματικὴν φύσιν, eo quod ad venarum meatus & ramos interiectos sita sunt, iu-

σπλάγχνα sunt viscera carnis.

dice Aristotele, qui etiam sanguinis προχεύματα hæc viscera nominet. Sed medici hic ab Aristotele dissentiunt. horum sententia, quæ melior & Exquisitior videtur Aristotelea hoc tenendum. Cum ea, quibus corpus nostrum destituitur, partim à rebus extra hoc positis, partim ab iis, quę intra hoc sunt, oriantur, illud primum genus σπερματικὸν est, & eorum, quæ ex semine & sanguine materno ortum ducunt, & corpus hoc modo aliunde accipit.

Quæ membra sanguinea?

Alterum est sanguineum eorum, quæ de alimento oblato & sanguine, qui ex alimento conficitur, corpus ipsum sibi intus per certa organa elaborant, non extrinsecus in hoc inseruntur. Talia sunt, spiritus sanguis & humores. Sanguinem scilicet maternum, quo in vtero infans per vmbilicum alitur, Epar fœtus in chymos conuertit, eo modo, quo postea, cum per os alimentum accipitur, de chylo illi conficiuntur, quibus ea, quæ natura de seminis materia in corpore finxit & formauit, perficiuntur, aluntur, & sustentantur.

Quæ membra spermatica?

Sunt igitur membra spermatica in corpore, ea, quę membrorum seu partium homogenearum nomen apud Medicos habent, qualia sunt caro viscerum & intestinorum omnium, testiculi, & cerebri substantia, venæ, arteriæ, nerui, cutis, membranæ, chordæ, seu tendines, ligamenta, cartilagines, ossa & quę sunt horum genuina, id est, quæ sunt cognatæ naturæ cum his.

Nota inter partes spermaticas & sanguineas hanc quoque differentiam; quod hæ in corpore possunt reparari: illæ contra non possunt, cum materiam in corpore nullam amplius habeant.

3. Sanguineum dicitur, quod sanguinem repræsentat, quod habet aliquid sanguinei coloris, αἱματοειδὲς, vt sanguineus color est, qui sanguinem refert, qualis in rosa, quam è Veneris sanguine colorem traxisse fabulantur Græci. Scaliger exerc. 325. sect. 10. vbi pro exemplo affert sanguineum colorem eius, quod pronunciauit, colorum nomina quorundam ostendere essentiam, & quasi pro differentia sumi posse ad speciem describendam.

4. Sanguineum dicitur, seu αἱματώδης cruendum vel cruentatum, sic accipit alicubi Galenus lib. 1. ad Glauc. Color sanguinem præ se ferens à Dioscoride lib. 2. vocatur αἱμαλωπὶς.

SANVS, SANITAS.

Quid sanum?

Sanus in commune est ab vno proprie & prius animanti conuenit. Hinc sanitas describitur status corporis, quo actionibus salubriter obeundis illud est aptum consistitque in εὐκρασίᾳ & salubri δυσπλάσει. Seu est constans certaque qualitas, ex qualitatibus Symmetris, seu proportionatis constata.

Quid sanitas?

Sanitas consistit in
- Bona temperie partium similarium.
- Proba compositione organicarum.
- Vtrarumque recta vnitate.

Sic Cicero Tuscul. 4. Corporis temperatio, cum ea congruunt inter se, è quibus constamus, sanitas est.

Secundario seu Metaleptic῱s attribuitur cibo, medicinæ, vrinæ. Denique menti seu animo quoque & orationi. Hoc ego quotidie de lecto surgo precatus:

Chri-

Christe mihi maneat mens sana in corpore sano.

SANCTVS.

Sanctus 1. Proprium Epitheton est Dei, qui ab omnibus creaturis segregatus est.

2. Significat Platoni agenti de ὁσίῳ & ἁγνῷ mundum à culpa, quod ad religiosum Dei cultum attinet, Græce ὅσιον.

3. Legitimum & ex puro thoro natum Paul. 1. Corinth. 7. docens matrimonium inter fidelem & infidelem non statim dissolui, alioqui inquit filii vestri immundi essent, id est illegitimi, nunc autem sancti sunt, id est legitime & honeste concepti. Sic Ambrosius & Augustinus.

SATVRVS.

Quid satur sit, Notum est ex eo, Qui satur est pleno laudat ieiunia ventre. Satura est cibi genus ex variis rebus conditum, autore Festo, vel lanx multis ciborum generibus conferta, vel genus farciminis, vbi passa & polenta, & nuclei pinei ex mulso cõsperſi. Varro, Sextus Pompeius & Isidor. Vel genus Carminis, in quo multis de rebus coniunctim & confuse agitur.

Lex Satura quæ multis Legibus aliis conferta est, νόμος πολλὰ περιέχων, lex multa continens, id est, satura dicitur, cum multa & diuersa simul capita in vnam legem congeruntur. Sic dicta à saturitate, id est, copia, sicut lex miscella à varietate. Oppósita ei lex simplex.

A. Firmianus laudatur cuiusdam libri historiarumque per saturam, id est, Miscellanea.

Martianus Capella Saturam vocat libros illos suos, quibus omnium laudatarum artium explicationem complexus est.

Phrases sunt aliquid inducere per Saturam vel Satyram, id est, inordinate, nullo recto instituto, sed more quodam saltantis & ludentis Satyri. Scipio Gentilis lib. 2. Parergωn. cap. 18. Exquirere sententias per Satyram, id est passim, nullo ordine, summatim, seu sparsim, hinc inde. Scipio Gentilis lib. 2. Parerg. Aliquid passim & quasi per Satyram collectum, id est, confuse, per Satyram tractare aliquid, id est, non admodum ordinatim, huic opponitur erudito ordine & via seu Methodo.

Saturus color Physicis plenior, plenus, conspicuus, non dilutus color est.

SAPIENTIA.

Sapientia vniuersaliter significat Aristoteli habitum compositum ex mente & scientia eumque principem. Particulariter vero pro arte quauis sumitur & pro ipsa etiam prudentia, sic sapiens Medicus dicitur per similitudinem quandam, quod vt Sapiens omnia rerum prima & anapodicta principia nouit. Ita etiam Medicus bonus Philosophus præsidio instructus corporis humani quatenus ægrum est & sanum principia & ex his orta deductaque cognita habet, sic ab Aristotele cap. 9. 6. de Moribus. Σοφὸς τὰ χειρωνακτικὰ dicitur & absolute σοφὸς antiquo more pro Sophista atque Philosopho: primus enim Pythagoras Sapientis appellationem Deo non homini conuenire asseruit, seque Philosophum non σοφὸν aut σοφιστὴν dici voluit.

Vniuersalis itaq; Sapientia in homine nõ

cadit,ſed in Deum tantum. Et tamen ſimilis eſt, quam primam Philoſophiam & Theologiam olim, recentiores Metaphyſicam nominarũt omnium rerum principia cauſaſq; primas, quãtum quidem homini cognoſcere fas eſt, comprehendens. Per Metonymiã ſapientia accipitur pro argumentis ſeu rationibus ſapientiæ. Sic ſapientia dicitur ab Apoſt.1.Cor.1. pro argumentis rationis humanæ per ſynecdochen generis pro ſpecie.

Græci quærunt ſapientiam, ſc. ſuam, ſeu argumenta, quæ rationis vi naturali poſſint comprehendere. At Chriſtus crucifixus ibidem vocatur Dei ſapientia per Metonymiam,eo quod omnes Sapientiæ Theſauri in Chriſto ſunt reconditi,hoc eſt quod ſapientiſſimum Dei de Electorum ſalute conſilium nobis cum patefecit, tum etiã exſecutus eſt.

SATISFACERE.

Satisfacere 1. generaliter eſt implere ſeu præſtare ad quod obligati ſumus. Interdum eſt ſoluere.Doct.Vult.in cõm. in Inſtitut.

2. Specialiter eſt tantum facere, quãtum ſatis ſit irato ad vindictam. Aſcon.in Tertiam Verr. In qua ciuitate legatus populi Rom. aliqua ex parte violatus eſt, niſi publice ſatisfactum ſit,ei ciuitati bellum indici atq; inferri ſolet.

Interdum diſtinguitur ſeu diſiungitur ſatisfactio à ſolutione,vt ſoluere intelligatur is,qui pretium numerat: ſatisfacere vero,qui pignus vel expromiſſorem aut fideiuſſorem dat ſeu exhibet. Apud Pompon.L. quod vendidi 19.ff. de contr.empt. Quod vendidi, non aliter fit accipientis, quã ſi aut pretium nobis ſolutum ſit, aut ſatis eo nomine factum.

In Theologia ſatisfactio Chriſti accipitur & pro impletione legis,& pro ſolutione pretii.

In Iure Canonico ſatisfactio Canonica dicitur, quam Canones exigunt, vt quis liberetur ab obligatione & reatu.

SCALA.

Scala in Muſicis eſt clauium & vocum in ſyſtemate coniunctio. Eſtq; regularis, vel irregularis. Regularis quæ voce Mi in claue ♮ regitur. Cantus, cui hæc Scala ſeruit, regularis ſeu canonicus dicitur eſt, & initio omiſſo b cognoſcitur, Voces cæterarũ clauium ſunt, A la re ♮ mi C fa mi,D ſol re E la mi F fa G ſol ut. Irregularis ſeu tranſpoſita eſt quæ voce Fa in claue b regitur. Cantus cui hæc ſcala ſeruit irregularis, ſeu tranſpoſitus dictus initio b. præſcripto cognoſcitur. Voces ceterarum clauium ſunt A la mi, B Fa C ſol ut, D la re, E mi, F fa ut, G ſol re.

Scala in doctrina Metaphyſica & prædicamentali accipitur pro ſerie ſuperiorum, in quibus vnum ſummum, mediorum & infimorum. In ſerie entitatis ſummum eſt ens.

In prima Philoſophia eſt Scala ſubiecti principiorum affectionum & ſpecierum.

In ſerie cauſalitatis principia prima ſumma ſunt: In ſerie affectionalitatis,vt hoc verbo vtar, propriæ affectiones ſunt ſummæ.

In Scala categorica genus generaliſſimum ſummum eſt,quod ab Ente tranſcenditur: ſubalterna, media: infimum & ſtrictiſſimum,ſingulare.

Canon.

Genus eſt eiuſdem Scalæ prædicamentalis,cum ſibi ſubiectis ſpeciebus, id eſt eiuſdem ordinis & ſeriei. Eadem metaphora dicitur in politicis Scala cognationis.

SCE-

SCELVS.

Sunt qui scelus 1. Proprie cædis crimen esse velint, vt scelus dictum sit quasi σκελετὸν.

Adducunt huc Sueton. in Claud. cap. 1. Supremum diem obiit morbo in æstiuis castris, quæ ex eo scelerata sunt appellata, intellige propter obitam ibi mortem. Sic vicus Romæ sceleratus dictus est abiacente ibi occiso Rege Seruio: Scelerata porta ab exitu Fabiorum, qui cæsi omnes. Romana Arena scelerata dicta est, vbi gladiatorum sanguis fundebatur. Campus sceleratus dictus prope portam Collinam, vbi Vestales viuæ infodiebantur.

2. Traduci ad atrox facinus, quod atrocitate sua fusum cruorem seu cædem imitatur. Sed ego sum in ea sententia, proprie Scelus significare magnum & atrox facinus, vt est homicidium, incestus: καὶ ἐξοχὴν vero significare cædem. Huic sententiæ subseruit locus Liuii libr. 8. de Minutia Vestali. Facto iudicio viua sub terra ad portam Collinam dextra via stratam defossa scelerato Campo: Credo ab incesto id ei loco nomen factum. Sed hoc etymon Iohan. Ludo. de la Cerd. nauseam mouet, vt qui statuat sceleratum locum dici à cædibus ibi factis.

Scelus pro quasi scelere seu quasi cæde est apud Martialem lib. 1. Epigram. 19. Scelus est iugulare falernum, quod hodie frequentissimum est.

SCENOGRAPHIA.

Σκηνογραφία seu σκηνογραφικὴ est pars Opticæ, quæ inuestigat, quomodo ædificationum imagines pingere conueniat, & ostendit, quomodo fieri possit, vt quæ in imaginibus apparent, non videantur inconcinna vel deformia, propter distantias & altitudines partium, quæ designatæ sunt. (Sic idem sæpe sunt Chymiatria & Chymiarrice.) Vtitur Scenographica theorematis Opticis, iisque quasi ὑπάλληλος est.

Potest & sic definiri: Scenographia seu σκηνογραφικὴ est ea pars opticæ, quæ res aspectabiles ita vt obtutui nostro sese conspiciendas offerunt, rursum in alia re expressas exhibet. Sic dicta à Scenarum picturis: vnde origo eius esse videtur. Est igitur τῆς σκηνῶν γραφή.

Scopus est (qui è definitione facile intelligitur) figuram rei cuiuspiam visam ita vt apparet in plano proposito delineare & depingere.

Planum propositum est id, in quo figura oblata est delineanda: quod quidem super horizontem ad perpendiculum erectum imaginandum est: vt paries, tabula seu abacus.

Vtilis est inprimis ad mechanicam & architecturam. Nec absque ea ars pictoria cognosci potest.

Estque in ea consideratio aut punctorum, aut linearum aut figurarum, siue eæ sint planæ, siue solidæ.

In consideratione figurarum planarum Scenographicarum prior est Ichnographia.

Ichnographia est delineatio aut figurarum planarum, aut communium sectionum, quas efficiunt planum horizontis communis, eæque superficies, quæ per lineamenta corporum delineandorum traiectæ, horizonti ad perpendiculum insistunt. Vulgo vocatur fundamentum, der Grundt/ aut ductus fundamenti Grundtriß / aut positio fundamenti die Grundtlegung. Hinc est Scenograph⁹. De reliquis Fridericus Commandinus videatur.

SCIENTIA.

Scientia duobus modis accipitur: Proprie

pro eo habitu, quem per demonstrationem acquirimus. Sic accipit Arist. lib. 6. Ethic. c. 3. Demonstratio requirit materiam subiectam eodem se modo semper habentem, materiam ex qua principia, hoc est, tales propositiones, quæ causas conclusionis proximas & æternas contineat. Scientia, inquit Themistius, est notitia per demonstrationem acquisita.

Improprie accipitur pro quibusuis aliis habitibus intellectiuis. Hoc tamen interest, quod quando proprie sumitur, absolute scientia vocatur: quando vero improprie, additur id, cuius est Scientia. Sic lib. 6. c. 7. de Sapientia inquit Aristoteles ὥσπερ κεφαλὴ ἕξις ἄλλης τῆς τιμιωτάτων. Et ibidem Prudentiam vocat scientiam Politicam. Pari ratione Intelligentia (νῦς) posset appellari scientia principiorum. Frequenter authores Scientiam pro arte ponunt (improprie.) Sic Medicina à Galeno Scientia dicitur: Sic & Ars (quæ vox alias pro habitu ποιητικῷ seu μηχανικῷ, vel effectu quodam ipsius habitus; vel viua voce, vel scripto rem ipsam docentis sumitur) nonnunquam improprie pro scientia vsurpatur. Improprie inquam; quia in scientiis & subiectum constans est, & cognitio perfecta: in artibus vero nec subiectum semper eodem modo se habet, sed vt plurimum tantum, neque demonstrationes vbique afferri possunt perpetuæ veritatis, vt Theod. Zuinger. ait in Schol. in 3. Ethic. cap. 5. Scimus quatuor; Rem esse, Quid sit res, Talem rei effectum esse, seu ita rem se habere; & cur ita se res habeat: quibus totidem respondent quæstiones, An sit, Quid sit, An ita sit, Cur ita sit. Arist. 2. analyt. post. τὸ ὅτι, τὸ διότι, εἰ ἔστι, τί ἐστι. Scire τὸ ὅτι non est scire rem esse, sed ita rem se habere, verbi causa solem deficere, Mundum est conditum: Scire autem rem esse respondet quæstioni εἰ ἔστι, id est, an Res sit simpliciter, quæ longe alia est est à quæstione ὅτι. Dionys. Lambinus contra versionem Perionii in lib. 1. Ethicor. cap. 3. Iam hæc loquẽdi forma, Quærere ὅτι, vel quæstio ὅτι, nata est à Græcorum loquendi consuetudine. Cum enim significabant se scire rei alicuius effectum, verbi causa, Lunam deficere, dicebant se scire ὅτι ἔστι, id est, rem ita se habere, quod Latini Philosophi barbare loquentes verterunt, scire quia est vel quod est. Itaque quærere τὸ ὅτι, quod vulgo vocant in Scholis quærere quia, est quærere de effectu rei. Iccirco dixit Aristoteles primo libro sapientiæ ἔμπειρος (vsu peritos) τὸ ὅτι μὲν εἰδέναι, διότι δ' οὐκ εἰδέναι. Scire τὸ ὅτι, exempli causa scire hanc radicem esse ad hoc vulnus sanandum vtilem, cur sit vtilis autem, nescire. Scire est speciem & rationem scibilis in se continere, estque simpliciter, vel secundum quid scire, vel per se, vel secundum accidens scire; vel potentia vel actu scire; vel vti, vel vti posse scientia: Aliud est habere scientiam, & non vti, aliud eam exercere. Arist. Magn. Moral. 2. c. 7. & 7. Ethic. ad Nicom. c. 7. Scientiæ aliæ sunt speculatiuæ, vt Mathematica, Physica & Metaphysica. Hæ sunt propter seipsas: aliæ Practicæ: Hæ sunt propter opus. Tho. Aq. in 1. de anima l. 1. text. 1. Auerroes addit ad has artes dirigentes ad illas seu auxiliantes illis, vt Logicas.

Albert. Magn. Scientiam ait dici quatuor modis. Primo Scientia largissime est comprehensio rei per causam, quà potest quocunq; modo concludi. Ita scitur contingentia ad vtrumlibet. Secundo est comprehensio veritatis rei, per ea, quæ contingunt frequenter, & ita contingens actu scitur. Tertio est comprehensio veritatis vno modo & immutabiliter se habentiũ. Et sic principia & demonstratiuæ conclusiones

sciun-

ſciuntur. Quarto eſt comprehẽſio veritatis vno modo ſe habentis & immutabilis per acceptionem alterius prioris, à quo habet ſuam veritatem, quomodo definitur ſcire 1. Posteriorum: Hæc maxime proprie dicta ſimplex & abſoluta Scientia eſt, quæ emanat per ſe è principiis fidem facientibus.

Exquiſitæ ſeu ἀκριβεῖς ſcientię dicuntur, quarum res ſubiectæ ita ſecretæ ſunt, vt nihil vel parum admiſtum habeant alieni (quod nihil pertinet ad οὐσίαν ſinceri εἶδους) propter quod aliter habere ſe poſſint, quam habeant ratione veritatis. Exquiſitarum ſunt gradus. Nam prima Philoſophia ſeu ſapientia, ſcientia dicitur exquiſitiſſima & eminentiſſima, ὑπερήκριβεστάτη, ſciętię ſumma perfectio. Itaq; res ſpeciesque illæ ſoli menti ſunt conſpicuæ.

Exquiſitæ poſt exquiſitiſſimam, quæ τῆς μάλιστα καθόλου contemplatrix eſt, ſunt Mathematicæ diſciplinæ. Eæque ſuperiores ac ſimplices ſunt, vel inferiores & miſtæ. Simplices quæ conſiderant ὄντα ἐξ ἀφαιρέσεως Arithmetica & Geometria. Arithmetica eſt abſtractior puriorq;, quam Geometria. (ideoq; ἀκριβεστέρα Ariſtoteli.) Habet enim ſubiectum compoſitum ex ἐλαττόνων, ex vnitatibus, quibus numeri ſunt diuidui. Vnitas autem arithmetica ſecreta fere ab omni ſenſili ſubiecto intelligitur. Geometria compoſitior eſt, quia excepto corpore, quod nimium abſtractum dicitur ratione corporis Phyſici, aliæ ſpecies intelliguntur, ſubiectorum tanquã priuationes quæ dant eſſe, quę aut στερήσεις ſunt, ſine ſubiecto definiri nequeũt. Mixtæ ſeu miſti generis, quæ principia aſſumunt Phyſica, vel quæ partim Phyſicæ, partim Mathematicæ eſſe videntur. Nam habent ſubiectum compoſitum vel affectum qualitate aliqua ſenſili, vt Muſica, Optica, Tectonica, Muſica, vt numerorum particeps eſt, requirit rationes demõſtrationum ſuarũ, ex Arithmeticis quatenus naturaliũ particeps, Phyſica eius ſunt principia. Dicuntur alias Math. cõpoſitæ.

Minus exquiſitæ dicuntur, in quibus non eſt vbiq; veritatis exquiſitio, ſeu ad tenue limatio ac perpetuitas: vt Minus exquiſitæ ob ἀορισίαν materiæ & factorum ſunt Phyſica & Practica Philoſophia. Phyſica conſiderat εἶδη ſeu orta ex συναθροίσεως, id eſt, ſpecies cum materia naturali concretas. Harũ cauſæ etſi ſint neceſſariæ & immutabiles, tamen effectus ita neceſſarii non ſunt, ſed plerunq; contingẽtes, quia propter materiam, quę ſubiicitur δυνάμει ἀντιφάσεως reliquarum cauſarum vis & efficacia impediri poſſit. Hinc Ariſtot. 2. Phyſ. In Phyſicis, inquit, ἀεὶ ὅτως ἂν μή τι ἐμποδίζει, ſemper ſic, niſi quid impediat. Practica Philoſophia, vt Politica occupata eſt in πράξεσιν, quarũ valde magna eſt varietas. Itaque Phyſica perfectior eſt & exquiſitior ſcientia, quam hæc:

Vniuerſalis, quæ conſiderat ſimpliciter ὄντα, ſeu ὂν ᾗ ὄν. Prima Philoſophia.

Scientia igitur eſt ex conſideratione ὄντων

Particularis quę conſiderat ὄντα definita, id eſt, vt ſunt in ſubiecto quodam diuiduo.
- Theorica
  - Matheſis, vt ſunt in ſubiecto diuiduo ſecundũ quantitatem τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως.
  - Phyſica: vt ſunt in corpore mobili τὰ ἐν ὕλῃ θέσεως.
- Practica, vt ſunt hominis Politici & actionum humanarum.

Simpliciter ὄντα sunt reipsa secreta: sed τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως sunt ὑπνεία id est, intelligentia separata, alias propter materiam concreta. Habent materiam quodammodo νοητὴν, vt Aristoteles appellat, propter quam Mathematicæ res in partes diuidi possunt, vt circulus in sua segmenta.

Themistio scire dicitur modis latius & pressius.

Latius, vt cum omnem notitiam vocamus scientiam, siue sit de solis accidentibus, siue de alia re.

Pressius, cum causam illam tenere nos credimus, à qua res vt sit habet, & quæ causa esse cognoscitur, nec putamus aliter esse posse. in 1. post. c. 4.

Scire Alberto Mag. in prior. tribus dicitur modis. 1. In Vniuersali quod particularis principium est. 2. In Particulari seu in propria natura. Res enim quæq; per propriam naturam est particularis. 3. In Agendo, cum aliquis quod est actu refert ipsum ad sua principia.

Quid necessaria?

Iohan. Grammat. in 1. poster. cap. 26. hæc habet: Scientia alia versatur circa cognitionem necessariorum, id est, eorum, quæ semper eodem modo se habent, per Syllogismum: Alia circa necessaria, quæ cognoscuntur per indemonstrabilem scientiam, quæ diuiditur in acceptionem seu intellectionem immediatarum propositionum & communium notionum.

Scientia est στοχαστικὴ, coniecturalis, vel τῆς ἀϊδίων γνωστικὴ, id est, ea, quæ rerum perpetuarum cognitionem habet. Hæc est ἀνυπόθετος, quæ à nullis pendet hypothesibus, cuiusmodi est ὑπερτάτη ὑπόθεσις, suprema scientia, PRIMA PHILOSOPHIA, (seu, à qua omnium scientiarum manent principia) vel orditur ab hypothesibus, certaque habet principia, vt sunt Mathematica & Physica, Plato in lib. de Republica.

Scientia, inquit Scotus, lib. 3. dist. 24. aliquando accipitur pro notitia cum adhæsione firma, talis scientia potest stare cum fide, August. 1. retractationum cap. 12. Hæc exceptio est impropria. In Analyticis autem Aristotelis accipitur proprie pro certa conclusionum notitia è veris causis.

A SCIENTIA diuersa est FIDES, vt aliud est πιστὸν, aliud πίστις.

Petrus Pomponatius Mantuanus Monachus ob staturæ breuitatem vulgo Perettus (Peretch'n) dictus, qui in celeberrimis Italię Gymnasiis multis annis Philosophiam professus fuit superiori seculo, cũ atheos esset, de animæ mortalitate ex professo scripsit, & miris strophis ac sophismatibus impietatis patronum Aristotelem laudauit: Alegato Bononiensi ob impium dogma accitus; & vtrum immortalem esse animam crederet interrogatus: Non credo, respondit. Ibi exclamantibus vniuersis remitens subintulit; Immortalem esse *non credo, sed scio.* Itaque re in iocum versa impune dimissus est. Ioh. Vier. libr. 5. de dæmon. præstigiis. & Theod. Zuinger. Theatr. vitæ human. volum. 15. l. 2.

SCIENTIA.

Scientia accipitur,
- Proprie pro notitia demonstrate acquisita.
- Improprie pro quibusuis habitibus intellectiuis. Et tantum additur id, cuius est scientia, vt sapientia est ὑπερτάτη τῶν τιμιωτάτων: Prudentia est ὑπερτάτη πολιτικὴ: Rhetorica ὑπερτάτη λόγων.

Scientia { Simpliciter veri contemplabilis triplicis ὄντος { Simpliciter seu ἁπλῶς. Prima Philosophia. / Ἐξ ἀφαιρέσεως. Mathem. / Ἐκ προθέσεως: Physica. }

Scientia { Κατά τι prudentia ciuilis πρακτῶν, & Ars ποιητῶν, quæ diuersæ genere scientię participant, nec dicuntur simpliciter scientiæ, sed πρακτικαὶ & ποιητικαὶ scientiæ. Scientiæ, quia communes habent quasdam rationes semperq; veras. πρακτ. & ποιητ. quia habent finem alium, quam veri contemplationem. }

Scientia coniecturalis vel τῶν ἀϊδίων γνωστικὴ, id est ea, quæ rerum perpetuarum cognitionem habet. Hæc est ἀνυπόθετος quæ à nullis pendet hypothesibus, cuiusmodi est ἐπιστήμη ἀκροτάτη suprema scientia seu prima Philosophia (à qua omnium scientiarum manant principia) vel oritur ab hypothesibus certaq; habet principia, vt sunt Mathematica & Physica. Plato in lib. de Repub.

Scientia { Τὸ ὅτι cum scitur tantum quod res ipsa sit. Ab inducta perfectione. / Τὸ διότι cum scitur, rem ita esse, sed etiam causa per quam. }

Scientia { Confusa, cum scitur quid secũdũ generalẽ naturã. / Distincta cum scitur quid secundum propriam naturam. { Ab inducta generalitate & speciali tate } }

Scientia { Rei incomplexæ & simplicis. / Rei complexæ { Principiorum. / Cõclusionum. } Ab obiecto scibili seu intelligibili. }

Scientia { *Perfecta* simpliciter dicta, distincta, particularis. / *Potentialis*, quæ in alio præcognito virtute continetur, vt potentialis in suis principiis, vt in propositione præcognita continetur virtute quædam conclusio Imperfecta, vniuersalis, confusa. }

Scientia { Cognitio, quæ est cum animi certitudine: sic quoque cognitio principiorum vt certissima est scientia, post. analyt. context. 8. / Cognitio per demonstrationem seu causam, quæ satisfacit quæstioni propter Quid est, & quæstioni Quid est. }

Scientiam diuinam esse duobus modis intelligi potest; vel quia Deus eam habet, vel quia de rebus diuinis de Deo est. Arist. in Metaph.

Scientia Dei { Simplicis intelligentiæ Naturalis & necessaria, qua Deus cognoscit omnia possibilia.
Visionis libera, qua cognoscit omnia præterita, præsentia, futura.

Thom. q. 4. art. 9.

Scientia Dei { Absoluta possibilium. Naturalis mere.
Conditionata Futurorum { Absolute. Libera
Sub conditione, media

Naturalis] qua Deus ab æterno necessario & naturaliter ante omne liberum decretum cognoscit res omnes possibiles.

Libera] qua post decretum suæ voluntaris absolute & determinate cognoscit omnes res futuras, hac Deus potuisset non cognoscere futura, si nimirum statuisset eas non producere.

Media] Qua ab æterno sub conditione cognouit, quid pro sua libertate homines & angeli facturi essent, si cum his vel illis circumstantiis in tali, vel tali ordine rerum collocarentur.

Hac scientia Deus potuisset non prescire ea, quæ Angeli & homines peruera facturi sunt, si pro sua libertate non fuissent eu facturi, sed aliquid aliud. Molina q. 14. art. 13. disp. 17.

Porro sciẽtia Dei infinita est, Quæris cur? Quia extendit se ad omnia intelligibilia & ad creaturas omnes possibiles. Possibiles res dicuntur, quę habent esse possibile seu in potentia. Hoc esse possibile potest dici reale non actu, sed potentia, actu tamen potest cognosci.

Scientia { Simpliciter. Sapientum.
Secundum accidens. Modo sophistico cap. 2. lib. 1. post. sophistarum.

Hic enim non ex ipsa rerum natura, sed ex accidentibus & extraneis scientiam rerum venabantur.

Extrem.	Medium inter hæc.	Extremum
Perfecta scientia.	Cõfusa & potentialis cognitio, ex qua acquiritur perfecta.	Perfecta ignorantia.
Extr.	Medium inter hæc	Extrem.
Ens perfectum.	Ens potestate, è quo fit Ens perfectum.	Purum, nihil.

Sciẽtia potẽtialis in suis principiis opponitur sciẽtiæ perfectæ à Zabar. Est aũt scientia potẽtialis, à qua ad perfectam scientiam transitus datur, vt à potentia ad actum. In propositione maiore quę pręexistit & respõdet materiæ, cõclusio in ea latens præcognoscitur & dum maior actu prænoscitur conclusio cognoscitur potestate. Assumptio est tanquam agens proximum: adiecta eum propositioni trahit conclusionẽ de potestate ad actum seu perfectionem & de cognita potestate facit actu cognitam.

Scientia { κατὰ μέρος quæ est aliquorum particularium theorematum.
Tota, quæ est aggregatum multorum particularium theorematum.

Scientia Diuina.

Scientiale est habẽs causæ cognitionem seu demonstrationẽ, vt alia est Astrologia vulgaris, vt nautica & rustica. Alia

Scien-

Scientialis, id est quæ est sciẽtia habẽs cognitionem causæ, seu per causas demonstrans: sic Musica scientia est (speculatiua) vel ars (operatrix) intelligẽ musicam vocalẽ, vide Zabar. in li. 1. post. analyt. ad contextum 100. pag. 90.

SCRIBO γράφω.

Primo est literas pingo, duco lineam, ita est Grammaticorum, Pictorum, Geometrarum, vt cum in papyro nostrate (quæ ex contusis fit linteis) vel tabula exaro aliquid aut pugillaribus.

Secundo literis mando, prodo seu trado.

Tertio est soluta seu libera oratione aliquid scribo, vt historic. & opponitur τῷ ποιέω, quod poetæ est, id est, fingo carmen. Nam poetæ, præter λέξιν, & τάξιν conuenientem, conuenit, & proprie est fictio, teste Aristotele in poetica, ita accipit Isocrates ad Nicomachum.

Quarto politici accipiunt pro rogationem ferre, ψήφισμα sciscendum ferre: τῇ γραφῇ τίθεσθαι, vt loquitur Plato scriptura ponere.

Termini scriptionis duo sunt: Terminus à quo, & Terminus ad quem. Hi disponuntur vel secundum longitudinem vel secundum latitudinem (κατὰ μῆκος, vel κατὰ πλάτος.

Secundum latitudinem vel à dextro latere in sinistrum, motum primum seu primi mobilis ab oriente in occidentẽ æmulando, qui scribendi modus Hebræis & Ægyptiis teste Herodoto lib. secund. vsitatus est. Vel à sinistro in dextrum, qui motum Planetarum videtur imitari à Græcis & Latinis introductus, secundum Longitudinem vero à summo ad infimum, & hinc rursus ascendendo & descendendo veluti per spiras, quales Sol annuo motu per Zodiacum facere dicitur. Hunc scribendi modum tumque Gothos veteres in vetustissimis saxis, quæ etiamnum extent, obseruasse scribit. Olaus Magnus in Historia septentrionalium.

SCRVPVLVM.

Scrupulum dictum est à scrupo, id est lapillo, ludere scrupis est ludere lapillis. Hinc scrupulus: Quæ vox metaphorice significat dubitationem vel difficultatem translatione sumpta inde, quod lapilli in pedum calceos iniecti sunt nobis infesti & molesti: Barbari dicunt nobis ægre faciant: quibus cum caue loquaris. In ponderibus Scrupulum vicesima quarta pars est vnciæ, Budæus lib. 1. de asse. Sic dicitur Argenti scrupulum. In mensuris est centenum pedum.

Tropice accipitur pro quouis minuto. Sic scrupulosius scrutari est minutius scrutari omnia Quintil. & Differentia scrupularis Plinio idem est, quod minuta, genauw gesuchet. Alias scrupulosa Quintiliano.

Aliud est scrupulum, vt cum dicitur vncia vna pars libræ diuiditur in viginti quatuor scrupula, in obolos 48. Gulielmus Philander Castilionensis in Epitome de ponderibus & mensuris Romanorum.

Scrupulum primum est vnius gradus partis horæ aut cuiuslibet integri sexagesima particula. Hoc in sexaginta secunda propagatur. Scrupulum secundum in sexaginta tertia.

Primum $\frac{1}{60}$ id est vna sexagesima pars.

Secundum $\frac{1}{3600}$ per sexagenariam multiplicationem.

Scrupulum Tertium $\frac{1}{216000}$.

Quartum $\frac{1}{1296000}$

Quintum $\frac{1}{7776000}$

Sextum $\frac{1}{46656000000}$

Scrupula vnius horæ sexaginta sunt as horarius, id est integra hora.

Deunx scrupula 55 vel $\frac{11}{12}$ vnius horæ.

Dextans scrup. 50 vel $\frac{5}{6}$ vnius horæ.

Dodrans 45 vel $\frac{3}{4}$
Bes 40 vel $\frac{2}{3}$
Septunx 35 vel $\frac{7}{12}$
Semis 30 vel $\frac{1}{2}$
Quincunx 25 vel $\frac{5}{12}$
Triens 20 vel $\frac{3}{10}$
Quadrans 15 vel $\frac{1}{4}$
Séxtans 10 vel $\frac{1}{6}$
Vncia 5 vel $\frac{1}{12}$

Vnciæ partes sunt semuncia 2 prima scru. 30. secunda.
Duella 2 prima. 40 secunda.
Silicum 1 prim. 40 sec.
Sextula 50 secunda
Drachma 37 secunda 30 tertia.

SECTA.

Secta, hæresis, disciplina, familia, paria sunt.

Philosophorum sectæ sunt: Academica, Stoica, Peripatetica, Epicurea (à Socrate profectæ.)

Academici Platonis æmuli sectatoresq; dicuntur à gymnasio, quod Athenis erat Academia: is locus erat suburbanus & nemorosus ab Academo heroe sic appellatus Philosophorum eorum, qui Platonis instituto in Academia permanserunt. Alii veteres, alii noui dicuntur. Veteres à Platone ad Arcesilã vsque sunt, qui in Academia Platonis dogmata quædam sua tradebant, quibus necessario assentiendum sit, omissa pene veteri & Socratica, quam Plato etiam tenuit, Philosophandi modestia. Noui Academici à Cratore vsque ad ætatem Ciceronis viguerunt, qui de rebus obscuris vtrinque disputabant, Philosophorum decreta non Deorum oracula putabant, nullam scholam perpetuo sequebantur, & tamen in omnibus Scholis, quod verum aut verisimile videretur, libere sequebantur ac docebant. His duplex differendi ratio proposita erat. Vna de rebus controuersis, propositis in partes contrarias, qualis est Ciceronis de Finibus bonorum & malorum, de Natura Deorum. Altera doctrinæ cuiusdam & artis via progressa est, cum ea quæ probabilia viderentur perpetuis præceptis explicabant, quod genus differendi Cicero in lib. de officiis secutus est. Academia

Hi respectu nostri temporis sunt Antiqui, quo etiam nonnulli reperiuntur tales Academici (Ego neutros sector, sed eos qui tanquam mercatores & institores sapientiæ, ad vnius alicuius philosophi disciplinam & αὐτοσχεδιάζειν non tanquam ad saxum adhærescunt, sed qui, siquid in Platonis dialogis commodum ipsis & vtile videtur, sibi comparant, si quid in hortis Epicuri prostat boni, non contemnũt: si quid melius Aristoteles vendit, assumunt: si magis sunt vendibiles merces Zenonis, quam Aristotelis, Aristotelem relinquunt, ad Zenonis officinam se conuertunt: si quędam vana sunt & inutilia, quæ venduntur in philosophorum tabernis, ea prorsus non emunt.)

Cæterum noua quæ appellata est Academia Ciceroni videtur vetus appellanda, quia in Platonis libris modeste, libereq; in vtramq; partem multa disseruntur.

Sic Audomarus Talæus in Academia sua

sua post descriptionem seu circumscriptionem nouæ Academiæ, Cicer. libr.2.de Finibus. Hæc est Academiæ nouæ adumbrata quædam descriptio, quæ tamen non noua, sed vetus potius appellanda, cum isto modo Democritus, Anaxagoras, Empedocles, Socrates, Plato disputarint, & eorum consuetudinem qui noui dicuntur postea reuocarint. Sic nouum, quod dicitur, Euangelium, id est reuocatum in Ecclesiam, est vetus quippe Apostolicum.

Vetus igitur illa ratio philosophandi Academice, quæ modestiam philosophandi, & prudentiam nihil temere decernendi habuit, potest Socratica & Platonica dici à Platone Socratis alumno Academicorum principe, vt à quo profecta sit. Is enim sub persona Socratis in suis scriptis nihil affirmat, & in vtramque partem multa disserit, de omnibus pene rebus dubitat, quod probabile est, sequitur.

Noua vero post Platonem ad Archesilam vsque Speusippea à discipulo Platonis Speusippo, quæ à modestia illa prudentiaque vetere recessit. Denique vetus intermissa renouata Archesilea: quia ab Archesila cœpit: Qui à cæteris Philosophis, qui se multa scire profitebantur, dissentiens duas res inprimis à Philosophia vera remouendas, censebat κατάληψιν id est comprehensionem, & συγκατάθεσιν, id est assensionem & approbationem, & cõtra adhibendam ἐποχὴν, id est, assensionis retentionem & iudicii suspensionem.

Zuingerus Academicam sectam facit { Veterem à Platone / Mediam ab Archesilao / Nouam à Lacyde. } Inuentoribus.

Sed non videtur mihi opus media.

Nam Platoni successerunt Speusippus, Xenocrates, Polemon, Crantor, Crates. Archesilao successerunt Lacydes, Carneades, Clitomachus, Briso, Pyrrhon, qui omnes recte ad nouam referuntur, vt illi ad veterem.

Ego temperatam ex vetere & noua probo ἀκαταληψίαν omnium: quæ nihil præter incertas & ambiguas opiniones relinquit, reiicio Philosophiam esse ὄναρ ἀμφισβητήσιμον hyperbolice dictum pronuntio, etsi plura & nesciantur & agitentur opinionibus, quã cognita, & scientia percepta sint proprie dicta: Itaq; sæpe ἐπέχειν & διασκέπτεσθαι liceat.

2. Secta Aristotelica seu peripatetica Dogmatica & Elẽchica, cuius author Aristoteles Stagyrita, qui docebat in Lyceo deambulans, & primus collegit Philosophiæ præcepta in vnum, eorũ causas & fontes tradidit, τὸ ὅτι & τὸ διότι coniunxit, seminaq; à superioribus philosophis accepta tã diligenter excoluit, vt ad Philosophiæ arcem penetrasse videri possit. Hęc aliquid certi in plurimis decernit: & tamen qui eam sequitur nemo in sententia sua ita constans est, quin aliquando agat Academicum. Modus docẽdi modo est διεξοδικὸς conueniens commentationib⁹ & commentariis, modo Synopticus seu breuis, conueniens primæ institutioni.

Stoica secta à στόα, porticu, in qua docebat Athenis autor eius Zeno Cratetis Cynici discipulus, sicut & Cleanthes, cui successit Chrysippus. Fuerunt & Stoici è veterib. Græcis Posidonius, Athenodorus, Epictetus, Arrianus; E Latinis Seneca.

In Ethicis docuit nihil vtile esse, quod non idem sit honestum. Cicero in Offic. vbi turpitudo est, ibi vtilitatem esse non posse. Honestatem solam propter se expetendam: in Physicis docuit hominem nil nisi absolutam quandam

mentem esse corpus tantũ, esse eius instrumentũ (sicut contra Epicurei dixerunt hominẽ nihil esse nisi corpus.)

Epicurea secta dicta est ab Epicuro discipulo Democriti Nausiphanis & Pamphili, qui discipulus fuit Platonis, scripsit κυρίας δόξας Epicurus, quæ illud quoq; cõtinebant vniuersitatẽ hanc temere ferri, ex atomis fieri aerem, terram & mare, & cõpositã in atomos resolui. Idem etsi voluptatẽ finem hominis fecit, Virtutẽ tamen ab ea non excluſit, vnde illud eius dictum celebratur, Non posse suauiter & iucunde viui, nisi honeste & iuste viuatur.

Præcipuæ hæ sectæ fuerunt, præcipuæ inquam, id est maxime celebratæ ac nobilitatæ, quia fuit etiam Cynica, sic dicta quod doceret in gymnasio Cynosarges; princeps eius fuit Antisthenes Athenienſis præceptor Diogenis Canis, Huius discipulus Crates.

Duæ sunt familiæ seu sectæ Theologorum inter Catholicos, vna Scotistarum, altera Thomistarum, quę inter se dissentiunt de rebus plane maximis: Tertia præterea est familia, quæ ab vtrisq; dissentit. Occamistarum, quorum magister Occamus Anglicus, scripsit plurima aduersus vtrosq;, & is plures habet discipulos, quam vel Scotus vel Thomas, illi reales, at hi nominales.

Rucelinus Brito natione, M. Petri Abelgardi præceptor, primus sectam Nominalẽ instituisse dicitur contra Reales, & nominũ cognitione rerũ quoq; cognitionẽ cõprehendi magno conatu defendit sub annum Domini 1140. ita vt eam ob rem in Parisiensi Academia cruenta fuerint excitata prælia inter studiosos, Epigramma hoc recitat Auentinus Historicus.

Quas Ruceline doces non vult Dialectica voces,
Iamq; dolens de se non vult in vocibus esse,
Res amat, in rebus cunctis vult esse diebus,
Voce retractetur, res sit quod voce docetur,
Plorat Aristoteles nugas tradendo seniles
Res sibi subtractas per voces intitulatas,
Porphyriusq; gemit, quia res sibi lector ademit,
Qui res abrodit Ruceline Boetius odit,
Non argumentis, nulloq; sophismate sentis,
Rex existentes in vocibus esse manentes,

Ludouicus Viues de causis corruptarum artium lib. 1. scribit sectam Scholasticam à Guilielmo Occamo defluxisse, & Nominalium se appellasse, eamq; ridere, quæ Iohannes Scotus & ii qui Reales dicuntur de punctis, de momentis, de interuallis, de indiuisibilibus affirmant, & tamen illos ipsos disputantes, vel in Logicis de Incipit & Desinit, vel in Physicis de motu & tẽpore, opinionem Scoti tanquam veram subiicere, vt sit dimicatio diuturnior.

SECTIO.

Alia est Sectio Mathematica, alia Anatomicorum & Medicorum, alia Musica, alia Metallica, alia Politica, alia denique Logica: Alia est vulgaris, alia artificiosa.

Primo igitur generaliter loquendo fit diuisione Totius. Sic exercitationum Scaligeri sectiones sunt.

2. Specialiter partitio sectio Logica est.
3. Est & sectio corporis humani & artificiosa illa quidem Anatomicorum scilicet. 4. Medicorum sectio venæ est.
5. Metallicorum sectio & sectura metallica est. Apud Cæsarem sectura ærariæ est, Ein Ertzgrube.
6. In Politicis sectio est abgeschafft vnnd verfallen gut (res confiscatæ) qua voce etiam Cæsar vsus est. 2. Antonius Pompeii sector dicitur à Cicerone, quia Antonius Pompeii bona hastæ expositã redemerat, vt sector sit, der ein verfallen gut kaufft / æstimator & redemptor, bonorum damnati vel proscripti: sic dictus quod spem se-

cterur

ctetur lucri sui, id est, sequatur spem æstimationis suæ, vt sentiunt multi Iurisconsul. cum Asconio Pædiano.

Sed sciendum non hanc esse veram Etymologiam, sed tantum Allusionem. Nam sectionis vocem, qua, quæ nunc dicitur confiscatio (hoc est alicuius bonorũ publicatio) significatur, certũ est deriuatam esse ex eo, quod prædã ex hostibus captam milites inter se secabant, id est, diuidebant. Vid. Hotomann. & Schard Lexicon.

7. Sectio in Geometria est segmentum circuli, intus cõprehensum ab vna recta, quæ basis sectionis dicitur, vt:

Absoluere circuli sectionem est datæ sectionis circulum describere. Id fit inuento centro. Centri inuentio sic est. Si inscripta recte bisecet inscriptam: est diameter circuli, eiusq; mediũ cẽtrũ 1.p 3. sector est segmẽtum circuli intus comprehensum à recta, duplici angulum faciente. Eius (sectoris) basis est peripheria, cui insistit.

Euclides definit specialius qui angulum continet ad centrum.

Segmentum circuli est quod cõprehẽditur extrinsecus, à peripheria, intus à recta. Estq; { Sector. Hic distinguitur ex angulo { In Centro. / In Peripheria. / Sectio.

Secans est species rectæ finibus connexæ, cui opponitur tangens. Definitiue secans est radius per terminum peripheriæ in tangentem continuatus cum continuatione.

Peripheriæ, a e secãs est o e i nempe radius o e continuatus in terminum tangentis e cum continuatione e i.



8. In Musica sectio seu comma est primus sonorum diuersorum minimo interuallo distantium.

bar- dicit quanto.

Secundum, secundũ Quod, prout, Qua ratione, In quantum, id est quatenus.

Scholasticis primo secundum quod (vel qua) specificat Rationem signi seu conceptus: vt ignis in quantum subiectum: ignis qua species, &c.

Vel Rationem principii seu causæ, vt ignis secundum quod calidus calefacit. Homo quatenus habet liberum arbitrium, peccat.

Hinc duo ὑπομνήματα. Primo Terminus specificans seu causaliter acceptus significat illud, cuius Ratione prædicatum principale conuenit subiecto, vt Christus in quantum homo passus est, & resurrexit: secundum quod Deus est creator. Hic in Quantum

significat humanam naturam, cuius respectu passio & resurrectio Christo attribuitur. Secundo. Terminus specificans rationem conceptus facit vocē secundæ impositionis, seu appellationem rationis, Deus qua nomen, nihil creat.

Secundo Secundum. Quod interdum ponitur pro secundum signo diminuente significatum, vt Homo Secundum quod mortuus est, cadauer est, Christus est creatura secundum quod Homo est, Æthiops secundum quod dentatus, est albus, Gabriel. Biel. lib. 3. dist. 7. Quæstion. vn.

Vsus.

Christus in quantū Hic Homo est Deus, falsa est intellecta specificatiue seu causaliter, quia Christum esse hunc hominem, non est causa Christum essendi Deum (id est ob quam Christus sit Deꝰ) nec humana natura assumpta est ratio, propter quam Christus est Deus. Christus secundum quod Deus est, persona est vel est Christus solū deitatis respectu proprie persona est, Christus, qua homo, non est persona etsi humanitas sit aliquid personæ.

Sic Augustī. In vnitatem personæ accessit verbo anima Rationalis & caro: In Enchiridio ad Laurentium cap. 35.

Secundum se, opponitur ei quod est secundum aliud secundum rationem aliquam.

Quæstio est, an corpus Christi à sanguine sit separandum, vel separatum etiam in sacramento Eucharistias?

Resp. Corpus humanum & sanguis nō diuelluntur secundum se considerāta. At corpus illud à sanguine separatur, vt spectantur hæc secūdum rationem sacramētales ē, qua nobis repręsentant, porro, quod semel factū est in cruce.

Secundum se igitur & Absolute sunt ἰσόρροπα (æquiualent) sic secundum rationem aliquam; (τινὰ τρόπον Græce καθ' ἕλλειψιν) & σχετικῶς sunt ἀντίστροφα.

Secundum seipsum aliud est quam Qua ipsum. Quod secundum seipsum alicui conuenit potest ei non conuenire primo. Quod qua ipsum conuenit, præter id ꝙ cōuenit secundū seipsum, seu καθ' ἑαυτὸ, etiam primo conuenit & adæquatur ei. Proclus in 1. Alcibiad.

Secundum (detracto) quod est determinatio diminuens, vel distrahēs. Distrahit enim seu auocat terminum cui additur à sua suppōsitione, id est, acceptione propria, vt Titius secundum faciem est pinguis, Æthiops est albus tantum secundum dentes. Hic secundum determinat prædicatum, ita vt prædicatū accipiatur pro homine macro habente faciem pinguem, aut nigro habente dentes albos. Tales sunt, Hic est crispus secundum crines.

Secundum se multipliciter dicitur, vt definitio de definito, vt partes definitionis dicuntur, quæ existunt in eo quod quid est, vt subiecto attribuitur proprium.

Secundum se consideratum opponitur ei, quod est vt Relatum ad aliud. Exempli causa. Alia conueniunt homini secundum se considerato, & quatenus est homo, alia vt relata ad aliud, & quatenus est pater. Nam habere filium, est illi accidens tanquam homini, idq; separabile, sed eidem tanquam patri est essentiale. Sic etiam albedo accidit homini, καθ' ἑαυτὸν sumpto, sed est de eius essētia, quatenus est homo albus, quia locum formæ obtinet, qua est homo albus, & non niger. Sic lupo, in quo formalis essentia est, vt loquitur Scaliger, seu forma, qua lupus est, quam tum demum amittit, cum desinit esse lupo inquam secundum se sumpto, accidit feritas, qua ferus est, à qua vacuus esse potest humanæ societatis assuetudine. Sed feritas est de eius essentia, qua est lupus ferus. Et putredo accidit pomo, sed quatenus pomum putri-

putridum est, est de eius essentia. Ita peccatum vel corruptio hominis secundum se sumpto accidit, nec est de eius essentia, sed qua est homo corruptus vel peccator, pertinet corruptio, vel peccatum ad eius essentiam. Hanc considerationem si Matth. Flacius Illyricus adhibuisset, non scripsisset simpliciter, peccatum originis esse de hominis essentia.

Definitio Zabarellæ hic notetur: Non est ἄλογον ἢ ἄτοπον, vt accidens sit de essentia substantiæ, non quidem secundum se acceptæ, sed secundum aliam considerationem 1. de rer. materia cap. 13. Materia prima non existit actu secundum se, seu per se ipsam, seu secundum suam naturam, sed per formam, seu merito formæ. Thomistarum, vt & Zabarellæ hæc sententia est.

Secundum partem opponitur nonnunquam ei, quod est perfectum: nonnunquam idem est, quod secundum accidentia: eique ex aduerso respondet secundum substantiam: Imperfecto enim aliqua pars, vel aliquæ desunt. Et accidens non est tota res, sed aliquid rei, itaque pars quædam est analogia significationis.

Vsus.

Putrefactio quædam secundum partem dicitur. Quid hic significat secundum partem?

Resp. Significare imperfectum, seu non secundum totum. Sic, ægritudo alicuius membri propria, potest dici morbus, secundum partem, vt distinguatur à morbo, qui est totius corporis.

Cur alteratio aliquando dicitur generatio secundum partem? Resp. Quia alteratio est generatio tantum secundum accidentia. At cur hæc dicitur secundum partem? Resp. Quia accidens non est totum, sed aliquid totius quod est quasi pars, seu pars analogice tantum. Interitus misti secundum partem est imperfectus, quo mutatur in mistum diuersæ speciei. Perfectius vero est, quo dissoluitur in Elementum Zabarellæ iudicio p. 591. de mist. generatione vlt. cap. lib. 2.

SECVLVM.

1. Seculum definire solent centum annis, quo facit illud, quod Ludi seculares Romæ dicti sunt, qui centesimo quoque anno instaurabantur.
2. Seculum quandoque sumitur generaliter pro tempore & vicissim tempus pro seculo, & dicitur tempus seculare, & seculum temporale. Lineouiensis in mystica Theologia Dionysii.

Seculum seu tempus, vel est viæ (hominis viatoris, hoc est, quasi peregrinantis in hoc mundo) finitum, vel est viæ & termini (hominis comprehensoris seu beati) infinitum seu nunquam finiendum. Reliquæ significationes sunt poeticę fere.

3. Secula quatuor poetarum, ferreũ, plũbeum, argẽteum, aureum, Plato transtulit in hominum ingenia Marsi. Ficin.

SEDERE.

Sedere proprie accipitur physice, vt, sedẽs sit, cuius Spondyli recte renibus porriguntur, sed crura non porriguntur ad inferiora ob sustentationem Alb. Mag. Huc pertinet illud, Sedendo homines fiunt sapientiores.

In Politicis est regnare, estque in categoria Actionis.

Interdum etiam est otiosum esse: huc pertinet illud: Non veniet tibi desuper assa columba sedenti. Ita supersedere est super aliqua re cessare, in aliqua re esse otiosum. *Sedere notat otium.*

Constituitur cum Ablatiuo à Cicerone, Datiuo ab aliis rarius tamen, & infinitiuo à Liuio: Sed inuenio etiam ad Herennium. Hęc causa non visa est supersedenda; videtur hoc olere Greciã.

SEMPER.

Semper primo significat temporis perpetuitatem. Secundo significat rei vniuersitatem, vt, Non ergo necesse est semper moueri ab alio, eoque modo. Et : id quod causa est per se, semper prius est eo, quod est causa per aliud, Arist. 8. Physicorum text. 39. Semper, id est vbique & in omnibus & necessario.

Sic Aliquando primo significat negationem perpetuitatis temporis.

Secundo idem est, quod Tandem. Non statim, post aliquod tempus. Vide exemp. apud Zabarel. in 8. Phys. ex contextu 32. Aristotelis pag. 157.

SEMEN, SEMINIVM.

Semen est materia serendi: plantarum & animalium, & est ex quo, & cuius, A quo.n. decessit, eius est semẽ, vt equi, & eius, quod ex illo futurũ est, vt muli, Aristoteles de Histor. Animal. 7. cap. vis eius πλαστικὴ (formatiua) dicitur: Huic semen genitale, seminaria vis, ratio seminalis, qua sublata res casu potius contingerent, quam natura fierent. Marsil. Ficinus in Plotin. Enn. 2. lib. 3. cap.

Transfertur & ad alia : Etenim semina quę terra à cœlesti coniuge recipit, sunt rores & pluuiæ. Leo Hebr.

Semen in cornu proiectum est prouerbium Platonicum de Sclerandris (duris hominibus) Nam vt semina in cornu proiecta non molliuntur igne: Sic hi homines persuasionib⁹ imo ipsa πειθανάγκῃ (persuadendi arte) molliri nequeunt, de leg. 9.

Ἄλλως *& quidem latius.*

Semen primo accipitur generaliter, vt complectatur & agri seu soli & maris fœminæque & vteri semina.

Secundo accipitur specialiter, pro vtili superfluitate vltimi alimenti, è qua fœtus vi caloris vteri existit. In eo sunt materia & virtus seu vis. Quod ad hanc attinet est semen ab omnibus membris, sed quod ad illam, i.e. molem & materiam seminis attinet, non est ab omnibus membris. Deciditur autẽ, seu deriuatur maxima pars à corde, cerebro, & iecore: quia quando vel vehemẽter, vel tenuiter seu leui⁹ læsæ sunt, aut debilitatæ partes illæ, semen fit ineptum ad generationem, vel partus fit imbecillis.

Seminis autem generatio proprie non est τῆ γεννητικῇ, id est, virtutis generandi & procreandi, sed τῆ θρεπτικῇ, id est, virtutis nutricis, at in semine est vis γεννητικὴ seu τὸ γεννητικὸν, quod seminis materiam mutat (quæ virtus est μεταβλητικὴ seu transmutatrix) & membra fœtus format ac producit, (quæ virtus est πλαστικὴ seu figuratrix.

Quid τὸ γεννητικὸν?

Quid μεταβλητικὸν?

Quid πλαστικὸν seu figuratrix?

τῆ γεννητικῇ partes { μεταβλητικὴ, substantiam; πλαστικὴ, Figuram. } Ei, quod gignitur, conferẽs.

Id quod semina fœcunda reddit est Spiritus, qui rationem quandam habet ad elementum siderum Arist. lib. 2. περὶ γενέσεως, vt sit aliquid in semine elementorum natura maius & præstantius atq; diuinius, quod cœleste & ætheteum esse oporteat. Neque enim omnia ex elementis producit Aristoteles, vt Galenus.

Tertio Semen accipitur metaphorice pro principio, pro causa efficiente, pro ante vel materia alicuius rei.

Hæc significatio est apud Ciceronem & Poet. Nemo patrem nouit, nisi filius, & quibus huius Semina notitiæ Filius ipse dedit. Hoc est principia seu initia.

Quarto Metaleptice seu metonymice pro eo, quod ex semine ortum est.

Seminilegus est auis, quã Gaza vocat frugilegam.

gilegam. Hæc rostro refossa semina colligit & depascitur, per metaphoram significat libenter verba funditantem & blateronem (Græce dicitur Spermologus) vel eum qui saltuatim & velicatim, vt loquitur A. Gellius lectis Autorrbus & ex iis enotatis f. voculis aliquot veluti collectis solidæ doctrinæ seminibus magnus seu egregius vir haberi vult & sese verbosius iactans eruditionem ostentat.

Vasa Seminaria sunt quæ semen genitale recipiunt, seminis sunt conceptacula, ἀγγεῖα σπερματικὰ.

Seminale quod seritur vel seri potest, vt Viciæ seminales apud Columellam.

SENEX.

Senex proprie ob ætatem dicitur: improprie seu translate ob virtutem. Sic adolescẽs etiam dicitur senex qui senili est iudicio. Vtraque significatio est in sententia prouerbiali, quæ monet mature fieri senem si diu velis esse senex. Intellig. Fieri senem moribus, &c. si velis esse senex ætate, Mature oportet te sapere, valetudinis rationem habere, non mancipare corpus voluptati, si velis esse vitalis seu longæuus.

Sic iuuenis aliquis proprie est ętate: translate moribus. Ille Aristoteli in Ethicis est νέος τῇ ἡλικίαν. Hic vero νεαρὸς τὸ ἦθος. Similiter puer accipitur Physice, vt Ethice.

Senes capulares dicuntur qui sunt vicini veretro, annorum iam saturi, qui boues Solis comederunt, vt loquar cum Homero, νήπιοι οἱ κῦβες ὑπερείοτος ἠελίοιο ἤσθιον, id est, qui multos annos viuendo expleuerunt, Henricus Stephanus. Galeno lib. 5. de sanitate tuenda, hi senes sunt πέμπελοι. Opponuntur his ὠμογέροντες, qui sunt in prima Senectute, quibus adhuc est viridis senectus. Cardanus Gemmis proprie senectutem tribuit, quia sentit eas viuere. At Scaliger plerisque omnibus (ait enim, Adamantem senectam patinondum compertum est) per metaphoram, quia vitam eis non tribuit, (vt nec animam, sed naturam.)

SENTIRE.

Sentire primo est speciem existentem in materia præter materam interuentu organi corporei percipere seu cognoscere. Itaque recte Zabarella sentire est formaliter cognoscere: aliud autem est sentiri per se, aliud per accidens. Sentiri per se nihil aliud est, quam speciem suam in sensu producere. Sentiri per accidens est non per speciem propriam, sed per alienam speciem sensilem producere. Zabarell. L. De sensu agente c. 5.

Secundo sentire accipitur translate pro eo, quod est intellectu intelligere, cõprehendere, intellectu iudicare.

SENSVS.

In Physicis sensus significat modo facultatem sentiendi, modo operationem ipsam. Aristoteles.

Sensus in Logica pro διανοίᾳ seu conceptu ponitur mentis, vt cũ dicitur sensus est formalis vel causalis.

Causalis est qui prædicat causam, vt sonus est motio vel fractio (Aristoteles) id est, ex motu vel fractione resultat. Sonus est ictus aeris; id est, ex ictu aeris resultat, sonus ex fractione & compressione medii corporis resultat. Vera igitur est propositio in sensu causali. In Physica sensus est vel vis, vel actus sentiendi. Sed redeo ad sensum physice acceptum.

Sensus, id est, sentiendi actus, est per se rei singularis, vniuersalis vero per accidens. Sensus, id est sensus natura, respicit vniuersale, vt obiectum adæquatum Zabarell. ad context. 206. 2. post. Hinc percipitur distinctionis vtilitas.

Alberto Magno 1. Sensus alius est magis spiritualis, alius magis corporalis. Spiritualis, vt auditus, visus: Corporalis, vt gustatus.

2. Sensus aut est exquisitus, aut minus exquisitus. Exquisitum sensum duobus modis intelligere licet. Scalig. exerc. 286. nempe aut summam celeremque vim ad recipiendam rei sensibilis impressionem, aut farultatem in medio constitutam, ad omnium sensilium differentias dignoscendas. In prima intellectione bruta comprehenduntur, quibus efficacissimam potestatem natura insinuauit, ad ea sentiendum, quæ sensibus quatuor percipiuntur. Ita quam acutissime, quam remotissima cernit Aquila Solisque patitur radios absque detrimento. Vultur quam maxime distantia capit odoratu. Auditum talpæ, ac vulpi attribuunt excellentissimum: Gustum nos gallinis multisque aliis auibus; Tactus homini certissimus ac exploratissimus.

Altera significatio ad exquisiti iudicii perfectionem penes hominem est, Is enim cum ad beatitudinem creatus sit, ad eam vias illi muniuit natura: idcirco mediocriter, omnia hæc: Tactum vero dedit perfectissimum. Quia nudum & imparatum, maxime, & dignoscere oportuit; & cauere. Aquilæ, & aliis sensuum suprema perfectio comparanda fuerat, ob quærendum victum Homini manus, ac mens satis præstitere; & imperium in multa animalia, quibus tanquam armis vteretur.

Minus exquisitus contra, qui minus viget, vt eorum animalium, quæ non repentina sensione aliquid vel admittunt, vel respuunt, vel auersantur. In hominis sensus, καὶ σύγκρισιν gallinæ non est exquisitus. Nam gallina crassissimum aridissimum quodque receptum ore illico diiudicat: at homo nõ nisi mansa Sensus est per neruos, vel sine neruis.

Vsus huius distinctionis.

Cor habet sensum à cerebro per neruos: morbos enim & vulnera non sentiret, nisi haberet neruos. Sed quod sentit, & quasi intelligit pœnas ac tristitiam, illud non fit per neruos, quia non est hic contactus corporis alicuius: sed sensus tantum iudicii & cogitationis, qui sensus ineſt cordi, à propria & specifica natura. Hæc pertinẽt ad quæstionem: Quomodo cor sentiat.

Sensitiua cognitio est, quæ fit sensu, vel oritur à sensu. Hæc est occasio & ἀρχὴ cognitionis intellectiuę. Sensus autem non comprehendit rerum essentias, vt intellectus.

SENSITERIVM.

Barbarum Scholasticorum, qui interdum sunt Simiæ Græcorum. Hi dicunt αἰσθητήριον, ex quo illi fecerunt sensiterium pro sensorio, id est, organo sensus. Hoc agendo patitur, ait Simplicius; Et sensus patitur sensorio principaliter patiente, dum in propriam excitatur & incumbit actionem, teste eodem.

SENSVALITAS.

Barbarum est, quod vsurpare te nolim, pro eo, quod est appetitus sensitiuus, qui & animalis dicitur, vel ab anima, quia primã animæ (sensitiuæ) apprehensionem sequitur; Vel ab animali, quia conuenit omni animali & homini, non qua homo, sed qua animal.

Videtur

Videtur autem ſenſualitas dicta à motu ſenſibili. Motus autem eſt actus ſenſitiui appetitus apprehenſionem conſequens. Sic Armandus: per ſenſualitatem intelligitur potentia appetitiua, quæ appetitus ſenſitiuus eſt. Per ſenſualem motum, intelligitur potentiæ appetitiuæ operatio.

SENTENTIA.

Huius vocis hanc ſtatuo eſſe vim, vt idem valeat quod iudicium, qualis eſt, verbi gratia, opinio ſeu opinatio. Quo fit, vt in Politicis accipiatur, pro decreto & concluſione, vbi crebro occurrunt hæc, ſententiam ferre de re, ſententias rogare de re. Omnium ſententiis abſolui. Interdum accipitur pro enunciatione, ſeu propoſitione, de qua Logici, per ſynecdochen, pro lumine orationis, oratione breuiter monente aliquid ad vitam pertinente θεωρητικῶν vel πρακτικῶν. Talia enim dicta ſunt ſimilia conſiliis & decretis. Hinc author aliquis ſententioſus & oratio ſententioſa dicitur. Dicuntur Aphoriſmi didaſcalici ſeu doctrinales, quia ſunt breues definitiones doctrinam continentes: Dicuntur Gnomæ à γιγνώσκω, à cognoſcendo & χρείαι ab vſu, ſeu operando.

SEPARABILITAS.

Separabilitas eſt δύναμις, qua quid poteſt ab alio ſeparari: vel eſt negatio neceſſariæ conſecutionis ſui eſſe perfecti ad eſſe ſubiecti. Itaque eſt quoddam non eſſe. Sic Caietanus. Ex rei potentialitate prouenire neceſſe eſt imperfectionem accidentis & ſeparabilitatem eius ſecundum actum: vt contra ex actualitate rei neceſſe eſt prouenire Eſſe accidens perfectum & inſeparabile ſecundum actum, vt 7. cap. de Ente & eſſe Thomæ.

Separata dicuntur quæpiam ſecundum rem, vel ſecundum rationem vel ſecundum vtrumque, vt Deus.

Separata in conceptu id eſt ſecundum rationem ab alio, non ſunt de eſſentia illius Alex. Alenſis in 7. 1. Philoſ. Aliquid etiam dicitur ſeparatum ab alio ſecundum eſſe vel ſecundum operationem Alb. Mag. Separatum ab aliquo per eſſentialem operationem, ſeparatum eſt ab eodem per eſſentiam.

SEPARABILE.

Χωριστὸν, Separabile, quod ſeparari poteſt ab aliquo eſt ſeparabile vel re ſeu τῇ ἐνεργείᾳ vt cogitatione ſeu ἐπινοίᾳ, id eſt, mentis conceptione. Atque hoc poſterius bifariam fit; vel quia id in quo eſt ſubiectum ſcilicet, cui contingit ineſſe, intelligi poſſit ſine ipſo: vel quia hoc ſine illo, propterea, quod neutrius horum natura ab alterius pendeat natura, etſi re ſeparata non comperiantur in rerum natura. Priore accipitur modo à Porphyrio in inſtitutionibus cap. de Accidente cum loquens de Accidente inſeparabili ſumpto exemplo à corui & Æthiopis nigredine monſtrat quomodo ratione, id eſt, cogitatione poſſit eſſe ſeparabilis, his verbis poteſt tamen & coruus albus & Æthiops mutato intelligi colore ſine rei interitu cui adhæret. Poſteriori vero modo accipitur 2. de naturali auſcult. text. 18. cum loquens de Mathematicis formis eas à motu, id eſt, à materia ſenſili poſſe abiungi. Iohan. Talentonius, Philoſoph. & Medicus in Parmenſi Gymnaſio libr. 3. cap. 9. rerum reconditarum. Sic ſeparatum ſecretumque eſt re vel cogitatione. Mentes ſeparatæ dicuntur ſecretæ à conſortio materiæ.

Secretio hæc realis eſt intellectus ſeparatus Ariſtoteli lib. 3. de anima eſt intellectus, non commiſtus corpori, ratio-

ne operationis, loquitur enim Aristoteles ibi de intellectu hominis, alias generatim loquendo de intellectu.

Intellectus intelligitur separatus
- A materia vt corpore secundum esse, vt post mortem.
- Ab organo qua in corpore non est actus alicuius organi: vt ante mortem hominis.

Deus est ipsum bonum κεχωρισμένον, id est separatum, & prorsus simpliciter & cum aliquid in aliquo bonum, vt nostra felicitas, quæ participatum est bonum & non quiddam αὐτὸ ἀγαθόν. Vid. Titulum de Abstractione & vniuersali. Species sensilium sunt res à materia & ab iis, quæ materiæ adhærēt diuulsæ, eaque à quibus sunt secretæ repræsentant, vt eorum similitudines sint formæ sine materia, quæ recipiuntur in organo hoc modo, quo annuli ferrei vel aurei in cera sine ferro & auro in ea recipiuntur.

Differunt χωριστὸς & χωρισθείς, vt separabilis & separatus, vt Actus primus & Actus Secundus lib. 3. tamen de anima text. 7. & alibi ab Aristotele sumitur χωριστὸς separabilis pro χωρισθεὶς separatus.

SEPARATVM.

Separatum est 1. Generaliter quod ab aliquo seiunctum est. 2. Specialiter 1. quod reipsa versatur extra materiam non vnitum corpori ipsumq; non informans. 2. Quod non est ortum ex coalitu materiæ. 3. Quod organo corporeo non est affixum.

Vsus.

Aristoteles in lib. de anima intellectum vocat Separatum & immixtum: secunda & tertia significatione.

Separatio, Seiunctio, Segregatio, Secretio.

Separatio seu solutio est
- Mentalis.
- Realis
  - Impropria. Quæ est interitus. Quid est mors nisi separatio vitæ à viuente. Hier. Zanch. lib. 2. de natura Dei, q. 3. cap. 5. per separationem intelligit interitum.
  - Propria. Cum homo moritur proprie anima rationalis separari dicitur, hoc est à corpore auelli & discedere, non corrumpi, sed permanere salua. Sic Albertus Magnus contra Auerroem de vnitate intellectus cap. 7. Ex anima fluunt potentiæ separatę à materia & non separatæ: & secundum se anima est incorruptibilis & permanens licet secundum esse quarundam potentiarum sit corruptibilis. Et hæc dicemus de anima humana, non de alia. Hactenus Albertus.

Idem de morte & vita tract. 2. c. 3. Anima quæcunq; est forma in materia, absq; dubio corruptibilis est subiecto suo corrupto & vegetabilis & sensibilis.

Hic pro corruptibilis dici potest, inseparabilis, sensu eodem. Sic Simplicius 3. de anima sect. 2. text. 20. Anima quæ hoc corpus viuificat separabiliter aliquando

quandó viuit & intelligit. Sic Thomas Aquinas 2. Phyſ. l. 4. text. 26. c. 20. Animæ rationales ſunt ſeparatæ in quantum intellectiua virtus non eſt actus alienus corporis organici, vt virtus viſiua eſt actus oculi: Sed ſunt in materia, vt quantum dant Eſſe tali corpori.

Cuiuslibet viuentis mors eſt præcipue & immediate deſtructio animę vegetantis, non ſeparatio eſt, non abitus ſeu ſeceſſio à corpore Zabarell. de facultat. animæ c. 9. Anima enim vegetatiua extra ſubiectum corpus non habet Eſſe. Hic ſeparatio eſt auulſio. Sic ramus auulſus à tota arbore dicitur ſeparatus, vid. cap. 11.

Quæ ſeparantur poſt diſſolutionem, ſubſiſtunt. Simplic. de anim. text. 8. cap. 25. Quædam potentię animę ſunt ſeparatæ, quædam corpori coniunctæ, vt virtutes in corpore operantes Alb. Mag. contra Auer. 11. de vnitate intell. cap. 5.

Separatio (cui opponitur cõiunctio)
- *Per intellectum*, κατ' ἐπίνοιαν cum duæ reuera coniuncta ſeparatim concipimus ſeu apprehendimus.
- *Secundum rem*, κατὰ τὸ πρᾶγμα, cum quæ coniuncta ſunt reipſa diuelluntur, vt diuerſis ſint in locis, ideoque non corrumpantur, vt anima & corpus hominis mortui.

Nam diſiunctio formarũ à ſubiectis cum ſit earum corruptio, ſeparatio non eſt.

COROLLARIVM.

Proprie igitur quæ non permanent, ſed pereunt, Separari non dicuntur, ſed Perire & Aboleri. Itaque

Accidentia quæ naturaliter remouentur à ſubiecto, vt virtus ab homine realiter ab eo ſeparari ſeu abſtrahi proprie dici non poſſunt (ſed perire) quia naturaliter, quod addit Fonſeca, ſine ſubiecto cohærere non poſſunt.

IN DOCTRINA Aſtrologica de Planetarũ aſpectibus SEPARATIO à coniunctione vel aſpectu dicitur cum planeta inferior à ſuperiore receſſit per quantitatem orbis ſui, ita tamen vt ſe adhuc orbes vtriuſque contingant. Ei opponitur Applicatio ad coniunctionem vel aſpectum, quæ dicitur cum planeta inferior accedit ad ſuperiorem, ita vt orbes vtriuſque ſe contingant. Henr. Ranzouius in tract. Aſtrol.

Barbaris ſeparatio in fieri eſt, quę fit, in facto eſſe, quæ facta eſt. Canon.

Quorum vnum inſtar materiæ, alterum rationem actus habet, ea χωρίζα ſeu ſeparatim eſſe nequeunt.

SERVVM.

Seruus eſt perſona ſubiecta domino: Ariſtoteli eſt inſtrumentum domini animatum. Seruus dicitur in Iuriſprud. Romana cui libertas arbitrio ſuo viuendi adempta eſt. Opponitur ei liber, itaque ſeruilis etiam neceſſitas opponitur liberæ voluntati.

Seruus pœnæ dicitur in iure, quia vt ſeruus Domino, ita ille, in quem atrox ſententia dicta eſt, pœnæ eſt mancipatus. D. Ant. Matthæ. in not. lib. 1. Inſtitut. Seu:

Seruus pœnæ dicitur, qui damnatus additur metallo, vel operi publico. Corporalis hæc ſeruitus eſt & legalis. Vid. Iuriſconſ. Ariſtoteli in Politicis.

Seruus à natiuitate Alb. M.

Seruę natura eſt, qui eſt ingenio & animo ſeruili, qui poteſt alienus eſſe ideoque alterius, eſt qui tantũ particeps eſt rationis & conſilii ex alio, vt ipſe non habeat. Huic opponitur ſeruus ſecundũ leges Ariſt. 1. Polit. c. 4.

Alexander Aphr. Seruum τῇ φύσει Ariſoteleum intelligit, cũ ait, Seruus eſt qui eũ homo ſit, alterius eſt, qualis eſt, qui ob ingenii tarditatem non ad cognitionem rerum, ſed ad ſeruiendũ aptus eſt.

Seruus etiam adiectiue accipitur à Iurisconsult. & Cicerone Contra Rull. Or. prædia libera meliore cõditione sunt, quam serua. Sic fundus seruus apud Iuriscons. Ita etiam inuenio apud Eruditos in genere neutro, administrum, æmulum, alumnum, καὶ ἀναλογίαν. Theodorus Zuingerus in Physiolog. Medica ca. 7. Ligamentum σαρκισμὸς vinculum cartilagine mollius, membrana durius, tenacissimum & robustissimum corpus, interdum cartilaginis, interdum membranæ æmulum. Idem alibi corpus luxuriæ alumnum dixit. Cicero Alumna pacis temporum felicitas.

In Politicis seruorum quinque sunt genera, Bodin. in lib. 1. de Repub. Vnum eorum, qui natura serui dicuntur, ex ancilla concepti: alterum eorum, qui capti sunt ab hostibus, qui antiquo iure belli serui fiebant: tertium est eorum, qui ad opera publica damnati fuerant, qui serui pœnę appellabantur: quartum eorum, qui se ipsos in seruitutem sponte dediderunt; ac potissimum ii, qui suæ libertatis pretium acceperunt: Extremum est eorum, qui à piratis, aut latronibus venditi, bona fide ab emptoribus possidentur.

Τειχοτόμ.

Serui
- Natura, ex ancilla concepti.
- Voluntate. Qui sponte seruitutem subierunt.
- Vi
  - Capti.
  - Ad opera publ. damnati, serui pœnæ.

Διχοτόμ.

Serui
- Natura.
- Præter naturam
  - Voluntate.
  - Vi
    - Ab hostibus capti.
    - Damnati, ita vt sint ergastula.

SERPENTINVM, ANGVINVM.

Versus Serpentini sunt: 1. Cum vt hexametron cœptum est, ita finitur pentameter, cum finis ad alterius principium conuerti videtur, inquit Bebelius. Alias Epanaleptici:

Tu noua stella maris, qua lux est reddita terris,
Ortus es & Solis tu noua stella maris.

Sedul.

Vna fuit mulier, patuit qua ianua letho,
Ex qua vita redit, vna fuit mulier. Ennius Maro.

Dicuntur etiam Symplectici, quia inter principium & finem est συμπλοκὴ seu coniunctio quædam. Symplecticon latinis est copulatiuum.

Serpentini dicuntur, quia serpentis morem imitantur, hoc est, in se redeunt, cum initio consentiente fine, vt ait Hadrianus Iunius.

2. Sed hæc significatio est specialior. Generaliter igitur Serpentini Versus sunt

sunt, qui in se recurrunt, ita, vt finis consentiat cum initio, siue hoc fiat tãtum in vno verbo, siue in commate: in vno verbo, vt Crescit amor nummi quãtum ipsa pecunia crescit. In commate, vt

Graia iuuenca venit quæ te patriamq; domumq;

Perdat, Io prohibe: Graia iuuenca venit.

Huic Henricus Bebelius Sustingensis, Poeta laureatus in racemationib. suis contrarium facit concatenatum, vt:

Me tibi donat honor, sed honor qui me tibi donat,

Creditur altus amor, sed amor qui creditur altus:

Me iubet esse tuum, vel amor qui me tibi iunxit:

Ego voco Epanodicum, à figura Epanodo quæ latinis est regressio.

SESSIO.

Sessio accipitur proprie & improprie, proprie de ea quæ est sessilaria, vt cum Magister docet sedẽs in cathedra. De hac Ammonius. Sessio est dispositio totius corporis (locati) qua pars eius stat, pars vero curua est.

De hac disputatio est, insit ne primo corpori, an partibus. Concludendum videtur Simonio sessionem esse dispositionem totius corporis propter partium diuersum situm, respectu loci, & sessionem prædicari de toto respectu partium, non autem de partibus respectu totius. Sessio enim si totius corporis partibus primo inest cur d parte quæ erecta est non dicitur, eccur neque de ea, quæ est curua? Sed Schegkius sentit sessionem primo per se & proprie inesse partibus respectu totius: At sedere primo inesse toti propter partium diuersum situm, vt Synonymum & paronymium hic sint in diuersis primi subiectis.

In politicis vox vsurpatur metaphorice, vt sessio sit gubernatio regia, vel iudiciaria, & habet locum in categoria nõ διάθεσις seu τῦ κεῖσθαι (situs) sed actionis. Sic stare pugnantis est. Sedere interdum accipitur συνωνύμως pro ipsa sessione, vt stare pro statione, interdum pro παρωνύμῳ hoc est, pro eo, quod est esse sedẽtem, vt stare pro eo, quod est esse stantem.

SEXVS.

Sexus proprie dictus est natura distincta animãtium perfectiorum ad generationem factorum. Scaligero est alter utra potestas generandi li. 4. de caus. l. c. 79. perfectiorum dixi, quia non omnibus animantibus conuenit sexus.

Albertus Magnus: sexus discretio seu distinctio est in his animalibus, quę sanguinem habent, vt sunt omnia gressilia. In sanguine carentibus non sunt perfecte distincti.

Sexus est certus vel promiscuus. Certus masculinus, vel fœmininus. Promiscuus spectatur in androgyno, id est marifœmina, seu marefœmina. Differt mas à fœmina, non specie, sed accidentaliter.

Sexus analogice seu translate dictus, iis attribuitur, quæ animalis naturam habitumq; referunt.

Sexagenarios de ponte deiicere.

Sexagenarios de ponte deiicere est sexagenariis adimere ius suffragandi seu ferendi suffragia, authoritatem sexagenariorum eleuare, quod fieri solet à iunioribus sciolis.

Hoc inde tractum. Quo tempore Romæ primum per pontem ceperũt comitiis suffragium ferre, iuniores conclamauerunt, vt de ponte deiicerentur sexagenarii, qui iam nullo publico munere fungerentur, vt ipsi potius sibi quam illi deligerent Imperatorem. Autor est Festus, qui idem ait Depontanos senes appellatos. Vid. Manutium de Leg. Rom.

S I.

Modi vſurpationis particulæ S I, conſideratione digni ſunt.

Ætiologica, id eſt ſignificans cauſam, AFFIRMATE. Exempli gratia: ſi quis vel aquæ hauſtum, cui ex minimis meorum propter doctrinam dederit: dabitur ei præmium.
Et Negate: ſi quis nõ vult laborare, nõ comedet. Si obedieris Euãgelio. Si feceris fructus dignos pœnitẽtia, ſaluaberis. Omnibus enim ſaluandis ſeu glorificandis bona opera ſunt neceſſaria, vt ſalutis cauſa ſine qua non.

Si eſt particula

Syllogiſtica, id eſt, deſignans conſequentiam.

Ordo. Si intumuit vterus, pariet.
Conditio ſine qua non. Si non habes ſymbolum à quæſtore, non conceditur tibi tranſitus.
Signum, ſi mane cœlum rubet, poſtea flatus erunt ventorum. Hic ſi apponit σημεῖον antecedens.

Si eſt particula collectiua. Tunc ſignificatur ea præter alia ſæpe

Modus. Si libere hoc mihi dederis, acceptum erit. Hic ſi apponit modum agendi.

Collatio. Si conuerſi ad Deum, in vita mortali affliguntur, quanto magis punientur Epicurei?

Interrogatiua, vel dubitatiua. Probate ſpiritus, Si ex Deo ſint, id eſt, an ex Deo ſint, Ioh. in Epiſtola canonica. Eſt autem Græciſmus.

Optatiua, ſi nunc ſeſe aureus ille oſtendat nobis ramus pro vtinam vel ô ſi.

Negantis in iurando, ſi introibunt in requiem meam, id eſt non introibunt pſal. 95. Eſt autem Hebraiſmus.

Sunt qui addant Abnegatiuam, de quo infra. Non placet.

Si pro Cum, vel Qua facit enuntiatum, cuius antecedens non ſub conditione ponitur, ſed tanquã certũ affirmatur, vt ſi Tullius eſt orator, eſt etiam dicendi peritus, id eſt, cum Tullius ſit, &c. Ramus nominat conſequentię Relationem. At videtur Ioh. Piſcatori potius eſſe Enthymema aſſumptione & concluſione conſtans, quam enuntiatum.

Si quis, ſi qua, ſi quid interdum eſt idem, q; omnis qui, omnis quæ, omne quod, ſeu quicunque, quæcunq;, quodcũq;, vt ſi quis diliget me ſermonẽ meũ ſeruabit. Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem nõ videbit in æternum.

Si quicquam iuſtum eſt, idem eſt vtile, id eſt quicquid eſt iuſtum, id eſt vtile.
Hinc fit ſyllogiſmus ſimplex.
Sic: Si quid homo eſt, animal eſt. Socrates homo eſt, Ergo Socrates animal eſt.
Hinc commonefactio hæc Logica.
Aliquando ſecundum connexarum ſeu conditionalium ſyllogiſmorum modos ſimpliciter non coniuncte concluditur, cum nõ idem vel aſſumitur, vel tollitur, ſed ex generali ſpeciale, vt Catullus ad Lesbiam.

Si

Si quicquam cupidoq; optantiq; obtigit vnquam & insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum, nobis quoq; carius auro.
Quod te restituis Lesbia mi cupido.
Si quicquam cupido obtigit vere gratum est. Id est quicquid obtigit.
Lesbia Catullo obtigit.
Est igitur Lesbia vere grata Catullo.
Hic assumitur ex generali speciale.
Si quicquam homo est, animal est.
Lapis non est animal.
Lapis igitur homo est.
Hic tollitur ex generali speciale.

Collatio cum Scaligero.

Scaliger interdum pro eodem accipit ἀπολογικὴν, & συλλογιστικὴν, seu collectiuam. τὸ Si continuatiuam & causalem dicit, voce causæ generaliter sumpta pro ratione seu argumento, vt causalis sit rationalis, vt si stertit, dormit. Causa enim proprie dicta dormiendi, etsi nõ est ipsum stertere, sed è contrario: tamen ipsa coniunctio necessario, hanc rem, quæ stertit, subdit dormire, vt quemadmodum res à re dependet, ita intellectus ordine contrario: si currit, mouetur. Prior est motus quam cursus. Itaque posito cursu, etiã ponitur ab intellectu motus. Hoc autẽ necessarium est ὑποθετικὸν. Fit autem hoc, quia continetur à specie Genus. Idem Scaliger, sub eodem genere, inquit, scilicet continuatarum coniunctionum, sunt abnegatiuæ, vt si interfuissem, pugnassem, ostendunt enim affectum abesse, quia defuit causa. Hoc autem non ex coniunctione fit, sed merito. Modorum & temporum. Simile enim est id, si interero, pugnabo, pugnaui, quia læsus sum. Hic quia propriè causatiua est. Si homo, ergo animal: Hic si collectiua est, præponens causam, id est rationem.

SICVT.

Sicut interdum est μόριον declarans paritarem vel similitudinem, & quidem specialem interdum imitatiuam vel analogicam similitudinem. Interdum identitatem seu ταυτότητα. Interdum est particula παραδειγματική. Sicut Petrus dimensiones habet tres, Ita quoque Christus, qua homo. Hic est nota paritatis seu æqualitatis.

Sicut Petrus mortalis est, ita quoque Christus. Hic est nota similium. Sicut Pater Deus est, ita quoque Filius. Hic nota est identitatis essentiæ. In A fœminina sunt, sicut (i.e. vt) Musa. Hic est nota exempli. Substantiæ non insunt in subiecto, sicut accidentia. Hic non modi, sed simplex negatio est.

Paritatem vel similitudinem Modi significat hic.
Augustinus de spiritu & anima cap. 18.

Ex eo intellectuales naturas corporeas esse dicimus, quia loco circumscribuntur. Sicut & anima humana, quæ carne clauditur, quæ idcirco in loco & localis esse dicitur. In loco, quia hic alicubi præsens est. Localis quia quod alicubi præsens est totum, alibi non est. Non habet tamen corporalem dimensionem, nec corporalem circumscriptionem, quoniam corporalis quantitatis est expers.

Sed quia per presentiam & operationem in loco concluditur, localis & ipsa dicitur. Veruntamen non sicut corpus, cui secũdum locum, principium, medium & finis assignatur.

Exemplum significationis paritatis.

Augustinus: Non est necessariũ vt quod in Deo est sit vbique, sicut Deus. Hic particula sicut declarat nobis *paritatem*, non *identitatem*: quod autem

paritatem significet, non identitatem, euincit totus contextus, qui sic habet: non est consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit, quod in illo viuimus, mouemur & sumus: nec tamen sicut ille vbiq; sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Homo hic ponitur pro abstracto, humanitas. Humanitas est in Deo & Deus in humanitate proprie.) sententia est: Vt nos non sumus vbique ex eo, quod in Deo viuimus & mouemur, ita etiam caro Christi non est vbique ex eo quod singulariter in Deo est, vtrobique pariter hic negatur omnipræsentia: nec nobis nec carni Christi tribuitur omnipresentia diuerso modo. Non vult Augustinus carnem Christi esse modo quodam vbique, quod & clarius ex his paulo post sequentibus eius verbis cernitur. Christus secundum hominem in terra erat, non in cœlo, vbi nunc est quando dicebat: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, quamuis secundum id, quod filius Dei erat, esset in cœlo, secundum vero id quod filius hominis erat, adhuc esset in terra, ascendissetq; in cœlum. In eiusdem Augustini verbis sequentibus. Identitatis significatio manifestissima est. Sic venturus est homo Christus Iesus illa angelica voce testante. Quemadmodum ire visus est in cœlum. Id est in eadem carnis forma atque substantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam nõ abstulit. Apud Scaligerum exerc. 365. hoc exemplum est.

Vocabulum ὑπερούσιος amandat Deum supra omnem substantiam, quando non est ἐσία, quomodo nostra. Hic quæri potest, an simpliciter neget Deum substantiam esse? an affirmet, Deum quidem esse substantiam, sed non ea ratione, qua nos sumus substantiæ. Hic locus à multis euocatus est in aciem, ad expugnandum eos, qui Deum in categorica substantiæ collocassent, προβληματικῶς.

In Epist. 57. ad Dardanum Augustinus: Hoc arbitramur interesse inter caput (Christum) & membra cætera, quod in quoliber & quamuis præcipuo membro, velut in aliquo magno Propheta aut Apostolo quamuis diuinitas habitet, non tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo Deitatis? Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus, quantus in capite, vbi prorsus omnis est quinque partibus. Ibi enim & visus & auditus, & gustus & olfactus & tactus: In ceteris autem solus est tactus. Hic Non *sicut* significat imparitatem mẽsuræ & graduum, vel dissimilitudinem *modi*.

Sicut particula rationalis.

Iohan. 17. Glorifica filium, vt & filius te glorificet, sicut (id est, quia) dedisti ei potestatem omnis carnis. Ibidem: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, id est quia vnum sumus. Matth. 6. Estote perfecti sicut & pater vester perfectus est: id est, quia; sic ad Corinth. 1. c. 5. Sicut estis ἄζυμοι, id est, quia expertes fermenti veteris esse debetis. Nam τὸ Est interdum de iure, non de facto accipitur. Ecclesia est columna veritatis, id est, esse debet.

SIGILLARE.

Sigillare Scholasticorũ, vt Thomæ Aquinatis vocabulũ est pro proprie afficere sin-

singulis adaptare, ad singula transmittere. Sic vsus est Mercatus in lib. de partib. Cum ait, largitur iecur, quod nulla pars corporis potest, singulis partibus temperamentum ea proportione, & mensura concinnum, vt quæq; particularum, sit cuiusuis temperamenti fomentum, & attemperationem sibi similem sortiatur suscepto sanguine. Nam ea est iecoris conditio, is principatus, & ea natura, vt non solum sanguinem gignat, sed etiã qualem esse oportet ad rei viuentis nutritionem, & cum viuentia variis cõstent partibus, oportet alimentum vnicuique respondere, æquiuoca enim fruitur quantitate, præter beneficiũ quod à corde suscipiat, & ea ratione dicunt communem virtutem sortiri, qua sigillaret alimentum; idq; singulis partibus idoneum ac fere simile transmitteret. Qua sigillatione seu aptitudine, ac dispositione prædituin, dum parti adhæret, ob similitudinem seu familiaritatẽ sigillatione cõtractã temperiem foueat, efficit, tuetur, & facillime modũ substantiæ comparat, quo ex simili idem fiat cum parte, cui adhæret alimentum. Et principalium membrorum virtutes aliis partibus communicantur spiritu, illustratione, & sanguine. Sanguinem deferri constat ex varietate partium, quæ eo aluntur & ex similitudine liberorum & parentum Sanguis scilicet sigillatus secũ fert vestigium similitudinis parentum, q̃ actio vegetabilis, potentia elucet similis. Et: in iecore sanguis & vapor defert secum sigillationem, seu aptitudinem seu dispositionem, esse alimentum huius particulæ, & non alterius. Et: ex sanguine à iecore transmisso & sigillato fiunt omnes actiones vegetabiles, tanquam ex materia apta.

Sigillatio substantialis animæ ad hoc corpus.

Caietanus ita loquitur in explic. 5. cap. Thomæ de essentia & Ente, & alibi, pro eo quod coaptatio συμμετρία, cõmensus & commensuratio, proportionatio, responsus, vt Eleganter latini, substantialis aptitudo animæ ad hoc corpus. Seu ordinatio ac destinatio animæ ad singulare corpus. Forma enim huius leonis oportet vt sit commensurata seu proportionata huic corpori leonino, ita vt nõ illi, puta huic equino. Missa igitur voce sigillationis ita potius loquamur. Anima non indiuiduatur, id est, non est hæc formaliter, id est, formali ratione, per actualem vnionem ad corpus, sed conditionaliter, id est, tanquam per conditionem sine qua non. Indiuiduatur autem formaliter per responsum, seu commensum, seu aptitudinem, seu coaptationem substantialem, ad hoc corpus, quam prius habeat, quam vnionem actualem, necesse est, (Scotus dicit indiuiduari se ipsa, fieri hanc sua hacceitate barbare.)

Formaliter & conditionaliter opponuntur.

Thom. Aquin.

Explicatio.

Indiuiduari est esse hoc. Indiuiduare est constituere aliquid hoc. Actualis vnio est existentia in materia. Aptitudo substantialis, ad corpus, vel materiam, est aptitudo essendi, in corpore, vel in materia.

Quælibet res posita extra intellectum & causam, est. Hæc (τόδε τι) seu singularis.

Quod aliquid est in actu extra causam & intellectum est Hoc. Oportet enim non fieri, sed productum esse. Vt de essentia animæ καθόλου est, essentialiter esse, proportionatum corpori physico organico, quia hoc in animæ definitione adhibetur. Ita de essentia animæ humanæ, est commensurari corpori Humano, cum sit perfectio

corpòris humani (non equini) eam conſtituens.

Sigillare, eſt Sigillum apponere. Chymicorum etiam vox **zuſchlieſſen**/occludere. Seneca vtitur verbo obſigillare.

1. Signare eſt, ſignũ rei ponere ſeu ſtatuere. 2. Sigillo obfirmare ὑποσφραγίζειν.

Signatores dicuntur, qui ſignis ſuis aliquid, (vt ſacculum pecunia plenum) obſignant. Speciatim ſunt teſtes ad contractus alicuius tabulas annulis ſuis obſignandis adhibiti. Ita Iuriſconſ. vſurpant.

Signata materia Scholaſticis eſt materia talis ſeu affecta proprie ad aliquid deſtinata.

Signatam materiam Epar mittit ad membra, quæ vegetantur. Ita Mercatus.

Signata mulier dicitur, quæ fert vterum, quæ plena eſt, non vacua. Plutarch. in vita Alexand. Philippus ſpatio aliquo poſt nuptias vidit in ſomnis, vxoris ſe ventrem conſignare; Ea viſione ſignificatum, quod Philippi vxor concepe-rit, ac vterum ferat. Nihil enim inane ſignatur.

Signata mulier ea quoq; ratione dici poteſt, quod, cum iam concepit, cella illa clauditur, & à natura quaſi ſignatur, id eſt, obſignatur. Scipio Gentilis lib. 1. παρέργων.

SIGNIFICATIO.

Significatio eſt Rei vel Vocis.

- Significatio rei
  - Phyſica: Talis eſt quorundam φαινομένων naturalium.
  - Moralis: Talis eſt ſignorum interioris cultus Dei, vt genuflexio.
  - Myſtica: Talis eſt cœnæ, quæ eſt Memoriale Corporis Domini.

Significatio vocis aut eſt propria ac princeps, aut eſt communis, impropria, minus principalis.

Canon Scal. l. 13. de cauſ. l. 1. c. 193. Vnius vocis vna tantum eſt ſignificatio propria ac princeps: ceteræ autem communes, aut acceſſoriæ, aut etiam ſpuriæ. Hæ tanquam legiones ad illam vt ad teſſeram reducendæ.

Significatum Scholaſt. diſtinguunt in ſubſtratiuum, Materiale & Formale.

Canon.

Princeps omnium ſignificatus indagandus eſt. Is enim eſt reliquorum normâ. Vid. Scal. l. 13. de cauſ. l. 1. c. 193.

Significatio aut eſt primaria & directa, vt cum voces brutorum ſignificant ſolum moleſtum & iucundum: aut eſt ſecundaria conſecutiua: Sic brutorum voces aliquo modo explicant ipſorum conceptiones.

Significatio aut eſt actualis, aut habitualis. Habitualis, qua quid natum eſt ſignificare, id eſt, potentia dicitur ſignificatiua. Itaq; potentialis dicitur ſignificatius. Hanc diſtinctionem vſurpant quidam Scholaſtici, cum diſputant & quærunt, An ſignificatio ſit de eſſentia Sacramenti. Biel videatur l. 4. d. 9. q. 1.

Ita diſtinguere non eſt nonnullorum iudicio ἀλυσιτελὲς & ἀσύμφορον.

Sed hoc nõ probo, quod ſignificationem Habitualem Biel dicit eſſe ipſas ſpecies Sacramentales natas ſignificare ex diuina inſtitutione. Nam ſpecies ſimplices formæ ſunt, quibus accidit ſignificatio.

Signi-

Significatio est Rei vel Modi seu circumstantiæ. Hæc distinctio est sumpta è Scal. hisce verbis: Quodcunq; est, est aut hoc, aut sic. Verba igitur nuda & singularia significant hoc, id est, quod quidq; est, vt hominem, aut album: vt montem, aut aureum. Composita vero significant sic, vt Homo albus, non aureus. Sic designatio alia est simplex, vt Æneas pugnat: alia addit modos ac circumstantias, quæ designatio περιστατικὴ dici potest, vt Æneas pugnat in equo iratus, 7. Poet. c. 2.

Significatio.

Significare
- Mediate, vt mediante aliquo superiori, vt animal significat species suas mediate nempe per naturam sentientem: non enim animal significat hominem, nisi quia homo est substantia animata sentiens.
- Immediate, vt non per aliquam naturam superiorem, sed per seipsam primo, vt animal significat gradum sensitiuum seu naturam ἀ αἰσθητικὴν ἀμέσως.

Significatione duo communicare dicuntur quæ idem significant, vt nonnunquam πρὸς & Apud.

Significatio
- Late accepta vt etiam comprehendat quasi significationem, vt cum dicit Fr. Iunius verbi significatio aut est propria aut figurata. Si propria aut est κατηγορυμένη (Barb. secundi adiecti) vt Deus est: aut προσκατηγορυμένη seu vt alii loquuntur συγκατηγορηματικὴ, Barbari tertii adiecti) vt Deus est iustus.
- Proprie accepta.

Significatum.

Significatum & significans repræsentans & repręsentatiuum differũt σχετικῶς, vt potentia & actus vt intelligibile & intellectum: Illud est aptitudinale, hoc actuale. Significatum quod habet vim significandi. Significans quod actu significat seu repræsentat. Intelligibile respectus rei & consequens rei absolute intellectum, suppositа cognitione.

Significare
- Per se
- Per accidens

Populus (nomen collectiuum) vnum significat è multis confectum: Multa igitur significat per se: vnum per accidens. Scaliger.

An vna & eadem vox significet & per se & per accidens?

SIMPLICITER.

Multiplex notio est vocis simpliciter, primum sumitur simpliciter, ita vt ei opponatur per accidens vel cum additione. Aristoteles. 2. Topic. 3. c. Simpliciter dico quod sine additione dico. Sic demonstratio ὅτι, est demonstratio simpliciter, cum non sit demonstratio per accidens.

2. Sumitur pro absolute seu perfectissime. Ita demonstratio διότι (propter quid) dicitur demonstratio simpliciter, quia facit scire perfectissimo modo, non autem demonstratio ὅτι (vulgo quia,) cum hæc non faciat scire perfectissime.

3. Idem est, quod non pluribus modis, Porphyrius in prædicab. cap. de genere. Genus & species non videntur simpliciter dici, quia vtrumque pluribus modis dicitur, ita igitur opponitur τῷ Multipliciter.

4. Pro non contracte, ita Aristoteli in lib. 1. prior. Syllogismus simpliciter dictus est, id est, non contractus ad aliquam materiam, puta vel necessariam, vel probabilem, vel Sophisticam, sed abstractus seu secretus ab omni materia huiusmodi. Ita in disputationib. primæ philosophiæ Ens simpliciter intelligitur Ens abstractum ab omnibus naturis. Cum quæritur an Ens simpliciter sit primæ Philosophiæ subiectum.

Simpliciter & primo differunt. Exemp. causa, Verbum diuinum subsistit simpliciter in natura humana, quia natura est Ens simpliciter, id est, substantia. At verbum diuinum non subsistit primo in humana natura. Non enim subsistit primo existentia humana, sed diuina. Nam hæc subsistit ab æterno: Illa vero ex tempore, de quo discrimine ante me etiam monuerunt Scholastici sententiarii.

5. Simplicirer seu absolute Aristoteli significat idem, quod secundum propriam naturam, ratione nostræ infirmitatis seposita; sine vllo ingenii nostri respectu: vt causæ sunt priores & notiores simpliciter effectibus, quia natura sua, vi sua, sponte & per se ipsę notiores esse debuerant, nisi mentis nostræ imbecillitas obstaret. Petrus Martyr in commentar. in 1. Ethicorum Aristotelis. Oppositum est Notiora seu Manifestiora Nobis, vt sunt effecta & Symptomata. Sic Iacobus Mazonius in comparat. Philosophiæ Platonicæ & Aristotelicæ lib. 1. Simpliciter & nobis ἁπλῶς & ἡμῖν opponit, vt simpliciter sit idem, quod in idea. Nobis vero, in concreto, id est, vt communiter quid inueniturin hominibus. Sic enim ait: Theologi loquuntur de libero arbitrio, nobis, siue, vt aiunt in concreto, id est, de libero arbitrio spectato & considerato in nobis, non κατ' ἰδέαν, &c.

Si liberum arbitrium considereturr simpliciter seu in idea quadam, &c. Et: mensura liberi arbitrii est desumenda à libero arbitrio simpliciter, non à libero arbitrio Nobis, id est, quoad nos, in quibus multum est imperfectionis. Et: primo Enti propria sunt, quæ liberum arbitrium habent simpliciter, remotiora, quæ liberum arbitrium habent nobis. pag. 18.

Simpliciter.

Aduerbio ἁπλῶς interdum Aristoteles opponit κατὰ τὶ, vel πῶς, vel cum coarctione, seu restrictione, seu moderatione, vel ex suppositione: vt primo posteriorũ analyticorum contextu 6. Simpliciter de omni numero, id est, sine restrictione, conclusio est vera non simpliciter, sed ex hypothesi, si veræ sunt præmissæ, Hoc bonum est non simpliciter, sed secundum quid, seu modo quodam. Sic simpliciter est idem, quod omnino. Simpliciter propria πῶς fiunt communia, nempe vsu, Aristoteles 2. polit. c. 5. Interdũ Aristoteles sic vtitur eo, vt quoddã primũ & principale, inter multa significet (vt in iis quæ dicuntur κατ' ἐνέργ.

Sic

Sic ptius ἁπλῶς, vsurpatur respectu temporis, id est, prius tempore reliquis significatis prioris potius, & prius esse dicitur.) Nam lib. 1. de ortu & interit. inquit Philosophus. τὸ δὲ ἁπλῶς ἤτοι τὸ πρῶτον σημαίνει καθ' ἑκάστην κατηγορίαν τοῦ ὄντος ἢ τὸ καθόλου καὶ τὰ πάντα περιέχον, id est, vocabulum simpliciter, aut primum significat, in vnaquaque categoria Entis, aut id quod vniuersum est, & omnia continet.

Interdum simpliciter opponitur πῷ complexè, compositè, concretè, coniunctim, vt senio est simpliciter, id est, abstractè, numerus est numerus simplex, id est, abstractus. γελαστικὸν prædicatur de homine simpliciter, id est, solitariè. Par non est proprium numeri simpliciter seu seorsum acceptum. Par & impar coniunctim cum disiunctiua particula prædicantur de numero.

Interdum idem est, quod per se, vt Æneas vicit Turnum tantum simpliciter, id est, per se, contingens, est, sed necessarium est, propter irreuocabilem temporis circumstantiam.

Interdum simpliciter, idem est quod propriè, vt res dicuntur, ad literam, nudè, non ornatè, ac opponitur πῷ impropriè, tropicè, figuratè, χημαλισμένως.

SIMPLICITAS.

ἀσυνθεσία, seu immunitate; à rerum vel notionum diuersarum compositione, qualis conuenit Deo simplicissimo Enti.

Simplicitas accipitur pro

- Sinceritate & candore, opposito simulationi & hypocrysi: ita simplex dicitur, qui habet animum apertum, omnis fuci & doli expertem.
- ταπεινοφροσύνη, seu humilitate opposita fastui, & ornatui pomposo: sic simplex dicitur, qui animo est demissus, nihil habet in se, quod sit pomposum aut magnificum.
- Metaph. fatuitate, ἀγνοίᾳ, imperitiaque. Sic simplices dicuntur pueri & indocti. Asinina hæc simplicitas.
- Opposito Respectui vel Comparationi, vel ei, quod est secundum quid.

Vtilis commonefactio.

Quælibet propositio sortitur duplicem significationem: *quarum altera est Directa ac princeps: Altera verò indirecta & secunda.* Directa seu principalis est, quam termini propositionis primò demonstrant, quippe quę fluat ex earum principe significatu. Hac ratione propositio non seipsam, sed alia extra ipsam significat. Et Ægid. in Comm. in Elench. nominat hanc significationem *Formalem.* Indirecta verò & secundaria fit ratione alicuius extremi, quod accipitur in suppositione pro vniuersa ea propositione, cuius est extremum. Vocatur etiam à multis hæc significatio Reflexa: Ægidius vocat Materialem, quia extremum illud accipitur pro illo complexo materiali, quæ est ipsa propositio, & non pro significa-

tione formali, quæ est extra propositionem illam. Nam sicut apud Ciceronem lib. 5. de finib. illud quod arte comprehenditur, semper est extra artem, (nulla enim ars in seipsa versatur, sed in alio, & aliud est ars ipsa, aliud quod arti est propositum.) Ita propositio primò & per se ea significat, quæ extra sunt.

Vsus.

Distinctio hæc vtilis est ad refellendum ludos & captiones Insolubilinm, quæ vocant Stoici, seu Inextricabilium, vt, Cretenses sunt mendaces. Id dixit Epimenides, qui fuit Cretensis. Ergo & ipse mendax fuit. Sunt igitur veraces Cretenses. Hîc respondetur prima & formali significatione indicari Cretenses esse mendaces: secunda verò seu reflexa, seu indirecta, seu materiali demõstrari Epimenidem, vt est loquens, esse veracem. Idem respondetur ad ἀσύσταλον (Inconsistens) de somnio quod est apud Lactantium; somniasse quendam, ne somniis crederet: si enim crediderit, tum sequitur, vt credẽdum non sit: si autem non crediderit, tum sequitur, vt credendum sit: Ad hoc, inquam, respondetur: Somnium illud directa significatione falsitatem aliorum somniorum patefacere; indirecta vero, sui veritatem. Idem respondetur ad istud: Nulla datur veritas (i.e. rerum comprehẽsio in intellectu) verum est. Ergo datur veritas. Nam propositio illa, Nulla datur veritas, infert extra se nullam reperiri veritatem: sed indirectè & reflexè suimet veritatem concedit: Ergò & negantes veritatem, omninò etiam tollere nequeũt. (Datur hæc veritas, quod nullum verum dari potest, præter hoc effatum: Nullum verum dari potest.) Aristoteles captionẽ seu pseudomenon Epimenidis dissoluerit distinctione simpliciter & secundum quid. Siquidem quod simpliciter seu absolutè, id est, formali, vniuersali, principe & directa significatione in Mentiente dicitur, demonstrat, Cretenses esse mendaces. At secundum quid, i. e. materiali, particulari, secundaria & indirecta significatione innuitur, Epimenidem fuisse veracem. Vide vocem Inexplicabile.

Quid veritas?

DE VERBORVM SIGNIFICATIONIBVS.

Latina lingua vno verbo interdum contraria comprehendere videtur. Exemplo nobis sunt facer, conficio, Tempestiuum, de quo tamen Aldus Manut. P. Filius dubitat. In de conuiuio tempestiuo seu intempestiuo. Non cõficit scientiam oscitantibus Deus, i.e. efficit. Cic. confecit famam ex armis. Negotium conficiundum, vetustas omnia conficit, i. e. consumit. Cic. Horat. facer homo, i. e. ἄτιμος, diris deuotus, detestabilis. Antiquare legem, est abolere seu tollere, vel suffragiis improbare: cui opponitur accipere, seu sciscere. P. Manut. de Leg. Rom. Et A litera inscripta tabellæ valebat Antiquo, hoc est, nihil nouari volo, antiqua probo, in morem pristinum (seu antiquum) reduco, vt explanat Festus. Vide eundem P. Manut. ibid. Sic exigo etiam prorsus diuersos habet significat⁹. Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ, apud Politianum in Rustico, est idem quod agit tranquillam & quietam vitã. Alias est expellere, explodere. Agere vitam est vitam degere. Animã agere est vitam deponere, est animam efflare & expellere. Bellum & festiuum hoc Martialis, Si desit quod agas, Attalo agas animam, i.e. flatum, halitum, spiritum tenuissimũ, auram expires. Quædam igitur verba sunt ancipitis significationis. Sic licentia modo est libera potestas: modo libertas immoderata & intoleranda. Exempla quære in Nizolio. Est & licẽtia exornatio seu schema oratoriũ, cum apud eos, quos meruere debemus; tamen aliquid ꝑ iure nostro dicimus, quod minimè offendat eos, aut quos hi diligunt, cum in aliquo er-

rato verè reprehendi posse videantur. Cic. ad Heren.

Vnum & idem verbum repetitũ in eadẽ sententia, interdũ oppositа significat, vt prodo nunc est edo (vt aliquid in lucem erutũ prodere, fürgeben / ans liecht bringen) nunc est desero. Hinc intelligitur Iambic⁹ meus versicul⁹: prodenda, nõ prodenda nobis veritas, i.e. aperienda, nõ deserenda est nobis veritas. Apud Machiauel. etiam hoc alio sensu diceretur, nempe hoc, quo Eunuchus vir non dicitur. Man soll die Warheit sagen/vnd doch nit sagen/ ꝙ est ἀντισμῦ.

In vna sententia potest vna vox habere duas significationes simul, vnã ꝓpriã, alterã impropriã, vel vnã primariã, alterã secundariã. Exẽplorũ plurimorũ opib. hoc iam ante euici contra nõnullos, quorũ persuasio more vel authoritate concepta diu impediuit veritatis conspectũ. Placet tamen hîc perspicuũ exemplũ ponere huius sententię. Cum Arist. 1. Oecon. c. 5. dicit: ἄθλα ἀρετῆς καὶ κακίας, præmia virtutis & vitiorum, τὸ præmiũ relatum ad virtutẽ accipitur propriè; ad vitia verò impropriè. Eorũ enim meritũ ꝓpriè est pœna. Ita ἄθλον virtutis proprie dictum videtur: ἄθλον verò vitii impropriè. In Liuio occurrit locus de Annibale, vbi indoles accipitur in partem & bonam & malam. Sic cum hac indole virtutum atque vitiorum triennio sub Hasdrubale imperatore meruit.

Sicut agri flores, sic mundi constat honores
Tempore stare breui, conditione leui.

Hîc stare relatum ad flores magis ꝓpriè, ad honores impropriè dicitur.

Filius Dauid est Filius altissimi. Hîc Filius accipitur & propriè & impropriè: Est enim Filius Dauid & Filius Dei Naturalis & ęternus, per quẽ omnia creata sunt, & Filius Dei in tempore genitus per gratiã conceptionis de spiritu S. Vt autem vnus Christus: sic vnus Filius.

His ἐνστατικοῖς exẽplis pugno cõtra eos, qui perfractè negãt vnã vocẽ aliquando sonare duo, seu sustinere duas significationes in vna enunciatione, seu sententia, sed hos à sententia sua destitutos spero, nisi fortè obstinatio, quæ vim veritati affert, obstiterit.

Qui genuit, Clarias docuitq; fideliter artes
Bis genuit, vitæ, bis pater ille tuæ est.

In hui⁹ distichi pẽtametro Genuit & pater accipiũtur propriè & metaphoricè. Distichon est Ioh. Glandorpii Monast.

Pugno adhuc contra eos hoc exemplo. Cõiunctionis ciuilis vinculũ est λόγος. λόγος significat Rationem & orationẽ. Conciliantur .n. inter se homines, ac societas cõiunctioq; hominũ seruatur ratione & oratione. Doctiss. Ioh. Martinus Cuslinensis hîc etiam meus est, cum dicitur, Hic est mihi Pater, Patris significatione duo contineri intelligi potest, Naturã & Ius seu Authoritatẽ, ꝙ docẽt etiã Scholæ Politicæ. D. Dounamus videtur hoc agnoscere, cuius verba adscribã, ne mihi, ꝙ aiunt, sine pignore credatur. Si naturã spectes, i.e. quatenus Æneas genuit, patrẽ esse est effectũ Æneæ, vt motus: Ascanius est effectũ, vt res motu facta. Si authoritatem & ius, patrẽ esse seu paternitas est adiunctum Æneæ, & Ascanius item adiunctum est, Auson. in Epigram.

Reminisco Ruffus dixit in versu suo:
Cor ergò versus, imò Ruffus non habet.

Hîc *Cor* relatũ ad Ruffum, formaliter accipitur ꝓ καρδία: Ad versũ, materialiter, pro syllaba integra Cor. Lepidũ sanè.

Particulæ q̃dã modò deminuunt, modo augẽt, vt Adnumero est ad numerum addo. Adnitor, valdè nitor, Allaboro, valdè laboro. Sic accresco, adiũgo, adscribo, admisceo. Intermori interdũ est omninò deleri, interdũ deficere morientiũ similitudine. Sed Addubitare idẽ est ꝙ aliqua ex parte, seu aliquãtulũ dubitare. Interdũ etiã passiuũ Addubitatũ est idẽ, ꝙ in discrimen adductũ, vbi neq; minuitur, neq; augetur significatio simplicis: vt Cicero in offic. In tranquillo tẽpestatẽ aduersam optare,

4 Reg.

dentis est: subuenire autem tempestati quauis ratione sapientis; eoq; magis, si plus adipiscare re explicata, boni, quam addubitata, mali. Explicata, id est, ad finem, exitum perducta. Addubitata, id est, in periculum adducta.

5. *Reg.* Deminutiuũ adiectiuũ valet interdũ tropo quodã deminutiuũ substantinũ, vt eburneola fistula, aureolus puer, lichnuchus ligneolus: Cicero ein hůltzern Leuchter/lucernę fulcrum, quia lichnuculus non dicitur.

6. *Reg.* Origine mutata, mutatur ferè significatio, vt portitor à porta significat seruum atrienſem. A portu significat eum qui in portu exigit vectigalia.

Canones speciales.

1. Nomina Verbalia adiectiua aliquando promiscuè, actiuè & passiuè vsurpantur in vtraque lingua, & quidem in Græca cum adsignificatione temporis, cuiusmodi est participiorum φίλος, comis, gratus, amicus, beneuolus, qui amicitiam contraxit.
2. Aliquando etiam substantiua passiuè, alias significantia, ponuntur actiuè.

Exempla.

Anima sensibilis Physicis est anima sentiendi vi prædita. Obiectum sensibile est obiectum quod sentiri potest. εὐσθίσατος ex Græcæ Linguæ vsu significat passiuè. At in epist. ad Hebr. c. 12. ἁμαρτία εὐσθίσατος actiuè ponitur pro inuitatione ad peccandum, quæ nos circumstat impellens ad Christi abnegationem. De ea namque Apostolus istic agit. Idem iudica de vocabulo ἀπαραίτητος, quod à Syracide c. 10. actiuè ponitur pro eo, qui minimè recusat, seu detrectat obedire. Esa. 53. Quis credit auditui nostro? id est, sermoni, qui proponitur vt audiatur, vel famæ seu rumori.

πλήρωμα πόλεως 3. Polit. ab Aristotele accipitur passiuè, hoc est, significat illud, quo aliquid plenum, hoc est, integrum est, aut efficitur, siue quo alterum quid suis partibus siue numeris impletur. In sacris libris nonnunquam πλήρωμα vocatur Ecclesia, seu cœtus fidelium, quem Christus omni spirituali bono locupletat. Vtraque significatio videtur concurrere in his Noui Instrumenti sententiis. Ioh. 1. ἐκ τοῦ πληρώματος eius omnes accepimus. Col. 2. In quo habitat omne πλήρωμα Deitatis. Vtrobique voce πληρώματος significatur beatissima copia bonorũ spiritualium ad Ecclesiæ salutem in manu Christi, vt Pontificis posita. Itaque non videntur satisfacere Paulinæ sententiæ interpretes ii, qui πλήρωμα interpretantur de cumulatissima rerũ diuinarũ, vt sapientiæ & iustitiæ, copia data huic homini, vt præcellat omnib. creaturis. Vera quidem est hæc sententia; sed tamen Paulus potius respicit ad bona illa, quæ Christus Ecclesiæ tribuit, tanquam verus Pontifex, manus eleuans super Ecclesiam, vt olim solebat sacerdos, & vt ipse quoque ascendens ad cœlum visibili ascensu eleuauit easdẽ manus super suos, plenas omni bono pro Ecclesia, idque in hanc effundentes.

Rom. 6. In θνητῷ corpore nostro. 2. Cor. 4. In θνητῇ carne vestra. Rom. 8. viuificabit θνητὰ corpora vestra. Hîc θνητὸν ponitur cum significatione temporis pro τεθνηκὸς, vel τεθανατωμένον, id est, pro Mortuus, non pro mortalis.

Rom. 7. παθήματα peccatorum sunt ἐνεργήματα, vel potius ἐνέργειαι, id est, excitationes voluntariæ. Rom. 1. πάθη ἀτιμίας, id est, perpetrationes impuræ voluntate praua susceptæ.

3. *Pronomina actionem & passionem significare videntur*, vt carmina tua, id est, quæ tu condis, vel quæ sunt de te scripta. Cic. Philip. 10. An verò hoc pro nihilo putas,

putas,in quō quidam pro amicitia tua iure dolere ſoleo,id eſt,pro amore quo tu diligeris, vt exponit elegantiſſimus Budæus. Significatio actiua non eſt controuerſa. Itaq; de ea exempla noñ affero.

4. Genitiuus poſſeſſionis ſignificat actionem & paſſionem,vt vulnus Achillis, & quod Achilles intulit,& quod ab alio paſſus eſt.

5. Interdum ſignificatio vocis impropria longè vſitatior eſt propria. Exempla. Nefandum propriè eſt quod nequeas fari.Sed vſus iam detorſit ad rationem criminis. Sic Indignum propriè eſt, quod nequeas indicare & æſtimare pro magnitudine, etiamſi iam vſus traduxerit ad rationem contumeliæ. Vide Ioſ.Scal.in Cirin.Virg. & Iohan. Ludouicum de la Cerda Toletan. in Bucol. Virg. Sic ἀνάξιον Atticis eſt, quod facilè æſtimari non poteſt.

6. Vnus & idem loquendi modus interdum eſt permiſſiuus, vt loquuntur Grammatici: Interdum eſt præceptiuus & approbatiuus. Apoſt. Paulus: Si diſcedit infidelis, diſcedat, id eſt, ipſi imputetur. Hîc non approbatur deſertio, ſed permittitur tantum, vt illic, Qui ſordeſcit,ſordeſcat adhuc.

DE SIGNIFICATIONE AD *imitationem Iureconſultorum.*

Significatio duplex eſt verborum & rerum. Bifariam enim aliquid oſtenditur & declaratur,alias,verbis, alias, rebus. Verborum ſignificatio ex vocabulorum documentis è lexicis vel authoribus probatis colligitur, & ad demonſtrationem rerum, vt ſic dicam, ſuperficariam pertinet. Rerum verò ſignificatio progreditur longius latiusque ad demonſtrationem naturæ cauſarum & circumſtantiarum, quas res habet. Itaque notæ Interpretationum Id eſt, Hoc eſt,ſæpè non ad verba, ſed ad res pertinent. Exemplis hoc planius facit Iohan. Oldendorpius in de dupl.ſignif.tract.

Significatio verbi eſt vis ac poteſtas eius, vel notionalis eius definitiuncula.Huius miniſterio ferè vtimur ad intelligendas res ex vero & communi linguarum vſu: quod probatur eleganti diſputatione inter Seruium & Labeonem ff.de ſupellectil. legat.l.Labeo.& teſtimonio Ariſtotelis in Elenchis; Qui virtutes vocabulorum ignorant, iis facilè imponitur à ſophiſtis. Itaque ſignificatio verborum prior eſt ſignificatione rerum. Hæc rerum intellectio fit per voces proprias vel modificatas. Significatio igitur verborum eſt propria vel aliena,quæ tantundem præſtet quantum propria. Significatio rerum alias ex ipſis rebus,etiam ſine verborū miniſterio deprehenditur, vt cum res ἐναργὴς eſt,& ita euidens, vt ipſe ſeſe oſtendat, vel digito monſtrari poſſit. Alias ex ipſa vi rerum & negatione,vt ex circumſtantia quadam ſingulari ad eum ſenſum trahitur,qui verior eſt,vel humanior aut commodior, non ſine verborum adminiculo.Itaq; ſignificatio rerum eſt potior verborum ſignificatione,id eſt,potius eſt ſcire,quid res ſignificet per vocem repræſentata ac denotata. Itaq; rerum ſignificatio vera dicitur κατ' ἐξοχὴν,id eſt,magis,quam verborum,vera.Huc pertinent hęc Iuriſconſultorum: ſcire leges,nō eſt verba earum tenere,ſed vim & poteſtatē, (id eſt,efficacem intentionē,mentem, ſententiam, virtutem, leg. Celſus. & l.legis virtus. ff. de legib. In conuentionibus, contrahentium voluntas potius quam verba ſpectari placuit. l.Papinianus ff.de verbo.ſign.Optimū eſt,ait Pedius, non propriā verborum ſignificationem ſcrutari,ſed imprimis, quid teſtator demonſtrare voluerit, deinde qua in præſumptione ſint, qui in vtraq; regione commorātur,Paulus

in l. cum de lanionis. §. Asinam. ff. de Instruct. vel instrument. legat. Verbũ Ex Legibus sic accipiendum est: Tam ex legum sententia, quàm ex verbis: (tam formaliter quam materialiter dicunt Scholastici eodem sensu) l. Papin. ff. de verb. sign. Rerum significationes habent ceremoniæ, vt faces, quę solent in conferendis Magistrorum & Doctorum titulis adhiberi.

Quid sit ex Legibus?

Significatio verborum est philosophica, vel popularis. (Hæc distinctio sumpta est ex Aristot. & Cicer. Veteres, inquit Cicer de legib. Verbotenus acutè quidem illi, sed non ad hunc vsum popularem atq; ciuilem de Repub. differebant.) Est communis, vel peculiaris, vt Ecclesiastica. Est vel certa, vel dubia, seu ambigua. Vnde interdum variæ & discrepantes etiam versiones ac interpretationes exsistunt. Exempli gratia. 1. Vlulare incertæ significationis seu dubiũ verbum est, ac potest pro lugubri vel læto cantu intelligi. Verbum igitur hoc modo luctus seu tristitiæ, modo lætitiæ verbum est: Exempla tristitiæ, Canes vlulatum dederunt, Interpres Pausaniæ, canes quoq; quorum natura est extra homines esse nõ posse, lachrymosis vlulatib. vagi luporũ ritu oberrarũt, Orosius l. 5. c. 18. Canes circa tentoriũ eius (Maximini) vltra duodecim vlularũt, & animã quasi flendo posuerunt, ac prima luce mortui sunt deprehensi. Canes vlularunt instar luporum. Interpres Appiani.

Inq; foro circumq; domos & templa Deorum
Nocturnos vlulasse canes. Ouid. 15. Metam.

His horrendus & dirus latratus canum significatur. Exemplũ lætitiæ est apud Lucanum. Lætis vlulare triumphis. Exercitus vlulatus est, exercit⁹ κραυγὴ, id est, clamor, cuiusmodi est ebriorum nonnunquam.

Huius generis est particula Io. Est enim vnius afflati, vel ouantis, lætantis, exultantis: nunc mœrentis vox, vt *Dicite Io Pæan*, &c. Ouid. sic: *Io Bacche. Io triumphe.*

Vror Io: remoue scæua puella faces, Tibullus.
Illa quidem clamabat Io carissima mater
Auferor. Ouid. 4. Fastorum.

Et apud Sophocl. Philoctetes saucius clamat Io & Io. 2. Satyra secunda Horat. Cum tua prouideas oculis mala lippus inunctis, cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? Hæc sententia aliqua difficultate implicata est, & dubia redditur. Ascentii & aliorum interpretatio hæc est. Cum tu lippus seu malè videns perspicias propria vitia oculis collyrio impeditis, ne rectè videas, cur aquilinis, & serpentinis, hoc est, acutissimis, cernis aliorum vitia? sed cum pugnare inter se videãtur, esse lippum, seu laborare ex fluxu oculorum, & videre oculis collyrio impeditis, & rectè videre, ac quidem peruidere, h. e. perspicaciter intueri, & Poeta dicat, nos min⁹ oculatos esse in vidẽdis & nostris ipsorum vitiis, in aliorum contra vitiis notandis perspicaces. Petrus Nannius Alcmarianus coniicit, Horatium hic verbum peruidere, adhibere noue & singulariter, vt significationem habeat cæcutiendi, seu parum videndi, coniecturam eius firmat; quod per in compositione interdum est μόριον ἐλαττωτικὸν ἢ ςερητικὸν (significans priuationẽ) vt apparet in perdo, pereo, pfidia, (i. e. destitutio) perfidus. εὐτύχως fortasse hoc, vt multa alia, sed si peruideas interpreteris voce nostra erkennen, fortè nihil ineptũ, seu ἄτοπον alienumq; ab hoc loco feceris. Nolim mihi hîc aduersariam constitutam, velimq; valete fastidiosè iudicantes.

3. Sic loquitur Laertius in 37. τὺς πλέ-ςους ἔλεςε πὸδὲ δ'άκτυλον μαίνεσθ. Hoc quidam verterunt. Dicebat plurimos insanire præter digitum. Alii. Dicebat plurimos insanire propè digitum, vel: Dicebat plurimos insanire interuallo digiti,

digiti, πρὸ enim interdum præter, interdum propè significat, quod ex G. Budęo & Lexicis manifestum est. Latini dicunt, vno digito ab insania distãt, vix digituli spatio ab insania absunt: sicut & dicunt, vix digituli spatio, seu interuallo à morte abest, πρὸ μικρὸν, i.e. ꝓpemodũ seu parũ abest seu abfuit.

4. Imperitare nonnullis est frequentatiuum. Aliis minuit potius ac deprauat significationẽ primitiui, vt imperitare dicatur is, qui capessit imperium, ad quod est ineptus vel imperitus, regiren wollen / vnd doch nit ein Löffel darzu waschen wissen / gerere ædilitatem sine suffragio populi. prouerbial.

Sicut sermo est exterior vel interior, sic sermonis significatio est vel exterior, vel interior. Exterior in verborum facie & compositione. Interior in mentis conceptu & sensu consistit. Qui omissa interiore arripit tantum exteriorem, saluis verbis legis sententiam eius circũuenit. Oldendorp. è Paulo ICto.

Alius est vsus vocis Credulitas in Ciceronis monumentis, alius in philosophia.

1. Credulitas Ciceroni est credendi facilitas vel temeritas error magis quã culpa. Maximè cadit in simplices homines & superstitiosos.

Sic Credulus, qui facilè vel temerè credit. *Quô quisq; est melior, magis est hoc credulus idem*, Hoc est, ꝙ Cicero ait Epistolar. famil. lib. 10. epistola 23. Credulitas in optimi cuiusq; mentem facillimè irrepit. Idem ad Att. Verba mihi dari facilè patior in hoc, meque libenter præbeo credulũ. Pro Fonteio, stultus auditor & credulus. De Senectute. Senex stultus credulus. De Amic. Hæc in fabulis stultissima persona est improuidorum & credulorum senum. De Diuinat. Imbecilli animi facilè superstitiosa ista concipiunt. Nunquam autem Credulitas accipitur à Cicerone ꝑ Fide, quæ est inclinatio rationis ad vnam partẽ, & in ea acquiescẽtia, q̃ efficit persuasio. Alb. M. & Ioh. Gram.

2. In Philosophia nonnunquam in bonam partem Credulitas accipitur: vt Credulitas omnes doctrinas præcedit Chalced. in Platon. Timæũ. Credulitas accõmodatur sensibilib⁹, sc. q̃ oculis, aurib. cæterisq; sensib. cõprehẽdũtur. Itaq; Simplicius de cœlo 1. text. 16. duplicẽ facit credulitatẽ: Aliam sine demonstratione ἀλόγως, (sine discursu) factam: Aliam per demonstrationẽ, q̃ certa est, & veritati entiũ innititur. Hic accipitur Credulitas ꝑ Fide seu πίστει. Apud Virg. h.e. 9. Ecl. Me quoq; vatem pastores dicunt, sed non ego Credulus illis, i.e. non illico credo illis: vel non credo illis.

3. Et Theolog. & Ethici nonnulli distinguunt inter Prouidam, circumspectã seu prudentẽ, & stolidã, variam, leuem credulitatem. Stulta Credulitas est temerè qd interp̃tari vel alicui assentiri, sine iusta vel ꝓbabili causa, vel quãdo sunt rationes manifestæ aut ꝓbabiles, tamen credere contrarium de aliquo.

Hęc in excessu Candori aduersatur I. VR. & sæpè Credulitas absolutè (sine adiectiõe) dicitur: vt hîc Nõ est credulitas, sed est temerari⁹ error. Vera fides verbo nititur illa Dei. De hac credulitate accipies hoc Ouid. *Credula res amor est.*

Canones.

1. Verbi significatio nuda est inutilis, nisi vera significatio rei accedat. Exẽpli causa, ex Iurec. Vlp. cõdemnatũ accipere debemus eũ, q̃ ritè cõdemnatus est, vt sentẽtia valeat: cęterũ si aliqua ratione sentẽtia nullius momẽti sit, dicẽdũ est, condemnationis verbum non tenere.

2. Cum verborum prior, rerum autẽ potior sit cognitio, ante omnia verba diligenter sunt inspicienda, deinde res, quarum incidit tractatio.

3. In omnib. sententiis primum omnium id intelligimus & sequimur, quod verba ostendunt nõ ambigua. Nunquam à natiua verborum proprietate recedẽdum est nisi necessitas cogat, & nisi

manifesta interpretationis ratio afferatur. Regula certa hęc est, & ab omnibus approbata. D. Conrad. Vorstius.

4. Et à significatione verborum non oportet recedi, nisi cum manifestum est aliud sensisse authorem. Rerum enim sensus vincit verba.

5. Cum verba sunt ambigua recurrendũ est in interpretatione ad circumstantias personarum, loci, tẽporis, rerum, scopi, id est, quod vulgo dicitur verba secundum subiectam materiam accipi debent. l. ex conduct. §. Papinianus. ff. locat.

6. Cum sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipiatur, quæ rei est aptior.

7. Cum vtraq; significatio est dubia, tam rerum quam verborum, tunc ad interpretationem prudenter accedendum est, sc. vt inter multas præferatur εὐλογώτερα æquior, vel rationi magis consentanea.

(Differunt Significatio & Interpretatio. Interpretatio enim versatur circa significationem, & eam explicat. Adiunctum igitur occupatũ est, vt significatio obiectum. Discrimen hoc patet ex axiomate Oldendorpii: Qui non rectè interpretatur significationem ipsam, is errorem parit rerum valdè pernicioſum.)

8. Significatio verbi interdum partim rei veritatem, partim fictionem in se habet. Exemplo est postliminium, cuius capita sunt duo: primum nullam continet fictionem, nimirum, vt reuersus statim ac fines nostros ingreditur, omnia sua recipiat. Alterum continet fictionem, nimirum vt reuersus fingatur semper fuisse in ciuitate, ac semper habuisse iura sua, ad quæ restituitur, quamuis seruitutis tempore verè non habuerit. Vide vocem postliminium.

9. Significatione prsus eadẽ cognata, seu affinia τὰ μικρὸν etiã differentia & diuersa prorsus q̃ sint, philosopho & philologo diligenter dispiciendum, verbi gratia. Quidam distinguit inter odoratum & odorum, vt hoc sit ex se, & per se, illud verò aliunde seu ab alio. Non placet, sicut enim Græcis idem significant ἔυοσμον & εὐῶδες. Dioscorid. εὐῶδες μὴ βάρυς, cum grauitate odoratum præcellens odore, seu odoratissimum: Ita odoratum & odorum ταυτὸ sunt, Plinius sanè ea etiam quæ per se odorem habent seu spirant, odorata vocat, verum vnum altero est odoratius. Si tamen dicas, odorum propriè & primò significare, quod habet odorem ex se (sic odora canum vis apud Virgilium) odoratum verò, quod odorem vel proprium, vel aliunde acceptum spirat, vt hoc sit generalius, illud specialius, non repugnauerim. Odoro dolia musto dixit Angelus Politianus in Rustico. In minus accuratis tamen λόγοις locum habet illud: si qua parum distant, ea nihil distare videntur.

10. Materiale in vocibus distinguendum à formali, & significatio ab adsignificatione.

Vsus.

Hæc commonefactio vtilis est ad solutionem ἀποείας; An eadem vox iterata possit esse duplex dictio? Sophisma est, canis latrat, Hoc astrum est canis, Ergo hoc astrum latrat, ad quod respondetur; quatuor hic esse terminos seu voces: Itaque ἀσυλλόγιστον. Erit igitur CANIS duæ dictiones. Videtur sanè vna esse dictio, cum vtrobique sint eædem numero literæ & syllabæ. Respondeo per distinctionem, Canis est vna dictio, Grammaticè RATIONE CONSTITVTIONIS MATERIALIS, & adsignificationum (vt sunt casus, genus) Canis est gemina, non vna dictio, LOGICE & PHILOSOPHICE ratione duplicis SIGNIFICATIONIS seu FORMÆ.

Adeò

Adeo hoc verum est, vt etiam *vox semel dicta scriptaue possit esse duæ propter ambiguitatem.* Exemplum est apud Augustinum lib. 13. de ciuitate Dei cap. 11. Conuenienter itaque factum est, vt quemadmodum quod significat, non potest agendo, ita ipsum verbum (Mortuum) declinari loquendo non possit.

Hic Augustinus lusit ambiguitate verbi ἀπὸ DECLINARI. Agendo inquit non potest mortuum declinari, id est, vitari, nec loquendo declinari, id est, per casus participii præteriti temporis inflecti; declinatur enim tempore, vt fatuus, ex sententia Augustini.

SIGNVM.

Signum accipitur
- Fusè seu laxe, estq; Quod seipsum sensui & præter se aliquid animo repræsentat.
  Seu
  Quod imprimit sui speciem sensui vt exinde afferat alterius cognitionẽ, Ex. causa, fumus est signum ignis, perceptus enim à sensu visus est in causa vt visus (percipiens) ex vi illius in ignis latentis notitiam prouehatur seu promoueatur.
- Presse. Estq; indicium quod potentiæ cognoscenti aliquid à se distinctum repræsentat, hoc est præsens facit.

Cognoscens hic est sensus vel intellectus. Motus qui à sensu percipitur est signum animæ latentis, quam ratio ipsa percipit seu cognoscit. Sacramentum cœnæ Dominicæ vt signum ostẽdit se sensui oculorum, est enim visibile & aliquid præter se animo nempe inuisibilem gratiam: perceptio igitur signi affert cognitionem significati.

Scholastici quidam dicunt ad rationem signi sufficere aptitudinem ad repræsentandum: qui faciunt duplicem repræsentationem, aptitudinalem & actualem: Scotus. Dicunt & Signum esse rationem cognoscendi, non cognitionem ipsam: Signi duplex relatio, vna, ad πρᾶγμα, altera ad δύναμιν.

In omni signo sunt duæ σχέσεις seu Relationes.
- Vna seu prior ad rem seu ad σημαινόμενον rem significatam, vt fumus ad ignem.
- Altera & posterior ad potentiam, cui rem obiicit, cui significat seu repræsentat, vt fumus ad potentiam sentiendi.

Itaq; de ratione Signi, qua Signum, est significare.

Distinctum autem est signum à significato
- Realiter, vt imago à repræsentato.
- Ratione, vt actualiter diuersa non sint, vt cum Cornelius vel Acolastus seipsum repræsentat in comœdia.

Itaque nihil proprie expresseque est nota sui, nihil seipsum proprie significat immediateque.

Quædam signa significant etiam seipsa, sed confuse & secundariò, vt vocabulum Nomen, quod significat omnia

Nomina inter quæ ipſum quoq; numeratur, cum nomen quoddam ſit, eſt ſignum ſeipſum etiam ſignificans: cõceptus formatus de conceptu communi ſeipſum repræſentat, quatenus continetur cum reliquis ſub conceptu eõmuni. Idem cum parit notitiam ſui vt eſſentia Dei vel angeli non eſt ſignum, ſed obiectum.

Signa ſunt
- τῶν παρόντων præſentium. Demonſtratiua.
- τῶν ἀπόντων
  - Præteritorum Ἀναμνητικὰ Recordatiua.
  - Futurorum προγνωστικὰ prænuntiatiua.

Ex adiunctis membra formaliter potius diſtinguuntur, quam materialiter.

Signa ſunt
- Naturalia habentia vim à natura aliquid ſignificandi conceptus. Itaque apud omnes idem ſignificant.
- Inſtituta ſeu impoſita *a* aſcititia vt voces, habentia vim ſignificandi (vt conceptus iidem apud omnes, ſic voces diuerſæ.)

Ex efficientibus.

a Signa ex libera voluntate ſeu arbitratu intelligẽtis.

b Conſecutio eſt ob ſimilitudinẽ cum vero ſigno, ſcriptæ enim ſunt ſigna vocum.

Ex inſtituto ἐκ συνθήκης ex placito
- Dei, vt Sacramenta.
- Hominũ. Impoſita
  - *b* Conſecutiue, Scriptura per impoſitionẽ vocis.
  - Per ſe: vox.

Signa ſunt
- Inſtrumentalia, vt voces, ſigna & quaſi vicarii conceptuum & affectionum animi.
- Formalia, vt ſpecies potentiis impreſſæ. Eæ enim maxime præſentia faciunt obiecta, quæ exprimunt.

Inſtrumentalia ſunt, quæ cognita efficiunt alterius rei cognitionem. Hæc ſignificant per conſtitutionem externam.

Hæc ſignificant per eſſentiam ſuam.

Formalia ſunt imagines ſeu idola & ſimilitudines rerũ, quæ non cognitæ deducunt in rerum notitiam, ſuntque
- Impreſſa potentiis.
- Non impreſſa, vt phantaſmata non inhærent intellectu.

Phantaſmata enim ſingularium ſunt ſigna formalia reſpectu intellectus, cum quo ſimul concurrunt ad cognitionem ſingularium.

Naturalibus accenſenda idea artificis, quæ ſignum eſt arte facti, & cuius eſſentia conſiſtit iu repræſentatione. Item imagines pictorum. Imago ad vium repræſentans principem.

Signum ſigni eſt ſignum ſignificati in eodem genere ſigni, in quo ipſum dicitur ſignificare aliud ſignũ phantaſma fumi eſt ſignum ignis non quidem immediatum, ſed remotum.

Signi-

Significant { Instrumentalia per sui cognitionem vt voces quæ significant { Conceptus. vox vehiculum verbi interioris. Res ipsas. }
Formalia sine cognitione sui. Non cognita efficiunt cognitionē

Vocabula rerum quæ finguntur etsi rem veram non significant, designant tamen obiectum confictum per modum veri.

Nurus qui vice verborum sunt huc pertinent, significant & conceptus & res.

Signa { Doctrinalia σημαντικὰ { Cōcept⁹ { Voces { Propriæ / Vicariæ } } } Vox scripta { Simplex omnino quid vnum / Complexa vnum secundum quid { Finita / Infinita } Oratio. }
Non doctrinalia.

Signum eiusdem rei vocabulum nuncupatur quāquam improprie, propter vnionem.

Signum { Speculatiuum seu speculabile conceptus in intellectu de significato, vt homo significat naturam humanam.
Practicum quod signat significatum esse vel fieri, vt cum si ex institutione legislatoris tactus manus significet pacem.

Signum in specie diuinatorium completitur omina, auguria, auspicia, prodigia, portenta, ostenta, somnia quædam. Sumuntur eiusmodi signa ex rebus *vel incorporeis* (vt variis spectris, quæ vel humi vel in sublimi in aere aut aqua spectantur) *vel corporatis*, & quidem *mundi vel superioris*, puta ex sideribus eorumque passionibus, motu, eclipsi, coloribus, figuris, quantitate) *vel inferioris*: Nimirum ex *corporibus vel simplicibus*: (ab Elementis scilicet eorundemq; accidentibus: cuius generis sunt ὑφεκναύματα exustiones, incendia, inundationes, venti, hiatus, terræ motus) *vel mixtis naturalibus*: iisq; *vel Inanimatis*. Tum *supra terram* (à meteoris, grandine, pluuia) *tum in terra, vel subtus terram* (à saxis, metallis) *vel Animatis*, puta à *stirpibus* earundemque fructibus: *& animalibus: siue rationis compotibus*, hominibus: *siue rationis expertibus: tum terrestribus*, quadrupedibus, reptilibus, feris, cicuribusue, *tū Aquatilibus*: tū deniq; *volatilibus*. Quę omnia pueniūt à causa *vel naturale* vel *nō naturali*, id est, diuiniore aliqua *vel vtraq;* mixtim. Ἄλλως *& explicatius*.

Signa seu indicia seu Notæ Græcis σημεῖα

1. Generatim sunt q̄uis signa siue certa & necessaria sint siue εἰκότα, id est, probabilia. 2. Speciatim sunt εἰκότα tantū & distinguūtur à Galeno in τεκμήρια, id est, certa minimeq; fallētia & σημεῖα, id est, verisimilia, non perpetua. Ex his q̄dam vt plurimum idem denotant, itaque accensentur contingentibus vt plurimū, (ὡς ὅπι τὸ πολὺ.) Quædā sunt leuia, communia, & ambigua, ἀμφίβολα, quorū significatis euentus respondent rarius (ἐπ' ἔλαττον) priori generi annumero signa physiognomonica plæraq; q̄ ex naturæ notitia & considerationē, hoc est, ex notis exterioribus in corpore, vt ex vultu habituq́; faciei vel oratione depromuntur. Signū prę- *Barb. Æquiuoca, id est, dubia.*
uale ns Chrys. vocat τεκμήριον φρονοῦμενον. Omnia signa generatim voce accepta aut sunt signa tantū seu pure si gna, aut sunt signa & causæ simul (q̄ significant faciendo,) aut sunt signa & effecta vel symptomata affectionesue. Quæ signa tantū sunt, aut antecedētia sunt, propter aliq̄ cum causis copulationem, aut sunt comitantia (συνεζευγμένα) vel sequentia ex cohæsione vel connexu ex affectibus vel symptomatibus.

Si accidentia sunt, necessario dicuntur conditiones sine quibus non & improprie αἴτια ὧν οὐκ ἄνευ, causæ sine quibus non. Ad primum genus signorum pertinent μεταδοτικὰ, id est, exhibentia.

Signa alia sunt προγνωστικὰ præsaga Futurorum: alia Δεικτικὰ (ostensiua) seu δηλωτικὰ (demonstratiua) præsentium: alia sunt ἀναμνηστικὰ, quæ in memoriam reuocant: præteritorum alia sunt a μνημονευτικὰ & δεικτικὰ seu ὑποδεικτικὰ simul, id est, in memoriam reuocantia & ostensiua seu indicantia simul. Tale est ritus circumcisionis. Reuocat enim in Memoriam promissionem, in qua fit mentio seminis & ostendit victimam ex posteritate Abrahæ nascituram. Tale etiam signum est mactatio agni paschalis.

a Scholastici vocant Rememorativa.

Signa aut sunt proprie dicta, nempe significantia, & repræsentantia, μιμητικὰ (imaginem referentia) vel improprie, nempe significationis expertia, ἄσημα: Significantia vel ex naturali similitudine: vel ex institutione diuina aut humana: vel ex vtraque. Huc in Eucharistia Sacramentalia Elementa pertinent: Vt per panẽ & vinum corpus reficitur nutrititurq́;: ita per gratiam vita animæ conseruatur & fouetur, Gabriel Biel lib. 4. dist. 8. quæst. 1. Et sicut panis conficitur ex multis granis, & vinum ex multis racemis confluit. Ita corpus Christi verum ex multis membris & corpus Christi mysticum ex multis fidelibus.

Signa sunt vel Efficacia, Scotus vocat practica, quæ habent aliquam causalitatem respectu signati; vel non efficacia. Efficacia, vt Sacramenta, quæ ex institutione, & sunt signa applicantia. Diuina effectum gratuitum efficaciter significant. Diuisio huic cognata est in εὔχρηστα & ἄχρηστα: ad εὔχρηστα pertinent distinctiua, quæ ostendunt aliquorum distinctionem. Sic Sacramenta sunt notæ professionis (Græc. δηλωτικὰ) & configuratiua, quibus configurantur Signata, Scholastici hoc Signum vocant characterem.

Signa (secluſa ratione) sunt coniuncta cum rebus, quo pertinent signa συνεκτικὰ (continentia) aut sunt à rebus seiuncta.

Vsus.

Quæstio est 1. An possit cœlum eius rei signum esse, cuius causa non sit. 2. An sidera sint tantum signa inferiorum, An etiam sint causæ ac significent efficiendo efficiantq́; significando.

Si sint signa tantum, non est à sideribus nostri desiderii impetus, sed quemadmodum alia propriis & particularibus fiunt causis, licet indicentur ab astris, sic motus quoque desiderii non cœlestem constellationem, sed vim ipsam imaginatricem, nostram electionem, vim animi appetentem, & quæ extrinsecus lacessunt sensum & animum, pro origine & causa sortiuntur. Picus Mirand. lib. 4. aduersus Astrologos cap. 12. & 13.

Signum non est causa effectus.

Ex distinctione Signorum in disputatione de restitutione rei alienæ describitur dubium probabile eius esse, qui habet tationem dubitandi ex probabilibus signis facientibus probabilem & apparentem suspicionem seu præsumptionem, ex quibus communiter à sapientibus iudicatur res esse aliena iudicio, non certitudinis, sed præsumptionis. In tali enim dubio recipiens rem alienam propior est scienti, quæ ne scienti secus: si non fuerit dubium probabile, sed ex scrupulosa conscientia ortum, aut ex signis leuibus & incertis aut indifferentibus. Tale enim dubium est spernendum, Gabriel Biel lib. 4. dist. 15. quæst. 3. & Gerson Cancellar. Ex hac descriptione hoc etiam obserua, quod Scholastici nonnun-

nunquam probabilia argumenta & signa, quę Germanis sunt **scheinbare vnd greiffliche** vocãt, Apparẽtia hoc est speciosa, plausibilia. Refutantur ex distinctione superiori, quidam ἀνιάτως ἔχοντες, qui sic argumentantur: Si Sacramenta sunt signa gratiæ, non possunt esse instrumenta. Resp. Quasi vero nulla signa sint, quæ habeant Efficaciam seu causalitatem, quæ sint minimum causę sine quibus non, vel dispositiones ad effectum, quæ habeant instar instrumentalium causarum. Dico igitur: Signa sunt vel causæ significatorum vel effectus, vel causis effectibusue copulata τεκμήρια physica, cum verarum & sufficientium (non particularium) causarum vim vicemque pręstant effectum, de quo monẽt, exequuntur ac complent, cum effectuum rationem sustinent suarum, causarum vim referunt ac ostendunt cum causis effectisue nexa cohærent ceu propria suorum subiectorum naturam exprimunt & declarant. Peucerus.

Efficacia autẽ signorum vel est ex propria natura, vel ab ordinatione hominum aut Dei, de cuius pactione, παράσει seu Assistentia, qua adest verbo & Sacramentis, alibi dicitur: nam ipsa vis regeneratiua proprie Dei est.

Signa sunt
- Sensibilia, vt visibilia, audibilia.
- Non sensibilia, vt intelligibilia, spiritualia.

Ἄτυπος esse videtur hæc Bielis distinctio, quod vel ipse aliquo modo agnoscit: quia, inquit, licet de facto solum de signo sensibili prædicetur signum, potest tamen prædicari de signo spiritualiter, id est, actu tum demum de hoc prædicaretur, si à Deo aliquod signum spirituale institueretur, ad significandum aliquid lib. 4. dist. 1. quæst. 1. vt aliqua alicuius rei interior cogitatio seu meditatio.

Q. An columba super Christo visa & linguæ igneæ in capitibus Apostolorum fuerint σημεῖα ἐνεργητικὰ? Resp. Fuerunt tantum σημαντικὰ significatiua plenitudinis gratiæ in Christo & Apostolis. Biel ibidem.

In Logicis signa sunt: Reduplicatiuum vt qua ἐφ' ᾧ specificatiuum seu causale vt secundum quod (sic Scholastici, Christus secundum quod Homo sedet ad dextram Dei.) Diminutiuum vel Distractiuum (distrahens terminum à propria perfectaue significatione,) vt Iohannes est pinguis secundum faciem. Ampliatiuum, amplians seu extendens terminum extra propriam significationem, cuiusmodi sunt potentia potentialiter obiectiue.

Signa
- Naturalia ἀπὸ φύσεως.
- Arbitraria, vt sunt ἀπὸ συνθήματος ex compacto & constituto.

Contingit dare signum rei & signum signi, & vtrumq; in suo genere signi rationem participare.

Vt Rudolphus est signum ex instituto significans hoc indiuiduum seu singulare humanæ speciei: & τὸ Nomen proprium etiam signum est ex instituto significans ipsum Nomen Rodolphus, ac vtrumque verum nomen est seu vocalis terminus. Sic potest dari sacrificium significans aliud sacrificium.

Itaque potest aliquid esse & Res & Rei

imago seu signum. Nomen igitur etiam Res est. Quid audio, inquiat aliquis? Quę igitur & nominis quidditas? Rerum quidditas nominis est quod est, quod est signum rei cognitæ vel intellectæ.

Signum aliquando idem est quod argumentum, sic accipit Plato cap. 7. & Demosthenes de falsa legat. & Plato 7. Epistola σημεῖον. Est & vox politica pro vexillo, quod signum militare est. Est deniq; vox Geometrica, ponitur enim pro puncto, Aristoteles de Mundo.

Signa cœli pro Numinibus seu Idolis ad stellarum similitudinem effectis est metonymire dictum. Si signum cœli nolite metuere.

SIMILIA.

Similia sunt in quibus est vna forma secundũ speciem accidentalem vel substantialem.

Similitudo seu assimilatio est dicta.
- Proprie creata
  - Creaturæ ad creatorem per imitationem
    - Imperfecta, in gratia
    - Perfecta, in gloria
  - Creaturæ ad creaturam per vnius naturæ participationem.
- Improprie Increata EMINENS & summa diuinæ personæ ad diuinam per indiuisionem.

Improprie) ideo contra Arianos Athanasiani dixerunt personas esse ὁμοουσίους, id est, easdem essentia, non ὁμοιουσίους, similes essentia.

Actus cognoscendi est eius quod cognoscitur naturalis similitudo repræsentatiua, id est, naturaliter repræsentat & significat menti quod cognoscitur similitudo est: mutua vel non mutua: vt: Deus rebus similis esse non potest teste Thoma, quia exemplar mundi non est simile mundo, nec homo picturæ Antonius Citadinus ad Picum de ente. Idem apud Platonicos est, Dei typum esse vnitatem, & apud Dionysium Deum vnice esse omnia; Picus ad marginem ibidem.

Simile improprie ponitur nonnunquam pro Eodem, vt apud Bielem lib. 3. dist. 13. quæst. vnica: Quicquid conuenit vni indiuiduo (vt γελαστικὸν Petro) simile potest conuenire cuilibet alteri eiusdem rationis (vt Paulo:) Hic simile dicitur pro eo, quod est idem. Vel lege pro simile similiter, quod melius est, hoc est pariter seu æque.

Similitudo
- Naturalis per
  - Participationem
  - Analogiam
- Extra naturam rei constituta à voluntarie agente.

Vsus.

Quæritur, an esse possit similitudo σωματικῶν πρὸς πνευματικὰ rerum corporalium ad res spirituales, vt est diuina gratia seu dona Dei gratuita in anima nostra. Resp. per distinctionem. Corporalia non possunt esse similia spiritualibus Naturali similitudine perparticipationem eiusdem qualitatis. Nulla enim qualitas secundum speciem iis communis est seu vtriq; inest: possunt autem esse similitudine per Analogiã, quę est similitudo proportionatorum, in qua

in qua par est ratio, vt sicut se habet hoc ad illud, ita hoc ad istud: vt sicut se habet aqua ad diluendas eluendasue maculas corporales, ita se habet gratia Dei ad tollendas maculas spirituales. Thom. quæst. 1. art. 2. dist. 1.

Obiectio.

Actus peccati actualis, postquam commissum est, transit, non manet. Similes igitur erunt, qui nihil commisit mali, & qui aliquid commisit. Respondẽt Biel & Occam in 4. q. 8. & 9. Qui nihil commisit & qui commisit sunt similes ꝙ attinet ad qualitates realiter ἐνυπαρχούσας, non autẽ quod attinet ad Rationẽ peccatoris, quia ea conuenit committenti, non nihil committenti. Et similes omnino dicuntur quibus eadẽ prędicata secundum speciem cõueniunt.

2. Nego consequentiam, qa consequens non est antecedenti adæquatum. Cũ enim in peccatore aliquid maneat, etsi actus peccati præterierit, ordinatio nimirum ad pœnã commeritam & peccatore dignam, seu reatus macula & offensa, quæ nõ sunt nihil, is qui commisit & is qui non commisit hac in parte similes dici non possunt. Offensa enim est actus diuinæ voluntatis quo vult vindicare peccatum. 3. Adde ꝙ sępe est habitus vitii durans, cum transiit actus. Is habitus (ex malis actionibus frequentatis genitus) non est in non peccante actualiter.

Similia à nonnullis ita distinguuntur, vt similia simpliciter dicantur, cũ quibus ex vtraq; parte est similitudinis reciꝓcatio, vt sicut hoc dicitur simile illi, ita vicissim illud dicatur simile huic. Similia contra quodammodo, quæ non sunt reciproca: ita Entia (creata) dicũtur similia Deo, qua entia sunt. At Deus illis similis non dicitur. Fonseca in 4 Philos. 1 Thom. 7. p. q. 4. art. 3. Dionysius cap. 9. de nominibus diuinis.

SIMILITVDO.

Similitudo est rerum conuenientia in qualitate primo: in Actione, Passione, & Relatione secundo. Secundum eam dicuntur aliqua similia.

- Similitudo Dialectica
  - Absolute dicta. Ei opponitur sæpe vera ratio alicuius.
  - In relatione ad aliud consistens, ea est
    - Ad aliquid.
    - In aliquo.

Est & sophistica similitudo ex figura dictionis.

Canon.

Eorum quæ similiter sẽ habent ad aliquid, vel in aliquo est eadem ratio. *Ex Aristotelis Top.*

- Similitudo secundum
  - Quandam habitudinem (σχέσιν) vt sicut medicus ad sanitatem, sic gymnastes ad bonum habitum.
  - Inexistentiam, (ἐνύπαρξιν) vt comburere ὁμοίως inest flammæ & carboni.

Illinc dicitur ὁμοίως ἔχοντα, quæ similiter se habent: hinc ὁμοίως ὑπάρχοντα, quæ similiter insunt.

Exemplum similitudinis analogicæ.

Aristoteles calidum naturale nominauit corpus diuinum, & dixit illud esse analogum, hoc est, cognatum seu simile elemento stellarum seu quinto corpori, hoc est cœlo, quia tales habet effectiones, quales corpus cœleste habet in hac natura inferiore, vt calor ętthereus solis generat aliquid in excrementis, (vt vermes) generatione æquinoca: ita calor noster est viuificus.

Oportet esse analogiam inter potentiam cognoscentem & hoc ꝙ cognoscitur. Quia cognoscẽs & ꝙ cognoscitur, ita iungũtur vt fiant vnũ, &, vt inqt Philosophus, intellectus in ipsa intelligibilia

Calor depascitur humorem.

transit. Ioachim. Curæus l. 1. de sens. & sensibilibus. c. 8. Humor alimentarius, id est, qui ex alimento quotidie apponitur bonitate par non est humori naturali, ideo sensim mutatur calor, ac demum vbi ex ætatum, temporum, anni, conditionis, vitæ mutatione, nutrimento conueniente maxima ex parte orbatus est, prorsus extinguitur. Sed analogia intercedit inter hos humores. Id est humor alimentarius ἀρχὴ ὑγρῷ, id est, primigenio est ἀνάλογος. Sicut & spiritus naturalis fluens (qui vna cum nutrimento ab epate affluit) ingenito ex proportione respondet.

Istud habe hic ἐν μέρει παρέργου:

Cera velut lychni lento consumitur igni,
Vel nimio delet, crassa liquore facē.
Sic calor humorem superans humore calorem,
Nos facit, alterutro deficiente, mori.

Similitudo
- Perfectissima in participatione formæ essentialis, vt: Cicero filius humanæ naturæ hac in forma Essentiali patri similis est. Christus simillimus est patri, vnde eius imago (Essentialis) dicitur.
- Minus perfecta in participatione consistit.
  - Qualitatis
    - Animi
      - Vel officii. Deo sunt similes hoc officio.
      - Scriptura interdum Idola vocat Deos, 1. Corin. 8. non quod inter ipsa & Deum sit similitudo reuera, sed ex opinione Idolatrarum gentilium.
    - Corporis

Sic omnes creaturæ sunt Deo similes, quia aliquas Dei perfectiones possident, easq; imperfecte, non veluti in Deo sunt.

Iudices & Magistratus dicuntur Dii, quia

SIMPLEX.

Simplex per negationem
- Compositionis
  - *Omnimodam*, Deus simplex, simpliciter seu summe.
  - *Aliquam*, Angelus, anima, simplex κατά τι.
- Perfectionis: Materia prima.

Euolutio.

1. Deus dicitur simplex per negationem & quidem omnem compositionis, nō perfectionis. Est enim perfectissimus.
2. Anima dicitur simplex per negationem aliquam compositionis. Esse autem multiplex dicitur in virtute seu potentia operandi.
3. Materia prima dicitur simplex per negationem perfectionis. Non enim est Ens completum seu absolutum. Dicuntur & accidentia formæ simplices. Falsum igitur: Quodlibet simplex dicere perfectionem simpliciter.

Vsus in Conciliatione ἐναντιοφανῶν.

Forma *a* simplex non potest esse subiectum inhæsionis: Forma *b* simplex potest esse subiectum inhæsionis.

Conciliat.

a *Simpliciter simplex (quæ nullam prorsus admittit compositionem) vt Deus, qui ὂν est per se subsistens.*

b *Simplex κατά τι, quæ aliquam admittit compositionem, vt νόες.*

Si-

SIMVL.

Simultas aliquorum barbaris est eorum non mutua exclusio: Latinis ferè idem est, quod inimicitia, vt veterem simultatem deponere.

Simultas duorum Scholasticis est
- Negatiua ratione medii, inter quæ nihil est medium.
- Positiua ratione
  - Temporis, eorum, quæ in eodem tempore vel momento fiunt, aut durant.
  - Actus: Cum duo aliqua cognoscuntur, seu apprehenduntur eodem actu.

Simul
- 1. Tempore, quorum generatio in eodem tempore est, vt simul tempore in homine sunt rationale & risibile. Hic est proprius modus & propria significatio huius aduerbii simul.
- Natura
  - Quæ conuertuntur secundum existendi consequentiam, sed neutrum est causa alterius, vt relatiua. (Scotus, correlatiuum non est causa correlatiui, etsi essentia relati sit ad relatum, vt essentia totius ad partem, & partis ad totum. Scalig. lib. 6. de causis. lat. 129.) Dicuntur enim simul esse natura Duplum & Dimidium.
  - Quæ ex eodem genere prodeuntia è diuerso inuicem diuidunter, vt oppositæ differentiæ diuidentes aliquod genus, vt corporeum & incorporeum, sunt simul natura: similiter omnes species sub aliquo genere contentę, & æqualiter ob eo distantes, vt homo & equus: si enim comparatio fiat non inter æqualia, sed inter inferius & superius, non sunt simul natura. Nam superius est natura prius inferiori.

Hic aliquis quęrat non absre, Cur Aristoteles τὸ simul loco omiserit? R. hoc inde factum, ꝙ duo corpora simul esse in vno loco posse negauerit, eo quod hoc implicet contradictionem. Sed physicus τὸ simul loco non negligit, vt nec prius & posterius loco. Etsi enim duo corpora non possunt esse in vno loco ꝓprio simul, tamen in eo duorũ corporũ superficies coniungi possunt, & hac ratione dicit: simul sunt ea, quæ sunt in eodem loco.

Ἅμα seu simul apud Aristotelem in vna sententia potissimum habet duplicem potestatem, nempe in hoc ꝓnunciato, quod est in physicis, τὸ κινοῦν καὶ τὸ κινούμενον ἅμα εἰσὶ. Mouens & motum simul sunt. Primum intelligit Arist. hoc de loco, cum sc. superficies sunt contiguæ, vt cum pharmacum applicatur parti læsæ in corpore. 2. de virtute, quæ propriè contactus non est, vt cum magnes occulta qualitate seu ἰδιοσυγκρισίᾳ trahit ferrum.

Explicatio.

Distinctio corporum ex circumstantiæ agendi.

Alia corpora ex interuallo vim suã exercere possunt. Alia non item. In his quæ nõ possunt agere ex interuallo requi-

ritur hoc, vt sint simul, & contigua, cum his quæ patiuntur. Reliqua, quæ ex interuallo agunt, neque sunt simul, neq; contigua cum his quę patiuntur, nisi virtute tantum & qualitatibus, vt cum stellæ agunt in hæc inferiora.

SIMVLTANEVM.

Barbarorum voces sunt simultas, simultaneitas & simultaneum. Simultanea autem vocãr, quæ simul sunt, vel fiunt nec inter se habent ordinem originis. Estne, inquiunt, omnium membrorum maximè prę cipuorum hominis simultanea in vtero generatio, aut delineatio, pro eo, quod est: Oriuntur ne omnia membra simul, an est ordo generationis aut delineationis.

Simultanea est seminalium membrorum generatio, ꝙ attinet ad inchoationem, & adumbrationẽ, non ꝙ ad absolutionẽ, ꝓ eo ꝙ est: seminalia mẽbra simul inchoantur, sed non simul ꝑficiuntur.

Quid illustratio partis alicuius in corpore animalis?

Motus arteriarũ & cordis est simultaneꝰ, id est, vnica illustratione media cor & arteriæ mouentur. Illustratio seu splendor hîc est qualitas, qua modũ & σχήσιν organon suscipit ad operationẽ.

SINE, *absque*, χωρὶς.

Sine significat seorsum vel diuulsè, vt Anima mea iam nõ est sine corpore, i.e. nõ habet seorsim suam ὕπαρξιν. Anima humana, quandiu est in corpore vnito sibi, non edit quidem omnes actiones suas per corpus, etsi non sine suo corpore, sed quasdã agat absq; cõcursu & συμπεγείᾳ corporis, nec tamen extra vnionẽ cum corpore subsistens. Non sequitur igitur. Anima dum est in corpore, potentias suas non exercet sine corpore, i.e. seorsim extra vnionẽ posita, & subsistens. Ergo corpus fit synergon omnium operationum animæ.

Sic sine significat negationẽ societatis, seu cõcursꝰ causalitatis, vt nihil agit anima nostra sine corpore, i. e. sine cooperatione corporis: sine corpore nihil operatꝰ est Christus, i.e. sine συμπεγείᾳ corporis seu carnis assumptæ, ꝙ falsum est.

Lux primæua non subsistit sine solari corpore, nec corpus solis sine ista luce habet ὕπαρξιν, i. e. vtraq; hæc natura organica, lux & corpus solare, post vnionẽ seorsum, & per se nõ existit. Iustinus Martyr hoc sic dicit, originaria lux est in corpore solari cõtracta, & illi vnita, &: post vnionẽ primigenio lucis cũ corpore solari haudquaq̃, & quis à se inuicẽ secernat. In lib. de expo. fidei.

Sine significat etiã distinctè, διαιρετικῶς, non reipsa diuulsè ac distractè, vt ὁ λόγος potest animo cõcipi, cogitari & intelligi sine carne, etsi non separatim, & diuulsè subsistat.

Differunt Sine & extra. Sine aliquo esse significat esse ab aliquo separatum seu seiunctum, vel re, vel ratione.

Sine aliquo non esse significat vnius rei connexionem & consociationem, vel solubilem vel dissolubilem, nec significat locum. Vt non potest subsistere assumpta natura sine πρὸς λόγῳ, i.e. seorsum seu separatim à λόγῳ. Sic χωρὶς Græcis idem est, quod diuulsè, seorsum, distinctè, διαιρετικῶς. Extra locũ rei denotat vel situm, vt alibi quoque esse possit, quã sit res, cum qua vel cõiuncta est, vel nõ, vt brachium est extra thoracem, non propterea tamen à brachio separatur, nisi amputetur. Sic ὁ λόγος qui in carne est assumpta, est etiam extra carnem (nõ enim concluditur capiturq̃; hac vt carcere) nec tamẽ propterea separatur à carne. Quæ hypostaticè vnita sunt, sic tamen copulata & consociata sunt, vt vnum extra aliud locum habere, & situm esse possit, verum sic coniuncta vinculo compositionis tenentur, vt alterum sine altero subsistere non possit. Sic igitur dicitur vnum extra alterum locari, E. g. pes vnitur hypostaticè capiti, in eodẽ corpore viuente, & tamen pes est extra caput, i. e. pes ipsius corporis est extra eum locum, in quo eiusdem corporis caput collocatum est. Sine capite tamen

men ſuo, pes iſte non eſt, vel ſubſiſtit, vt ſit hui⁹ corporis pes; alioquin enim fieret eiuſdem corporis diuulſio, nec iam iſte pes, eſſet vel pes, vel huius corporis pes, ſed vel cadauer, vel cadaueris tamen pars quædam. Non ſequitur igitur Deitas τῦ λόγυ iam ſine humana natura aſſumpta eſſe non poteſt, (quod verum.) E. Deitas τῦ λόγυ nullo modo extra naturam illam aſſumptam eſſe poteſt (hoc falſum, quamuis ad palatum nonnullorum) & vi conſequentis, vtraq; natura Chriſti poſt vnionẽ æqualiter patet, & loci ratione ſemper naturæ illæ coexiſtunt ſimul, qnod falſum. Infinito enim finitum exæquari nequit. Non vt anima noſtra in noſtro corpore comprehenſa, & concluſa eſt, ita quoque λόγος in carne aſſumpta concluditur, vt Athanaſius egregiè.

Ariſtoteles lib. 1. de cœlo c. 7. τὸ ἔξω καὶ εἴσω τόπου σημαίνει, i. e. Extra & intus locum ſignificat.

Sine interdum ſignificat & diſtinctionẽ & excluſionẽ, i. e. eſt particula diſcernendi & diſtinguẽdi: ſi quis ſic arguat: Sine me nihil poteſtis facere, inquit Chriſtus. Ergo Chriſtus ſolus omnia facit in nobis patientibus impreſſionẽ nouarũ qualitatũ, virtutũ & motuum.

Reſp. Ex vi vocabuli, hanc eſſe ſentẽtiam dicti, voluntas ſine auxilio diuino ſpeciali nõ poteſt efficere ſpirituales motus, ſeu actiones placentes, &c.

Particula Sine primò ſignificatur diſtinctio noſtrorum conatuum ab efficacia & beneficiis Filii Dei. Deinde ſignificatur reiectio excluſionis efficaciæ beneficiorum & auxilii Diuini. Intelige autem hîc voluntatem, quæ cœpit diuinitus renaſci ſeu conuerti. Scholaſticis pro SINE familiare eſſe phraſin circumſcriptis aliis alibi dixi, vt partiale efficitur, eſt, quod nõ ſufficit aliis omnib. circumſcriptis, i. e. quod non ſufficit, ſine aliis, ſeu aliis ſecluſis, opponitur ei Totale, q̃ nõ ſufficit ſine aliis, ſeu aliis excluſis. Vid. Vitũ Amerb. 2. Phyſ.

SINGVLARIA.

Singularia ſunt indiuidua, Græcè καθέκαστα. Hîc & Nunc quiddã exiſtentia, vt Schegkius loquitur, ſingulares res, ἄτομα, q̃ Platoni quoq; ſunt, πολλὰ, multa & ἄπειρα, i. e. quaſi infinita, quę ad vnã ideam reuocãtur, vt Petrus, Paulus ad hominẽ. Opponitur his καθόλυ. Idem in Timæo καθ' ἕκαστον aduerbialiter accipit, pro ſingulatim, eiq; opponit ἐν κεφαλαίοις, i. e. per capita, ſeu ſummatim (paratus ſum Socrates tibi explicare, non tantum ſummatim, ſed etiam ſingulatim) ſingularibus opponuntur τὰ καθόλυ (vniuerſalia.)

Singularis enuntiatio eſt ſpecialis ꝓpriè, q̃ & ꝓpria dicitur, vt Cicero eſt homo, cui opponitur ſpecialis indefinite, i. e. particularis, vt quidã homo eſt albus.

Sic Singulares quæſtiones ſunt rerum propriarum, & dicuntur hypotheſes, quibus opponuntur theſes.

Singularis etiam p̃dicatio dicitur, q̃ Scholaſticis quibuſdã eſt *inuſitata* (ἄχρηστος Græcè) cuius non ſunt ſimilia exempla in tota rerum natura, quę eſt in propoſitionib. de ſingulari vnione τῦ λόγυ, (ſapientiæ Patris) & carnis in Chriſto, Deus eſt Homo, Homo eſt Deus, Deus eſt conceptus de Maria, &c.

Singulare oppoſitũ cõmuni Græcis dicitur nonnunquã διαφορὸν, vt; Quicquid conuenit primò alicui διαφορᾷ, i. e. cõmuni nulli eius ſingulari repugnat, vt potentia ridendi primò conuenit homini; eadem igitur non repugnat Ciceroni, Catoni, &c. Etſi non omnes rideant. *Canon.*

Actio eſt eorum, & circa ea, quę ſunt καθέκαστα: hîc ſcil. & nunc quiddam, exiſtentia καθόλυ magis ad intelligentiam pertinet. Scholaſtici ſingulare diſtinguunt, vt ſit ſingulari vel actuali ſingularitate (i. e. in actu) vel aptitudine ad aliquid. SINVS.

Sinus in doctrina phyſica 1. eſt intra pectoris & brachiorum complexum. Valla lib. 4. c. 37. der Buſem. Sed Gre-

mium eſt inter complexum femorum, der Schoß.

2. Sinus oculorum anguli ſunt, è quibus erumpunt lachrymæ.
3. Sinus cordis ſunt duo cordis ventriculi, ſeu thalami, quorum alter dexter, alter ſiniſter. Dextero infixæ ſunt duæ venæ; Caua (canalis ſanguinis ab epate tranſmiſſi) & arterialis, ex corde oriens, qua in pulmonem vehitur ſanguis ſubtilior. In ſiniſtro (qui gignit ſpiritus vitales ex ſubtiliſſimo ſanguine è dextro ſinu eo exudante) naſcuntur duo canales grandiuſculi. Arteria aorta (omniũ arteriarum in toto corpore ſtipes) & arteria venoſa, quæ porrigitur in pulmonem.
4. In doctrina Geographica ſinus ſunt curua littora, quæ mare quaſi amplectuntur. Dicuntur etiam translatè à Poetis veſtium ſinus.

In Matheſi ſinus vulgò dicitur ſubtenſio ſeu chordæ ſemiſſis (id eſt, chorda dimidiata.) Chorda eſt linea recta, quæ duos arcus ſubtendit æquales. Hæc recta vocatur à Græcis ὑποτεινοῦσα, id eſt ſubtenſa, vel ſubtendens. Ac eadem, cum circuli circumferentia ſegmentũ circuli continet, quod per lineam rectã perpendiculare, in duo æqualia, ſeu duos arcus dimidiatos diuiditur.



A.B.C.D.E. linea circuli H. centrum circuli E.H.C. Diameter circuli A.G.H. linea perpendicularis, Diametro inſiſtens. E.H.C.D. ſemicirculus. F. G. B. chorda ſeu linea ſubtendens duos arcus. A.F.G. & A.B.G.F.G. & G.B. ſunt duo ſinus, quorum ille ſubtendit arcum F.A. hic arcum A.B.

Subtilius Philippus Lansbergius, & Thomas Finckius ſinum definiunt. Huic ſinus eſt recta à termino peripheriæ perpendicularis: illi recta linea in ſemicirculo, ab arcus termino perpendicularis.

Sinus autem Vocabulum in hac ſignificatione eſt barbarum. Eſt enim Arabicum multorum ſeculorum conſenſu in arte retentum.

Sinus eſt rectus vel verſus. Sinus rectus eſt, ſinus in Diametrum, per reliquum arcus terminũ ductam. Thom. Finck. vocat primum.

Sinus verſus eſt ſinus ab arcus termino altero, ad ſinum rectum perpendicularis. Quidam vocant ſagittam. Tho. Finck. vocat ſecundum.



1. Arcus y. u. ſinus primus eſt perpendicularis u. ſ. à termino vno. Verbi gratia u. in dia-

in diametrum i. y. ductam per alterũ terminum datæ peripheriæ. Sic arcus u. e. sinus primus seu rectus est recta u. t. ita arcus o. y. sinus primus est recta o. s.

2. Peripheriæ y. u. sinus versus (Thom. Finckius secundum vocat) est recta y. s. à termino y. in sinum primum seu rectum u. s. perpendicularis. Sic secundus arcus u. t. est recta, e. t. arcus u. y. a. est recta a. i. t.

Per synecdochen etiam generis pro specie sinus accipitur pro sinu recto. Sic Finckius. Hic sinus (scilicet primus seu rectus) semper intelligitur (ab artificibus) cum sinus simpliciter vocatur.

SOCIETAS.

Societas opponitur solitudini, vt socia vitæ Monasticæ. Scaliger. Societas est in narratione: in lectione est solitudo. Homo est animal sociale, non solitarium. In politica est cõtractus eorum, qui negotiantur vna, in quo alius pecuniam, alius operam seu laborem cõfert, ea conditione ac lege, vt vnicuiq; sua pars lucri & damni cedat, & neuter, vel solus lucrum, vel solus damnũ sentiat. Hinc regula societatis in Arithmetica.

SOLIDVM.

Solidum opponitur fluido & in Physicis, & Politicis. In Physicis, vt cum partes quædam corporis dicuntur solidæ, vt caro, quædam fluidæ, vt humores. In Politicis, vt cum res populi naturales fluidę dicuntur, maria, flumina, stagna: solida verò agri, prata, valles. Ponitur etiam pro toto seu integro.

Solidus quasi integer est aureus nummus, vt solidorum adulter, falscher Müntzer.

Solida proprietas, in qua est vsusfructus.

Solidum
- Habens tres dimensiones, στερεὸν.
- *Quod non est concauum*, vt globus solidus, non excauatus.
- *Integrum*, quod constat ex partibus homogeneis.
- *Perfectum*, vt solidè doctus.
- *Firmum*, minimè fluxum, quod firmæ est συστάσεως seu consistentiæ; ita opponitur ei liquidum.

Solidum corpus Latinis est, quod Græcis Medicis ἔνσαρκον, quod prouenit ex optima mixtione humidi cum sicco. Vide Zuing. in cap. 1. lib. 5. Ethic. Arist. Scaliger, iudicio Zuingeri, plurib. antiquorum præferendus, paucis comparandus. ex. 67.

Solidum, diceret sapiens, est, quod est sui plenum totum, non alieni. Ita aqua quoq; solida & aer, at aquam solidam nullus è populo diceret, tantò minus aerem.

SOLIDITAS.

1. Trina dimensio, vt terræ soliditas seu corporeitas.
2. Carentia concauitatis.
3. Integritas Totius homogenei.
4. Perfectio.
5. Firmitas corporis: ita opponitur ei liquiditas.

Solidari est confirmari. Sic dicimus: Solidamur in Fide miraculis, vel consensu Ecclesiæ.

SOLOECISMVS.

1. Solœcismus propriè Grammaticus, est oratio inconsequens seu vitium cõsecutionis. Aliud sunt ab eo solœcophanes, Barbarismus, & Barbaralexis. Nam Barbarismus est, cum verbum aliquod vitiosè profertur, aut scribitur, quod fit adiectione, detractione, immutatione, transpositione, literæ, syllabæ, temporis, toni, vel aspirationis. Barbaralexis est, peregrina dictio, vt bladũ pro frumento, recõpenso, pro compenso. Solœcophanes est, apparens solœcismus, τὸ δοκεῖν μὴ μετέχειν

σολοικισμὸς, μὴ μετέχον δὲ; Est compositio solœcismi similitudinem præferens, inquit Budæus: seu oratio ad solœcismum prope accedens. Quintilianus ait, quæ faciem solœcismi habent, sed non sunt vitiosa, vt Docete πάντα ἔθνη, baptizantes αὐτοὺς. Sunt & qui χυικώτερον solœcismũ accipiunt, pro syntaxi figurata, vt antiptosi. Enallage numeri, Hetereosi generis, &c. quæ alii ad solœcophanes referunt, seu solœcismum, qui certa ratione excusari potest, ὲ σωσόκεῖ μοι τοῦτο. Est & solœcismus logicus, vt Zoilus est vitium, pro vitiosus. Accidens enim de subiecto prædicari paronymicῶς docent logici. *Lib. 1. c. 10.*

Patres interdum dicũt, Christum assumpsisse totum hominem, vel verbum assumpsisse hominẽ. Fonseca ait, hanc ꝓpositionem esse figuratam, id est, impropriam & exponendam, vel ꝙ homo impropriè hîc sumatur pro humana natura, quæ sola formaliter, significetur hominis nomine, tametsi ꝑ modum per se subsistens; vel quod assumptio ponatur pro terminatione assumptionis, seu quod assumpsisse ponatur, per assumptionem terminasse, vt sententia sit, verbum terminauit assumptionem carnis, adhoc, vt esset homo, atq; adeò hic homo singularis. Secundum priorem igitur explicationem esset locutio Metonymica effectus formalis pro forma. Scaligero esset solœcismus logicus & philosphicus. Aliis prædicatio impropria concreti, pro abstracto.

Est & solœcismus Mathematicus, vt pseudographia, & Ethicus, cum quid prauè seu vitiosè agitur. Est & translatè solœcismus actionis Rhetoricæ seu oratoriæ, teste Quintiliano. Vitiũ censetur si gestus & sententia inter se pugnent, ac dissentiunt. Vnde Polemon sophista histrionẽ tragœdiarum, qui in Olympiis, ô Iupiter, pronunciaret, ostensa terra, *ô terra* manu in cœlum proiecta, submouit à præmiis (præsidebat enim ei certamini) dicens. Hic manu commisit solœcismum.

S O L V S.

Solus exclusiua particula accipitur, vel categorematicè vel syncategorematicè. Sumpta categorematicè absolutè significat solitudinem quandam subiecti, vt Deus est solus, pater est solus, id est, solitarius. *Vocant diuinam substantiam.*

Sumpta syncategorematicè significat χράσιν seu ordinem quendam subiecti ad prædicatum, vt Deus solus creat, id est, nullus alius à Deo, Deum in creando adiuuat.

Vsus in Theologia.

Deuteronomii 32. dicitur, Videte quod ego sum solus. Hîc solus accipitur me categorematicè, an syncategorematicè? Resp. sententia est ipsum esse solum verum Deum: Ita igitur accipitur ibi dictio solus syncategorematicè, id quod etiam patet ex adiunctis verbis. Et non est alius Deus præter me. Gregor. de Valentia. Fides iustificans, non quidem existit sola. (Hoc solum categorematicum est,) sed semper cohæret, seu coniuncta est cum bonis operib⁹; sed sola tamen iustificat, i.e. actum habet amplectendi meritum Christi. Hoc solum est syncategorematicum.

Solum pro solitario semoto ab hominib.

Ouidius.

Si quis amat loca sola, nocent, loca sola Caueto.

SOLVTVS, SOLVTIO.

Vox est Politica, Oratoria, Logica, Musica. Nam politici dicunt, solutum legibus. Solutum iureiurando (id est, absolutum) soluere legem, id est, abrogare, & solutionem, quæ tam ab obligatione, quàm à pecunia aut debito est. Sic Cic. 2. Offic. Fides nulla esse potest, nisi fiat solutio rerum creditarum. Ethicis risus solutus, qui ab iis in vitio ponitur, est cachinnus.

Oratoribus

Oratoribus, soluta oratio est, non astricta numeris, hoc est, libera, non alligata metris, qualis in sermone & epistolis est, sicut ait Quintilianus: Nonnullis etiam soluta oratio est, quæ à Græcis dicitur ἀσυνδέτους, cuius dictiones nulla copulatione coniunguntur, Musicis notæ solutæ opponuntur ligatis, quas vulgò vocant ligaturas. Galeno, prima solutio febris dicitur, vbi λύσις pro fine ponitur lib. 1. ad Glauconem. Physicis solutio animæ à corpore est separatio ab eo, vt supersites sit, itaque est mors corporalis. Logicis, solutio seu ἀνάλυσις est refutatio artificiosa obiectionum.

- Formam Reprehensione consequentiæ formalis.
  - Primaria, Ad Rem
    - Generalis, qua respondetur ad
      - Materiam
        - inficiatione,
        - distinctione,
        - instantia,
        - inuersione,
        - confessione.
      - Vtramque.
    - Specialis. Ostensione fallaciæ in dictione vel extra dictionem.
  - Hæc est
    - Secũdaria ad opponentem personam, quæ fit
      - Eleuatione seu extenuatione ἐξουθενισμῷ.
      - Retorsione
        - ὑποπλήξει, id est, increpatione.
        - ἀντεισαγωγῇ, id est, compensatione rei alterius priori oppositæ.
      - Digressione
        - Simplici παρεκβάσει, id est, excursione ad heterogenea.
        - Abductione dolosa à scopo vel statu controuersiæ, ἀποπλανήσει.

Hisce inseruit Δείνωσις.

Δεινώσει κατασκευάζειν ϗ ἀνασκευάζειν est pro rationibus & argumentis confirmantibus & refellentibus, & ea proferre quæ affectus mouent, & quæ ad amplificandum atque exaggerandum potius faciunt, quam ad probandum. Hæc δείνωσις Sophistis est familiaris vtentibus locis patheticis & μεταβάσει, ἐκβολαῖς & ἐπεμβολαῖς, id est, deflexione à proposito, digressionibus & variorum interiectionibus, vt vim argumentorum declinent, vt versuti homines.

- Solutio κατ'
  - ἔνστασιν, qua tollitur conclusio aduersarii inficiando.
  - ἀντιπαράστασιν, cum argumentum aduersarii cum simili vel pari absurdo comparamus. Fit sæpè concessione aliqua.
  - βίαιον ὅρον, qua conclusio Aduersarii in vsum conuertitur contrarium, illeque conuincitur illo ipso λόγῳ, quo maximè fretus nos erat adortus
  - Genus λύσεως ἰσχυρώτατον & νικητικώτατον.

Ex Hermogene de inuentione.

Exempla: προτάσις seu πεφάλαιον.

Est iudicandum de fratribus infirmiorib.

Enstasis.

Non est iudicandum de fratribus infirmioribus.

Antiparástasis.

Et si est iudicandum, non de fratribus infirmioribus iudicandum est, sed hoc potius, vt ne offendiculum ponas fratri.

πεφάλαιον.

Omnia mihi licent.

Antiparastasis.

Sed vt omnia tibi liceãt, si propter escam frater tuus tristitia afficitur, non iam ambulas ex caritate, vt omnia tibi liceant, ne esca tua illum perdito, pro quo Christus est mortuus. Vt omnia nobis liceant, ne bonum nostrum exponitor calumniis, vt omnia nobis liceant, quæ ad pacem faciunt, sectemur, & quæ ad mutuam ædificationẽ.

πεφάλαιον.

Omnia sunt pura.

ἀντιφάσασις.

Vt omnia sint pura, malum est tamen homini qui edit cum offendiculo.

Obiectio.

Firmus sum: valeant igitur infirmi.

Solutio κ᾽ βίαιον.

Fateor te firmum esse, vt certè laudo fidem tuam, sed interim infirmum debes tolerare, debes proximo infirmo ad eius ædificationem indulgere (eum assumere) ac non indulgere sibiipsi.

TABVLA DE REALI SOLVTIONE, ORDINEM TRACTATIONIS OSTENDENS.

- Peccatum in Ratiocinatione
  - Simplex in
    - Quæstione
      - Rebꝰ:
        - Aliena: Hîc
          - *Reiectione*
          - *Simplici cõcessione*
        - Multiplice: Hîc *Præcisione.*
      - Sumptionibꝰ. Hic vtimur
        - *Negatione*
          - Simplici, quæ dicitur *Inficiatio.* Huc pertinet
            - *Deductio ad absurdum.*
            - *Conuersio.*
            - *Obuersio.*
          - *Instantia* 1. modi.
        - *Concessione mista:*
          - *Anteisagoge:*
            - Instantia 2. modi:
              - *Reprobatione fiduciaria.*
              - *Antiparastasi.*
              - *Regestione* quadam in rem.
          - *Distinctione.* Hîc sæpè locus est *Restrictioni.*

    vtimur.

    FORMA. Hîc vtimur *Reprehensione Consecutionis*, quæ nonnunquam *Retorsione obiectionis* in opponentem ostenditur. Interdum etiam vtimur *Reprehensione Crypseos*, quæ est in confusione.
  - Multiplex in materia (hoc est rebus vel verbis) & forma simul. Hic vtimur Reprehensione
    - Formæ: *Negatione consequentiæ.*
    - & Materiæ:
      - *Inficiatione vel Instantia.*
      - *Distinctione rerum aut ambiguorum, ac explicatione obscurorum.*

Interdum

Interdum non rei, sed homini seu personæ respondetur. Sed hæc responsio non est obiecti solutio. Notari igitur sequens quoque tabella poterit veterum distinctionem continens.

- Vere: Realis: cum
  - Dicimus vitium esse in
    - Materia.
    - Forma.
    - Vtroq;.
  - Ostendimus specialius fallaciam
    - in λέξει.
    - extra λέξιν.
- Solutio
  - Eleuando obiectũ aduersarii velut nullius momenti: Eleuamus
    - ἐξασθενισμῷ, extenuatione.
    - ὑποκρίσει, gestu & pronunciatione.
  - Quasi: Personalis: quia elapsio potius est quam solutio. Elabimur
    - Regerendo aliquid
      - INCREPATIONE: cum dicimus, non decere personam aduersarii hoc obiicere nobis.
      - RELATIONE seu regestione paris: vt cum lutum luto purgatur, quod dicitur prouerb.
    - Digrediendo: cum disputantis mentẽ à scopo auocamus, velut declamando: vel alterius rei commemoratione obruimus.
      - παρεκβάσει: Excursu.
      - ἀποπλανήσει. Deductione ad alia à re nobis contraria.

      } Hanc quasi solutionem, vt sophisticam, minime omnium approbo.

Somnus.

Proprie in doctrina physica somnus generaliter est πάθος, & eiusmodi quidem, quod priuationem & ἀδυναμίαν quandam mouendi (quæ est ἀκινησία) ac sentiendi facultatis, ac quietem huius corpori infert, siue corpus alleuet, siue grauet. *Specialiter* de alleuante vel (comparate) de non tam grauante, aut debilitante, quam recreante, & alleuante dicitur. 2. Poetis est Deus huius quietis ea corpori σωτηρίαν afferens. Scribit Pausanias in Corinthiacis in vrbe quadam Peloponesi non longe à Templo Musarum, quod prope forum eius vrbis fuerit, aram consecratam à Vulcani filio Ardalo, qui & templum illud Musis dedicauerit, & tibiæ autor fuerit, in illa igitur ara Græcos sacrificasse Musis & Somno, quod dicerent nullum Numen esse amicius Musis somno. 3. Per translationem Platonicis etiam placida mors est, quam Poetæ etiam Christiani somni sororem vocant, vt quando tibi somni mors obeunda soror.
4. Theologis etiam somnus & vetternus quidam spiritualis est, & metaphoricus, quo peccatum quasi dormit, concus, quo conscientia consopita est, quo cessatur à bene agendo.

Cæterum de somno Physico Aristoteles vtitur his vocabulis πάθος, ϛέρησις, ἀδυναμία, ἀκινησία, δεσμὸς. πάθος somno tribuitur proprie (accipiendum autem vocabulum vt in categoria τῦ πάσχειν, id est, passionis, vsurpatur.) In dormiente enim ita sensus & motus principium afficitur, vt præstare corpori operam suam non possit, quod græcis est ἀδυνατεῖν. Ἀδυναμία est somnus, sed quorum? vsus sensuum & motus, καθ' ὁρμὴν seu voluntarii, quam adynamiam somnus insequitur, si non est somnus ipse. Hæc autem ἀδυναμία, ex qua somnus fit, peculiaris cuiusdam modi est ἀδυναμία, neq; cæterarum similis, quæ proprie perfectæq; ἀδυναμίαι appellantur. Quietem enim præstat naturæ, & hanc recreat. Neque ab Aristotele eo modo impotentia somnus appellari videtur, quod vigiliam, potentiam intelligi velit aut somnum qualitatem esse, sed quod somnus impotentiam sensum & motum suppedianti parti inferat.

Ἀκινησία dictus est somnus, quia ἀκινησίαν, id est, motus cessationem seu privationem infert, cum potentia motrix & sensitrix tum affecta quiescat. Iam quo modo ἀδυναμία & ἀκινησία, eodem ϛέρησιν enim appellari manifestum est. Nam etsi vigiliæ seu ἐγρηγόρσεως, in qua sensus & motus vigent, & impotentia huius δυνάμεως, & ἀκινησία cessat, priuatio fit: per se tamen exquisita consideratione, non est talis priuatio, qualis vitæ mors est, aut visus cæcitas, aut vmbra lucis, quæ id, cuius sunt priuatio, quod non fit in somno. In somno enim sensus motus & facultas manet, sed ἐνέργεια tantum seu actus intercipitur, & cum sint eiusdem, vt loquuntur subiecti sensus, vigilia & somnus: Vigilia tamen & somnus non ita vt sentire & non sentire opponuntur, id est, ἁπλῶς, sed κατά τι. Itaque Aristoteles cautius etiam ὡς ϛέρησιν, & ἐγρηγόρσεως ϛέρησιν nominat.

Ἀναπαύσεως autem, seu quietis vel somni naturæ conueniens est, cum quidem in eo vel rigatio, vel obturatio cerebri & neruorum, quæ refrigerantur, quietem inducat κινήσεως, καθ' ὁρμὴν, & liberi & sensus communis, quam cæterorum etiam sensuum quies sequitur inprimis Tactus. Et somnum esse quietem magis sensus & motus, quam δεσμὸν vt Aristoteles etiam nominat, arguunt & somnia in interioribus, & quod sensibus exterioribus omnibus, excepto visu aliquo modo etiam vti possunt dormientes, & iactare corpus, omnes alioqui etiam prorsus ingredi. Cum igitur in somno appareant, sensuum reliquiæ quædam δεσμὸς seu vinculum eorum est κατά τι tantum.

Porro somnus πάθος est primi sensorii. Id pacitur (πάσχει) hic seu afficitur nempe cor Aristoteli, quod & κοινὸν & κύριον ἀρχτικὸν nominat, sed nerui nihil à se præstare possunt, nisi vita eis à corde suppeditetur. Cor tamen non sensus & motus, sed vitæ penus est, & cerebrum vbi vitam concepit tum à se motum & sensum, per nertuos, qui ab ipso oriuntur corpori præstat vt causa proxima seu immediata, cum cor non aliter quam quod vitam cerebro sicut & vniuerso corpori submittit, causa harum in cerebro affectionum fiat & dici possit, atque ita vt mediata causa. Cor etiam in somno minime ita affici in actione humenta manifesta sunt, neque vlla ei quies, à Spiritus & vitæ subministratione in corpore recte valente esse aut concedi potest. Quare sic concludamus cum iis, qui hic ab Aristotele discessionem faciunt.

Si sensus & motus in somno quiescunt, neces-

neceſſe eſt eam partem affici, ſeu affectam eſſe, quæ hæc corpori præ cæteris ſuppeditat. Sed verum prius: verum igitur & poſterius. Suppeditat autem corpori ſenſum & motum præ cæteris partibus cerebrum. Ergo primo cerebrum in ſomno affici neceſſe eſt, Zabarella hic acute diſputat pro Ariſtotele, ſed hoc alterius eſt loci & conſiderationis. Itaque non videtur faciendum, vt hic à me diſputetur ſpinoſius & operoſius.

Somnus
- Naturalis, qui fit naturaliter, & ſub noctem, (cum dies ad ſomnum non ſit à natura ordinatus, deſtinatusq;) ex naturalibus refrigerationibus.
- παρὰ φύσιν & violentus, qui fit præter naturam, vt diurnus vulgaris. Excipitur enim diurnus, tum is, qui ex vigiliis contrahitur, tum is qui eſt ægrotorum, & puerorum, quibus ſc. per inualetudinem & ætatem ac cerebri humiditatem neceſſitas huius affertur. Somnus autem παρὰ φύσιν eſt ex videntis refrigerationibus & humectationibus, quæ fiunt 1. Vel à medicamentis aut cibis frigidis. 2. Vel ab halituoſis, id eſt, copioſis vel nimios halitus gignentibus (ſic vinum forte ſoporiferum eſt.) 3. Vel à laboribus. 4. Vel aere externo, frigido. 5. Vel morbis humidis & frigidis, quibus humoris in cerebro copia gignitur, vt ſunt lethargus & carus. 6. Vel à venenis.

SOMNIVM.

Somnium fit in ſenſu communi.

Somnium ἐνύπνιον accipitur proprie vel improprie. Proprie & phyſice, pro viſo ſeu apparitione φανταστικῇ facta in ſomno improprie, pro nugis vel opinione falſa per metaphoram, vt nugæ hæ ſunt ſomniaq; delirantium, ait Scaliger.

Somnium proprie dictum
- Ordinarium
  - Vulgare ſeu commune, phyſicum ortum ex principiis
    - Externis
    - Internis
  - Proprium aliquibus. Præſagiens.
- Extraordinarium
  - θεῖον diuinum, θεόπεμπτον immiſſum à Deo
    - Mediate per bonos angelos.
    - Immediate.
  - Diabolicum Δαιμονιόπεμπτον.

Thomas Bricot. in lib. Ariſtotelis de ſomno & vigilia. Terminum ſomnii phyſice acceptum ait capi dupliciter. Primo modo laxe pro actuali cognitione, non intellectiua, de ſignificato materiali, facta in ſomnio, ſiue ea cognitio ſit de ſenſilibus ſub præſenti tempore, ſiue ſub præterito. Ita ſomnium ſub ſe comprehendit actum memorandi, qui in ſomno fit. Altero modo pro actuali cognitione, quæ fit in ſomno mediante ſpecie reſeruata in phantaſia repræſentante Res ſub differentia temporis præſentis: Ita ſomnium eſt paſſio ſenſus communis, qua phantaſticus.

Somnia { Turbida, confusa, obscuriora, vt ebriorum & ægrotorum.
Lucidiora, translucida, explanatiora sacrorum & sobriorum.

Dist. è qualitatibus phantasmatum seu visorum.

Physica somnia sunt vel δηλωτικὰ παρόντων, id est, ostendunt, seu indicant, arguuntve res præsentes; vel μνημονευτικὰ προγεγονότων in memoriam reuocant iam præterita. Posterioris generis sunt, cum reliquiæ earum rerum agitantur, de quibus vigilantes aut cogitauimus aut egimus. Itaq; oriuntur ab externa causa prioris, cum temperamenta affectionesue corporum, aut partium aliquarum, vel humorum redundantiæ, & agitationes aut cõfluxus & decubitus, in membra sensu prædita phantasmata in cerebro commouent. Itaque oriuntur ab interno principio, quo fit vt somnia bilioforum sunt incendia caloris flaui, volatus, rixę, pugnæ, Melancholicorum caligines, atri fumi, oberrationes, nocturnæque vagationes, per solitaria loca, spectra, tetræ species, phlegmaticorum balnea, mersiones in aquam, nauigationes, onera grauantia, & impedientia incessum: sanguineorum, læta conuiuia, chorearum complexus, rutila, Amantium complexus eorum, quos amant, amicæ & blandæ collocutionea, sitientem haustus vini vel cereuisiæ.

Quibus affecta sunt vel obstructa posteriora cerebri humore viscido, velut premi se ac strangulari imaginantur in somno. Morbus hic vocatur incubus seu Ephialtes.

Quibus osculum ventriculi confertum est vitiosis humoribus, ex ascensu venenatorum halituum cerebrum affi-cientium, tetris vexantur somniis, & terrentur mustatis pauoribus. Peucerus de somniis in comment. de diuinat.

Diuinitus immissa sunt vel θεωρηματικὰ seu ἐναργῆ & explicata (vt interpretatione indigeant:) vel allegorica, id est, implicata ambagibus, seu αἰνιγματώδη & obscura.

Diabolica autem sunt, σημαντικὰ præmonentia eliquid. Atq; hæc solent esse ἀμφίβολα & ὀνείρατα, id est, ambigua & perplexa: aliquando tamen vera, id est, vere futura designantia. Vel sunt ἀσήμαντα significationis expertia, quæ struuntur à Diabolo, ad ludificandos ipsi mancipatos ministros, vt cum veneficæ somniant, se in cœlum beatorum euehi, aut versari in ornatissimis aruis. Hæc somnia falsa sunt.

Eodẽ fere recidit hæc distinctio.

Somnia
- Naturalia seu physica à causis internis vel externis,
  - Vulgaria quæ nihil futuri significant, sed possunt aliquid rei præsentis in corpore, vel de temperamento significare.
  - Præsaga.
- Non naturalia
  - Diuina μαντικὰ quæ voluntatem Dei, vel res futuras significant.
  - Diabolica, quibus Diabolus ludit, & decipit homines.

Fatidica
- ἐνυπνιώδη quæ directe pingunt, seu significant, quæ etiam quiuis iudicare potest.
- φασματικὰ quæ oblique, per imagines φάσματα ἢ φαντάσματα, visa, & ænigmatica, futura denunciant.

Explica-

Explicatio.

Εὐθυόνειρα) Quædam recte & diſertè repræſentant vel nunciant futura, quæ Deus vult, vt cum Deus miſſo angelo Ioſepho nunciat, quid faciendum ſit, ne à tyranno interficiatur. Hoc ſomnium proprie non eſt φάσμα aut φαντασία inane aut vanum. Quædam oſferuntur non directe, ſed per imagines; Talia ſunt Ioſephi & Danielis ſomnia.

Diabolica) Tale fuit eius, qui ſomniauerat ſe inuenire theſaurum in agro effoſſum, & ne aberraret à loco, iuſſus erat, eum locum ſignare proprio excremento, euigilans vero auroque inhians, lectum inquinauerat.

SONANS.

1. Sono affectum. 2. Sonum efficiens. Corpora, quæ edunt ſonum, ſic ſonantia dicũtur, id eſt, ſonum efficientia. Sonorum eſt, quod aptum eſt ad excitandum prolixiorem ſonum, vt metalla quędam. Greece ἠχώδες, quod etiam ſignificat reſonabile. Ouid. 3. Metam. Nec prior ipſa loqui didicit reſonabilis echo, id eſt cuius natura eſt reſonare.

SONVS.

Sonum Stoici dicunt eſſe aerem laceratum, ſed prædicatione impropria: eſt enim ſenſile & ſentiri aptum.

Sonus in muſica eſt quo cantus concinitur. Rectius, eſt qualitas ſenſilis per auditum. Eſtque idem vel diuerſus. Idem eſt in notis, eadem ſyſtematis ſede iunctis; dictus eſt vniſonus. Diuerſus eſt in notis aliquo interuallo diſtantibus variatus.

Diſtantia eſt ſonorum variatio articulata vocis intentione, & remiſſione (Græci dicunt ἄρσει καὶ θέσει) conſtans: Alias interuallum.

Intentio vocis, eſt vnius ſoni ſupra alterum ſublatio. Remiſſio vocis eſt vnius ſoni infra alterum depreſſio. Sonus diuerſus eſt primus, vel deductus inde. Primus eſt ſonorum minimo interuallo diſtantium. Dicitur comma ſeu inciſio, quod eo ſoni incidantur.

Deducti è primis duo ſunt genera.

Primum eſt ſoni immediate deducti. Is eſt vel ſimplex, vel compoſitus.

Simplex eſt ſonus conſtans è ſolis commatis: dicitur Semitonus, eſtque quoties Mi Fa vel natiua vel aliena ſede canendum eſt.



Eſtq; minor vel maior. Minor eſt qui fere quatuor cõmata cõplectitur. Dicitur ſemitonus minor, eſtque in notis per voces Mi Fa mollius edendis. Maior eſt qui fere quinq; commata complectitur. Dictus ſemitonus maior. Eſtq; notis in eadem ſyſtematis ſede per voces Mi Fa modulandis.



Sonus immediate cõpoſitus eſt TONVS qui fere nouem commatis circũſcriptus, vtriusque ſemitonium complectitur. Eſtque in omni interuallo contiguo, excepto eo, quod vocibus Mi Fa contiguus editur.

Secundum genus ſoni deducti à primis eſt ſoni mediate deducti, vt primo ſonus quartæ, & quintæ.

Sonus quartæ eſt, qui ſemitonij maioris & duorum tonorum extremitate, circũſcriptus in interuallo quartę editur.



Sonus quintæ est, qui semitonij & trium tonorum extremitate circumscriptus in interuallo quintæ editur.



Secundo sonus tertiæ & sextæ. Vterq; est minor vel maior. Minor est, qui extremitate semitonij, & toni circumscriptus, tertiæ imperfectæ, sonus vulgo dicitur.



Maior est, qui extremitate duorũ tonorũ circumscriptus, tertiæ perfectæ sonus dicitur. Sonus sextæ, est in interuallo sextæ.



Minor sonus sextæ est, qui duorum semitonorum, & trium tonorum extremitate circumscriptus, sextæ imperfectæ sonus dicitur.



Maior sextæ sonus est, qui semitonij, & quatuor tonorum extremitate circumscriptus sonus sextæ perfectæ dicitur.



Tertio sonus octauæ.

- Sonus
  - Idem
  - Diuersus
    - Primus πρῶτος
    - Deductus
      - Immediatus
        - Simplex semitonus
          - maior
          - minor
        - Compositus Tonus.
      - Mediatus
        - Tertiæ.
        - Quartæ
        - Quintæ
        - Sextæ
        - Octauæ.

Soritici

Soritici versus.

Soritici & quasi catenati versus dicuntur, qui fiunt, vel facti sunt, ad imitationem soritæ logici (vt quo propositiones gradatim accumulantur) qui est syllogismus, cum pro syllogismis complicatus, in quo plures præmissę quam duæ, eo ordine connectuntur, vt prædicatum præcedentis sit subiectum sequentis, vnde conclusio infertur, in qua prædicatum vltimæ præmissæ attribuitur subiecto, primę præmissæ. Latinis dicitur argumentatio Generalis & quasi Catenata.

Eiusmodi est hoc distichon.

Puluis & vmbra sumus; puluis nihil est, nisi fumus; At nihil est fumus: Nos nihil ergo sumus. Sorites quatuor propositionum.

Spatium.

Spatium est alijs interuallum finitum, in quo aliquid est, vel esse potest. Estque loci vel temporis. Alijs spatium est capedo, seu interuallum vel finitum, vel infinitum, & vtrumque quidem, vel successiuum, vel extensiuum.

Infinitum successiuum, quod ab æterno fuit, & in æternum erit; Infinitum seu immensum extensiuum, quod respectu nostri in omnem partem infinite extenditur sursum, deorsum, & in cæteras loci differentias. Hæc spatia eis non sunt fictitia, sed vera, idest, eiusmodi, vt absque operatione intellectus dentur, & necessaria, quod sine iis nec motus, nec locus physicus esse possit, id est, quod sine spatio successiuo motus, sine spatio extensiuo locus dari nequeat. Non tamen capacites, motuũ quidẽ, quo ad successionẽ, corporum vero quo ad extensionem.

Quomodo concilias hæc; Spatium, extensiuum infinitum est imaginarium: & spatium hoc est verum, non imaginarium, non fictitium? R. sic: Verum est, quia non pendet ex nostra imaginatione, quasi nullum sit, nisi cum nos illud fingimus, sed vere & corporibus occupatur, & extra cœlum infinite in omnem partem distensum, est, nec aliqua coarctatur: Imaginarium autem est καθ' ἄλλο, quia non est realis & vera quantitas, sed imaginaria & ficta. Non enim est verum Ens, quia nec creatum est; nec increatum Ens, nec est substantia, nec accidens, quãtitas autem vera, Ens est verum & quidem accidens. Adde, quod quantitas realis inhæret subiecto; spatium hoc non. Et si hoc spatium esset realis quantitas, esset quantitas trinæ dimensionis, id est corpus in Categoria quantitatis: sed non hoc: Est, enim hoc spatium (extensum) Aptitudo quædam ad capiendam quantitatem trinæ dimensionis: non igitur est realis quantitas. De vero spatio illo opinionem scito esse Augustini lib. 11. de ciuit. Dei. P. Fonsecæ in comment. in 5. Metaphys. Aristotelis: Conradi Vorstij Theologi, qui, præter, inquit, creatorem aliquid est increatum, ipsi Deo coæternum, nempe immensum spatium seu immensa regio, &c. Et Bernardi Sasignaci Burdogalensis in explic. Dialecticæ Rami, ad locum de subiecto loco.

Sed hisce obijcitur. Reperistis ergo aliquid quod nec creator sit, nec creatura. Ergo falsus Philo, qui scripsit πρὸ γενέσεως οὐκ ἦν τὶ σὺν τῷ θεῷ, id est ante creationem non erat cum Deo quicquam, laudante Matthæo Slado contra Cunrad. Vorst. Ad hanc obiectionem responderet Fonseca distinctione & explicatione vocis ambiguæ aliquid, vel quicquam. Aliquid interdum est idem, quod verum Ens, seu vera res; ita Trinitati coæternum aliquid non est, ita non datur spatium hoc (de quo hic agitur) vt quod neque creator sit, neque creatum. Interdum late accipitur etiam pro eo, quod non est prorsus nihil, vt pro rei capacitate ita datur spatium hoc, vt neque sit na-

tura creans, nec res creata, & tamen non sit nihil omnino, vel purum putum figmentum, ac ita aliquid Trinitati coæternum esse dicere quidam non verentur è philosophis & Theologis.

Obseruasis, quo hæc sententia quodammodo fulcitur, quod Fonseca statuit, Connexiones etiam rerum, per se nec esse res veras, nec item commentitias, sed tantum rerum identitates, pure negatiuas (lib. 5. in Metaph. Aristotelis cap. 5. quæst. 2. pag. 259.) proindeque non mirum esse, si nec sint res creatæ, nec increatæ: per res veras intellige Res vere existentes in rerum natura. Quid plura? concluſum hoc sit: Spatium Inane non est verum Ens, sed capedo quædam corporum, sed quid corporum capedo? nihil aliud, quam repugnantiæ negatio ad capienda corpora.

Quid res veræ?

Ex Fonsecæ sententia.

SPECIES, εἶδος.

Species sumitur primo pro forma externa rei. Sic Christus cum transfiguratus est in monte, speciem permutauit splendore, id est externam formam seu speciem.

2. Pro pulchritudine, vnde res specioſa dicitur id est formosa.

3. Pro imagine vel mente concepta, vt 1. de anima cap. 12. vel picta sculptaue ab artifice, siue sit inanis, siue veram rem repræsentet seu exprimat.

4. Pro forma interna rei.

5. Pro rei essentia, vt in Physicis.

6. Pro Toto essentia constante singulari & indiuiduo. Sic Indiuidua Arist. 1. poster. Analyt. vocat ἔσχατα εἴδη, id est, formas seu naturas plene & vltimo definitas, ita vt amplius restringi non possint.

7. Pro Idea pseudoplatonica, vt, valeant Ideæ: sunt enim λεγόμενα.

8. Pro notione Logica, per quam à nobis concipitur res vniuersalis alteri magis vniuersali subiecta. Ita est essentiale quid κατηγορούμενον ὑπὸ τὸ γένος, subordinatum generi. Estq; perfecta generis perfecti: vel Imperfecta, generis imperfecti. Item alia est subalterna, quæ sic est species superioris, vt simul sit Genus Inferiorum: Alia specialissima seu Infima, quæ tantum est species. Sed species infima etiam genus quandoque dicitur generalissima & populari quadam significatione, vt B. Keckermei hoc sequuntur. Vltimo Aristoteles etiam species seu εἴδη vocat quicquid est sine materia, primo posteriorum Analyt. text. 101. ait, Mathematicum versari circa εἴδη, circa formas. Ita species sensiles etiam 3. de anima formæ dicuntur. Sunt enim sine materia.

Distinctiones variæ sequuntur.

- Species
  - Realis, quæ ex materia, & materia ipsi aduentante forma composita est.
  - In mente, quæ repræsentat speciem, vt loquuntur realem, id est, externam.

Scaligero vna fit species in mente, ex vtroque simul iuncto, genere & differentia.

Species & effigies differunt, vt φυσικὸν & τεχνικὸν, species est naturalis imago, imago eius quod repręsentat.

Effigies est artificiosa imago eius, quod repræsentat, dicitur sæpe imago absolute (sine ἐπιθέτῳ. Etsi inter εἶδος & μορφὴν (speciem & formam) apud Græcos nulla fere sit differentia, tamen nonnunquam inter ea est differentia

rentia apud Latinos teſte Vito Amerbachio in lib. 2. de natur. philoſophia. Homo generat hominem ſecundum ſpeciem, & non ſecundum formam, id eſt, non transfundit, ſuam formam in aliam, nec retinendo ſimul eam, (ſicut fieri in diuina generatione dicunt Scholaſtici) nec amittendo: ſed hic homo hunc hominem efficit, qui ſunt iidem ſpecie (non numero.)

Species intelligibilis.

Species intelligibilis eſt, 1. Imago rei intelligendæ (vt obiecti.)
2. Concurrit cum intellectu, ad eliciendam intellectionem, vt principium, ſeu ratio intelligendi.
3. Inhæret intellectui, vt accidens.

Species
- Impreſſa (intellectui) intelligibilis.
- Expreſſa conceptus formalis, ſeu verbum mentis, hoc eſt terminus intellectionis qui eſt qualitas: at ipſa intellectio eſt actio: Vtraque repræſentat rem intellectam.
  - Intuitiua, clara.
  - Abſtractiua, hæc efficienter concurrit ad intellectionem.

Conceptus) eſt quaſi vitalis quædam imago rei intellectæ: cum intelligere nihil aliud ſit, quam vitaliter efformare, ſeu exprimere imaginem rei intellectæ.

Scoto alia eſt ſpecies inhærens, alia illapſa lib. 1. diſtinct. 3.

Perfecta notitia veritatis eſt, cum duæ ſpecies exemplares concurrunt in mente, vna inhærens, ſcilicet cauſata; altera illapſa, ſcilicet non cauſata in mente lucendo. Vide vocabulum exemplar. Species νοητὰ & actus intelligendi, & ſcientia ſunt in intellectu ſubiectiue, id eſt, vt in ſubiecto. Quod offertur intellectui, (Ens reale, Ens rationis, priuationes, negationes) eſt in intellectu obiectiue, vnde obiecta intelligibilia dicuntur. Ens rationis proprie dictum, eſt in intellectu conſecutiue. Auicenna. 1. Metaphyſ. cap. 6. laudante Paulo Scalig. lib. 3. epiſt. Cath.

Species intelligibiles ſunt vel vagæ, vt noſtræ, vel perpetuo nexæ, vt angelicæ. Sic Paulus Scaliger. Species Angelicæ menti indiuidua copula, non vt humano intellectui accidit, vaga & trãslatitia, ſed perpetuis nexibus vniuntur. Concl. 210. de mundo intellectuali.

Ἀλλως.

Species primum ſignificat notionem: eſtq; ſimplex, vt Deus, vel συμπεπλεγμένη (Complexa) id eſt, complexio notionum, vt Deus eſt bonus. Scalig. ex. 307. In intellectu meo eſt hæc ſpecies, Deus eſt bonus.

Secundo ſignificat rem, cuius eſt forma, principium nimirum internum, & eſſentiale rei.

Tertio Ideam eſſentialem, ſeu formam ac perfectionem ſubſtantiarum, vt cum Platonici dicunt εἶδος πράγματος.

Quarto externam formam, vt ſpecies argumenti pulcra. Rationis ſpecies falſa. Sic Scaliger ſpecies logica interdum dicitur idea. Sunt quædam homonyma, quorum ſignificata inter ſe differunt, καθ' ἰδέαν, id eſt, tota ſpecie & eſſentialiter. 5. Ethic. cap. 2.

Species quæ apprehenditur, dicitur eſſe effectrix effectus, id eſt, notio ſeu repræſentatio.

Species in Grammatica accipitur pro affe-

ctione seu accidente vocum communi, qua disquiritur primane sit vox, an deriuata? Vnde vox primitiua vulgo & deriuatiua dicitur, vt cum dicitur clamo est primitiuæ speciei, clamito deriuatiuæ.

Sed in Dialectica pro parte subiecta generi, vt cum dicitur Enallage vocis est, cum vna species vocis pro altera ponitur, vt verbum pro nomine, cum vox dicitur genus, nomen species vocis.

Vsus.

In Grammaticis diuiditur notatio in speciem & figuram. Notatio speciem sub se habet, vt species accipitur grammatice, quæ species accidentalis est, sed non habet sub se, seu non continet speciem, vt species accipitur logice, quæ species essentialis est. Nomen enim, quæ vocis species est, non est notatio.

Species dicuntur, quæ manant ab accidentibus vt species ab albedine. Species (lumen) à luce. Species sunt rerum notæ primæ, vt oratio est earum notionum nota.

Species seu formæ Intentionales.

Thomas docet sensationem fieri per receptionem formarum, seu specierum intentionalium obiecti. Species autem intentionales obiectorum, dicuntur formæ eorum sine materia (vt signum quod recipit cera annuli sine ferro, & auro) quia non sunt naturales eorum formæ, sed eam tantū vim habent, vt vice eorum, vna cum potentia efficiant sensationem, quo ipso concipiuntur & habentur pro ipsis formis obiectorum. Opponitur igitur speciebus realibus.

Species coloris purioris & defecatioris naturæ sunt, quam color.

Specificatiua Prop.

Propositio specificatiua Scholasticis est, in qua explicatur in qua significatione subiectum accipiatur, vt illi prædicatum attribuatur. Seu in qua est dictio, qua subiectum denotatur specificari. Sic enim dicta est à dictione Quatenus vel secundum quod καθ' ὅ specificatiue accepta, hoc est ita vt determinet rationem, & significationem subiecti, secundum quam conueniat ei prædicatum: vt cum dicitur homo significat personam quatenus subsistit in natura humana. Dico diserte. Quatenus specificatiue accepto; Quia quatenus etiam sæpe reduplicatiue accipitur, vt significet aliquid, quod subiecto conuenit esse causam prædicati. Vt cum dico: Homo qua rationalis est disciplinæ capax; vel adhibeatur ad repetitionem subiecti: vt homo qua homo est animal rationale. Ἀναδίπλωσις hæc dicitur reduplicatio seu repetitio eiusdem vocis.

Propositio cum specificatione opponitur simplici & sine specificatione, vt simplex: Maria est vera Mater Dei: cum specificatione est: Maria est vera Mater Dei secundum assumptam naturam.

Specificatio
- Naturalis, E Materia & Forma.
- Transnaturalis, E genere & differentia.
- 1. Speciei effectio εἰδοποίησις
  - Propria
  - Artificiosa ex Materia facta
    - Aliena huius species est
      - Reducibilis ad priorem & rudem materiam.
      - Non reducibilis
    - Partim sua seu propria, partim aliena lib. 2. Instit. Titul. 1. de rer. diuision.
- 2. SPECIES ACTVS: seu *Denominationis specificæ* consecutio seu sortitio.
- 3. *Quæstionis à genere* ad speciem abductio, theseως ad hypothesin traductio seu translatio, (cui opponitur hypotheseως ad thesin reuocatio) vt per specialia generalium declaratio. (Sic Barbaris exemplificatio est definitionis, sententiæ, regulæ per exempla expositio.)
- 4. *Vnius è pluribus electio.* In discipl. pract. Scholastic.

Libertas, qua electionem respicit, cõtrarietatis à Scholasticis dicitur specificationis, cũ ex duobus vel pluribus propositum vnum libere eligitur. Ei opponitur Libertas contradictionis, quę à Scholasticis vocatur libertas Exercitij: cum vno tantum proposito illud vel eligitur vel repudiatur. In disputatione de Libero arbitrio & vitibus humanis magnum vsum habet distinctio hæc. Voluntas ἀδιαπρίτως, id est indifferẽter cõparata ad vtrunq; oppositorum. Libertas specificationis seu contrarietatis est voluntas qua potis est agere vel non agere, hoc libertas exercitij seu cõtradictionis. An eiusmodi libertatẽ adhuc habeam⁹, quæritur.

Explicatio.

Propria) vt si quis ex suis vuis vinum fecerit. Aliena si quis ex alieno auro vas aliquod fecerit, vel ex alieno vino & melle mulsum miscuerit.

Reducibilis) vt vas cõflatum potest ad rudem materiam auri reduci.

Non reducibilis) vinum ad vuas reuerti nequit, mulsum ad vinum, & mel resolui non potest. Partim sua, partim aliena) vt si quis ex suis & alienis medicamentis Emplastrum aut collyrium composuerit. *Species autem fit ex materia eiusdem generis, vel ex diuersis materiis, vt electrum* ex auro & argento. Diuersę enim substantiæ res confusæ nouam etiam speciem efficiunt.

Specificari.

Est denominationẽ specificã sortiri, dem Kindt einen Nahmen geben: Motus & mutatio specificantur, id est, denominationẽ specificã nanciscuntur, seu accipiunt à termino. Robertus Linconiensis specificatũ opponit talificato (à qua voce abhorreo vt Barbara, & minus vsitata.) verba eius sunt, corpus.n. vnde corpus est quãtũ, ad quod proxime sequitur figuratũ, & huic proximũ corp⁹ aliqua forma naturali specificatũ & cõsequẽter accidentib. speciei cõueniẽtb. talificatũ (id est tale redditũ) ad q̃ sequitur q̃ sit quãtũ quãtitate determinata pfecta, cõueniẽte speciei secũ-

dum tres dimensiones. In mysticæ Theologiæ Dionysij expositione.

Specimen.

Specimen proprie est paruum illud quod mercatores merces maiores venditurі Emptoribus ostendere solent, vt ex eo cernere & iudicare possint, quales sint merces. Fieri id maxime solet in venditione frumenti, vulgus vocat probam.

Deinde pro exemplo, indicio, facto laudabili, probatione & δοκίμασία ponitur, vt Scæuola, temperantiæ & prudentiæ Specimen, id est, exemplum. Tu qua in re specimen cæteris aliquod dedisti, id est, aliquid laudabile. Cicero sic specimen imitationis aliorum optimorum quorumque dicuntur.

SPECVLVM
ex Opticis.

Speculum in Optica seu Catoptrica est densi & opaci corporis superficies polita. Talia igitur sunt, quæ fiunt è chalybe, item è vitro subducto plumbo. Item è quibusdam lapidibus non vehementer coloratis. Tale speculum est immobilis aqua, præsertim cum vmbra in eam incidit. Tum enim rerum species ita remittit, tanquam vmbra illa pro plumbo subduceretur. Vnde Virgilianus Pastor Eclog. 2.

——— *Nuper me in litrore vidi,*
Cum placidume ventis staret mare. —

Tale speculum Tyberis est Æneid. 8. Syluosa sua littora inter nauigandum repræsentans Troianis;

Qui longo superant flexus variisque reguntur,
Arboribus, viridesq; secant placido aquore syluas.

Secare enim syluas hic est Tyberim syluarum suarum speculum secare, Metonymica locutione. Specula denique naturalia sunt Luna & omnes stellæ sphærica conuexa: Sed specula Solis tantum lucem eius ex superficiebus suis ad nos mittentia.

Quales Quamdiu Tyberis ipse secum syluas



Explicatio.

Irregulare speculum concauum insigne est, quod parabolicum dicitur (à παραβολὴ) cuius gibbum fit helice conica, quæ parabole dicitur circa suum axem conuersa: in quo speculo omnes omnino radij paralleli incidentes reflectuntur ad vnum punctum, ignem ibi vehementissimum gignentes.

Ex Aristotele.

Specula aliquando non colores solum, sed & imagines & figuras ostendunt: Alia autem colores tantum; Et hæc sunt parua, ac nullam habent sensibilem diuisionem. 3. Meteor.

Ex Alb. Mag.

Speculum duobus modis sumitur. 1. est quod

quod habet naturam ſpeculi, vt eſt, ſplẽdidum, terſum, aliquo modo ſpiſſum, tenens ea, quæ ipſi imprimuntur, licet ſit peruium. Hoc apparet in aere & aqua. 2. eſt, quod omnes proprietates habet ſpeculi terminati, quod diſtincte reflectit imaginem ipſum intuentem. Ita nec aer, nec aqua ſunt ſpeculum.

Hic corporum figuræ ſeu imagines dicuntur ſimulacra. Iacob. Carpentar. in Alcin. Platon.

Specularis Lapis.

Specularem lapidem Plinius vitri modo pellucidum facile in quamlibet tenues cruſtas findi ait. Specularia ſeu ſpeculares lapides materia quædam lucida erant & inſtar aeris transparens, inquit Baſil. Magnus. Specularia dicta ſunt, quibus lumen & Sol in ædes admittebatur ſeu transfundebatur vt hodie per vitreamina & chartacea, ſic dicta, quod ex ſpeculari lapide eſſent confecta, ait Henricus Salmuth in notis ad rerum memorabilium, &c. Guidon. Pancirolli Iuriſc.

Specularij in iure dicuntur, qui feneſtris ſpecularia ad arcendum hyeme frigus componunt l. 2. C. de excuſ. artif. li. 10.

Barbari lapidem ſpecularem vocant lapidem ſpeculeum, qui perſpicuus eſt vt vitrum, Alb. Mag.

SPHÆRA GLOBVS.

In Scholis philoſophicis accipitur Sphæra proprie & improprie.

- Sphæra
  - Naturalis
    - Cœleſtis ſeu ſtellifera.
    - Terreſtris ſeu Terrena.
  - Mundana
  - Artificioſa
    - Solida
      - Aſtrographica.
      - Geographica.
    - Excauata, Armillaris, Geometrica.

Extat edita anno ſeruatoris 1600. Sphæra ſtellifera, in qua vt ſpeculo quodam firmamenti, vniuerſum ſiderum ornatum ac ſtellarum ordinem, ſumma qua fieri potuit diligentia, & induſtria à Gulielmo Iariſſonio, magni Tychonis quodam diſcipulo accuratiſſime artificioſiſſimeque diſpoſitum earumque numerum multo quam hactenus auctiorem ex obſeruationibus, recens à Nobili viro D. Tychone Brahe Aſtronomo incomparabili habitis, intueri liceat Solida (Græce στερεὰ: Armillaris) Græce *κρικοτὴς*, Proclus in hypotypoſi Aſtron. hypotheſe*ων*) id eſt diſtinctis circulis conſpicua. Effigies certarum Sphæræ partium dicitur à Thoma Finckio.

2. *In Geometria Sphæra eſt rotundum ſolidum ſeu corpus à Spharico, ſeu à ſuperficie Spharica (vt termino ſeu perimetro) comprehen-ſum.* Verum Rotundum dici rotundius eſt, dicit ille, ore rotundo. Geometræ illam fieri & quaſi generari dicent conuerſione ſemicirculi manente Diametro, vt baſi eius, nimirum ſi concipias ſpatium illud, quod in conuerſione ſemicirculus attingit, ſolidari, & quaſi corporari, id quod in officinis tornariorum videre fas eſt. Ibi enim corpus, circa polos & axem motum, ſpatium rotundat. Breuiter & rotunde: Sphæra fit ſemicirculo ſuper Diametro ſua rotatio.

Sphæricum accipitur dupliciter primo adiectiue pro eo quod eſt globoſum, ſeu *σφαιροειδὲς*.

2. Subſtantiue pro ſuperficie Sphærica, vt cum dicitur, Quemadmodum peripheria tangit rectam vnico puncto, vt hic Sphæricum a tangit planum b c d in puncto c.



3. Sphæra accipitur etiam pro pila; vt pila seu Sphæra cœlestis dicitur, quæ in sublime pellitur, qua vsi sunt Phæaces. E Polluce Giphanius σφαιρομαχία Ballspiel.

Sphæram inter se reddere Senecæ prouerb. einem andern den Ballen zuschlagen / colludere.

4. Metaphorice accipitur pro certo termino, vel descriptione aut circumscriptione, pro cancellis & septis, cum dicitur à Scholasticis res sphæram actiuitatis suæ non excedere, & à Theologo quodam. Rectius fecerimus, si Dialectica & Philosophia in sua sphæra relictis discamus loqui nouis linguis in regno fidei extra omnem sphæram alioquin futurum est, vt vinum nouum in vtres veteres mittamus & vtrumque perdamus.

Canones.

Nihil agit & patitur extra suas species sphæra seu ambitu comprehensas vires.

Quod in quouis rerum genere est perfectißimum causa est eorum, quæ sunt intra generis istius sphæram, id est, ambitum. (Itaque perfectionis, creaturarum causa Deus μάλιστα τέλειος καὶ ἀτελέστατος, Rerum omnium perfectiones, perfectissime & eminentissimo modo obtinens) *Omnis effectus manet in sphæra suæ causæ.* Axioma hoc scholasticum obscurũ videtur. Habet autem hanc sententiam. *Nullus effectus vltra propriam suam causam.* (Sic loquitur Marsilius Ficinus.) *se extendit. lib.* 10. *cap.* 8. Theologiæ Platonicæ. Præceptum seu lex de alicuius artis sphæra est lex de præscribendis & regendis artis finibus, ita vt ars intra eos se contineat. Hæ locutiones omnes sunt metaphoricæ. Explicat Scholiast. axioma.

Axiomata.

Causæ secundæ sphæra primæ cohibentur, id est, causæ secundæ continentur & definiuntur primæ causæ ambitu, nec extra hoc septum pro arbitrio aut natura sua euagantur.

Scholastici vocant determinationem diuinam. Refractaria hominis voluntas intra sphęram prouidentiæ Dei subsistit, id est intra sepța & cancellos prouidentię subsistit, ei quasi inclusa & subiecta est, etsi contra Dei voluntatem feratur.

Sphæra ciuitatis est Reip. recte & pie ex legibus administrandi ratio. M. Iohan. Caſo Oxoniensis. Hæc enim est huius doctrinę Cas. inscriptio. Met. à Sphæra mundana cuius partibus analogice respondent. Summũ orbis caput Imperator imperii proceres Imperatoris axioma, virtutes & bona externa ad felicitatem attinentia. Eius χρήμαλογίαν tibi lector studiose exhibeo.

SHPÆ

SPHÆRVS.

Sphærus Empedocli est ipsum cœlum, quem Deum facit, à quo excludit discordiam. De hoc Fonsecæ in explan. 4. c. l. 3. Metaph. Aristot. Etsi omnia 4. elementis constent, quædam tamen perpetuo existere propter perpetuam elementorum amicitiam, id est, concordiam seu cõuenientiam. Quædam vero interire propter illorum contentionem seu discordiam, tradidit Empedocles. Dicebat enim vno excepto Deo, id est, cœlo, quem Sphærum appellabat, & sapientissimum esse, pronunciabat, cætera õia habere in sua compositione admixtã discordiã: illum autẽ solum ita cõstare elementis, vt ab eius cõpositione omnis discordia longe relegata esset.

SPIRITVS.

Spiritus
- Naturalis
  - Vitalis
    - Insitus. ἔμφυτον, σύμφυτον, αὔτοφυὲς, αὐτόφυτον πνεῦμα.
    - Influens: Hic cum peruenit ad cerebrum alteratus & per neruos in membra subiecta dicitur Spiritus animalis.
  - Non vitalis vapor crassus & impurus, qui inter concoquendum ex chyo in ventriculo vel ex chymo in epate, vel in sanguine in venis & extra venas in singulis mẽbris resolut⁹.
- Præternaturalis, qui causa est multorum affectuum præternaturalium
  - Inflationis & distensionis membrorum;
  - Rugitus ventris;
  - Singultus;
  - Doloris Cholici & Iliaci.
  - Vertiginis: tinnitus aurium;
  - Epilepsiæ.

Spiritus 1. significat auram vel ventum, & ita aliquid est corporeum: Spiramentũ animę accipitur pro pulmone à poetis.

2. Substantiam incorpoream & materiæ expertẽ, vt cum dico, sunt Spiritus plani, id est, deceptores & mali genij Irrgeister.

3. Spirittus in oratoria (πνεῦμα) est quasi Periodus seu perigraphe periodica numerum quatuor membrorum excedens, cuius exempla vide in voce PERIODVS.

Explicatio.

Symphytus Spiritus (πνεῦμα σύμφυτον) est corpori à natura insitus, id est singulis membris & partibus homogeneis, vt calor, sic & Spiritus peculiaris est, & proprius, quem non cum aliis communicat. Hoc continentur facultates singularum partinm, quo alimẽtum attrahunt, retinent, mutant, & expellunt ea, quæ naturæ siue contraria aut inimica sunt. Hic Spiritus est ex seminum natura & elementis.

ἐισφερόμενος qui foris in corpus infertur, vt Spiritus qui naribus & per arteriam, & per totius corporis poros accipitur. Hic Spiritus cor & cerebrum refrigerat, & ad vtriusq; etiam Spiritus alendos vel conseruandos potius & excitandos aliquid confert, sicut Diogenes Laertius scribit, quendam sibi prorogasse longiorem vitam per aliquot dies odore calidi panis.

Is qui in corpore de alimento nascitur Spiritus, duplex est, κατὰ φύσιν & παρὰ φύσιν.

παρὰ φύσιν *appello Spiritus*, qui excrementa sunt, etsi fiunt naturaliter, vt 1. ἀτμὶς in coctionibus, qui vsum habent in corpore, quod somni q. materia sint. 2. Flatus qui ex debilis caloris coctione existunt, ex quo genere etiam ructus sunt.

Κατὰ φύσιν *seu naturalis spiritus*, qui in corpore de alimento gignitur, est is, quem epar, cor, cerebrum virtute sua peculiari & spiritu insito gignunt, & in corpus vniuersum infundunt, absque cuius spiritus opera nulla pars corporis vires suas retinere posset, & conficiunt singulæ ex nominatis tribus partibus, peculiarem corporis spiritũ: vt sit hic κατὰ φύσιν, spiritus triplex. Gignitur n. primo in Epate ἀτμοειδὴς quidam, id est, vapori similis Spiritus, qui cum sanguine vehitnr, & ψυχικὸς Spiritus est, ac per venas vna cum sanguine corpori communicatur. Deinde ex hoc, vbi ad cor delatus est, cor aereum spiritum excoquit, qui est vitalis, seu vitæ spiritus; Græce ζωτικὸς. Et hi ambo in corpus vniuersum per venas & arterias effundntur, & mirabiliter quidem

quidem etiam eo, vbi venæ & arteriæ nullæ sunt, vt in ligamentis, cartilagine, ossibus. De vitali autem cerebrum animalem spiritum elaborat maxima ex parte (ἐπὶ πλεῖον) vt docet Galenus. Nam εἰσφερόμενον etiam πνεῦμα (id est spiritus, qui foris infertur) aliquid ad huius naturam confert. Quem verisimile est, esse lucidum & æthereũ quẽdã spiritũ, qui ibi tantũ est, vbi nerui sũt, & fila horũ: per neruos. n. in corpus perfertur, neq; hoc opus est omnibus corporis partibus, cum nõ omnes corporis partes sensum etiam & motum habeant, sicut nutriri omnes oportet, vt vitam habere, vt nutriantur. Tertio Spiritus ψυχικὸς gignitur: sed de hoc tum dubitatio, tum controuersia est. (Quæritur enim, an ex iecore existat, & prouehatur, vel an hoc fiat, vt vitalis spiritus è corde in Epar transmissus, ibi naturalem gignat, & hoc modo hic etiam sit cordis potius opus, quam Epatis, sed cum epatis facultas eiusmodi sit, quæ vniuerso corpori inseruiat, & sanguinem communiter fundat, omnibus partibus, spiritum etiam ab hoc communem, & quasi publicum quendam in vniuersum corpus dimanare est valde cõsentaneum, qui & ab epate peculiarẽ ad modum excoctus ita sit, vt à vitali & animali diuersus sit, & ad hos q. vapor sit, cum flãmeo spiritui & aerio cõparatur, quo spiritu ali & conseruari ille symphytus singulis partib. spiritus putatur, etsi & εἰσφερόμενος spiritus, qui per poros accipitur, aliquid conferre ad hoc existimatur. Inprimis autẽ vitalis in arteriis hoc (spiritu qui in epate, sit (conseruatur, cũ sint cõmunia vtriusq; generis valorum oscula, atque ita inter se misceantur: neque halitus melancholici, quomodo cerebrũ affricere possint, si non sint peculiares etiam & φυλικοὶ epatis spiritus explicari potest. Omnino igitur hæc tria mẽbra vt naturam præcipuam, sic spiritum ẽt peculiarem habere videntur. Esromus R. P. (Naturalis spiritus est similis vapori, animalis flammæ, vitalis aeri.)

Spiritale.

Spiritale, πνευματικὸν, Spirituale est interdum flatuosum, plenum flatibus, vel flatus ciens. Interdũ est spirationi insseuiens, vel vitale; membra spiritalia.

Interdum spiritui deputatum, vt locus spiritualis naturæ vel qualitatis.

Interdum spiritale est idẽ, quod Barbaris intentionale: Eique opponitur materiale. Sic sæpe accipit Zab. vt cum dicit colores spiritales, species spiritales, esse spiritale. vid. eius lib. de visu.

In Mechanica seu βαναυσικῇ machina quædam dicitur spiritalis. Vnum enim genus machinarum Vitruuius facit Scãsorium, (ἀκροβατικὸν) alterum spiritale (πνευματικὸν) tertium tractorium (βαναυσόν.)

Spiratio.

Spiratio primum accipitur proprie pro πνοὴ & ἀναπνοῇ. 2. Pro ipsa vita per metonymiã, vt spirare pro viuere. Inspiratione proprie dicta, fiunt dno. Nam aer vel attrahitur, quæ est εἰσπνοὴ (inspiratio) vel emittitur, quæ est ἐκπνοὴ (exspiratio) Inspiratio vsum habet τῆς θρέψεως, & ἐμψύξεως (nutritionis & refrigerationis) id est, fit vt alatur aere qui hac accipitur, spiritus ψυχικὸς animalis, & conseruetur symmetria naturalis seu insiti caloris. Expiratio reddit aerem, quem natura non assumsit, & internus calor fuliginosum & ad refrigerandum inutilem reddit, & præterea habet vsum ad vocem & dialectũ formandam, quæ de illius aeris materia conficitur. Aer enim attractus diuiditur in duas partes, quarum maxima per tracheam arteriam in pulmones defertur, minima per nares in cerebrum.

Distinctiones. I.

Spiratio est { Simplex. / Contenta vel remissa.

I I.

Spiratio est Galeno { ἄβιαστος, non violenta. / βιαία violenta { Naturalis κατὰ φύσιν, hic ἄνοσον est { ἄλογος. / λογώδης. / Præternatural. παρὰ φύσιν.

Si ἔκπνοὴ seu exspiratio magna sit & vehemens, dicitur ἐκφύσησις Galen. lib. 5. de symptomatum causis, & ea quoque vel est παρὰ φύσιν, vel κατὰ φύσιν: illa in morbis; hæc in somno, & vocis vsu.

Explicatio.

Spiratio ἀβίαστος est, in qua organa spirationis nihil allaborant, vltra eam aeris attractionem & emissionem, quæ in recte valentibus & semper, & sine defatigatione fit, alendi spiritus naturalis & temperandi caloris naturalis causa.

Spiratio βιαία seu violenta est, in qua amplius aliquid fit, & quæ laboris alicuius contentionem habet, eamque vel magnam vel paruam. Etsi autem Aristoteli βιαῖον est παρὰ φύσιν, tamen acutissimus vir Esromus R. hic vtitur vocabulo illo vt Galenus. Huius doctrina, vt explicetur spirationem violentam in naturalem & non naturalem diuidimus.

Non naturalis, seu παρὰ φύσιν βιαία Spiratio est in morbis, vt asthmate, apoplexia, Veterno, paralysi: aut cum vulnerato thorace vnius lateris vsustollitur: Item in iis, quæ sunt καυσώδη σύματα (morbi ardentes) & febribus. Cum enim plus est caloris in pectore, quam natura fert, spiratione vehementiore vtimur. Huc pertinent Anhelatio, quæ est concitata spiratio, & ἐκφύσησις quædam παρὰ φύσιν, id est, expiratio ex morbo & affectione corporis, maior atque vehementior. Quid anhelatio. Quid ἐκφύσησις præter naturam.

Spiratio violenta naturalis, primum in somno aliqua esse videtur, tum enim calore ad corretracto, aliquando copiosiore aere frigido opus est, quam vsitata respiratio suppeditat, vnde etiam inspiratio, & quod consequens est, expiratio etiam maior fit, qualis erat apud Maronem illius, qui toto proflabat pectore somnum.

2. Mutatur etiam vt pulsus, ita vsitata & ἀβίαστος (non coacta, seu sine violentia) ἀναπνοὴ in animi affectibus vehementioribus, vt iracundiæ commotione, & tristitiæ auxietate, vt sunt gemitus.

3. Ad vocem etiam, formandumque sermonem, spiritu maiori opus est, & plurium partium allaboratione, quam iis, qui simplicem spirationem effi-

efficiunt, ideoque & clamando, & loquendo defatigatur natura respirando. Non item & quia hæc fiunt emissione spiritus, Galenus ἐκπνοὴν violentam, quæ fit κατὰ φύσιν distinguit in ἐκφύσησιν duplicem ἄφωνον & ἐμφώνου, id est, sine sono & cum sono. Est autem ἐκφύσησις spiritus confertim facta emissio, ἐκφύσησις ἐστὶ σφόδρα (vehemens) ἐκπνοὴ & ἀθρόα (frequentior) quæ in morbis est, παρὰ φύσιν: sed in somno animi affectibus vocis & sermonis vsu κατὰ φύσιν esse non desinit, etiamsi contentione aliqua, & pluribus organis, ad hanc opus est. Hæc ἐκφύσησις in somno, iracundiæ commotione, & similibus est ἄφωνος (id est sine voce.) ψοφώδης autem fundamentum est vocis & sermonis, seu φωνῆς & διαλέκτου. Horũ õium materia quædam est aer, seu spiritus, quo fit θρέψις & ἔμψυξις & ἐκφύσησις naturalis & non naturalis. Vsus enim spirationis præcipuus est ἐκφύσησις. Secundarius θρέψις, ἔμψυξις, (id est, cordis refrigeratio) fit & per inspirationem, id est, attractionem aeris, qua calor refrigeratur, & per expirationem, qua fuliginosus aer, & ad refrigerationem inutilis emittitur, θρέψις autem tantum fit attractione aeris in cerebrum. In respiratione, & huius causa præcipue mouentur pulmones & thorax. Horũ motus perficitur diaphragmate, musculis intercostalibus, & iis, qui sunt ἐπιγάστριοι, item dorsi, septem, & à collo tribus demissis musculis.

Spirationem ἀβίαστον præcipue efficit diaphragma, quod vt musculus motu voluntario cietur, & motu eiusmodi, quo pectus infra à peripheria ad centrum cõtrahitur, quod cum fit supra pectus dilatari necesse est. Tum igitur ne vacuum ibi fiat, pulmo aerem attrahit motu concitatus alieno, quod ipse à se & per se, quo mouea-

tur, non habet, cum neque musculus sit, & neruos habeat in substantia sua ferme nullos: Tales certe nullos, à quibus motus ille spirationis effici possit. Itaque diaphragma, seu septum transuersum causa prima est diastoles & systoles thoracis in aspiratione. *musculos & neruos.*

Εἰσπνοὴ ἀβίαστος à solo diaphragmate existit, sed ἐκπνοὴ huius generis adiuuatur à musculis in epigastrio, quibus diaphragma tanquam sedi immittitur. Violenta vero inspiratio assumit musculos in summa parte scapularum, & ex intercostalibus interiores: Expiratio violenta, quæ est ἐκφύσησις, intercostales exteriores. Ex his primi duo diastolen amplificant tantum superioris partis thoracis, duo extremi systolen tantum contrahunt inferioris: Collares autem elatiores thoracis partes extendunt, & dilatant, ẽt extrema ad costas breuiores, quod & dorsales faciunt. Ita thorax quasi remus pulmorum dilatationem & compressionem gubernat, & pro affectionis, quæ corpori accidit, ratione huius spirationis commotio existit magna aut parua, vt vel aliquorum vel omnium musculorum, quibus pectus dilatatur, aut comprimitur, opera concurrat.

Ἐκφύσησιν ἄφωνον, intercostales exteriores commouent: ψοφώδη pharyngis seu faucium vocem laryngis, id est, gutturis, musculi, διάλεκτον (id est, sermonem) aut linguam format assumpta dentium, labiorum, & palati ope. Atque est materia vocis aer, qui expiratur: sermonis autem vox, quæ est in gutture formata. Vide vocabula Systoles & Diastoles.

Spirans.

Spirans est 1. Spiritum ducens vel edens.

2. Spiritum continens, vel in se habens, ita humidum quoddam spirans dicitur Alberto Magno, quod differt & ab humido vaporatiuo & manante. Manans intimum est σύμμικτον & continuans. Vaporans seu vaporosum compositum est ex partibus subtilibus ad formam corporis propter subtilitatem & humiditatem leuis alterabilibus. Huiusmodi spumosum ex triplici substantia compositum est; Quædam est in eo fluens secundum formam alterius. Quædam est viscosa circumstans & continens. Quædam est spirans & pulsans: prima harum substantiarum fluit ad formā membri formandi: Secunda continet spiritum, ne euaporet: Tertia habet in se spiritum instrumentū virtutis πλαστικῆς (Formatiuæ) Et hic humor est materia in generatione corporum animatorum.

Humidū spirans habet differentias duas: Quædam eius pars est quasi homogenea, declinans ad terrestrem natutam. Vocant terrestreitatem; Ex hac generantur corpora plantarum. Quædam eius est magis heterogenea & magis humida, ac spumosa aeria spumositate. *In hoc est & terrestre*, ex quo generantur ossa, *& viscosum*, ex quo fiunt nerui, & pellis; *& molle*, ex quo caro. Alber. Mag. de anim. lib. 20. tract. 1. cap. 1.

SPONTE.

Sponte & sua sponte, non tantum tribuitur agentibus voluntate, sed etiam natura, ac idem est, quod vltro, sua natura, suapte natura, vi sua, per se, à se.

Cic. suapte vi ac natura moueri. Ignis per se ipse ac sua sponte mouetur, consumptus sua sponte extinguitur. Qui sua sponte & volūtate aliquid faciunt. Latius igitur patet spontaneum quam voluntarium. Spontaneum sc. etiā rebus animo carentibus conuenit, non autem voluntarium.

In Ethicis spontaneum est, vel consulto vel inconsulto faciens vel factum, ac opponitur ei non voluntarium seu inuitum, quod facit vel fit, per imprudētiam vel per vim: Illud violentum, hoc imprudens dicitur. Cicero etiam pro illo dicit necessitate astrictum (id est, coactum) suæ spontis est apud Celsum & Varronem, Græcis spontaneum est αὐθαίρετον & ἑκούσιον. Sponte, modo ἀπροσαιρέτως, vel αὐτοματως, modo ἑκουσίως. Spōtale pro spōtaneo improbo. De significatione vocis sponte etiā annoto quæ habet Lambinus in annot. in 3. Eth. Ar. ἑκούσιον, quod vno vocab. Latino exprimi non poterat, sponte factū, vel sponte susceptum semper appellaui. Porro nominibus Græcis ἑκων ἄκων Latina sponte & inuitus respondere existimaui. Iam ἀκούσια, quæ sunt ἑκουσίοις contraria inuite facta, aut inuite susceptа, quæue inuite suscipiuntur, aut fiunt nominaui. Nam qui ea inuolūtaria dixerūt, voce vsi sunt minus Latina: qui non voluntaria, in eam, quā tantopere vitauimus, confusionē inciderunt. Aristot. n. perspicue hæc tria distinguit ἑκών, ἄκων, οὐχ ἑκών: & ἑκούσια, ἀκούσια, οὐχ ἑκούσια vt, sint ἑκούσια quę spōte fiunt, ἀκούσια, quæ inuite. οὐχ ἑκούσια, quę nō sponte fiunt, sed quid ea, quæ non spōte fiunt ab iis, quę fiūt inuite, differunt? Eo vid. quod in peccatis dicitur is egisse nō sponte, quæ inscīēs egit quidem ille, sed multa molestia ex eo quę edem ille, sed multa molestia ex eo quę egit afficitur. Inuite autem egit, qui ex eo quę egit insciens & coactus, dolore ac molestia afficitur. Et paulo post: Dico sponte locum habere, tum in rebus inanimis, tum inanimatis. Atq; in rebus inamis quidem & animantibus rationis expertibus sponte sua idem valere, quod per se, nulla vi seu necessitate coactionis, aut nulla arte adhibita: in iis autē, quæ ratione sunt prædita, interdum sua vi & per se, & nō rogata, neque adiuta: Interdum ēt sua volūtate: vt Cic. partit. qui sua sponte & voluntate aliqd faciūt. Et ad Attic. lib. 13.

l. 15. Gaudeo te id mihi ſuadere, quod ego mea ſponte pridie feceram. Et epiſt. l. 9. ad Dolab. Quanquam veriſſimè poſſum reſpondere, te quæ facias, tuo iudicio & tua ſponte facere, nec cuiuſquam egere conſilio. Hoc loco autem Tua ſponte valere idem quod tua voluntate, declarat locus ille in epiſt. ad Papyr. Pætum eod. lib. Non poſſum ei non amicus eſſe, neq; ſolum tua commendatione, quæ apud me, vt debet, valet plurimum; ſed etiam voluntate ac iudicio meo. Eadem enim vtrobiq; dicuntur aliis verbis. Idem de Orat. l. 2. Aut Senatui parendum de ſalure Reip. fuit, qui aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum. Et Terent. Adelph. Potius conſuefacere filium ſua ſponte rectè facere, quam alieno metu.

Itaque non approbo, quod Scal. contra Cardanum ſcripſit ex. 77. ſ. 1. Sponte nihil aliud, quam voluntariè ac libenter.

STATVS.

Status primum vox oratorum eſt, vt ſtatus controuerſiæ. In oratoria ſtatus cauſæ ſeu controuerſiæ conſtitutio eſt, & idem propè valet, quod propoſitio. Propè dico, quia in genere Iudiciali, ſtatus & propoſitio, non ſunt idem, quod ita intelligatur. Sicut geminæ ſunt perſonæ, quę corã iudice agunt, vna perſona diſceptatrix, ſeu accuſatrix; altera criminis depultrix, ſeu defendens: ita duo ſunt genera omniũ propoſitionum, quæ in hoc genere continentur: Vnum intentio ſeu κατηγορία accuſatio: Alterum defenſio, ἀπολογία, depulſio: ab his ita differt ſtatus, vt ſtatus non ſit ipſa propoſitio accuſationis vel defenſionis, ſed quaſi cardo, in quo tam accuſatoris quàm defenſoris propoſitio verſatur, ſeu meta, de qua vterq; diſceptat, ſeu caput & arx controuerſiæ ſeu τὸ ὑποκείμενον, quod ex intentione & defenſione exiſtit, & quo quid in iudicium deuenit, & qua de re diſceptatur, quæri ſolet: vt in defenſione Miloniana propoſitio Apologetica eſt, Milo iuſtè Clodium interfecit. Accuſatoria fuit, Milo iniuſtè interemit Clodium. Cardo vtriusq; propoſitionis eſt iuſtene an iniuſtè à Milone Clodius ſit trucidatus. Ac facillimum eſt ſtatum agnoſcere; ſi accuſatoris & defenſoris propoſitiones inter ſe conferantur. Sic enim illico patet, quid ſit in controuerſia, & qua de re partes mutuo dimicent.

2. Politicorum, vt ſtatus hominum. 3. à Philoſophis accipitur pro termino, quiete vel motu, vt in quolibet ordine eſſentiali eſt ſtatus ad aliquod vnum, ſeu in aliquo vno; idem dicitur per periphraſin, non ire in infinitum, vt in appetibilibus eſt ordo eſſentialis, in quo non eſt ire in infinitum. Scotus lib. 1. diſt. 2. quæſt. 1. & lib. 4. diſt. 49. ad quæſtionem primam.

STARE, SVPPONI.

Significat accipi: vt cum dico Deus generat, ſubiectum Deus ſtat pro perſona aliqua, hoc eſt, reſtringitur ad perſonam patris. Cum dicitur Deus generat, terminus Deus ſupponitur determinatè pro perſona, id eſt, propriè perſonam ſignificat. Stare pro aliquo, id eſt, intelligi de aliquo. ſic Scholaſt. Analogum, per ſe poſitum (id eſt, cum nihil ei additũ eſt) ſtat pro ſuo ſignificato famoſiori (id eſt intelligitur de ſpecie principali) *Stare in Aſtronomia* eſt q. ſtare. Planeta ſtare dicitur, cum eius motus, quem permutare incipit, oculis deprehendi nequit.

CANON.

Talia ſunt ſubiecta, qualia à prædicatis

esse permittuntur, non absurde, sed dextre intellectis, vt cum dico; Paulus est pictus, imago intelligitur.

Stitio.

Nouatum à Scaligero in lib. 2. de plantis pro motus prohibitione, à sistendo, sicut statio dicitur à stando.

Statarium.

Primum stataria Græce στατέονλα Entia philosophis sunt permanentia, quibus opponunt successiua, vt status est Ens statarium motus successiuum. Secundo in poetica stataria Comœdia opponitur motoriæ seu turbulentæ. 3. in Polit. dicitur stataria pugna, quæ fit συςάδην, id est, comin⁹. In Rhetoricis Aristoteles ingenia laudata, alia ait esse stataria, Græce ςάσιμα, alia ἐυφυῆ. ςάσιμα longo tempore indigent, ad aliquid bene apprehendendum: tale fuit Socratis ingenium & Cimonis. Ἐυφυῆ vero sunt, quæ prompte & expedite omnia vel per se inueniunt, vel ab alio discũt. Tali ingenio fuit præditus Alcibiades, quod si igitur ςάσιμα ingenia cum ilils, quæ dicũtur ἐυφυῆ, conferas, tarda esse videbuntur.

In se ipso stare.

Phrasis philosophica est Iulij Scaligeri in 3. Poetices, eaq; Emphatica. Cui opponitur in actum exire. Vtrisque (moralibus & contemplantibus) habitibus, vt iustitiæ & prudentiæ communis est cognitio, sed cõtemplantibus in se ipsa stat, moralibus ad actum exit. Scalig. 3. Poetices cap. 1.

Vsus.

Doctrinas distinguunt veteres, vt alias faciant contemplantes, alias actiuas. Sunt è recentioribus qui hanc distinctionem reprehendant, eo, quod omniũ doctrinarũ communis sit θεωρία, vt enim sua physicæ: sic quoq; sua Ethicæ theoria est. Sed respondendum est Theoriam & cognitionem physicæ vel mathematicæ in se ipsa verti, politicæ vero exire ad actionem & opus.

Per se stare.

Per se stare à Scholasticis vt Armando interdum accipitur pro permanens esse, seu permanere, vt calor est Ens per se stans, id est permanens, cui opponitur fluens, vt calefactio.

Per se stare est nulli subiecto inhærere, vt accidentia, quę insunt vel per inhęsionem, vel per prædicationem, ait Biel. id est, insunt actu, vel inesse possunt lib. 4. dist. 10. quæst. vnic. Ergo per se stãs est, quod nõ inhæret subiecto. Hic quæritur. Forma inhæret materiæ, inquit Pererius; Estne igitur per se stans?

S T A R E D E C R E T O, *Promissis, &c.*

Stare testimonio alicuius, promissis, pactis conuentis; stare decreto phrases sunt Ciceronis & Latinorum Iurisconsulrorum, dem Vrtheil stat geben vnd nicht prouociren. Non est temere standum sententiis etiam communibus & permulgatis iudiciis è Philebo Platonis, sed in dubium vocatur; hæc cõstructionis ne exempla sint cum Dativo, an cũ Ablatiuo. Ego nihil hic dubito, sed assero, certum enim mihi est, decreto, pactis, esse Datiuos. Nam legitur l. 28. §. vlt. ff. de recept. qui arbitr. stare sententiæ arbitri: quod nihil est aliud, vt ait Briss. quam id agere quantum in se est, vt arbitr. sententia pareatur, & in ep. Iulii Scalig. ad Brassacum numero 28. est Homo perditus, appellauit à præside prouincię, cuius decreto prætoris sententiæ standũ iubebatur. Ex quo hoc quoq; intelligitur, stare sententię & appellare aliquo inter se opponi. Significat igitur in hac constructione stare idem, quod

parere, obedire, locum relinquere. Stare iudicio dem Vrtheil statt geben vnd nicht prouocirẽ. Quibus verbis vt adiungitur Datiuus, sic & verbo equipollenti STARE. Ex quo fit, vt non verear dicere recte dici, voci Dei standum, non consuetudini seu mori veteri. Non recte: Non veteri standum est more, sed ore Dei: Adiungitur quidem & verbo standi ablatiuus, sed significatu alio: vt hic ego iudicio sto q; cadoq; tuo. Hic sto opponitur iaceo vel cado, idemq; est quod vinco. Non veteri stamus more, sed ore Dei, id est, vincimus vil besteh̃. Exemplum imitationis. Sto sententiæ publicis mortalium receptę iudiciis, atq; consensionibus approbatæ. Hic non dico sententia.

STELLIO.

Stellio est animalculum Lacerta minus, ore masculo, qui latebram q; petit, aptumque colori, Nomen habet variis stellatus corpora guttis.

Ab hoc animalculo translato nomine stelliones dicti sunt homines subdoli, vafri, versuti & ad decipiendum apti. Ita stellionum nomen in maledictum translatum est. Quocirca & Venus irata Cupidinem Filium probroso & maledico nomine Stellionem vocat apud Apuleiũ l. 5. Milesiac. Hinc *Stellionatus crimen* non legitimum, id est, non ordinarium, sed extraordinariũ (id est, quod extra ordinem puniri soleat) Vlpian. dicit in l. 3. §. pœna ff. de crimine Stell. Hoc crimine omnis fallacia, impostura, dissimulatio, & quicquid turpiter fit in fraudem alterius, quod proprii criminis nomẽ non habet, continetur. Incurret igitur in stellionatum, qui subiicit aliud pro alio (hoc. n. est facere impostura m) qui res alii iã obligatas alii vendidit, aut permutauit, qui merces adulterauit aut suppossuit, puta orichalcum pro auo, qui gemmas vitreas vendidit pro veris.

Seplasiarios etiam stelliones dictos esse author est Henr. Salmuth in notis ad l. 1. rerum memorab. Guid. Pancirolli. An famosum sit nec ne, id est infamia afficiat delinquentem, de eo consule Iurisconsult. Vid. Anton. Gomezium l. 3. Resolut. c. 7.

STIPES.

Stipes significatu primo est caudex arboris. 2. est fustis terræ defix⁹, authore Festo, quo boues & cetera animalia alligantur, vt retineantur certo loco, ne noceant arbusculis. Hæc significatio est antiqua. 3. Est in arbore Porphyriana pars tum ascendens, tum descendens, continẽs seriatim genera & species, vbi in cacumine est summum genus; in radice Indiuid. inter hęc genera subalterna, species subalternæ & specialissimæ. 4. In arbore consanguinitatis ciuili & canonica stipes est persona, à qua plures carnali propagatione descendunt.

STRICTVM.

Dicitur aliquid stricti iuris, ad differentiã eius, q̃ dicitur bona fide: sic actiones & contractus alii sunt bonæ fidei, alii stricti iuris. In cõtractibus bonę fidei plus valet æquitas, quam nimia subtilitas, ait Bald. cons. 434. 2. Dicitur quid stricti iuris, quod stricte, præcise proprieq;, non late improprieq; intelligendum ac interpretandum est. Hoc sensu consuetudines & statuta dicuntur esse stricti iuris (id est, nulla interpretatione extensiua adiuuanda) ita strictum quoq; ius est, cui nihil addi, vel detrahi potest, cum nec latum quidem vnguem à verbis liceat discedere.

Quæ odiosa sunt, sunt stricti iuris. Regula iuris est. Odia restringi, fauores ampliari conuenit.

Nonnunquam æquitas & iustitia contra

ius ſtrictum coniunguntur l. proxime ff. de his quæ in teſt. delen. In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus iuſtius eſt, quam tutius Nam vt poſtea dicemus, benigna interpretatio æquitas eſt; & Cicero ad Herennium definit iuſtitiam æquitatem, ius cuiq; tubientem.

3. Strictum dicitur ius, quod quodammodo æquitati ſeu æquitatis benignitati, ſeu bono & æquo aduerſatur. Dicitur regulare, quod regulam imitatur. Sic opponitur ei exceptio, quæ ex æquitate procedit, ſeu quæ mater eſt æquitatis. Itemq; Fauorabilis eſt. Hoc ius dicitur nonnunquam ius ſimpliciter. Dicitur & præfractum & rigidum, & rigor iuris, & ius ſubtile & ſummum ius: Nonnunquam nimis ſubtile. Ius ſtrictum verbis & ſcripto æquitas potiſſimum mente, ſententia & voluntate nititur, vt apparet ex Cic. in orat. pro Cæcinna & Murena.

Ἄλλως.

In politicis ſtrictum ius accipitur 1. propriè magis pro rigore iuris oppoſito τῇ ἐπιεικείᾳ, id eſt, æquitati cum ſcriptæ leges nimis ſeuere ac ſine vllo temperamento aut trahuntur per interpretationem ad caſus ſimiles, in quibus tamen ratione circumſtantiarum eſt aliqua diſſimilitudo; aut in caſu, de quo loquuntur, nimis durus ſenſus extorquetur. Alias dicitur etiam ſummum ius, Merum ἀκριβὲς & ſubtile ius, quod reſtricte (genaw) ad verborum præſcriptum dirigitur & tanquam ad viuum reſecatur.

2. Accipitur improprie, cum fit fraus legi, id eſt, cum ſaluis verbis legis ſententia eius circumuenitur detorſione eius ad aliena, aut eluſione per rationem Sophiſticam, Vid. Lexic. I. Calu.

Interpretatio ſtricta dicitur, quæ fit nullo cum moderamine (vulgus nulla cum limitatione.) Interpretatio pactorum ſtrictiſsima eſt, vnde obſcuri pacti interpretatio regulariter fit contra eum, qui legem contractus dicere potuit apertius, ſiue is emptor ſit, ſiue venditor. In diſput. de pactis D. Chriſtoph. Deichmann.

Strictum idem eſt quod compreſsius. L. Valla: *Strictiuum* eſt quod manu ſtringitur vt folia ex arboribus, abgeſtreifft. *Strictura* ſunt maſſæ terreæ, è quibus, fit ferrum, Eiſen ertz: vel ſcintillæ ferri candentis, cum euditur, glüende fünckten vom Eiſen.

S. V. A. V E.

Suaue Latinis, & ἡδὺ Græcis non tantum ſapori, odori, voci & tactui, ſed etiam colori tribuitur: atq; etiam ſermonibus & actionibus. Coloris enim ſuauitas eſt in Ciceronis Tuſcul. q. 1. & Amaracus ſuauiter rubens eſt apud Iulium Firmicum c. 7. Suaue rubens hyacinthus apud Virg. Suauitas mea (vt animus meus) phraſis eſt blandientis apud Comicos de mulieribus. Suauitatem omnibus ſermonibus & actionibus miſcebat, quam eruditio augebat. Colloquia plena prudentiæ & eruditionis, & condita ſuauitate ſumma. In oratione de Friderico Duce Sax. Elector. Phil. Mel. Dicitur etiam, Cicero eſt ſuauis author.

Subalternatum alteri ſuppoſitum Subalterna ſunt, quorum vnum ſub altero eſt.

Subalternatum eſt, quod ſub altero poſitum ſeu ordinatum eſt, vt enunciatum particulare affirmans, ſuo vniuerſali affirmante: vel quod ex ſuperiore exiſtit, ſeu ſequitur. ſubalternæ enunciationes ſunt duæ particulares eorundem terminorum, quarum altera eſt affirmata, altera negata. Hæ non ſunt oppoſitæ. 1. Quia non pugnant ſecundum affirmationem & nega-

negationem. 2. nec ſecundum veritatem & falſitatem. Nam ex veritate ſubalternantis (vniuerſalis) concluditur ſeu infertur veritas ſubalternata (particularis) & ex falſitate illius colligitur falſitas huius.

Subalternata ſcientia eſt, quæ ſubalternanti ſubſtat: ſeu ſubalternatæ ſcientiæ ſunt, quæ verſantur in eodem ſubiecto.

Vſus.

Loco primariæ concluſionis ſubalternam illius, id eſt, eam, quæ ex illa ſequitur, ac ſub illa continetur, autores ſæpe exprimunt, exempli cauſa 1. phyſ. Ariſtotelis.

Ex quorum cognitione cærerorum ſcientiæ pendent, illa in omni diſciplina prius cognoſcenda ſunt.

Ex principiorum cognitione cæterorum quæ ex principiis conſtant, ſcientia in omni diſciplina, quæ principia habet, pendet.

Principia igitur in naturali quoq; ſcientia prius cognoſcenda ſunt. Crypſis hæc eſt Syllogiſtica (loco primarii conſequentis ponitur ſecundarium ſeu ſubalternum;) Syllogiſmus manifeſtus ſic eſt. Ex quorum cognitione, &c. E principiorum cognitione, &c. Ergo principia in omni diſciplina, quæ principia habet, prius cognoſcenda ſunt, & per conſequens, in Phyſica etiam principia primo loco ſunt cognoſcenda. 2. Optica ſubalternata, ſeu ſuppoſita eſt Geometriæ, quia conſiderat lineam in viſione poſſam, cum Geometria lineam ἁπλῶς contempletur. Muſica conſiderans numeros in ſonis dicitur ſubalternari Arithmeticæ, quæ ſimpliciter numerum contemplatur. Scientia quæſtionum mechanicarum eſt ſubalternata Stereometriæ, vt inferior ſuperiori, quia Stereometria abſolute θεωρεῖ ſolida; Mechanica vero in iis verſatur ſumptis cum pōderoſitate, vt ait Zabarella, ſuperior ſolidū abſtrahit ab omni ſenſili qualitate: inferior alligata eſt ſenſili materiæ.

Ἄλλως.

Subalterna dicuntur, quorum vnum eſt ſubiectum alteri, vt ſpecies generi, vel quæ ſunt homogenea. Res quæ contagione læduntur, quæ contagione inficiuntur, ſubalterna eſſe oportet, id eſt, ſub eodem genere comprehenſa.

Vſus.

Quæritur an aer quantumuis putris contactu ſeu contagio nos inficiat? Reſp. Iordauus Med. improprie hoc dici, eo quod aer corpori ſimplici, homo vero mixto perfecte animatoq; ſubiiciatur. Verius autem & magis congrue vuas ab vuis, poma à pomis putredinem concipere, homines in homines peſtiferæ contagionis transfundere ſemina dici, cum ſint ſimilia, & contagium in ſimili vt & putredo, etiamſi ab aere putridæ virulentiæ fraus fundatur. *Contagiū poſtulat ſimile.*

SVBCONTRARIA.

1. Subcontraria Ariſtoteli ſunt lib. 1. de corrupt. & generat. cap. 1. quodammodo falſa, & modo vera, quodammodo falſa, & quæ ſe vtcunq; (vt vulgo loquuntur) compati poſſunt (Græce ὑπεναντία) ſicut propoſitiones ſubcontrariæ. Societas Conimbricēſis in explicatione huius capitis. Earum autem non eſt vera ἐναντιολογία (contradictio) ſunt enim propoſitiones ſubcontrariæ, particularis affirmata, & particularis negata; vt; Quidam Angeli ſunt boni, quidam Angeli ſunt mali. Hæ vere con-

contradicentes non ſunt, quia ſunt diſtributiones vel diſtributionum æmulæ.

2. Subcontrarium noue accepit, & ſcite Iacobus Mazonius, pro ita diuerſo ab alio, vt tamen ei ſubſit.

Priuatio fulta Ente.

Quin priuatio per ſe non reperitur, ſed ſemper eſt ipſo Ente fulta, quippe quæ illi inhæreat, & quia Ens apud Platonem ſub Boni conditione continetur, ideo dicitur malum bono ſubcontrarium; Id eſt, valde quidem remotum à bono, ſed tamen ſub eius manu & poteſtate poſitum. Sect. prim. comparat. Phiſoph. Platon. & Ariſt. pag. 32.

Ens eſt ſub ditione Boni.

SVBDOLVS.

Subdolus eſt ad malitiam callidus, vt loquitur quidam è veteribus Latinis: ein heimlicher Teuſcher / dicitur & verſutus, quia naturam ſuam, quã ad tempus tegit, verſat, hoc eſt, huc atque illuc torquet & flectit. Tales ſimulatores ſunt, qui nulli factioni ſe addicunt, ſed cũ vtraq; parte colludunt: dicũtur & verſipelles verſchlagen / verſtrickt. qui ſe omnibus formis & locis attemperãt, Græc⁹ Poeta vocat ἀλλοπροσάλλες. Itaq; Cic. 3. de natura Deorum recte inquit: verſutos appello eos, quorũ mens celeriter verſatur. Polypus piſcis accommodat ſe ad id ſaxum cui adhæreſcit: itaq; Plautus per metaphoram hos vocat polypos: Polypi mentem obtine, du muſt Fuchs vnd Haſe ſeyn.

SVBIECTVM.

- Subiectũ
  - Subiectum preſſius acceptũ.
    - Metaphyſicum
    - Topicũ quod reſpicit accidens, eſtque
      - Axiomaticum quod reſpicit prædicatũ eſt, ſubiectum prædicationis ſeu antecedens terminus enunciati.
      - Obiectum.
  - Obiectum.
    - Denominationis, quod principale, quod dependentiam accidentium vltimo terminat. Hoc in rebus naturalib eſt compoſitum phyſicum, ſingulare dicitur & ſubiectum Totale Coll. Conimb. diſp. de anima ſeparat. art. 2.
    - Inhæſionis vere vel quaſi: Quo: cui accidentia proxime inhærent, dicitur Aliq. ſubiectum partiale & medium recipiendi.

Vltimo terminare eſt ad vlterius non referre, ſed in ſe claudere & finire, vt Socrates accidentium dependentiam vltimo terminat, id eſt, acccidẽtia pro ſe fulcit & ſuſtentat, nec eorum dependentiam ad vlterius refert.

Subiectum denominationis cæcitatis eſt Animal. Subiectum Quo eſt ea materia, in qua prius inerat forma, & ὐσία oculo. Atque hoc ſubiectum per ſe eſt: Subiectum per accidens eſt oculus. Oculus igitur cætus eſt accidẽs.

In reddenda materia ſubiectiue παθῶν (affectionum) nõ ſolum aſſerendum eſt ſubiectum primum denominationis, cuiuſmodi eſt animal reſpectu ſomni, ſed etiam primum inhæſionis, q̃ in animali eſt pars illa, quę eſt prima ſedes vigiliæ oppoſitæ, ſiue ea ſit cor, vt Ariſt. ſiue cerebrum, vt Plato exiſtimauit & Medici aſſerunt. Nam non *Vnde alia* hæret primo in animali toto ſomnus, *partibus* ſed interuentu eius partis, in qua eſt *communicatur: vſq;* fons & origo ſenſuum, cor aut caput *proprium* dormire, ſed animal ipſum: itaq; in de- *dicimus.*

Vſus.

finitione

finitione somni, pars quæ primum patitur somnum & ad cæteras diffunditur nominanda est.

Quælibet forma substantialis attribuitur composito, non materiæ primæ. At inhæret primę materiæ, vt forma lapidis inhæret in materia prima, de quorundam philosophorum sententia, nec tamen forma materiæ nominatur. Sed forma lapidis, vt Entis actu. Nominatio enim fit ab actu.

Sic accidentia nonnullis Philosophis inhærent in prima materia, cumque dicũt Arist. Auerroes accidentia habere subiectũ sensile, & Ens actu (compositũ) intelligunt subiectum denominationis. Vid. Zab. in lib. de gener. & interit. ca. 8. & 9. Alii tamen phisosophi sunt, qui existimãt formas in composito immediate inhærere, non in prima nudaque materia.

Subiectum accidentis
- Quo, in quo recipiuntur accidentia immediate. Hoc alteri subiecto innititur.
- Quod, quod per se non beneficio alterius sustentat & subit accidentia, vt substantia.

Subiectum *Quo* vel principium *Quo* voce abstracta effertur subiectum *quod* vel principium *quod* voce concreta. Persona diuina patitur vt subiectum quod significatum concreto. Natura humana (in qua vis patiendi est, non in Deitate) patitur vt subiectum *quo* signi fricatum abstracto, seu Deus patitur secundum carnem suam proprie, vt subiectum quo homo sentit, φαντάζεται vt principium, Quod & compositum, humana natura sentit vt principium Quo. Sequens tabula est generalior.

Subiectum Topicum & Metaphysicum
- ὑποκείμενον, subiectum in specie
  - Ex quo, Materia
    - Permanens.
    - Transiens.
  - In quo, Recipiẽs
    - 1. Inhærentiæ ἐνυπάρξεως ὑποκείμενον καθ' ὕπαρξιν vocat Ammonius Quo. Denominationis, Attributionis, Quod.
    - 2. Totale. Partiale.
- Αντικείμενον, obiectum
  - Partiale, μερικὸν
    - Principale.
    - Minus principale.
  - Totale
    - Mediatum seu commune vel Remotum.
    - Propinquum, proprium seu immediatum & adęquatum, cuius partes in scientia sunt
      - Materiale, vt res considerata.
      - Formale, Modus considerandi.

Enuntiatiuum; Antecedens enuntiati.

In Philos. Practica subiectum est quod paret Domino suo. Ita quoque per Metaphoram ab Arist. in Ethic. quædam disciplinæ dicuntur subiectæ & subordinatæ superiori, vt Principi seu Imperatori.

Occurrunt etiam hæ distinctiones apud Scholasticos.

Subiectum { Informationis, sic forma est in materia.
Subiectum { Prædicationis, sic naturæ siue substantiæ communes sunt in singularibus vt suppositis, materia est in toto, non vt forma inhærens, sed vt pars componens.
Subiectum { Existentiæ.
Subiectum { Denominationis.

Hæc subiecta in loco habitu & actione concurrunt: sunt hæc extra subiectum denominationis, sed non possunt esse extra subiectum existentiæ.

Subiectum sæpe in disputationibus principio seu radici ἀνθρώπῳ, vt potentiæ intellectiuæ sunt in anima seu essentia eius vt in subiecto, sed potentiæ corpori affixæ comparantur ad animam, sicut ad suam radicem, seu suum principium: sed ad coniunctum vt ad subiectum, vnde sunt in coniuncto seu composito vt in subiecto. Armandus de Bello visu tract. 2. de specier. qual. c. 1. 3. 8.

Interdum etiam composito, vt destructo subiecto destruitur accidens, quod & ad ipsum & ad operationem ipsius attinet. Sed destructo composito seu coniuncto, non necesse est omnes potentias destrui. Quædam omnium sunt totius compositi seu partis, in doctrina de animæ & animati facultatibus hoc explicatur.

Considereres licet hanc quoque distinct.

Subiectum { Recipiens, subiacens, substratum, ὑποκείμενον { Inhæsionis, cui inhæret aliquid, sic ratio subiecta Logicæ est.
Subiectum { Recipiens, subiacens, substratum, ὑποκείμενον { Adhæsionis, vel adiacentiæ, cui adhæret seu adiacet aliquid.

Subiectum { Occupans tunc accipitur { Generatim pro quacunq; re, in qua explicanda præcepta disciplinę versantur. Sic subiectū Logicę sunt notiones secundæ, rationis vsum dirigentes.
Subiectum { Occupans tunc accipitur { Improprie, pro fine interno, quod subiectum nominant subiectum cognitionis, seu subiectum quo. Sic subiectum Logic. est modus bene differendi.
Subiectum { Occupans tunc accipitur { Proprie pro materia externa circa quam disciplinæ occupatæ sunt, hoc est, { Demonstrationis, quale habent scientiæ contemplatrices.
Subiectum { Occupans tunc accipitur { Proprie pro materia externa circa quam disciplinæ occupatæ sunt, hoc est, { Disciplinarum practicarum, sic subiectū Logici sunt notiones primę, quatenus secundis substernuntur, seu substant. seu omne Ens, & non Ens (per notionē Entis) idem Ens verum & fictum, qua differibile.

Subie-

Subiectum { Materiale subiectum diuisibile, compositum, concretum, alterationibus ex se & per se obnoxium.
Spirituale indiuisibile, simplex, minime concretum, minime etiã alterationibus obnoxium. Dico ex se, patitur enim propter corpus.

1. Subiectum διεκτικὸν definitas certasq; habet qualitates, id est, nõ potest quaslibet in se recipere.
2. Subiectum quodlibet habet certum gradum, seu est determinatum ad certum gradum, certum habet gradum, vltra quem non potest recipere aliam perfectionem stante seu salua natura subiecti, lignum non potest recipere calorem quãtumlibet intensum, sed si maior calor introducitur, statim lignum corrumperetur & mutaretur in ignem. Deus animæ Christi summam contulit gloriam naturæ intellectuali dari possibilem secundum Dei potentiam, ordinatam.
3. Subiectum spirituale non potest recipere qualitatem matetialem, vt lapis non potest recipere scientiam.
4. Subiectum materiale, nõ potest recipere qualitatem spiritualem, vt anima rationalis non potest recipere albedinem, aut caliditatem.
5. Quod immortale est & diuinum, non nisi à subiecto immortali primo recipitur, vt fides in Deum.

Cum dicit Biel, locus non est subiectum locato libr. 4. dist. 12. quæst. 1. accipit subiectum presse pro subiecto inhæsionis. Locus non inhæret corpori.

Ἀξιόλογος etiam est hæc distinctio subiecti. Subiectum est simplex, seu illimitatum, vel σύνθετον seu compositum; limitatum seu conditionatum, hoc est aliqua conditione instructũ, illimitatum est nominatum, Vel ex toto, vt Christus θεάνθρωπος, vel ex parte, vt filius hominis, Filius Dei. Quo fit, vt quædam dicantur de Christo sine cõmunicatione proprietatum, quædam per communicationem earum.

Limitatum seu compositum, vt omnes homines iustificati fide: omnes homines quatenus sunt in Christo Iesu.

Vsus.

Πρᾶγμα hæc esse ostendo. In prædicationibus per se, id est in quibus subiectũ necessitudine immutabili, cum attributo iungitur. Interdum substernit subiectum sine conditione vlla, absolute proprieque vel quasi synecdochice, interdum adhibita conditione, seu limitatione. *Quid sint prædicationes per se?*

Iustificati ex fide, sunt reconciliati per filii mortẽ, sunt iustificati in sanguine Christi: attributiones per se sunt primo modo, quia subiectum definiri nequit siue mentione sanguinis Christi, & mortis Filii Dei, Christus seu Mediator noster est Deus & homo, seu est θεάνθρωπος, prædicatio est realis necessaria per se primo modo, in qua de hyphistameno naturæ prædicantur παρωνύμως. Hic subiectum est illimitatum ὁλοτελὲς: (Barb. vocant Totale) prędicatio autem per se primo modo est, quia Deus & homo prædicata veniunt in definitionem subiecti. Non enim potest definiri Christus seu Mediator, nisi facta mentione Dei & hominis. Christus fuit etiã ante primum Adamum & ante omnes angelos, Christus redimit, absoluit, iustificat, sanctificat, est ἀρχηγὸς ζωῆς, excitat è mortuis, donat vita æterna.

Prædicationes reales necessariæ & per se, secundo modo sunt, quia hæc attri-

buta non possunt definiri, nisi facta mentione Dei, qui de Christo dicitur primo modo. Christus conceptus est ex Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, est passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus pro nobis, descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum propria virtute propter suam & patris gloriam, & propter nos, sedet ad dextram Dei patris, è cœlo venturus est, ad iudicandum viuos & mortuos, prædicationes reales sunt necessariæ & per se secũdo modo, quia hæc attributa nec possunt definiri nisi facta mentione Hominis, qui de Christo dicitur primo modo. Subiectum rursus hic est simplex, duas tamen naturas comprehendens. Itaque illa dicuntur ἁπλῶς sine vlla communicatione idiomatum. Filius Dei fudit sanguinem pro Ecclesia: Filius hominis adest Ecclesiæ suæ reapse vsque ad consummationem seculi, attributiones seu prædicationes sunt reales necessariæ & per se Secundo modo, etiamsi causa fusionis sanguinis in Deo non resideat, sed in humanitate, etsi κύριον ἄλλοιον non sit in ipsamet carne, sed in Filio Dei. Hic substernitur Christus nominatus ab vna natura in qua causa attributi non residet. Itaque dicuntur hæc per ἀλλοίωσιν seu communicationem proprietatum, seu per mutationem nominum, vt loquitur Bernardus, quæ Græcis est enallage ὀνομάτων.

Omnes illi homines, qui sunt in Christo Iesu donantur Vita æterna: prædicatio necessaria, & per se est quarto modo, quo propter aliquid certa & necessaria conditione adiectum seu additum prædicatum de subiecto dicitur. Hic igitur ὑποκείμενον est σύνθετον, id est subiectum seu antecedens est cõplexum. Sic: omnes iustificati fide pacem habent erga Deum: Ferrum quà ignitum est, vrit.

Quid quartus modus dicendi per se?

Extat & hæc distinctio.

Subiectum accidentis est perfectum in specie, vt homo naturaue humana: vel imperfectum quatenus habet rationem suppositi, vt caput, manus, Pictus in Astrologia.

Cauendum in accurata dissertatione ne perfectum cum imperfecto confundatur, sicut & propinquum seu immediatum cum remoto.

Quantitas est immediatum subiectum qualitatis: Remotum est substantia. Vid. Petrum de Palude in 4. distinct. 12. quæst. 3. Iohannes Picus in apologia hæc habet: Color in substantia sustentatur, vt in subiecto, mediante alio accidente, verbi gratia, superficie, non quidẽ, quod superficies sit subiectum (scilicet sustentatiuum) coloris, quia vnum accidens non est alterius *b* subiectum, eo quod vt dicitur à Philosopho, qualitatis nõ est qualitas, sed ideo, quia color non inest subiecto nisi in in ordine si est in habitudine ad superficiem (id est nisi interueniente seu mediante superficie.)

b Lege tamen subiectum.

Obiectio vsum ostendens.

Quod accidens est, nõ potest esse alterius subiectum.

Superficies est accidens corporeæ substantiæ.

Ergo superficies nõ potest esse subiectũ coloris.

R. 1. accidens non potest esse alterius subiectum simpliciter, id est sustinens in quo illud alterũ sustentetur, superficies igitur nõ potest esse tale subiectũ coloris. Aliquo interim modo subiectũ coloris est superficies, nimirũ quia color adiunctum est superficiei & quidem ei ita adiungitur, vt in superficie videatur ac dicatur superficies esse colorata attributione Logica adiuncti de subiecto.

2. Est

2. Est qui respondet colorem in corporata substantia subsistere ἐπισωμάτως (accidentaliter) in superficie vero subsistere: De quo cuiq; suum relinquo iudicium liberum. 3. Cum prima responsione congruit hęc. Accidens non potest esse alterius subiectum primo: At potest per & propter aliud. Forte non incommode diceretur, color in corpore, vt in substantia subsistit, in superficie vt accidente corporis inhæret.

De subiecto Totali accidentia grauissimi scriptores sæpe inter se disceptant. e.c. Thomæ & Alberto subiecta accidentium pure materialium (vt sunt qualitates primæ, caliditas, frigiditas.) Totalia sunt substantiæ compositæ ex materia & forma substantiali, non forma aut materia tantum.

Aliis cõtra accidentia pure materialia insunt, materiæ per realem inhęrentiam non toti composito, nisi ratione materiæ, vt cui per se ei primo inhæreant.

Totale Accidentis subiectum sæpe proprium dicitur κατ' ἐξοχήν. Græce etiam vocant ὁλόκληρον, id est omnib. suis partibus constans. Ciceroniani dicerent solidum, vel Integrum.

Vnius eiusdemq; affectionis subiecti varietas ex hoc illustri exemplo perspicitur. Christi Humanitas moritur, quia post separationem animæ à corpore desiit habere vitam: Desiit igitur esse humanitas. Sic totum compositum moritur, cum desinit esse cõpositum. Et caro Christi moritur, quia priuatur forma quæ essentialiter vita est. ὁ λόγος moritur per communicationem Idiomatum, quia desiit subsistere in humana natura viuente, anima separata à carne.

Ex Dominici de Flandria lib. 2. de anima tract. 1.

Subiectum accipitur dupliciter. Vno modo proprie, pro eo quod per se subsistens dat fulcrum seu stabilimentum essendi alteri. Et hoc modo, quod subiectum habet, dicitur forma accidentalis. Altero modo accipitur subiectum pro omni eo, quod est δεκτικὸν (susceptiuum) perfectionis siue substantialis siue accidentalis. Ita corpus humanum est subiectum animæ rationalis.

Vsus.

Ex hac distinctione soluitur argumentũ, illa forma, quæ habet subiectum, est accidentalis.

Anima non est forma accidentalis, quia dat corpori esse animatum.

Ergo anima non habet subiectum.

Subiectum demonstrandi propositi Aristoteles 1. Analyt. vocat πρᾶγμα ὑποκείμενον, quod sit quasi fundamentum reliquorum, quæ de ipso prædicãtur.

De hoc primo videndum est, vt si demõstrandum est, de vera viuaq; fide, quod iustificet, quid fides sit.

Id est (cũ interpretamur aliquid) eleganter sic dicitur: His verbis hæc sententia subiecta est. Cic pro eodẽ dicit, quod ita interpretamur. Exemp. ex l. de Fin. secundum naturam viuere est viuere ex hominis natura vndiq; perfecta & nihil requirere.

SVBIECTARI.

Subiectari, Scholasticis & Medicis nonnullis vsitatum, est in subiecto recipi: vt cum dicunt pleraq; accidentium subiectantur in materia prima, vt subiacet formæ. Cæterum potentiæ non subiectantur nisi in toto composito, quod plerique Thomistarum statuunt, inquit Mercatus.

Et potentiæ animæ omnes præterquam intellectus & volũtas immediate subiectantur in ipso conjuncto ex anima & corpore.

Id est,

Nullum accidens potest esse in materia prima, eo quod accidentia requirant subiectum iam constitutum. Nequit enim esse accidens nisi vbi prius materia informetur. Itaque cum potentia vegetatrix & sensitrix sint accidentia corporalia, inhærent media quantitate, proindeque in subiecto Quantitatis, quæ est materia informata. Hæc expendant mihi φορτικάτατοι.

Pro eodem dicunt & susceptari (vt susceptare pro suscipere.)

S V B I T O.

Subito idem est, quod repente, tempore imperceptibili, valde celeriter, sine mora, vt Angeli possunt subito seu repente applicare passiuis actiua, ad productionem effectuum à causis suis naturalibus. Gabriel Biel. libr. 2. dist. 8. quæst. 2.

Quod dealbatur non subito totum dealbatur. Improprie etiã interdum ampleq; accipitur pro ἐν τῷ νῦν, instantanee, in non tempore, seu in puncto temporis, vt ad vltimam tubam subito (hoc est momento & ictu oculi) mortui suscitabuntur. Miraculo transit aqua in vinum & sanguinem motu subito & momentaneo. Casp. Peucer. in lib. de diuin. id est fit tota simul illa conuersio. Opponuntur ei Lente, perpetuato motu, successiue & progressiue, quod Barbaris etiam est Morose, id est cum mora.

Sic dicunt successiuam & morosam applicationem cooperantium, vel agentium ad patientia esse naturalem.

Conuersio nostra ad Deum non fit subito in hac vita, sed est in perpetuo motu ac luctu, donec in cœlesti vita τελειότης consequetur, hoc est, perfectionem. τὸ subito nonnunquam philosophi explicant actu indiuiduo vel τῷ simul: quod illuc recidit. Id quod denigratur, non denigratur totum subito, id est simul, seu actu indiuiduo, sed parti denigrationis pars denigratione & tempori priori tempus posterius in motione hac succedit. Itaque denigratio parietis, est actus diuiduus ἐγκράτεια, καρτερία, continentia & tolerantia in nobis omninoque sanctificatio non fiunt in nobis subito, id est non sunt in hac vita indiuidui & perfecti, quamdiu viuimus, sanctificamur. Sanctificatio habet progressionis partes, temporaq; disiuncta, sunt eius gradus, & αὔξησις est διάθεσις incoata & continuata vi spiritus Christi. Est igitur actus diuiduus, sed ita vt tandem post resurrectionem hic actus reddatur perfectus & constans, vt vere habitus seu permanens qualitas.

Oratoribus etiam subito est, Ex improuiso ἀπροσδοκήτως præter expectationem, & ἐπικαιρῶ (ex tempore) contingit.

Subito quod non toto accidit animo, quod veteres dixerũt. Accidit in puncto quod non euenit in animo. Cicero subita atq; improuisa formido.

De motu lucis quæritur, Sit ne punctali (id est an fiat ἐν τῷ νῦν in instanti) an habeat aliquam latitudinem.

Dionysius Areopagita ad Caium Epistola 3. subito seu repente, seu statim dicitur, cum quid præter spem profertur in lucem.

An conuersio hominis ad Deum sit mutatio mentis, voluntatis, cordis subitanea, vel momentanea, an fiat per continuos profectus seu progressus. R. Est actus diuiduus & imperfectus, totaque hominis pii vita, est militia, cuius nullus nisi in morte finis est. Vita Christiana non est iustitia, sed iustificari (Qui iustificatus est, iustificetur adhuc) non est sanitas, sed sanum fieri

fieri non est esse, sed fieri, non quies sed motus seu ἐκτύνωσις (exercitium) non terminus, sed via.

Lutherus contra Bullam Caluin. lib. 3. c. 3. institut. & Matth. Bergius in l. de arte interpretandi scripturam; vt Terminus à Quo Calefactionis non est Calefactio, sed ipse motus seu fluxus: sic Terminus à Quo conuersionis hominis ad Deum non est conuersio.

Quæritur à Scholasticis doctoribus, conceptus, formatio, animatio & assumptio corporis Christi in virgine an perfecta fuerit subito, hoc est in instanti, id est, tota simul. Respondent conceptionem cum vnione factam fuisse in instanti, conceptus nutritionem in vtero partium & lactationem successiue. Quæritur enim Angel⁹, qui est in cœlo, in momẽto temporis possit esse infra. R. Angelus inquit Aug. potest esse vbi vult, seu est ibi vbi vult, scilicet breui temporis decursu, sine magna longaue temporis mora.

S. V B L I M A R I.

Aliùs est vsus huius verbi in Astrologia, aliùs in Chymica. Nam planeta sublimari dicitur in eius sideris domicilio, in quo est felicior, id est, magis beneficus. Vide Picum de Astrolog. Alias dicitur hoc exaltari & exaltatio inter Dignitates Planetæ essentiales numeratur, verbi gratia, exaltatur Sol. in ♈: Luna in ♉. Saturnus in ♎ Iupiter ♋. Mars in ♑. Venus in ♓. Mercurius in ♍: caput Draconis in ☐: cauda Draconis in ♂. Hinc versus.

Sol oue, Luna Boue, Saturnus lance leuatur,
(*id est, exaltatur.*)
In Cancroque Tonans, in te Capricorne Gradiuus,
Stilbontem sua virgo leuat, Pisceſque Dionem;
Et caput erigitur Ledæa prole Draconis.

Opponitur huic casus. Nam Planeta dicitur esse in casu, cum obtinet signum oppositum signo exaltationis, & tunc est debilis.

In Doctrina Chymica Sublimatio fit per extractionem artificialem. Sic Albert. Magn. Vinum si sublimatur, vt aqua rosacea, quod primo emittitur est humiditas aquea & insipida, & illo educto remanent partes terrestres vini infusæ humiditati pingui oleagineæ, quę si vltra sublimentur igne lento, egreditur oleum; & quanto fortius vinum, tanto maior quantitas olei, & minor aquæ exhibetur.

Sublimationes autem dicũtur distillationes Chymicæ ob vaporum in sublime ascensum, ad discrimen distillationis per descensum, quo olla vitreata in scrobe Terræ defossa, huicque alia medicamentis referta in fundo foraminibus pertusa inseritur, terraque obruitur, supra quam lignis siccis accensis medicamenti liquor per ollæ fundi foramina in ollam inferiorem destillat seu descendit.

Patres etiam Latini Sublimari pro Exaltari dicunt. Vigil. 5. cont. Eutych. de carnis Christi exaltatione: Diuina natura non indiget honoribus sublimari, dignitatis prouectibus augeri, potestatem cœli & terræ obedientiæ merito accipere. Secundum humanam igitur naturam illa adeptus est, qui secundum Naturam Verbi horum nihil eguit aliquando.

S. V B N O T I O.

Barbarum Picolomineo pro adiunctione, & opponitur ei, quod est absolute; vt cognoscitur aliquid primo absolute, secundo cum Subnotione boni vel mali, iucundi vel molesti. Grad. 1. de Materia virtutum cap. 7.

S. V B O R D I N A T A.

Subordinata sibi inuicem sunt, quorum

vnum ab alteto continetur, eo includitur, sicut prius à posteriori, & inferius à superiori, angustius à latiore, vt homo subiicitur seu subordinatur animali, non homo non animali, sensus intellectui, quia est inferior & angustior in cognoscendo. Quæ se mutuo ponunt aut subordinata sunt, opponi non possunt. Iustitia inhærens in nobis non tollit imputatam Christi, quæ nostra fit iure donationis. Spõsa Christi est pulcra pulcritudine ascititia à sponso per perfectam imputationem, & in se incoatione in hac vita.

Canon.

Modus argumentandi à permutata proportione non valet in his rebus, quæ sibi inuicem subordinatæ, ὑποτεταγμέναι.

Coordinata sunt, quæ simul ordinata sunt, vt causæ coordinatę ad effectum, materia & forma.

Nota particulam Sub in compositione & extra compositionem, sæpe significare speciem, vt cum dicimus hominem esse sub animali. *De singularibus sub genere comprehensis idem est iudicium*, qui Canon vtilissimus est. Sæpe diminutionem potestatis, vt hypopheram sub propheta intelligimus. Subrideo, notum. Sic subcontinuatiuæ coniunctiones veteribus sunt positæ sub continuatiuis, quas nunc conditionales vocamus, vt species sub genere. Amplitudo enim continuatiuæ coniunctionis percipitur ex eo, quod etiam impossibile aliquando præsupponit; vt si digito tetigeris Sphæram Lunæ. Scaliger in hac voce subcontinuat: significationem diminutionis potestatis prorsus reiicit, eo quod subcontinuatiuæ potestas maior sit, quam continuatiuæ, vt hoc intelligas lege si placet libr. 11. de causis Latin. Ling. cap. 168.

Interdum *Sub* loci rationem significat.

SVBREPTITIVM.

Scholastici quosdam motus vocant subreptitios, vt delectationem dicunt subreptitiam, vt Aliquando aliqua delectatio subreptitia omnem actum liberum voluntatis in voluntate præcedit. Sic voluntas patitur aliquando subreptitio motu, qui consensum prę-uenit, qualis passio voluntati conuenit, vt naturę teste Scoto, qui (barbare) propassionem dici posse ait (Græce melius προπάθεια) quæ rationem conturbet.

SVBSISTERE.

Subsistere I. accipitur pro eo, quod est esse substantiam, non esse in subiecto inhærentiæ. Alias dicitur esse per se: sic omnes animæ sunt subsistentes.

II. Pro non esse, per modum partis aut formæ in aliquo, à quo in suo esse dependeat. Hoc etiam dicitur esse per se. Ita anima intellectiua, (quæ dependet à materia quo ad suum esse) est subsistens in corpore.

III. Pro esse per se ita, vt neque actu, neque potentia sit, in aliquo per modum partis, aut formæ, aut quasi formæ. Ita anima intellectiua non est subsistens, quia est hominis pars actu, dum componit totum potentia, dum est extra materiam.

Sub-

Subsistens igitur est { Completum, perfectumque, vt homo, vt totum.
Incompletum, vt anima: itaque anima est aliquo modo, Hoc Aliquid.

Et subsistentia est { Totalis, vt compositi.
Partialis, vt animus. Coll. lib. 1. de generatione pag. 59.

Axioma.

Actiones & passiones sunt subsistentium. Interdum additur à Philosophis, per se, vt Anima rationalis per se subsistit. Coll. Conimbr.

Subsistere, subsistentia { Propria: Sic Petrus persona humana subsistit.
Aliena, vt anima Christi subsistit subsistentia verbi diuini, vt quæ cõmunicari queat, cum destituta sit propria subsistentia, seu personalitate.

Thomas. Naturæ in persona subsistunt: Persona Filii subsistit secundum vtramque naturam, Diuina πρώτως & à se, Humana δευτέρως ex vnione.

Ἀλλως.

Subsistere accipitur 1. Pro eo, quod habet verbum, ἐστί, non φαινόμενον apparens. Opponitur igitur Ei, quod Specietenus est. Sic Accipit Aristoteles in lib. de mundo, Meteora, (Ea, quæ in aere sunt, aut fiunt) aut subsistunt, aut Specietenus sunt, aut sunt ὑποστάσεις, aut sunt ἐμφάσεις, impressionesque.

2. Pro eo, quod alicui subest. Opponitur ita eminenti. Sic fundamentum subsistit, reliqua eminent.

3. Pro eo, quod est, non esse in subiecto inhæsionis. Sic sæpissime accipiunt Philosophi. Et Thomas Aquinas.

4. Pro esse Entis substantialis completo, quod non est in alio, vt pars in toto, aut Forma in subiecto. Sic accipit Scotus in Quodlibet. 4. art. 2.

Ex acceptione 3. & 4. colligitur, distingui inter subiectum inhæsionis (cui aliquid inhæret) & subiectum informationis (quod informatur.) Itaque dicitur, substantia est Ens, quod existit independenter, & à subiecto inhęsionis ac informationis & à toto, cuius est pars.

6. Sumitur pro esse per se ἀκοινωνήτως, (incommunicabiliter.) Sic dicuntur subsistere sola ὑφιστάμενα, seu suppositа singularia, vt Gabriel Angelus. Ita substantia existit per se, vt quoddam totum constitutum ex natura & subsistentia.

Hæc tamen vox interdum pro substantia subsistente accipitur. Subsistentia est modus suppositi, seu Modus substantialis, qui formalis est causa per-

se ἀκοινωνήτως, subsistendi personalitas est modus personæ.

Subsistere aliquid potest, duplici ratione Busæus c. 2. doctrinæ Cathol. de Persona Christi. I. Quia non est in alio tanquam in subiecto. Hoc sensu Damascenus lib. 3. c. 9. & 11. scribit naturam humanam esse ἐνυπόστατον, id est, subsistere in verbo seu in Persona diuina.

II. Quia ita per se existit, vt ab alio non pendeat: Hoc modo non subsistit, nisi persona, seu hypostasis naturarũ Christi. Primum subsistere Schola vocat negatiuum. Alterum vero positiuum: illud etiam naturis in Christo, Hoc tãtum personæ Christi conuenit.

Vsus.

Hinc cognoscere licet, litem inter Iacobum Schegkium & Simonem Simonium Philosophos, quorum ille negabat naturam subsistere in persona, Hic vero personam in natura; tãtum fuisse λογομαχίαν, id est, verbi seu phraseos controuersiam. Personæ proprium est subsistere, & quoniam officium subsistendi exercet in natura humana, non quod ab illa pẽdeat, sed quia subsistendo eam terminat & sustentat, dicitur in humana natura subsistere.

Subsistere κατ' ἐξοχὴν substantiæ conuenit & πρώτως: sic qualitas non subsistit, sed inhæret.

Subsistere
- Per se esse, non inhærere & in alio esse vt pars in Toto.
- Incommunicabiliter per se esse, & ita dicuntur tres subsistentes, tres Personæ. Personæ conuenit per se subsistere. Sola autem essentia est ratio subsistendi. Scot. in Quodl. q. 4.

SVBSISTENTIA.

Subsistentia accipitur 1. abstracte, pro eo quod subsistit, id est, pro ratione subsistendi, & hæc significatio est propria.

2. Accipitur improprie pro concreto, id est, pro subsistente seu habente subsistentiam, vt persona: In Trinitate sunt 3. Subsistentiæ, & vnum subsistens.

Ἄλλως.

Subsistentia est actus seu perfectio subsistentis. Quidam è Scholasticis Theologis sentiunt subsistẽtiam, qua quæq; persona est, personam, id est, substantia subsistens, & distinguitur ab essentia naturaque communi, nec esse substantiam, nec accidens, sed affectionem & modum substantialem. Punctum lineæ neque esse substantiam, neque accidens, cum non sit quantitas, partem enim nullam habet, & omnino indiuiduum est, sed terminus vel modus quantitatis, quo longitudo determinatur & modificatur. Relationes denique proprie neque esse accidentia, neque esse natura sua substantias, sed modos quosdam accidentium & substantiarum. Ergo non est adæquata Enti distinctio eius in substantiam & accidens.

Respond. Concedo, si formaliter loquamur, subsistentiam (vt etiam existentiam rei) nec etiam substantiam, nec accidens. Reuocari autem ad substantiæ Categoriam, si παρωνύμως loquamur aut intelligamus, quia subsistentia est forma seu modus quidam non accidentalis, sed substantialis, quo substantia per se subsistit, & immediate, distinguitur ab accidentibus, quæ ita subsistere non possunt. Punctum etiam

etiam dico non esse in Categoria Quantitatis directe, sed tantum reductiue. Quod ad relationes attinet recte dicuntur eæ accidentia licet sint res infirmæ ac debiles. Subiecto enim seu substantiæ relatio non inhæret proxime, sed interuentu & adminiculo alius accidentis, quod fundamentum relationis dicitur, quia ab eo, vt firmiore, fulcitur hoc Ens. Relatio igitur, qua accidens indiget subiecto, quod est substantia. Qua debile accidens, loco fundamenti alio accidenti, vt numero vel qualitate indiget.

Aliquid est subsistens vel omnino vel Interuentu alicuius. Omnes & solæ substantiæ primæ, id est singulares, vt Iohannes, Petrus OMNINO per se subsistunt, ideoque etiam per se subiiciuntur actionibus agentium. Secundæ, id est, vniuersales subsistunt per se Interuentu primæ.

SVBSTANTIA.

Substantia primum accipitur generaliter, vt etiam Deo conueniat. 2. Specialiter, vt tantum conueniat creaturæ. 3. Specialius, vt significet substantiam complectentem materiam & formam. 4. Accipitur pro parte substantiæ, vt sunt forma & materia. Nulla Species est in ambitu Naturæ, quæ non habeat suam propriam substantiam, siue substantiam capias pro materia siue pro forma. Scaliger. 5. Pro persona. 6. Pro essentia, vt exorcismus, id est, adiuratio Diaboli, non est de substantia & necessitate Baptismi. Gabriel Biel. Corpus Christi quod pependit in cruce, regnare nunc glorioſum in cœlo, in sede maiestatis paternę est de substantia fidei Catholicæ.

Substantiam legis cuiusque, tum ex verbis, tum ex sententia seu διανοίᾳ metimur, verba sunt voces, quibus vnaquæque lex est concepta. Sententia est legũ intellectus ex verbis per rationẽ informatis explanandus. Verba igitur materiam, sensus vero seu potestas formam legis refert: Scientia autem legum consistit potius in forma, quam in materia. Itaque scire leges non est verba earum tenere, sed vim & potestatem: leg. scire 17. de legib.

Chymici substantiam diuidunt in fugitiuam & fixam. Sic argenti viui substantiam dicunt fugitiuam. Vid. Portam lib. 3. Magiæ cap. 8.

Vsus in Theolog.

Ad primum modum dicendi per se etsi pertinent quæ essentialiter (seu ratione formæ) attribuuntur subiectis, tamen eo reuocari (indirecte saltem & imperfecte) posse etiam ea, quæ dicuntur substantialiter de subiectis, docent Thomas & alii. Substantia enim non tantum significat essentiam, à qua essentialis prædicatio nomen accepit, sed etiam hypostasin, id est, personam, à qua substantialis, hoc est personalis, prædicatio sumi potest. Hic Deus est homo, prædicatum dicitur de subiecto substantialiter, id est, non ratione naturæ, vt in prædicatione hac naturali (seu essentiali & formali) Petrus est homo, sed ratione personæ in tali natura subsistentis.

Ἄλλως.

Substantia accipitur magis proprie & abusiue. Magis proprie generalissime, vt Deo etiam conueniat. Ita est Ens reuera per se subsistens τὸ καθ' ἑαυτὸ ὑφεστηκός.

Generaliter, vt substantiæ tantum creatæ, quæ accidentibus subsstat, siue sit vniuersalis, seu secunda, vt homo, siue singularis seu prima, vt Cato, Specialiter, vt indiuiduis seu singularibus, quæ

sunt. Hocaliquid, vt sunt Cicero, Aristoteles, substantiæ etiam dicuntur partes constituentes compositum.

Abusiue pro essentia, quæ etiam accidentium est, vt virtutis, coloris. Albedo igitur proprie substantiuum nomen est, quia substantiam proprie dictam non significat. Est enim accidens. Recte igitur cum Scaligero nominamus nomen essentiale; quippe, quod tam substantiæ, quam accidentis, hoc ipsum, quod sit, significet, propter hanc Improprietatem, & abusionem sunt quibus placet hæc distinctio.

Substantia { Prædicamentalis, Hypostasis. Ens per se subsistens.
Prædicabilis. Essentia seu quidditas rei.

Accidens { Prædicamentale. Ens in alio.
Prædicabile. Quod accidit alii seu quod est extra quidditatem alterius. Hinc Regulæ.

1. Quod est accidens prædicamentale respectu alicuius potest esse substantia prædicabilis, vt qualitas est accidens prædicamentale, & tamen est de substantia, (id est, de essentia) coloris.
2. Quod est substantia prædicamentalis, potest esse prædicabile accidens, respectu alterius, vt lignum est in Categoria substantiæ, & tamen accidit triangulo. Potest enim triangulum esse ex ferro.
3. Quod semel est substantia prædicamentalis, nusquam potest esse accidens.
4. Et quod semel est accidens in creaturis, nusquam est substantia prædicamentalis.
5. Quæ in creaturis sunt accidentia, in Deo sunt substantia propter summam eius simplicitatem. Substantia perfecta vel imperfecta dicitur duplici sensu.

1. Substantia { Perfecta quę ratione partis non suscipit, nec alterius substantię, compositionem ingreditur.
Imperfecta, quæ ordinata seu destinata est ad alterius subiecti compositionem, vt quæ habent rationem partis essentialis vel integralis. Materia enim & forma οὐσίας vocat Aristoteles lib. 1. de anima.

2. Substantia { Perfecta, quæ propter se est, vt elementatum, id est, concretum ex elementis.
Imperfecta, quæ propter aliud est, quæ comparata est, ad vlteriorem finem, quam suum, vt Elementa. Vid. Scal. lib. 4. de causis l. l.

Substantia à Scholasticis dicitur esse totalis vel partialis. Totalis vt compositum, partialis, vt pars compositi.

Subs-

Substantiæ partialis triplex modus
- Imperfectus cum dependentia in terra à materia, vt distinguitur ab inhærentia accidentium.
- Perfectior, qui forma per se est sine dependentia à materia, ita tamen, vt materiam informet.
- Perfectissimus excludens omnem modum essendi in alio.

Imperfectus] talem modum habent omnes formæ substantiales corporum.
Perfectior] talem habent animæ rationales in corpore.
Perfectiss.] Talem habent animæ secretæ à corpore.

Q. Vtrum vniuersalibus, an singularibus substantiis primo conueniant subsistere & substare?

1. Substantia vel subsistit tantum, vel subsistit & substat simul.
2. Deus per se & à se subsistens, sed non substat accidentibus, quibus afficiatur.
3. At substantiæ creatæ & subsistunt, & substant accidentibus, siue sint primæ siue singulares, vt Rodolphus: Siue sint secundæ seu vniuersales, vt Homo, & animal, quæ in singularibus & per singularia subsistunt, ita, vt cum iis vnum per se & actu constituant. Conueniunt autem & subsistere & & substare singularibus substantiis primo: vniuersalibus Secundario & ratione illarum, id est, per singulares substantias: sic ostenditur. Illi primo conuenit subsistere, cui conuenit existere & operari. Sed hæc primo conueniunt singularibus. Aristoteles 1. Phil. Ergo singularia primo subsistunt, quod inde et am perspicitur: quod actualis subsistentia est modus seu terminus naturæ singularis seu indiuiduæ, seu quod subsistentia non potest terminare naturam communem, nisi vt singularem effectam. 2. Accidens non potest afficere naturam communem, nisi vt existat in natura singulari. Ergo necesse est, vt natura seu substantia singularis primo accidenti subsistet seu substrata sit.

Obiectio.

Proprietates per se primo conueniunt secundis substantiis, non primis, quia γελαστικὸν esse est proprium hominis. Rodolphus est γελαστικὸς qua est homodo, non contra. Ergo & substare primo conuenit substantiis secundis. Respond. Ad antecedens distinguendo inter considerationem necessariæ connexionis & actualis inhærentiæ. Proprium primo conuenit secundæ substantiæ ratione necessariæ connexionis, quæ est inter essentiam rei & proprium. Adæquata enim ratio proprii est essentia καθ' ἑαυτὸ (secundum se) spectata, non vt contracta est ad singulare. Ac si spectetur realis & actualis inhærentia & sustentatio proprii, vt accidentis hæc semper tribuitur per se primo substantiæ indiuiduæ. Quia illi primo conuenit recipere, cui esse & agere. Esse & agere primo conuenit singularibus. Ergo & recipere primo ac per se conuenit singularibus. Quod igitur è veteribus quidam scripserint, secũdas seu cõmunes substantias non substare, grano salis condiendum est. Substantiæ secundæ non substant, nisi per indiuidua, quia extra indiuidua non subsistunt. Sic Aristoteles, Corpus, inquit, commune nullum est, intellige extra indiuidua actu existens. 1. de generatione text. 31. Scalig. lib. de caus. Lat. Linguæ.

Substantiæ appellatione abusi sunt Grammatici pro essentia, sicut Græci nomine οὐσίας in prædicamento. Namq; οὐσία etiam conuenit rebus extra prædicamenta, vt Deo. At Substantia neque extra prædicamenta, neque in omnibus, sed in iis tantum, quæ subsant accidentibus. Quare nomen hoc Albedo non erit Substantia, quia substantiam non significat. Nos itaque essentiale nomen appellauimus, quippe quod tam substantiæ quam accident. hoc ipsum quod sint significaret.

Substantialis sigillatio animæ ad hoc corpus. Caietanus ita loquitur barbarissime. cap. 6. de Ente & essentia, pro quo nos dicimus, coaptatio, commensuratio, substantialis aptitudo animæ ad corpus hoc, ordinatio, destinatio ad hoc corpus. Non dicimus animam indiuiduari formaliter per actualem vnionem ad corpus, sed per coaptationem substantialem ad hoc corpus, quam prius habeat, quam actualem vnionem, necesse est. Animæ indiuiduantur per aptitudinem substantialem, seu commensurationem ad hoc corpus. Formaliter, id est, formali ratione, per vnionem vero actualem, ad corpus conditionaliter, id est, tanquam per conditionem sine qua non. Substantiale opponitur accidentali. Picus lib. 3. de Astrol.

In astris aliquid est
- Substantiale (qualitates intimæ) perpetuum quod substantiam rei consequitur inseparabiliter, vt motus in orbem, circularis figura, immarcessibilitas.
- Accidentale, variabile, vt positus seu situs mutatio, vicissitudo luminis in luna, radii intensio vel remissio.

Substantialiter opponitur πῷ virtualiter & radicaliter.

Destructo composito, seu coniuncto, necesse est destrui potentias sensitiuas & affixas organis substantialiter, & earum actus, sed in anima separata manent virtualiter, vt in radice seu principio. Potentię autem intellectiuę manent οὐσιωδῶς in se, & realiter in sua operatione. Amandus de Bello vis. tract. 2 de 2. specie qual. 138. cap.

SVBSTANTIALITER.

Scholastici interdum substantialiter accipiunt pro essentialiter.

Vnus est Deus
- *Substantialiter*, id est, essentialiter intra se.
- *Obiectiue.* Pater enim non cognoscitur, nisi in Filio per Spiritum sanctum.
- *Actiue*, quia Pater, Filius & Spiritus sanctus, vnus & idem Deus author & creator est mundi. Luther. in 1. cap. Genes.

Substratum, Substratiuum, Substratiue, Substernere.

Doctor Scholasticus Gabriel Biel substratum accipit pro substante, subiecto, Materiali, suppositio; & in substrato, pro eo, quod est secũdum se, & primo lib. 2. distinct. vlt. quæst. vnic. substrata res, quæ subest, seu subiecta est alicui.

Substernere est subiicere, substerni est subiici. Potentia peccandi licet considerata, quoad substratum, hoc est, (quo ad materiale) i.e. voluntas, seu potius voluntatis

volũtatis libertas, eſt à Deo. Cõſiderata vero quoad deformitatẽ, quę eſt forma le in peccato, non eſt à Deo. Sic poſſe peccare non eſt poſſe, ſed eſt non poſſe. Et paulo ante. Nihil dicit libertas voluntatis quam voluntatem in ſubſtrato (id eſt ipſam voluntatem ſeu voluntatem vt ſubiectum, ſeu voluntatem primo & abſolute) & cõnotat eam circa obiectum ipſi ab intellectu oſtẽſum, poſſe velle aut nolle. lib. 2 diſt. 3. quæſt. 2.

Conceptus proprie eſt concretum & adiectiuum, ſignificans rem conceptam ſubſtratiue (ac ita non eſt ipſa conceptio rei) & connotat actum concipiendi, ſeu cognoſcendi, libr. 1. diſt. 2. quæſt. 9.

Conceptus connotatiuus cum ſignificato vno ſubſtratiuo, id eſt, materiali, hoc eſt ſubiectiuo ſignificat aliud formaliter, Biel libr. 3 diſtinctio 7. quæſt. vnic. Conceptus connotatiuus (qui connotat) præſupponit conceptum ſubſtrati, quod denominat cum dicitur, album, homo, vel paries eſt ſubſtratum, albedo eſt connotatum: aliter album ſupponit pro ſubiecto (id eſt notat ſubiectum) & connotat albedinem. Album eſt ſubſtantia, cui ineſt albedo, quæ eſt accidens.

Cum dicitur Chriſtus, perſona verbi, ſeu τῶ λόγω eſt ſubſtratum. Humana natura eſt connotatum.

Aliter hæc ita dicũtur ab eodem Gabriele Biel li. 1. diſt. 30. quæſt. 4. Chriſtus ſupponit pro perſona verbi & connotat aſſumptam naturam humanam. Itaq; Chriſtus eſt verbum habens naturam humanam ſibi hypoſtatice vnitam ſeu ſubſiſtens in natura humana: eſt nomen perſonæ ſubſiſtentis in duabus naturis. Chriſtus eſt Deus & homo, id eſt Chriſtus eſt Deus habens in ſe vere & realiter humanam naturam, animã ſc. & carnem, vnde homo dicitur, lib. 2. diſt. 16. quæſt. vnic.

Cum dicimus humanitatem componi ex anima & corpore, corpus nihil aliud dicit, quam materiam quoad ſubſtratum (id eſt ſubiectum inſtrumentale.) Idem: ſignificatus termini ſubſtratiuus eſt id, quo terminus ſupponit, (id eſt, id quod terminus ſignificat) vt Chriſtus vel hic homo ſupponit pro perſona verbi habente naturam humanam. Homo ſubſtratiue, (ideſt ſubiectiue) ſignificat ſuppoſitum ὑποστάτες formaliter, naturam ſubſtantialem, nempe humanam à qua ſuppoſitum denominarur, lib. 3. diſt. 7. quæſt. vnic.

Ampliatio (ſeu extenſio termini) reſpicit ſignificatum termini ſubſtratiuũ, hoc eſt illud pro quo terminus accipitur, ſeu quod terminus ſignificat, vt hic: Chriſtus fuit homo & erit in æternum homo. Hæc dicitur propoſitio ampliatiua, reſpectu huius Chriſtus eſt homo.

Lib. 4. diſt. 3. quæſt. vnic. In Sacramento duo conſiderantur 1. ſenſibile aliquid, quod ſignificat effectum ſacramentalem 2. ipſa ſignificatio, propter quam ſenſibile ſignũ inſtitutum eſt, pro primo ſupponit nomen ſacramentum, & ſecundùm connotat. Et ita primũ nẽpe ſignum eſt ſubſtratum ſeu materiale: ſecundum eſt formale ſeu connotatum. Et ſicut in compoſito ſubſtantiali materia ſubſtat formæ, & forma dat eſſe ſpecificum compoſito, ita in adductis per terminos connotatiuos, ſignificantes ſubſtantiam & accidens, ei inhærens. Significatum ſubſtratiue eſt materia ſeu ſubiectum denominationis formæ accidentalis, quæ connotatur: & cõnotatum eſt forma accidentalis inhærens ſubiecto, vt patet in calido, albo, iuſto.

Album nõ eſt ſubſtantia & accidens ſimul.

Et hinc generaliter ſignificatum ſubſtratiue per quoſcunq; terminos connotatiuos dicitur Materia: & ſignificatum formale dicitur forma. Atq; ita loquendo de ſacramentis, omnia ſenſibilia in

eis, (vt in baptismo aqua, lotio, verba) dicũtur Materia: & ipsa significatio forma.

Alia tamen consideratione Augustinus & Hugo elementum materiam sacramenti dicunt & verba formam. Sic modo dictus Gabriel Biel eodem loco. Elementum quia magis materiale seu corporale, dicitur materia, & verba, quia magis spiritualia sunt (quod ad interiorem vim attinet) dicũtur forma: sicut in composito substantiali quod per se vnum est, forma est spiritualior materia, & principalior pars compositi, vt verba in significando sunt principaliora, quam res sensibilis (Augustin. 2. de doctrina Christiana verba inter homines obtinuerũt principatũ in significando.)

Substratum sæpe diuersimode (πολυτρόπως) accipitur, vel diuersis acceptionibus significatur. Politiores sic loquuntur. Subiectum modo simplex, modo compositum (conditione aliqua adhibita) substernendum est, simplex vt homines: compositum vt homines iustificari fide. Claud. Alberius, Verę fidei verbum Dei substratum est. actus substratus peccato nõ est à Deo, Scotus lib. 2. dist. 37.

Sic sternendum est subiectum, id est ponendum Eleganter dicitur. D. Scholasticus Gabriel Biel diceret substratum religionis est iustitia Dei. Tu dices σαφέστερον & λογικώτερον: iustitia Dei est subiectum ὁλοτελὲς, quo vera religio veruſq; Dei cultus fundatur.

Barbari: Duo substrata, identificantur aliquando: Latini sic. Duo subiecta aliquando sunt vel fiunt vnum copulatione seu ἑνώσει, id est vnione, vel per se, vel per accidens, vt Christus & Ecclesia, caput & membra, vitis & palmites, maritus & vxor, Pater & Filius, mater & fœtus qui in vtero matris est, & vita matris quodãmodo videtur sustentari: λόγος & natura humana.

Termini nonnulli cõnotatiui, non connotãt id quod inest suo substrato, sed quod ei insuit vel alteri inest, vt Ebrius, condemnatus (sententia iudicis)

Subiecta relationi dicuntur vulgo substrata.

Interdum substratum distinguitur cõtra abstractum. Iacob. Mazonius. In malo morali & peccato mali ratio apparet primo in ea deformitate, quæ videtur in auersione à recta ratione (vocant Theologi abstractum) deinde nempe per aliud, id est per impulsum cõcupiscentię aut per impetum iræ in ea actione, quæ rationis limites egreditur, quam etiã Theologi peccati substratũ appellant lib. 1. comparationis philosoph. Platon. & Aristotel. pag. 32.

SVBINFERRE.

Græcis est, συνεπιφέρειν, vt canum significat commune quoddam separatum, quod potest omnibus commune esse: sed additum naso, significat determinatam quandam cauitatem propriam nasi, vt quæ non posit esse nisi in naso, qualis iam appellatur σιμότης cauitas, subinferens certum subiectum. Idem dici potest de cauitate crurum, cuius gratia varus aut valgus dicitur quispiam.

Differentia subinfert, vel proximum genus vel commune quoddam superius, vt si duorũ *contra se mutuo distinctorum* generum eædem fuerint differentiæ. Schegkius lib. 13. demonst. pag. 382. Par συνεπιφέρει numerum.

SVCCESSIVVM.

Primum Philosopho & Physico familiare vocabulum, pro eo quod est in successione positum, cuius partes simul cohærere nequeunt, sed vni intereunti altera succedit. Hinc Ens succes-

cessiuum dicitur seu fluxum, vt sunt Tempus (cuius successione species sonit ad aures prolabitur) motus, sonus (qualitas auditu sensilis.)

Estq; successiuum quid { Per se & interne, vt motus. / Per accidens, vt sonus ob successionẽ motus corporum sese collidentium.

SVCCVS.

Vox est à Sugo vel suggo. Proprie enim est humor qui exsuggitur, Græce χυλὸς.

Speciatim succus dicitur in corpore animalis humor, sanguis, phlegma, flaua & atra bilis, quæ est succus melancholicus. Et humor ex planta aut alia materia manibus aut torculari aut igne expressus, Marcell lib. 1. Dioscor.

Itaque in Chymica doctrina succus est essentia proxime è corpore σωμάτει (consistentia χυλειδεῖ Chyliformi) extracta. Nonnihil corpulentiæ secum vehit. Itaque si cum mysterio (de quo in quinta essentia agitur) conferatur corpus, dici potest, cum non sit omnino elaborata essentia, sed adhuc rudior. Nec raro est mysteriorum materia. Habet secum aliquid humidi, quod est exhalabile, aut euaporabile.

Hinc succus concretus dicitur, cum liquidior paulatim per digestionem seu coctionem inspissatur, vt concrescat. Qui & succus inspissatus dicitur. Huc pertinent syrupi, sapæ, decocta, tinctus.

SVCCINVM.

Succinum, seu electrum est lacryma arborum resinatarum, populi, pini, pinastri. Est succus arborum qui in mare proximum delapsus durescit & coit, potest vt tæda succendi, alit sua pinguedine flammam, eamq; optime olentem.

Dioscoridi succinum fit ex resina populi destillata in Eridanum, & indurata calore, vel proprio, vel aquæ.

De hoc Ouidius 2. Metamorph.

Inde fluunt lacrymæ stillataq; sole rigescunt
De ramis Electra nouis, quæ liuidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gustanda latinis.

Legitur in parte Borussiæ am Schrande, id est, litore, vnde magister literis Schrandtmeister dicitur, qui iis, qui Electrum legunt, mercedem reddit sale. Legitur etiã in litore finitimarum Borussiæ regionum.

Succinum est { Simplex { Liquidum, flauum, fuluum, pellucidum, q. vitreũ, quod Glassum & Glessum dixerũt, à vitri perspicuitate. Huc pertinet succinum falernum, id est, vini falerni colorẽ habens, wein klaret vom stein. / Obscurum crassum, album, candidum pene osseum flauum, non pellucens Bastardt { Purum / Impurum, albo & nigro mistum colore, } } / Mixtum cum aliis succis: vt succinũ mellei coloris, cui annatum atramentum. }

M. Rulandus in Lexico Alchymiæ.

Succinum esse lacrymam seu resinam arborum quarundam, non tantum odor, color, materiaque ipsa cum atteritur & accenditur, ostendit, sed etiã hoc argumeto est, liquidũ pri-

mum destillasse resinam, ex arboribus quod in succino translucent, muscę, aranei, formicæ, culices, quæ animalia forte inciderunt cum destillaret gutta in aquam vel dum penderet adhuc in aere iam cadens, & ita cum massa coierunt & induruerunt. Tale succinum dicitur Grauidum.

Arabes Succinum vocant Carabe, quod princeps Aboali interpretatur, rapiens paleas. Gagates lapis succino affinis est, sed non est idem cum eo, quia fit ex bitumine. Affinitas eorum consistit in attractione, & passionibus.

Nam 1. & succinum & Gagates attractus attrahit paleas, stipulas, fila, (si tamen festicula, siue palea, oleo liniatur, vt ait Scaliger exerc. 104. sect. 12. attractio non fit.) 2. & vterq; igne accensus flagrat. Sed succinum non ardet in aquis, licet oleo quodammodo ardeat, propter resinæ, vnde fit, debilitatem.

Gagates vero magis ardet in aqua, & hæc accenditur propter vim bituminis, sicut oleo restinguitur. Germani hos lapides miscent.

Gagates { E petroleo, seu naphtha subtili colore similis pelli leonis.
{ E naphtha nigra. Lapis Thracius, schwartzer Agstein.

SVFFICIENTIA.

Sufficientia perfectionis quædam species est. Primum est summa increata Dei αὐτάρκεια: Deinde est inferior, creata, vt hominis αὐτάρκεια.

In Theologia dicitur: Satisfactio Christi nostris peccatis, etsi temporaria sit: tamen est perfecta & sufficiens: Imo est æterna, non quidem infinito tempore, sed sufficientia, valore, & efficacia.

In Recentiorum Philosophia sufficientia est exacta ratio seu sufficiens constitutio (σύστασις) aliquorum, vt numeri, principiorum, partium. Sic Scal. ex. 297. s. 1. cuius inscriptio est sensuum sufficientia: Rerum sufficientiam recentiores Philosophi sese explorare dicunt, vbi quærunt, plures ne sint species siue partes, an pauciores, tum vero an esse possint. Et ex. 106. sect. 2. Sufficientiam Barbari nostri vocant, quoties exacta initur ratio principiorum, quæ cuipiam rei attribuuntur. e. c. Quare non sint plures quam tres figuræ ad ratiocinãdi collligendique artem constitutæ. An quippiam sit satis digestum; An allata omnia sint diuisionis membra. Idem Scalig. hanc vocem barbaram donauit ciuitate Latina, quod hac authoritate præditum sit iudicium Philosophorum, quos nominibus fingendis atque imponendis iure communis sapientiæ æquum sit perpetuam gerere dictaturam.

SVNT.

Sunt significat nexum, hyparxin, systasin, existentiam, effectionem, vt Antipodes sunt populi: Antipodes sunt, i. e. existunt. Homo est ab homine, vi hominis est, id est efficitur. Magis tamen compositionem seu constitutionem, quam effectionem significat. Arist. 1. Phys. c. 5. Omnia sunt à principiis, id est constant vel fiunt. Nam definitione principiorum videtur Aristotel. complecti & constitutionis & generationis principia. Vid. Fonsec. in lib. 5. Metaph. c. 5. qu. 2. pag. 16.

A Plu-

A Plutarcho refertur in Rom. problematis ſpuria ſignificare lingua Sabina eas partes, quibus mulieres ſunt: id eſt, quibus mulieres ſunt id ipſum, quod ſunt.

Sunt interdum intelligitur de potentia. Sunt, ideſt, eſſe poſſunt interdum huic opponitur, vt cum I C. dicit: Ad alterum genus ſuorum pertinent nepotes, qui non quidem ſui ſunt, ſed eſſe poſſunt, filiis ſcil. mortuis; Atque ſic ſuorum loco habentur, non reuera ſunt: Sunt ſui repræſentatione paterna.

Superficies, ἐπιφάνεια.

1. Superficies eſt quãtitas duarum dimenſionum ſeu ſuperficies, qua corpus quodque terminatur, latitudo eſt in corpore, ſine vlla ſui profunditate.

Eius conſideratio eſt philoſophica & phyſica, vel mathematica: Phyſico more accepta ſuperficies eſt actu in corpore tanquam eius extremitas. Quæ in medio corpore potentia eſt, reduci poteſt ad actũ reali diuiſione, Mathematico more accepta abſtrahitur à corpore.

2. Locus Ariſtotelicus dicitur ſuperficies (concaua) qua locatũ corpus à corpore ambiente continetur. Hæc ſuperficies nõ reddit formaliter rem quantam, ſed quanta ſupponit, formaliterque efficit locatam.

Superficies diſtinguitur in internam & externam. Interna inhæret ei, quod denominat quantum dupliciter dimenſum. Itaque inhærens dici poteſt. Externa non inhæret ei, quod denominat locatum. Intellige locum non inhærere corporibus, à quibus occupatur, loco conuenire non realem inhærentiam, ſed realem coniunctionem.

cus eſt in bili per lem cõ- nctionẽ.

SVPERFOETATIO.

Superfœtatio duplex eſt, vna propria, cũ vno conceptu iam facto, ſecundus proxime ſecutus denuo nouam domũ ſibi parat: Altera impropria, cum plures fœtus vno concubiru generantur, quos gemellos vulgari nomine appellant. L. Mercatus.

Superlatiuum ſummum.

Summũ (ſicut omne ſuperlatiuum Maximum, beatiſſimum) accipitur dupliciter ſecundum duplicem eius ὕπαρξιν, affirmatiuam & negatiuam. Affirmatiue ſummum vel maxime eſt, quod omni alio maius eſt. Negatiue ſummum vel maximum, quo nullum eſt maius.

Vſus.

Quæritur vtrum creabilis ſumma ſit gratia. Hic ſumma ſi ſummatum poſitiue ſeu affirmatiue ſententia eſt, vtrum gratia õi alia maior, ſeu omnem aliam omnino tranſcendens ſit creabilis. Si negatiue, quæſtionis ſententia eſt, vtrum gratia creabilis ſit, qua nulla alia maior. Primo modo non poteſt, niſi vni conuenire ſummum, ſecundo modo poſſunt eſſe plura ſumma primo modo ſi ſumatur, ſummum non poteſt gratia creari, ſumma creatu poſſibilis. Quæcunque enim talis creatur in quocunque ſubiecto, Deus poſſet hunc ſimilem creare in alio ſubiecto, exempli cauſa. Quantamcunque gratiam creet Deus in anima Chriſti, cum abſoluta potentia poſſit dimiſſa illa anima, aliam aſſumere, poteſt tantam gratiam in hac creare, & per conſequens gratia in anima Chriſti producta non eſt affirmatiue ſumma.

An aut creabilis ſit ſumma negatiue, dubium eſt? Scotus ſentit dari non poſſe ſummam gratiam à Deo creabilem, eo quod in formarum extenſione ponendus ſit ſtatus, ſeu terminus, vltra quem procedi nequeat. Occam contra ſtatuit in gratiæ ſicut omnes forma intenſibilis ἀυξήσει poſſe procedi in

infinitum, vt ignis in infinitum augeri potest, & maior fieri, si adsit combustile, etsi ignis actu infinitus non sit possibilis. Vid. Bielem (qui posteriorem assectatur sententiam) lib.3.in Magistr.dist.3.quæst.1.

Summum
- Ἀπλῶς; & infinite. Sic Deus est vnus ὑπέρλαλος & ὕψιστος.
- καλῶς & limitate, & in suo genere animæ Christi data gloria summa, id est excedens gloriam cuiuslibet creaturæ, vel summa perfectio possibilis creaturę intelligenti: vt summa perfectio naturæ humanæ, est vnio hypostatica Gabriel. Biel.

Positiones Bieli ex Scoto.

Probabile est, subiectum simpliciter determinare sibi certum gradum qualitatis, quam recipit ita vt maiorem (etiam per potentiam Dei absolutam) recipere non possit. Quo posito dato ve, datur summa gratia possibilis naturæ intelligenti, non autem summa simpliciter.

Subiectum susceptiuum alicuius perfectionis determinatur ad certum gradum, vltra quem non potest recipere perfectiorem: Vt enim actiuitas, sic quoque receptiuitas finita est.

Omne δεκτικὸν gratiæ accidentalis est in potentia obedientali, ad recipiendum à Deo quemcunque gradum gratiæ, quē capere potest anima Christi summam percipit gratiam, cuius capax est creatura intelligens, secundum potentiam Dei ordinatam, id est, totā gratiam datur δυνατὸν ἀ καλὰ τὸ μέτρον, sed sine modo infinitam. Sic & Deus animæ Christi contulit summam gloriam & beatitudinem, cuius capax est intelligens creatura. Hoc summum & totū gratiæ & gloriæ, est plenitudo excellentis prærogatiuæ, sufficientiæ, & abundantiæ.

SVPPOSITVM.

Suppositum dicitur quod ad conclusionem vel quæstionem concludendam sumitur; vt concludēdum est auctum & nutritum semper manere idem. Vt hoc recte fiat, supponit̄ aliquid posse dici vnū seu Idem Numero his modis.

Idem numero dicitur aliquid
- Proprie, cum manet semper idem
  - Secundum sensum, vt cœlum.
  - Secundum se totum, vel saltem secundum præcipuam aliquam sui partem, vt formam, vt Homo *a*.
- Improprie seu minus proprie, quod manet idem
  - Secundum aliquam sui partem, quæcunque tandem ea sit. Sic homo dicitur idem numero, si semper ex aliqua ex partibus ortis generatione ex semine perseueret.
  - Secundum *b* æquiualentiam & eandem rationem cum ijs, quæ perierunt, vt populus, fluuius.

Expli-

Explicatio.

a. Homo.] A forma maxime vnitas & distinctio sumitur.

b. Æquiualent.] Hic idem numero dicitur id quod licet secundum se totum & omnes sui partes mutetur, non tamen simul, sed successiue & paulatim, suffectis nimirum partibus simillimis his, quæ soluuntur, maxime si manet eadem figura. Sic flamma candelæ, fluuius, populus licet perpetuo fluant, idem tamen est populus, idem fluuius, eadem flamma, quia id quod de integro additur seu reparatur, seu reficitur, quod deperditum est, non est pars essentialis, quæ possit mutare essentiam præexistentis, sed solum æqualis & eiusdem rationis cum alijs. Ita nutritum manet idem numero, præsertim in animalibus perfectis. Εὐλόγιστον scilicet quibusdam est acutissimis Philosophis, in imperfectis reptilibus, & annuosis animalibus & ossa non habentibus, vel ex putredine terræ natis, mutata per nouam reparationem vniuersa materia, numero etiam mutari nutritum, quia forma pariter educta de materiæ potentia (quod eis placitum est) crescit & decrescit. Vide Mercatum in l. de anima & eius potent.

SVPPOSITALE.

Sic loquuntur Barbari, est autem suppositale esse, esse substantiale, substantiæ individuæ, cuiusmodi est esse hypostaticum.

Nihil dicitur accidentaliter de supposito, & esse accidens eius, si ad eius esse substantiale hypostaticum siue suppositale pertineat.

Vnio humanæ naturæ suppositalis est vnio personalis seu hypostatica; facta enim est in subsistentia verbi, non in essentia.

Suppositalitas interdum accipitur pro personalitate, per Synecdochen, sicut suppositum pro natura eodem tropo, vt cum dicit Anshelmus: nulla creatura potest esse impeccabilis, nisi sit assumpta à supposito diuino, id est, Persona diuina. Scotus lib. 2. distinctione 23.

Suppositiones Græce hypostases, sunt pronunciata, quæ in scientijs vel demonstrationibus conficiendis ponuntur esse vera, ita vt non per alia demonstrentur. Dicuntur principia scientiæ & demonstrationis.

SVPPOSITARE, & suppositum.

Suppositans est subsistere faciens. Omnis natura aut in se subsistit, aut alteri innititur, vel vt pars toti, vel vt forma subiecto, vel vt natura suppositanti. Gabriel Biel 3. lib dist. paulo ante 23. de incarnat.

Suppositum est quod in se subsistit, alteri non innititur; si fuerit natura intelligens est persona. Idem ibidem: Suppositum est res, per se subsistens. Pererius. Cuius Canon est; Actiones sunt denominatiue suppositorum, id est, rerum per se subsistentium; id est, substantiarum accidentibus affectarum.

Suppositale esse, est esse substantiale, substantiæ individuæ, cuiusmodi est esse hypostaticum.

Fonseca in Metaph. libr. 5. cap. 8. quæst. 7.

Nihil dicitur accidentaliter de supposito, & esse accidens eius, si ad eius esse substantiale hypostaticum siue suppositale pertinet. Caro Christi habet tum esse naturale: tum esse hypostaticum; Illud in se, hoc in persona verbi diuini; per se enim non subsistit, etsi suis qualitatibus, vt subiectum substernitur. Suppositalis

vnio humanæ naturæ, est vnio personalis hypostatica (Græcis est ἕνωσις κατὰ ὑπόστασιν, id est, vnio secundum subsistentiam.) Facta enim est in subsistentia verbi diuini, non in essentia. Vnio animæ & corporis est naturalis.

Supra, Super, Plus.

Scholastici hæc modo intensiue, mõ extensiue, modo vtroq; mõ accipiunt. Itaq; dicũt, Dilectio Dei effectiua (qua præcepta eius seruantur) super omnia, includit intensionem & extensionem maiorem. Debemus Deum diligere super omnia, tam extensiue, quam intensiue. Extensiue, quia præceptis Dei nec alicuius creaturæ, nec omnium simul iussa, consilia, prohibitiones, minas debeo proponere. Intensiue, quia actu gradualiter intensissimo, seu maiori studio, conatu ac diligentia eniti debeo, vt præcepta ipsius impleam, quam quicquam aliud faciam.

Surdus.

Surdus accipitur Physice, Grammatice & Arithmetice. Physice proprie vel impropric. Proprie, vt cum dicitur surditas esse priuatio vel impedimentum auditus ὀλικὸν ortum ex humoribus oppilantibus neruos auditiuos (quos Barbari vocant audibiles) & buccas aurium ita replentibus, vt in eis nulla possit fieri allisio. ὀλικὸν dico, quia cum ex diminutione humoris existit difficultas ex auditione, proprie non dicitur surditas, sed auditus grauitas: improprie vt cum Ioannes Baptista Porta Magiæ naturalis libr. 3. ait Stannum, quia per se molle est surdum: cedit enim percutienti, metallis vero reliquis associatum fit magis durum & sonorum. Quo loco docet, quomodo Stanno surditas adimi possit.

In Grammatica Diphthongi surdæ sunt, quæ exaudiuntur. In Arithmetica numerus figuratus explicabilis est, vel inexplicabilis. Inexplicabilis vulgo surdus appellatur, vt surda buccina, vt surdi ictus, quia non audiuntur, hic numerus, hic surdus, quia numero explicari non potest vt latus 3. 5. 7. item lc: 4. 6. 9. Item ll. 10. 12. 14. cuiusmodi laterum additio & subductio propria quędam est, si dati surdorum figurati ita symmetri sint, vt communi mensura ad similes veros sui generis figuratos reduci possint, vt quadrati ad quadratos, cubi ad cubos, biquadrati ad biquadratos. Hinc addere surda, & tollere surdum latus à surdo latere dicimus. Vide Algebr.

Sursum.

Sursum accipitur in Physicis φιλοσοφώτερον, vt est terminus motus leuium. Sic nihil magis est sursum, quam locus, in quem fertur ignis, 2. secundum communem modum loquendi, id, quod est remotius à medio, vocatur sursum, 3. Vocatur sursum id, quod est locus omnium diuinorum.

Secundum primam significationem non est intelligendum, quod dicitur, Quod extremum totius mundi est, (intellige extremum cœlum) est maxime sursum, & Omnes homines locum, qui est sursum, attribuunt Deo. Vide Thomam Aquinat. lib. 1. de cœlo & mundo lect. 20.

Cæ-

Cœlum { Extremum, totius mundi, ſuprema ſphæra.
Omnes ſphæræ cœleſtium corporum Totus mundus, ſeu vniuerſitas corporum quæ continentur ab vltima ſphæra. Hac vocis cœli explicatione opus eſt cum reſpondendum eſt ad quæſtionem: An cœlum ſit ſurſum?

Ἄλλως.

Surſum accipitur & proprie & comparate vel reſpectiue. *Proprie*, vt cum dicitur ſurſum eſſe, ad quod feruntur leuia. Simplic. Surſum eſt quod à medio ferri natum eſt. Ariſtot. 4. de cœl. caput animalium eſt ſurſum. Ariſt. 2. de anima. Et ſurſum eſt, vnde eſt motus 2. de cœlo.

Comparate, vt cum ab Ariſtot. radices in ſtirpibus dicuntur eſſe ſurſum, nempe quia habent ſe vt os in animalibus, ſeu ſunt proportionales ori animalium, Ariſt. de animal. inceſſu.

SVSCEPTIBILE.

Accipitur 1. Paſſiue pro δεκτῷ: Sic Forma eſt ſuſceptibilis. 2. Actiue pro δεκτικῷ, id eſt capace ſeu receptiuo alicuius, quod barbariſſime dicitur capibile & capabile, quod non imitandum: Tu dices Materia hæc eſt huius formæ δεκτικὴ ſeu ſubiectiua. Sæpe additur ei vox ſubiectum, vt ſuppoſitum. Anima intellectiua eſt Gratiæ ſubiectum ſuſceptibile. Biel. lib. 4. d. 1. qu. 1. Suſceptiuum eſt vel mediatum vel immediatum, vt anima eſt pars hominis capacis beatitudinis, & immediate ſuſceptiuum huius. Tota autem natura hominis eſt ſuſceptiuum mediatum, nempe per animam, quæ eſt aliquid hominis. Scotus lib. 4. diſt. 49.

Totum ſuſceptiuum boni, formę, operationis { Immediatum, vt compoſitum viſionis. Hæc primo recipitur in toto.
Mediante (vt loquuntur) ſeu intercedente aliqua parte, vt corpus albedinis mediante ſuperficie.

Suſcipere aliquid in ſeſe Donato Acc. idem eſt quod recipere καθ' ἑαυτὸ: Ei opponitur ſuſcipere in alio, ἐν ἄλλῳ & κατ' ἄλλο: ita quædam animi potentia ſuſcipit rationem in ſe; quædam vero in alio, & ſecundum aliud, vt vis appetitiua rationem recipit ſeu appetit, cum potentiæ rationali obedit. Vid. Ariſt. in Eth.

SVSPENSVM, Anantapodeton.

Suſpenſa oratio eſt imperfecta vt anantapodetos, vt ſi quis τὰ μὲν, alia quidem adhibens omitteret τὰ δὲ, alia vero.

In Philoſophia ſuſpenſa actio eſt dilata. Sic ſuſpenſus aſſenſus alicuius dicitur.

In Geographia à centro terræ, ſuſpenſa manere in æquilibrio dicitur magnitudo terræ.

Suſpenſa ſententia eſt ſententia, quæ nihil definit, qualis eſt eorum, qui de nulla re pronuntiant, nec aſſeuerant certo, qualis eſt eiuſmodi Academicorum, qui in ambas partes pugnantes, & contrarias diſſerebant; ciuſmodi ſententiam Græci vocant ἐποχὴν. Vide vocabulum ἐποχὴ. De hac Viottus Medicus Taurinenſis in præfatione in 5. libros de demonſtratione. Fauorinus couſque erudiendos diſcipulos

censet, vt de quaque re ſuſpenſam ſententiam ſuſtinere poſſit.

Suſpendi ab officio politica phraſis eſt. Quanquam eſſet abſolute, eodem verbo dicitur ſuſpendi & ſuſpenſio. Intellige autem ſuſpenſionem ſpiritualem, canonicam & eccleſiaſticam, quæ contingit in officio, vel beneficio, vel vtroque. Dico ſpiritualis, quia etiam eſt quædam ſupenſio corporalis, vt cum quis in furcas tollitur.

SVSTENTARE.

Voce ſuſtentandi denotatur
- Actus ſecundus, vt Deus ſuſtentat creaturam à ſe factam (per modum Actionis.)
- Actus primus. Sic natura humana ſubſiſtendio velut actu primo in perſona verbi ſuſtentatur: vt hic vnum ſit perſonale.

Non actu ſecundo ſuſtentatur à Filio Dei humana caro aſſumpta, ſicut Domus à fundamentis, aut mundus à Deo, ſed actu primo per modum naturæ, ſeu in genere cauſæ formalis, qua vt materia acceſſione formæ perficitur, ſic natura beneficio perſonæ, vltimam accipit, eamque ſubſtantialem ſubſiſtendi perfectionem, vel ſicut ramus inſitus ab arbore alterius ſpeciei ſuſtentatur, cum qua in vnam quaſi hypoſtaſin caleſcit.

Suſtentamentum.

Suſtentamentum ſeu ſuppoſitum ſuſtentans, at ſuſtentamentum immediatum, eſt ſubiectum ſuſtentans accidens, vt quod ei innitatur quod ſubiectum: ideo etiam vltimatum vocat, ſed barbare, Picus, vt anima eſt ſubiectum virtutis vel ſcientiæ vltimatum corpus aſpectabile eſt ſubiectum coloris vltimatum ſubiectum ſubſtantiale, quo color fulcitur. Et hoc ſenſu immediatum dici poteſt. Potentia igitur animæ eſt ſubiectum virtutis. Superficies ſubiectum coloris, ſed nõ vltimatum: itaque à Pico ſubiectum aliquo modo dicitur, quia potentia animæ per animam & ſuperficies per corpus ſuſtentatur. Phyſica hæc conſideratio eſt. Quæ vero analytice, proxime, & primo virtus attribuitur potentiæ animæ, in qua ineſt, & color ſuperficiei, in qua ineſt, hac ratione virtutis ſubiectum immediatum ac propinquum dicitur animæ facultas & coloris ſuperficies. Subiectum vero virtutis mediatum & remotum animæ & coloris, corpus, quia interuenit potentię virtus animæ, & interuentu ſuperficiei color corpori viſibili attribuitur.

Ex hac diſtinctione intelligitur canõ Pici. Vtrũ accidens põt eſſe ſubiectũ alteri, vt qualitas, qualitatis, quanquam non vltimatum. Quod ita conciliari poteſt cum illo Ariſtotelis. Accidentis non eſt accidens. Qualitatis non eſt qualitas. Vide Apologiam Pici, ſuperficies nõ poteſt eſſe coloris ſubiectum, cum ipſa ſuperficies ſit accidens; Subiectum ſcilicet in ſe ſuſtentans. Eſt, qui dicat, *color exiſtit in ſuperficie, ſed ſubſiſtit in corpore.* Id non probo, quia non eſt à philoſophis receptum.

Suſti-

Sustineri.

Sustineri pro desinere. Elegans est, vt vbi Analysis sustinetur, id est desinit, ibi genesis exorditur, in ædificando antequam ad opus conficiendum veniatur finis domus primus est, seu primo occurrit, deinde adhibita deliberatione hac consultatione tegumentum inuenitur, tunc sub cogitationis acumen parietes subeunt & succedunt: tandem diligenter inquirentibus occurrunt fundamenta, ad extremum de fossione terræ cogitatur, hæc analysis est, sed si spectetur genesis, seu operis confectio, Primo ad fossionem terræ incumbitur, tum fundamenta iaciuntur ac locantur, deinde parietes construuntur & coagmentantur, postremo tegumenta adornantur, & diffunduntur. Guilielmus Tempellus de vnica methodo. Et Simplicius: Hæc duplex consideratio vtilis ad considerationem inter scientiarum inuentionem seu inuestigationem per inductionem, & eorum, quæ inductione speciatim constitutæ sunt, ordine collocandorum methodum facilius intelligendam.

Sustinere rationem formæ est esse pro forma: vt in coniugio personæ sustinent rationem materiæ: obligatio ipsa libero & pleno fit cõsensu sustinet rationem formæ matrimonii, & velut anima quædam huius est.

In cœna Domini sunt, & sustinent rationem formæ panem & vinum benedicere, panem frangere, dare, accipere, manducare, vinum itidem cum benedictione indere, accipere, & bibere: Hæc enim sunt, quibus constat sacramentalis actio. Ab hac distinctæ sunt accidentariæ circumstantię, quæ sunt variabiles, vt hoc vel illo tempore, tali vel tali vino cœnam celebrare.

S V V S.

Suus, 1. Possessiue accipitur. 2. Idem est quod proprius, & opponitur ei alienus, non suus. Exempla; pedem vbi ponat in suo non habet. Hortensius è vita cessit suo magis, quam ciuium suorum tempore. Cic. de Clar. Orat. & ibidem; Alienissimo Reipub. tempore. Sic dicit Scaliger, hic est suus, interdum proprius suo additur, per seu propter emphasin, vt sua cuiq; virtuti laus propria debetur, Cic.

Suus hæres est, qui quasi proprius, vernaculus, Domesticus, οἰκεῖος seu domi natus, nec aliunde accitus est: γνήσιος Græcis.

Sui { Natura: in primo gradu filii, filiæ.
Successione, legeque: vlteriore gradu, nepotes, aut posteriores.

Lege) lex eis patris sui ius sic attribuit, vt patrem suum repræsentent. Scripserunt ad eum sui intell. necessarii, familiares. Vicina significatio est, cum suus dicitur, qui suæ potestatis est, sui iuris. Alterius non sit, qui suus esse potest.

Suum interdum est debitum, iustum, naturale, vt creditor suum repetit. Suæ ætatis est factus, id est, iustæ: excessit minorem ætatem, sua morte defunctus: Suetonius in Iulio: idest, naturali, quæ naturæ debetur.

Vltimo suus est idem, quod sanæ mentis, vt furiosus non est suus, idest, non sanæ mentis, exiit è potestate, non est in potestate mentis, sed redeo ad suum pro proprio. Eius insigne exẽplũ est in hoc demõstratiuo syllogismo Iul. Scal.

Omne spatium, ad quod mouetur cor-

pus naturaliter est suum (id est, proprium) corpus illius. Ignis sursum moueturnaturalirer. Ergo spatium supremum est suum ignis, (ideſt, proprium est ignis, seu igni.) Hoc est, ignis locus est, in supremo spatio sub luna supra aerem, exercit. 9. Conclusio hęc demonstrata.

Suitas.

Vt Chymici dicunt oleitas, ab oleo pro essenria olei vel vnctuositate: Sic Iureconsult. Suitas à suis, vt ius habere suitatis, Sic D. Vultejus quoque in comment. Institut. loquitur. Ita duitas pro dualitas dicitur Græce δυὰς.

Etsi autem suitas apud veteres non reperiatur, tamen ab vsu huius vocis non abhortemus. In his enim, quæ ad docendum apta sunt, modo vsu paulatim sensimue recepta frequentataque sint, non nimis Grammaticorum, & Ciceronianorum Canonibus, decretis, ac scitis obstrictos nos esse decet.

Suitas autem, Græcis γνησιότης, Latin. Germanitas est sui hæredis qualitas.

Alciatus suitatem definit, quod sit qualitas hæredũ, qui primum in paterna potestate locum obtinent, contnuationem dominii, ac necessitatem successionis inducens,

Cautio.

Suum pro eius, seu illius sæpe indocti, interdum etiam docti vsutparunt. Hoc ἄκυρον non imitaberis, obseruabis tamen exempla ex Enchiridio ad verborum copiam, Animus suus est, ad solam virtutem inflexus: pro eius. suis natalibus nihil est nobilius, id est, eius. Nihil suo genere est illustrius, pro eius. φιλαργυρία mentem suam tenet, occupat, illigat. Nullus est suorum scelerum modus, pro eius nulla libido ab oculis, nullum facinus à manibus vnquam suis, nullum flagitium à corpore abfuit, pro eius. Suo cerebello nihil putidius, lingua nihil barbarius, ingenio nihil stupidius, pro eius. In suo ore puriſſima resident latinæ linguæ proprietas. Sessitat in labris Suada diserta suis. In labris Pitho stat reuerenda suis. Suis labris persuadendi Deam sessitasse nemo nescit, mollita quædam suauitas oñ suo insidet: pro eius, Vetus hoc est. Quod sibi quisque serit, præsentis tempore vitæ. Hæc sibi messis erit, cum dicitur, ite venite. Hic dicendum erat. Hoc ei messis erit.

Symbolum.

1. Symbolum est, quod à multis in vnum confertur. 2. Symbolum est indicium, nota, tessera. Aristot. nomina rerum symbola vocat, hoc est, signa & notas, quasi tesseras, quæ primigenia sunt, vel deducta, seu orta. Nomen dicitur esse symbolum rei, id est, rem notare. Notat autem, cum habet generalem quandam cum re conuenientiam, & quasi cognationem. Sic Gentil. lib. Orig. debet esse rei consentaneum nomen. Secundo, quæ barbare dicuntur comessalia, symbola græcis sunt. Sic in Log. Genus est symbolum causarũ, id est nota causarum, hoc est, significatione essentiales causas comprehendit: vnde & causa symbolica dicitur. Conuiugata habent symbolum argumentorum consentaneorum & simplicium. Ab iis enim orta sunt.

3. Symbola dicuntur, quæ in omni actu legitimo profano, vel sacro, humano, vel diuino, ciuili, vel canonico, interueniunt aspectibilia: vt in testamentis æs & libra, in emancipatione alapa. 4. In Physic. Symbolum est conuenientia in qualitate, & symbolica elementa dicuntur ea, quæ societate qualitatis alicuius in excellenti

grado

gradu conueniunt, quæ ὁμοπαθῆ, id est, dominantem calorem, terræ & ignis, quæ siccitatem dominantem cõmunem habent: Aliàs, Habentia symbolum: Eaq; facilius in sese commeant. Non symbolica seu ἀσύμβολα contra, id est, quæ symbolum seu conuenientiam in aliqua qualitate non habent.

5. Apud Iustinianum in Nouel. const. 81. symbola dicuntur codicilli, seu diplomata, quæ cõtinent testimonium collati à principe publici muneris. Apud Suetonium in Claudio: Codicilli datorum officiorum.

6. Symbola denique sunt magnorum virorum dicta ipsis familiaria: quale est hoc Illustriss. Hass. Principis Mauritii: Consilio & Virtute.

SYNECDOCHE.

Synecdoche est comprehensio, conceptio, intellectio.

Synecdoche { Logica { Rhetorica, *vocis*, vt frigidus annus, pro frigida hieme Virgil. / Dialectica, *sententiæ*, vt Deus est mortuus. / Grammatica, *locutionis*, vt Nuda genu. } / Philosophica. *Appellationis*, vt in voce Geometra. }

Synecdoche oratoria est tropus, in quo pars pro toto vel contra ponitur. Ramus. Vel synecdoche rhetorica est, in qua pars pro toto, vel contra, vel continens pro contento sumitur. Melanchthon 2. Rhetoric. & Erasmus in lib. de copia, vt Epoti cadi, pro vino Epoto. Deus scrutatur corda & renes, id est, intimas cogitationes & cupiditates hominum. Aliis hæc dicitur Metonymia.

Synecdoche dialectica est, cum toti attribuitur, quod proprium est partis.

Sic Vitus Amerbachius lib. 3. de philosophia naturali pag. 265. Sæpe toti tribuitur per synecdochen, quod in parte tantum est, vt Virgilius est Poeta, secundum partem, hoc est animam, non secundũ totum, quod est corpus cum anima. Mihi propositio est non determinata, limitabilis, secundum partẽ intelligenda, sic homo est albus, est sciens. Propriè & primo superficies alba est, & pars animæ ratiocinatiua sciens. Ita intelligatur quod idem Amerbachius ait, Aliquid in se est, per Synecdochen pag. 264. vt si vas cum vino haberetur, pro toto, id in se esset quatenus pars, hoc est, vinum esset in parte, hoc est in ipso vase, receptaculo vini, vt nihil sit aliud sic totum esse in seipso, quam totum ex partibus cõstare, quarum altera insit alteri. Sic si panis cum corpore Christi haberetur pro toto, ita vt partes huius (totius) simul essent per contactum, id (totũ) in se esset, quatenus pars, hoc est corpus Christi, esset in parte, hoc est in ipso pane.

Hanc Synecdochen sententiæ intelligit Lutherus, cum in confessione de cœna sic inquit. Verus tropus est, quẽ scriptura & omnes adhuc Doctores vsurparunt, vt Christus est mortuus.

Melanchthoni etiã Synecdochica prædicatio est, in qua coniunctum prædicatur de coniuncto, vt flammæ in ore Apostolorum erant Spiritus S. Figura

tam hanc vocat in sermone impropriõ. Mihi est attributio seu prædicatio impropria, seu irregularis. Grammatica locutionis seu Syntaxeos Synecdoche, seu Synecdochica constructio, est, cũ adiectiuo vel verbo quasi totum significanti additur accusatiuus partem significans, vt Nuda genu, doleo caput, ἀλγῶ. κεφαλὴν. Gaza. vbi Ellipsis est præpositionis κ̃ Attica.

Philosophica Synecdoche est, cum alicui imponitur nomen à parte, cum aliquid denominatur à parte, non autem pars pro toto ponitur, vt cum cœna seu communio Eucharistica dicitur fractio panis, cum loquendi ars dicitur Grammatica, cum Christus seu θεάνθρωπος dicitur Filius hominis. Denominata hic est persona ab vna natura nomine concretiuo.

Vsus.

Diuersas hasce acceptiones auctorum scire magnæ est vtilitatis. Disputatum acriter est, an sint συνεκδοχῆ affectæ hæ propositiones; Christus est clauis affixus, mortuus, est sepultus. Qui respexerunt ad subiectum proprium ἐν ᾧ, in Quo, contenderunt esse in iis tropũ Synecdoches Rhetoricæ secuti Bernardum in explicatione Symboli Apostolici: Tulerunt dominum meum, id est, corpus domini mei. Et paulo ante ad verba, Qui conceptus est: Qui inquam Christus, siue qui Filius Dei secundum assumptam humanitatem conceptus est è Spiritu Sancto, ac si dicat: Cuius humanitas de ipsa substantia virginis per operationem diuinæ gratiæ concepta & nata est: Et Augustinum de anima & eius origine ad Renatum libro 1. tom. 7. pag. 1158. Ex parte totum, & ex toto partem, diuina Eloquia significare consueuerunt. Ex parte enim totum significatum est, vbi legitur: Ad te omnis caro veniet, quia ex carne intelligitur totus homo. Ex toto autem pars, cum dicitur Christus sepultus, cum sola eius caro sepulta sit, & Vigilium lib. 2. cap. 3. Deus legitur sepultus, & in monumento tribus iacuisse diebus, cum sola caro sepulta sit. Sepultura enim non conuenit verbi naturæ.

Qui vero respexerunt ad vnionem personalem, & vnitatem personæ subiectumque denominationis seu ϑ, voluerunt hic singulas voces esse proprias, nullam tropo Synecdoches esse affectam. Vtramque Synecdochen & Logicam & Rhetoricam habet, & approbat Iohannes Cassianus de Incarnat. Domini in fine lib. 6. & vocat tropum Synecdoches, quo & è parte totum intelligitur, & à toto portio nominatur. τρόπος enim, id est, modus vox ambigua est, & non tantum attribuitur orationi (quæ Rhetorum est,) sed etiam enuntiationi (quæ Logicorum est.)

Ego nolo cum iis pugnare, qui hanc, Filius Dei est passus & mortuus, & similes propriis vocibus constare contendunt, Rhetoricè non esse modificandas autem particula ditas, exponendas autem particula distinctiua secundum, eamque cum expressa non sit animo, tamen esse concipiendam, addita natura, cui attributum proprie conuenit.

Ad Synecdochen etiam oratoriam Iodocus Willichius & Christoph. Cornerus referunt, cum duæ præcipuæ partes nominantur, è quibus intelligitur totum, vt Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram, id est, totum mundum. In explicat. Psalmorum.

Secun-

Secundum Quod, κατὰ ὅ, Quo, Quatenus, ἐφ' ᾧ.

Aristoteles 5. Metaphys. cum expos. Alexandr. Aphrodis. secundum Quod seu Quo dicitur multis modis. Vno quidem forma seu Essentia cuiusque rei, vt Quod est id quo bonus est bonus? ipsum bonum, id est, bonitas. Nam statua per formam (seu secundum formam suam) dicitur esse statua, & homo pari ratione per formam (seu secundum animam rationalem) homo esse dicitur. 2. Modo id dicitur, in quo primo apta est res fieri, vt in superficie color. Itaque id, quo aliquid primo dicitur, forma est, secundo autem loco, quod est vt materia cuiusque, & subiectum cuique primum. Naturale corpus secundum vel per superficiem colorari dicitur, quoniam superficies prima colorem excipit, sic statua non per formam tantum, sed etiam per æs statua esse dicitur: vt homo non per formam solum, sed etiam per subiectam formę materiam homo esse dicitur. Vniuersè autem quot modis dicitur causa, totidem etiam dicitur, secundum Quod. Solemus enim dicere secundum quod vitiosa vel bona ratiocinatio fuerit, id est, quæ sit causa efficiens Syllogismi vel paralogismi. Hucusque Aristoteles & eius interpres.

Christus secundum humanitatem est creatura. Limitatio Synecdochica est seu restrictiua. Non igitur secundum eandem est Deus creator. Caro assumpta secundum proprietatem suæ naturæ & essentiæ (aliâs hoc dicunt proprie) λόγος non est κοινωνία, quæ est secũdum ὑπόστασιν verbi, cui vni hypostasi communes sunt proprietates diuinæ & humanæ.

Esse actuale hominis dupliciter sumitur: vno modo secundum se, id est, simpliciter; Altero, prout est huius. Materia secundum quod materia, id est, materia qua materia, ad exclusionem materiæ secundæ.

Secundum se est Abstracte, vt Astrologus figuram sphæricam considerat secundum se & nulla ratione habita corporis naturalis, cuius est figura, quia mente illam abstrahit à talis corporis natura.

Secundum determinatiua, exegetica est, vti Christus est Dominus noster secundum vtramque naturam. Interdum distinctiua, restrictiua, vt passus secundum carnem Deus. Secundum naturam interdum est idem quod proprietate naturæ, vt Christus est omnipotens secundum Deitatem, id est, proprietate diuinæ naturæ.

1. ad Corinth. 3. Secundum laborem suum quisque accipiet suam mercedem. Hoc quidam interpretantur particula Pro, vt sententia sit pro merito laboris. Eodem redit interpretatio Dionysii Car. secundum exigentiam sui laboris. Alii vero ἀναλόγως sic: vt labores ministrorum fuerunt diuersi, sic diuersi futuri sunt gradus gloriæ.

Quodcunque conuenit alicui secundum quod ipsum præsupponit de omni necessarium & per se: Res immaterialis etiam Deus ipse secundum quod est in intellectu nostro obiectiue repræsentatur per modum rerum materialium scilicet nõ repræsentatis proprietatibus indiuiduificis. Res enim illæ non cognoscuntur à nobis secundum quod in ipsis sunt, sed per modum rerum materialium non per proprias species, sed alienas nempe rerum materialium. Humanitas in quãtum huiusmodi non est persona alieni.

Pro ſecundum ſe interdum dicunt Scholaſtici ex ſe id eſt ratione ſui, ſeu qua tale: poſitiue. Ex ſe negatiue non cum alio ſumptum.

Secundum aliquando ſignificat conditionem neceſſariam, aliquãdo formalitatem: vt quæſtio eſt. Vtrum finis ſit cauſa, ſecundum eſſe intentionale, quod vocant barbari philoſophi, an vero ſecundum eſſe Reale. Reſpondetur è Caietano. Si ſecundum ſumatur, vt ſignificat conditionem ſine qua finis nõ mouet, neque omnino cauſat, finis eſt cauſa ſecundum eſſe intentionale. Neque enim finis mouet cauſam efficientem ad agendum, niſi apprehendatur, vel ab ea vel ab alia ſuperiori, à qua efficiens dirigatur. Si vero ſumatur, vt ſignificat id, quo finis formaliter cauſat ac efficiẽtem cauſam ad agendum allicit, finis eſt cauſa ſecundum eſſe reale. Id enim quo agens formaliter allicitur ad agendum, eſt ipſum eſſe reale rei, quam conſequi deſiderat. P. Fonſeca in 5. Metaph.

Quæritur: quomodo finis cauſet ſecundum eſſe reale, vtrum ſecundum eſſe reale vt futurum eſt, an verovt abſolute ſumitur. Reſp. Fonſec. Si de conditione finis (intellige finem cuius) agitur, futurum eſſe eſt conditio, ſine qua non cauſat (quemadmodum eſſe apprehenſum.) Si vero de eo, quo formaliter cauſat, eſſe reale abſolute ſumptum eſt id quod mouet. Etſi enim ſanitas non mouet efficientem niſi vt futura, hoc, eſt, niſi vt nondum eſt: Id tamen quo mouet non eſt ipſum futurum eſſe, ſed ipſa ſanitas abſolute accepta, cui accidit, vt nondum ſit,

Eſſe Reale quod intenditur, eſt ratio mouendi. Conceptio illius eſt conditio ſine qua non mouet. Finis eſt primũ in intentione ſecundum eſſe reale, & vltimum in executione, ſecundum idem eſſe. Nam id ipſum primo intendit agens quod tandem actione acquirit, & conſequitur. Fonſec. Ibidem.

Secundum & A interdum coniunguntur, interdum diſiunguntur. Bona fiunt & ſecundum Dei prouidentiam & ab ea. Mala culpæ fiunt ſecundum Dei prouidentiam, ſed non ab ea.

SESTERTIVS.

Seſtertius eſt nummus argenteus (nunquã fuit æreus, inquit Budæus) quarta denarii pars, quod efficiatur ex duobus aſſibus & tertio ſemiſſe Vitruuius 3. c. 1. Alias Dupondius & ſemis. Numus Seſtertius: Seſtertius numus: & Numus (ſimpliciter.) Primo valebat duos aſſes & ſemiſſem quaſi ſemis tertius, Mætianus: Quatuor Seſtertii Denarium explent. Fr. Hottomannus de Rerum numaria pag. 172. Nota Seſtertii HS.

Poetæ & Græci dixerunt pro Seſtertii Seſtertia, ſicut Aſſaria dicuntur pro Aſſarii, & Denaria (in Pandectis) pro Denarii: Hotomannus, nixus autoritate Priſciani & aliorum veterum, exindeque negans Seſtertium genere neutro dici pro mille Seſtertii g. maſ. Ideoque addens hanc aſſertionem: veteres ſemper dicebant mille Seſtertios, nunquã vnum ſeſtertium aut ſingula Seſtertia dicebant.

At cum poetæ genitiuum Seſtertiorum ſeu Seſtertium non poſſent ſuis verſibus includere & aſſidue tamen in ore omnium verſari viderent, pro ſua licentia primum Seſtertia pro mille Seſtertii vſurpare cœperunt. Horat. epiſt. 2. Accipit & bis dena ſuper ſeſtertia numum, id eſt, accipit inſuper bis dena ſeſtertium numum.

1. *Columella* Seſtertium eſt bipalium l. 1. de arbor. c. 1. Agrum, quẽ Seminario deſtinaueris, ſat erit bipalio vertere, quod vocãt Ruſtici Seſtertium. Nam bipaliũ duos pedes & ſemis latũ ſignificat.

Romæ etiam locus fuit quidam carceris, in quo ſumi ſupplicium ſolebat, Plutarchus in vita Galbæ. Is vocabatur Seſtertium.

ſtertium. Appellationis ratio eſt, quod ita fere anguſtus eſſet locus hic, vt nō amplior pede Seſtertio videretur, id eſt, ſpatio duorum pedum & ſemis.

In lege XII. tabularum Seſtertius pes eſt Duo pedes & ſemis.

Hæc omnia ex ſententia Hottomanni.

Sed alii multi (quorum hic cenſor eſt in hoc argumento) non per omnia conſentiunt. 1. enim Itali, Sabellicus, Beroaldus, Egnatius, opinantur, Seſtertium virili genere pronunciatum nummum æreum fuiſſe duorū aſſium & ſemiſſis (ſummæ minoris.) Seſtertium autem generis neutrius nummū fuiſſe argenteum duarum librarum & ſemiſſis (ſummæ maioris) Hos A. Turnebus Gallus ſecutus eſt. Gallus Gu. Budæus ita ſentit Lib. 1. de aſſe Seſtertia mille argenteos nummos ſeſtertios ſignificant: nam duæ libræ & ſelibra ducentas & quinquaginta drachmas valent, quæ, ſi quaternario multiplicētur mille nummos efficient. Seſtertia vero duas libras ſingula & ſelibram argenti valent, ſeu ſingula dicuntur millia ſeſtertiorum. Poetę Seſtertia dicunt, non pro nummis ſeſtertiis, ſed pro mille nūmorum ſumma: vt apud Martial. centum ſeſtertia, id eſt, centū ſeſtertiorum millia per conciſionem In Epigramm. in Prætorem.

Hunc ſequitur Alciatus, vt & Tonſtallus Anglus, Lambinus. Germanus Georgius Agricola lib. de menſur. & ponder. iudicat, Seſtertium gen. maſc. & Seſtertium gen. neutr. eundem declarare nummum argenteum, qui quarta denarii pars ſit. Seſtertium geneut. plerumq; Poetis in vſu eſſe: Seſtertium maſc. gen. reliquis ſcriptorib.

Martialis:

Mutua viginti ſeſtertia ſorte rogabam.

id eſt, viginti ſeſtertios ſeu paruos nūmos. Idem Agricola habet hanc regulam: Vbicunq; apud Oratores legitur, (ex lapſu librariorum ob notam HS) ſeſtertia, corrigendum eſſe ſeſtertium, & vocē millia ſubaudiendā. Tranquil. in Caligula: Compererat prouincialem locupletem ducenta HS numeraſſe viatoribus, id eſt, ducenta ſeſtertium nummorum millia. Hic teneat lector, quod habet pro probabiliore.

STVDEO.

Varia eſt conſtructio verbi STVDEO: primum, pro curo ſeu operam do, regit accuſatiuū Rei, vt: Hoc vnice ſtudeo. Vnum ſentitis, vnum ſtudetis omnes, id eſt, operam datis. Cic. Sicut enim dicitur: id curo, Id curandū eſt: Ita quoque dicitur, Id do operam, Id cum primis danda eſt opera. Atticiſmus hic eſt. Secundo, pro vaco, ſtudiū do vel pono, operam nauo, Datiuum rei, vt, ſtudere laudi, arti, id eſt, ponere ſtudium in arte, artis eſſe ſtudioſum, dare ſtudium arti. Interdū Datiuus omittitur: Studere (intellige artibus.) Sic ſtudioſus (intellige artiū.) Tertio, pro faueo, Datiuum perſonæ, vt: Studeo tibi, ſum tui ſtudioſus. Quarto, pro curam habeo, regit Genitiuum, vt: ſtudet tui, eſt tui ſtudioſus, apud Ciceron. lib. 1. de Nat. Deor. quod Græciſmum olet, quem fas imitari.

LITERA T.

TACTVS.

TACTVS in Physicis accipitur generaliter & specialiter.

Generaliter autem conuenit omnibus sensibus exteriorib. Sic Gustus est Tactus quidam.

Specialiter pro sensu exteriore contradistincto à gustatu, visu, auditu.

In Musicis Tactus est motio cum mora seu successiua in cantu mensuram dirigẽs. Seu est motus regulatus certus, & perpetuo sibi æqualiter constans, ad quem diuersæ voces, diuersas quantitates decantant. Alias dicitur Mensura.

Vnicus est, nisi quod ratione augmentationis, & diminutionis graduum, signa, nunc ad tactum ▣ imperfectæ confirmatum, nũc vero ad tactum ◆ imperfectæ æquiparatum applicentur.

Tactu proportionato canentes solent vti in proportionibus tripla, hemiola maiori, sesquialtera & hemiola minore decantandis.

TALE.

Tale, & de substantialibus & de accidentalibus dicitur à Philosophis; magis proprie tamen de accidẽte & affectione; improprie de substantia. Itaque vt sentit Vitus Amerbach. libr. 2. de Philosophia naturali, rectius forma describitur λόγος πράγματος, quam id, quo res est talis: Oratio hæc, inquit, est ambigua, &, quæ est vocabuli. Tale est natura, citius intelligatur de accidente, quam de substantia. Maxime autẽ necessaria est sermonis proprietas in definitionibus. Et Tale opponit Absoluto ac Simplici P. Seuerinus in idea Medicinæ philosoph. Verba eius ascribo: Cum dicit Hippocrates: Corpora humana constare ex calido, frigido, humido, sicco, multi intelligunt Elemẽta absoluta communia simplicia, sed perperam. Non enim ex calido, frigido, humido, sicco, simplici vel absoluto, sed ex tali vel tali corpora omnium animantium constituuntur. Itaque ex tali calido, frigido, &c ex tali sanguine, pituita, & duplici bile, ex tali igne & aqua, talia prodire necesse est, qualia sunt semina, quæ elementa vel materiam, radicem rei, talem vel talem effecerunt. Similiter in tali sale, sulphure, Mercurio, talia semina habitare necesse est. Loca enim, matrices, elemẽta, corpora, seminibus consentanea esse dicuntur, alioquin non fiet generatio, pag. 84. Vide vocem αὐτοφυές.

TARTARVS.

Tartarus Platoni est thesaurus aquarum, Tartarus quas euomit atque resorbet, & pro Plutonis terrarum qualitate, saporem & colorem mutat.

Aliis

Aliis est profundissimus ἅδης seu inferorum locus.

In Chymia Tartarus est vini calculus, (Weinstein) aut lapis vasorum lateribus adhærens. Paracelso dicitur calculus in homine renum lapis, arena quoque reliquorum membrorum, materia podagræ, & aliorum morborum.

Fecem in vino barbari vocarunt Tartarum: in oleo vero Latini Græca origine Amurcam, Græce dicitur ἀμόργη: Scalig. exerc. 101. sect. 7.

Dicitur & Tartarum, quod ex vini fecibus est, quæ doliis adhærent.

Per Tartarum Philosophorum etiam intelligunt Chymici materiam primam.

Tartaria est Scythia, quæ à populis dicitur Tatarschia.

Tartari seu Scythæ carnium (crudarum) frusta condunt sub Ephippiis, in quibus insessione & equitatione calefacta vorant. Scal. exerc. 22. Vtuntur ligneis sandaliis (Holtzschue) ad iter super glacie faciendum. ex. 217. s. 2.

Tautogrammaton.

Metrum vel carmen Tautogrammatum est, cuius voces ab vna eademque litera incipiunt. Vocatur alias metrum vel carmen paromœum. Beda.

Christiades Christi cunas çantate: Camœnæ.
Nobile nequitia nunquam nanciscere nomen.
Vince voluptatum vires virtute virili.

Estque tale vel ex toto, vel partialiter, vt loquar cum Arnobio. Hoc propriè paromœum, παρόμοιον dicitur, id est, prope assimile. Sæpè enim minuit, vt tales casus Cassandra canebat.

Vnita virtus valdius vim sustinet.
Fata ferenda feram: duri patientia victrix.
Perdura: pulcrum pro pietate mori.

Ex toto:

Multa mouet mundus, Martem mortemq; minatur.
Dilige Doctores docilis, discendaque disce:.
Defuge desidiam: dilige dona Dei.

Loquitur virtus de se:

Viuida vim virtus vinco: vi viuida vincor.

Laudatur virtus.

Viuam vna virtute valet vir viuere vitam,
Vana voluptati viuere vita; valè.
Vulneribus variis virtus violata virescit:
Vilescit virtus, vulnere viq; vacant.

Est purum vel mixtum: purum cum vna litera regnat per omnium dictionum initiales literas in toto aliquo poemate. Eiusmodi est pugna porcorum Publii Portii Poetæ. Et carmen cuiusdam è veteribus de Caluis, cuius initium est:

Carmina clarisona Caluis cantate Camœna.

Mixtum est, cum cuiusuis versus dictiones inchoantur ab eadem, vel vocali, vel consonante secundum longitudinem. Hic aliquando superne inferius descendendo nomen animaduertitur alterius.

Ad Matthiam, in die Matthiæ Apostoli.

Matthia memori Matthia mense memento,
Artibus ante alios Artiscie Amabilis almis,
Tartareas tempsit tenebras terrenaque tandem,
Tecta triumphando tenuit tranquilla Tonantis.

Huius habebuntur hodierni herois honores.

Iccirco inuigiles illumq; Imiteris Iesu
Augusti acceptis aliis adiunctus alumnus.
Sacrorum Socius Seruans Solennia Salue.

Cõpositum ex Acrosticho & Paromœo videtur, sed redeo ad purum.

In die insigni memoria Viti:

Vitum vincio: vino vincito vincula VITE.
Vana voluptati, virtuti viuere vera
Vita; viam vitii vitato, viue valeq;.

Illustriss. Princ. ac Domin. Dn. M. L. H. hoc aliud agendo αὐτοχεδιάζει f.

Autor Adamum adamans ab amato adamatur Adamo.
Bruta beatificant Baldum bene bella bonorum.
Christicolis Christi crux cœli celsa corona.
De dapibus Domini demunt digiti dominarum.
Excordes errant, est ex erroribus error.
Fictores fingunt, fabricant fabrilia fabri.
Guttur: grus gracili, gurges, gryps gansaq; gaudent.

Vel:

Gaudet gluto gula: gladio galeaq; Gradiuus.
Hornotinos haustus hilarè hospitis hauriat hospes.
Improbitate ignes infernos improbus implet.
a) *Letantur lepores: letantur laude lepóres,*
Magnanimo muros magnus Mars milite munit.
Nocte nihil noceas nigra; nox nulla nocebit.
Omnes Omnipotentis ope orbes ordine oberrant.
Pacifici placida post prælia pace probantur.
Quotidiana quies queis quadrat cunque quiescant.

a) Pro læto efficiuntur.

Rura ruunt rapidis riuis, rus rore resurgit.
Tartara torquebunt tetricos tenebrosa Tyrannos.
Somnia somnicolis sanis sunt somnia sana.

Vel:

Spes seruare solet, sublata sorte secunda.
Iuræ iuuant iuuenes, iucundaq; iura iuuencas.
Virgo virum vincens victrix virtute virago.

Vel:

Virgo viri victrix virtute, virago vocatur.

TEMERE.

Temere proprie idem valet, quod sine ratione, Itaq; est modus agendi: Græcis est εἰκῇ. Impropriè idem est quod frustra, Græce μάτην. Sic quidam accipiunt locum ad Romanos c. 13. Non εἰκῇ magistratus gestat gladium, id est, non frustra: Videtur enim Apostolus de causa finali loqui, ad quam Frustra refertur, sicut alibi diximus, frustra id fieri; seu frustraneum, vt ita dicã, esse, quo agens non consequitur finem in agendo sibi propositum.

Temerè agere; fortuitò agere; & frustra agere.

Temerè, fortuitò, frustra agere à nõnullis imperitè nonnunquam confunduntur. Nobis, quibus conuenit studiosis esse proprietatis, ea sunt inter se distinguenda.

Temerè agere seu temerarium agens esse dicitur is, qui agit sine ratione, vnbesonnen/ inconsideratè, incõsultò, sine iudicio, imprudenter, nullo consilio, nulla electione. Ita temere loqui est stulte loqui, & dare sonum sine mente: temere assentiri est stulta credulitate & imprudenter assentiri.

Opponitur igitur hoc agens efficienti

προαιρετικῶς, seu agenti per prudentiam, aut consilium; & temerè facta, licet sint voluntatis, non tamen sunt consilii. Temerè agere etiam interdum est temerario affectu, audacter, (quod sine certa fit ratione) non fortiter agere. Ac ita quoque temerè agens est efficiens voluntarium.

Fortuitò agere, seu efficere dicitur is, qui παρὰ σκοπὸν καὶ βουλὴν, præter scopum & consilium seu propositum animi aliquid sui efficit, quod effectum fortuitò euenisse dicitur; ideoque quandoque vocatur euentus. Nam temerè non conuenit euentui, sed causæ agẽti: sed fortuito tribuitur, & euentui, & causæ agenti. Itaque qui fortuitò aliquid effeciſſe dicitur, seu casu, cum ratione & consilio, (ἅμα λόγῳ καὶ βουλῇ egit) opponitur hoc agens causæ per se.

Frustra agere, est, sine euẽtu, fructu, & vsu, seu nequicquam & inutiliter agere, non assequi suum finem. Opponitur igitur adeptioni finis, vsui & euentui.

TEMPERATVRA, *Temperamentum.*

Temperatura seu Temperamentum est
- *Relatio*, primarum qualitatum symmetria & proportio.
- *Qualitas*
  - *Vna seu simplex* Quinta quædam diuersa à primis, ex earum actione & perpessione orta. Auicenna.
  - *Composita seu plures*, nempe quatuor primæ qualitates ad temperamentum reductæ. Coll. Conimb.

Prima sententia nisi commodè explicetur, admitti non potest. Temperamẽti enim essentia in ipsa proportionis relatione non consistit, sed relationem hanc quasi consignificatam necessariò importat, ac si diceretur, Temperamentum sunt primæ qualitates sub certa proportione, seu ad symmetriam deductæ, quod temperamentum in animali probè se habens dicitur sanitas. Tertia enim sententia veriot est.

Temperamentum humani corporis est Totale vel Partiale. Totale seu commune est, quod ex omnibus particularibus constat, hominemque sic vel sic temperatum denominat. Hoc continet virtualiter omnium particulariũ temperamentorum aliarum corporis partium vim ac rationem.

Temperamentum Partis seu Partiale est cuique parti (cui inhæret, vt forma) proprium. Sic ventriculus, iecur, cor, caput, & cætera totius corporis membra suum sortiuntur peculiare temperamentum.

TEMPVS.

1. Tempus accipitur propriè & impropriè. Propriè à Peripateticis plerisque pro duratione simpliciter sumpta & mutabili Entis creati, vel naturalis saltem. Atque hoc successiuum est, quod partium successionem habet secundum prius & posterius. Nam Tempus, quod quidam huic opponunt momentaneum, propriè tempus non est, si momentum puncti instar quid esse intelligitur.
2. Impropriè à Rameis, vt omne in tempore esse dicatur, & aliud tempus sit infinitum & æternum (æternitas Dei propria) aliud finitum, proprium

creaturæ. Improprietas hæc apparet planè ex eo, quod DEVM temporalem non dicimus, non temporeum, non tempori subiectum. Itaque Timplerus & alii χρόνους αἰωνίους non interpretantur tempora æterna, sed tempora secularia, id est, certis seculis mensurata, vel totum tempus, quod à condito orbe in finem mundi vsque fluit.

Porrò tempus est externum vel interternum: Externum est duratio certa ac definita ad mensurandum tempus internum. Hoc Aristoteles & interpretes eius intelligunt in Physicis, cum dicunt, tempus esse mensuram motus: esse numerum motus, id est, motum numeratum ab intellectu secundum prius & posterius. Scaliger vocat Nunc fluens.

Internum tempus est duratio, per quam Ens creatum, vel saltem naturale reuera in sua manet existentia. Dico signatè saltem, quia Scholastici solent Intelligentiis seu mentibus creatis tribuere Æuum, quod est limitata quædam æternitas, id est, secundum quid tantum infinita, quia etsi principium & successionem habet, finem tamen non habet. Quidam vocant non malè Æternitatem participatam.

Thomistæ subtiliter quidem, sed non admodum vtiliter distinguunt inter continuum tempus (quod nobis sufficit) & discretum, quod tribuunt Angelis, cum vna illorum operatio, vt intellectio, succedat post aliam. De hoc, quod Metaphysicum vocant, si placet, consule Pererium libro 12. cap. 7. de tempore, Æternitate, & Æuo.

3. Grammaticis Tempus est mora efferendæ syllabæ. Longa syllaba constat duobus temporibus; breuis vno. De hoc sic Scaliger de causis l. l. 2. lib. cap. 55. Syllabæ moram maiorem minoremue longitudinis linea metimur. Productione enim vocis comparatur. Itaque tardi sermonis aut citi sermonis dicimus hominem; Idcircò cui syllabæ plus impenderent temporis, eam longam dixerunt, cui minus, breuem. Vtrumque autem sub quantitatis ratione continetur: sed ita vt inter se referantur, atque relatione sint contraria, sicut magnum & paruum. Idcircò vno pluribusue temporibus constitutas dixere syllabas. At omne tempus quantum est, &c.

4. Grammatici verba diuiserunt certis momentis, quæ nominant tempora, nempe in partem, quæ iam subibit, & in id, quo hæc duo coniunguntur, id est, præteritum & futurum & præsens, quod quidam vocant instans. Vide de his doctè & subtiliter differentem Scaligerum de c. l. l. lib. 5. c. 113.

Tempora interdum sunt opportunitates, & imitatione Græcorum accipiuntur nonnunquam etiam pro circumstantiis. Nam Græci veteres dixerunt χαιρὸς ἀντὶ περιστάσεων. Cicero, Non iidem erunt necessitudinum gradus, qui & temporum. In Officiis. Tempora, id est, circumstantia (in quibus præcipua habetur tempus) mutant aliquando gradus.

Nomine temporum ibi complecti Ciceronem etiam vicinitatem & loci propinquitatẽ ostendunt exempla eius.

TEMPESTIVVM.

Tempestiuum est idem, quod opportunum. At quid veteribus tempestiuum conuiuium. Hic nonnulli quasi in salibus hærent ὡς μῦς ἐν πίσσῃ (vt mus in pice.) Tu sic habeto. Tempestiuum non semper significat opportunum, præsertim cum est πότου conuiuii vel epularum. Ciceroni enim & Tacito, tempestiua conuiuia sunt, quæ statis temporibus sodalitates agitabant, in quibus erat multa licentia, multus sermo, sed ad hilaritatem & lutpa-

εὐτραπελίαν, non ad ſeueritatem comparatus, ſolche Geſellſchafften / welche auff ein gewiſſen Tag gehalten werden/ vnd darin man ein vbrigen Trunck thät. Conuiuia, welche zu gewiſſer zeit vblich ſein. Opponuntur conuiuiis moderatis,& omninò grauibus. Huius affirmationis documentũ afferunt ſequẽtia. Cicero ad Attic. Audio multa in me & ſeuera in cõuiuis tẽpeſtiuis quidem diſputari. Pro Muræna: Nemo ferè ſaltat ſobrius , niſi fortè inſanit, neque in ſolitudine, neque in conuiuio moderato atque honeſto : Tempeſtiui conuiuii(deß Wollebens)amœni loci, multarum deliriarum comes eſt extrema ſaltatio. Dicit Cicero, non interfuiſſe Murænam diſſoluto & immodico conuiuio. Pro Archia. Quantum alii tribuunt tempeſtiuis conuiuiis , tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero. In Catone maiore : Ego verò propter ſermonis delectationem tempeſtiuis conuiuiis delector,id eſt, non propter epulas,ſed propter cœtum amicorum ſermone delectantium. Quid multa ? Tempeſtiuis conuiuiis inerat maior libertas, feſtiuitas, iucunditas ſermonis,ludi. Vide Ald. Manutium de conuiuio tempeſtiuo & intempeſtiuo;qui quidem ex veteribus libris locum ex Muræniana aliter legit,nempe ſic: intempeſtiui cõuiuii: (hoc eſt, turpis ſeu turpitudinem aliquam habentis) amœni loci multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio. Sic Suetonius & Curtius quoque intempeſtiua conuiuia dicunt pro non opportuno, ſed alieno tempore paratis concelebratisque, licentiæ plenis & luxuriosis immoderatisque. Moderata conuiuia à Cicerone vocantur Honeſta.

TENEO, TENERI,

λαμβάνειν, λαμβάνεσθαι, vbi, an rectè loquantur diſputatores, Tenet conſequentia, conſequentia non tenet, diſceptatur.

Primũ Teneo & Teneor elegãter ponũtur p conuinco, cõuincor, capio & capior, obtineo, obtineor. Eius quod dico laudo teſtem Guilielmum Budæũ ſcriptorem ſatis accuratum, idq; firmo exemplis.

Demoſthenes τὰ δεινότητα ἐργαζόμενον λαφθῆναι, id eſt, conuinci & teneri.

Hoc argumentum tenet aduerſarios, Es faſſet ſie/conuincit eos, es hafftet/ eſt vrgentiſſimum. Cic. in Ver. Neq; ſolum vrgeo, ſed etiam certis teſtibus iſtius audacia tenebatur. Tenetur er iſt gefaſſet. In rebus tum maximis, tum manifeſtiſſimis tenetur.

Idem.

Plautus : Manifeſtè miſer teneor. Idem. Manifeſto teneo in noxa inimicos meos. Græcè ἕλον ἐν αὐτοφώρῳ. Paulus Iuriſconſult. in l. vlt. ff. de except.rei iudicat. Qui in rem egiſſet, nec tenuiſſet. Imperator. Anton. in l. 1. C. ad l. Fabiam de Plagiar. Si verè in cauſa tenuerit etiam l. Fabiæ crimen perſequi poterit Philippus,& in l. ſexta. C. ad l. Cornel. de falſ. Qui falſas tabulas dixerit, nec tenuerit. L. 12. C. de inofficioſ. teſtam. Eum, ait Gordianus, qui inofficioſi cauſam delatam nõ tenuit , à falſi accuſatione ſummoueri placuit. Cic. in Orat. pro Cæcinna: Dixiſti Scęuolã cauſam apud Centumuiros nõ tenuiſſe, i.e. nõ obtinuiſſe. Suetonius in Domitian. c. 9. Vt accuſatori, qui cauſam non teneret, exilium pœna eſſet. Sic Sophocl. κρατεῖ φάσις fama obtinet ſeu valet hîc. Locutio, conſequẽtia tenet , reprehenſa eſt in nõnullis, à quodam magni nominis viro, q barbarorũ philoſophorum ſit, ſicut & hoc: Argumentum non tenet. Sed illi ad formam iſtam loquendi defendendum adducunt hoc Ciceronis 4. de Finibus. His propoſitis , tenuit prorſus conſequentia , hats erhalten.

Locutio animaduertenda.

At decipiuntur (vt pace horum liberè dicam, quod verum est) confusione abstracti & concreti, seu ὁμοιοχυμοσύνῃ orta ex identitate terminationis adiectiui numeri pluralis, & substantiui singularis. Sententia enim est: His propositis, vt primis Zeno tenuit prorsus cõsequentia, i.e. ea quæ consequuntur ex præpositis, vt ex iis nata: paulò post enim hæc sequuntur: si ea quæ rem aliquam consequantur, &c. Et: consequentibus vestris sublatis prima tolluntur; quæ sequuntur igitur. Ad hunc locum Franciscus Hottoman. respexisse mihi videtur in de Re Numaria pag 131. cum ait: Videamus, ne falsis positis principiis, vera esse consequentia non possint: Noli igitur hîc, vti διημολογίας schemate. Non quis dicat, sed quid dicatur videndum.

Obtinere etiam aliud significat, nempe retinere & conseruare σωζηρεῖν, vt, Hæc quæ sunt sanctissimè conseruata religionem suam obtinebunt, id est, retinebunt.

Tenere aliquando est possidere, κατέχειν. Apud Lucanum libro 1. Orbemque tenere, In medio est non suum, sed communem orbem possidere. Nam orbis Romanus inito triumuiratu, neque Cæsaris, neque Pompeii, neque Crassi, sed consortium eorum erat commune. Sic Græci εἰς μέσον κατατιθέναι, in medium ponere, in medio constituere est εἰς κοινὸν κατατιθέναι, Herodot.

Tenere seu ἔχειν etiam est continere vel arcere, 2. Georg pecus omne tenendum, id est, arcendum, (ne noceatur tenellis vitibus.) Hoc loco se Treatius tenere non potuit, id est, sibi à sermone temperare. Cicero in 2. de Finibus. Ex vulgi sermone ab eo sumptum. Er hat sich nicht können halten.

TERGIVERSARI.

Tergiuersari propriè est eorum, qui terga vertentes adhuc tamen pugnant. Itaque transfertur eleganter ad disputantes eos, qui non benè stantes dicta mutant, veritatem dissimulant, nec desistunt contendere, licet penè victi sint. Quid in hac re, quæ tam aperta est, quam quæ maximè, contra me tergiuersaris? quæris rimas, per quas elabaris? sucheſt außflucht / wilt die Warheit nicht bekennen? Hinc Tergiuersatio, quæ Græcis est ἀκκισμὸς, ab ἀκκίζω vel ἀκκίζομαι, hoc est, simulatè repudio, seu simulo nolle, dissimulo: à muliere, cui nomen fuit Acco, tracto verbo. Multi hodie vtuntur acciſmo, id est, ficta recusatione, ne parum ciuiles esse videantur. Dexteram recusat: at sinistra expetit: Dann ein wenig wegern ſcheinet oder ſtehet ehrlich oder höflich. Acciſmus ad puellas amantes ludibundas etiam transfertur. *Iohannem timet & fugit puella: Iohannem capit & trahit puella.*

Virgil. 3. Eclog.

Malo me Galatea petit lasciua puella:
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Ingenium hoc amantium fœminarum est: Ita fugiunt, vt velint videri, & suum factũ resciri: Ita pugnant, vt vesuum factũ resciri: Ita pugnant, vt velint superari. Ita odia exercent, vt tunc lint superari. Ita odia exercent, vt tunc ament maximè. Allíciunt seu inuitant ad Venerem & commercium voluptatis, (Hoc est, malis petere prouerbialiter,) & interim fugiunt simulatè. Quid multa? Nolunt: Volunt, seu volant: nolunt in speciem, seu fictè & simulatè, seu dicis causa (δίκης χάριν) vt prisci locuti sunt.

Tergiuersans.

Tergiuersans est, qui scopum dissimulat & aliud respondet, quam rogatur, ne aut obmutescat, aut crimen falsum agnoscat. Ineptus est, qui scopum orationis non animaduertit.

Hinc fallacia Tergiuersationis Sophistica est.

Ἄλλως.

Terminus est *1.* Generaliter Rei; vniuscuiusq; rei extremitas seu extremum, à quo vel ad quod. Exempl. Mors est extremum vitæ. Continuum est, cuius partes communi termino absq; vlla secretione continentur. Aristoteles 1. Categ. primæ scientiæ principia sunt termini à quibus (non ad quos) contemplatio inchoatur, ait Zabarella.

2. Specialiter quantitatis continuæ & figuræ.

3. Essentiæ ipsa definito λόγος explicans ipsum quid est esse, τὸ τί ἦν εἶναι, id est, oratio rei essentiam significans, seu id secundum quod ipsa res habet esse. Hoc autem est forma, ἦν εἶναι ponitur pro est, ex consuetudine linguæ Atticæ. Quemadmodum enim terminis, qui in agris ponuntur, vnusquisque ager circumscribitur, vt ne quid vnius excludatur, ne quid alterius includatur. Sic definitio rem vnamquamque ita circumscribit vt ne quid eius excludatur, neque aliud alius includatur.

4. Subiecti occupantis, id est, obiectum, res in quam terminatur, seu res in quã fertur aliquid, vt potentia, vel actus videndi fertur in coloratum. Res in quam fertur, ac terminatur memorandi actus est res præterita iam cognita.

Nulla potest esse actio sine termino agentis, id est omnis actio versatur circa aliquod obiectum, vt secare, circa materiam duram, quæ diuiditur: Caleface recirca id, quod calefacit: Visio non est nisi obiecti: Nulla intellectio est, quæ non extendat se ad obiectum. Hic terminus interdum à Scholasticis vocatur Passum; vt.

Transeuntes actiones dicuntur, per quas transmutatur terminus actionis, id est, obiectum actionis. Hæ & recipiuntur subiectiue in passo.

Immanentes sunt, per quas passum, id est, subiectum non transmutatur. Hæ manent subiectiue in agente. Tales sunt operationes potentiarum animæ cognitiuarum & apperitiuarum. Qui videt puellam, non transmutat puellam ex ea visione, id est, inde quod eam videt, nec puella denominatur visa per aliquã formam, quæ in eo existat, sed tantum externa denominatione, nempe per visionem, quæ est in alio, (videnti.) *5. Logice significat* extremũ enuntiati, id est, subiectum & prædicatum, vt propositio reciprocans, & ex partibus confecta, terminis. 6. Causam Finalem, significat Aristoteli 1. Polit. vt natura proprie est terminus, seu ὅρος, id est, finis generationis, & finis generationis est natura proprie dicta, id est, forma. 7. Philosophis nonnullis significat Relatum & correlatum, quia inter hæc tanquam extrema relatio est. Sic accipit Montecatinus commẽt. in 1. Politicor. Aristotelis. Cum ait, permutatio omnis (vt relatio,) qua permutatio est, vertitur necessario inter duos terminos (vnũ à quo; alterum ad quem.) Et si datur aliquid vt aliquid fiat, necesse est vicissim hoc fieri, vt illud detur. Vltimo in Tabulis Logicis Zabarella Terminum accipit pro correlato, vt seruo, sicut Fundamentum pro Relato, vt Domino.

At decipiuntur (vt pace horum libetè dicam, quod verum est) confusione abstracti & concreti, seu ὁμοιοχυμοσύνῃ orta ex identitate terminationis adiectiui numeri pluralis, & substantiui singularis. Sententia enim est: His propositis, vt primis Zeno tenuit prorsus cõsequentia, i.e. ea quæ consequuntur ex præpositis, vt ex iis nata: paulò post enim hæc sequuntur: si ea quæ rem aliquam consequantur, &c. Et: consequentibus vestris sublatis prima tolluntur; quæ sequuntur igitur. Ad hunc locum Franciscus Hottoman. respexisse mihi videtur in de Re Numaria pag 131. cum ait: Videamus, ne falsis positis principiis, vera esse consequentia non possint: Noli igitur hîc, vti διημολογίας schemate. Non quis dicat, sed quid dicatur videndum.

Obtinere etiam aliud significat, nempe retinere & conseruare σωζηρεῖν, vt, Hæc quæ sunt sanctissimè conseruata religionem suam obtinebunt, id est, retinebunt.

Tenere aliquando est possidere, κατέχειν. Apud Lucanum libro 1. Orbemque tenere, In medio est non suum, sed communem orbem possidere. Nam orbis Romanus inito triumuiratu, neque Cæsaris, neque Pompeii, neque Crassi, sed consortium eorum erat commune. Sic Græci εἰς μέσον καθεῖναι, in medium ponere, in medio constituere est εἰς κενὸν καθεῖναι, Herodot.

Tenere seu ἔχειν etiam est continere vel arcere, 2. Georg pecus omne tenendum, id est, arcendum, (ne noceatur tenellis vitibus.) Hoc loco se Treatius tenere non potuit, id est, sibi à sermone temperare. Cicero in 2. de Finibus. Ex vulgi sermone ab eo sumptum. Er hat sich nicht können halten.

TERGIVERSARI.

Tergiuersari propriè est eorum, qui terga vertentes adhuc tamen pugnant. Itaque transfertur eleganter ad disputantes eos, qui non benè stantes dicta mutant, veritatem dissimulant, nec desistunt contendere, licet penè victi sint. Quid in hac re, quæ tam aperta est, quam quæ maximè, contra me tergiuersaris? quæris rimas, per quas elabaris? sucheſt außflucht / will die Warheit nicht bekennen? Hinc Tergiuersatio, quæ Græcis est ἀκκισμὸς, ab ἀκκίζω vel ἀκκίζομαι, hoc est, simulatè repudio, seu simulo nolle, dissimulo: à muliere, cui nomen fuit Acco, tracto verbo. Multi hodie vtuntur accismo, id est, ficta recusatione, ne parum ciuiles esse videantur. Dexteram recusat: at sinistra expetit: Dann ein wenig wegern scheinet oder stehet ehrlich oder höflich. Accismus ad puellas amantes ludibundas etiam transfertur. *Iohannem timet & fugit puella: Iohannem capit & trahit puella.*

Virgil. 3. Eclog.

Malo me Galatea petit lasciua puella:
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Ingenium hoc amantium fœminarum est: Ita fugiunt, vt velint videri, & suum factũ resciri: Ita pugnant, vt velint superari. Ita odia exercent, vt tunc ament maximè. Allicium seu inuitant ad Venerem & commercium voluptatis, (Hoc est, malis petere prouerbialiter,) & interim fugiunt simulatè. Quid multa? Nolunt: Volunt, seu volunt: nolunt in speciem, seu fictè & simulatè, seu dicis causa (δίκης χάριν) vt prisci locuti sunt.

Tergiuersans.

Tergiuersans est, qui scopum dissimulat & aliud respondet, quam rogatur, ne aut obmutescat, aut crimen falsum agnoscat. Ineptus est, qui scopum orationis non animaduertit.

Hinc fallacia Tergiuersationis Sophistica est.

Ἄλλως.

Terminus est *1.* Generaliter Rei; vniuscuiusq; rei extremitas seu extremum, à quo vel ad quod. Exempl. Mors est extremum vitæ. Continuum est, cuius partes communi termino absq; vlla secretione continentur. Aristoteles 1. Categ. primæ scientiæ principia sunt termini à quibus (non ad quos) contemplatio inchoatur, ait Zabarella.

2. Specialiter quantitatis continuæ & figuræ.

3. Essentiæ ipsa definito λόγος explicans ipsum quid est esse, τὸ τί ἦν εἶναι, id est, oratio rei essentiam significans, seu id secundum quod ipsa res habet esse. Hoc autem est forma, ἦν εἶναι ponitur pro est, ex consuetudine linguæ Atticæ. Quemadmodum enim terminis, qui in agris ponuntur, vnusquisque ager circumscribitur, vt ne quid vnius excludatur, ne quid alterius includatur. Sic definitio rem vnamquamque ita circumscribit vt ne quid eius excludatur, neque aliud alius includatur.

4. Subiecti occupantis, id est, obiectum, res in quam terminatur, seu res in quã fertur aliquid, vt potentia, vel actus videndi fertur in coloratum. Res in quam fertur, ac terminatur memorandi actus est res præterita iam cognita.

Nulla potest esse actio sine termino agentis, id est omnis actio versatur circa aliquod obiectum, vt secare, circa materiam duram, quæ diuiditur: Caleface recirca id, quod calefacit: Visio non est nisi obiecti: Nulla intellectio est, quæ non extendat se ad obiectum. Hic terminus interdum à Scholasticis vocatur Passum; vt.

Transeuntes actiones dicuntur, per quas transmutatur terminus actionis, id est, obiectum actionis. Hæ & recipiuntur subiectiue in passo.

Immanentes sunt, per quas passum, id est, subiectum non transmutatur. Hæ manent subiectiue in agente. Tales sunt operationes potentiarum animæ cognitiuarum & apperitiuarum. Qui videt puellam, non transmutat puellam ex ea visione, id est, inde quod eam videt, nec puella denominatur visa per aliquã formam, quæ in eo existat, sed tantum externa denominatione, nempe per visionem, quæ est in alio, (videnti.) *5. Logice significat* extremũ enuntiati, id est, subiectum & prædicatum, vt propositio reciprocans, & ex partibus confecta, terminis. 6. Causam Finalem, significat Aristoteli 1. Polit. vt natura proprie est terminus, seu ὅρος, id est, finis generationis, & finis generationis est natura proprie dicta, id est, forma. 7. Philosophis nonnullis significat Relatum & correlatum, quia inter hæc tanquam extrema relatio est. Sic accipit Montecatinus commẽt. in 1. Politicor. Aristotelis. Cum ait, permutatio omnis (vt relatio,) qua permutatio est, vertitur necessario inter duos terminos (vnũ à quo; alterum ad quem.) Et si datur aliquid vt aliquid fiat, necesse est vicissim hoc fieri, vt illud detur. Vltimo in Tabulis Logicis Zabarella Terminum accipit pro correlato, vt seruo, sicut Fundamentum pro Relato, vt Domino.

Termini
- Reciprocabiles prædicatione pares se mutuo consequentes vocat Aristoteles cap. 3. lib. 1. poster. analyt. in fine.
- Inconuertibiles
  - Latiores.
  - Angustiores.

γενέσεως Terminus vt
- Qui: principalis, vt substantia. Ab hoc tempore sumitur appellatio generationis.
- Sub Quo: Secundarius, vt existentia rerum creatarum.

Generatio tendit & terminatur ad esse, id est, ad οὐσίαν rei sub esse existentiæ ita vt substantia terminus sit Qui, existentia vero terminus sub Quo. Hæc existentia licet accidentarie rebus creatis & naturalibus conueniat, non tamen iccirco generationes substantiarum accidentales vocandæ sunt, cũ princeps terminus substantia sit, proindeque generationum appellatio & species ab eo sumatur.

Generationis terminus vt
- Quod & Qui, vt Quod, producitur: compositum: quod per se existit seu in suo esse subsistit Terminus principalis: intentione prior quam forma.
- Quod & id quo aliud est Forma: quæ comproducitur: quia in præcipuo generationis termino qui totum compositum est continetur, Anima tamen rationalis, si creatur, proprie produci dicitur. Terminus formalis, immediatus & proximus origine prior quam compositum.

Sic per generationem accidentariam per se fit Album vt Quod, vt compositum. At Quo fit Albedine.

Axioma continens vtrumq; terminum.

Naturale compositum generatur introductione seu vnitione formę cum materia. E materia enim & forma coalescit. Humana Christi generatio è substantia Mariæ virginis terminatur ad personam verbi diuini non quidem secundum se, sed vt verbum cum humanitate singulariter componit hunc hominem, ita vt Terminus principalis sit ipsum suppositum seu ὑφίστάμενον hoc est, persona: verbum enim diuinum est genitum ex Maria. Formalis autem à quo generatio sumit speciem sub forma humana, quæ est eiusdem speciei cum formis aliorum hominum vid. colleg. Conimbr. comment. 1. lib. 1. de generatione & corrupt. cap. 4. quæst. 14.

Terminus generationis
- A Quo priuatio formæ introducendæ. Non Ens.
- Terminus ad Quem.
  - Princeps: compositum } Ens.
  - Minus princeps. Forma } Ens.

Gene-

Generatio enim est mutatio in subiecto, quæ procedit seu transit à priuatione formæ substantialis vt non Ente ad formam substantialem vt Ens. Itaque via est ad naturam lib. 3. Phys. cap. 1.

Forma] informans quæ appellatur forma partis vt anima. Nam humanitas est forma totius,

Termini Rei) termino accepto pro obiecto: & Rationis seu causæ rei, sæpe vtilissima distinctio est, & maxime necessaria in disputationibus. Ratio rei est causa rei. Terminus obiectum rei.

Quæstio agitata à Theologis tum olim, tum hodie fuit, an Christi natura sit excludenda ab adoratione. Hic vtendum est distinctione, quam habet Scotus lib. 3. dist. 9. Non debet excludi natura humana Christi ab adorationis termino, quia si ipsa non includeretur adorationi nostræ, non adoraretur totum, sed interim caro Christi non est ratio adorandi seu adorationis, sed ὁ λόγος seu persona Verbi. Scotus affert exemplum de rege & purpura, Rex cum purpura adiuncta est adorandus nõ quod purpura ipsi adiuncta sit causa adorationis, Rex enim propter se & in sese adorandus est. Affert etiam exemplum de toto & partibus cum reuereor hominem propter sapientiam, totum reuereor, nempe animam & corpus, neutro excluso à reuerentia. Sic cum totum principem adoro, non honoro præcise eius caput exclusis aliis partibus. Damascen. cap. 53. Christus Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum patre & Spiritu S. vna adoratione, cum incontaminabili carne eius, non inadorabilem carnem eius dicentes: adoratur enim in vna verbi hypostasi, quæ eius hypostasis facta est, sicut timeo lignum tangere, propter ligno immixtum ignem. Sic adoro carnem Christi non vt caro est, sed vt hypostatice vnitam τῷ λόγῳ: & vt mediatrix cum hoc est.

Log. & Metaph.

1. Terminus est absolutus, vel connotatiuus (consignificans.)

2. Absolutus, qui significat vnum aliquid, sine aliquo coniuncto.

3. Connotatiuus est cum alio significatiuus, seu qui cum significato vno subiectiuo *a* significat aliud formaliter. Habet igitur duplex significatum, nempe Materiale & Formale.

a) Substratiuo dicit Biel.

4. Eiusmodi sunt concreta. Nullum enim concretum proprie dictum, est pure & absolute, hoc est, simpliciter absoluta.

5. Concreta substantialia significant subiectiue suppositum, formaliter significant, id est, connotant naturam substantialem, à quo denominatur suppositum.

6. Cum dico, Deus est homo, homo connotat subsistentiam *a* in natura humana, quam non connotat Deus. Deus connotat subsistentiam *a* in natura diuina, quam non connotat homo.

a) Quæ non est essentialis Deo.

a) Quæ non non est pars essentialis Deo.

7. Concreta accidentium significant subiectum, & connotant formam, diathesin, habitudinem accidentalem. Diues connotat accidentaliter diuitias, Dominis seruum. Accidentaliter dico, quia diuitiæ sunt extra rationem subiecti, id est, non includuntur in definitione subiecti.

8. Idem iudicium est de differentiis essentialibus.

9. Sed alii faciunt hos terminos substantiales, Homo, Deus, animal absolutos,

iis terminis absolutus est, qui non significat aliam χέσιν essentialem vel accidentalem à suppositali, id est, substantiali, vel personali. Biel lib. 3. dist. 7. quęst. vnica, vt connotatiuus terminus sit, qui præter χέσιν, suppositalē infert aliam aliquam χέσιν cum suo significaro substratiuo, Biel ibidem.

Canon.

Absolutum non est species aut genus cōnotatiui, Biel ibid. Connotatio termini à Scholasticis discernitur à suppositione & denominatione.

Concreta Deus Homo, Christus supponunt pro supposito, id est, accipiuntur pro supposito, seu significant ὑφιστάμενον, (quod vnum est subsistens in duabus naturis) sed connotant naturam, Christus vtramq;: Homo, mortalis, genitus ex virgine humanam tantum: Deus verbum, Filius patris, creator, diuinam tantum. Supponunt igitur pro eodem, sed non idem connotant.

Filius, Pater, Mater, denominant suppositum, & connotant generationem actiuam vel passiuam cum discretione sexus Biel. lib. 3. distinct. 2. quæst. 1. Ita differunt denominatio & connotatio, vt prius & posterius.

Termini connotatiui connotant aliquid vnum, vel plura: vnum, vt sciens, iustus, albus; plura, vt Reatus, id est, ordinatio peccatoris ad pœnam.

Canon è Biele.

Vt terminus connotatiuus alicui vere cōueniat, sufficit vt connotatiuum ita se habeat, siue in re illa, siue in alia, vt per ipsum connotatur. Qui ebriosus est, dicitur formaliter Ebriosus non ab aliquo quod ipsi insit, sed ab actionibus Ebrii quæ transierunt, etiamsi nullum in ipso habitum genuissent; Dicitur aliquis peccator ab ordinatione diuina, quapropter peccatum, quod transiit, & iam non est, quoad actum, ad pœnam destinatus est.

In physicis Scholastici sæpe distinguunt inter Terminum à Quo, vel ad Quem Totalem & Partialem, vt Res priuata *a* est Terminus à quo totalis: priuatio est terminus à quo partialis. *a* (libere corbata forma.)

Terminus à quo totalis totali ad quem contrarius est, vt habens formam priuato forma; partialis partiali, vt forma priuationi formæ, sed totales termini sunt contrarii per se secundario, id est, per partiales. Partiales vero sunt contrarii per se primo. Fonseca 5. 1. Phil, cap. 1.

Totales] id est, forma & priuatio formæ contraria sunt se totis. Itaque alterum totum, alterum expellere potest subiecto.

Partiales] id est, præditum forma, & priuatum ea, non sunt contraria se totis. Itaque alterum totum, alterum è subiecto expellere nequit, cum ipsa non insint in subiecto, sed subiectum includant.

Terminus est
- Essentiæ & virtutis, vt locati, (& omnium rerum naturalium.)
- Dimensionis, vt loci cœlestis, ætherii, aerei, terrestris. Caro non est extra suæ substantiæ terminos.

Terminus est
- Punctalis.
- Habens certam latitudinem.

Quæritur an viuentium sit terminus, quantitatis ratione. Resp. Affirmate, sed terminus ille nunquam habet instar puncti, sed est πλατικὸς, id est, præ-

præditus est certa latitudine. Cuiuslibet viuentis datur quantitas Maxima & Minima: (scilicet in suo Genere) Non Maximam interdum actu habere potest, propter nimiam paruitatem: Non Minimam, propter nimiam magnitudinem. In igne, qui est non viuens, alia ratio est; Ignis enim augmentum in infinitum fit quousque fuerit materia combustilis, nec requirit membrorum figurationem ad certum terminum, sicut corpus viuens, vide vocem INTENSIO.

In Geometria vox Termini est ambigua. Nã 1. crura anguli dicũtur termini angulũ comprehendentes, quæ Euclidi sunt πλευρὰ, id est, latera. Termini hic dicuntur non proprie velut extrema anguli, sed potius vt principia, & causæ anguli, quæ quia angulum veluti pedibus nixum fultumue sustinent, ideo Metaphorice crura dicuntur, cum interim etiam aliarum magnitudinum sint termini. Cruribus autem subiicitur terminus, qui dicitur basis anguli, tanquam solum cui insistat angulus. 2. Termini, seu πέρατα accipiuntur pro extremis, vt Termini, id est, extrema lineæ sunt puncta. id est, linea punctis terminatur actu, vel potentia; actu in linea recta, potentia seu νοήσει in perfecta peripheria.

Termini homologi in Matheſi dicuntur, qui sunt eiusdem rationis, seu proportionis.

Figuræ similes habent homologos terminos æqualibus angulis subtensos. Homologi termini sunt è sumptis proportionalibus. Primus & tertius, secundus & quartus. id est, alterni, vt sicut se habent (a) 2. ad 3. ita 4. ad 6. nimirum proportione sesquialtera. (a) Et vt 2. ad. 4. ita 3. ad 6. proportione dupla.

Directe. *Alterne.*

Aliud sunt Homogenei, id est, genere iidem, vt anguli recti rectilinei sunt inter se homogenei.

In doctrina Astronomica seu Geographica potius, terminus cœli est Horizon, seu Finitor, qui & Terminator visus, Terminus & finis visionis (ὅρος τῆς ὄψεως) & circulus Hemisphærii διείζων ἡμῖν τότε φαινερὸν καὶ τὸ ἀφανὲς μέρος τοῦ κόσμου, vt ait Proclus, id est, distinguens seu separans apparentem mundi partem ab ea, quæ occultatur: Astrologi partem eius Orientalem vocant Horoscopum, Domum primam, occidentalem vero Cuspidem septimæ domus vel domum septimam.

Terminare est finibus continere, vel concludere, seu circumscribere. Terminus terminatum continet, ait Simplicius, & forma materiam: Terminantis ad terminatum proportio Christi, qua homo, potestas terminata (id est, definita) est cœlo & terra.

TERMINARI
& statui differunt.

Illud generalius est, hoc specialius: Oleum terminatur suis terminis, quibus cohibetur. At ceræ terminus statuitur si commiscean tur. Oleum solos suos quidem habet terminos, quos tamen mutet, varioſque habet propter suam liquiditatem. A pice vero aut cera habet certos. Scalig. exer. 60. s. 3.

Terminabilitas.

Terminabilitas in corporibus reipsa non differt à præscriptione corporeitatis eius, quæ in prædicamẽto quantitatis ponitur, qua aliquid maius in minore nõ potest esse, Barbari vocant modum quantitatiuum, pro quo Scalidum quantitatiuum, pro quo Scaliger latine dici censet modum commensionis. Exer. 5. s. 7. is nulli rei competit nisi per quantitatem, itaque à Barbaris quantitatiuus dicitur.

ESSE IN TERMINO.

Esse in termino vel habere aliquid in termino, Scholasticis perfectionē, & vt sic dicā, totalitatē denotat, vt gratia angelorū est in termino, id est, ita perfecta est vt nō augeatur, est in visione & fruitione perfecta perfectissimi, habēt gratiam in termino, id est, quæ augeri amplius nequeat, quæ ita tota sit, vt gradus vlteriores non recipiat Biel. 4. d. 9. quæst. 1.

Terminari dependentiam causalem accipitur à Biele pro terminate dependentiam conseruati ad conseruans. In de incarnatione.

TERMINATIVE.

Terminatiue interdū ex aduerso respondet subiectiue apud Scholasticos. Sic n. loquitur Georgius. Rei terminus; partialis generationis simpliciter, id est primariæ, est forma substantialis.

Terminus totalis est totum compositum substanale, Materia autem non generatur Terminatiue, sed subiectiue, id est, est subiectum generationis; non terminus (finis obiectum) P. Georgius Reisch.

Interdum inchoatiue. Actio siue inchoatiue siue terminatiue conuenit primo singularibus.

Obiectiue possibilia non nisi prout sunt in potentia causæ, sunt terminatiue seu obiectiue vera. Res terminant obiectiue diuinam cognitionem secundum suum esse. Persona verbi terminat innitentiam seu dependentiam suppositalem assumptæ (Humanitatis, id est, personat eam. Gab. Biel. lib. 3. paulo ante dist. de Incarnatione.

Licet vna persona in Trinitate non possit terminare dependentiam causalem, seu conseruati ad conseruans sine alia: tamen vna potest terminare dependentiam suppositalem (naturæ humanæ assumptæ) sine alia. Tantum enim verbum diuinum assumit seu incarnatur.

Terminatum dicitur, quod habet terminos proprios vel alienos. Cum quæritur à Philosophis. Sit ne materia prima terminata, an interminata, hoc quæritur, An sit protensa tribus dimensionibus, hoc est, in longitudinem, latitudinem & profunditatem affirmat Auerroes.

Indefinitū aliud est ab eo. Itaq; indefinita materia dicitur, quatenus nō est astricta certæ formæ, seu qua in diuersas formas transformatur. Subtiliter Scal. exercit. 359. Sect. 4. ipsa liquida non alienis, vt alii sentiunt, finibus terminantur, sed propriis necessario, quandoquidem suapte natura finita sunt. Sed mutare figuram dicūtur à terminis alienis. Interminatum appellatur in doctrina de visu perspicuum. Perspicuum enim illud est, quod propter partium tenuitatem transparet, nec visum terminat. Quod si perspicuum incrassetur & condensetur, ita vt desinat transparere, & visum terminet, nec sinat vlterius per intimam eius substantiam porrigi, tum amissa eius perspicuitate colorem loco eius recipit in superficie, quo moueat & terminet visum. Tale perspicuum vocatur à Philosopho Terminatum, ac id necesse est, vt sit coloratum. Nam sua superficie visum terminare, est esse coloratum, quia terminare visum non potest nisi per colorem aliquem, (perspicuum, cum ex condensatione desinit esse perspicuum fit coloratum, vt album, idque vel splendens, vt ignis, vel non splendens, vt aer, aqua) & per suam superficiem mouet visum.

Terminare visum phrasi Scholastica est mouere visum.

Quantitas corporis naturalis actu Terminata

minata est & figura eam determinat: vnde omne corpus est figuratum.

TETER.

Deterrimus & Teterrimus non sunt idē. Deterrimum aliquid esse potest, quod neque tetrum est, neq; teterrimum (status tuus deterior est meo, non tetrior) Ac Teterrime plus est, quam deterrime. Illud est pessime, vt: Deterrime viuere, id est, deterrima esse conditione, vt loquitur Cic. Hoc vero est admodum fœde & odiosissimè, vt cadunt ea, quæ diligentissime sunt cogitata, teterrime, sehr schändlich/ vnd scheußlich. Cic. ad Attic. interdum vni eidemque tribuuntur, manente interim diuersa significatione, vt: Martia vis, vxoria lis, deterrima (vel teterrima) pestis.

THEMA.

Thema est positio.

In Grammaticis est vox prima, vnde alia deducitur. *Logicis & Oratoribus* est positio, vt ita dicam, facti vel euentus, id est, facti species, vulgo casus, materies ad disputandum proposita.

Astrologis est Genitura, sidus natalitium, horoscopus, hoc est, id q̄ Genethliaci notant, quomodo sit cœlum affectum compositaq; sidera, cum homines & animantes oriuntur.

Falsum est Statium veterem Poetam primam in Thema produxisse. Versus enim,

Themate proposito narrat Theris alma rapinam.

Non est Statii, sed autoris argumentorum in eum. Nec proficitur quicquam versu Aratoris,

Ad vitam præceptapiam sic themate iuncto.

Nam hi authores non sunt classici, & vt loquar cum Micillo iudice, eorum authoritas tanta non est, vt in exemplum trahenda sit. A τέθεμαι Boeotico quidem regulariter deduceretur θεῖμα; sed dicitur θέμα, inquit Clenardus reiecta subiunctiua. Itaq; θέμα est à regulari τέθεμαι, teste eodem pag. 306. in recognit. Sylburgii.

TINGO.

Tingere esse inficere, immergere, imbuere, notum est. Quid ergo est calamum mente tingere? Resp. Τὸν κάλαμον εἰς νῦν ἀποβρέχειν id est calamum mente macerare seu imbuere, μεταφορικῶς dictum est. Græci dicunt Aristotelem scribentem solitum τὸν κάλαμον εἰς νῦν ἀποβρέχειν, mente calamum tingere, id est, Sapienrer cogitatas sententias, & sagaciter ex ipsis naturæ fontibus erutas proferre; scribere sapienter & prudenter. In Orat. de Arist. quæ extat in tertio tomo Selectarum Declamat. Melancht. pag. 353. Id omnibus nobis quoque propositum esse debet. Non leuiter literis tinctus, sed penitus imbutus est bene (imo egregie) eruditus.

Titillatus; vt loquitur Plinius.

Titillatio proprie est risus, ortus ex illius partis corporis humani, quæ subter alas est, tractatione; etsi in aliis partibus, corporibus etiam accidit, vt in vestigio & labris, secundum Aristotelem: Sed in partibus tamen vicinis diaphragmati maxime, ibique potissimum risum efficit; cuius rei causam quærit. in Sect. 25. Probl. Græce γαργαλισμὸς & γιγγλισμὸς: vel Titillatio est leuis attrectatio alarum aliarumve mollium corporis humani partium, qua risus commouetur inuoluntarius. Transfertur in Ethicis ad voluptates vt significet suauem motionem, vt voluptas titillat sensus. Voluptatum in sene quasi titillatio. Multos titillat gloria, id est, voluptatem affert seu suauem animi commotionem.

TOTVM.

- Quod nulla parte destituitur ad sui constitutionem necessaria. Huic opponitur MANCVM seu mutilum, (quanquam magis integro.)
- Totum
  - Essentiale ὅλον ἀσιώδες, quod constat ex partibus seu principiis essentiam constituentibus: vt è materia & forma compositum Ens.
    - Vniuersale καθόλου quod partes habet sibi subiectas, quibus essentiam suam communicat.
      - Genus respectu suarum specierum.
        - Exquisitum & simpliciter vniuocum.
        - Minus exquisitum.
      - Species respectu suorum Indiuiduorum.
    - Integrale σωμόλον constans ex partibus integrantib.
      - Physicum seu naturale, q habet partes sensiles per naturam cõiunctas
        - Similare, homogeneum cuius partes totæ sunt cognomines & congeneres.
        - Dissimilare, heterogeneum, cuius partes nomine & definitione ab ipso differunt.
      - Non Physicum seu positiuũ, quod habet partes voluntate in vnum redactas
        - Artificiale, quod arte constitutũ est.
          - Corporeũ, vt domꝰ.
          - Incorporeũ, vt disciplina.
        - Politicum, (vt cõcio ciuilis) quod consensu hominum per certas leges est constitutum.
        - Profanũ quod voluntate hominũ constitutum est.
        - Sacrum quod à Deo per ministrum euangelicum constitutum est, Ecclesia.
  - Per se cõstãs partibus prædictis.
- Quod partes habet cum eo coniunctas, Totũ.
- Peraccidens constans ex partibus prædictis
  - Causa
  - Causatum
  - Subiectum
  - Adiunctum
  - respectu diuersorum
    - Causatorum.
    - Causarum.
    - Adiunctorum.
    - Subiectorum.

TOTVM.

Totum aliquando idem est, quod *perfectum* vel *indiuulsum*, non vero idem declarat, quod secundum omnes partes, vt cum dicitur totus Christus est pro nobis passus. Fulgentius lib. 3. ad Trasymundum Reg. cap. 34. Totus Christus secundum solam animam ad infernum descendit, idemque atque inseparabilis Christus secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens ad cœlum ascendit. Et vt secundum carnem in sepulchro iaceret, totus Christus fecit, sed sepultura capax sola caro naturaliter fuit. Et paulo post. Eodem tempore totus in cœlo & in terra, non cessabat Christus operari, sed solius diuinitatis fuit, & loco non teneri, & quæ ad vniuersitatis gubernationem pertinent cum patre æqualiter & naturaliter operari, August. libr. 3. de Symbolo ad Catechumenos.

Totus filius ad patrem, totus in cœlo, totus in terra, totus in vtero virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiso, quo latronem introduxit.

Et epist. apud Dardanum 57. Christum vbique totum præsentem esse non dubites tanquam Deum. Et in loco aliquo cœli propter veri corporis modum.

Generatio est mutatio totius, inquit Arist. Hic Totum sumitur coniunctim, & significat compositũ seu integritatem substantiæ cuiusque corporis naturalis, quæ ex omnibus partibus conflata est, sed potissimum constituitur ab vltima forma, quæ omnes alias continet. Ideo à Philosopho 2. Phys. text. 31. Forma vocatur Totum: Estque sententia Philosophi: Ex vnius substantialis partis interitu totum compositum dici interire, & aliud totum generari, quia fiat alia species corporis naturalis. *Fieri aliud totum est, fieri aliud compositũ.*

Totum mutari in Totum seu mutari ex hoc in hoc Aristoteli est hoc compositum interire, & hoc aliud compositum generari, quod nihil aliud est, quam mutari vltimam formam. Hac enim mutata etsi nihil aliud mutetur, mutari tamen totum dicitur & fieri aliud σύνθετον.

Alias Totum sumitur disiunctim, vt si quis dicat, Totam pecuniæ summam esse dilapidatam, vt ne quidem obolus superfit: Totum Christum passum esse, vt & caro cum anima & Deitas eius passa sit: quod falsum est: & vt semel dicam, ita interisse totum, vt omnes partes nulla seruata interierint. Distinctio hæc est in Zábar. lib. de Generat. & inter. cap. 4. & habet vsum quoque in Theol.

Totum Integrale
- Simpliciter, proprie, id est, vere, quod ex partibus constat proprie dictis.
- Quasi: Hypostaticum, quod ex persona & natura constat.

Scholastici sæpe distinguunt inter Totum *Re & Ratione*, h. e. definitione, *& Ratione quidem vel omnino, vel quodam modo.* vt 1. Cum animal prædicatur de homine, totum quidem eius anima significatum de homine enunciatur, verum non Totum Re, cum natura animalis, quæ in vno eius est indiuiduo, in nullo alio re ipsa existat, sed totum omnino Ratione, cum ratio animalis eadem sit omnino, id est, ex æquo in omnibus animantibus. 2. Cum dico, homo est Ens, non significo hoc mi-

minem esse reipsa quicquid est Ens, sed conuenire totam quodammodo rationem Entis.

Secundum Totum mutatio, phrasis Aristotelica, non est interitus omnium prorsus substantiæ partium. Prima enim materia in mutatione Substantiali non interit: Sed compositi vel vltimæ formæ destructio: quæ cum alia omnia contineat, & det rei esse specificum, vocatur Totum. Hinc explicatur quæstio: Quomodo mutatio omnis substantialis dicatur & sit mutatio secundum Totum. Putredo integra, sicut & Mors totius substantiæ est interitus. Relinquitur in putredine prima materia, & Zabarellæ secunda etiam aliquo modo relinqui videtur, cum per putredinem perfectam dissoluatur mistum in elementa, quæ aliquo modo in ipso inerant, & ita illa, quæ simul erant commista, postea separantur. In morte remanet cadauer, quod postea interit per putredinem. Sed in misto misti formæ, & in viuente animæ corruptio dicitur corruptio totius substantiæ, tum misti, tum animati, cum vtriusque auferatur esse εἰδοποιὸν.

Totius materia Scoto est ipsum compositum extra animam existens, vt partis materia ei est altera pars compositi. Zab. lib. de constit. indiuid. c. 8. & 9. Totius hic ponitur intransitiue.

Toti attribuitur putrefactio, & totum ab eo nominatur.

Si ex omnibus partibus integrantibus pars aliqua humidi euaporet, totum putrescere dicitur. Zab. de mist. Gener. & inter. cap. 6.

In toto potestatiuo siue in naturalibus, siue in ciuilibus, inferior non (*a*) habet actum superioris, vt sensus nõ habet actum intellectus, Satrapes non habet actum Regis. Limitatur hoc axioma à Magno. In toto potestatis tam ciuili quam physico inferius habet contractum, quod est in superiori absolutum & vniuerse, sicut Satrapes habet potestatem Regis, alioqui ipsi non obediretur: sensus participat cognitionem intellectus contractam ad organa & determinatam ad sensilia.

a. Intelige simpliciter.

TOTALITER, ὅλως.

Id est, omnimodo, omnino, vt solidũ, vt qui homo est, habet in se aliquam ὁρχὴν, quam non habet humanitas, & idcirco non est totaliter idem homo & humanitas. Id est, differunt vt concretum, & abstractum. Homo existentiam rei simul cum essentia complectitur.

Totaliter à Scholasticis accipitur pro eo, quod est secundum omnem modum & perfectionem, vt anima est tota in omnibus membris. Vox à præceptore emissa tota est in singulis auditorum auribus. Deitas est tota in carne Christi, non tamen est *ex toto*, vt loquitur Augustinus, vel *Secundum totum*, vt Damascenus, *vel totaliter*, vt loquitur schola. Bulæus l. 2. in disq. de pers. Christi. Hinc fit, vt licet quælibet pars corporis totius animæ capax sit, non tamen sit vbi anima sit: licet quælibet auris auditorum totam Magistri vocem hauriat, non tamen sit, vbi cæteræ aures: licet denique caro Christi totam diuinitatem capiat, non tamen sit vbicunque est secundum suam essentiam, præsentiam & potentiam diuinitatis.

Totaliter, ὅλως.

Τὸ ὅλως opponitur τῷ καθ' ἀ μέρη. Totus homo (persona hominis) moritur, quia compositum dissoluitur, sed Totum hominis non moritur. De toto Christi ὅλως considerato, recte dicitur quod sit passus, quod de toto Christo, id est, de singulis eius naturis falsum fuerit affirmare. Totus Christus ὅλως seu personaliter non καθ' ἀ μέρη consideratus omnipotens est. *Non quicquid Consi-*

κατὰ προσωπικῶς, id est, de tota persona, seu

cur-

συνδέτῳ ὑποκάσει, vt loquitur Damascenus, *dicitur, etiam de toto persona dicitur.* Lombardus distinct. 22. lib. 3. Totus Christus, id est, tota persona in vtraque natura subsistens est vbique. Non Totum, id est, non secundum vtramque naturam.

Distinctio inter totus & totum habet vsum, & vsurpari potest cõmode, immo appositissime, in doctrina de generatione & interitu. Nam totus ignis interit (cum mutatur in aliud elementum) sed in totum eius. Interit totus, quia fit aliud elementum. Non autem totum eius, quia tantum forma ignis interit materia manente. Sic dici potest totus quaternarius interit seu destruitur (cum fit ex eo ternarius sublata vnitate) at non totum eius, quia etsi distincta integritate quaternarii, alia facta est numeri species, tamen manet ternarius sublata vnitate.

Totaliter ex toto. August. ad Dardan. Deus in quo habitat, totus est illi præsens, quamuis eum non ex toto (alias totaliter) capiat.

TOTALITAS.

Totalitas secundum
- Perfectam rationem essentiæ: Hanc habent incorporeæ substantiæ, quæ non sunt quantæ seu mensurabiles secundum quantitatem.
- Quantitatem: Hæc est in substantiis corporeis.

Esse in toto & vnaquaque totius parte totaliter est esse in toto & quaque parte totius indiuisum, vt esse animam, vt spiritum, in toto corpore sibi adunato, & qualibet corporis parte indiuisam, sic esse in toto corpore, vt singulæ corporis partes habeant totam; Sic esse totam in vna parte, vt æque sit tota in omnibus non μεριστὴ, id est, partibilis in substantia partibili, & in singulis partibus illius. Idque propter Naturam continuitatis spiritalis, quæ substantiæ est incorporeæ. Anima nostra est tota in toto, tota in parte vna, tota in partibus duabus, & in capite & in pedibus vtrasq; continens spirituali modo. Hoc ergo *est in Toto Partibusque singulis Totius esse Totaliter* (ὁλικῶς vt ὅλως ὅλον). Deus est vbiq;, id est, in omnibus singulis, Totus totaliter, Diuina natura tota simul vbiq; est per modũ causæ agentis, essentia, præsentia, potentia primo & per se. In corpore autem Christi per vnionem Gratiosam, qui modus singulari prorsus & gratioso essendi modo summe singularis est. Fr. Iun. in defens. 1. Cathol. doctrin. de Trinit.

Totalitas
- Quanta
  - Per se.
  - Per accidens.
- Non quanta in spiritalibus & Metaphysicis.

Quanta] Quæ commensum habet cum loci propii quantitate, quæ à quantitate locali differt tantum natura.

TRADVCES.

Hanc vocem vſurpamus ſermone & ſcriptis, cum quæritur, an anima rationalis vel iuſtitia Dei traducatur ad poſteros per generationem carnalem.

Sic autem loquũtur qui terſiores videri volunt. Anima mortalis, diuinior hominis pars non ſuppeditat traduces ad generandum. Totus homo, hoc eſt, vtraq; ſua parte non ſuppeditat traduces, id eſt, ſpiritus hominis immortalis non deſcendit de parentibus ſecundum rationẽ ſeminalem. Iuſtitia Dei cum traducibus diuiniores hominis partes nõ transfert in hæredes ſeu poſteros. Pars hominis mortalis traduces ſuppeditat, eaq; homo hominem generat. Carnis traduces non ſemper habent adiunctam & comitem Dei benedictionem, id eſt, benedictio domini non ſemper tranſit in hæredes. Traduces carnis à muneribus illis præſtantiſſimis, quæ animæ ſeu ſpiritui primo donantur poſſunt deſeri. In carnis traduces dona & munera Dei præſtantiſſima, Fides & iuſtitia Dei, non transeunt. Claudius Alber. Oratio. Apod. 5. de ſucceſ. Ab Apoſtolis traducem & doctrinæ ſemina Eccleſiæ noſtræ mutuata ſunt. Vide Tertull. de præſcript. aduerſ. hæret.

Eccleſiæ Apoſtolicæ ſũt traduces & origines fidei.

Morte contagioſi dicuntur traduci & quaſi tranſplantari, vapores ſunt contagii Traduces, id eſt, contagii communicatio per vapores propagatur. Thom. Iordan. Tract. 1. de phænomenis peſtis.

Tranſanimatio Tranſcorporatio, Μετεμψύχωσιν D. Auguſt. vertit tranſanimationem. Eſt autem tranſanimatio reuocatio animæ iam pridem morte functæ, vt loquitur Mazonius, in corpus humanum: Atq; hoc ſenſu Tertullianus in lib. de anima μετεμψύχωσιν accipit. Docuit hanc vetus Academia & Ægyptiaca.

Ab hac aliud eſt μετενσωμάτωσις, id eſt, tranſcorporatio, quæ eſt animæ de corpore humano in corpus ferinum migratio, quam Zoroaſter ſcribitur appellaſſe παλιγγενεσίαν, id eſt, regenerationem. Hic in duas abiere Platonici ſententias. Plotinus, qui cum conſentit Numenius, putat animam deposita hominis figura inſerere ſe ſe ferino fœtui eiuſque beſtiæ ſubire corpus, cuius ſe moribus ſimillimam præſtitit. Sed Proclus & Syrianus exiſtimant animam humanam ferinæ ſe iungere, ac feræ fieri comitem.

Tranſelementatio μετασοιχείωσις. Tranſelementatio eſt phyſicis elementi mutatio, ſeu conuerſio, ſeu tranſitio in aliud. Ea fit κατ' οὐσίαν. Non igitur eſt abitio in nihilum.

Tranſſubſtantiatio differt ab illa, vt genus à ſpecie. Eſt enim, ſubſtantiæ in ſubſtantiam tranſitio, Scolaſtici Doctores vſurparunt vocem tranſelementationis pro miraculoſa conuerſione panis in corpus Domini, & vini in ſanguinem eius. Alii tranſelementari, hoc eſt, Tranſire in elementa diuinarum rerum & induere formam ſymbolicam, & quidem ſacramentum. P. M. Sic loquitur verſor Theophylacti in Marc. 24. cap. Miſericors dominus noſtræ infirmitati condeſcẽdẽs, ſpeciem quidem panis & vini ſeruat, in virtutem autem carnis & ſanguinis tranſelementat. (De tranſelementatione noſtri in Chriſtum ſeu corpus eius, quæ eſt tranſmutatio ſpiritualis, quæ fit ſecundum δύναμιν ſeu virtutem: Ac maxime eſt Methaphorica. Itaq; Theophylactus in 6. caput Ioannis addit aduerbium Quodammodo ſic: Qui manducat me, viuet propter me, dicitur quodammodo, miſcetur mihi, & tranſelementatur in me) de hac igitur mutatione μεταστοιχείωσει vide diſputationem Petri Martyris & Gardoneri, qui recte eam ita

ita moderatur: Transelem ẽtationis ſignificatio rei, cui exprimendæ adiicitur, accommodanda eſt, ne veritati præiudicet, ſed ſubſeruiat, hoc eſt, vt carnis Chriſti ſubſtantia propter myſterium vnionis, manente ipſa, ita cenſeatur mea, ac ſi in meam demigraſſet. Et ad imminuendum Transelementationis ſignificationem additur Quodammodo, de Euchariſt. part. 4. p. 603.

Tranſelementatio ſeu Transformatio 1. { Propria, κατὰ ὐσίαν, & εἰς ὐσίαν. / Impropria, κατὰ δύναμιν & εἰς δύναμιν ὐσίας.

2. { Naturalis. / Non naturalis.

Tranſelementatio in Grammaticis eſt transmutatio literæ in literam (literæ enim dicuntur elementa) præſertim cognatæ in cognatam, diphthongi in literam vel diphthongum. Exempla huius tranſmutationis ſunt D. in B. vt duonum bonum; Duellum bellum. δὶς bis. D. in L. ὀδυσσεὺς Vlyſſes: Sedla, Sella. χ in γ. vt ἄγχω. ango. φ ſeu ph. in F. φήμη ſeu phama, Fama, φύγη ſeu phyga, Fuga. D in R. Medidies in Meridies. μέρος enim μέσον & mediũ ſunt cognata. K. in G. vt κυβερνάω guberno, κυβερνήσης, κυβερνητὴρ & κυβερνήτωρ, gubernator. S. in R. Honos ὀσος honor, ὀσον: π in B. vt, πύξος buxus, ἄραψ Arabs, ἄψις Abſis & apſis, λὶψ Libs. ζ in geminum σ; μάζα maſſa. A in e τάλαντον talentum: Y in u ῥόμυλος Romulus. μῦς mus: o in e, vt vorti pro verti, polcrum pro pulcrum. αι in a longum, κραϊπάλη Crapula; ει in e longum λυκεῖον, μυσεῖον, lyceum, Muſeum. οι in oe, vt ποινὴ pœna: οι in u, μῦσα Muſa; ωι diphthongus ſpuria (ῳ) in oe vel o longum, vt κωμῳδία comoedia: ᾠδὴ ode.

Aſpiratio mutatur in v, vt ὗς vis, ἕνετοι, Veneti; ἑσπερα veſpera; vel in σ, ἕξ ſex, ἑπτα ſeptem; ἕδος ſedes.

Obſeruat.

Conſuetudo ſeu vſus veterum mutationis hic attendenda eſt. Cum igitur illo deſtituaris, ne dicas ſtratagema pro ſtrategema, ὄψον edulium, pani additum, & vino præſertim coctum, Latini vocant opſonium, ſine mutatione ψ in b s vel obſonium, obolus. (ὄβολος) genus minuti nummi, non obulus dicitur: obelus (ὄβελος) aliud eſt nempe veru. Hinc obeliſco dignũ & obeliſco notare.
Hæc obſeruabis.

TRANSFIGVRATIO,
Transformatio.

Transfiguratio 1. eſt accidentalis figuræ mutatio, ſeu eſt mutatio alicuius corporis ſecundum externam figuram in aliud. Eaq; vel vere ſeu reuera, vel φαντασίᾳ ποιήσει, in ſpeciem tantum, ſimulate, aut ex opinione ac φαντασίᾳ depraua ta.

2. Idem eſt improprie magis, quod trãſformatio, id eſt mutatio corporis ſecundum ſubſtantiam ſeu formam ſubſtantialem. Transfigurationum quatuor ſunt genera, Poeticum ſeu fabuloſum vnum; Phyſicum ſecun-

dum; Magicum tertium: Quartum Diuinum.



Transformationis Poeticæ, id est, à Poetis confictæ exemplum est commutatio sociorum Diomedis in aues, sociorum Vlyssis à Circe magna in varias animantium formas conuersio. Huius generis etiam est à non poetis tradita Arcadum stagnum quoddam eius regionis tranantium in lupos transfiguratio, id est conuersio.

Physicæ exemplum est, quod papiliones ex erucis, erucæ ex virentibus foliis, maximeq; ex brassica nascuntur, quod fit ex quodam verme grandiore, qui velut cornua gemina protendit, primum toto immutato eruca, deinde quæ bombyx appellatur.

Apud Iappon. dicitur esse animal quoddam terrestre, quod certo quodam tempore incipiat vehementer appetere & frequētare mare, & in idētidem natans & sese mersans, particulatim & membratim piscis fieri incipiat, &c.

Magica & Diaboli potentia factæ μεταμορφώσεις fere non sunt veræ, quia fere non sunt id quod repræsentant. Dico fere, quia forte aliquę fuerunt veræ. Huc quidam referunt transformationes Magorū in Ægypto factas vt Mosi resisterent. in Exod. Augustin. narrat in lib. 18. cap. 18. de ciu. Dei. Fuisse suo tempore in Italia mulieres quasdam stabularias, quæ viatoribus caseum darent, nescio quibus veneficiis infectum, quo sumpto protinus illi verterentur in iumenta, & portabant onera, eoq; labore perfuncti rursus meanti & figuræ hominis restituebantur.

Diuina Transformatio est quæ fit omnipotentis Dei vi & potestate vel ad declarandam iustitiam sceleruṁ vltricem, vel ad ostendendam potentiam aut beneficentiam diuinam erga homines. Hæc vel est substantialis, vel accidentalis. Illuc pertinet mutatio vxoris Loth in statuam salis: conuersio aquę in vinum: Huc referatur cōuersio Regis Nabuchodonosoris in ferā seu bestiam. Vid. Bened. Perer. in Daniel.

Est & Metaphorica Transfiguratio, quæ dici possit Ethica, vt cum homines in lupos cōuerti dicuntur, qui tyrannice agunt, & in sues, qui sunt voraces venetriq; deditissimi. Prima igitur & generalis distinctio fuerit hæc: Transfiguratio aut est propria, aut improprie seu metaphorica.

Transformare orationem, λόγον μεταποιεῖν.

Transformare orationem est mutare orationem in æquipollētē, magis perspicuam, propriam, Latinam, figuratam &c. vt hæc, fide iustificamur, transformanda est in orationem correlatiuam, Melanchthon Dialecticæ libro primo in quinta regula de relatis. Nam res illa, qua peccata nostra sunt expiata nobisq; remissio eorum à Deo imputata est, id ipsum est pro-

proprie quod nobis ad iustitiam à Deo imputatur. At sola satisfactio seu obedientia Christi pro nobis patientis est id, quo peccata nostra sunt expiata, nobisq; remissio illorum à Deo impetrata. Ergo sola satisfactio Christi est res illa, qua peccata nostra sunt expiata nobisq; eorum remissio à Deo imputata.

Translatio.

Translatio Physica τοπικὴ, id est, localis est, vt è loco inferiore in superiorem.

In Rhetoricis Transl. generaliter accipitur pro quouis tropo vt synecdoche, seu syllepsi etiam, vt cum Bernardus dicit in exposit. symboli Apostolici, sæpe de toto ad partes vel de partibus ad totum fiunt translationes nominum. Specialiter pro metaphora presse dicta, cum propter similitudinem transfertur vox à propria significatione.

In oratoria & politica Translatio & *μετάστασις* criminis est eius remotio, & trãsmotio alio.

In doctrina organica, de sophistica Translatio quæstionis est, cum mutatur status quæstionis seu controuersiæ, cum respondetur de eo, quo de non est quæsitum, id quod sophisticum est, videndum igitur in omni disputatione, in quo proprie posita sit controuersia. Non controuertitur inter dissidẽtes de cœna Eucharistica, An Christus nobis communicetur, sed quo modo, sed an substantia carnis Christi substantiæ vel speciei panis ita coniuncta sit, vt manibus & ore cum signo, sumatur?

Ex Translatione (*ἐκ μεταθέσεως*) propositiones dicũtur propositiones infinitæ (*ἀόριστοι*) in quibus particula negandi postponitur verbo Est, vt Nullum ens est non bonum.

Translatinum pro alieno.

Aer & aqua à sua natura discedunt, tralatitiasque cœlitus demissas qualitates induunt, aut à tellure, promulgata malignitatis semina assumunt, cuius merito etiam putrescere vere dicũtur, Thomas Iordanus tract 1. de peste.

Transparens seu perspicuum.

Transparens absolute sumptum est corpus tenue aptum recipere introrsum, id est in sua substantia, vt lumen & tenebras. (Sicut materia prima apta est, recipere & formam & priuationem.)

Sumptum respectu visus, id est, vt mediũ visui inseruiens, est, quod lumini peruium est, propter tenuitatem seu subtilitatem substantię ideoq; medium deferens colorem & visum. Ita materia perspicua, est corpus subtile. Forma seu actus lumen; causa efficiens substantiæ Subtilitas: per eam enim potest lumen intima penetrare. Atque hinc perspicuorum seu transparẽtium oritur differentia. Quæ enim habent subtiliorem substantiam, ea maiorem; quæ minus subtilem, ea minorem habent perspicuitatem. Minus perspicua est aqua, quam ignis & aer, quia parum recedit à natura terræ, quæ elemẽtum opacum est & expers omnis perspicuitatis: Aer magis perspicuus est, sed proxime omniũ ignis elemẽtaris tenuissimus & *ἀόρατος*, qui tamẽ si cõdensetur ob alicuius terrestris materiæ admistionẽ, fit lucidus & visibilis: sic etiam aer vel aqua, si cõdensetur & incrassetur, in superficie coloratur, albescit.

- Elementum
  - Opacum
  - Transparens, propter tenuitatem seu propter raritatẽ eiusmodi, cum qua coniuncta est subtilitas substantiæ,
    - Magis
      - Ignis
      - Aer
    - Minus, aqua.

Quæstio est An transparens seruata sua perspicuitate possit recipere colores?

R. Distingue inter colores veros, seu reales, & apparentes seu spiritales: potest perspicuum recipere seruata perspicuitate specierum coloris realis spiritalem, at non ipsum colorem realem, hic enim perspicuitati repugnat, cum perspicuitas notet priuationem realis coloris qui non est, nisi in corpore habente terminationem (perspicuitati oppositam:) Quod si perspicuum condensetur, & fiat ex perspicuo terminatum; tum potest recipere colorem realem. Perspicuum igitur est coloratum, & visibile potentia: seu perspicuitas, notat priuationem coloris, & visibilitatis, cum aptitudine ad recipiendum colorem & visibilitatem consequendam.

Transsumptio.

Transsumptio est cum
- Nomen magis notum sumitur pro nomine minus noto. Boetius, vt sapiens pro Philosopho.
- Nomen per metaphoram sumtum explicatur per proprium. Ioh. Cæsarius. Iac. Faber Buridanus, vt methodus per scientiam; ardere per vehementer amare.
- Thesis ad hypothesin transfertur, vt si quęratur quid iustitia in omni re valeat, & ostendatur eam multum posse in administratione Reipub. Raianus in Cæsar.

TRIBVO.

Tribuere est *primum* impertire, vt testimonio fidem tribuere. Anima est actus tribuens vitam & esse composito. Nam esse propriũ cuiusq; est à forma. Pro eo etiam vtimur voce participationis. Mercatus.

Secundo, est attribuere. *Tertio*, est diuidere, vt: tribuere rem vniuersam in partes, id est distribuere. sic vsurpauit Cicero. Sicut & tributionem pro distributionem, vt: æquabilis tributio.

TRICAVSALE.

Quidam è Scholasticis Deum vocant Tricausalem, quod sit rerum efficiens, forma & finis. Per formam autem hic caue intelligas causam internam, quæ rei pars est.

Id cui nihil deest non potest illam causam, quæ est imperfecta, supplere.

Deus enim nullius rei pars est. (Hinc est Decretum Philosophorum: Deus nõ potest supplere causalitatem materialis vel formalis causæ, quia Deus est perfectissimus & purissimus actus; & hæ causæ imperfectionem significant. Itaq; non potest Deus facere hominem sine anima.) sed causam exemplarem, quæ ad efficientem reducitur.

TRINITAS.

Trinitas seu trias Aristoteli est natura & forma communis ternarii numeri, quam omnia quæ tria sunt participãt. omnes enim & singulę res habẽt principium, medium, & finem, quibus perficiuntur.

TROPICVM.

Magister sententiarum lib. 3. distinctio. 11. quæstion. 1. Illa locutio tropica est, qua Christus dicitur creatura. Bonauentura ad hunc sic: videtur ista locutio non esse tropica. Nulla enim ibi est transsumptio, imo se-

cun-

cundum proprietatem ſermonis dicitur. Reſp. Tropicus ſermo dupliciter poteſt dici, vno modo tropicus ſermo dicitur, in quo eſt aliquod vitium tropo excuſatum. Eſt enim tropus figura, & figura eſt vitium ratione excuſatum. Alio modo dicitur ſermo tropicus quilibet ſermo, qui habet aliquam improprietatem, ſed excuſatur, vel remouetur per aliquam determinationem, vt Chriſtus eſt creatura ſecundum humanitatem. Secundo, igitur modo tropica dicitur. Poſſet & dici quod vocet Magiſter etiam tropicam accipiendo tropum pro figura: poſſunt enim dici tales locutiones ſynecdochicæ, quia quod eſt partis, attribuitur toti, & accipitur largo modo pars & totum, vt dicantur humana natura quodammodo pars reſpectu Chriſti licet non proprie. Et ſic poteſt dici tales locutiones eſſe tropicas & ſignatas per Synecdochen, quia Synecdoche eſt figura locutionis. Sicut enim dicunt periti Grammaticæ ſynecdoche aliquando eſt figura locutionis, aliquando conſtructionis. Idem Bonauentura lib. 3. diſt. 8. quæſt. 2. Humana natura eſt nata de virgine ratione partis conſtitutiuæ (carnis non animæ) per Synecdochen.

Tropica ſeu mobilia ſigna generatim ſic dicta ſunt, à quibus anni tempora commutantur vt prima 4. ſigna quatuor anni temporum, vt ſunt ♈. ♋. ♎ ♑ ſole intrante ♈ hyems in nouũ ver commutatur. Dicuntur & centrica quod 4. centra conſtituant, opponunt his fixa ſeu ſolida, in quibus ſtatus temporis efficiuntur firmi & vehementiores, quę mobilia ſigna ſequuntur ♉. ♌. ♏. & ♒.

Tropica ſigna ſpeciatim ſic dicta ſunt Cãcer & capricornus, ſic dicta quod ☉ in eorum initio ad alterutram mũdi partem ſe conuertat, noctuum etiã & dierum viciſſitudo incipiat. Iis opponũtur æquinoctialia ♈ & ♎. in quæ Sol ingrediens facit æquinoctium.

Tropicus ſeu vertens annus eſt ſpatium temporis, quo Sol ab vno ad idem punctum redit. Dicitur Tropicus, quia numeramus tempus ab ipſis punctis ſolſtitiorum aut æquinoctiorum.

In Muſicis Tropi, Melopœiæ dicuntur eſſe plures: nonnulli ἐρωτικοὶ: (amatorii) quidem comici; aliqui ἐγκωμιαστικοὶ: (laudatorii) vocantur autem Tropi, quod quendam affectum mentis repræſentent.

TRVNCVS, STIPES.

De ſignificationibus hæc habet Scaliger exercit. 140. Stipes vbi truncatur, truncus eſt. Cadauer poeta abſciſſo capite truncum appellauit. Veteres lignatores amputatis ramis ab ſe ſe relictum dicebant truncum.

Surculum vero eſſe ſtipitis partem, aut rami, & ratio vocis indicat, & declarat vſus. Nam vox diminutionem notat à ſuro, ſurum palum dixere priſci, vnde & ſura in homine.

De vſu vero vocabuli quid? Meminiſti ne? cuiuſdam vxor de arbore cum ſe ſuſpẽdiſſet, quæſo, inquit Vicinus, cedo ſurculum. Serere namq; cupiebat, vt ex eo creſceret arbor; vnde ſua quoque pari felicitate pendere poſſet. Nicolaus Leonicus in comment. in Ariſtotelem de iuuentute & ſenectute, vita & morte. In arbore, inquit, partium feruntur vocabula, Radicum cetium ſpites, ſiue radices, quæ terra continentur. Stipes ſiue caudex, qui primo à terra ſurgit & erigitur. Trunci, qui à ſtipite ſc. vndiq; exeunt rami, veluti arboris ipſius brachia. Rami tenuior truncorum portio: ſurculi ramorum extremitates, & tanquam deſinentes in arboris nouellæ germina. Truncus, ait Ariſtoteles, eſt quoddam arboris principium ſimul & medium æqui-

ualet enim hic cum principio medium. Nam in medio altricis facultatis principium animæ reperitur. Idem Leonicus, Truncus medium est ipsius rami & stipitis siue caudicis. Hæc oculata percipiuntur fide.

Sit arboris stipes A B C, cuius truncus quidem sit B D E, ramus autem trunci ipsius pars D E. Hoc in casu, truncus vt videtur, cum ipsius rami est principiũ, tum etiã medium, medius namque rami & stipitis ipse est truncus. Truncum & stipitem per Metaph. dici hominẽ stupidum, quis est qui nesciat.

In Doctrina anatomica Truncus corporis opponitur artubus.



T V M, T V M.

Tum geminatum peculiarem habet vsum in diuisione : Nam vnum eius membrum conficit. Exemplum huius ἐπαναλήμματος est apud Scaligerum, quod alio etiam loco laudaui. Quædam animalia ex aliis tum fortuita origine (1. diuisionis pars) vt mus; tum ex mutuo tantum coitu (2. diuisionis pars) nascuntur, vt homo. Pro eodem duplicatur partim, id est, dicitur partim, partim.

T V R G E R E.

Theophrasto in libr. de causis plantar. plantas turgere ὀργᾶν, est habere appetitum, & impetum, seu concitationem quandam naturalem germinandi, & producendi fructus ex materia, quam hyeme contraxerunt. Idem, inquit, plantas Turgere ad partum.

Apud Aristotelem turgere naturale desiderium significat, & insitum appetitum, quo fœminæ concubitum quærunt, ad sobolem ptopagandam.

Aristoteles quadrupedum fœminas ait ad concubitum turgere, ex prominentia genitalium partium, ex cognitione & frequenti mictu.

Galeno ὀργᾶν partem, est ad excretionem festinare ac incitari partem, quæ laborat.

Ludo-

Ludouicus Mercatus, inquit, Hippocrati, Aristoteli, Theophrasto, est, cum pars aut totum corpus feruet desiderio expellendi. In humano corpore natura turget, cum aut onere premitur, aut acrimonia & malitia lacessitur, & ad vacuationem gliscit, & mouetur. Idem inquit; Corpora nostra turgent, & inquieta sunt, cum aut alui excrementa, aut vrina diutius iusto detinentur, insurgit tũ natura & turget, vt ex corpore ea expellat.

Interdum tribuitur hæc vox humoribus & superfluitatibus à Galeno & aliis. Ac dicuntur humores turgere, cum vehemẽti motu agitãtur, ac ab vno loco ad alium cõfluunt, & dolores aut titillationes inferunt, quiescereque ægrum non permittunt, itaque vacuari desiderant.

Soli Deo Gloria.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Goclenius, Rudolph,

Lexicon Philosophicvm Qvo Tanqvam Clave Philosophiae Fores Aperivntvr

Francofvrti 1613
4 Ph.u. 63
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10008450-6
VD17 23:289117S